
NAZIONALE
14
8 F
27



FVLGENTII CASTIGLIONE
PANORMITANI
E SOCIETATE IESV
PHILOSOPHIÆ, AC THEOLOGIÆ IN COLLEGIO

PANORMITANO PROFESSORIS.

CVRSVS PHILOSOPHICVS

VENETIIS Apud Buglionem, 1690. *Superiorum permissu.*

CVM PRIVILEGIO.

5
3

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. CAROLO MARIÆ CARAFÆ

BRANCIFORTI, BARRESI, SANTAPAV, ET SPECIALE

Domino Familiæ Carafæ, Principi Buteræ, Hiſpaniarum Magnati, Primo Siciliæ Dynaſtæ, Principi Roccellæ, & S. R. I., Marchioni Caſtriveteris, Licodiæ, Militelli, & Barrafrancæ, Comiti Grotteriæ, Mazareni, Graſſuliati, & Condeiannis, Baroni Badali, Fontanæ muratæ, & Belmontis, Domino Blanchi, Siderni, Niximarum, Aquilæ, & Lacus Leontinenſis, Comiti Molleri, & Montisacuti, Domino Bendæ, S. Ioannis Sanſons, Caſtrorum, & Villarum Santapau, Caſtelfollit, & Feneſtris, & Caſtri Mandras, & Paracolli, Domino Prioratus Hieroſolymitani, Roccellæ, &c.



FVLGENTIVS CASTIGLIONE SOC. IESV FEL.

IN fronte operis mei operæ pretium facturus arbitror, Princeps præclariſſime, ſi tuum inclytum nomen, quod vniuerſum penè Terrarum Orbem gloria, & fama compleuit ſua, omine inſcribam fortunatiſſimo: tanti ſi quidem ſub Herois auſpicijs faciem exponere mea non erubeſcit Philoſophia. Ariſtotelicos hoſce flores, quos Panormitano pluries in Lyceo, alijſque Siciliæ Academijs ſtudio quidem, operaque mentis enutriui, cui potiùs ſepiendos dederim, quàm gentilitijs tuæ Familiæ Spinis, quæ non vtriuſque modò Palladis decora, ac ornamenta; verùm etiam florentiſſimas Chriſtianæ Religionis opes auſpicatiſſimo ſemper præſidio muniuerunt? Æquum ſanè erat, me Principem illum tenui hoc obſequio colere, qui liberale ingenium ſtudijs excolit ornatiſſimis: qualem vnquam feliciorem ſortiri poteram Mæcenatem, quàm eum, cuius ad vmbram patrocinij literariæ vireſcunt Lauri, & Parnaſſi decora maiora laudum incrementa ſuſcipiunt? Meritò igitur in ſignum conuolat tuum meus hic liber: vindice tanto ſecurus: inuitat illum beneficentiſſimus amor, quo eruditos eruditiſſimus ipſe complecteris. Sed reformidat ſplēdorem ipſum, quem amat, tãtæque lucis ad maieſtatem ferendis radijs impar caligat; nam te Carafæ Familiæ decus eximium, & magnum primariæ nobilitatis incrementum demiratur, tot clariſſimis circumfuſum ſtellis, quot maiores enumeras conſpicuos Purpura, illuſtres Infulis, auctos Imperijs, & militaris gloriæ inſignibus decoratos; eoque mira magnitudinis ſidere maximè colluſtratum, quod Hieroſolymitana inter Religionis lumina, ſupremum tenet dignitatis faſtigium. Te ſuſpicit Romani Imperij Principem, Hiſpaniæ Magnatem opulentiſſimis cumulatum honoribus, ac dynaſtijs, & ſplendidiſſimo nuper magnificentiæ apparatu pro Auguſtiſſimo noſtro Carolo legationis munere perfunctum; demirata tunc fuit Regina Vrbium Roma nobilem perilluſtrium virorum Comitatum, innumeras penè famulantium copias, pretioſos habitus, curruſque prædiuites, & quamuis luculentas Principum pompas irretortis aſſueuerit oculis intueri, ad nouum tamen opulentiæ nitorem attonito hæſit ſupercilio. Spem tamen ſumit tenue hoc munus, atque animos elatiores, hilari fronte, lætòque vultu fore excipiendum, vbi te litera-

tera-

eterarijs adeò studijs deditum, & Idaam Principum prelo se vides committere laureato: in qua tui eruditi calami beneficio Aquila illa, Traiani scilicet, & Constantini, alijque Heroes replumescunt, quos prisca ætas in honore habuit, atque dum normas expressas paginis virtutum exhibes, te ipsum exprimis Principum prototypon, omnibus laudum bonestamentis splendide ornatum. Patere igitur in conspectum venire tuum meam hanc Philosophiam, atque inter nobiliores tibi delatas lauros nostras hasce myricas repere, ne dedigneris. Excusanda erit operis audacia, si te sacris, ciuilibusque distentum curis, dum scilicet Attalico sumptum Religioni templa substruis honorifica, dum tibi per nouam Vrbem, quam populorum commodo construis, semitam paras ad gloriam ampliorem, & vigili semper consilio, atque prudentia tuam tueris ditionem; interpellare audeam. Sed ea tua mentis amplitudo est, nulla, vt negotiorum vi obruatur. Remque publicam, sic geras fortiter, ac suaviter, vt otij partem, ac quietis numeres laborem literarium: nihil enim Politicæ facultati detrahere perquam erudita Mineruæ studia, sed potiùs maiorem gloriæ nitorem addere administratio tua comprobat satis: nam tu scientijs omnibus eleganter excultus, populis es factus oraculum, dumque rosas loqueris coronaria serta tuæ contexis æternitati.

ALOYSIVS FARDELLA

PROVINCIÆ SIGVLÆ PRÆPOSITVS PROVINCIALIS.

CVM librum, qui inscribitur cursus Philosophicus, à P. Fulgentio Castiglione nostræ Societatis Sacerdote compositum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recongnouerint, & in lucem, edi posse probauerint; potestate nobis facta ab Adm. Reu. P. N. Thyrso Gonzalez Præposito Generali, Facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur; cuius rei gratia has litteras manus nostra firmatas, nostrique officij sigillo munitas dedimus. Panormi 29. Aprilis 1688.



ALOYSIVS FARDELLA.

AD LECTOREM.



PERE hoc uniuersam Philosophiam, quæ in scholis nostris tradi consueuit, in tres illas præcipuas diuisam partes, Logicam, Physicam, Metaphysicam, complector. Quicquid id est, tuis manibus, tuis oculis, tuoque ingenio offero, beneuole Lector. In eo præter veritatis amorem nihil magis attendas, magisque diligas exopto. Si quid de methodo, quam seruo, scire desideras, accipe. Præmissi, vbi opus est, quæ ad solutionis intelligentiam sunt necessaria, ne diu animi pendeas, meum sensum statim aperio, quem rationibus proprio Marte elaboratis comfirmare pro viribus curo: tum aduersariorum tela responsis, & ijs quidem non vulgaribus retundere studeo. Multa contra meas assertiones, contraque meas rationes argumenta ego excogitaui: quare etsi sententiæ plerumque communes, & probatorum authorum sint; opus tamen nouum, nec è veteru m scrinijs expilatū quilibet rerum prudens æstimator habebit. Aliorum placita modestè refero: si quid displicet, paucis perstringo. Immensum illud, scriptorum rationes, aut solutiones reijciendi, negotium, breuitatis studiosus, odi non mediocriter. In id animum intendo, vt ad sacram doctrinam tùm speculatiuam, tùm practicam, quam præ manibus habeo, iter mihi, meisque lectoribus sternam. Si quid boni inest, id totum ad Deum, qui bonorum omnium fons est, & origo, authorem referas: si quid minus sapit, humanæ naturæ tenuitatem excuses, precor. Vale.

INDEX
DISPVTATIONVM
ET
SECTIONVM



Huius Operis.

IN PARTEM PRIMAM LOGICAE.

DISPVTATIO I.

De Obiecto, & Natura Logicæ.

DISPVTATIO II.

De Identitate, & Distinctione rerũ.

DISPVTATIO III.

De Vniuersali.

✠

DISPVTATIO IV.

De Vniuersali Logico, seu de quinque Prædicabilibus.

QVÆSTIO I.

DE GENERE

QVÆSTIO II.

DE SPECIE, ET INDIVIDVO.

QVÆSTIO III.

DE DIFFERENTIA ESSENTIALI.

QVÆSTIO IV.

DE PROPRIO, ET ACCIDENTE.

QVÆSTIO V.

DE PRÆDICABILIBVS IN COMMVNI.



IN PARTEM SECVNDAM LOGICAE.

DISPVTATIO V.

De ante Prædicamentis.

DISPVTATIO VI.

De Relatione.

DISPVTATIO VII.

In libros Aristotelis Perihermenias, seu de Interpretatione.

Quid

DISPVTATIO VIII.

De Veritate, & Falsitate formali Iudicij.

DISPVTATIO IX.

In libros Priorum Analyticorum Aristotelis.

DISPVTATIO X.

In libros Posteriorum Analyticorum Aristotelis, seu de Demonstratione.

DISPVTATIO XI.

De Scientia actuali, & Opinione.

DISPVTATIO XII.

De Scientia habituali.

DISPVTATIO XIII.

De Specificatione, Vnitate, & Multiplicitate Scientiarum.

IN

IN OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS.

DISPVTATIO I.

De Principijs Corporis naturalis in communi.

DISPVTATIO II.

De primo Principio Corporis naturalis, seu de Materia prima.

DISPVTATIO III.

De secundo Principio Compositi Substantialis, Forma videlicet substantiali.

DISPVTATIO IV.

De Priuatione.

DISPVTATIO V.

De Composito substantiali.

DISPVTATIO VI.

De Natura, & Arte.

DISPVTATIO VII.

De Causis in communi.

DIS-

DISPVTATIO VIII.

De Causa materiali, & formali.

DISPVTATIO IX.

De Causa efficiente tum creata, tum increata.

DISPVTATIO X.

De Causa finali, & ideali.

DISPVTATIO XI.

De Casu, Fortuna, & Fato. p. 370.

DISPVTATIO XII.

De Motu, eiusque speciebus.

DISPVTATIO XIII.

De Infinito.

DISPVTATIO XIV.

De Loco, & Vacuo.

DISPVTATIO XV.

De Tempore.

DISPVTATIO XVI.

De Compositione Continui.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE CAELO, ET MVNDO.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE, SEV DE ORTV, ET INTERITV.

DISPVTATIO V.

De quibusdam ad Actionem alteratiuam spectantibus.

DVBIVM INCIDENS.

DISPVTATIO VI.

De Successione, & Continuatione Alterationis.

DISPVTATIO VII.

De Conflictu Qualitatum.

APPENDIX

IN LIBRVM SECVNDVM ARISTOTELIS DE ORTV ET INTERITV.

DISPVTATIO I.

De Elementorum Substantia.

DISPVTATIO II.

De primis Elementorum Qualitatibus.

DISPVTATIO III.

De Elementorum Transmutationibus, & Mixtorum Compositione.

DISPVTATIO IV.

De Virtutibus motiuis Elementorū.

IN

IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

DIPUTATIO I.

De Essentia Animæ.

DISPVTATIO II.

De Potentijs Animæ in communi.

DISPVTATIO III.

De Potentijs Animæ in particulari, & primò de materialibus.

DISPVTATIO IV.

De Potentijs Animæ spiritualibus, & primò de Intellectu.

DISPVTATIO V.

De Intellectione.

DISPVTATAIO VI

De Voluntate.

DISPVTATIO VII.

De Libertate tum in actu primo, tum in actu secundo.

DISPVTATIO VIII.

De Concursu Obiecti ad actus vitales.

DISPVTATIO IX.

De Anima separata.



IN LIBROS METAPHYSICORVM ARISTOTELIS.

DISPVTATIO I.

De Ratione, & Conceptu Entis.

DISPVTATIO II.

De Attributis Entis.

DISPVTATIO III.

De præcipuis Entis Generibus, Substantia, & Accidente.

DISPVTATIO IV.

De Substantia increata.

BREVIS DISQVISITIO.

Quæ Entium Genera, & quas rerum Species putandum est nunc existere.



PARS PRIMA LOGICAE.

TRACTATVS PROEMIALIS.

PHosphorum Logicam dixeris! a scopo non aberras: illa ad veritatis solem viam parat, & communi illa lucis administra reliquis scientijs facem præfert. At ne tenebras pro luce amplectamur, operæ pretium est, Logicam ex proprio charactere discernere. Hinc ita moribus comparatum est, vt & vniuersæ philosophiæ Logica, & Logicæ ipsi quæstiones de eius obiecto, & natura præmittantur. Quoniam verò Aristoteles à prædicamentis, quæ sunt termini quidam incomplexi, vniuersales, ac prædicabiles, suam Logicam exorditur; ideò ad has, vt ita dicam, Logicas prælusiones spectat vniuersalium, ac prædicabilium contemplatio, vbi multa fusè de distinctione, & præcisione tractantur, quæ, vt verum fatear, sunt potius metaphysicæ instituti. Huic igitur methodo inhærens ea omnia hoc veluti proemio comprehendam: quare sit.

DISPVTATIO PRIMA.

De Obiecto, & Natura Logicæ.

LOgicæ habitualis, sicut & cæterarū scientiarū perfectio tota ordinatur ad actus, à quibus illa proficiscitur, & ad quos inclinanter actuum verò natura non aliunde melius cognoscitur, quàm ex obiecto, quod actus per se respiciunt. Natura igitur Logicæ cognosci perfectè non potest, ignorato illius obiecto; ideoque de illo priùs agam; tum addam nonnulla, quæ ad huius facultatis affectiones pertinent.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Obiectum?

Obiectū quid sit.

1. OBiectum, nomen scholis frequentissimũ, significat id, circa quod potētia, & habitus versatur per suos actus, illud intelligendo, amando, videndo, &c. Dicitur obiectum, quasi quoddam obstaculum, & meta, vltra quam tendere actui vel potentiæ, & habitui non liceat.

Obiectū aliud materiale aliud formale.

2. Diuiditur primò in Formale, & Materiale. Formale est, quod propter se attingitur, tamquam prima ratio, cur sit actus, & totus processus potentiæ, & habitus: ideoque sufficiens est determinare potentiam, vel habitum non solùm ad actum, qui versatur circa ipsum, sed etiam ad actus, qui versantur circa alia, quæ ipso veluti continentur: quæ verò attinguntur non propter se, sed propter aliud, nempe propter obiectum formale, ita vt ratio propter quam attingantur non sit in ipsis, sed in alio, nempe in obiecto formali; dicuntur, & sunt obiecta materialia.

Explicatur magis obiectū materiale, & formale.

3. Dicitur igitur obiectū formale, quia imitatur formam: materiale, quia imitatur materiam compositi substantialis corruptibilis: nam sicuti in homine V. G. anima est forma, quia determinat tum ipsum compositum, tum ipsum corpus ad speciem hominis; corpus autem dicitur materia; quia indifferens ad hanc, vel illam speciem, ab anima determinatur ad speciem hominis; ita obiectum formale est ratio, quare actus sit in hac determinata specie, & ad eamdem speciem suo modo spectent alia, quæ propter ipsum attinguntur.

Exēplo cōfirmamur allata doctrina.

4. Exemplum primò affero in actibus voluntatis: sit aliquis, qui propter Deum summè amatum velle largiri eleemosynam pauperi; respectu huius actus bonitas Dei est obiectum formale, quia propter se amatur, & est prima ratio obiectiua, quæ non supponens aliam rationem priorem, mouet ad hunc actum, & consequenter est ratio cur hic actus & sit & habeat perfectionem huius speciei, nempe charitatis theologicæ: ac demum, cur largitio eleemosynæ, indifferens, vt spectet formaliter ad hanc vel illam, spectet potius ad charitatem, quàm ad aliam virtutem, dum amatur non secundum se, & ratione sui; sed vt subordinata, & vt ita dicam, veluti informata bonitate Dei; nam & in priori proponitur ab intellectu vt amabilis propter bonitatem Dei; & in posteriori voluntas fertur in illam, vt amabilem propter bonitatem Diuinam, hoc est amore, ad quem tamquam prima ratio mouet Diuina bonitas secundum se amabilis.

Obiectū materiale, & formale scientiarū.

5. Simile exemplum affero secundò in actibus intellectus. Fidelis per actum fidei credit mysterium Incarnationis propter authoritatem Dei reuelantis; in quo euentu authoritas Dei reuelantis est ex communi sensu Theologorum obiectum formale; quia est prima ratio obiectiua mouens ad actum fidei, quo intellectus amplectitur immediatè, & propter se ipsam Dei authoritatem, & propter ipsam mysterium Incarnationis. Quare est ratio, cur sit actus ille cum sua perfectione specifica, & cur ad fidem spectet mysterium Incarnationis ex se indifferens, vt spectet ad aliam facultatem, V. G. ad scientiam infusam: ideoque authoritas Dei reuelantis est respectu fidei obiectum formale; mysterium, reuelatum, obiectum materiale.

6. Et vniuersaliter in quacumque scientia, quæ

compositiuè procedit, deducendo ex primis principijs proprijs suas conclusiones; & resolutiuè, resoluendo suas conclusiones, etiam vltimas, in prima principia sibi propria, & per se nota; dicendum est obiectum materiale esse conclusiones obiectiuas, quibus assentitur propter præmissas obiectiuas; formale autem esse præmissas primas obiectiuas, quibus immediatè, & per se intellectus adhæret, & ex quibus mouetur ad amplectendas conclusiones obiectiuas. Sunt conclusiones obiectiuæ obiecta ipsa, quæ ab intellectu attinguntur in conclusione scientifica; sicuti actus ipse conclusionis est conclusio formalis: præmissæ obiectiuæ sunt obiecta, quæ ab intellectu attinguntur in præmissis demonstrationis: sicuti actus intellectus, quibus attinguntur, sunt præmissæ formales.

Allatæ doctrinæ ratio.

7. Ratio est: quia præmissæ, & prima principia obiectiua sunt prima principia totius processus scientifici: determinant enim prædicata, actus, & habitus qui circa illa immediatè, ac per se versantur, ac faciunt, vt alia, quæ propter ipsa sunt cognoscibilia, spectent ad eamdem scientiam tamquam materia, & cōclusiones illius propriæ. Sunt igitur prima huiusmodi principia veluti plantarum semina: sicuti enim semen continet in sua virtute totam arborem cum floribus, & fructibus, ac terræ visceribus commendatum, & calore, ac humido fotum, est omnium illorum bonorum origo; ita prima illa principia continent in sua virtute totam scientiam; & intellectus luminibus excepta, atque rationis lumine perfusa, ac penetrata, sunt omnium conclusionum, & totius scientifici processus origo.

8. Hæc doctrina vt potè fundata in cōceptu primo, & vulgari, quem omnes formamus de obiecto formali, & materiali, debet esse omnibus communis; & vt talis supponitur ab Angelico Præceptore 2. 2. q. 1. art. 1. vbi quærens verum obiectum fidei sit prima veritas; respondet in corpore: *Dicendum quod cuiuslibet cognoscitiui habitus obiectum duo habet, scilicet id, quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum; & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti: sicuti in scientia geometriæ materialiter scita, sunt conclusiones; Formalis autem ratio sciendi, sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur*, quam doctrinam applicat fidei, quæ non est purè speculatiua, sed partim etiam practica, & rem totam concludit exemplo medicinæ, facultatis vtique practicæ, cuius obiectum formale est sanitas, non solùm quia est finis primo intentus ab illa arte, seu ad cuius positionem, & conseruationem tamquam ad primarium effectum ordinatur illa ars, sed præcipuè quia sanitas debet in ea facultate esse primum cognitum, ex quo illa descendat ad cognoscenda, tamquam proprias conclusiones, ea, quæ fauent, vel nocent sanitati, & eius conseruationi. Ex quibus potest hanc doctrinam habere etiam locum in scientijs practicis: verùm de hoc puncto fusiùs infra.

9. Secundo aliud est obiectum, aliud etiam subiectum, quod suum locum habet in facultatibus intellectus, & scientijs: & obiectum quidem est omne illud, quod attingitur per actum scientiæ, siue sit prædicatum, siue sit subiectum, siue integra propositio obiectiua. Subiectum ita attingitur, vt de illo aliquid probetur in conclusione scientifica: & per definitionem quidem probatur de illo prima proprietas, per primam proprietatem secunda, & sic de reliquis.

Quid in scientijs sit subiectum.

10. Et quidem in qualibet scientia debet dari primum aliquod obiectum per se notum, quod sit conceptus suo modo simplex, idest non compositus ex prædicato & subiecto, sed veluti purum subiectum præsuppositum, & ante reliqua notum, quod propterea non inquiritur. Continet autem primam rationem, seu medium terminum, ex quo inquirenda sunt alia, quæ in illo veluti in radice, continentur; quare est origo, & veluti fons, ex quo benè penetrato, efformantur primæ propositiones, & principia conclusionis scientificæ, & est veluti basis, in qua fundatur tota scientia, eam quæ in se præcontinet. Huiusmodi subiectum, vnde incipit, & in quod vltimo resoluitur totus processus scientificus, non immeritò quis appellauerit obiectum formale incomplexum; quia est, vt indicabam, simplex quidam terminus per se notus, saltem per experientiam, vt per se nobis innotescunt per experientiam lux, calor, & similia: primas autem propositiones, quæ ex illo subiecto eruuntur, benè vocaueris obiectum formale complexum, cui videlicet scientia assentitur ex ipsa terminorum apprehensione, non ex alio medio.

Obiectum formale incomplexum & complexum.

11. Hanc doctrinam expresse, ni fallor, tradit Sanctus Thomas 1. p. q. 1. art. 7. corpore; vbi docet: Deum esse subiectum Theologiæ, quia: *Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus; vel quia habent ordinem ad Deum, vt ad principium, & finem.* Ergo Deus est subiectum Theologiæ, iuxta doctrinam S. Thomæ, quia omnia quæ pertractantur in sacra doctrina, continentur in Deo, vel tamquam prædicata cum ipso identificata, vel tamquam effectus in suo principio, & fine: & omnia pertractari sub ratione Deitatis, vt loquitur Angelicus Præceptor, necessariò supponit Deitatem ipsam iam aliunde notam à posteriori, & ex fide, esse respectu sacræ doctrinæ primum per se notum, vnde Theologus eruat sua principia complexa, & conclusiones: ea enim debet Theologus asserere de effectibus, & attributis Diuinis, qua talibus, quæ Deitas ipsa lumine tum naturali, tum præcipuè fidei, meliùs & melius penetrata, dictat esse asserenda. Quare respectu Theologiæ, quæ est scientia de Deo; primum subiectum, & ratio continens omnes veritates Theologicas, est Deitas: sicuti (& est exemplum Sancti Doctoris) ratio colorati respectu oculi est obiectum per se: quia omnia alia, siue homo ille sit, siue lapis, ad oculum spectant; quia participant rationem colorati. Huc spectat quod Caietanus ad illum articulum 7. §. *In titulo*, loquens de Deitatis cognitione; *hæc, inquit, est prima*

Confirmatur authoritate Sancti Thomæ.

secundam naturam cognitio omnium, & fundamentum cæterarum.

12. Eadem est mens Scoti in *Prologo q.* 3. qui apud Caietanum citatum §. Ad hanc assignat huius rei rationem satis laudabilem, quam sic formo: omnes conclusiones scientiæ sicuti deducuntur ex primis principijs, quibus immediatè assentimur ex terminis, ita continentur in illis primis principijs: prima autem principia continentur in subiecto, de quo loquimur: ergo absolutè omnia, quæ spectant ad aliquam scientiam, continentur in subiecto, de quo loquimur. Consequentia videtur bona; nam quod sua virtute continet, & est radix continentis, & proximè; saltem remotè continet contentum, & est radix remoti; sic fundamenta domus, quæ sustinent parietes, sustinent tectum, & fastigium; & radix arboris, quæ sua virtute continet truncum, continet etiam ramos, frondes, flores, & fructus. Quod autem prima principia contineantur in subiecto; confirmatur: quia primis principijs immediatè assentimur ex ipsis terminis; nam subiectum, præuiè apprehensum, euidèter declarat hoc prædicatum sibi inesse: quod est præcontinere non solum realiter, sed etiam intelligibiliter conuenientiam prædicati cum subiecto, quæ conuenientia est principium primum complexum. Et profectò sicuti conclusiones resoluuntur in prima principia complexa; ita principia complexa debent resolui in terminos incomplexos per se notos, ac proinde in aliquod primum subiectum suo modo simplex: omne enim compositum est resolubile in suas partes.

Et Scoti ac demu ratione.

13. Ex his apertè colligitur: illud principium incomplexum debere esse vnum. At non opus est vt sit terminus singularis; sed satis est, si sit vnum vnitate vniuersali assumibile, vt vnus terminus, & subiectum, quod post definitionem diuidatur, & de quo sub propria sua ratione in processu scientifico multa demonstrentur, quæ singulis illius speciebus benè applicantur. Hæc si benè ponderentur, satis esse possunt ad soluenda, quæ contra Scotum mouet Caietanus citato §. Ad hanc obiectionem, & feriunt fortasse Scotum, si hic loquatur in sensu, quem illi tribuit Caietanus. Hinc.

14. Tertiò diuiditur in obiectum seu subiectum formale quod, & sub quo, seu, vt alij loquuntur, in rationem formalem quæ; & sub qua. Obiectum, quod, est subiectum scientiæ iam explicatum: obiectum verò formale, sub quo, est illud prædicatum speciale subiecti, propter quod obiectum illud spectat potius ad hanc scientiam, habitum, & potentiam; quàm ad aliam: nam accidere potest, vt idem subiectum habeat plura prædicata, ratione quorum possit ad plures scientias spectare: sic homo vt ens, & substantia spectat ad metaphysicam, vt corpus naturale seu sensibiliter mobile, ad physicam, vt felicitabilis ad moralem, vel etiam Theologiam, vt sanabilis ad medicinam: Obiectum igitur formale sub quo, seu ratio formalis sub qua, est illud speciale prædicatum, ratione cuius & ipsum subiectum, & omnia, quæ illud prædicatum suo modo participant, ideoque sub eo subiecto etiam intelligibiliter continentur; ad hanc potiùs potentiam, & facultatem, quam ad aliam, spectant. Sic respectu medicinæ, si ratio formalis sub qua est sanitas hominis, qua sanitas; quatenus videlicet dicit proportionatam humorum temperiem; omnia, quæ ad eam temperiem spectant, vel vt causa, vel vt effectus, vel vt contraria, &c. Sunt medicæ considerationis: quia de illis vt facientia ad dictum temperamentum, potest ex conceptu eiusdem temperamenti Medicus iudicare.

Obiectu formale quod, & sub quo.

15. Quartò obiectum materiale diuiditur in proximum, & remotum; proximum dicas inter quod & formale nullum aliud intercedit obiectum: remotum est, si inter ipsum & formale intercedat aliud obiectum, materiale, vt si quis ex amore sanitatis velit sumere medicinam, & vt sumat medicinam vocet medicum; sumptio medicinæ immediatè amata post sanitatem est obiectum materiale proximum: at vocare medicum est materiale remotum: quia inter ipsum, & formale mediat aliud obiectum materiale priùs amatum. Fuerit, qui dixerit obiectum materiale remotum non attingi, sed vel vniri vel identificari, cum eo, quod attingitur: verum hoc est, non esse obiectum.

Obiectū materiale proximum, & remotū.

16. Quintò obiectum aliud est motiuum, aliud purè terminatiuum: motiuum ego confundo cũ formali, quod sicuti per se attingitur, & est ratio, vt actus sit, & alia attingantur; ita est motiuum, quare materiale erit purè terminatiuum; nam materiale sicuti supponit formale, quod est adæquata ratio obiectiua, quare actus sit; ita tardè venit ad causandum, & mouendum: purè igitur terminabit actum.

Obiectū aliud motiuum aliud purè terminatiuū.

17. Sextò obiectũ aliud est attributionis, aliud attributi; attributionis puto esse subiectum primum explicatum, quia est principale obiectum, cui reliqua inseruiunt, & ad cuius cognitionem primariò, & per se insudat scientia; dum tota est in indagandis eius attributis, effectibus, &c. reliqua sunt obiecta attributi, quorum videlicet cognitio, quamuis per se bona, seruit nihilominus cognitioni obiecti attributionis, seu primi subiecti logici. Multa alia, quæ spectant ad diuisiones obiecti, lubenter omitto, tum quia facilè occurrunt apud Authores, tum quia ad soluendam præsentem de obiecto logicæ quæstionem, & alias similes, videntur sufficere, quæ notauimus.

Aliud attributionis aliud attributi.

18. Infero ex dictis totũ obiectum scientiæ adæquatè contineri in præmissis, & conclusionibus obiectiuis, sicut ipsa scientia actualis non est nisi præmissæ, & conclusiones formales, quæ versantur circa obiectiuas. Intercedunt tamen ex parte discentis aliquando non nulla, quæ licet cognoscantur; neque sunt obiectum formale, quia non mouent; neque materiale, quia non terminant actum scientiæ, sed puræ conditiones: quia inseruiunt, vt apprehendatur obiectum formale, aut materiale; talia est declaratio præceptoris, vocum notitia, & similia; quæ non sunt

sunt apta mouere ad assensum præmissarum, ac conclusionum.

SECTIO SECVNDA.

Quodnam sit Obiectum Formale & Materiale Logicæ.

Quod sit actus rectus rectitudine logica.

1. SVppono nostrũ intellectũ posse formare quosdã suos actus aptos ad inueniendam veritatem, vt sunt bona diuisio, bona definitio, bonus discursus, bona prædicatio, & similes: hæc autem aptitudo dicitur rectitudo logica passiua, & actus in quo inuenitur dicitur rectus rectitudine logica passiua: logica eandem, quia illam considerat logica, & ad illam ponendam dirigit intellectum: passiua, seu formalis, & intrinseca, quia est in actibus, quorum positionem intendit logica, ad distinctionem rectitudinis actiuæ, quæ inuenitur in preceptis logicis dirigentibus ad ponendos actus tali aptitudine ornatos. Iam vero huius rectitudinis conceptus, genericus, nempe actus ex suo modo tendendi cum tanta claritate, distinctione & ordine aptus ad inueniendam veritatem, videtur per se notus, nec illum facile per terminos clariores melius explicare quibis. his positis.

Obiectũ formale incõplexum logicæ est operatio recta rectitudine logicæ passiua genericè sumpta.

2. Dico primò: primum principium, & obiectũ formale incomplexum logicæ est actus intellectus rectus rectitudine logica passiua genericè sumptus. Rationem pro hac conclusione sic formo ex principijs iam positis: terminus vniuersalis simplex per se notus, ex quo benè penetrato scientia format prima principia complexa, vnde tandem deducit suas conclusiones, est primum principium, & obiectum formale incomplexum talis scientiæ: sed operatio intellectus apta ad inueniendam veritatem genericè sumpta est terminus, simplex, vniuersalis per se notus, ex quo benè penetrato logica format principia complexa, vnde tandem deducit suas conclusiones: ergo talis operatio est primum principium, & obiectum formale incomplexum logicæ. maior patet ex dictis; minor probatur. Et quidem quod illa operatio sit terminus vniuersalis, & simplex, idest assumibilis à scientia vt subiectũ conclusionis, est certum: quod autem sit per se notus, indicauimus numero præcedente: quod demum ex illa bene penetrato logica formet sua principia complexa, confirmatur; quia ex vna parte logica non agit potiùs de vna operatione recta in particulari, quàm de alia, sed de omnibus quatenus sũt vtiles scientijs ad inueniendam veritatem; ob quam rationem dicitur ianua & instrumentum scientiarum: ergo principium ex quo format sua principia & regulas non potest esse vlla operatio recta particularis; sed debet esse conceptus operationis rectæ in communi: neque enim ex conceptu definitionis, sed operationis rectæ genericè sumptæ deduci possũt principia, & regulæ pro omnibus operationibus; sicuti non ex conceptu hominis, qui est vnum animal particulare; sed animalis in genere formantur principia ad probandam de singulis animalibus, V. G. Leone, equo proprietates animalis. Ex alia verò parte præcipuum illud logicæ principium, dici de omni, dici de nullo, in quo fundatur vis syllogistica, & cuius sensus est, quidquid essentialiter affirmatur, vel negatur de aliquo termino vniuersali, debet affirmari, vel negari de termino particulari contento sub illo vniuersali; fundatur in conceptu operationis aptæ ad inueniendam veritatem, quia similiter ita procedere, aptum est ad inueniendam veritatem. Eadem est ratio de alijs principijs, & regulis logicæ spectantibus ad definitionem, diuisionem, &c. Profectò præciso conceptu iam dicto operationis rectæ non est vnde logica formet sua principia, & regulas.

3. Dices in logica dantur etiam aliqui discursus probabiles, qui nequeunt resolui in primas principia per se nota. Ergo neque in aliquem terminum per se notum, & incomplexum: ergo non dum assignatum est obiectum formale incomplexum adæquatum logicæ. Respondet discursus probabiles logicos resolui in primas aliquas propositiones vel solùm probabiles; quia non excludunt omne dubium in oppositum: vel etiam euidentes, sed solum probabiliter connexas cum consequenti. Hoc modo explicato antecedente nego consequentiam: quia prima illa principia complexa, siue euidentia sint, siue probabilia fundantur in conceptu rectitudinis explicatæ: quamuis enim ille conceptus sit per se notus; non tamen omnes propositiones, quæ in illo radicantur debent esse euidentes; sicuti per se notum est dari solem, nec tamen omnes propositiones quæ fundantur in hac existentia sunt per se notæ.

Obiectũ formale complexum logicæ sũt præmissæ obiectiuæ materiale conclusiones obiectiuæ logicæ.

4. Dico secundò obiectum formale complexum cuiuslibet discursus logici sunt præmissæ obiectiuæ, & prima principia logica, ex quibus deducit conclusionem: conclusio autem obiectiua logica ex illis deducta est obiectum materiale: probatur: in quolibet discursu obiectum formale complexum sunt præmissæ obiectiuæ, & prima principia, in quæ tandem resoluitur discursus, obiectum autem materiale est conclusio obiectiua: ergo etiam id habet locum in quolibet discursu logico; antecedens, & patet ex dictis, & confirmatur: quia in quolibet discursu quod attingitur propter se, est obiectum formale, quod propter aliud, est obiectum materiale; sed in quolibet discursu præmissæ obiectiuæ attinguntur propter se, conclusio obiectiua propter aliud, vt patet consideranti: ergo in quolibet discursu obiectum formale sunt præmissæ obiectiuæ; materiale autem erit conclusio obiectiua. Maior est definitio obiecti materialis, & formalis; & confirmatur vlterius: quia sicuti quod attingitur, est obiectum, ita quod attingitur cum hoc addito propter se, erit obiectum formale, quod autem cum illo, propter aliud, erit obiectũ materiale. Quod autem præmissæ, & prima illa principia sint obiectum formale complexum patet: quia non sunt terminus simplex & incom-

ple-

plexus. Hinc patet obiectum formale complexum adæquatum logicæ esse omnes præmissas obiectiuas, ex quibus deducit suas conclusiones: materiale autem adæquatum eas omnes conclusiones obiectiuas: quia præter has conclusiones obiectiuas non est aliquid, quod attingatur à logica propter aliud: & præter illas præmissas nõ est aliquid, quod ab illa attingatur propter se: ergo tantum illæ præmissæ, & conclusiones sunt obiectum formale complexum, & materiale logicæ, & consequenter adæquatum.

5. Obijcies primo: principia illa complexa, & præmissæ non sunt vltimum, in quod resoluitur discursus: ergo non sunt absolutè obiectum formale. antecedens probatur: quia vltimum in quod resoluitur discursus, sunt termini incomplexi per se noti. Distinguo antecedens, non sunt vltimum, in quod resoluitur discursus, quia supponunt euidentem apprehensionem terminorum, concedo: quia supponunt alium priorem assensum; nego antecedens; & distinguo consequens; non sunt obiectum formale complexum; nego: incomplexum; concedo. ad probationẽ antecedentis, distinguo assumptum: vltimũ, in quod resoluitur propositio, sunt termini incomplexi; in quod inquam, resoluitur tamquam in obiectum assensus; nego: tamquam in obiectum apprehensionis; concedo: quamuis enim principia complexa per se nota resoluãtur in terminos per se notos; ad huc non amittunt rationem primi pricipij complexi: tum quia non assentimur, illis dependenter ab alio principio complexo; cùm quia includunt tamquam partem sui ipsum principium incomplexum: quare quamuis resoluantur in terminos incomplexos; nõ resoluuntur in principium absolutè aliud.

Allata doctrina habet locum in scientijs practicis.

6. Obijcies secundò: hanc doctrinam habere locum in scientijs speculatiuis, non in practicis, qualis est logica. Sed contra: quia per hoc præcisè, quod aliquod attingatur propter se, est obiectum formale, & præcisè si attingatur propter aliud, est obiectum materiale: sed non solum in scientijs speculatiuis, sed etiam in practicis, obiectum præmissarum attingitur propter se; cõclusionis propter aliud: ergo etiam in practicis, obiectum præmissarum est formale, conclusionis materiale. Confirmatur quia fides Christiana supernaturalis ex communi sensu Theologorum, est partim speculatiua, partim practica: habet enim aliquos actus speculatiuos, aliquos practicos; & tamen respectu vtriusque partis obiectum materiale est mysterium, quod æquiualet conclusioni obiectiuæ: formale, diuinum testimonium, quod comparatur præmissis obiectiuis.

Subiectum physicum, & forma physica non sunt in scientijs obiectum formale & materiale.

7. Instabis in facultatibus practicis obiectum materiale est subiectum physicum, in quod introducitur forma, formale est ipsa forma introducta: ergo obiectum materiale non sunt conclusiones obiectiuæ, neque formale præmissæ obiectiuæ. antecedens probatur: statuaria, quæ est facultas practica habet pro obiecto materiali marmor, quod est subiectum figuræ rectæ, quæ est eius obiectum formale: idem euenit in reliquis facultatibus practicis. Ita primus in Collegio Panormitano docuit sapientissimus Magister meus Requesenius.

8. Respõdeo, facultates practicas esse in duplici differentia, aliæ enim sunt scientiæ, quæ procedũt modo resolutiuo resoluendo suas conclusiones in prima principia: & compositiuo, ex primis principijs descendendo ad vltimas conclusiones: aliæ non sunt scientiæ, & merè dant præcepta, nec dant illorum rationem, sed fundatæ in longa experientia procedunt cum quadam certitudine ad opus. Iam verò in facultatibus primi generis possumus assignare obiectum formale, & materiale strictè sumpta; illud videlicet cui assentimur propter se, & cui propter aliud. In facultatibus autem secundi generis; cùm non attingant vnum propter aliud, non possumus distinguere modo dicto obiectum materiale, & formale: quare vel non habent obiectum materiale, & formale, vel non nisi valde improprium per quamdam analogiam ad totum physicum, in quo distinguimus materiam, & formam; ita vt illud habeat rationem obiecti materialis, quod imitatur naturam materiæ physicæ, quale est marmor, vel lignum; illud obiecti formalis, quod imitatur formam physicam, qualis est figura. Hinc.

9. In forma distinguo antecedens: in facultatibus practicis, quæ sunt scientiæ, obiectum materiale, est subiectum in quod introducitur forma; nego: quæ non sunt scientiæ, subdistinguo: obiectum materiale proprium; nego: minus proprium; concedo antecedens, & nego consequentiam: ad inductionem in contrarium iam patet ex dictis: afferuntur enim in exemplum facultates practicæ, quæ non sunt scientiæ.

10. Instabis iterum: non potest explicari, quomodo scientia, quæ habet pro obiecto materiali conclusiones obiectiuas, & pro formali præmissas obiectiuas, sit practica: munus enim scientiæ practicæ est respicere praxim: non dicto modo procedere. Nego assumptum: est enim practica, quia per suos actus, hoc est per conclusiones formales, quæ sunt ipsa præcepta scientiæ, causat suum obiectum, dirigendo potentiam ad productionem illius: præmissæ autem vel etiam ipsæ dirigunt potentiam ad productionem rei, vel sunt connexæ cum directiuo potentiæ ad opus, nempe cum conclusione formali: quare diuerso modo comparatur obiectum ad scientiam practicam, ac ad speculatiuam: nam ad speculatiuam comparatur vt purum motiuum, & terminus; ad practicam autem, vt factibile ad suam causam: & ideo scientia practica dicitur respicere praxim; non quia modo dicto non procedat in suis discursibus.

11. Instabis tertiò: ad minus hoc modo non congruenter explicatur obiectum scientiæ practicæ: quia non explicatur per proportionem, & similitudinem ad alias artes practicas, quæ non sunt scientiæ. Nego assumptum: ad rationem in contrarium dico, non debere scientiæ practicæ obiectum, nec posse explicari per omnimodam

& adæquatam proportionem ad alias artes practicas, quæ non sunt scientiæ. Sed tantùm per aliqualem, quæ in eo sita est, quod vtraque tum scientia practica, tum ars non scientia, tendit modo practico in suum obiectum dirigendo potentiam ad illius effectionem.

Obiectũ materiale non debet realiter distingui a formali.

12. Obijcies tertiò obiectum materiale debet distingui ab obiecto formali: sed conclusio obiectiua non distinguitur á præmissis obiectiuis: ergo conclusio obiectiua non est obiectum materiale, neque præmissæ sunt obiectum formale. Nego maiorem de distinctione reali; Sicuti enim nulla est necessitas distinguendi realiter obiectum præmissarum ab obiecto conclusionis; ita nulla est necessitas distinguendi realiter obiectum formale ab obiecto materiali. Eadem igitur res cognita per actum immediatum, & independentem ab alio assensu sub his terminis, est obiectum formale; cognita autem per assensum mediatum, & dependentem sub alijs terminis, est obiectum materiale. Ex his patet, obiectum materiale, & formale debere inter se saltem formaliter, & ex parte actus distingui.

13. Obijcies quartò hæc doctrina est nimis confusa, & nihil determinat de obiecto logicæ; remanet enim adhuc inquirendum, quænam sint conclusiones obiectiuæ logicæ, quęnam præmissæ obiectiuæ: ergo non bene procedit. Respondeo mihi sufficere, si sit vera. rursus quilibet logica bene instructus iam scit, quænam sint prima principia, vnde logica deducit suas conclusiones. Et sane, qui dicunt obiectum physicæ esse res sensibiles, non inde reprehenduntur; quamuis adhuc interrogari possint, quęnam sint res sensibiles; & sicuti ita interrogatus bene responderet: quænam sint res sensibiles ipso vsu disci; ita nos possumus respondere, vsu ipso disci, quænam sint conclusiones, in quibus logica de suo obiecto sub aliquo prædicato speciali probat ex suis principijs proprietates, &c. Deinde iam supra à nos determinauimus obiectum formale incomplexum logicæ, & consequenter etiam principia prima complexa logicæ, quæ videlicet eruuntur ex illo principio incomplexo.

14. Obijcies quintò in logica, quod modo est conclusio obiectiua respectu huius demonstrationis, erit deinde præmissa obiectiua in alia demonstratione: ergo incertum remanet, quodnam sit obiectum formale, quodnam materiale: imo eorum obiectum erit formale simul, & materiale, quia quodlibet obiectum potest assumi, vt principium ad inferendum aliud, & potest aliunde inferri. Respondeo obiectum formale logicæ esse tantùm prima principia logica per se nota, quibus propter se assentitur intellectus: quamuis autem hæc ipsa principia vel á posteriori, vel aliunde probari possint: non enim repugnat, quod est per se notum, probari etiam euidenter alijs rationibus item per se notis; hinc solum infertur, quod respectu huius actus non sint absolutè prima principia & obiectum formale immediatum; non autem quod absolutè non sint prima principia respectu aliorum actuum, & totius facultatis. Cæterum quando aliqua conclusio aliunde demonstrata assumitur in nouo syllogismo ad probandam nouam conclusionem; dupliciter potest procedere intellectus: primò ita vt præmissa ante demonstrata, nunc in constructione noui syllogismi sine vlla reflexione ad primum medium immediatè assentiatur ex ipsa apprehensione terminorum; & in hoc casu illa præmissa respectu huius syllogismi est primum principium, & obiectum formale complexum, in quod tandem resoluitur discursus. Secundò potest ita procedere, vt dum assumit hanc præmissam, recordetur vel determinatè, vel in confuso, medij, vnde prius probauerat illam præmissam, & inde nunc etiam moueatur ad assentiendum illi præmissæ; & in hoc casu ea præmissa non habet propriè rationem obiecti formalis, quia non est primum principium, in quod resoluitur discursus, & in quo quiescit intellectus. Attamen, ne procedamus in infinitum, deueniendum tandem est ad vltimas aliquas conclusiones, vnde non deducantur aliæ, & ad prima aliqua principia per se nota.

15. Hinc patet dato antecedenti negandam esse primam consequentiam: certum enim ex dictis, fixumque est, quodnam sit obiectum formale, quod materiale: nullum verò puto absurdum, quod idem in eadem scientia, quin imo respectu eiusdem, modo sit obiectum formale, modo sit obiectum materiale, si aliquando videlicet assumatur vt per se notum ad inferendum aliud; aliquando autem inferatur ex alio aliunde noto; in quo sensu non repugnat, neque est inutilis regressus demonstratiuus, vt suo loco videbimus. Cæterum eodem modo, quo nos vrgent aduersarij sub nomine obiecti formalis, & materialis; nos possumus vrgere illos sub nomine præmissæ obiectiuæ, & primi principij, ac conclusionis obiectiuæ, inferendo non esse certas præmissas, & principia logicæ: quia, quod est principium in vna demonstratione, est conclusio in alia.

16. Obijcies sextò omnes conclusiones obiectiuæ logicæ non sunt vnum obiectum: ergo non possunt esse obiectum materiale vnius scientiæ. Confirmatur: eadem conclusio obiectiua modò probatur vno medio, modò alio medio; & ipsæ præmissæ valde differunt inter se. Respondeo de vnitate scientiæ me multa dicturum in libris Priorum, & Posteriorum: nunc dico logicam esse vnam scientiam siue simplicem; siue per aggregationem plurium habituum: quia habet vnum obiectum formale incomplexum vnitate generica iam supra explicatum: vnde distinguo antecedens: omnes conclusiones obiectiuæ logicæ non sunt vnum obiectum vnitate generica, quam explicauimus; nego: omnes enim conueniunt in prædicato illo rectitudinis logicæ passiuæ, alia vnitate; concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad confirmationem dico, media, seu præmissas logicæ quantumuis differant inter se, semper tamen conuenire in ratione formali logicæ, seu obiecto formali incomplexo logicæ; ita vt in quolibet binario præmissarum inueniatur illa

ratio,

ratio: quia in quolibet binario includitur conclusio obiectiua, in qua procul dubio est ratio formalis logica, quæ non est aliud nisi rectitudo illa passiua, quam supra explicauimus, & est bonus discursus, bona diuisio, bona definitio, bona enunciatio, & similia, de quibus semper agit in suis præmissis, & conclusionibus logica.

17. Obijcies septimo: quamuis hæc vera sint de logica vt scientia: non tamen verificantur de logica vt practica. Respondeo in logica non distingui realiter esse practicum, & esse scientificum: illa enim eadem conclusio scientifica, quæ deducitur ex principijs euidentibus, est practica; quatenus dirigit ad opus. Cæterum si velimus hæc per intellectum distinguere; dico logicam formaliter vt practicam non habere obiectum, quod cognoscat, sed effectum, quem producat, vt cognitio tamen practica habet quidem obiectum, quod causat, non tamen formale vel materiale, quia non dum intelligitur vnum cognoscere propter aliud: vt scientia autem practica, & habet obiectum, quod causat, & materiale quod attingit propter aliud, & formale quod propter se.

SECTIO TERTIA.

De Subiecto, & Ratione formali Logicæ.

Quid sit subiectũ intentionale scientiæ.

1. FAcile est ex dictis, decidere, quodnam sit subiectum, & ratio formalis logicæ: loquimur autem de subiecto non physico, in quo recipitur habitus, & actus logicæ, certum enim est, hoc esse intellectum; sed de subiecto intentionali, de quo videlicet in suis conclusionibus aliquid probat scientia, ostendendo eius causas, proprietates, & effectus: & si quidem sit practica, ita hæc omnia probat; vt simul dirigat ad sui subiecti effectionem. Non tamen omnia de quibus aliquid probat in suis conclusionibus scientia, est subiectum illius: nam physica multa probat de Deo, & Angelis, nec tamen Deus, & Angeli sunt subiectum physicæ: quare illud erit subiectum scientiæ, de quo sub aliqua ratione inquirit, & probat proprietates, passiones, &c. Ratio autem formalis, est illud prædicatum, quod specialiter cõsideratur à scientia in tali subiecto, hoc posito.

Subiectũ intentionale logicæ.

2. Dico primò subiectum intentionale Logicæ est operatio nostri intellectus recta rectitudine passiua supra explicata. Defenditur ab Arriaga, Ouiedo controuersia 2. *lug. p.* 1. §. 3. *n.* 17. Suario *disp.* 1. *me: sect.* 4. & *disp.* 36. Fonseca *l.* 2. *m. c.* 3. *quæst:* 1. *sect.* 5. In eam inclinant multi recentiores; quamuis nec pauci, nec ignobiles illam reijciant. Probatur: illud, de quo Logica in suis conclusionibus probat multas proprietates, affectiones &c. Dirigendo potentiam ad eius productionem; est subiectum intentionale logicæ: sed operatio nostri intellectus recta rectitudine explicata est id, de quo logica probat multas proprietates &c. Dirigendo intellectum ad eius effectionem: ergo dicta operatio est subiectum intentionale logicæ. Maior probatur: quia logica habet duo prædicata; est enim scientia, & est practica, vt scientia debet multa probare de suo subiecto; vt practica debet illud causare, dirigendo potentiam ad eius effectionem; certè hæc duo requiruntur ad constitutionem subiecti scientiæ practicæ, & nihil aliud requiritur. Minor probatur: discurrendo per omnes conclusiones logicales, in quibus semper aliquid probatur de operationibus intellectus V. G. quòd definitio debeat constare genere, & differentia, quòd sit clarior re definita. Rursus ita probat de operationibus hæc prædicata, vt simul proponat modum, quo fieri debent, ac ostendat conuenientiam, & vtilitatem, vnde inclinetur voluntas ad imperandum intellectui positionem illarum, de quia fusius infra. Confirmatur authoritate Augustini *lib.* 17. contra Cresconium: *ibi. A disputatione dialectica nomen accipit, ita græcè dialecticus multò vsatius, ac tolerabilius dicitur disputator: quod si vsus permitteret latinè dialectica disputatoria diceretur.* ergo subiectum, de quo agit logica est disputatio, quæ certè est nostri intellectus operatio: vnde *cap.* 18. concludit, *quid aliud est Dialectica; quàm peritia disputandi?*

Ratio formalis logicæ.

3. Dico secundò: ratio formalis, quam in suo subiecto considerat logica, est rectitudo passiua logica; quam supra explicauimus: est plurium, quos sequuntur Arriaga, Ouiedus, & alij non pauci: probatur: prædicatum, quod præcipuè considerat logica, probando multa de suo subiecto, quatenus afficitur tali prædicato, & dirigendo per suas regulas ad eius positionem; est ratio formalis logicæ: sed rectitudo logica passiua est tale prædicatum: ergo rectitudo logica passiua est ratio formalis logicæ. Maior probatur: quia logica, vtpote scientia debet multa probare de suo subiecto, quatenus participante aliquam rationem, & prædicatum; vtpote practica debet dirigere ad positionem subiecti nõ sub quacumque ratione; quia non quãcumque rationem sui subiecti considerat, sed quatenus afficitur illo prædicato, neque aliud videtur requiri ad rationem formalem subiecti logici. Minor probatur: quia logica non agit de quocumque prædicato operationum intellectus; neque enim probat eas esse vitales, dependere à Deo, esse accidentia; sed tantum de illarum rectitudine logica, ostendendo quo modo formari debeat recta definitio, bonus discursus, bona diuisio; quò vtiles sint scientijs ad acquirendam veritatem.

Ratio formalis nõ distinguitur realiter à subiecto scientiæ neque subiectũ conclusi:

4. Hinc infero primò: rationem formalem nõ debere realiter distingui à subiecto scientiæ, sed sufficere distinctionem rationis: neque enim rectitudo, & artificium logicum distinguitur realiter ab operationibus intellectus, si præsertim illud artificium sit simplex situm in vnica operatione, vt est abstractio vniuersalis, definitio & similia. Infero secundò: subiectum intentionale scientiæ non realiter distingui à primo principio incomplexo, sed eadem entitas, quæ est subiectum conclusionis, est principium primum incomple-

 xum

ouis a principio incomple-

xum per se notum sub aliqua ratione; vnde oriuntur prima principia complexa, ex quibus probantur de illo principio quatenus afficitur illo prædicato proprietates suæ, & similia; quæ clarè, & immediatè non elucent in eodem primo principio; quare illa prima cognitio licet sit immediata circa essentiam subiecti, est tamen valde imperfecta.

5. Obijcies primò: logica non solum agit de operationibus rectis, sed etiam de irrectis: ergo eius subiectum nō solum sunt operationes rectæ, sed etiam irrectæ, & eius ratio formalis non solum est rectitudo passiua, sed etiam irrectitudo. Respondeo nos posse in logica, sicut in lege, distinguere duas partes, alteram præcipientem rectas, alteram prohibentem malas, & irrectas operationes: & respectu primæ subiectum, & ratio formalis, sunt iam dicta: respectu autem secundæ, subiectum erit operatio irrecta, & ratio formalis irrectitudo: nos autem loquuti sumus de logica præcipiente: cæterum cum rectum vt ait Aristoteles sit mensura sui, & curui, & bonum sit mensura sui, & mali; operatio recta erit mensura sui, & operationis irrectæ: & idem opus rectum rectitudine logica iam explicata ministrat principia ad cognoscendas proprietates operationum rectarum, & irrectarum: quare tota resolutio logica tandem fit in illud vnicum subiectum, nempe opus rectum rectitudine logica, & in hoc sensu optimè dici potest vnicum subiectum logicæ esse operationem rectam.

6. In forma ergò distinguo secundam partem antecedentis: sed etiam agit de irrectis dependenter à rectis, à quibus desumit principia ad cognoscendam irrectitudinem; concedo: independenter; nego antecedens, & consequentiam: subiectum enim, de quo hic nos agimus non est illud, de quo vtcumque aliquid probatur in conclusione, sed etiam ex quo eruuntur principia, &c.

7. Obijcies secundò logica non dirigit operationes intellectus: ergo non habet illas pro subiecto: facultas enim practica non habet pro subiecto, nisi illud, quod dirigit. Antecedens probatur: operationes intellectus non sunt capaces directionis: ergo logica non dirigit illas: antecedens probatur: illud est capax directionis, quod potest bené, & malé fieri: sed operationes intellectus non possunt benè, & malè fieri: ergo operationes intellectus non sunt capaces directionis. Minor probatur: quia operationes intellectus vel sunt essentialiter rectæ, & hæ non possunt malè fieri, vel sunt essentialiter irrectæ, & hæ non possunt benè fieri; rectitudo enim, & irrectitudo est essentialis operationibus.

Quomodo logica dirigat operationes intellectus.

8. Distinguo antecedens: logica non dirigit formaliter operationes intellectus; concedo: non dirigit obiectiuè, nego: & distinguo consequens: ergo non habet illas pro subiecto physico; concedo; logico nego. Illud dirigitur formaliter à logica, in quo tamquam in subiecto physico residet logica tamquam forma physica reddens illud aptum ad efficiendum faciliùs, & cum maiori certitudine operationes rectas, & ad fugiendum irrectas: huiusmodi autem subiectum est substantia intellectiua: Dirigitur autem obiectiuè, quod cognoscitur à logica, & in ordine ad quod tradit præcepta, propter quæ potiùs veniat in lucem opus, quod est rectum in se, quàm oppositum deforme: Et quod hoc modo dirigitur est subiectum intentionale, seu logicum facultatis. Ad probationem antecedentis; distinguo antecedens: operationes intellectus sunt incapaces directionis physicæ; concedo; obiectiuæ; nego: ad rationem in contrarium, distinguo maiorem: illud est capax directionis, quod potest benè, vel malè fieri tantum in indiuiduo; nego: quod potest benè, vel malè fieri siue in indiuiduo, siue in genere; concedo. Operationes autem intellectus quamuis, quia sunt essentialiter rectæ, vel deformes, non possint benè, vel malè fieri primo modo; possunt tamen benè, vel malè fieri secundo modo: quia cum aliquæ sint rectæ, aliquæ deformes, illas considerando logica, suis regulis efficit, vt potius exeant bonæ, quàm malæ. Quod expressit Quiros *disp.* 9. *sect.* 5. docens cognitionem præcisiuè consideratam esse dirigibilem per contractionem ad veram; veram per determinationem ad existentiam, falsam per mutationem in veram.

9. Instabis ergo logica est habitus electiuus. Respondeo si hoc significet esse facultatem, & habitum voluntatis; nego consequentiam: sin autem velis esse habitum intellectus inclinantem voluntatem potiùs ad electionem operum rectorum, quàm deformium; id verò concedo, nec curo de vocabulo.

10. Obijcies tertiò si logica habet pro subiecto operationes intellectus, non distinguitur ab ea parte animasticæ, quæ agit de actibus vitalibus nostri intellectus. nego consequentiam; quamuis enim conueniant in entitate subiecti; distinguuntur tamen; quia considerant illud sub diuersa ratione fundante diuersas difficultates.

11. Obijcies quartò: ex rectitudine, & operatione non resultat aliquod totum: quia hæc duo non distinguuntur: ergo vnum non potest habere rationem subiecti, aliud formæ. Respondeo ex subiecto, & ratione formali non resultare vnum physicum in logica, aut in alijs scientijs; quare nulla est necessitas cur distinguantur realiter; sed sufficit distinctio rationis. Et certè quamuis cognitio diuina de Angelo sit scientia perfectissima, & quidem practica; tamen versatur circa obiectum simplex. Illud obiter hic notandum puto cum Ouiedo: dupliciter aliquod posse per artem dirigi, primò vt opus artificiosum, quod ars efficiat: sic dirigitur domus ab ædificatoria. Secundò vt materiam quam assumit artifex, vt alteram partem operis, ad illud construendum: sic ædificatoria diriget lapides, & ligna, quorum non effectionem, sed vsum præscribit. Iam verò quod primo modo dirigitur, potest esse aliquod simplex, vt patet exemplo Angeli, quod supra attulimus: quod autem secundo modo; potest quidem in se esse simplex, vel compositum: opus ca-

tamen, cuius est materia, & pars, semper erit compositum.

12. Hinc facile decidi potest illa quæstio: quisnam sit finis logicæ? Respondeo enim finem proprie spectare ad voluntatem, & eius habitus: logica autem non est habitus voluntatis: quare proprie non habet finem. Quod si nomine finis largè sumpti intelligas omnem effectum, ad quem producendum causa inclinat; dico finem logicæ esse rectitudinem operationis, quia ad illam ponendam inclinat.

Logica proprie non habet finẽ.

SECTIO QVARTA.

Vtrum omnes tres intellectus operationes sint subiectum Logicæ.

1. **S**Vnt qui putant cum Hurtado tantum secundam, & tertiam intellectus operationem spectare ad logicæ considerationem, primam verò non esse ab illa dirigibilem. Omnes autem tres intellectus operationes esse subiectum logicæ est opinio Suarij *disp. 1. m. sect. 4.* Fonsecæ *2. m. cap. 1. quæst. 1. sect. 5.* Ruuij *quæst. 6.* Arriaga *disp. 2. sect. 4.* Ouiedi *controuersia 2. puncto 1. §. 4.* Comproni *disp. 6.* his ergo inhærens:

2. Dico primò secunda, & tertia intellectus operatio sunt subiectum logicæ: probatur quia secunda, & tertia intellectus operatio habent specialem difficultatem: neque enim impetu quodam naturali de qualibet re proposita illicò benè iudicamus, & discurrimus, vt malo nostro experientia satis frequens nos docet: sed opus est magna sagacitate, & industria: ergo saltem in ordine ad formandos aliquos actus iudicij, & discursus cum maiori facilitate, & certitudine vtiles, & necessariæ sunt regulæ alicuius artis: hæc autem ars non est, nisi logica, in illis enim actibus inuenitur aptitudo ad inueniendam veritatem, quæ est ratio formalis logicæ: ergo logica vtilis, & necessaria est ad efformandos cum maiori facilitate, & certitudine actus iudicij, & discursus: ergo hi actus sunt subiectum logicæ considerationis: illud enim ad quod rectè efficiendum per suas regulas facilitat, & dat maiorem certitudinem facultas practica, est vtique subiectum talis facultatis, cum de illo debeat multa tractare, vt ostendat eius bonitatem, & modum quo benè fiat. Et sanè à posteriori constat multa probari à logica de iudicio, & discursu.

Secunda & tertia operatio intellectus sunt subiectũ logicæ.

3. Obijcies primò tertia intellectus operatio seu discursus nõ est dirigibilis à logica: ergo non est illius subiectum. Antecedens probatur: positis præmissis necessario sequitur tertia operatio: ergo tertia operatio non dirigitur à logica. Nego antecedens: quia vt aliquod subiectum immediatè intentionaliter dirigatur, sufficit si præcepta scientiæ habeant illud pro obiecto immediato, ad cuius effectionem dirigant potentiam assignando eius causas, &c. quamuis deinde positis causis non possit non sequi effectus: sic medicina habet pro subiecto immediato sanitatẽ; quamuis positis medicamentis necessarijs & sufficientibus non possit non sequi sanitas; hinc nego consequentiam probationis.

4. Obijcies secundò saltem syllogismus demonstratiuus non est subiectum logicæ: nam non potest eius effectio dirigi à logica; syllogismus enim demonstratiuus constat præmissis, & conclusione euidentibus: ergo eius effectio non potest dirigi à logica. Consequentia probatur: quia neque præmissas, neque conclusionem euidentem potest logica dirigere: illud enim potest dirigi à facultate practica, cuius productio pendere potest à voluntate; scientia enim practica nullo modo alio dirigit, quàm proponendo voluntati opus factibile, & illam alliciendo ad eius positionem; sed productio conclusionis, & præmissæ euidentis non potest pendere à voluntate: ergo. Minor probatur: quia assensus euidentes, vt potè necessarij, non pendent à voluntate, sed præcedunt omnes eius actus.

5. Nego assumptum: ad rationem in contrarium; dato antecedente, nego consequentiam: ad cuius probationem, nego assumptum; & ad assumpti probationem, concedo illud posse dirigi à scientia practica, quod potest à voluntate pendere vel mediatè, vel immediatè, propter rationem, quam innuit argumentum; non requiritur tamen dependentia immediata: tum nego minorem de dependentia mediata: ad rationem in contrarium, dico assensus euidentes non ita obuios, sed acquisitu difficiles, posse mediatè à voluntate dependere; posita enim cognitione logica dictante ad assensum euidentem tùm conclusionis tùm præmissarum requiri has vel illas causas, & vt termini hoc vel illo modo apprehendantur; potest voluntas allecta bonitate cognitionis euidentis, saltem quando causæ euidentiæ non adsunt, nec sunt obuiæ, imperare intellectui vt adhibeat industriam, ad acquirendas causas euidentiæ, & ad apprehendendos terminos modo opportuno ad talem effectum; ad quod opus est multa industria & sagacitate.

6. Dico secundò prima intellectus operatio tum simplex, tum composita est subiectum logicæ. Ante probationem, suppono intellectus apprehensionem esse in duplici differentia, alia enim est composita, non eo quidem modo, qui proprius est iudicij affirmantis vnum de alio, sed quia est indiuisibilis repræsentatio plurium terminorum ordinans illos inter se, & supponens saltem regulariter plures apprehensiones terminorum incomplexorum. Alia est simplex, seu incomplexa versans tantùm circa vnum terminum. Hoc posito.

Prima intellectus operatio est subiectũ logicæ.

7. Probatur primò conclusio de prima operatione composita, seu complexa: quia logica multa probat, & tradit multas regulas de definitione, quæ est prima operatio composita: ergo saltem aliqua prima operatio composita est subiectum logicæ. Prima pars antecedentis est certa: docet enim logica, definitionem debere esse clariorem re definita, constare genere & differentia. Secunda autem pars probatur: quia de-

definitio est hic conceptus, V. G. animal rationale: sed hic conceptus est prima operatio, quia nihil affirmat, vel negat: & quidem composita est enim ille conceptus complexus constans duobus terminis ordinatis: ergo definitio est prima operatio composita: maior videtur certa, sed vlterius confirmatur: quia in hac propositione, homo est animal rationale, definitio prædicatur de definito: ergo formaliter definitio est ille conceptus animal rationale. Et confirmatur: hæc animal rationale, est bona definitio hominis; illa autem animal bipes, est irrecta; ergo definitio hominis potest benè & malè fieri: ergo debet posse dirigi ab aliqua scientia, & arte, quæ non est nisi logica: definitio enim recta in primis iuuat ad veritatis inquisitionem.

8. Secunda autem pars de operatione simplici; probatur: quia logica tradit multa præcepta, & inquirit multa prædicata de præcisione necessaria ad constitutionem generis, speciei, & similium prædicabilium. Hic quidem tractatus ante prædicamentalis, & prædicamentalis totus ordinatur immediatè ad has operationes: sed hæ sunt primæ operationes simplices: ergo primæ operationes simplices, saltem aliquæ non ita obuiæ, sunt subiectum logicæ.

9. Obijcies primò: non potest explicari, quomodo prima apprehensio possit à voluntate pendere: ergo non est obiectum scientiæ practicæ. Nego antecedens: nam potius regulis logicis de bona definitione constante ex genere, & differentia, homo volens benè definire rem aliquam, imperat intellectui, vt inuestiget genus proximum, & differentiam vltimam essentialem illius rei: hoc autem imperium debet tantum supponere regulam logicæ de definitione, genere, & differentia, & cognitionem rei, quam intendit homo definire, & quod si benè definienda sit, id faciendum sit per genus & differentiam, quare necesse est præcedat cognitio repræsentans, bonum esse inuestigare genus, & differentiam illius rei, & consequenter etiam cognitio attingens genus, & differentiam ipsius veluti in confuso, quatenus bona ad constituendam definitionem. Non est autem necesse, vt ad imperium præcedat genus, & differentia, & multò minus ipsa definitio: & ideo si à voluntate imperatur constructio huius generis, Animal, hoc genus supponitur quidem cognitum per actum reflexum logicum, non autem constitutum, sed tale constituitur per actum imperatum confusum.

10. Obijcies secundò: ergo etiam regulare actus imaginationis est logici artificij: huiusmodi enim actus possunt plurimum iuuare, & nocere rectè operationi intellectus, & veritatis intelligentiæ: quin imo regulare actus sensuum exteriorum ob eandem rationem pertinebit ad logicam? Quiros *disp. 9. sect. 3.* non veretur concedere actus imaginationis, & sensuum externorum cadere sub logicæ considerationem, & directionem, quod confirmat authoritate Suarij *disp. 4. m. sect. 4. §. 7.* concedentis in cognitione sensus inueniri veritatem formalem, imo & iudicium, licet modo imperfecto. Nego tamen consequentiam: nam stante deformitate imaginationis, si tamen rectè apprehendamus, & iudicemus, hic discursus, videtur intellectus sufficienter instructus ad veritatis inuentionem. Et sane non alio modo solemus corrigere imaginationem, & sensuum externorum actus, quam corrigendo imaginationes: sic enim videmus remum in aqua distortum, & fractum, quamquam per sensum externum, vel actum imaginationis appareat fractum; sed ex discursu intellectus iudicamus, & apprendit illum rectum: quare opus logicum totum erit in dirigendis operationibus intellectus, & ne intellectus sequatur in omnibus ductum apparentiæ sensibilis. Et huc fortasse collimat Quiros docens in apprehensione intellectuali artificiū relucere, quod non fit impetu quodam naturæ; sed opus est multo labore & discursu, cuius nō nunquam partus est clara rei apprehensio, penetrans rerum naturas, quò non pertingit sensus. Hinc patet, totam vtilitatem & nocumentum, quod possunt afferre ad veritatis inuestigationem operationes sensitiuæ, esse remotum respectu considerationis logicæ.

Logica non dirigit sensum, & imaginationem.

11. Obijcies tertiò cum Giattino: munus logicæ est inseruire scientijs: hoc autem totum præstat per secundam, & tertiam operationem, in quibus inuenitur veritas, & per quas verè homo intelligitur scire: qui enim apprehendit sidera paria, vel imparia, nihil de earum paritate scit. Nego minorem: logica enim se ipsa inseruit scientijs, dum regulas ministrat ad modum aptum inueniendi veritatem: hic tamen modus inuenitur etiam in prima operatione, vt vidimus. Vbi aduerto logicam dici facultatem instrumentariam, non solùm quia eius obiectum sit instrumentū sciendi, seu operatio apta ad inueniēdam veritatem; sed etiam quia eius præcepta, quæ sunt logica actualis, sunt instrumenta, & causa sciendi. absolutè tamen non est verum omne, quod est obiectum logicæ esse instrumentum sciendi: nam ipsa conclusio scientifica est obiectum logicæ, neque tamen est instrumentum sciendi formale, id videlicet, quo homo scit, aut esse instrumentum sciendi etiam causale, quia quælibet conclusio benè illata apta est ad inueniendas alias veritates, & conclusiones scientificas vel à priori, vel à posteriori.

Quomodo logica est instrumentum scientiarū.

SECTIO QVINTA.

Quodnam sit Obiectum, Attributionis In Logica?

12. FAcile ex dictis sectione prima est præsentem quæstionem soluere: diximus enim, obiectum attributionis esse primum in qualibet scientia subiectum, in quo tamquam in basi fundatur tota scientia, seu facultas; quod non inquiritur, sed supponitur, & continet primam rationem, seu medium unde inquirenda sunt alia; quæ in illo veluti in radice continentur. Et quis non videat omnia alia, quæ in scientia tractantur huic

Quid sit obiectū attributionis.

huic obiecto tanquam primo principio, & vltimo veluti fini attribui, reliquasque omnes cognitiones in eadem scientia ordinari ad illius cognitionem, vt ita dicam, perficiendam: quò enim plura in eodem, vel ex eodem principio cognoscuntur, eo perfectiùs principium ipsum penetratur.

2. Quod autem in qualibet scientia admitti rationabiliter debeat vnum aliquod huiusmodi obiectum; inde confirmari potest, quia scientiæ, & facultates non debent confusè, sed ordinatè tradi: omnis autem ordo incipit ab vno, vnde procedunt, & ad quod cætera referuntur: ergo in qualibet scientia debet esse aliquod vnum, quod sit reliquorum, quæ spectant ad eamdem scientiam, principium, & finis: quale est obiectum iam explicatum.

Obiectũ attributionis logicæ est operatio recta rectitudine passiua.

3. In logica igitur obiectum attributionis, & primarium, est operatio recta rectitudine logica passiua genericè sumpta supra explicata: quia vt vidimus hæc est, quæ primò, & per se consideratur à logica, reliqua verò considerantur, quatenus participant dictam rectitudinem: agit quidam logica de syllogismo tum demonstratiuo, tum probabili, de iudicio, definitione, diuisione, & similibus, sed quatenus sunt operationes aptæ ad acquirendam veritatem: tradit enim regulas, quomodo hæc omnia fiant vt conducant ad acquirendas sine periculo erroris scientias.

Demonstratio non est obiectum attributionis logicæ.

4. Falsò igitur aliqui, quos olim ego sequutus sum, dicunt obiectum attributionis in logica esse syllogismum demonstratiuum: nam licet hic syllogismus sit præcipuus finis illius partis logicæ, quæ dicitur analytica; non est tamen primum subiectum logicæ propositum: quia laboris logici est probare, & quod demonstratio ad ipsam spectet, ac proinde quod sit apta inseruire scientijs ad indagandam veritatem; & quid requiratur, vt fiat demonstratio eo modo apta: si enim demonstratio non esset medium aptum ad acquirendas scientias; non esset cur logica de illa tractaret; quamuis inter media apta obtineat fortasse primum locum. Primum igitur in quod fertur logica, & propter quod agit de demonstratione, est operatio recta, &c. Aristoteles autē primò priorum capite 2. dum (*Primum inquit, dicendum circa quid, & de quo intentio sit, circa demonstrationem quippe, & de scientia demonstratiua*) loquitur de parte logicæ analytica, de qua sermo est in libris priorum. Eodem modo accipio Sanctum Thomam opusc. 48. Quod dixi de syllogismo demonstratiuo, extendo propter similem rationem ad definitionem, quam non nullus cum Complutensibus putauerit obiectum attributionis logicæ.

Neque definitio.

Quid de sētentia Quiros.

5. Ex dictis etiam patet quid dicendum sit de sententia Quiros *disp.* 1. logicæ *sect.* 3. *tanel.* 2. asserentis obiectum attributionis esse scientiam per se integram, & totalem, pro vt includit omnes discursus etiam probabiles, ac reliquas cognitiones, quæ ad scientiam spectant, vt sunt definitiones, diuisiones, & similes: nam si nomine scientiæ totalis intelligat operationem rectam in genere, iam dictam, sub qua continentur omnes illi actus, est mea sententia; si verò præscindat à dicto conceptu; facilè impugnari potest ex dictis: neque enim alia ex causa scientia eo modo sumpta consideratur à logica; nisi, quia est operatio recta iam dicta.

6. Obijcies primò: obiectum attributionis est in scientijs, ad cuius meliorem cognitionem ordinantur reliqua, quæ spectant ad scientias: sed non reliqua, quæ spectant ad logicam, conducunt ad meliorem cognitionē operationis dicto modo rectæ: ergo dicta operatio non est obiectū attributionis logicæ. Minor probatur: quia nō videtur quomodo cognitio syllogismi cōducat ad meliorem cognitionem dictæ operationis; eadem est ratio definitionis, & similium. Data maiore, nego minorem: ad rationem in contrarium nego assumptum, syllogismus est pars inclusa in operatione recta genericè sumpta, vt species in genere: cognitio autem partis & speciei conducit ad meliorem cognitionem totius, & generis.

Obiectũ attributionis in logica non est actus verus.

7. Obijcies secundò: idem est obiectum logicæ artificialis, de quo loquimur, ac naturalis: sed obiectum attributionis logicæ naturalis est actus, non rectus rectitudine explicata, sed verus: ergo obiectum attributionis logicæ artificialis est actus, non rectus rectitudine dicta, sed verus. Maior probatur: nam logica artificialis inuenta est post vsum naturalis, & ad perficiendum opus illius: ex eo enim quod homines aliquando formauerint operationes rectas aptas ad inueniendam veritatem, aliquando deformes, collegerunt regulas logicas: ergo idem est vtriusque obiectum attributionis: minor confirmatur, quia logica naturalis constituta est in lumine naturali, cuius finis est veritas. Ad solutionem sciendum est, logicam naturalem esse lumen intellectus naturale per se ipsum sine vllo magisterio efformans præcepta logica inseruientia ad veritatis indagationem; & quia per exercitium horum actuum acquiritur facilitas ad similes sequentes actus; ideo logica naturalis potest dici triplex, alia veluti prima, & radicalis, & est lumen dictum, non quia ex se non sit sufficiens ad illa præcepta efformanda; sed quia ex se non habet respectu illorum facilitatem, nisi solùm in radice, quatenus potest exercitio actuum illam acquirere: alia actualis, & sunt ipsa præcepta lumine naturali formata: alia habitualis, & est ex frequenti exercitio similium actuum acquisita facilitas ad formanda illa præcepta, & fortasse etiam ad aliorum vsum.

Quid, & quotuplex sit logica naturalis.

Quid, & quotuplex logica artificialis.

8. Logica artificialis est tantum duplex actualis videlicet, & sunt præcepta logicæ iam per primos præceptores statuta, & à discipulis dependenter ab illa institutione, aut præceptoris voce formata: & habitualis, & est facilitas dependenter à similibus discursibus, & regulis acquisita, inclinans ad similes sequentes discursus, & regulas cum minori labore formandos. Logica igitur artificialis, & naturalis quo ad reliqua conuenientes, solùm differunt in modo, quo acquiruntur, quia naturalis acquiritur sine vlla depen-

dependentia ab extrinseco praeceptore, & regulis, sed cum maiori difficultate, & periculo errandi; secus accidit artificiali, quae inuenit iam complanatum iter. his positis; ad argumentum.

9. Concessa maiori, nego minorem: ad rationem in contrarium dico, quamuis lumen naturale intellectus respiciat tamquam finem vltimum, in quo quiescat actum verum, & veritatē praecipuè principiorum; male tamen hinc infetes intellectum secundum omnes rationes consideratum, habere pro fine immediato veritatem: nam vt apprehensiua potentia, habet pro effectu immediato apprehensionem, quae non est actus formaliter verus, quamuis: ad veritatem ordinetur. Intellectus igitur seu lumen naturale, vt logica naturalis, habet pro obiecto formali immediato attributionis actum rectum iam explicatum: quid quid sit quod natura hanc ipsam rectitudinem ordinet ad veritatem, quam tamen logica non immediatè respicit.

10. Quod inde confirmatur: quia logica tota est in tradendis regulis de bona definitione, diuisione, argumentatione, & similibus: quae bonitas non est nisi rectitudo iam explicata, & non tradit regulas de ipsa veritate: veritas enim est conformitas actus cum obiecto, quae licet sequatur ad rectitudinem logicam; non tamen immediatè, & directè intēditur à logica; sicuti quamuis rectitudo freni conducat ad bonam equitationē; non propterea freni factoria habet pro obiecto directo, & immediato bonam equitationem.

11. Ex his patet quando Aristoteles, & logici docent propositiones affirmatiuas in materia necessaria esse necessario veras, in materia repugnāte necessariò falsas, id facere veluti ex incidēti explicantes effectum aliquem, & proprietatem rectitudinis logicae: sicuti quamuis Aristoteles agat in logica de praedicamentis, sub quibus continentur res omnes; non ideo res omnes sunt per se obiectum logicae: nimirum per accidens agit de rebus illis, quatenus sunt terminus primae operationis, & vt rudibus praebeat materiam, circa quam efforment suas operationes.

12. Instabis si logica habeat iudicium rectum, non verum, non est contenta: neque enim illud iudicium potest in seruire scientijs. Distinguo assumptum: non est contenta, si illud iudicium non repugnet, sed potius conducat ad veritatis consequutionem; nego: si repugnet; concedo: nam si repugnet, non continet rectitudinem logicam, quae est aptitudo ad veritatis consecutionem; at si ad veritatem conducat, iam subiacet logicae cōsiderationi, quae praescindit à directa consideratione veritatis. Vbi aduertas, velim, regulas, quas tradit logica de aequipollentia, conuersione, appellatione, & similibus; esse de rectitudine passiua: nam hae & similes sunt operationes rectae intellectus.

13. Quod si quaeras, ad quam scientiam spectet tamquam obiectum veritas? Respondeo vel ad animasticam, cuius est considerare actus vitales, vel ad moralem philosophiam, cuius obiectum est felicitas hominis, ad quam maxime spectat cognitio veritatis: vel demum dicas quamlibet scientiam posse per actum reflexum decidere de veritate, & falsitate actuum, qui versantur circa ipsius materiam: quare veritas potius est obiectum vniuersale intellectus, quam particulare alicuius scientiae.

14. Instabis iterum: rogatus quis: cur logicae studeat? bene respondebit; vt veritatem consequi, posse. Respondeo, hunc potius assignare finem addiscentis, quàm scientiae.

15. Obijcies tertiò: quod scientia habeat ex omnibus, quae considerat, potius hoc, quàm illud pro obiecto attributionis, est ex hominum libertate, qui in hac scientia voluerunt potius per se, & primariò considerare hoc obiectum, quàm aliud: ergo quod in logica sit obiectum attributionis, potiùs hoc, quàm illud, non potest decidi nisi probando, quod huius scientiae praeceptores primi intenderint per se in hac facultate potius cognitionem huius obiecti, quàm alterius: sed non dum probatum est quod primi logicae magistri intenderint primò, & per se cognitionem operationis rectae iam dictae; & quod reliquorum cognitionem ordinauerint ad meliorem cognitionem dictae operationis: ergo.

16. Respondeo, & si in diuisione scientiarum, & obiectorum formalium, quae de facto datur; intercesserit aliquid libertatis hominum, vt in loco dicam; facta tamen diuisione, & distributo in paucas aliquas partes toto scibili, ac iuxta obiectorum diuisionem diuisis scientijs, & assignato cuilibet scientiae suo obiecto formali incomplexo, non est amplius libertati locus quo ad designandum obiectum attributionis: vt enim vidimus, illud ipsum quod est primum sobiectum scientiae, illam veluti adaequatè in se continens, est obiectum attributionis. In forma igitur distinguo antecedens: est ex hominum libertate proximè; nego: remotè; quia videlicet pendet à prima assignatione, in qua intercesse aliquid libertatis; concedo antecedens, & distinguo eodem modo consequens: non potest proximè decidi; nego: quia proxime deciditur ex subiecto primo saepius dicto: remotè; concedimus. Hoc iam nos fecimus: quia probauimus praecipuum subiectum logicae quae de facto datur, & iuxta actualem designationem esse dictam operationem.

17. Ex dictis patet male Zabarellam apud Quiros *disp. 11. sect. 2.* negasse in logica dari obiectum attributionis.

SECTIO SEXTA.

Examinantur aliorum opiniones de Obiecto logicae, praecipuè autem vtrum voces, res, aut substantia intellectiua sit Logicae Obiectum.

1. Dico neque voces, neque res, neque substantia intellectiua sunt directè obiectum, vel subiectum logicae. Dixi directè: quia *Res, voces, sub-*

stantia intellectiua non sunt obiectum logicæ.

quia cum operationes intellectus, quas logica considerat, dicant essentialem ordinem ad intellectum, tanquam ad subiectum, & principium, & ad res tamquam ad obiectum, fieri nequit quin actus logicus veluti indirectè, ac in obliquò, & quasi per accidens attingat res saltem in confuso, & substantiam intellectiuam, seu intellectum, vt alij volunt. Probatur tamen conclusio: quia nulla est necessitas dicendi quod vel voces, vel res, vel intellectus sint obiectum, vel subiectum logicæ: vt costabit ex solutione argumentorum: & iam sufficienter assignatum est sectionibus antecedentibus subiectum, & obiectum logicæ, cæterum

2. Confirmatur primo conclusio de rebus: quia logica non tradit præcepta, quomodo producendæ sint res, neque rerum pro vt ab operationibus intellectus distinctarum, propterea considerat, aut aliquid de rebus in particulari in suis conclusionibus probat.

3. Hinc reijcio sententiam Mauri *quæst: 9.* docentis, obiectum materiale esse res pro vt dicunt ordinem ad operationes rectas, formale autem esse operationes rectas pro vt aptas denominare res; reijcio, inquam, quia logica non per se agit de rebus in ordine ad operationes: neque enim per se considerat quid requiratur in rebus, vt sint subiectum, aut prædicatum: sed solum agit de forma constitutiua prædicati, & subiecti, quæ cum sit relatiua ad suum obiectum, fieri non potest, quin eodem actu attingatur obiectum. Confirmatur: quia ordo rerum ad operationes rectas, vel sunt ipsæ operationes rectę, vel attingibilitas per operationes rectas; quodcumque dicatur, semper sequitur, quòd solùm operationes sint obiectum logicæ: nam attingibilitas ipsa proximè non est nisi operatio possibilis, & adæquatè fungitur munere suo logica, si directè tantùm attingat operationes actuales, & possibiles, & indirectè ex quadam veluti necessaria consequentia attingat res ipsas: sicuti animasticua agens de actibus vitalibus, qui versantur circa res omnes; quamuis ex quadam necessaria consequentia attingat veluti in confuso res omnes; non propterea habet pro obiecto res omnes. Huius autem doctrinæ ratio vlterior veluti à priori esse potest; quia opus artificiosum logicum sunt tantum operationes: hæ enim tantum producuntur dependenter à regulis logicæ, non res; vt patet consideranti: rursus tota difficultas superanda à logica est, vt ponatur in operationibus modus ille claritatis, & tendentiæ, qui opus sit ad inueniendam veritatem: ad illum autem modum ponendum nullam difficultatem afferunt res ipsę: neque enim resistunt, aut iuuant talem positionem: ergo res omnino impertinenter se habent ad considerationem directam logicę; facultas enim practica non debet, considerare, nisi vel opus artefactum, vel illud, quod affert operi specialem difficultatem, quæ superari alio modo non potest, quàm præceptis artis: aliter frustra traderentur ab arte præcepta. Illud igitur Aristotelis 4. *metaphysices tex: 5.* (*In eodem genere dialectica, & sophistica versatur, in quo philosophia, estque dialectica tentatrix de ijs quorum cognitio ad Philosophiam spectat;* Intelligitur de obiecto indirecto logicæ, quæ dum directè considerat operationes intellectus, quæ versantur circa res omnes, considerat etiam indirectè res omnes.

4. Obijcies primò: tota difficultas artis est in adaptanda forma materiæ; & ad eam difficultatem superandam debent tradi præcepta: sed in casu nostro forma est operatio recta, materia cui adaptari debet, sūt res: ergo in casu nostro tota difficultas est in adaptādis operationibus ad res, & ad eam difficultatem superandā tradi debent præcepta: ergo præcepta logicæ versantur tum circa res, tū circa operationes. Et confirmatur: quia in sciētijs practicis obiectum materiale est materia, cui adaptatur forma, formale autem est forma adaptata; vt constat inductione: sed logica adaptare intendit rebus operationes: ergo res sunt obiectum materiale, operationes autem formale.

5. Respondeo maiorem principalis argumenti esse falsam: nam multoties opus artificiosum est simplex, in quo nulla forma adaptanda est subiecto. Et sane scientia *practica Dei*, quæ est causa Angeli, non video quam formam adaptat subiecto in creatione Angeli: opus autem artificiosum logicum plerumque est physicé, & essentialiter simplex operatio, quæ quamuis sit forma intentionalis dicens ordinem tum ad subiectum, tum ad obiectum, neque cognosci perfectè possit, quin illa indirectè attingantur, tamen cum illa neque sint opera facienda, neque afferant operi faciendo specialem difficultatem superandam per præcepta logicæ, vt dicebam; non debent per se, & directè à logica considerari. Hinc etiam nego minorem; neque enim materia, cui adaptari debent à logica operationes rectæ sunt res: nam si operatio intellectus habet in se rectitudinem passiuam, quam supra explicauimus, est se ipsa formaliter adaptata rebus, neque posita illa rectitudine est vlla difficultas in illa adaptatione.

6. Quare ad confirmationem dico, maiorem ad summum veram esse in facultatibus, in quibus vel totum opus artificiosum, tum secundum formam, tum secundum materiam est producendum dependenter à præceptis artis; vel saltem materia affert specialem difficultatem, non superandam nisi per artis præcepta, vt euenit in statuaria, fabrilibusque artibus: quæ non habent locum in logica.

7. Obijcies Secundo, multa præcepta logicæ sunt directè de rebus: ergo res directè spectant ad logicam: antecedens probatur hoc, præceptum logicum, definitio conuertitur cum definito, non potest verificari de ipsis actibus intellectus: neque enim conceptus formalis definitionis dicitur ad conuertentiam cum conceptu formali definiti, sed obiecta illorum dicuntur ad conuertentiam, quæ enim dicuntur ad conuertentiam, debent identificari, identitas autem non est inter conceptus formales, sed inter obiecta. Hæc & si-

milia obijcit Hurtadus huius sententiæ anthor. Nego antecedens: ad cuius probationem, dico illud præceptum formaliter esse de ipsis conceptibus formalibus, quæ cadunt sub directionem, & causalitatem logicæ; non de rebus immunibus à tali causalitate, & directione, si considerentur secundum sua prædicata intrinseca; quamuis verba videantur loqui de rebus ipsis: sensus enim præcepti est conceptus definitionis, & conceptus formalis definiti debent habere obiecta adæquatè identificata: quare hoc præceptum non respicit res, nisi indirectè, & vt obiectum sui obiecti: sicuti præceptum quod dat ars Sutoria, calceum videlicet debere cum pede eam proportionem seruare, qua ita illum protegat, vt non impediat, sed potius iuuet motum progressiuum; non habet pro obiecto pedem, vel motum progressiuum; sed aptitudinem calcei ad illa præstanda. Profecto logici huiusmodi præceptis intendunt regulare conuersiones, æquipollentias, & similes, quæ formaliter sunt operationes intellectus: Attamen primi præceptores nō debuerunt in explicandis suis præceptis esse ita religiosi, vt semper debuerint ponere in recto obiectum directum, cum præsertim per obiectum indirectum in recto positum consulerent breuitati.

8. Obijcies tertio: res definita, diuisa, &c. est obiectum alicuius facultatis; non nisi logicæ: ergo ad logicam spectat eius consideratio: illa autem includit vtrumque conceptum tum formalem, tum obiectiuum. Et confirmatur: quia finis hominis est non solùm visio Dei, sed etiam Deus visus: ergo obiectum logicæ est non solum bona definitio; sed etiam res definita. Distinguo maiorem: res definita adæquatè sumpta secundùm omnes sui partes est subiectum alicuius facultatis simplicis; nego: secundùm aliquam sui partem concedo: & distinguo minorem: non nisi logicæ secundùm omnes sui partes; nego: secundùm aliquam; concedo minorem: & distinguo consequens: ergo eius consideratio secundùm omnes eius partes spectat ad logicam; nego: secundum aliquam; concedo consequentiam: non enim necesse est vt complexum quodlibet spectet per se, & directè ad aliquam vnam scientiam, sed potest ratione diuersarum sui partium spectare ad diuersas scientias, ita vt totum denominetur spectare ad vnam facultatem ratione huius partis, ratione vero alterius ad alteram. Res igitur definita spectat ad logicam ratione tantùm vnius partis, operationis videlicet rectæ, non ratione omnium: sicuti album est obiectum potentiæ visiuæ ratione albedinis, cum subiectum spectet ad aliam omnino potentiam. ad confirmationem; dico, Deum visum esse finem hominis; quia homo non solùm fruitur visione Dei, sed maximè ipso Deo, quæ ratio vel similis non vrget in re definita respectu logicæ. consideratio igitur rerum in communi spectat ad metaphysicum, rerum autem in particulari ad alias scientias.

Præcepta logicæ nō diuersificātur ex diuersitate rerū quas respiciunt actus recti particulares.

9. Illud hic aduerto, præcepta logicæ non diuersificari ex diuersitate rerum, quas respiciunt operationes rectæ in particulari; neque enim est diuersum præceptum logicum de definitione hominis, ac de definitione leonis; ratio est, quia præceptum logicum collectum ab experientia est de definitione in communi, quare inuariabiliter respicit omnes definitiones, & coniunctum varijs comprincipijs modò dirigit ad vnam, modò ad aliam definitionem: Illud præterea aduerto benè dixisse Quiros *disp. 9. sect. 4.* subalternatione ad metaphysicā sufficienter prouisum esse logicæ, si opus illi sit aliqua rerum notitia.

10. Sed vrgebis: sicuti vt quis doceatur definitionem in particulari V. G. hominis, debet cognoscere in particulari naturam hominis; ita vt quis doceatur definitionem in communi, debet cognoscere res in communi, identitatem in communi, vt addiscat modum rectum prædicandi in communi. Concedo totum: cæterum res in communi, identitas in communi, & similia, sunt termini trascendentales, & primi conceptus satis cuique noti, quantùm sufficit ad constructionem operis logici, & ideò non debet logica specialiter laborare in harum consideratione: quarum cognitionem, quantùm sufficit suo instituto, aliunde supponit habitam. Et confirmatur: quia nemo dicet Grammaticam agere de rebus omnibus: quia docet, quas res significent singulæ voces.

11. *Instabis* iterum cum Quiros ipsæ res ingrediuntur artificium logicum, nam cum dico hic homo est Petrus, ipsa substantia Petri ingreditur conceptum subiecti: omnia enim alia non constituunt hunc conceptum. Respondeo non omnia, quæ constituunt subiectum esse obiectum logicæ, vt patet ex dictis.

12. Obijcies quartò logica quærit verum res sint suum obiectum: ergo habet pro obiecto res. Nego antecedens: ordinare enim scientias inter se, eisque suum obiectum assignare; est vnum ex operibus sapientiæ, vt suo loco dicam. Et hæc quidem de rebus.

Voces non sunt obiectū logicæ.

13. Confirmatur nunc secunda pars conclusionis; voces videlicet non esse obiectum logicæ. Quid quid est in vocibus; vel à natura, vel ab arte, totum spectat ad alias facultates: ergo voces non sunt logicæ considerationis. Antecedens probatur: nam vel consideramus in vocibus sonum illum articulatum potentem significare aliquem animi sensum; & hic spectat ad animasticum: vel consideramus significationem singularum vocum ad exprimendos conceptus incōplexos mentis, vel constitum plurium, & ordinem, ac syntaxim, quibus exprimuntur conceptus complexi mentis; & hæc omnia spectant ad notitiam linguæ, & ad Grammaticam; vel demum verborum elegantiam, & ornatum; & hoc est rhetorici muneris: præter hæc autem non est in vocibus aliud consideratione dignum: ergo quidquid est in vocibus consideratione dignum spectat ad alias facultates.

14. Obijcies primo: vis syllogistica spectat ad logicum: sed syllogismus vocalis habet vim syllogisticam: ergo syllogismus vocalis spectat ad logi-

logicum. Distinguo: maiorem vis syllogistica logica spectat ad logicum; concedo: grammaticalis; nego: & distinguo minorem: syllogismus vocalis habet vim syllogisticam logicam; nego: grammaticalem; concedo minorem, & nego consequentiam. Vis syllogistica logica sunt præmissæ formales exprimentes ex suis intrinsecis v. g. identitatem extremorum cum medio, & conclusio item formalis intrinsecè exprimens dependenter à præmissis identitatem extremorum inter se: & si quis mutus hos conceptus formaret esset bonus logicus; at ordo ille, & artificium, quod inuenitur in syllogismo vocali, non est ex natura sua expressiuus illarum identitatum, neque intrinsecè conuincit intellectum: sed tantum ex hominum beneplacito exprimit præmissas illas, & conclusionem, tum formales, tum obiectiuas: exprimere autem per voces internos conceptus mentis, & illorum obiecta, cum ordine, quem inter se seruant, spectat ad peritiam linguæ, & est artificium grammaticæ, cuius opus est modo dicto manifestatiuum ignoti.

15. Illud vltro concesserim grammaticum, vt bene exprimat vocibus res, & conceptus, debere supponere cognitionem rerum, ac proinde indigere auxilio aliarum facultatum, quæ illi per suas cognitiones subministrent res, & conceptus, quas vocibus exprimat. Qui igitur de rebus physicis non bene loquitur, non illicò arguendus est, vt minus grammaticus, quia posset habere cognitionem vocum sufficientem: totus igitur defectus deriuandus est in ignorantiam physicæ.

16 Obijcies secundò: purus grammaticus non potest dignoscere, verum syllogismus vocalis sit bene cōstructus: ergo cōstructio syllogismi vocalis non spectat ad purum grammaticum. Distinguo consequens: formaliter non spectat ad purum grammaticum; nego: præsuppositiuè; concedo: vt enim grammaticus construat syllogismum vocalem, debent supponi cognitiones logicæ dirigentes ad constructionem mentalis, quo posito grammaticus voces ordinat ad illum exprimendum.

17. Illud aduerto primò ignorātiam suppositionis vocalis non esse culpabilem grāmatico: quia videre verum voces supponantur loco rerum, vel conceptuum, & significent naturaliter an ad placitum; spectat ad physicum; cuius est considerare naturam cuiuscumque soni. Secundò diuisio termini in vocalem, scriptum, & mentalem vel est opus mixtum spectans ad plures scientias, vel est opus physicæ contemplationis. quibus adde hanc non esse rigorosam diuisionem: terminus enim vocalis, & scriptus non sunt propriè termini, sed expressiones terminorum. Tertiò agere de nomine æquiuoco quatenus significat plura spectat ad grammaticum: agere de rebus expressis per illud nomen, ad alias scientias: agere demum de conceptu formali correspondente illi nomini, ad logicum. quidquid igitur Aristoteles in suo organo egit spectans ad voces, egit vt grammaticus, cuius munere prudenter functus est, vt melius logici munere fungeretur.

18. Obijcies tertiò: non solùm actus interni, sed etiam externi sunt obiectum prudentiæ: ergo non solum conceptus mentis, vocesque internæ, sed etiam externæ sunt obiectum logicæ. Nego consequentiam: quia etiam actus externi sunt mores, & cadunt sub præceptum, & conducunt ad conuictum & hominum fælicitatem politicam, quin & monasticam: ergo debent regulari á prudentia, cuius finis est absoluta fælicitas hominis. Hæc autem, aut similis ratio, non militat in vocibus respectu logicæ. quod si cum aliquibus recentioribus velis distinguere duplicem logicam, aliam mentalem, aliā vocalem cur non addis tertiam scriptam? cur ad voces non reuocas omnes alias scientias, & asseris, physicam aliam esse mentalem, aliam vocalem? quod si hæc omnia admittas, non est cur amplius te morer: tota enim controuersia ad voces reuocata est: quin grammaticam fortasse aufers, ac cum alijs facultatibus misces. sed audias quæso Aristotelem *1. Rhet. c. 2.* vbi, *Rhetor, inquit, est ad alium, Logicus ad se*; ergo logicus parum curat de vocibus, quæ sunt signa externa ad alium. Legatur Suarius *disp. 1. m. sect. 4.* Fonseca *2. m. cap. 3. quæst. 1. sect. 3.* Ruuius in prædicamentorum proœmio.

19. Demum confirmatur tertià pars nostræ conclusionis, substantiam videlicet intellectiuam non esse obiectum logicæ formale, aut materiale: quam sententiam primus Panormi docuit Sapientissimus magister meus Requesenius vir singulari acumine, & profunditate preditus; cōfirmatur, inquā quia substātia intellectiua non est opus efficiendū dependenter á logicæ præceptis, neque affert operi faciendo specialem difficultatem superandam à logica per considerationem talis substantiæ: ergo non est cur logica agat de substantia intellectiua. antecedens quoad primam partem patet, quo ad secundam confirmatur: quia tota difficultas intellectus, si tamen est aliqua, ad efficiendas, & recipiendas operationes superatur per ipsa præcepta logicæ, quæ quamuis naturam & proprietates substantiæ intellectiuæ non attingant; tamen dum intrinsecè inhærent intellectui, vel habitualiter, vel actualiter, per se ipsa formaliter facilitant, & dirigunt illum ad opera logica, & ideo in logica nulla sunt præcepta de modo, quo intellectus debet recipere operationes, neque agitur de operationibus, vt efficiendis, aut vniendis intellectui; sed quatenus sunt bona definitio, &c. *Obiectū logicæ non est natura intellectiua.*

20. Obijcies primò: homo rectè intelligens spectat ad aliquam facultatem. Respondeo ex supradictis hoc conflatum ratione vnius partis spectare ad logicam, ratione vero alterius, vel etiam eiusdem partis, sed sub alia consideratione ad aliam facultatem. Attamen aptitudo intellectus ad efficiendas & recipiendas rectas operationes, sicut & ipsa recta operatio, vt forma vnibilis subiecto, spectat ad considerationem de anima: vnde contemnam futuram esse logicam, ait Arriaga, si posset habere bonam definitionem, bonam diuisionem & similia sine rebus, & intellectu.

21. Obijcies secundò, illud, in quod inducitur forma logica, est obiectum materiale logicæ: sed intellectus est illud, in quod inducitur forma logica: ergo intellectus est obiectum materiale logicæ: maior probatur paritate aliarum artium. Falsitas maioris patet ex supra dictis: ad paritatem aliarum artium iam supra respondimus: nunc addo alias artes considerare subiectum physicum, quia affert specialem difficultatem superandam per præcepta. Hinc patet falsum esse, obiectum materiale in scientijs practicis esse, quod perficitur per formam artefactam: multæ enim artes deformant, non perficiunt materiam: sic conquinaria destruit cibos, vel notabiliter alterat, statuaria marmora, & lingna: &c. ars igitur vtilis generi humano debet meliorare non res, sed homines.

22. Obijcies tertiò, hæc sunt præcepta logicæ: intellectus debet ita definire, ita diuidere, ita discurrere: sed hæc præcepta habent pro obiecto intellectum: ergo intellectus est obiectum præceptorum logicæ. Respondeo illa non esse propriè præcepta logicæ, quæ tantum sunt de operationibus, sed male ita formari ab Aduersarijs ad suum intentum. Non negauerim tamen aliam logicam posse ita præcipere; sed de hac nostra vnde id probant aduersarij? peto autem ab illis, an sint præcepta ædificatoriæ, manus debet ita, & ita collocare lapides, ita moles attollere? & si hoc modo tradantur, non ideo sequitur hominem, aut manum esse obiectum materiale ædificatoriæ, sed solum principium executiuum; ita & in casu nostro. Ad minorem igitur dico, illa præcepta non habere pro obiecto directo intellectum, licet quia male proferuntur ita appareat.

23. Illud hic aduerto, logicam non respicere operationes rectas, vt adequatè factibiles; sed solúm vt inadequatè factibiles: quia nimirum proponit modum, quo fieri debent, vt rectè fiant, & non considerat omnia illorum principia physica, quod spectat ad animasticam.

24. Obijcies quartò: obiectum materiale phylosophiæ moralis est homo, obiectum verò formale operatio honesta: ergo obiectum materiale logicæ est homo; formale recta operatio. Respondeo, antecedens esse dubium: nego tamen consequentiam: quia philosophia moralis considerat quasdam conditiones hominum naturales, & animi propensiones in ordine ad bonos mores, quod non militat in logica: cæterum antecedens inde etiam laborat, quod si philosophia moralis est scientia eius conclusiones obiectiuæ erunt obiectum materiale, præmissæ autem formale.

25. Obijcies quintò: idem est finis logicæ, ac aliarum scientiarum: sed finis aliarum scientiarum est reddere hominem rectè intelligentem: ergo finis logicæ erit reddere hominem rectè intelligentem. Antecedens probatur: quia logica inseruit scientijs. Confirmatur: idem est finis logicæ, ac naturæ: sed finis naturæ est non solum recta intellectio, sed homo rectè intelligens: ergo etiam logicæ. Nego maiorem: cum enim sit diuersa scientia ab illis, non debet habere eumdem finem intrinsecum, quem habent illæ. Ad rationem in contrarium, dico: facultatem inseruientem alteri non debere respicere eumdem finem intrinsecum, quem respicit facultas cui famulatur; sed sufficit si finis intrinsecus facultatis, cui seruitur, sit extrinsecus eius, quæ seruit. his adde minorem etiam esse falsam, quia scientia non est nisi recta intellectio: ergo si habet pro obiecto hominem vt rectè intelligentem, habet pro obiecto se ipsam; Loquor autem de scientia actuali. scientiæ igitur actuales vel non habent finem, propriè, vel earum finis est obiectum, quod considerant. Hinc ad confirmationem nego maiorem: logica enim licet, iuuet naturam ad consecutionem sui vltimi finis, non tamen debet habere cum illa eumdem finem adæquatum, sicuti quamuis frænefactoria inuenta sit ad iuuandam equestrem; non tamen habet eumdem finem immediatum, ac illa; sufficit igitur si logica habeat pro fine partem finis naturæ, per quod valde illam iuuat.

26. Hinc reijcio Giattinũ, & alios recẽtiores, qui distinguunt duplex obiectum logicæ, aliud physicum, aliud metaphysicum; physicum docent esse naturam intellectualem rectè intelligentem, ita vt materiale sit natura ipsa rectè intelligens, intellectio autem recta formale: metaphysicum rectam intellectionem, ita vt rectitudo sit obiectum formale, operatio materiale, reijcio, inquam, propter allatas supra rationes.

Distinctio obiecti logicæ in physicũ, & metaphysicũ reijcitur

27. Quæres hic: quid dicendum de illorum opinione, qui docent, obiectum logicæ esse operationem idæalem, quam proponat scientijs imitandam. Sciendum autem est Aristotelem confecisse quemdam syllogismum in materia conficta; quem veluti idæam proposuit imitandum tyronibus, vt ad illius imitationem alios syllogismos conficerent in materia reali: syllogismus autem Aristotelis hic fuit; Omne A. est B. omne C. est A. ergo omne C. est B. Hi igitur docent, hunc syllogismum, & similes operationes idæales, considerari à logica. Mouentur, quia logica est ars instrumentaria inseruiens alijs scientijs: ergo habet pro obiecto idæam, quam illis proponat imitandam: hoc enim modo optimé illis inseruit.

28. Sed contra hunc dicendi modum facit, quia operationes rectæ & veræ sunt dirigibiles per aliqua præcepta, præcepta enim versari possunt circa operationes veras, & ad illas immediatè dirigere: ergo nulla necessitas est vt logica proponat operationes idæales, sed potest immediatè considerare, ac proponere prædicata, & proprietates operationum verarum; & quidem sicuti aliæ artes cum proponunt idæam operis faciendi non intendunt confectionem illius idææ, neque per se illam considerant, sed opus faciendum, ita & logica non intendit confectionem operationis idæalis, neque illam per se considerat, sed ad summum per accidens in ordine ad opera vera.

29. Cæterum in hac re mihi placet doctrina Giat-

Giattioi, qui docet Aristotelem oon intulisse absolutè C. esse B. sed per A; B; C, significasse tres res in confuso, quarum prima expressa per A ideotificaretur cum secuoda expressa per B, & tertia expressa per C, identificaretur, cum prima, vnde benè iofertur, rem significatam per C, esse rem expressam per B. sicuti cum ioferimus homo est animal solum volumus rem significatam per vocem, homo, esse rem significatam per vocem animal, non autem vocem,homo,esse vocem, aoimal; quo posito dico huoc syllogismum, & similes operationes idæales, esse obiectum logicæ: cootineot eoim veram rectitudioem logicam.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum ens rationis sit obiectum logicæ.

1. NOn alia fortasse occasione sufsicimè solet in logica tractari de ente rationis, tum logico, vt dicunt, tum metaphysico,nisi quia Doctissima Thomistarum schola docet in hac facultate obiectum esse ens ratioois, ooo est igitur à præsenti instituto aliena integra de eote rationis tractatio, quo videlicet eius natura cognita possimus tandem definire præseotem de obiecto logicæ quæstionem: distinctionis autem gratia hanc sectionem in plures subsectiones diuidemus: sit igitur.

SVBSECTIO PRIMA.

Definio, & Diuido ens rationis.

Quid, & quotuplex sit ens rationis.

2. ENs ratioois latissimè sumptum est omne opus intellectus, in quo sensu omoe eos creatum est ens rationis: quia omne ens creatum causatur à Deo per intellectum, & uoluntatem. Secundò ens rationis est quodcumque concretum constitutum, & denominatum ab actu intellectus: vt sunt hæc coocreta cognitum, subiectum, prædicatum, & similia: quæ dici soleot secundæ iotentiooes obiectiuæ. Scieodum autem est hoc nomen, intentio, institutum esse ad significandum actum, quo voluntas fertur in finem, translatum tamen fuisse ad significandum non solom actum, sed obiectum iotellectus: cum hoc tamen discrimioe, ut obiectum dicatur iotentio obiectiua, actus autem formalis: vtraque autem intentio tum formalis,tum obiectiua duplex est, prima, & secunda: prima intentio obiectiua est obiectum, quod cognoscitur secundum sua prędicata iotrinseca, & præcisis deoominatiooibus, quas recipit ab actu iotellectus: vt est homo, lapis, & similia: secunda intentio obiectiua, est idem obiectum, pro vt dicit denominatiooem habitam ab actu intellectus, talis est homo cognitus, subiectum, prædicatum & similia: res enim ooo habent ex se esse cognitum, esse subiectum, esse prædicatum, sed ab actu intellectus.

3. Iam verò prima intentio formalis est actus directus intellectus, quo attingitur obiectum secundum sua prædicata intrinseca, quæ habet independenter à cognitione: secunda autem intentio formalis est actus reflexus intellectus tendens in obiectum, quatenus effectum aliqua denomioatione habita per actum intellectus: vt cum cognosco Petrum esse cognitum. Iam vero secunda intentio obiectiua solet appellari ens rationis logicum; ratioois quidem, quia dicit dependentiam ab actu rationis, logicum verò, quia forma, qua res constituitur subiectum, prædicatum, est forma logica, spectaos ad logicam consideratione m.

4. Diuiditur ens rationis logicom io eos rationis porè logicum, quod absolutè dici solet ens rationis logicum,cum videlicet subiectum,quod dependenter à cognitioue denomioatur, est ens realiter existens, vel potens existere: & in ens rationis Logicum impurum, aut etiam metaphysicum, cum videlicet subiectom, quod dependenter à cogoitioue denominatur, oon existit,neque existere potest; sed tantum meote concipi.

5. Ens igitur rationis metaphysicum communiter definitur: Quod habet esse obiectiuè tantùm io intellectu:hoc est esse cognitum. Quare idem erit ens rationis metaphysicum, ac impossibile cognitum, includeos iotrinsecè tum cognitionē, tum ipsum impossibile:particula igitur, taotúm, est exclusiua omnis esse realis,præter esse obiectiuum, & ly, esse, supponit pro esse reali, non pro esse præscindente à reali, & non reali. hanc definitiooem hoc modo explicatam amplector: quia & communis est: facile enim induci non debemus, ad communes definitiones reijciendas; & nihil est quod contra illam obijci valide possit: cum per illam beoè distinguator eos rationis ab omoi non ipso.

6. Quod autem cognitio sit pars iotrinseca illius; probatur: qoia ens rationis oon est purum impossibile; aliter definiri deberet, quod repugnat existere: ergo dicit aliquid aliud præter impossibile: hoc autem non est nisi cognitio: ergo ens rationis formaliter, vt tale, dicit intrinsecè cognitionem.

7. Dices primò:esse obiectiuè in intellectu est cogoosciblitas intrinseca, non cogoitio. Sed cootra:quia esse obiectiuè in iotellectu debet significare aliquod esse reale, sed cognoscibilitas iotriuseca eotis impossibilis non est quid reale: est enim ipsum esse impossibile: ergo cognoscibilitas intrinseca eotis rationis oon est esse obiectiuè in intellectu. maior probatur: si ly esse obiectiuè non significaret esse reale, ens ratioois non haberet esse obiectiuè tantum in intellectu: nam præter cognoscibilitatem intrinsecam haberet etiam alia prędicata ficta, & repugnantia; quod videlicet repugnet esse, quod sit voio hominis cum equo, &c. sicuti homo non benè dicitur habere animalitatem taotum; cum habeat etiam rationalitateoi, quæ instantia vt patet, non potest fieri contra oos, qui limitamus ly esse, ad esse reale: verè enim præter esse obiectum,ooa habet aliud esse reale. Re-

8. Replicabis: hanc cognoscibilitatem intrinsecam non distingui ab esse impossibili, quare non habet aliud prædicatum præter cognoscibilitatem intrinsecam. Sed contra: quia hinc quis posset defendere, ens reale esse quod habet esse obiectiuè tantum in intellectu: quia nullum aliud habet prædicatum præter cognoscibilitatem intrinsecam, omnia enim prædicata illius identificantur cum intrinseca cognoscibilitate; non minus ac per se ens rationis nullum habet aliud prædictum præter esse obiectum, & cognoscibilitatem intrinsecam; quia alia prædicata identificantur cum illa cognoscibilitate. quod si communi definitioni addas particulam, impossibile, dicasque ens rationis est, quod habet esse obiectiuè impossibile tantum, dicis fortasse verum, sed non defendis communem definitionem.

9. Dices iterum, sensum definitionis esse, quod si ens rationis existat, habet esse obiectiuè tantum in intellectu. Sed contra; quia quando dicis, si existat, vel id intelligis de existentia etiam reali, vel solum de intentionali; non primum: quia tunc haberet etiam existentiam realem: si secundum; sensus est, quod quando existit; non habet aliud esse, præter cognitionem: illud autem esse, quod habet res quando est, si illud essentialiter habeat, est illi intrinsecum, sicuti esse quod necessariò habet homo, quando existit spectat ad eius constitutionem. Confirmatur homo antequam existat sicuti non est, ita neque est absolutè animal rationale; & tamen omnes dicunt animal rationale esse intrinsecum & essentiale homini, quia si homo est, necesse est esse animal rationale: ergo etiam in casu nostro; quia quandocumque ens rationis est, debet cognosci, ideo cognosci est prædicatum illi intrinsecum. Duo igitur dicit ens rationis, & esse obiectiuum reale, nempe cognitionem, & ly tantum, quod significat, illud quod cognoscitur, non habere aliud esse reale, sed impossibile, quod denominatur cognitum: & in quocumque statu consideretur dicit essentialiter illa duo, ac in statu quidem actualitatis includit actualem cognitionem, in statu possibilitatis possibilem.

10. Instabis primò, etiam aliæ potentiæ possunt attingere obiectum impossibile: in quo casu daretur ens rationis, & non includeret formaliter cognitionem. Nego in illo casu illud futurum ens rationis, sed vel voluntatis, vel oculi: ratio enim formaliter est intellectus.

11. Vrgebis: si impossibile volitum cognosceretur, non haberet esse obiectiuè tantum in intellectu, sed etiam in alijs potentijs. Respondeo ly tantum, in definitione positum non excludere absolutè ab eo quod denominatur ens rationis, alia prædicata intentionalia extrinseca, sed solùm ab eius constitutione: ad illius enim constitutionem non requiritur aliud prædicatum reale, præter esse cognitum, requiruntur autem alia prædicata impossibilia.

12. Vrgebis iterum: ergo dici potest sensum esse, ad constitutionem entis rationis non requiri alia prædica intrinseca præter cognoscibilitatem intrinsecam. sed contra: quia etiam ens reale habet cognoscibilitatem intrinsecam, & tamen non est ens rationis: quod si recurras ad cognoscibilitatem intrinsecam impossibilem, iam supra impugnatus es. Ob has obiectiones, similesque, non magni momenti, quondam vir quidam doctus ens rationis definiuit: quod habet esse obiectiue tantum in aliqua potentia.

13. Instabis secundò, si mea cognitio expressiua chimeræ poneretur in lapide tunc haberetur ens rationis, & non haberet esse obiectiuè in intellectu. Respondeo, vel tunc non esse adæquatè ens rationis, quod non constituitur per solam cognitionem; sed per illam vnitam intellectui: cognitio enim vnita obijcit rem intellectui: vel tunc illud futurum obiectiuè in meo intellectu, quia ad hoc sufficit si detur mea cognitio attingens obiectum impossibile.

14. Instabis tertio: purè possibile cognitum non est ens rationis; & tamen præter esse obiectiuum, nullum habet esse. nego secundam partē: quia illud esse possibile est aliquis conceptus realis, & ly purè addit carentiam omnis realitatis ergo non verificatur de purè possibili cognito, quod nullum habet esse reale nisi cognosci. vnde patet ly esse, in definitione non sumi rigorosè pro esse positiuo existentiæ, sed largè. pro vt dicit conceptum realem, siue positiuum, siue abusiuum, siue actualem, siue possibilem: & ratio est quia esse obiectiuum, quod includitur, est esse improprium: ergo omne aliud esse, quod excluditur, extenditur etiam ad esse improprium. Contra verò quando dico in hoc gymnasio tantum sunt triginta homines, vox, homines, sumitur propriè: quia non est caput, vnde extendatur ad homines pictos. Aduerto hic quod, ly habet, amplectitur omnem statum non solum actualitatis sed etiam possibilitatis: sicuti in definitionibus ly est extenditur ad omnem statum, & cum dico homo est animal rationale; intelligitur non solùm de homine actuali, sed etiam possibili, quod non habet locum in propositionibus de prædicato accidentali; in quibus ly est significat statum existentiæ; quia prædicata accidentalia non conueniunt subiecto pro omni statu, sed pro statu existentiæ. Illud demum addo, hic non definiri cognitionem impossibilis, sed ens rationis, quod includere cognitionem impossibilis colligitur ex verbis definitionis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Vtrum ens rationis Logicum constituatur per formam fictam.

15. Celebris in hac materia est Thomistarum opinio asserentium prædicati, subiecti, maioris, minoris, & similes denominationes logicas haberi à forma quadam & relatione ficta consurgente in obiecto, ex ipsa cognitione. Hanc sententiam communiter reijciunt Scotistæ, & societatis Doctores paucis exceptis, cum quibus.

Di-

Ens rationis logicum non constituitur per relationem fictam.

16. Dico, has denominationes non haberi à forma, vel relatione ficta, sed à cognitione reali. Probatur, quia sicuti sine vlla relatione ficta cognitio inhærens intellectui denominat obiectum cognitum; ita actus ille iudicij quo dico, Petrus est homo, per seipsum formaliter constituit illorum alterum prædicatum, alterum subiectum.

Denominatio subiecti & similes non sunt intrinsecæ.

17. Obijcies primò: denominatio subiecti, prædicati, & similes sunt intrinsecæ rebus denominatis; sed cognitio non est intrinseca rebus cognitis: ergo cognitio non potest tribuere hanc denominationem. Recurrendum igitur est ad formam fictam. Nego maiorem: sunt enim hæ denominationes extrinsecæ: neque repugnat formam aliquam extrinsecam subiecto illud denominare: & sane Deus denominatur in tempore de nouo producens hominem sine vlla forma sibi intrinseca reali, vel ficta sed à sola productione hominis. Rursus paries denominatur visus, & cognitus, à cognitione, & visione sibi extrinseca, & creaturę omnes denominantur cognitæ à Deo per cognitionem Diuinam, quæ est forma illis extrinseca.

Eadem forma diuersis subiectis tribuit diuersas denominationes

18. Vrgebis: si cognitio apta est ex se dare has denominationes cogniti, subiecti, &c. cur non denominat intellectum cognitum: Respondeo formam aliquam posse diuersis subiectis tribuere diuersos effectus formales iuxta varias illorũ capacitates, cuius rei ratio est, quia denominatio, & effectus formalis non est sola forma, sed vnio etiam, & subiectum; ergo quamuis perseueret eadem forma, si tamen subiecta habeant diuersam capacitatem, poterit cum illis constituere diuersos effectus formales: igitur ab eadem cognitione intellectus non est capax denominari cognitus, sed cognoscens, obiectum autem cognitum, non cognoscens.

19 Obijcies secundò: Iudicium, quo dico Petrus est homo, non est formaliter compositio, est enim simplex qualitas: ergo non est aptum formaliter constituere Petrum subiectum, & hominem prædicatum: illi enim termini constituuntur prædicatum, & subiectum, per compositionem formalem: admittenda igitur est relatio ficta, quæ sit compositio formalis. aliter cur iudicium Diuinum, & Angelicum non est compositiuum, sicuti humanum; cum tam Angelicum, quam humanum sit simplex actus. Distinguo antecedens: non est formaliter compositio physica; concedo: intentionalis; nego antecedens, & consequentiam. Actus iudicij humani quamuis sit simplex qualitas, neque sit physica compositio, quia non vnit partes realiter distinctas ad faciendum totum physicum, est tamen compositio intentionalis; quia reflectit supra conceptus simplices hominis, & Petri, & dum vnum affirmat de alio veluti copulat illos inter se, asseritque obiectum conceptus, seu simplicis apprehensionis, qua exprimitur, homo, conuenire obiecto, quod exprimitur per illum conceptum, rationalis; hoc autem non conuenit iudicio Diuino, & Angelico vt suppono.

20. Instabis primò: cognitio abstractiua semper fingit idolum quoddam loco obiecti, quod abstractiuè cognoscit: ergo cũ hæ prædicationes semper fiant per cognitionem abstractiuam, ferè semper interueniet aliqua fictio. Respondeo nullam esse necessitatem, vt qui abstractiuè aliquid cognoscit; fingat. nam omnis cognitio abstractiua resoluitur in aliquam intuitiuam: species enim, quæ est aliena respectu vnius obiecti, est propria respectu alterius, ac proinde ita causat cognitionem abstractiuam vnius, vt causet etiam intuitiuam alterius: ergo in cognitione abstractiua nulla est necessitas fingendi aliquid, sufficit enim si res abstractiuè cognita, cognoscatur ad modum rei intuitiuè cognitæ, quæ vtique non est idolum fictum.

21. Obijcies secundò: in hac propositione Petrus est cognitus, attingitur aliquod impossibile, nempe identitas Petri cum cognitione. Nego assumptum: solum enim asseritur Petrum identificari cum eo, quod terminat cognitionem.

22. Obijcies tertiò: per puram cognitionem Petrus non potest in hac propositione, Petrus est homo, constitui subiectum, & homo prædicatum, ergo recurrẽdum est ad formam relatiuam fictam: antecedens probatur: quia cum tum Petrus, tum homo cognoscatur, non est ratio cur potius per illam cognitionem Petrus constituatur subiectum, quam homo. Respondeo sicuti cognitio se ipsa est per aduersarios ratio, cur Petrus constituatur fundamentaliter subiectum, & homo prædicatum; ita per me eadem cognitio est ratio cur Petrus potius, quàm homo, sit formaliter subiectum. Ex suo igitur modo tendendi illud iudicium reflectendo supra apprehensiones illas præuias Petrus, & homo constituit Petrum subiectum, hominem prædicatum, quia in conceptu Petri tendit vt in aliquod per se stans, cui intelligitur adiacere conceptus hominis.

23. Eodem modo saluari potest diuersitas inter has propositiones homo est animal rationale, & animal rationale est homo, quia in prima concipitur animal rationale, vt aliquod adiacens, & adueniens conceptui hominis, in secunda autem homo, vt adiacens animali rationali. Video hæc esse difficillima intellectu, sed non est hic locus illa subtilius discutiendi. Cæterum eadem difficultate premuntur aduersarij in sua relatione ficta, eiusque fundamento.

24. Obijcies quarto maior, & minor in syllogismo constituitur per relationes fictas, neque enim apparet quomodo cognitio constituat vnam propositionem maiorem, alteram minorem. Respondeo id non minus difficile explicari per relationes fictas, quam per cognitiones: dico tamen breuiter maiorem non reflectere supra aliud iudicium, minorem verò supra maiorem, vt indicat coniunctio illa, sed: sicuti conclusio reflectit supra vtramque præmissam. de qua re fusius alibi dicam.

25. Obicies quintò: prædicatum refertur ad subiectum, & subiectum ad prædicatum, sed hæc relatio non potest esse forma realis: cum enim

prædicatum & subiectum realiter identifice tur; non potest inter illa esse relatio realis: ergo erit forma ficta: & quidem erit constitutiua subiecti, & prædicati, quia subiectum formaliter, vt subiectum alicuius est subiectum, & prædicatum formaliter alicuius prædicatum est. Distinguo maiorem: prædicatum refertur ad subiectum, & subiectum ad prædicatum intrinsecè; nego: extrinsecè; concedo: & distinguo minorem: hæc relatio extrinseca non potest esse forma realis; nego: intrinseca; concedo; & nego consequentiam in sensu, quem intendit aduersarius. Ipse igitur actus iudicij est relatio extrinseca subiecti ad prædicatum, & prædicati ad subiectum: quia dum reflectit supra conceptum hominis & Petri v. g. illos inter se veluti confert, ac refert Petrum ad hominem, & hominem ad Petrum: ac asserit obiectum vnius esse idem cum obiecto alterius. hinc patet quid sit relatio identitatis, & naturæ vniuersalis ad sua inferiora.

26. Illud hic aduertò primò: nonnullos dixisse in hac propositione, Petrus est homo, Petrum constitui subiectum, hominem verò prædicatum ex conatu voluntatis volentis terminum clarum dici de obscuro. Sed contra vrgeri potest: quia adhuc remanet explicandum, quod sit obiectum huius voluntatis, & quid sit vnum dici de alio: cum non minus concepitus clarus identificetur cum obscuro, quàm obscurus cum claro. quod si ex natura sua terminus clarior est prædicatum superfluè adhibetur conatus voluntatis. Rursus iam non potest terminus obscurus esse prædicatum, neque formari hæc propositio, aliquis homo est Petrus: & iam nulla esset regula conuersionis.

27. Secundò, vt supra innuebam, negari non posse sæpè in concipiendo naturam vniuersalem, prædicando vnum de alio, & similibus operibus, intellectum nostrum fingere aliquam relationem: illud autem negamus huiusmodi fictas formas esse necessarias ad tribuendas allatas denominationes. Tertiò nullum esse absurdum, quod eadem cognitio sit simul subiectio, & prædicatio, sicuti, neque quod idem realiter influxus sit actio & passio.

SVBSECTIO TERTIA.

Vtrum intellectus possit concipere impossibile contradistinctum ab omni ente reali, & formare entia rationis metaphysica?

28. CVm ens rationis metaphysicum ex dictis subsect. 1. sit impossibile cognitu, idem erit formare huiusmodi ens, ac cognoscere impossibile. Quærimus igitur in præsenti vtrum intellectus possit efformare entia rationis metaphysica, attingendo obiectum aliquod impossibile contradistinctum ab ente reali, tum existente extra intellectum, tum intentionaliter existente subiectiuè in intellectu. In qua re duæ sunt præcipuæ opiniones: prima negat intellectum posse ita formare ens rationis, vt attingat aliquod impossibile contradistinctum ab omni ente reali, sed totum & adæquatum obiectum intellectus esse reale: formantur tamen entia rationis: quia intellectus non nunquam modo indebito tendit in obiecta realia: sic cum quis format hoc iudicium: Homo est equus, nihil ex parte obiecti impossibile attingit: format tamen ens rationis: quia modo indebito tendit in hominem, & equum, illos componendo, cum exigant essentialiter diuidi. Obiectum igitur illius actus est homo realis, equus realis, & si vis etiam identitas realis; quam tamen indebito modo tendens intellectus per iudicium affirmatiuum applicat homini, & equo; hanc sententiam defendunt doctissimi nec pauci recentiores cum Pallauicino tracto: de Incarnatione cap. fallor 5. Lynceo lib. 4. m. tract. 1. Comptono & alijs.

29 Secunda opinio satis communis affirmat intellectum posse attingere aliquod obiectum impossibile contradistinctum ab omni ente reali. *Potest cognosci impossibile metaphysicum.* Hæc opinio semper visa est mihi vera, nec facile possum ob quæcumque argumenta in contrarium, ab illa animum diuellere.

30. Probatur autem primò: cognitio attingens obiectum impossibile contradistinctum ab omni ente reali est ipsa impossibilis, & contradistincta ab omni ente reali: sed cognoscitur hæc cognitio: ergo cognoscitur aliquod impossibile contradistinctum ab omni ente reali. *Prima ratio.* Maior huius syllogismi non potest ab aduersarijs negari non destructis eorum principijs: nam si cognitio attingens obiectum impossibile contradistinctum ab omni ente reali non est ipsa impossibilis, & contradistincta ab omni ente reali; ergo conflatum horum prædicatorum, cognitio non quæcumque, sed quæ attingat obiectum impossibile contradistinctum ab omni ente reali est aliquod reale. ergo iam non repugnat cognitio realis attingens aliquod impossibile contradistinctum ab omni ente reali. Minor est satis clara: quia tu negas huiusmodi cognitionem: ergo illam cognoscis.

31. Fuit, qui distinxit prædicatum maioris: est ipsa impossibilis impossibilitate logica; concedo: impossibilitate metaphysica; nego. Sed redit argumentum: cognitio attingens obiectum contradistinctum intrinsecè ab omni ente reali, & impossibile impossibilitate metaphysica est ipsa impossibilis impossibilitate metaphysica, & contradistincta ab omni ente reali. aliter esset ens reale; & consequenter esset possibilis cognitio attingens obiectum impossibile contradistinctum ab omni ente reali: sed hæc cognitio cognoscitur ab aduersario, dum illam negat. Claritatis autem gratia notandum est impossibilitatem logicam esse actum inuerificabilem; impossibilitatem autem metaphysicam esse conceptum cum nullo ente reali identificatum; sed prorsus repugnans. Hoc autem argumentum probat etiam defacto attingi impossibile metaphysicum: quia defacto cognoscitur illa cognitio & eius obiectum: ipsa autem, vel eius obiectum est meta-

metaphysicè impossibilia. Hoc eodem argumento impugnantur, qui dicunt iudicia inuerificabilia esse impossibilia impossibilitate veritatis, non entitatis: nam veritas illa, quam negans dictis actibus, & dicunt esse impossibilem, vel identificatur alicui conceptui reali, vel non? si primū; ergo absolutè possibilis est ea veritas: si secundum; ergo dum negas eam veritatem, iam concipis aliquid contradistinctum ab omni conceptu reali.

Secunda ratio: quia potest cognosci conceptus obiectiuus, cum quo Deus est incompossibilis

32. Probatur secundò vniuersaliter conclusio: defactò cognosco aliquod, cum quo Deus est incompossibilis: ergo defacto cognosco aliquod impossibile contradistinctum ab omni ente reali. Consequentia patet: illud enim, cum quo Deus est incompossibilis, non potest esse nisi impossibile, & contradistinctum ab omni ente reali: omne enim reale, vel est Deus, qui est maximè secum compossibilis, vel creatura à quam cum Deus possit producere, poterit vtique cum illa componi; vel carentia creaturæ, & cum Deus possit non ponere creaturam, poterit vtique componi cum illius carentia. Omne igitur, cum quo Deus est incompossibilis, non est nisi impossibile, & contradistinctum ab omni ente reali. Probo igitur antecedens: ego formo defacto hoc iudicium verissimum: Deus est incompossibilis cum verificatiuo huius propositionis, Deus non est: ergo defacto attingo aliquod, cum quo Deus est incompossibilis: antecedens est certum: consequentia probatur: qui format illud iudicium attingit verificatiuum illius propositionis, cum quo verissimè affirmat Deum esse incompossibilem: sed ego nunc formo illud iudicium: ergo nunc attingo aliquod cum quo Deus est incompossibilis.

33. Dices primò; idem est Deum esse incompossibilem cum verificatiuo huius iudicij, Deus non est, ac Deum esse: sed qui format hanc propositionem, Deus est, non cognoscit aliquod impossibile; ergo qui format illud iudicium non attingit impossibile. Maior probatur: incompossibilitas illa Dei non est, nisi ipsum esse Dei summè necessarium: ergo idem est, Deum esse incompossibilem cum verificatiuo illius propositionis, ac Deum esse. Sed vrgeo: idem est Deum posse producere Petrum, ac Deum esse; Deus enim per suum esse est potentia productiua Petri: sed qui format hoc iudicium, Deus est, non cognoscit Petrum: ergo neque qui affirmat Deum posse producere Petrum, cognoscit Petrum. Rursus idem est Deum esse, ac esse Trinum: Deus enim per suum esse est Trinus: sed qui format hoc iudicium, Deus est, non cognoscit Trinitatem, saltem explicitè: ergo neque qui dicit Deus est Trinus. In forma igitur.

34. Distinguo maiorem: idem est Deum esse incompossibilem cum verificatiuo huius propositionis, Deus non est, ac Deum esse, idem, inquam, quo ad prædicata Deo intrinseca, & realia, quæ veluti in recto, & implicitè importantur in vtraque propositione; concedo: quo ad prædicata Deo extrinseca, & non realia, & explicitè, quamuis in obliquo, significata in illis propositionibus; nego: & data minori; nego consequentiam. Intellectus noster in neutra illarum propositionum attingit adæquatè Deum: quare quamuis in recto in vtraque propositione attingat eamdem Dei indiuisibilem entitatē; nihil tamen prohibet, quin in obliquo attingat aliquid in vna propositione, quod non attingit in alia, vt facile euincunt instantiæ allatæ contra hanc formam argumentandi: mirum igitur non est, si per propositionem à me supra allatam attingatur aliquod impossibile, quod non cognoscitur per illud iudicium, Deus est.

35. Dices secundò: qui format illam propositionem, non attingit nisi obiecta realia: omnes enim termini illius propositionis sunt reales: nam Deus est profectò realis; rursus realis est eius incompossibilitas cum verificatiuo illius propositionis: tertiò esse verificatiuum propositionis, est conceptus ex se realis: demum illa propositio, Deus non est, formaliter ex parte actus dicit tale iudicium intellectus tendens modo indebito, videlicet diuisiuo in duos illos terminos apprehensos, nempe Deum, & esse.

36. Sed contra: quia cognoscitur aliquod cum quo Deus est absolutè incompossibilis, vt patet ex ipso iudicio: affirmo enim, Deum esse incompossibilem cum eo, quod absolutè verificaret hanc propositionem, Deus non est: cum omni enim alio Deus non est absolutè incompossibilis: sed probatum iam est, illud, cum quo Deus est absolutè, & ex suis intrinsecis incompossibilis, non esse aliquod reale: ergo cognoscitur, quod nullum esse reale habet. Hinc nego verificatiuum propositionis esse ex se cōceptum realem; sed præscindit, vt patet consideranti: & verificatiuum huius nostræ non potest, esse, nisi impossibile. Plura in confirmationem huius veritatis afferri possent; sed satis sunt, quæ diximus.

Efformātes propositiones inuerificabiles in materia siue necessaria siue impossibili, attingunt impossibile metaphysicum sicuti & efformantes veras in materia impossibili.

37. Hinc infero primò, efformantem propositiones affirmatiuas inuerificabiles in materia repugnante, qualis fuit propositio Arrij, Verbum est creatura; attingere aliquod impossibile contradistinctum ab omni ente reali: idem dico de propositionibus negatiuis in materia necessaria, vt siquis diceret, Deus non est Trinus, cum enim absolutè non repugnet, vt probauimus, attingi ab intellectu aliquod impossibile contradistinctum ab omni ente reali; iam non est, cur per has propositiones non attingatur identitas, vel distinctio dicto modo impossibilis.

38. Infero secundò: efformantem propositiones veras negatiuas in materia repugnante, attingere obiectum impossibile: vt si quis v. g. diceret, verbum non est creatura. Ratio est: quia, qui huius modi propositiones efformat, aliquid negat: & in casu nostro non negat existere verbum, aut creaturam, sed verbum esse creaturam, seu identificari cum creatura: ergo cognoscit identitatem, quam negat: negari enim, nequit, incognitum. Et confirmatur: qui affirmat, verbum esse creaturam, cognoscit identitatem inter ver-

bum & creaturam : ergo etiam illam cognoscit, qui negat, verbum esse creaturam.

39. *Dices*: potest quis moueri ad illam propositionem negatiuam non à carentia identitatis; sed à distinctione : ergo non est necesse vt cognoscat identitatem. Nego consequentiam: quia, quamuis quis non moueatur ab identitate ad affirmandum, verbum est creatura, sed aliunde, adhuc cognoscit identitatem inter verbum, & creaturam: ergo, quamuis quis non moueatur à carentia identitatis ad dicendum, verbum non est creatura; adhuc poterit cognoscere illam carentiam, & consequenter identitatem: ratio autem est: quia non solum motiuum, sed etiam termini obiecti debent cognosci.

SVBSECTIO QVARTA.

Soluuntur Obiectiones.

40. OBijcies primò: impossibile nullam habet cognoscibilitatem: ergo non potest ab intellectu concipi. Antecedens probatur: impossibile nullum habet esse, ergo nullam habet cognoscibilitatem : cognoscibilitas enim est proprietas entis: ergo quod caret omni esse, caret omni cognoscibilitate. Confirmatur: obiectum intellectus est verum: ergo quod caret omni veritate, non est obiectum intellectus, nec cognosci potest: sed impossibile caret omni veritate: ergo impossibile non est obiectum intellectus. Confirmatur secundò: impossibile non identificat sibi cognoscibilitatem : quod enim neque est neque potest esse, non identificat sibi aliquod prædicatum.

Impossibile metaphysicum habet cognoscibilitatem intrinsecam.

41. Nego antecedens : ad eius probationem distinguo antecedens: impossibile nullum habet esse reale ; concedo: nullum habet esse fictum ; nego : & distinguo consequens: nullam habet cognoscibilitatem realem; concedo: fictam, seu impossibilem; nego. Impossibile sicuti suo modo habet sua prædicata intrinseca, per quæ constituitur, ita habet suam cognoscibilitatem intrinsecam: cognoscibilitas enim intrinseca obiecti non est aliud, quam prædicata intrinseca illius, quæ secundum se terminant aliquam cognitionem. Qui autem cognoscibilitatem intrinsecam hoc modo definiat, difficile impugnari poterit; neque enim ad cognoscibilitatem intrinsecam requiritur vis mouendi, & causandi cognitionem: creaturæ enim sunt ab intrinseco cognoscibiles à Deo; nec tamen secundum veram Theologorum sententiam mouent, aut causant diuinam cognitionem.

Impossibile habet veritatem intentionalem.

42. Ad primam confirmationem, distinguo antecedens: obiectum intellectus est verum reale tantum; nego: reale, vel intentionale; concedo. Verum reale est, quod potest sine vlla contradictione existere: verum intentionale, quod potest terminare aliquem actum verum intellectus: vtrumque autem est obiectum intellectus: iam verò impossibile, quamuis non sit verum primo modo ; est tamen verum secundo modo: potest enim esse obiectum plurium propositionum, quæ non solùm sint veræ, sed etiam necessariæ. Ad secundam confirmationem, dico: impossibile identificare sibi suam intelligibilitatem impossibilem.

43. Instabis si daretur cognoscibilitas intrinseca chimærica, dari posset vis chimærica intrinsecè productiua, & honestas chimærica intrinsecè amabilis: quæ omnia repugnant. Respondeo omnia hæc repugnare: neque enim intrinseca cognoscibilitas chimæræ est, aut esse potest; eadem est ratio de potentia, & honestate chimærica. Cæterum chimæra est intrinsecè cognoscibilis per cognitionem realem: quia eius intrinseca prædicata possunt attingi per cognitionem realem: neque aliud, ne faciam quæstionem de nomine; intelligo per intrinsecam cognoscibilitatem chimæræ. Eadem est ratio de honestate chimærica; si supponas illam posse amari amore aliquo reali, & honesto. At potentiam chimæricam, supponimus, non posse producere per actionem realem: quare non eodem modo est intrinsecè productiua potentia chimærica, ac sit intrinsecè cognoscibilis chimæra: nullum autem puto absurdum, si concipiamus potentiam chimæricam intrinsecè productiuam termini chimærici, per actionem chimæricam. Non negauerim tamen, chimæram, & quodcumque aliud ens cognoscibile, denominari posse extrinsecè cognoscibile à cognitione possibili, & à potentia cognoscitiua: cæterum sicuti cum illa cognoscimus, aliquod attingimus à cognitione distinctum, quod secundum se terminet cognitionem; ita dicuntur habere suo modo cognoscibilitatem intrinsecam.

44. Instabis iterum: ens impossibile habet cognoscibilitatem intrinsecam impossibilem: ergo implicat cognosci. Distinguo antecedens: habet cognoscibilitatem intrinsecam realiter impossibilem; concedo: intentionaliter impossibilem; nego: potest enim dari cognitio terminata ad illud esse intrinsecum, & implicans, quod est illam cognoscibilitatem esse extrinsecè, & intentionaliter possibilem.

45. Instabis tertiò: esse impossibile nō est esse, sed implicantia ipsius esse: ergo cognoscibilitas impossibilis non est cognoscibilitas, sed implicantia cognoscibilitatis. Distinguo antecedens; non est esse, sed implicantia ipsius esse realis, & intrinseci ; concedo: extrinseci, & intentionalis ; nego: & distinguo consequens: cognoscibilitas chimærica est implicantia cognoscibilitatis intrinsecæ, & realis ; concedo: extrinsecæ, & intentionalis ; nego: neque enim illa cognoscibilitas intrinseca est implicantia suæ cognitionis, & potentiæ cognoscitiuæ, quæ est cognoscibilitas extrinseca, & esse intentionale obiecti impossibilis.

45. Instabis quartò: hæc cognoscibilitas intrinseca vel præcedit cognitionem, vel illam subsequitur: non primum, alitèr esset ens reale: omne enim, quod præcedit cognitionem, est ens reale: neque secundum ; non enim, quæres co-

noscitur, est cognoscibilis: sed quia est cognoscibilis, cognoscitur: cognoscibilitas enim est in priori signo ad cognitionem: sicuti prius est, quod res sit possibilis, quàm quod existat. Respondeo impossibile neque præcedere, neque subsequi cognitionem, cum neque causet illam, neque ab illa causetur. Ad illam causalem: quia res est cognoscibilis, cognoscitur; si loquamur de cognoscibilitate intrinseca, dico ly quia non significare causalitatem cognoscibilis in cognitionem: neque enim cognoscibile creatum causat Diuinam cognitionem: sed ad summum independentiam cognoscibilis in genere causæ formalis à cognitione: cognitio enim non confert formaliter obiecto cognoscibilitatem intrinsecã, sed supponit illud esse intrinsecè cognoscibile. Si verò loquamur de cognoscibilitate extrinseca; dico veram esse illam propositionem, ideo cognoscitur, quia est cognoscibilis: quia in priori signo est cognoscibilitas extrinseca, quàm sit cognitio creata: cognoscibilitas enim extrinseca est, vel ad minus includit potentiam cognoscitiuam, quæ, vt pote causa, est in priori signo ad cognitionem, quæ est eius effectus, idem proportionaliter dico de possibilitate.

46. Instabis quintò: si impossibile habet suam intrinsecam cognoscibilitatem contradistinctam à cognitione; ergo habet suam intrinsecam possibilitatem intentionalem: consequens autem est absurdum: ergo. Consequentia probatur: possibilitas intentionalis intrinseca, & intrinseca cognoscibilitas, sunt idem: cognoscibilitas enim est aliqua possibilitas, non realis, ergo intentionalis. Absurditas autem consequentis confirmatur: quia si impossibile haberet suam intrinsecam possibilitatem intentionalem, deberet habere suam actualitatem intrinsecam intentionalem, quod videtur absurdum. Data prima consequentia, nego consequens esse absurdum. Ad rationem in contrarium, nego maiorem: sicuti enim actus secundus, seu esse actuale intentionale correspondens cognoscibilitati intrinsecæ, non debet esse intrinsecum rei cognoscibili; ita neque rei intentionaliter possibili, quæ eadem est, ac res cognoscibilis.

47. Instabis demum sextò: non potest potentia intellectiua chimærica attingere per actum realem obiectum reale: ergo neque obiectum chimæricum attingi potest per actum realem, à potentia reali. Nego consequentiam: quia chimæra non habet nisi esse obiectiuè tantum in intellectu: illa autem potentia chimærica attingens per actum realem obiectum reale non haberet esse obiectiuè tantùm in intellectu; sed exerceret etiam aliud munus reale. His adde cognitionem realem debere esse realiter intrinsecam potentiæ cognoscitiuæ; est enim actus immanens: nullum autem reale potest realiter esse intrinsecum enti chimærico. quæ rationes non militant in obiecto chimærico respectu actus realis.

48. Obijcies secundò: obiectum potentiæ realis debet esse reale: ergo non potest intellectus attingere obiectum impossibile. Antecedens probatur: obiectum potentiæ realis est specificatiuum actuum realium talis potentiæ: sed impossibile non potest specificare actum realem potentiæ realis: ergo non potest esse obiectum potentiæ realis. Minor probatur: quia specificatiuum causat rem specificatam: nullum autem impossibile potest causare actum realem. Nego absolutè maiorem. Ad probationem, dico: specificare esse dare speciem: ideoque propriè loquendo specificare est causare speciem rei specificatæ: dupliciter autem potest intelligi, quod vnum causet speciem: primò intrinsecè, constituendo illam speciem, sic anima specificat intrinsecè hominem, quia constituit intrinsecè speciem humanam. Secundò extrinsecè, causando efficienter, & per suam causalitatem determinando existentiam prædicati specifici effectus: sic supernaturalitas principij specificat actum supernaturalem; quia causat illum efficienter, & causando, est ratio cur effectus producendus sit hic, & in specie entis supernaturalis: impropriè autem dicuntur specificare rem, & actus omnia illa, ad quæ actus dicunt ordinem trascendentalẽ, & sine quibus non possunt intelligi: & quod hoc modo specificat, non est necesse, vt causet actum; sed sufficit, si purè illum terminet & ideo dicitur specificatiuum à posteriori; ad distinctionem specificatiui à priori, quod causat rem specificatam. Hinc distinguo maiorem probationis: obiectum specificat actum à priori tantum; nego: vel à priori, vel à posteriori; concedo: & distinguo minorem: obiectum impossibile non potest specificare à priori actum realem; concedo: à posteriori; nego minorem & consequentiam.

Quomodo im-

possibile specificet actũ intellectus.

49. Obijcies tertiò: intellectus non potest cognoscere animal non cognito rationali: ergo neque potest cognoscere identitatem inter hominem & equum: non minus enim repugnat distinguere identificata, quam identificare distincta. Nego consequentiam: quia si intellectus cognosceret animal, non cognito rationali, de obiecto reali verificarentur prædicata contradictoria, idem videlicet animal reale, realiter cognosceretur, & realiter non cognosceretur. At si cognoscam identitatem inter hominem & equum, non sequitur, quod de obiecto reali verificarentur duo contradictoria; sed solum, quod cognoscerem obiectum implicans duo contradictoria, in quo nullum est absurdum.

50. Obijcies quartò: non potest intellectus cognoscere obiectum, quod si poneretur, includeret, aut traheret duo contradictoria: huiusmodi est obiectum impossibile: ergo non potest intellectus cognoscere obiectum impossibile. minor est certa, quia hæc est essentia obiecti impossibilis: maior probatur: repugnat quod actu verificentur duæ propositiones contradictoriæ: sed si cognosceretur obiectum, quod positum includeret, vel traheret duo contradictoria, actu verificarentur duæ propositiones cõtradictoriæ: ergo non potest cognosci tale obiectum. Maior est certa: minor probatur: quia si cognosceretur obiectum impossibile actu verificaretur, quod

posito hircocaruo, hircus esset hircus; & non esset hircus: sed hircum in eo casu esse hircum, & hircum in eadem suppositione non esse hircum, sunt duo contradictoria: ergo actu verificarentur duo contradictoria. Confirmatur posito hircocerto; hæc propositio hircus est hircus, esset vera; ergo contradictoria, hircus non est hircus esset falsa: veritas enim vnius contradictoriæ per se ipsam falsificat aliam: ergo attingendo hircocerium non attingo obiectum, de quo verificarentur duo contradictoria: ergo nô attingo obiectum impossibile.

51. Sed contra quia siue obiectum impossibile contradistinguatur ab omni ente reali, siue non; semper saluari debet, quod obiectum impossibile inuoluat duo contradictoria: alias probari non posset impossibilitas alterius Dei, & similium, quæ non aliunde probantur, nisi, quia, si ponerentur, verificarentur duæ propositiones contradictoriæ. In forma ergo nego maiorem. Ad probationem, distinguo maiorem: repugnat quod actu absolutè verificentur duo contradictoria; concedo: facta aliqua suppositione impossibili, in qua iam supponuntur existere termini contradictorij; nego: & distinguo minorem: si cognosceretur obiectum, quod includeret, vel traheret contradictionem, de illo verificarentur duæ propositiones contradictoriæ absolutè; nego: facta aliqua suppositione; concedo minorem, & nego consequentiam. absurdum est verificari simul, & absolutè duas propositiones contradictorias, v. g. lux est, lux non est: at facta suppositione impossibili de coëxistentia lucis, & non lucis; nullum nouum absurdum est, verificari illas propositiones; sed tota absurditas esset in suppositione: & si absurdum est illas propositiones simul verificari; id ostendit impossibilitatem suppositionis. Nunc igitur absolutè non verificantur duæ propositiones contradictoriæ, sed cognoscimus, quod in ea suppositione verificarentur, & simul falsificarentur ambæ propositiones contradictoriæ. Hinc patet ad confirmationem: in ea enim suppositione impossibili veritas vnius propositionis falsificaret, & non falsificaret contradictoriam. Vnde distinguo antecedens: in eo casu vera est hæc propositio, hircus est hircus, & non est simul falsa; nego: & est simul falsa; concedo: & eodem modo distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam. In ea enim suppositione veritas vnius contradictoriæ falsificaret, & non falsificaret aliam.

52. Instabis; hæc duo iudicia conditionata; si existit hircocerinus, hircus est hircus; si existit hircocerous, hircus non est hircus; sunt actu absolutè & subiectiuè in mente: sed hæc iudicia sunt contradictoria: ergo de facto absolutè sunt subiectiuè in intellectu duo iudicia contradictoria. Nego minorem: illa enim iudicia sunt simul vera, neque vlla est pugna inter duo iudicia conditionata, quorum vnum ex suppositione impossibili inuoluente vtramque partem contradictionis inferat vnam partem contradictionis, alterum alteram: si enim ex illa suppositione potest sine repugnantia idem iudicium inferre duo contradictoria; multò magis id præstare poterunt duo iudicia. Contradictorium igitur huius iudicij conditionati, si existeret hircocervus, hircus esset hircus; est hoc aliud, si existeret hircocervus, nullo modo verificaretur hircus est hircus, sed tantum hircus non est hircus, quod iudicium est falsum, neque potest coëxistere cum primo.

53. Obijcies quinto: quando formo hanc propositionem, incognoscibile non potest vllo modo cognosci, non cognosco incognoscibile: ergo cum dico, impossibile repugnat, non cognosco impossibile. Antecedens probatur: aliter illa propositio esset falsa, cum incognoscibile iam posset cognosci: sed illa propositio est verissima, vtpote identica. Distinguo antecedens: non cognosco incognoscibile signatè; nego: quia cognosco ignoscibilitatem; & subiectum aliquod affectum incognoscibilitate, præcise vt subiectum illius, non exprimendo alia eius prædicata; quod totum significatur illa voce, & conceptu incognoscibile; exercitè; concedo: quia non cognoscimus determinatè quodnam sit illud subiectum, cui conuenit incognoscibilitas, neque attingimus reliqua eius prædicata. tum nego consequentiam: distinguo autem illam propositionem, incognoscibile non potest cognosci signatè & in suppositione possibili; nego: exercitè & in suppositione impossibili; concedo. Ratio est: quia incognoscibile est conceptus chimæricus includens etiam illam repugnantiam quod sit & non sit incognoscibile: nam absolutè, & in suppositione reali, in qua repugnat, cognoscibile est: de illo enim multos formamus conceptus mentales: sed includit etiam incognoscibilitatem chimæricam; quia si daretur, quæ est suppositio impossibilis, traheret carentiam omnis suæ cognitionis etiam diuinæ. Illa igitur propositio incognoscibile non potest vllo modo cognosci, est identica, si sumatur de posse exercitè cognosci, & in suppositione impossibili; non autem si de signatè, & in suppositione possibili.

54. Vrgebis: ergo impossibile non affert secum duo contradictoriè opposita: si enim poneretur impossibile, iam esse & non esse non contradictoriè opponerentur. Nego sequelam: si enim poneretur impossibile; ponerentur simul termini, qui absolutè sunt incomponibiles, quod sufficit, vt dicantur poni simul duo contradictoria: quamuis, quia simul ponerentur, amitterent ex alio capite conceptum contradictoriorum, & hoc ipsum maximè repugnat; contradictoria videlicet amittere vim contradictoriorum, quod, vt verum fatear, est potius multiplicare repugnantiam, quam auferre: nam ipsum esse, esset, & non esset esse, quia non falsificaret non esse.

55. Obijcies sexto: non potest explicari, vtrum obiectum impossibile formaliter includat, an solum radicaliter trahat, duo contradictoria. Respondeo omne impossibile includere formaliter duo contradictoria: quia ad minus includit hanc contradictionem, quod videlicet, traheret, & non traheret duo contradictoria: quod enim trahit

hit vnum contradictoriorum, tum excludit aliud: ergo impossibile, & traheret duo contradictoria, vt supponimus, & non traheret, dum alterum trahit, quod excludit alterum. Eamdem rationem sub his terminis proponebam. Si darentur hircocerui, hircus esset, & non esset formale exclusiuum sui contradictorij, quæ est aperta contradictio.

56. Obijcies septimo cum Pallauicino *libello de Intuitiatione* cap. 1. Impossibile est terminus inuoluens duo contradictoria: ergo non dicit nisi obiecta realia. Probo consequentiam: contradictoria sunt esse, & non esse lucis v. g. sed esse & non esse lucis sunt realia: ergo impossibile non includit nisi conceptus reales, dum includit esse, & non esse. Respondebis, quamuis esse & non esse sint conceptus reales, simultas tamen illorum est conceptus distinctus ab omni realitate. Sed contra: illa simultas est impossibilis: ergo non includit nisi esse, & non esse, qui sunt termini reales. Respondebis iterum: illud esse, quod includit impossibile, esse chimæricum, quia est esse reale, & est esse non reale, quia non excludit suum contradictorium. Hic igitur conceptus esse non impotens coexistere suo contradictorio, est implicatorius contradistinctus ab omni realitate, includit enim in suo conceptu esse reale, quod simul sit esse non reale: quare non constat ex realitate esse, & realitate non esse seu carentiæ, sed ex esse reali, non reali; qui conceptus est omnino chimæricus.

57. Obijcies octauo: cum intellectus attingit identitatem inter hominem, & equum; vel attingit identitatem inter verum hominem, & equum, vel non inter verum hominem & equum? secundum non facit ad rem: quia fortasse homo non verus, & equus non verus non sunt termini incompossibiles, ac proinde illa identitas non est impossibilis: si primum, ergo non attingit aliquid aliud præter verum hominem, & verum equum: identitas enim inter hominem, & equum non distinguitur ab homine, & equo. Idem argumentum fieri posset in simili casu: nam qui fingit quartam personam in Deo, vel attingit verum Deum, vel non; si secundum; nullum certe est impossibile, quod Deus non verus dicat quatuor Personas: si primum; ergo nihil impossibile attingit: verus enim Deus non est impossibilis.

58. Respondeo, attingere identitatem inter hominem, & equum veros, non veros: nam dum attingit hanc identitatem appingit homini vero prædicatum impossibile, nempe identificabilis cum equo. Ad rationem in contrarium, dico: attingere aliquod aliud prædicatum præter prædicata veri hominis, & veri equi, vt patet. Idem dico de eo, qui cognosceret quartam personam in Trinitate; attingeret videlicet Deum verum, non verum, hoc est cum prædicato repugnante huius veritati.

[illegible] Obijcies nono, cum intellectus attingit identitatem inter hominem, & equum, vel cognoscit repugnantiam, quam habent homo, & equus ad illam identitatem; vel non cognoscit? si primum; iam videt illam vnionem esse repugnantem; ergo non potest illam affirmare: non potest enim intellectus affirmare, quod apparet euidenter falsum: si secundum; ergo non videt terminos repugnantes. Respondeo vtrumque dici posse; & siquidem cognoscat explicitè repugnantiam, poterit apprehendere vnionem, & illam negare: si verò explicitè illam non attingat, poterit etiam per actum falsum affirmare hominem esse equum; vnio autem illa erit impossibilis: quia re vera cognosceretur antecedenter termini repugnantes, quamuis intellectus non cognosceret explicitè repugnantiam. Dixi explicitè, quia certum est repugnantiam implicitè cognosci, dum cognoscitur verus homo, & verus equus, quibus identificatur repugnantia ad identitatem.

60. Obijcies nono: intellectus non potest cognoscere obiectum, cuius nullas habet species; sed nullas habet species entis impossibilis: ergo intellectus non potest cognoscere ens impossibile. Minor probatur: quia intellectus humanus non habet species, nisi receptas dependenter à sensibus: ergo non habet species, nisi rerum sensibilium: sed impossibile non est sensibile: ergo intellectus non habet species obiecti impossibilis. Et confirmatur, quia ex communi proloquio, nihil est in intellectu humano, quod non fuerit in sensu: sed ens impossibile non est in sensu: ergo neque in intellectu.

Terquas species cognoscatur impossibile. [illegible]

61. Data maiori, distinguo minorem: intellectus nullas habet species proprias entis impossibilis, concedo: alienas, nego minorem, & consequentiam: ad probationem minoris, dico: species receptas ab intellectu dependenter à sensibus, quæ sunt propriè aliarum rerum, posse esse alienas respectu impossibilis; sicuti species corporis sunt alienæ respectu Angeli, sed sufficiunt ad illum repræsentandum. Species igitur sunt præcipuè à natura inuentæ ad efformandas rerum repræsentationes: dupliciter autem possunt res repræsentari, primò sicuti sunt, & tunc cognitio dicitur fieri per speciem propriam rei, quia videlicet species illa, à qua dependet in eo casu talis cognitio, ordinatur ad exprimendam rem secundum proprium conceptum, & non per similitudinem ad aliam, & per conceptum ænigmaticum: talis est species albedinis adiuuans oculum ad visionem illius. Secundò potest res repræsentari ad modum, & similitudinem alterius, sic concipimus Deum ad similitudinem creaturæ, & Angelos ad modum corporis: & species adiuuantes huiusmodi cognitionem dicuntur alienæ respectu rei hoc modo cognitæ, quia non sunt causatæ ab ipsa re, neque ordinantur primariò ad exprimendum proprium conceptum illius rei. Igitur impossibile quamuis nequeat primo modo exprimi per species proprias, poterit tamen per alienas: & quia in homine omnis cognitio refunditur tandem in aliquam sensationem, & experientiam; ideo species, siue propriæ, siue alienæ, per quas intellectus concipit res siue possibiles, siue impossibiles, dicuntur receptæ, de-

dependenter à sensibus: & verificatur, nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu aliquo modo saltem remotè.

62. Instabis, species alienæ aptæ repræsentare identitatem fictam inter hominem & equum v.g. sunt species identitatis realis: sed hæ species nō possunt id præstare: ergo. Minor probatur: quia species hæ habent maiorem proportionem cum monte, qui est ens reale, quàm cum illa identitate ficta: sed non sunt aptæ repræsentare montem: ergo neque illam fictam identitatem. Et confirmatur, species identitatis realis non possunt determinare intellectum, ad cognoscendam identitatem impossibilem: ergo non sunt aptæ illam repræsentare. Nego minorem: ad cuius probationem distinguo maiorem: hæ species habent maiorem proportionem quo ad entitatem cum monte, quàm cum identitate ficta; concedo: in repræsentando; nego maiorem: & data minori; nego consequentiam.

63. Vt autem intelligatur modus, quo intellectus vtitur his speciebus realis identitatis ad repræsentandam chimæricam identitatem; sciendum est, intellectum posse determinari ad cognoscendam identitatem impossibilem, vel quia contemplando obiecta realia incomponibilia, deducat identitatem inter illa esse impossibilem; vel quia non cognità clarè repugnantià extremorum, dum illa inter se comparat, putat per errorem, posse identificari; vel quia casu quodam audit, vel legit ea, quæ sine cognitione impossibilis percipi non possunt: quocumque autem ex his modis determinetur, semper attingit per speciem identitatis realis illam impossibilem: sicuti quocumque modo cognoscatur Angelus, semper apprehenditur ad modum, & similitudinem rei corporeæ; non quia intellectus affirmet Angelum esse corpus, aut identitatem illam impossibilem, esse identitatem realem; sed quia, cum non valeat obiecta illa sicuti sunt, & per proprios conceptus exprimere, exprimit imperfectè sub similitudinem aliorum.

64. Species igitur aliena non requiritur in nostro casu, vt determinetur intellectus ad cognoscenda impossibilia, sed ad modum repræsentationis, ita vt determinatus intellectus ex alijs capitibus ad apprehendenda hæc obiecta; cum carcat propria illorum specie, adiungtur aliena, vt illa exprimat ad modum alterius. Verum de modo procedendi nostri intellectus in his cognitionibus fusius alibi. Ex his patet ad confirmationem: cæterum species identitatis possibilis entitatiuè habent maiorem similitudinem cum monte, quam cum chimæra: quia sunt quid reale sicuti est mons: in repræsentando autem habent maiorem proportionem cum identitate ficta, quam cum monte: quia identitas ficta si repræsentanda est, repræsentabitur ad similitudinem realis; mons autem non repræsentatur ad similitudinem identitatis realis.

65. Nolo hic quærere, vtrum semel cognita identitas impossibilia, possit deinde iterum cognosci ex vi speciei rememoratiua, repræsentantis cognitionem præteritam, & eius obiectum sine respectu ad identitatem realem, ad cuius similitudinem apprehendatur. Assererem profectò posse excitari cognitionem impossibilis per speciem illam rememoratiuam, quæ immediatè repræsentaret cognitionem iam præteritam, & veluti mediatè, & indirectè identitatem impossibilem; eamque speciem posse aliquo modo dici propriam impossibilis; quia est determinata ex se ad illud repræsentandum: semper tamen illam identitatem apprehendi ad modum identitatis realis, sicuti Angelus etiam per cognitionem rememoratiuam cognoscitur ad modum corporis, & Deus sub similitudine creaturæ.

Quomodo impossibile repræsentetur per species rememoratiuas.

66. Illud hic aduerto non eodem modo discurrendum esse de apprehensione, ac de iudicio versantibus circa obiecta, quæ ad modum alterius cognoscimus: nam apprehensio illorum est mediata, dum in illis apprehendendis vtimur adminiculo aliorum obiectorum: iudicia autem formaliter immediatè versantur, & sunt de ipsis obiectis, quæ ad modum alterius apprehendimus, & nullo fortasse modo de rebus, ad quarum similitudinem illa cognoscimus: sic cum dico: Deus est ens à se; subiectum propositionis, & prædicatum non sunt, nisi quid increatum, quāuis apprehensum ad modum creaturæ.

67. Obijcies vndecimò: si posset intellectus attingere obiectum contradistinctum ab omni ente reali, posset concipere obiectum, quod neque esset possibile, neque impossibile, quod repugnat. Sequela probatur; potest intellectus formare hoc iudicium: Quod intrinsecè neque est possibile, neque impossibile, non potest à Deo produci: ergo debet cognosci obiectum, quod intrinsecè neque sit possibile, neque impossibile. Nego sequelam: ad cuius probationem, nego consequentiam. Ratio est; quia, qui concipit ens contradistinctum ab omni possibili, & impossibili, concipit aliquod absolutè chimæricū, & impossibile: nam contradistinctum ab omni possibili, & impossibili, esset, & non esset contradistinctum ab omni impossibili: esset, vt concedis; non esset, quia vt contradistinctum ab omni possibili; non esset, nisi conceptus chimæricus: rursus esset, & non esset contradistinctum ab omni possibili: esset vt tu vis; non esset, quia esset contradistictum ab omni impossibili: ergo esset possibile. Eius igitur impossibilitas esset veluti reflexa constans omni possibili & impossibili.

68. Instabis: ergo tunc non concipio aliquod contradistinctum ab omni ente tum possibili, tum impossibili: ergo profero ore, quod mente non concipio. Distinguo primum consequens: non concipio purè contradistinctum ab omni tum possibili tum impossibili, concedo: contradistinctum simul, & non contradistinctum; nego primam, & secundam consequentiam. Totum enim, quod profero ore, mente concipio: sed quod profertur ore, non habet solum prædicatum ore prolatum, sed etiam eius oppositum, quod vtique mente concipitur.

Obij-

69. Objicies duodecimò: qui format hoc iudicium disiunctiuum: vel est duratio hodierna lucis; vel duratio hodierna carentiæ lucis; non concipit aliquid contradistinctum ab illis durationibus: ergo neque, qui format hoc iudicium copulatiuum: & est duratio hodierna lucis; & est duratio hodierna non lucis: actus enim huiusmodi eo tantum modo diuersificari possunt, per diuersum modum tendendi. Ad antecedens dico: qui format illud iudicium saltem implicite concipere incompossibilitatem illarum durationum; & necessitatem ne simul sint, sed vt altera illarum hodie sit: quæ necessitas est quid æternum, & immutabile, contradistinctum ab vtraque duratione: quare absolutè falsum est antecedens assumptum; & à fortiori falsum erit consequens illatum, in quo concipitur compositio chimærica illarum durationum, & compossibilitas opposita necessitati, & incompossibilitati, quæ assumitur in antecedente. Ad rationem in contrarium, nego illa duo iudicia differre non ex parte obiecti, sed tantum ex diuerso modo tendendi. nam permisso, posse duos actus differre purè ex diuerso modo tendendi; certè non est id asserendum, nisi vbi constat de diuersitate actuum, & non potest commodè illis assignari diuersum obiectum: neque verò debemus recurrere ad illos modos tendendi irresolubiles, ac proinde prorsus inintelligibiles, nisi euidenti necessitate coacti: quod non leuiter vrget aduersarios.

Explicatur impossibilitas chimæræ.

70. Objicies decimo tertio: non potest explicari verum impossibilitas sit realis? Respondeo impossibilitatem chimæræ, quæ formaliter excludit tum ipsam chimæram, tum eius possibilitatem, esse conceptum realem necessarium: si enim esset impossibilis, ergo possibilitas chimeræ est realis, & possibilis, ac proinde chimæra est realiter possibilis: si contingens; ergo potest deficere per aduentum chimæræ, & possibilitatis illius: quæ omnia sunt absurda. Chimæra igitur primo est realiter impossibilis realitatè impossibilitatis, non sua, & solùm chimaricè est possibilis. Secundò formaliter, & cōtradictoriè excluditur per carentiam sui necessariam; quæ formaliter est eius impossibilitas. Tertiò hæc impossibilitas, vt fusius suo loco dicam, est ipse Deus.

71. Dices hæc impossibilitas est extrinseca chimæræ, & termino impossibili; quæro: includit chimæra in suo conceptu intrinseco impossibilitatem aliquam intrinsecam? si neges; ergo est intrinsecè possibilis. Præterea, ergo est intrinsecè impossibilis sine intrinseca impossibilitate. si affirmes; hæc profectò intrinseca impossibilitas chimæræ est chimærica, & ipsa chimæra: ergo possibilitas intrinseca chimæræ est realis: si enim impossibilitas intrinseca chimæræ est impossibilis, possibilitas intrinseca contradictoriè opposita impossibilitati erit realis, & possibilis.

72. Respondeo: si rigorosè loqui velimus; impossibilitatem, & possibilitatem esse formas extrinsecas rebus possibilibus, & impossibilibus: sunt enim ipsa Diuina essentia, vt dicam suo loco; dicuntur autem res intrinsecè possibiles, vel intrinsecè impossibiles; quia secundum sua prædicata intrinseca sunt terminus possibilitatis, & impossibilitatis extrinsecæ. Hinc ad argumentum; eligo primam partem. Ad rationem in contrarium; nego chimæram esse intrinsecè possibilem; sed potius est intrinsecè impossibilis: non quia includat intrinsecam aliquam impossibilitatem: sed quia secundum sua intrinseca est terminus impossibilitatis: quare contradictio, quam includit impossibile non est formaliter impossibilitas, sed impossibilis.

73. Ex dictis patet, falsam esse rigorosè loquendo, illam propositionem; quodlibet vel est intrinsecè possibile, vel intrinsecè impossibile: supponit enim possibilitatem esse intrinsecam, quod est falsum. Neque sunt verè contradictoriæ hæ duæ propositiones: Petrus est intrinsecè possibilis, Petrus est intrinsecè impossibilis; quia sunt modales de modo, intrinsecè, & in vtraque affirmatur modus, licet in vna affirmetur res modificata, nempe possibilitas, in altera negetur. Contradictoria igitur illius propositionis, Petrus est intrinsecè possibilis, quæ est absolutè falsa; erit hæc; Petrus non intrinsecè est possibilis; quæ est absolutè vera: sensus enim illius est vel Petrus non est possibilis, vel est extrinsecè possibilis. Idem proportionaliter dico de his propositionibus, hircoceruus est intrinsecè impossibilis, hircoceruus est intrinsecè possibilis: quæ non sunt contradictoriæ, & ambæ sunt falsæ. Illius igitur, hircoceruus est intrinsecè impossibilis, quæ est falsa, contradictoria erit hæc, hircocerutus non est intrinsecè impossibilis, & est vera; sensus enim est, hircocerutus vel non est impossibilis, vel est extrinsecè impossibilis, quæ vltima, rigorosè loquendo, est vera. Hanc doctrinā confirmo sequenti exemplo: hæ propositiones, Petrus est intrinsecè volitus à Deo, Petrus est intrinsecè nolitus à Deo sunt ambæ falsæ, quia sunt modales, & ambæ supponunt modum illum, intrinsecè, qui non inest, ideoque non sunt contradictoriæ. Illi igitur falsæ, Petrus est intrinsecè volitus à Deo, opponitur immediatè illa, Petrus non est intrinsecè volitus à Deo, quæ vera est: eius enim sensus est, Petrus vel non est volitus à Deo, vel est extrinsecè volitus.

74. Objicies decimo quarto obiectū huius propositionis, homo non est equus, est reale; ergo reale est obiectum contradictoriæ homo est equus: propositiones enim contradictoriæ habent idem obiectum: debent enim habere idem prædicatum, & idem subiectum, quod est integrum, & adæquatum obiectum propositionis.

Diuersæ propositiones habent diuersa obiecta.

75. Nego primò antecedens: nam qui format illud iudicium, sicuti negat identitatem obiectiuam & intrinsecam, ita illam cognoscit; quæ vtique chimærica est, & impossibilis. Profectò negare equum de homine, non est negare equum; sed aliquid aliud etiam ex parte obiecti, quod non est aliud, quàm identitas impossibilis: sicuti qui negat de Petro album, vel albedinem, non negat absolutè albedinem, sed vnionem albe-

dinis

dinis cum Petro: ficuti autem fubiectum & prædicatum non eft dumtaxat actus mentis tendens hoc vel illo modo in obiectum, fed etiam ipfum obiectum: ita ly eft, vel non eft; non folum exprimit iudicium compofitiuum vel diuifiuum, aut apprehenfionem præuiam compofitiuam & diuifiuam; fed etiam ipfam compofitionem, & diuifionem obiectiuam: neque aliundè iudicium poteft dici compofitiuum, aut diuifiuum, nifi quia per fuum actum intellectus amplectitur cõpofitionem obiectiuam, vel ab ea fugit. Et confirmatur: quia per actus veros affirmatiuos tendit intellectus in compofitionem obiectiuam veram, eamque amplectitur: per negatiuos veros fugit à compofitione obiectiua, quam apprehendit falfam, & profequitur diuifionem obiectiuam veram, à qua apprehenfa mouetur ad negandum: ficuti enim ad iudicium verum affirmatiuum mouetur intellectus à compofitione obiectiua vera, quam apprehendit: aliter irrationabiliter illam affirmaret; ita ad fugam compofitionis obiectiuæ, & iudicium negatiuum moueri debet à negatione compofitionis veræ, quam apprehendit: ergo etiam per iudicium affirmatiuum falfum intellectus tendit in compofitionem, feu identitatem obiectiuam falfam, & ex illa apprehenfa mouetur ad iudicium illud; & per iudicium negatiuum falfum fugit à vera obiectiua compofitione, motus à diuifione, obiectiua falfa. Confequentia probatur: quia experimur eodem modo nos moueri ad iudicia vera, & falfa. hinc.

76. Secundo patet falfam effe confequentiam: nam, quamuis propofitiones contradictoriæ habeant idem fubiectum, & prædicatum remotum; habent tamen diuerfum prædicatum proximum, & diuerfum motiuum: nam propofitio affirmatiua, homo eft equus, habet pro prædicato proximo identitatem obiectiuam inter hominem, & equum, & eamdem habet pro motiuo; at contradictoria negatiua; homo non eft equus, habet pro prædicato proximo exclufo eamdem identitatem, & faltem implicitè; ac pro motiuo carentiam identitatis.

77. Hinc vrgeo aduerfarios: nam vnum contradictorium obiectiuum reale, & necefsarium, qualis eft Deus, habet excludere fuum contradictorium, cum quo eft incompoffibile: quis enim dicat, Deum non excludere abfolutè non Deum, feu alium Deum; & neceffitatem antecedentem abfolutam, quod homo diftinguatur à non homine, necefsario non excludere fuum contradictorium? eadem eft ratio de fimilibus conceptibus realibus necefsarijs: contradictorium autem, quod excludunt, non poteft efse aliquis modus realis inuerificabilis, quo intellectus tendat in illa obiecta: quia illa obiecta coëxiftunt cum modo illo indebito, & non coëxiftunt cum fuo contradictorio: ergo debet efse aliquod abfolutè intrinfecè impoffibile, quod vtique cognofcitur ab intellectu, dum negatur: ergo iam concipiuntur contradictoria obiectiua, circa quæ verfantur, & in quæ refoluuntur contradictoria formalia: ergo propofitiones contradictoriæ necefsario verfantur circa obiecta diftincta.

78. Obiter addo: benè fortafse pofse aliquem inferre contra aduerfarios, defactò dari hominem equum: quia per aduerfarios homo equus, non eft, nifi homo, equus, & modus concipiendi indebitus: quæ omnia defacto realiter exiftunt, & quamuis non exiftant omnia extra animam; id tamen non fufficit, vt conceptus ille dicatur chimæricus, & abfolutè impoffibilis; ficuti hic conceptus, Petrus cognitus, quamuis non exiftat extra animam; non propterea eft chimæricus, vel impofsibilis.

79. Obijcies decimo quinto: caufa realis non poteft realiter producere effectum chimæricum: ergo neque potentia intellectiua realis realiter cognofcere obiectum chimæricum. Nego confequentiam: quia effectus chimæricus non eft realiter producibilis: at probauimus, obiectum chimæricum efse realiter cognofcibile. Cuius rei ratio vlterior eft: quia potentia caufatiua realis tendit ad dandum efse reale identificatum cũ re caufata: implicat autem efse reale identificari cum effectu chimærico. At potentia intellectiua ordinatur ad dandum efse intentionale, quod licet fit reale, diftinguitur tamen ab obiecto, quod denominat. Sicuti autem quod non eft actu, actu poteft cognofci; quod autem actu caufatur, iam actu exiftit; ita quamuis non poffit caufari, realiter, nifi effectus realiter poffibilis; poterit tamen cognofci realiter, quod realiter repugnat.

80. Iuxta fupradicta: infero primò: hominem pofse concipere impoffibile per omnes tres operationes: multa enim apprehendit impoffibilia, & de illis apprehenfis multa iudicat, & infert. Quin imo non apparet cur Angeli per iudicium faltem verum non attingant impofsibilia. Et de Deo videtur longè probabilius, quod omnes terminos impoffibiles excogitabiles cognofcat perfectiffimè in fua Diuina efsentia, quæ faltem caufaliter eft poffibilitas omnium pofsibilium, & impoffibilitas omnium impofsibilium. Eft ea cognitio intuitiua: quia fuum primarium obiectum, nempe Deum ipfum, intuitiuè comprehendit, & obiectum impofsibile modo perfectifsimo attingit, quo poteft attingi. Nullum eft abfurdum, illa monftra effe in intellectu diuino: non enim funt realiter, & fubiectiuè, fed tantum obiectiuè, & intentionaliter, ideft perfectifsimè cognofcuntur; quod potius eft maxima perfectio.

Intellectus humanus per omnes tres operationes attingit impofsibile.

81. Infero fecundò: intellectum creatum, concipiendo impoffibile, fuo modo efficere ens rationis: quia caufat alteram eius partem nempe cognitionem. At ipfum impofsibile non fit, nifi metaphoricè, dum fit eius fimilitudo, & imago intentionalis, nempe cognitio, quæ eft intentionaliter ipfum impofsibile. Cum igitur intellectus Diuinus non efficiat fuam cognitionem; nullo ex dictis modis efficit ens rationis, aut impofsibile. Quoniam verò fingere, ex communi fenfu, eft vnire incompofsibilia per actum affirmatiuum falfum, nullo modo dici poteft,

Intellectus creatus non diuinus efficit ẽs rationis

quod

quòd Deus cognoscendo impossibilia, fingat. Neque semper intellectus creatus concipiendo impossibilia dicto modo fingit. Vtrum autem aliæ potentiæ præter intellectum possint attingere impossibile, non est magni ponderis, neque præsentis instituti: aliquid fortasse dicam in libris de anima.

82. Duo demum addo: primum est, nullum esse absurdum, Deum aliquid cognoscere, quod non possit efficere. Sicuti non est imperfectio in Deo, quod non possit mentiri: vtrumque enim oritur ex summa perfectione Diuinæ essentiæ dictantis ea obiecta repugnare. Secundum est, Aristotelem 4. *metaph: tex:* 24. asserentem, non posse de eodem simul concipi duo contradictoria; loqui de conceptu, quo intellectus explicitè cognosceret in eodem esse duo contradictoria: idque ob apertam repugnantiam, quam clare cognoscit, quando autem 1. *poster: tex:* 70. affirmat de hirco ceruo, non sciri quid sit, sed quid non sit; primò non negat omnem cognitionem hirco cerui, sed potius supponit aliquam, dum ait sciri de illo, quid non sit: de ignoto enim nihil sciri potest. Secundo solùm voluit, non posse de hircoceruo dari veras demonstrationes, quibus probentur de illo veræ proprietates. Cum quo benè cohæret, quod possit apprehendi, saltem dum de illo multa quæruntur.

SVBSECTIO QVINTA.

Quotuplex sit Ens rationis.

Ens rationis aliud negatiuũ, aliud priuatiuum, aliud relatiuum.

83. ENs rationis, diuiditur primò in priuatiuum, negatiuum, & relatiuum: de qua diuisione fusissimè Suarius *disp.* 44. metaph. *sect.* 3. & sequentibus. Differunt autem priuatio, & negatio, quod priuatio est carentia formæ in subiecto apto eam formam habere: talis est carentia lucis in äere apto illam habere: negatio autem est carentia formæ in subiecto incapaci illius; talis est carentia gratiæ in lapide, qui ineptus est gratiam habere.

84. Sunt igitur nonnulli, qui putant ens rationis priuatiuum, & negatiuum esse priuationes, & negationes reales cognitas; hæ enim re vera nullum aliud habent esse reale præter obiectiuũ, siue actuale, cum actu cognoscuntur, siue possibile, cum possunt cognosci. Verum contra hos vrgeo: quia in allata definitione, ly præter, excludit omne aliud esse reale, præter esse obiectiuum, siue illud esse reale sit proprium, siue sit improprium, & abusiuum: ergo cum illæ carentiæ habeant suum esse abusiuum reale, vt multi putant; de illis non verificatur, quod habeant tantùm esse obiectiuè in intellectu. Antecedens probatur: quia esse obiectiuum non est propriè, & absolutè esse, sed secundum quid: ergo cum excludatur omne aliud esse, non solùm debet intelligi de esse reali proprio, sed de esse in tota sua latitudine, quatenus comprehendit, tum proprium, tum improprium; aliter non verificaretur, quòd non haberet aliud esse.

85. Instabis: qui asserit in aula tantùm esse triginta homines, verum dicit; quamuis præter triginta homines veros, sint alij picti: ergo qui de carentijs dicit illas habere tantùm esse obiectiuè in intellectu, verum dicit, quamuis habeant aliud esse diminutum. Nego consequentiam: quia nomen homo in antecedente supponitur tantùm pro vero homine: neque ex circumstantijs est ratio cur distrahatur ad significatum improprium: at esse in allata definitione iam, vt vidimus, ex circum stantijs ampliatur ad esse improprium.

86. Ens igitur rationis priuatiuum est carentia impossibilis, quam concipio excludere terminum possibilem, & afficere subiectum capax, cum re vera terminus non sit possibilis, neque subiectum capax illius: vt si conciperem in Angelo carentiam identitatis cum Deo amouibilem ab Angelo per aduentum talis identitatis Negatiuum autem est carẽtia impossibilis, quam concipio excludere terminum impossibilem, & à subiecto incapaci, cum re vera terminus possibilis sit, & subiectum capax, vt si quis apprehenderet in homine carentiam identitatis cum animali, & incapacitatem ad illam identitatem Demũ ens rationis relatiuum est relatio ficta, & impossibilis inter terminos illius incapaces; vt cum quis apprehendit: Deum intrinsecè relatum ad creaturas.

87. Videri alicui posset hæc diuisio minus bona: quia non est adæquata: nam præter ens rationis negatiuum, priuatiuum, & relatiuum, datur ens rationis absolutum: si videlicet concipiam aliquod impossibile substantiale, vt esset alter Deus: quod si respondeas etiam in hoc casu haberi ens rationis relatiuum, quia concipitur relatio identitatis inter Deum, & alietatem ab hoc Deo vero; contra est: quia hoc modo omnis chimæra esset relatiua: quia in omni concipitur vel relatio identitatis inter terminos incompossibiles, vel relatio distinctionis inter terminos identificatos. Quare satius fortasse erit dicere, hic assignatas esse tres species entis rationis præcipuas, non autem diuisum esse genus adæquatè in suas omnes species.

Ens rationis aliud habet fundamentum in re, aliud non habet.

88. Secundò diuiditur ens rationis in illud, quod habet fundamentum in re, & in illud, quod non habet tale fundamentum. Diuisio est S. Thomæ apud Suar. cit: Primum est, cum intellectus fingit ens rationis desumpta occasione ex aliqua veritate obiectiua. sic dum intellectus cognoscit Deum verè esse creatorem rerum omnium, cum non possit id concipere, nisi ad modum relationis intrinsecæ; facile eò labitur, vt apprehendat, & iudicet eam relationem intrinsecam ad creaturas inesse Deo: secundum fit cum nulla habita occasione ex parte obiecti intellectus ob suam imperfectionem labitur in propositiones falsas in materia necessaria, vel repugnante.

Aliud simplex aliud cõpositum.

89. Tertiò diuiditur ens rationis, in simplex, & compositum: simplex est cum concipitur aliquod inuoluens contradictionem, ita vt non concipiantur in eo plures partes realiter distingui, aut

aut

aut etiam per intellectum: & tunc concipitur ens rationis metaphyce simplex: quod si concipiatur haberi duas partes tantum per intellectum distinctas; erit metaphysicè quidem compositum, physicè autem simplex. Demum si concipiatur habere partes physicè, & realiter distinctas; erit etiam physicè compositum.

90. Sunt qui putant, nullum concipi posse impossibile simplex. Mouentur, quia quodlibet impossibile inuoluit duo contradictoria etiam formaliter, vt vidimus: ergo quodlibet ens rationis est compositum. Alij verò putant, quodlibet impossibile debere tandem resolui in aliquem conceptum impossibilem omnino simplicem: nam cum dico homo est equus, impossibile non est homo, neque equus, sed identitas inter illos. In illa autem identitate non est impossibile prædicatum genericum identitatis, aliter omnis identitas esset impossibilis: ergo tantùm est impossibile prædicatum differentiale omnino simplex: nam si est compositum redit argumentum de eius partibus.

91. Rem breuiter sic compono: Ens rationis, seu quodlibet impossibile resolui debet in aliquem vnum conceptum, qui semper tamen inuoluat plura prædicata contradictoria: ideoque posse concipi impossibile excludens omnem etiam compositionem, præter hanc contradictionis. Probatur: quia nisi includat hanc compositionem, non est impossibile. Quod autem non debeat includere aliam, probat ratio allata pro secunda sententia. Hinc patet quomodo concipi possit impossibile physicè compositum; si videlicet concipiamus aliquod constans pluribus partibus realiter diuersis, sed incompossibilibus. Metaphysicè autem, si concipiamus aliquod includens plura prædicata realiter indistincta, sed quodlibet incompossibile cum alio. Erit demum ens rationis metaphysicè simplex ille conceptus, qui præter contradictionem non dicit aliam multitudinem conceptuum. Quando autem Aristoteles docet, omnem falsitatem, & fictionem necessariò oriri ex compositione plurium: loquitur de compositione formali, quæ oritur ex actu intellectus falso componente, vel diuidente subiectum, & prædicatum.

SVBSECTIO SEXTA.

Soluitur quæstio principalis, Vtrum ens rationis sit obiectum Logicæ?

92. EX dictis non est difficile, soluere quæstionem, cuius occasione de ente rationis disputauimus.

93. Dico igitur primò: Ens rationis metaphycum sumptum pro impossibili, quod cognoscitur, non esse obiectum logicæ. Probatur: quia logica non considerat per se chimæras, neque ad illarum effectionem ordinat sua præcepta: frustra enim id fieret, cum chimæræ sint infactibiles. Non negauerim tamen multos actus intellectus, quibus aliquid probatur de chymæris, esse obiectum logicæ: quia sunt bona definitio, bona diuisio, bona argumentatio: & quia ens rationis metaphysicum, vt vidimus, dicit duo obiectum impossibile, & actum intellectus; ideo sine vllo absurdo affirmare possumus, aliquod ens rationis metaphysicum inadæquatè ratione formæ, esse obiectum logicæ.

94. Dico secundò, ens rationis logicum inadæquatè sumptum est obiectum logicæ. Probatur; quia etiam ens rationis logicum, seu secunda intentio obiectiua, dicit duo, obiectum, & formam logicam, hoc est bonam definitionem, &c. sed hæc forma logica est obiectum logicæ: ergo altera pars entis rationis logici est obiectum logicæ: quod idem est, ac ens rationis logicum inadæquatè sumptum esse obiectum logicæ. Alia autem pars cum plerumque sint res contradistinctæ à cognitione, non est per se, directè, & specialiter obiectum logicæ; sed ad summum indirectè, vt vidimus.

95. Obijcies primò: definitio ficta est impossibile quid: sed definitio ficta est obiectum logicæ: ergo aliquod impossibile est obiectum logicæ. Minor probatur: quia ad logicum spectat agere de definitione vera: ergo de ficta. Consequentia probatur: quia contrariorum eadem est disciplina. Distinguo maiorem: definitio ficta terminatiuè, quæ videlicet terminetur ad ens impossibile, est quid impossibile; nego: est enim cognitio realis terminata ad impossibile. Formaliter ficta; concedo: & distinguo minorem: definitio formaliter ficta est obiectum logicæ; nego: terminatiuè ficta; concedo minorem: & nego consequentiam. Definitio formaliter ficta non potest cadere sub præcepta logica, cum sit impossibilis. Ad probationem in contrarium dico, illud axioma, Contrariorum eadem est disciplina, si applicatur scientijs practicis, intelligendum esse de contrarijs realibus: impossibile enim, cum non possit esse praxis, non potest cadere sub considerationem practicam. agere igitur de operationibus fictis vel spectat ad physicum agentem de actibus vitalibus, vel ad metaphysicum: nullum enim inconueniens est chimæras cadere sub speculatiuam considerationem.

96. Argumenta autem, quæ affert Quiros, ad probandum logicæ obiectum esse opus artificiosum, siue in materia ficta, siue vera; ad summum probant, logicæ præcepta esse de rectitudine operationum, siue demum hæ operationes versentur circa obiectum reale, siue circa fictum, & impossibile.

97. Dico tertiò: data sententia Thomistarum asserentium, entia rationis logica esse denominationes intrinsecas fictas, habitas per relationes resultantes in obiecta ab actibus intellectus; adhuc obiectum logicæ non esse huiusmodi relationes, & entia rationis: quia illæ relationes necessario resultant positis actibus intellectus: ergo illarum directio non est vtilis: sed totus conatus ad hiberi debet ad dirigendos actus. Et confirmatur paritate aliarum artium, que consi-
de-

dérant opera realia, & non relationes fictas, vel reales inde resultantes. Sic lex, prudentia, scientia moralis, opera realia considerat, non relationes fictas. ratio autem est, quia in ipsis actibus inuenitur rectitudo, & difficultas specialis: ergo actus ipsi sunt obiectum specialis scientiæ, qualis profectò est logica. Confirmatur secundò quia aliæ scientiæ consistunt in veris actibus; logica autem est scientia de alijs scientijs, & ideo vocatur scientia scientiarum: & sane experientia, in qua fundatur ars, habetur de actibus veris, non de fictionibus.

SECTIO OCTAVA.

Variæ logicæ diuisiones.

Logicæ alia actualis alia habitualis.

1. Logica primò alia est actualis, alia habitualis: actualis sunt logicæ præcepta, quibus præscribitur modus perficiendi rectas operationes: habitualis autem est qualitas quædam permanens, acquisita per frequentatos actus logicæ, qua immediatè solum facilitamur ad similia præcepta concipienda: medijs autem præceptis, & eorum directione, ad facilius, & cum minore periculo, conficiendum opus præceptum: ipsa enim præcepta perfectiora, & cum maiori facilitate elicita; negari non potest, quin faciliteut ad opus præceptum, quæ sunt rectæ operationes, & vno verbo, actus omnium scientiarum, ad quos logicæ habitus non physicè, & immediatè concurrit illos eliciendo; sed remotè, ac directiuè dirigendo potentiam: neque verò habitus, &si practicus, debet physicè & immediatè causare suum obiectum, vt per se patet.

2. Hinc quia executio spectat ad aliam facultatem, quàm directiuam; nouillicò, vt aliquis habet facilitatem præcipiendi aliquid, & modum, quo fieri debet; habet etiam facilitatem exequendi: neque verò quia aliquis benè sciat præcepta citharizandi, ideò statim bene pulsabit citharam. Superanda enim est vlterior difficultas orta ex alijs principijs: & in casu nostro qui habet facilitatem concipiendi præcepta logica de syllogismo, & similia; potest difficultatem pati in construendis syllogismis circa materias particulares scientiarum, difficultatem inquam, ortam ex ipsa materia, & superandam per habitum propriarum scientiarum.

3. Secundò diuiditur logica in Naturalem, & Artificialem, de qua diuisione satis supra.

Alia docens alia vtens.

4. Tertiò diuiditur logica in vtentem, & docentem, in qua diuisione varij varia; sed omnia ferè de nomine. Ego olim rem hanc breuiter sic explicabam: logica docens actualis sunt præcepta logicæ, seu cognitiones dictantes, quomodo facienda sint rectæ operationes, habitus verò facilitans ad huiusmodi cognitiones, est logica docens habitualis. Logica vtens actualis est vsus, seu exercitium præceptorum, definitio videlicet, diuisio, discursus; facta iuxta præcepta logicæ. habitus autem facilitans huiusmodi exercitium est logica vtens habitualis. Quia verò ad illud, si fit in materia physica, non solùm concurrit habitus physicæ, illud immediatè producens; sed etiam directiuè, & immediatè per sua præcepta habitus logicæ docentis; ideo habitus logicæ vtentis est tum habitus ille physicæ, à quo elicitiuè procedit illud exercitium, tum habitus logicæ docentis.

5. Absurdum autem videri non debet, quod actus aliarum scientiarum dicantur logica vtens, cum procedant ab illa directiuè: sicuti actus externi imperati à prudentia, dicuntur actus prudentiæ, & calor productus ab igne, potest bene dici vsus ignis.

6. Hinc infero primò contra nonnullos ad facilem. vsum logicæ v. g. ad facile definiendum, diuidendum, &c. in hac vel illa materia præter habitum logicæ, & illius scientiæ, cuius actus est ea definitio, non requiri alium tertium habitum: quia tota difficultas in construenda bona definitione, diuisione, oritur vel ex parte artificij, & dispositionis logicæ, vel ex parte materiæ; prima superatur sufficienter à logica: secunda ab illa scientia, ad quam spectat materia de qua agitur.

7. Infero secundò actum logicæ docentis esse elicitiuè à logica; posse tamen esse logicam vtentem, respectu alterius partis logicæ. v. g. pars logicæ, quæ agit de definitione, præcipit definitionem debere esse clariorem re definita: quod simili discursu probari potest: explicatio debet esse clarior re explicata: definitio est explicatio rei definitæ: ergo debet esse clarior re definita. Iam hic discursus est elicitiuè ab illa parte logicæ, quæ agit de definitione: directiuè autem ab illa, quæ agit, & tradit præcepta rectè discurrendi: est item logica docens præcepta definitionis; sed vtens præceptis discurrēdi & sub hac cōsideratione procedit ab vtroque habitu, vt colligi potest ex dictis. Plura quæ addunt authores in hac materia, spectant ad voces.

8. Dices ad quam facultatem spectat dictamen illud practicum, & vltimum, definitio hominis hic, & nunc ita construenda est? Respondeo illud iudicium supponere præceptum logicæ dirigentis ad bonam definitionis formationem; supponere item exercitium physicæ, quæ directa à logica per præcepta bonæ definitionis indagauit genus, & differentiam vltimam hominis, ac definitionem construxit. Illud igitur iudiciū reflexum dictans, hic, & nunc, ita faciendam esse hominis definitionem, spectat ad sapientiam, vel potius prudentiā quamdam philosophicam, quæ, pro vt exigunt circumstantiæ, imperat scientijs, vt exerceant suos actus: sapientis enim, & prudentis est imperare.

SECTIO NONA.

Vtrum logica sit scientia?

1. Supponο ex alibi dicendis, nomine scientiæ nos hic intelligere actum intellectus,

 seu

seu conclusionem formalem certam, & euidentem deductam per discursum ex principijs certis, & euidentibus: habitus autem inclinans in tales conclusiones est scientia habitualis. Dum igitur inquirimus, verum logica sit scientia, loquimur tum de logica actuali, tum habituali; verum videlicet conclusio formalis logica sit certa, & euidens, deducta ex principijs certis, & euidentibus, & consequenter verum habitus per similium actuum repetitionem acquisitus, & ad alios similes inclinans, sit scientificus.

Logica habet plures aliue scientificos

2. Dico primò: logica habet plures conclusiones scientificas. Est communis, & certa omnium sententia; probatur: quia definitio logica probat multa euidenter ex principijs per se notis, vt patet consideranti eius præcepta, & conclusiones. Et confirmatur quia nisi præcepta, & conclusiones logicæ essent magna ex parte certa, & euidentia, nutaret tota euidentia, & certitudo aliarum scientiarum; quod est absurdissimum. Sequela probatur: quia certitudo aliarum scientiarum magna parte consistit in conformitate illarum ad præcepta logicæ: si enim discursus aliarum scientiarum aberrent à præceptis logicis, corruit eorum euidentia, & certitudo: ergo.

Habet multos probabiles.

3. Dico secundò: logica actualis habet multas conclusiones probabiles. probatur: quia non omnia, quæ logica probat in suis conclusionibus, sunt certa & euidentia: vt patet consideranti.

Logica absolute est scientia.

4. Dico tertiò: absolute loquendo logica est scientia, & eius habitus scientificus; Probatur: quia vt aliqua facultas dicatur absoluté scientia, & eius habitus scientificus, non requiritur, vt omnes eius conclusiones sint certæ, & euidentes; aliter nulla facultas esset absoluté scientia: nulla enim est, quæ plures conclusiones probabiles non contineat.

Logica vtens materialiter sūpta partim est scientia partim non est scientia.

5. Dico quartò: logica vtens actualis materialiter sumpta, hoc est opera illa, quæ fiunt ex directione logicæ; est partim scientia, partim non est sciētia. quia logica vtens hoc modo sumpta est omnis operatio recta conformis præceptis logicæ: sed omnis operatio recta conformis præceptis logicæ, est partim demonstratio, & scientia; partim non est demonstratio, & scientia: aliquæ enim operationes rectæ sunt indicium, aliquæ definitiones, quæ non sunt demonstratio: ergo logica actualis vtens tam demonstrata partim est scientia, partim non est scientia. Dixi logica vtens materialiter sumpta: quia si loquamur de logica vtente formaliter sumpta, quatenus videlicet actus illi conformes præceptis logicæ actu diriguntur à præceptis huius facultatis; dico, si huiusmodi præcepta includuntur in illa directione, logicam vtentem formaliter sumptam esse scientiam, illa enim præcepta sunt conclusiones scientificæ logicæ.

6. Obijcies primò: scientiæ sunt de ijs, quæ sunt talia secundum naturam: obiectum autem logicæ est tale ex nobis: ergo non est obiectum scientiæ: ergo logica non est scientia. Distinguo maiorem: scientiæ sunt de ijs, quæ sunt talia secundum naturam, non à nobis, quo ad prædicata essentialia; concedo: quo ad existentiam; nego; & distinguo minorem: obiectum logicæ est tale à nobis, quo ad existentiam; concedo: quo ad prædicata essentialia; nego minorem, & consequentiam. Ad obiectum enim scientiæ sufficit si habeat sua prædicata essentialia fixa & determinata, ita vt non sit in nostra potestate modò illi tribuere hæc prædicata, modò alia: non autem requiritur, quòd illud obiectum non pendeat à nobis quoad existentiam, aliter nulla scientia daretur de actibus vitalibus.

7. Obijcies secundò: De singularibus non datur scientia: sed obiectum logicæ est singulare: ergo de obiecto logicæ non datur scientia. Distinguo maiorem: de singularibus seorsim sumptis non datur scientia; transeat: cum enim non valeamus vnum singulare ab alio bené discernere; non datur de singularibus scientia; de singularibus, vt conuenientibus in aliquo prædicato; nego maiorem. Quin imo cum obiectum primarium scientiæ sit regulariter reale, & realiter non detur, nisi vel singulare, vel multitudo singularium; obiectum scientiæ non potest esse nisi, vel singulare, vel multitudo singularium: & distinguo minorem; obiectum logicæ est vnum singulare tantum; nego: sunt plura singularia conuenientia in aliquo prædicato communi; concedo minorem, & nego consequentiam. Logicæ, & cuiuscumque facultatis practicæ præcepta non sunt de hoc opere singulari, sed de bona definitione v. g. in communi & applicari possunt, ac dirigere ad omnes definitiones conficiendas.

8. Obijcies tertiò scientiæ sunt de obiecto necessario, & æternæ veritatis: sed obiectum logicæ non est necessarium, neque veritatis æternæ: ergo. Respondeo cognitiones, & præcepta logica esse æternæ veritatis; semper enim verum est definitionem constantem genere & differentia esse bonam. Rursus obiectum scientiæ debet esse necessarium, non quo ad existentiam, sed quo ad connexionem prædicatorum. Hoc igitur modo distincta maiori, & minori; nego consequentiam: necessitas quo ad connexionem prædicatorum in eo sita est, quod hoc obiectum non possit poni nisi cum his prædicatis, quæ necessitas fundat propositiones æternæ veritatis, & hæc nō deficit obiecto logicæ, vt vidimus. Necessitas autem quoad existentiam consistit in eo, quod res non possit non esse: quod non requiritur ad obiectum scientiæ: vt patet.

9. Ex dictis infero: logicam secundùm omnes tres suas partes, analyticam, topicam, & sophisticam esse virtutem intellectualem: quia virtus est dispositio subiecti de perfecto ad optimum, hoc est inclinans subiectum ad actum, quo simpliciter fiat melius, & perfectius: sed logica habitualis secundum omnes has tres partes est talis dispositio: ergo logica secundum omnes has partes est virtus: & quidem intellectualis, cum perficiat intellectum. Minor probatur: quia demonstrationes logicæ tum spectantes ad materiam euidentem, tum ad materiam probabilem, tum ad sophisticam perficiunt intellectum, & reddunt

Logica est virtus intellectualis.

illum

illum melius se habentem, logica autem habitualis inclinat ad illas demonstrationes, & præcepta. Et quamuis malum sit sophismata construere, at scire illorum deformitatem, vt facilius vitentur, est bonum non vulgare.

SECTIO DECIMA.

Vtrum logica sit practica, an speculatiua?

1. ACtus intellectus practicus est, qui iuuat ac dirigit intelligentem ad positionem sui obiecti; huiusmodi enim actus non modo speculatur suum obiectum, sed etiam illud causat. Quod sufficit vt dicatur practicus: & patet in omnibus artibus mechanicis, quarum idea dicitur actus practicus: quia ostendentes opus factibile, & modum quo fieri debet; iuuant artificem ad operationis positionem, & dicuntur proponere obiectum modo operabili. Dupliciter autem potest actus intellectus iuuare & dirigere intelligentem ad sui obiecti positionem; primò veluti remotè, proponendo opus ipsum factibile, & modum, quo fieri potest, & debet; sed non proponendo rationes vtilis & conuenientis, ex quibus proximè moueatur ad exequutionem operis. Secundo etiam proximè, proponendo dictas rationes. Iam verò licet proponere has rationes veluti perficiat rationem actus practici; non tamen essentialiter requiritur ad rationem practici: nam si præcise primo modo proponat obiectum; adhuc actus potest iuuare, & aliquando est necessarius ad positionem sui obiecti, quod sufficit ad rationem practici. Hoc posito.

Quis sit actus practicus.

2. Dico logicam esse habitum practicum. Probatur: quia eius actus sunt actus practici: ergo ipsa est facultas practica. Consequentia est certa; antecedens probatur, quia logicæ actus sunt præcepta de rectis operationibus construendis: hæc autem præcepta esse actus practicos, patet: quia sunt causa sui obiecti dum iuuant, & dirigunt intellectum ad rectas operationes exercendas.

Logica est habitus practicus.

3. Dices cum Quiros *disp. 13. log. sect. 8.* & Mauro *quæst. 13.* logica habet quosdam actus speculatiuos, ergo est scientia speculatiua. Antecedens probatur. Hi actus, syllogismus constat tribus terminis, definitio declarat rem per genus, & differentiam, & similes, sunt speculatiui: sed logica habet hos actus ergo &c. *Maior* probatur: quia illi actus quamuis proponant res operabiles à potentia, non proponunt illas modo operabili, quia non proponunt illas, vt factibiles à cognoscente. Quod inde confirmatur: quia versantur circa opus, ac si illud nullo modo esset operabile à cognoscente: Neque Angelus formans similem conceptum, syllogismus constat tribus terminis, fertur in syllogismum alio modo, ac Homo. Confirmatur præterea: quia nemo ex hac propositione colliget syllogismum esse operabilem ab homine; sicuti nemo ex illa; triangulus constat tribus angulis, colliget triangulum esse factibilem.

4. *Primò consequentia non tenet: nam dato, quod logica habeat aliquos actus speculatiuos, absolutè est scientia practica; quia illa ipsa principia speculatiua ordinatur ad positionem rectarum operationum, quam per se intendit logicus. Secundò nego antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad rationem in contrarium, nego illos actus logicos non proponere illa obiecta modo operabili; ad id enim satis est, vt proponant ea obiecta, & possint iuuare principium intelligens ad positionem illorum; quod abunde habent dicti actus. Ad id, quod additur de Angelo; dico illum saltem implicitè diuersiò modo ferri in syllogismum: nam Angelus cognoscit eam cognitionem esse ineptam, vt ipsum iuuet ad positionem recti syllogismi; at homo si perpendat suum actum, animaduertet se iuuari per illum posse, imò eius auxilio indigere, vt syllogismos sine periculo erroris construat. Igitur huiusmodi actus erunt saltem remotè practici, vlterius complendi modo supra explicato.*

5. His tamen non obstantibus, puto logicam habere aliquas conclusiones purè speculatiuas: nam constructo syllogismo, ad logicam spectat ex suis principijs vniuersalibus demonstrare illum syllogismum esse benè constructum: hæc autem demonstratio est purè speculatiua operis iam positi: quarè principia illa vniuersalia, quamuis sint practica; quia modo dicto iuuant, vt opus logicum rectè fiat; sunt etiam aliquo modo speculatiua, quatenus, ex illis deducuntur conclusiones dictæ purè speculatiuæ. Absolutè tamen logica est facultas practica, sicuti absolutè practicæ sunt artes mechanicæ, quamuis habeant similes actus speculatiuos, quibus opus iā positum declarant esse ex artis præceptis bene constructum.

6. Obijcies primò: logica habet aliquos actus omnino practicos, aliquos remotè tantùm practicos, nonnullos purè speculatiuos: ergo non est vna scientia: non videtur enim quomodo sit vna scientia, quæ habet actus adeo diuersos. Nego consequentiam: nam actus longè inter se diuersos habet mathematica, & tamen est vna scientia. est ergo logica vna scientia, ex vnitate obiecti formalis incomplexi supra explicati. Medicina autem & physica, sunt plures, non vna scientia, quia respiciunt diuersa obiecta formalia incomplexa.

7. Obijcies secundò: cognitio, qua homo cognoscit actum intellectus procedere ab intellectu, non est vllo modo practica: ergo neque illa, qua logica docet syllogismum constare tribus terminis. Nego consequentiam; quia prima cognitio non est instituta, vt iuuet intellectum ad productionem sui actus: neque intellectus vt eliciat suos actus cum maiore facilitate aut cum minore periculo errandi debet inspicere in illam cognitionem, aut ab ea dirigi: secus accidit in secunda cognitione.

8. Obijcies tertiò: cognitio Diuinæ bonitatis est purè speculatiua, & tamen est causa amoris charitatis: ergo quamuis cognitio illa logica iuuet

net positionem operationis rectæ, non propterea erit practica. Distinguo antecedens: est purè speculatiua de bonitate Dei; concedo: de amore; nego. Nam & proponit hunc amorem, dum proponit Dei bonitatem vt dignam summo amore, & ad dictum amorem inclinat: tum nego consequentiam. Obiter hic aduerto verum quidem esse, quod logica habeat pro obiecto actus aliarum scientiarum, ideoque dici scientiarum ianuam: actus tamen aliarum scientiarum ita esse speculationes, vt nihilominus sint praxis; opus videlicet factibile dependenter à præceptis logicæ.

9. Obiicies quartò: ex Aristotele, intellectus fit extensione practicus: ergo per cognitionem practicam debet se extendere ad actus aliarum potentiarum, illosque dirigere: sed cognitio logica non extenditur ad actus aliarum potentiarū, sed tantū versatur circa actus intellectus: ergo cognitio logica non est practica. Nego primā consequentiam: dicitur enim intellectus fieri extensione practicus, quia per cognitionem practicam non purè contemplatur suum obiectum, sed extenditur etiam ad illud causandum: quod æquè verificatur, siue illud obiectum sint actus aliarum potentiarum, siue eiusdem intellectus.

Reiicitur Ternus Niger asserens logicam neque practicā esse, neque speculatiuam.

10. Ex dictis infero primò: male Petrum Nigrum dixisse logicam neque esse practicam, neque speculatiuam; sed neutram: nam scientiam esse practicam, vel speculatiuam, est esse causatiuam, vel non causatiuam sui obiecti, qui sunt termini contradictorij, quorum alter debet verificari. Potuit tamen hic author loqui de logica quo ad illos actus, quos supra diximus neque esse speculatiuos, neque practicos; quos appellare neutros, præcisa vocis insolentia non video quid absurdi contineat.

Quomodo logica est ars

11. Infero secundò: logicam non esse habitum factiuum, hoc est versantem circa materiam externam, & relinquentem opus post se: sed actiuum versantem videlicet circa opus immanens in operante, neque relinquentem opus post se. Vnde vlterius sequitur, si nomine artis intelligimus habitum factiuum, qualis est ars fabrilis, quæ versatur circa ligna, materiam vtique externam, & relinquit opus post se, nempe arcam; logicam non esse artem. Si verò nomine artis intelligamus quemcumque habitum habentem regulas infallibiles ad opus conficiendum, quod vtile sit hominibus; esse artem, vt patet consideranti.

SECTIO VNDECIMA.

De necessitate, & vtilitate Logicæ.

Logica ad aliquid est simpliciter necessaria.

1. AB hac quæstione, quæ lenioris momenti est, breuiter me expediam. Primò igitur logica videtur necessaria ad perficiendum intellectum: habet enim multa acumine plena, & contemplatione digna: ergo si intellectus caret logica, caret aliquo gradu perfectionis, cuius est capax, ergo logica est simpliciter necessaria, vt intellectui gradus ille perfectionis formaliter communicetur.

Non est simpliciter necessaria ad scientias acquirendas.

2. Secundò logica non est simpliciter necessaria ad acquirendas scientias, saltem secundum aliquem gradum imperfectum: nam independenter à præceptis logicis fieri possunt multi syllogismi scientifici, vt patet in rusticis. Quin imo non possunt omnes operationes rectæ procedere à præceptis logicis: nam ipsa præcepta logicæ sunt rectæ operationes; neque possunt omnes, & singulæ procedere à præceptis; aliter abiremus in infinitum in his præceptis reflexis.

3. Dices: omnis actus intellectus circa veritatem creatam, & finitam, pendet ab imperio voluntatis: sicuti omnis actus voluntatis circa bonitatem finitam est liber: voluntas autem ad imperandum debet moueri à præceptis logicis proponentibus actus illius rectitudinem: ergo omnis actus intellectus circa veritatem finitam, quales sunt scientiarum naturalium actus, dependent à præceptis logicis. Nego primò maiorem: quia veritas finita potest euidenter proponi; in quo casu independenter ab imperio voluntatis determinat intellectum ad sui amplexum: at bonitas finita, vt finita semper proponitur admixta aliqua imperfectione repellente voluntatem: quare mirum non est, si non necessitat voluntatem ad sui amplexum. Secundò nego minorem; quia actus intellectus præter rectitudinem logicam propositam per præcepta logicæ, habet multas alias bonitates, quæ proponi possunt per alias cognitiones: quare vt voluntas imperet intellectui suos actus, non necessariò debet dirigi per præcepta logicæ, sed potest dirigi per alias cognitiones proponentes alias bonitates passim obuias. Ex quibus patet, & si omnis actus honestus debeat procedere ab actu prudentiæ, qui debet, vt suppono, procedere à iudicio practico euidenter dictante hic, & nunc honestum esse ita operari; qui est actus prudentiæ; non propterea omnem actum intellectus debere procedere à præceptis logicæ: quia in hoc casu non militat dicta, vel similis ratio.

4. Dices iterum: qui format syllogismum debet necessariò cognoscere bonitatem illationis obiectiuæ, hoc est connexionem antecedentis cum consequenti; aliter irrationabiliter ex vi antecedentis amplecteretur consequens: sed ea cognitio est præceptum logicum; logica enim dat præcepta de medio termino, quomodo videlicet disponi debeat, vt sit connexum cum consequenti, & bene ex illo inferatur consequens, ergo in constructione cuiuslibet syllogismi intercedit necessariò præceptum logicum.

5. Distinguo maiorem, qui format syllogismum debet necessariò cognoscere bonitatem illationis obiectiuæ huius particularis; concedo: in vniuersali, & signatè; nego. & distinguo minorem: illa cognitio connexionis obiectiuæ in particulari est præceptum logicum, nego: cognitio de bonitate illationis in communi, transeat minor, & nego consequentiam,

tiam. Qui format syllogismum, vt rationabiliter procedat, satis est, si cognoscat antecedens, quod occurrit, & assumit v. g. rationale, & connexionem illius cum risibili, v. g. quod infert, quis autem dicat eam cognitionem esse præceptum logicum? At non est necesse, vt prius signatè cognoscat veluti in genere, quod ad formandum syllogismum debeat assumi medios terminus, & ita vel ita disponi cum extremis, vt bene inferatur consequens.

6. Tertiò logica est vtilis, & consequenter secundum quid necessaria ad acquirendas scientias: negari enim nequit; quin hæc præcepta logicæ, dum actu vel habitu existunt, valde facilitent, & iuuent exercitium aliarum scientiarum: faciendo, vt illæ cum minore periculo errandi procedant: hoc autem est logicam esse vtilem, & secundum quid necessariam alijs scientijs præsertim in materijs non ita obuijs. Quod authoritate Laertij, & Augustini, confirmat Quiros.

Logicæ vtilitas.

7. Dices: quamuis S. Augustinus secundo de doctrina Christiana *cap. 31.* loquens de dialectica disciplina dicat *hæc ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sacris sunt penetranda, & dissoluenda, plurimum valet* & *cap. 37. hæc definitionum conclusionum, & distributionum pars plurimum intellectionem iuuat* tamen eodem *l. cap. 37.* addit *Quamquam, plerumque accidat, vt facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas, & spinosissimas disciplinas* quod doctissimus Pater confirmat exemplo eius, qui vult ambulare, & quò melius id præstet, vellet prius considerare omnia, quæ ad ambulationem requiruntur, quo videlicet tutius ambulet: hic autem secundus locus videtur valde oppositus doctrinæ traditæ de necessitate, & vtilitate logicæ: & ita sané dicendum esset de mente Augustini, si ipse hanc disciplinam ex eisdem capitibus non laudasset.

8. Mens igitur S. Doctoris fuit, non esse ita vtilia, & necessaria logicæ præcepta, vt semper sit ad illa inspicienda in singulis operationibus, vt patet ex verbo illo, plerumque: id enim afferret non leue impedimentum, quod bene probat exemplo ambulationis. Cum hoc bene cohæret quod logica præcepta sint maximè vtilia, ad eum finem, vt actus rectos cum maiori certitudine licet non sine labore, exerceamus reflectentes ad præcepta logicæ: eo enim modo post aliquem vsum illorum præceptorum; habitum, & facilitatem acquirimus similes actus cum facilitate, & certitudine ponendi, sine actuali explicita aduertentia ad præcepta, quod afferret non leue impedimentum, si semper esset necessarium His adde logicam iuuare ad conclusionem eliciendam sapienter, ita vt possimus eius rectitudinis rationem reddere, quod sua authoritate confirmat Aristoteles 1. *metaph. cap. 1.* in translatione Fonsecæ, legatur Suar: *disp. 1. met. sect. 5.* & S. Tho: 1. *parte quæst. 1. art. 6.*

9. Ex quo patet logicam esse simpliciter necessariam ad perfectam scientiam; ille enim perfectè scit, qui non solum format bonam demonstrationem; sed etiam potest rationem reddere, cur demonstratio illa sit benè formata, quod est opus logicum. qui autem id ignorat quamuis careat aliqua perfectione scientiæ, adhuc potest absolutè dici sciens; habet enim conclusionem euidentem deductam ex principijs euidentibus cum exclusione omnis dubij in contrarium, quod exercitè experitur.

Logica simpliciter necessaria ad perfectam scientiam.

10. Multa mouet in contrarium Quiros putans illum non habere scientiam: sed facile est ex dictis soluere eius argumenta; quæ in eo fundantur, quòd qui scit, certò scit se scire, quæ videtur propositio per se nota, aliter sciens posset dubitare. Et confirmatur authoritate Aristotelis. Verum non est necesse vt id sciat per actú reflexum distinctum; aliter de certitudine & euidentia huius actus reflexi redibit quæstio; verum de illius rectitudine, & euidentia certificetur intellectus per alium actum, & periculum est procedendi in infinitum.

11. Hinc patet primò, eum, qui habet in se veram demonstrationem, non posse dubitare verum illa sit vera demonstratio; nisi ignoret, quid sit demonstratio: quare qui dubitat verum aliquis syllogismus sit demonstratio, si verè est demonstratio, non habet illum syllogismum in se, & subiectiuè, sed tantum obiectiuè, dum illum considerat. at qui habet in se sophisma, potest per errorem reflexum iudicare illud demonstrationem: quare discrimen inter demonstrationem, & sophisma est, quia sophisma non certificat per se ipsum de veritate, ideoque cum illo bené componi potest dubium; quod non verificatur de demonstratione: quid quid sit, quod sophisma posse apparere, per errorem vera demonstratio.

12. Secundò eum, qui habet demonstrationem esse non solum certum de veritate obiectiua; sed etiam veluti implicitè habere certitudinem, & euidentiam de rectitudine formæ, quia si post factam demonstrationem reflectat ad illam, & ad præcepta logicæ euidenter deprehendet illam esse in bona forma logica.

13. Tertiò Aristotelem 1. *poster: cap. 2.* asserentem *Scire vnumquemque rem simpliciter, sed non vt sophistam per accidens, arbitramur, cum causam ob quam res est, illius causam esse, & nō posse, vt res aliter se habeat, cognoscere arbitramur* non contradicere allatæ doctrinæ: potest enim qui scientificè procedit scire rem ex causa, sine vlla reflexione ad præcepta logica.

14. Cæterum vt logica sit modo dicto vtilis, & necessaria, non est necesse, vt ipsa eliciat omnes actus scientiarum, & omnem difficultatem superet, sed satis est, vt modo dicto illas dirigat ad rectè procedendum; sicuti ars equestris non causat physicé, & immediatè equitationem, sed pure dirigit equitem. Et confirmatur aliter nulla esset necessitas habituum aliarum scientiarum.

15. Demū addo supradicta intelligenda esse de præceptis logicæ secundum se, sine demum quis illas præceptiones adinuenerit sua industria, & ductu

ductu quodam naturæ, siue dependenter à magisterio alterius. Si autem speciallier loqoamur de logica artificiali, quatenus videlicet, acquiritur depeodenter à magisterio alterios; dico illam facilius acquiri, & cum mioori periculo: attamen semel acqoisita æquè, ac oaturalis coodueit ad bonam coofectionem operis logici, & iuuat reliquas scientias.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Identitate, & Distinctione Rerum.

HÆc disputatio, si spectes materiam illius, est potius metaphysica; si finem; ad quem in primis conducit, noo est à præsenti instituto aliena: maximè enim facit ad cognosceodam naturam vniuersalis, de quò iufra diceodum est. Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit identitar, & distinctio realis?

1. CErtum videtur, ea quæ realiter cooueniunt io omoibus prædicatis, esse realiter idem; & eam conuenieotiam aptissimè dici identitatem. At quia ex fide constat, aliqua esse realiter idem, quæ tameo oon conueniunt in omnibus prædicatis realibus: vt in Diuinis, Paternitas est realiter idem, ac oatura; & tamen habent prædicata aliqua opposita: Paternitas enim non communicatur filio, cui communoicatur oatura: & ideo Paternitas non est cnmmunis tribus persoois, sicuti est Natura Diuina; grauis est difficultas in explicando conceptu ideotitatis, qui applicari possit omnibus identitatibus, & inueniatur io omnibus, quæ, inter se comparata, suot idem.

Conceptus identitatis per se notus.

2. Vt autem, quid in hac re sentio, aperiam; primò identitas mihi videtur esse ex illis conceptibus primis, quorum essentiæ supponuntur cogoitæ ante quamlibet quæstiooem: sicuti sunt conceptus entis, & similes: & sane dum quærimus quid sit ideotitas, iam supponitur cognitus cooceptus identitatis: quærimos enim, quid sit illud, cum quo ideotificatur essentialiter conceptus identitatis, ergo iam cognoscimus quid sit ideotificari: & quidem explicitè: aliter ooo possemus quærere prædicata, quæ sibi ideotificet ideotitas.

3. Secundò certum esse debet; qoando dicimos duos conceptus identificari, illos non suppooeodos esse duos simpliciter, aliter diceremus repugnantia, repugnat enim conceptus simpliciter, absoluteque, idest realiter duos, esse realiter vnum, & idem. Duos igitur conceptus, seu prædicata ideotificari, est, ea, quæ diuersis cognitionibus imperfectis à oobis exprimuntur, oon esse duo, sed realiter vnum.

4. Tertiò, ad identitatem non requiri hanc diuersitatem metaphysicam, seu logicam coonceptuum realium; nam si datur conceptus aliquis logicè, vel metaphysicè simplex, hic profectò est idem secum ipso, & quidem perfectios, vel saltem æquè perfectè, ac cum alio qualibet sibi ideotificato. Quio imo hæc ideotitas, quam secum habet conceptus omnino simplex, & nobis per se innotescit, est fortasse meosura identitatis realis cooceptuum logicè, aut metaphysicè plurium.

Potest clarius explicari.

5. Quartò, quamois conceptus ideotitatis sit per se notus, illom tamen posse vlterios explicari, imo debere assignari regulam aliquam, ex qua possimus cognoscere vtrum inter hæc, vel illa prædicata intercedat identitas. cum præsertim identitas saluari possit sioe conueoientia adæquata prædicatorum, vt patet io mysterio Trinitatis, quæ res reddit oegotium valde dubium, & obscurum. Ratio est, quia conceptus primi, & per se noti, cum oon cognoscnntur omoimoda claritate, & perfectione, relioquuot locum iouestigandi clariorem sui notitiam a posteriori, vel alijs vijs, quamuis hæc ipsa ioquisitio supponat illorum notitiam aliqualiter claram, & euidentem: quod laudabiliter io alijs per se notis, & in hoc, de quo loquimur, fecerunt viri docti, assignantes multas proprietates, & effectus, ac signa, vnde clariùs innotescat ipse conceptus, & io casibus particularibus decidi possit verum illud prædicatum sit io hac, vel illa re. his positis.

Primum dictum.

6. Dico primò: ea esse idem, quorum vnum potest de alio in recto, & vere affirmari, quæ explicatio conuenit omoibus, quæ sunt idem, cooeeptus enim expressus per verbum substantiuum suum, es, est, signum est identitatis eorum, quorum vnum in recto dicitur de alio. Quæ igitur ita se habeot, vt possint terminare dictum iudicium affirmatiuum verum, suot idem, & identitas est ratio illa obiectiua fundans tale iudicium.

Secundū dictum. quid est duo distingui.

7. Dico secundò: ea distingui, quorum voum in recto potest negari de alio per actum verum. Probatur: quia conceptus expressus per verbum, est significat identitatem illorum, quorum vnum in recto verè dicitur de alio: ergo cooceptus negatiuus verus expressus per, non est, significat illorum distinctioné, quorū vnum in recto de alio negatur Hæc videntur certa. Illud valde dubium: quid videlicet sit illud, propter quod voum de alio in recto potest affirmari, vel negari; hoc enim idem est, ac ideotitas, & est fortasse ignotius quid, conceptu expresso per hoc nomen identitas.

Fundamentum iudicij affirmatiui veri seu identitas.

8. Dico tamen tertiò: fundamentum iudicij affirmatiui veri, seu ideotitas obiectiua potest non iocoogruenter vlteriùs explicari per summam, & perfectissimam communicationem duorum in suo geoere. Soppono autem in cooceptu etiam metaphysicè simplici, includi formalissimè, & explicatissimé conceptum identitatis: io eo enim conceptu est exclusio omnis moltitudinis, & summa vnitas: imò hæc voitas, ac ideotitas conceptus simplicissimi nobis notissima potest esse regula identitatis plurium cooceptuum

ioter

inter se. Quo posito probatur conclusio: omnis vnitas duorum est aliqua illorum communicatio; & è contra, omnis duorum communicatio est aliqua illorum vnitas: ergo summa, & perfectissima communicatio est summa, & perfectissima vnitas: sed identitas perfecta duorum, ratione cuius vnum potest in recto dici, quod sit aliud, est summo vnitas: ergo identitas duorum est summa, & perfectissima communicatio duorum in suo genere. Sed quid est summa, & perfectissima duorum communicatio, qui terminus est fortasse obscurior identitate?

9. Respondeo, tunc duos conceptus summè, & perfectissimè communicari inter se; quando tantumdem alter eorum communicatur sibi ipsi, quantum communicatur alteri: tunc enim sicuti est idem secum, ita & cum altero, cui aque ac sibi communicatur. Verum redit molesta quæstio, quid est vnum conceptum tantumdem sibi communicari, quantum communicatur alteri, aut vnde id probandum est? Certè hic conceptus videtur obscurior ipsa identitate, & potius ex identitate aliunde nota probari potest ille conceptus, quàm identitas ex illo. Sed responderi posset; vnum conceptum tantumdem communicari alteri, quantum communicatur sibi, esse, duos conceptus ita sibi mutuo communicare suas perfectiones, vt tantum perfectionis, & æstimabilitatis sit in alterutro, quantum est in vtroque. Idem dico de imperfectione, & contemptibilitate: qui termini videntur satis per se noti, nec vlterius explicabiles.

10. Probandum tamen nunc est, eum conceptum esse summam communicationem, & consequenter identitatem: quod facile præsto. Summa, & perfectissima communicatio est, qua maior excogitari nequit: sed communicatio, qua aliquis conceptus tantumdem communicatur alteri, quantum communicatur sibi, est, qua maior excogitari inter illa nequit: ergo est summa, & perfectissima communicatio in suo genere. Minor probatur: quia communicatio, qua quis se sibi communicat, & est vnum, est in suo genere, qua maior excogitari nequit, vt patet: ergo cum quid tantumdem alteri, quantum sibi communicatur; illi communicatur communicatione, qua maior in eo genere excogitari nequit.

11. Hinc infero ea, quæ non sunt hac modo vnum, nec sibi se perfectissimè, ac summè communicant, realiter distingui.

Quid sit definitio essentialis. 12. Illud obiter hic notandum cum Pallauicino est, definitionem essentialem traditam per prædicata prima, & essentialia, non necessariò esse in omni sensu clariorem re definita: quia non quilibet terminus, per quem traditur, debet esse clarior re definita: semper tamen præbero conceptum pleniorem, & distinctiorem, quàm sit conceptus vulgaris rei: ostendit enim plura prædicata illius, quæ veluti implicata latent in vulgari conceptu, & ex illo colliguntur, cum magis penetratur, & propter hanc maiorem plenitudinem, & distinctionem benè etiam de definitione essentiali verificari potest, quod sit clarior re definita. Quare allata à nobis explicatio identitatis, quamuis (do id nunc aduersarijs) non sit clarior, & notior ipsa identitate; potest adhuc esse vtilis ad melius dignoscendam identitatis essentiam.

13. Obijcies primò: Nunc absolute verum est Petrum esse album; & tamen ly est non significat identitatem inter subiectum nempe Petrum, & prædicatum, nempe albedinem: ergo fundamentum propositionis veræ affirmatiuæ non est identitas extremorum. Distinguo consequens: non est identitas extremorum, si vnum in recto affirmatur de alio; nego: si non affirmatur in recto; concedo consequentiam: nos enim conceptum identitatis non constituimus in fundamento propositionis affirmatiuæ vere vtcumque, sed si vnum in recto verè affirmatur de alio. Iam cum dico Petrus est albus, albedo non affirmatur in recto de Petro, sed in obliquo: neque verbum, est, sumitur substantiuè ad explicandam substantiam Petri, sed adiectiuè ad explicandum aliquod, quod adiacet Petro, & ipsam adiacentiam.

14. Obijcies secundò: illa propositio, alius mundus non existit, est vera; & tamen non potest significare distinctionem alius mundi à sua existentia: alius enim mundus non distinguitur à sua existentia: ergo propositio negatiua vera non est indicium distinctionis subiecti à prædicato. Distinguo consequens si, ly non est, sumatur substantiuè; nego consequentiam. Si sumatur adiectiuè; concedo consequentiam: nam sicuti ly, est, substantiuè sumptum, cum videlicet in recto vnum dicitur esse aliud, significat identitatem inter illa; ita cum sumitur substantiuè ly, non est, significat distinctionem illorum: In casu autem allato in antecedente ly, non existit, sumitur adiectiuè: sensus enim illius propositionis est conceptus ille obiectiuus, qui correspondat huic voci, & apprehensioni, alius mundus, non habet in se existentiam exercitam, quod idem est, ac absolutè non est ad quod nulla requiritur distinctio inter alium mundum, & eius existentiam; quare puto absolutè falsam illam, alius mundus non est sua existentia.

15. Obijcies tertio: hæc propositio, Deus non est volens alium mundum, vera est; & tamen non significat distinctionem Dei à voluntate, qua viliturus esset alium mundum: ergo. Respondeo eodem modo, quo secundæ obiectioni: nimirum, ly, non est, non sumi substantiuè, sed adiectiuè; sensus enim est, Deus non habet voluntatem, qua vult alium mundum, seu non habet denominationem, qua velit alium mundum. Cæterum si sensus sit, Deus non est volitio alterius mundi falsa erit propositio: Deus enim per suum esse est volitio omnium volibilium, & nolitio omnium nolibilium, quamuis non necessariò sit volens omne volibile, & nolens omne nolibile. Ob eandem rationem essentia diuina est generatio actiua, est generatio passiua: quia ly est sumitur substantiuè ad significandam identitatem inter rectum, & rectum; at eadem diuina essentia

non est generans filium, neque genita à Patre: quia ly, est, sumitur adiectiue ad significandum munus generandi, quod repugnat naturæ. Verum de his summis difficultatibus fusius suo loco, deo dante, dicam 1. *par.*

Identitas, & summa communicatio stat cum discrepantia in aliquo prædicato.

16. Obijcies quartò; quæ non communicant in omnibus prædicatis, nō summè communicant: sed aliqua, quæ sunt idem, non communicant in omnibus prædicatis: ergo aliqua, quæ sunt idem, non summè, & perfectissimè se sibi mutuò communicant: ergo summa, & perfectissima communicatio non est prædicatum essentiale identitatis: *Maior probatur:* magis communicant, quæ communicant etiam in omnibus prædicatis, quam quæ hoc modo non communicant: ergo non summè se sibi mutuò communicant, quæ non communicant sibi sua omnia prædicata. Minor principalis argumenti probatur: in mysterio Trinitatis: Natura enim diuina, & Paternitas sunt realiter idem, & tamen non communicant sibi omnia prædicata, quæ habent: nam Pater est incommunicabilis ulio, Natura communicabilis: Pater generat, Natura non generat; & sic de similibus.

17. Distinguo maiorem; quæ non communicant in omnibus prædicatis, non summè communicant; si realiter sint summè perfecta; nego: sin minus; transeat maior & distinguo minorem: sed aliqua, quæ sunt idem, & non sunt summè perfecta, non communicant in omnibus prædicatis; nego: & sunt summè perfecta; concedo minorem, & nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo antecedens: magis communicant, quæ communicant in omnibus prædicatis, quam quæ non communicant; si sint entia imperfecta, & creata, transeat: sin minus; nego antecedens: & distincto pariter consequenti, nego consequentiam. Hæc responsio supponit in creaturis repugnare identitatem, & summam duorū conceptuum communicationem cum discrepantia in prædicatis: in Deo autem benè cum ea discrepantia componi perfectissimam, & summam communicationem: quod est profundissimum indiuiduæ Trinitatis arcanum. Velle autem à creaturis arguere ad Deum, vel à Deo ad creaturas ex paritate, vel identitate rationis, est satis insulsus procedendi modus: cum inter Deum, & creaturas sit infinita, & incomprehensibilis distantia. De vtroque hoc puncto agā in tractatu de Deo, in quo est proprius huius difficultatis locus. Nunc tantum breuiter, ne logicæ terminos plus æquò transgrediar, afferam nonnulla, ex quibus aliquo modo intelligi possit, quod in Deo ob summam eius perfectionem benè componi possit summa, & perfectissima duorum conceptuum identitas, & communicatio cum aliqua discrepantia in prædicatis.

18. Et quidem ea discrepantia in prædicatis, ratione cuius natura est in Deo communis, Paternitas non est communis, natura non generatur, Filius generatur, & similia; non impedit quò minus communicatio, qua natura communicatur Paternitati, & Filiationi, &c. sit formaliter diuina: ergo non impedit quominus sit formaliter perfectissima in genere communicationis, includens in eo genere omnem perfectionē, & excludens omnem imperfectionem: ergo non impedit quominus sit summa communicatio. Quod inde vlterius confirmatur, quia omne prædicatum eleuatum ad esse diuinum euadit formaliter summum in suo genere; nec nisi summa est diuina bonitas, diuina sapientia, diuina potentia, &c.

19. Confirmatur: ea discrepantia non impedit, quó minus tantum perfectionis, & æstimabilitatis sit in natura diuina, quantum in Deo Patre: nam tum natura diuina est summè perfecta, & ipsa summa perfectio; tum Pater est summè perfectus, & ipsa summa perfectio: ergo non impedit, quo minus natura diuina tantum se sibi, quantùm se Patri communicet: ergo non impedit quóminus sicuti se summè sibi communicat, ita & Patri. Quin imo, quamuis ea communicatione natura diuina non communicet Patri prædicata diuina formaliter omnia (non enim illi formaliter communicat filiationem, aut spirationem passiuam) communicat tamen eminenter omnia, quia communicat se ipsam, quæ est eminenter omnia. Neque vlla est repugnantia ex parte personarum, vt quælibet persona sit eminenter omnia prædicata diuina: illud enim, quod repugnat formaliter personæ diuinæ, est, vt communicetur formaliter, & immediatè alteri personæ diuinæ, & sit idem cum illa; non autem, vt ratione identitatis cum natura sit eminenter omnia prædicata diuina. Si igitur, quæ se sibi mutuò communicant immediatè, & formaliter proprios conceptus, & conueniunt formaliter in omnibus prædicatis, sunt identificata identitate quadam veluti logica fundante easdem vtriusque extremi prædicationes, vt accidit in creaturis; à fortiori conceptus, qui mutuò se sibi immediatè, & perfectissimè communicant, cum conuenientia eminentiali in omnibus prædicatis, sunt vnus, & idem conceptus realis identitate supra explicata longè perfectiori, quæ benè dici potest metaphysica.

20. Non potest autem natura communicare Patri filiationem, quia cum Pater sit principium reale filiationis, repugnat, vt illi immediatè communicetur secundum proprium conceptum, secundum quem est principium Filij, à Filio vtique distinctum. Vnde quamuis Pater sit summa perfectio, & summa perfectio sit Filius; tamen cum Pater secundum proprium conceptum paternitatis non communicetur Filio ad denominandum Filium Patrem, neque Filius secundum proprium conceptum communicetur Patri ad hoc vt Pater denominetur Filius; sed potius Pater det esse Filio producendo filiationem, & Filius sit à Patre, quod non verificatur de natura comparata cum personis; ideò quamuis natura identificetur cum personalitatibus, & personalitates cum natura; personę tamen secundum proprium conceptum inter se realiter distinguntur.

Ex

21. Ex quibus benè quis infert, repugnare identitatem creatam cum discrepantia reali in prædicatis: quia illa, vtpotè identitas esset summa communicatio, & non esset summa communicatio: quia non esset summa communicatio, & identitas logica propter discrepantiam in prædicatis: neque metaphysica, quia non esset communicatio diuina, & summò perfecta. Verùm id nunc attigisse sit satis.

22. Dices primò: cur verbum assumens humanitatem, quam infinitè perficit, nō identificatur humanitati? Respondeo, quia non absolutè se summè illi communicat: illa enim communicatio est creata defectibilis, temporalis, multas inuoluens imperfectiones: neque formaliter per eam vnionem humanitas constituitur omnis perfectio excludens omnem imperfectionem: neque tantumdem perfectionis est in Verbo, ac in concreto ex Verbo, & humanitate vnita: nam Verbum nullam dicit imperfectionem: at cōcretū illud multas dicit imperfectiones humanitatis, & vnionis, quæ non communicantur Verbo.

23. Dices secundò: in diuinis, natura se sibi summè cōmunicat non solùm metaphysicè, idest communicatione increata; sed etiam logicè; neque enim formaliter discrepat à se ipsa in prædicatis; at Patri se summè communicat tantùm metaphysicè, non logicè: ergo natura diuina magis se sibi, quā Patri cōmunicat: vtraque enim cōmunicatio simul est quid maius in genere cōmunicationis, quā sola communicatio metaphysicè summa: ergo natura diuina non summè se communicat Patri, & paternitati, & tamen identificatur cū Patre, & paternitate: ergo de ratione identitatis, non est summa communicatio.

24. Concesso antecedente; nego consequentiam. Ad rationem in contrarium, nego in Deo vtramque summam communicationem esse quid maius in genere communicationis, quàm sit cōmunicatio dumtaxat metaphysicè summa: quia hæc ita est summa, vt in genere communicationis includat omnem perfectionem, & excludat omnem imperfectionem, quo concepta nihil maius dari potest in eo genere: neque si huic metaphysicæ addatur identitas logica, fit perfectior communicatio, sed ea communicatio metaphysicè summa extenditur ad plura. Sicuti non est perfectior Deitas in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quàm in solo Patre, quamuis per identitatem cum tribus personis magis extendatur Deitas, quàm per identitatem cum solo Patre. En exemplum quamuis ex creatis, non fortasse ineptum. Si Rex statuat, vt eumdem valorem habeat moneta signata sua imagine, ac signata imagine sua, & Reginæ simul; in ordine ad valorem augendum materialiter se habet, quod moneta signata sit imagine sua dumtaxat; vel sua simul, & Reginæ: eodem modo in casu nostro materialiter se habet quoad augendam perfectionem communicationis, & identitatis, quod sit summa logicè simul & metaphysicè, cum præcisè esse metaphysicè summam includat in hoc genere omnem perfectionem.

25. Duo hic noto, primò me loquutum esse de distinctione, & identitate reali rebus intrinseca. Secundò me hic supponere ex 1. *par.* in Deo conceptus obiectiuos identificatos discrepare in prędicatis, quod est ipsissimum Trinitatis mysterium: verum autem hæc identitas metaphysica immixta distinctioni logicæ, seu discrepātiæ reali prædicatorum dicēda sit distinctio virtualis, vel eminentialis, est quæstio de nomine. Illud fixum sit ex dicendis in loco, identitatem hanc mixtam distinctioni repugnare in creaturis.

26. Ex his patet quid dicendum sit de aliorum sententijs circa conceptum identitatis, & distinctionis realis; quæ multæ, & variæ sunt: cū enim ego positiuè probauerim meam sententiā; si aliorum sententiæ tales sunt, vt contradicant meæ, iam satis impugnatæ sunt; si autem in meā relabuntur, non est cur illas recenseam: cum præsertim passim occurrant apud Authores.

SECTIO SECVNDA.

Per quid realiter distinguantur, quæ realiter distinguuntur?

1. Vidimus sectione præcedente, quid sit essentialitèr, ac veluti metaphysicè identitas, quid realis distinctio: videndū nūc est, quid physicè sit; positiuum, vel negatiuum? & si quidem loquamur de identitate inter conceptus positiuos, certum videtur, esse quid positiuum: identitas enim inter conceptus positiuos non est quid diuersum ab ipsis conceptibus positiuis. Et ob eandem rationem, si fingamus conceptus purè negatiuos inter se suo modo identificari, ea identitas non erit, nisi negatiuum quid. At si sermo sit de distinctione conceptuum negatiuorum inter se, vel à conceptu positiuo; dicendum est eam esse negatiuum quid: alitér si Deus nihil creasset (in quo casu per Authores, qui huiusmodi carentias admittunt, fuissent innumeræ huiusmodi carentiæ, vtique inter se distinctæ) debuissent existere positiua illa, per quæ distinguerentur dictæ carentię, quod est absurdissimum. Rursus si dantur huiusmodi carentiæ, debent per se ipsas distingui; sicuti, ne procedamus in infinitum, per se ipsas á reliquis distinguuntur carentiæ superadditæ, & distinctiuæ. Hæc sunt certa. Illud dubium, verum res positiuæ realitèr distinctæ distinguantur per aliquod superadditum positiuum, vel negatiuum, vel per proprias entitates?

2. Dico res positiuas creatas per suum esse positiuum limitatum inter se, & a Deo distingui. *Res positiuę creatæ distinguuntur per suū esse positiuū limitatū* Probatur: quælibet res creata sicuti per se ipsam essentialiter est ens limitatum, ita essentialiter per se ipsam habet nō includere perfectionem diuinam, & perfectionem aliarum rerum: ergo per se ipsam essentialiter non est Deus, aut quælibet alia res: aliter non per se ipsam essentialiter nō includeret perfectionem diuinam, & aliarum rerum; ergo per se ipsam, & per suum

esse limitatum distinguitur à Deo, & á qualibet alia re: distingui enim ab alio est, non esse illud. Igitur res quælibet positiua creata, sicuti præciso quocumque positiuo, aut carentia superaddita est se ipsa limitatum ens; ita se ipsa distinguitur à Deo, & à qualibet alia creatura.

3. Obijcies primò: Petrum distingui à Paulo, est Petrum non esse Paulum: ergo Petrum distingui à Paulo est negatio, seu conceptus negatiuus: ergo non est ipsum esse limitatum Petri. Prima consequentia probatur: quia Petrum non esse Paulum, est negatio. Distinguo primum consequens; est negatio logica, idest fundans iudicium negatiuum; concedo: physica, contradistincta ab esse positiuo limitato Petri; nego. Non est autem necesse, vt omne iudicium negatiuum verum fundetur in aliqua physica, & pura negatione; sed satis est si fundetur in conceptu obiectiuo incompossibili cum alio.

4. Obijcies secundò: esse limitatum Petri est non purum esse, sicuti est esse illimitatum Dei; sed est esse includens innumeras penè carentias: ex sua enim limitatione excludit esse diuinum, esse Angeli, &c. ergo Petrus distinguitur à Deo, & à reliquis creaturis per carentias. Distinguo antecedens. Est esse includens innumeras carentias physicas à se contradistinctas; nego: logicas sibi identificatas, & fundentes innumera iudicia negatiua possibilia; concedo: & distinguo consequens; Ergo Petrus distinguitur à Deo, & reliquis creaturis per carentias physicas; nego: logicas; concedo: illæ autem carentiæ logicæ sunt ipsum esse limitatum. Vbi obiter noto, esse limitatum Petri essentialiter partim esse, & partim, imò partibus longè pluribus, non esse. est enim esse Petri, & non includit esse Pauli, &c. Quare á Deo, qui est ipsum esse, & tota plenitudo essendi, formaliter Petrus distinguitur præcisè per non esse: totum enim esse Petri, tota eius perfectio inuenitur in Deo seclusis imperfectionibus. Ex quo sequitur, quod Deus distinguitur à creaturis per esse, quod non includitur in creaturis. Attamen si Petrus comparetur cum reliquis creaturis, probabile satis est distingui formaliter ab illis partim per esse; includit enim aliquam perfectionem, quæ in alijs non includitur; partim per non esse; quia videlicet nullius alterius creaturæ omnes perfectiones includit; quod hic indicasse sufficiat.

5. Obijcies tertiò: distinctio Petri à Paulo est conceptus necessarius, & indefecibilis: neque enim accidere potest, vt Petrus, & Paulus non distinguantur: esse limitatum Petri, est contingens: accidere enim potest, vt non sit esse limitatum Petri: ergo esse limitatum Petri non est distinctio Petri à Paulo. Nego maiorem: ad rationem in contrarium distinguo; non potest accidere vt Petrus, & Paulus iam existentes non distinguantur; concedo: hoc autem arguit non necessitatem absolutam; sed ex suppositione: non potest accidere vt non existant, & nunc non distinguantur; nego. Verum quidem est, esse necessitatem absolutè existentem in se, sed conditionatam, vt ita dicam, ex suo modo tendendi, ratione cuius indefectibiliter verificatur, quod si Petrus, & Paulus existant, debeant distingui: cum quo benè cohæret, quod quando non existunt, sicuti absolutè non sunt, ita neque absolutè distinguantur; sicuti identitas animalis rationalis est quid absolutè contingens, sicuti absolutè contingens est homo, & ipsum animal rationale, quod est illa ipsissima illorum identitas; & tamen est necessitas absolutè existens, (quam non expectamus) ratione cuius, si animal rationale existunt in homine necessario debent identificari. Huiusmodi necessitates, & similes conceptus identificantur cum Deo, qui sua altissima sapientia ex sua essentia, tanquam ex prima rerum quidditate in se ipso format hæc, & similia dictamina, quæ sunt æternæ veritates, & rerum essentiæ essentialiter æternæ apud S. Thomam, & eius discipulos valdè celebres, & mihi veræ, de quibus suo loco fusiùs.

6. Obijcies quartò: identitas inter Petrū, & Paulum est absolutè impossibilis: ergo distinctio est necessaria: ergo non potest identificari cum esse limitato Petri, quod contingens est. Prima consequentia probatur: exclusiuum formale chimeræ debet esse necessarium; sed identitas illa est chimera; & distinctio est exclusiuum formale talis identitatis: ergo, &c. Nego primam consequentiam: ad probationem nego secundam partem minoris. Exclusiuum formale necessarium illius identitatis fictæ, est necessitas ne sit talis identitas supra explicata: & est ipse Deus. Distinctio autem realis, & esse limitatum Petri excludit formaliter suum contradictorium, quod est non Petrus, seu carentia esse limitati Petri. Quare deficiente Petro habetur carentia cōtingens Petri, carentia contingēs distinctionis realis Petri ab omni alio; & exclusiuum necessarium identitatis illius impossibilis.

7. Ex his patet contradictoriam huius, Petrus distinguitur á Paulo, formaliter non esse hanc, Petrus identificatur cum Paulo; sed illam, Petrus non distinguitur a Paulo; quæ rigorosè loquendo est in materia contingenti, & potest verificari: sensus enim absolutus illius est, Petrus non est distinctus à Paulo, ad quam verificādam satis est, si Petrus non existat, quià tunc non existit distinctio Petri à Paulo. Quod si prima propositio, Petrus distinguitur á Paulo, sumatur quidditatiuè, & in sensu conditionato, videlicet, si est, distinguitur à Paulo; est in materia necessaria, & formaliter exprimit necessitatem dictam absolutè existentem, sed conditionatè dictantem, quod si Petrus est, distinguitur á Paulo: Et in hoc sensu hæc propositio, Petrus distinguitur à Paulo, contradicit illi, Petrus idētificatur cum Paulo: quia exprimit formaliter dictam necessitatem contradictoriè oppositam illi identitati fictæ: cui tamen contradictoriè nō opponitur distinctio realis Petri, & Pauli, quæ vtpotè contingens cessat aliquando; etiamsi non aduenia identitas ficta: ergo formale exclusiuum,

siuum, & contradictorium huius distinctionis non est illa identitas ficta. Vbi nam conceptus obiectiuos formaliter contradictorios esse conceptus ita inter se essentialiter incompossibiles, vt neuter possit cessare, nisi per aduentum alterius; vt patet in luce, & carentia lucis: siue demum illi conceptus sint ambo positiui; vt sunt volitio, & nolitio efficaces Dei circa eandem rem, & sub eisdem circumstantijs: siue vnus positiuus, alter negatiuus. *Ex* quo sequitur iudicia contradictoria, quamuis resolui debeant in obiecta contradictoria, non esse tamen necessarium vt vnum illorum resoluatur in veram, & physicam negationem, alterum in esse positiuum; cum præsertim multi putent, repugnare illas puras negationes; & in creatis quodlibet ens includat formaliter longè plus de non esse, quàm de esse. Demum ex dictis apertè concluditur, distinctionem realem vnius entis creati ab alio non esse puram carentiam superadditam, neque superadditum modum positiuum, quin imò neque carentiam illam, aut illum modum sequi ad esse limitatum rei iam distinctæ.

SECTIO TERTIA.

Quotuplex sit identitas, & distinctio.

1. AFferam præcipuas diuisiones identitatis, & distinctionis. Non examinabo autem realitatem singularum, sed tantùm nonnullarum, quæ magis faciunt ad logicum institutum.

2. Primò igitur distinctio realis, alia est adæquata; inter extrema, quorum neutrum includit aliud, vt sunt in homine, anima, & corpus: & quæ hoc modo distinguuntur, dicuntur contradistingui. Alia inadæquata; inter totum, & partem, quorum primum includit secundam, & aliquid aliud: sic homo distinguitur ab anima, prætet quam includit etiam corpus. Hæc inadæquata distinctio potest dici inadæquata identitas.

Distinctio realis alia adæquata, alia inadæquata.

3. Secundò distinctio realis vel est inter rem, & rem; & dicitur absolutè realis: vel inter rem, & modum; & dicitur modalis. Comparantur vt res, & res, quorum neutrum est actuale exercitium alterius, quamuis vnum sit inseparabile, & impotens existere sine alio: sic creatura est res respectu Dei, quia quamuis sit à Deo inseparabilis, & nequeat sine illo existere, non tamen necessariò est actuale exercitium Dei: non enim omnis creatura est actio Dei, &c. Modus igitur erit entitas ita affixa alteri, sine quo nequeat existere; vt sit actuale exercitium illius, vt sunt actio, vnio, vbicatio, &c. ea igitur distinguuntur modaliter, seu tamquam modus à re, quæ ita comparantur cum alio, sine quo nequeunt existere; vt sint illius actuale exercitium: talis est sessio respectu sedentis, qua & exercetur potentia sedendi, & quæ nequit existere sine sedente.

Distinctio alia realis, alia modalis.

4. Quare ad modum non sufficit inseparabilitas: aliter omnes creaturæ essent modi Dei. Neque ad rationem modi, requiritur quod sit actualis informatio rei modificatæ: nam actio est modus agentis, nec informat agens. Neque secundò requiritur, quòd modus sit formalis determinatio alicuius indifferentis: nam actio est modus causæ necessariæ proximè potentis operari, nec tamen hæc causa est indifferens ad operandum.

5. Tertio distinctio alia est absolutè realis, alia licet intrinseca est æquiualenter realis, seu vt communiter loquuntur virtualis. Prima est inter conceptus reales absolutè distinctos: secunda est inter conceptus reales realiter identificatos, sed qui intrinsecè, hoc est præcisa quacumque fictione, aut cognitione intellectus præscindentis, discrepant in prædicatis. Hanc admittunt nonnulli in Deo, inter essentiam, & personalitates: nam licet essentia, & personalitas Patris v.g. sint perfectissimè idem; tamen essentia est terminus communis, personalitas est terminus particularis, & incommunicabilis ad intra. Ex quibus inferes duplicem proportionaliter esse identitatem, alteram excludentem omnem distinctionem, dicentem conuenientiam in omnibus prædicatis; & illam supra appellabam identitatem logicam. Alteram, quæ non excludit distinctionem virtualem, quam dicebam metaphysicam. Illud hic addo hanc distinctionem virtualem intrinsecam longè distare à distinctione alia virtuali, & per æquiualentiam, ratione cuius ens aliquod ratione suæ perfectionis æquiualeat pluribus imperfectioribus: hæc enim non necessariò dicit, quod identificata discrepent in prædicatis.

Alia realis, alia virtualis.

6. De hac distinctione virtuali nonnulla supra tetigi, dum agebam de concepto identitatis *sect.* 1. Quærere autem vtrum possibilis sit, vel detur huiusmodi distinctio virtualis in Deo, vel creaturis, spectat ad Theologos: totum enim fundamentum quærendi est, quod nos docet fides de profundissimo Trinitatis mysterio. Suppono nunc ex dicendis 1. *parte* in Deo omnino admittendam esse identitatem cum dicta discrepantia in prædicatis; in creaturis omninò repugnare.

7. Quartò Maurus *quæst.* 30. admittit triplicē identitatem, aliam physicam sitam in summa inseparabilitate, aliam metaphysicam perfectissimæ communicationis, aliam logicam quoad omnia prædicata: de secundo, & tertio membro huius diuisionis multa dixi *sect.* 1. Primum membrum non placet: quia illa inseparabilitas stat cum perfecta distinctione reali, ratione cuius dici potest, quod vnum non sit aliud; vt patet in diuinis personalitatibus: & in creatis si conceptus inseparabiles discrepant in prædicatis intrinsecis, absolutè dici potest, & in recto, quod vnus non sit alius. Ac demum hæc identitas accedit proximè ad distinctionem Scoti ex natura rei formalem, quam iam propono, & discutiam fusius *sect. seq.*

reijcitur idētitas summæ inseparabilitatis.

8. Quintò igitur Scotus præter distinctionem rationis, admittit intrinsecam in rebus ipsis duplicem distinctionem, quam vtramque appellat ex natura rei; sed alteram ex natura rei realem,

Alia ex natura rei realis.

quæ

Alia ex natura rei formalis. quæ nimirùm habetur inter realitates vel separabiles absolutè, vel quarum vna est principium reale alterius; Alteram ex natura rei formalem, cum videlicet conceptus illi non sunt diuersæ realitates, sed sunt intrinsecè diuersæ formalitates: hoc autem accidit, si duo illi conceptus sint inseparabiles, nec vnum sit principium reale alterius, sed tamen diuersa definitione, demonstratione, reduplicatione, exclusione afficiantur: tales sunt gradus superiores, & inferiores, quos metaphysicos appellāt, in eodem supposito v.g. in eodem Petro; animalitas enim Petri, & eiusdem rationalitas sunt realiter identificatę, vt pote inseparabiles, & quarum neutra est principium alterius, sed eadem generatione generantur, eadem corruptione corrumpuntur; formaliter tamen intrinsecè distinguuntur, quia diuersa definitione definiuntur, aliquid demonstratur de vna, quod de alia non demonstratur, &c.

Alia realis, rationis alia. 9. Sextò demum, omissis alijs, quæ hic dici possent; distinctio alia est realis, idest nec ficta, & impossibilis, nec habita formaliter per actus intellectus: alia rationis, idest vel ficta, & impossibilis, quæ multiplex excogitari posset, sed tædet in his tricis immorari, quæ nullius ferè sunt vtilitatis, vel habita formalitèr per actum intellectus. Multipliciter autem accidere potest, vt intellectus formaliter per suos actus distinguat.

Distinctio rationis multiplex. 10. Primò si ea, quæ sunt realiter distincta, distinctè apprehendat, non confundendo illa inter se: confusio enim est quędam velutì identitas intentionalis, de qua fusiùs infra. Secundò si per suum actum intellectus inadæquatè, inadæquatione se tenente ex parte ipsius actus tendat in obiectum: quia nimirùm licet actus ille attingat totum obiectum secundum omnia prædicata illius, & inter se identificata, non attingit tamen omnia perfectè, & clarè: quia non attingit in ordine ad omnes effectus, sed in ordine ad hos, non illos; vt si attingat hominem vt principium sentiendi, & non vt principium discurrendi; dicitur inadæquatè attingere hominem, non quia non attingat aliquid cum homine identificatum, sed quia totum hominem attingit per ordinem ad sensationem, & per actum, quo valeat illum distinguere à non animalibus, non autem à reliquis animalibus, quòd est attingere hominem sub conceptu animalis, & non sub conceptu rationalis. Attingeret autem illum sub conceptu rationalis, si cognitione clariore totum hominē attingeret, vt principium discursus, & actu, quo illum posset distinguere à reliquis animalibus. Hic nulla intercedit diuersitas ex parte obiecti directi, sed diuersitas tota est in actibus, & ad summum etiam ex parte obiecti indirectè, & obliquorum, sensationis videlicet, & discursus, qui realiter distinguuntur.

11. Sunt autem illi actus distincti, tum quia partialiter attingere est distinguere: sed per huiusmodi actus res partialiter attingitur: ergo distinguitur. Tum quia obiectum vt cognitum his diuersis modis apparet multiplicatum, & velutì à se ipso diuersum: neque enim est prorsus idem homo conceptus cōceptu animalis, ac conceptu rationalis; sicuti conceptus formalis animalis non est conceptus formalis rationalis.

Quid sit distinctio, seu præcisio obiectiua. 12. Tertiò fingi potest quod intellectus circa idem indiuisibile obiectum inadæquatè versetur inadæquatione se tenente ex parte obiecti directi, ita vt per suum actum imperfectum intellectus attingat intrinsecum prædicatum animalis Petri, & non attingat intrinsecum prædicatum rationalis eiusdem Petri identificatum realiter cum prædicato intrinseco animalis. Et hæc est illa præcisio obiectiua, de qua acerrimè pugnatum est inter Philosophos, & quam fusè infra discutiam; sicuti prima distinctio dicitur communiter præcisio ex parte actus.

SECTIO QVARTA.

Vtrum in creatis possit admitti præcisio obiectiua?

1 QVærimus in præsenti vtrum in creatis prædicata realiter identificata præscindi per intellectum possint non solùm ex parte actus; sed etiam ex parte obiecti modo supra explicato.

Repugnat in creatuis præcisio obiectiua. 2. Dico: prædicata creata realiter identificata cum per intellectum distinguuntur, non præscinduntur, nec præscindi possunt ex parte obiecti, sed tantùm ex parte actus. Est conclusio valdè frequens apud recentiores tum in libris editis, tum in manuscriptis, quā ex antiquis defendunt omnes Nominales, nec desunt, qui pro illa stare putent S. Thom. adductis ad id eius locis, nec paucis, nec planè dubijs. Sed quidquid sit de authoritate, de qua nolo hic contendere.

3. Probatur ratione nostrum dictum: realiter identificata suscipere prędicata contradictoria repugnat in creatis: suppono enim repugnare in creatis distinctionem virtualem, & identitatem cum discrepantia in prædicatis: sed identificata præscindi ex parte obiecti, est realiter identificata suscipere prædicata contradictoria: ergo identificata præscindi ex parte obiecti repugnat in creatis. Minor probatur: quia præscindi ex parte obiecti est vnum ex prædicatis identificatis cognosci, alterum non cognosci; cognosci autem, & non cognosci non sunt minùs contradictoria, quàm esse, & non esse, produci, & non produci: & sanè hæc arguerent etiam prædicata intrinseca; nam si vnum ex prædicatis intrinsecis est cognitum: ergo habet capacitatem intrinsecam, vt constituatur cognitum per hanc cognitionem: si aliud non est cognitum; est intrinsecè incapax, vt constituatur tale per eandem cognitionem: ergo iam habent prædicata contradictoria non solùm extrinseca, sed etiam intrinseca. Idem proportionalitèr euenit in cognitione, quæ ex suis intrinsecis esset, & non esset cognitio eiusdem rei, animalis videlicet, & non rationalis, quæ sunt eadem res.

4. Dices, animal, & rationale esse idem secundum

Quomodo realiter identificata in creatis sint intentionaliter, & formaliter diuersa.

dum esse reale, non autem secundum esse intentionale: ergo quamuis realiter identificata possunt tamen suscipere prædicata contradictoria intentionalia: secundum enim illam rationem, secundum quam distinguuntur, nullum est absurdum, quod suscipiant prædicata contradictoria Eadem est aliorum responsio, qui docent animal, & rationale realiter esse idem, non autem formaliter: per præcisionem autem obiectiuam cognoscitur animal formaliter sumptum, & non cognoscitur rationale formaliter sumptum; sed non verificatur quod cognoscitur animal realiter sumptum, non autem rationale realiter sumptum.

5 Sed contra: realitati animalis conuenit esse intentionale, quod non conuenit realitati rationalis, aliter essens idem etiam secundum esse intentionale: sed realitas animalis, & rationalis sunt vna realitas; ergo vna realitas habet, & non habet idem esse intentionale, quæ est aperta contradictio. Rursus realitas animalis habet aliquod esse formale, quod non habet realitas rationalis; aliter essent non solum realiter, sed etiam formaliter idem: sed illa sunt vna realitas, & entitas: ergo eadem realitas, & entitas habet, & non habet idem esse formale.

6. Secundò contra est: quando dicis quod cognoscitur animal secundum esse intentionale, & non rationale secundum esse intentionale; vel hæc duo esse intentionalia realiter distinguuntur; vel non? Si secundum; redeunt argumenta de contradictorijs. Si primum; iam nulla habetur præcisio obiectiua, quæ tunc solùm habetur, quando ex prædicatis realiter identificatis vnum cognoscitur non cognito alio: illa autem duo esse intentionalia sunt per se distincta. Neque dicas illa duo esse intentionalia, esse realiter idem, formaliter autem, seu intentionaliter diuersa: tumquia illa duo esse intentionalia sunt duæ cognitiones, quas realiter distingui, nemo non videt: tum quia de esse hoc intentionali secundo, veluti reflexo, per quod differunt illa duo esse intentionalia, redit quæstio verum sit realiter idem? quidquid autem dixeris redeunt argumenta suprafacta, & facile proceditur in infinitum.

7. Tertio quæro ab aduersario, verum esse intentionale animalis, diuersum ab esse intentionali rationalis, sit aliquid intrinsecum & identificatum animali, vel non? si primum; ergo aliquod prædicatum intrinsecum, & identificatum conuenit animali, quod non conuenit rationali identificato cum animali. Si secundum; hoc certè non est nisi cognitio; assigna igitur mihi obiectum huius cognitionis, contradistinctum ab illa. Hoc profectò, cum non sit aliquod impossibile, erit realitas animalis secundum suum esse intrinsecum; quæro ergo verum etiam realitas rationalis sit obiectum illius cognitionis, & esse intentionalis? Si affirmes; ergo animal, & rationale conueniunt etiam in prædicatis intentionalibus: si neges; redeunt argumenta suprafacta de contradictione cadente supra eandem realitatem.

8 Confirmatur: obiectum illius cognitionis est realitas animalis realiter accepta, seu secundum suum esse reale: sed realitas animalis secundum suum esse reale, est rationalitas & petreitas: ergo obiectum illius cognitionis est rationalitas, & petreitas. Maior probatur: obiectum illius cognitionis, saltem aliquod, est adæquatè contradistinctum à cognitione, & esse impossibili: ergo est animal secundum esse reale: nam animal secundum esse intentionale non est, adæquatè distinctum à cognitione, qua constituitur esse intentionale. Neque dicas animal secundum esse reale esse realiter rationalitatem, non autem formaliter: nam illud quod terminat cognitionem est animal secundum esse reale realiter sumptum, & vt contradistinctum à cognitione: ergo illud quod terminat cognitionem est animal, secundum quod est idem cum rationali.

9. Idem argumentum premit illos, qui apud Quiendum docent animal, & rationale esse idem pro vt sunt in se, non autem aliter ac sunt in se: á cognitione autem non cognosci pro vt sunt in se, sed aliter ac sunt in se, & ideò sine vllo absurdo verificantur contradictoria; premit, inquam: nam animal aliter ac est in se vel realiter differt à rationali aliter ac est in se considerato, vel non? si primum; ergo nulla est præcisio obiectiua: quia inter obiecta cognita est distinctio realis: si secundum; redeunt argumenta. Secundò realitas animalis habet hoc esse aliter ac est in se, quod non conuenit realitati rationalis; aliter non solum conuenirent in esse reali, sed etiam in hoc alio esse aliter, ac sunt in se: sed realitas animalis, & rationalis sunt vna, & eadem realitas: ergo, &c. Tertiò illud, quod terminat cognitionem debet in casu nostro esse aliquod contradistinctum á cognitione; hoc autem contradistinctum à cognitione non potest esse animal aliter ac est in se; quia eo modo sumptum animal dicit cognitionem, neque verò à se habet animal, ly aliter ac est in se, sed à cognitione imperfecta: ergo animal est terminus huius cognitionis non præcisé sumptum aliter ac in se est; sed etiam secundum suum esse reale, secundum quod est rationale.

10. Hinc patet distinctionem rationis possibilem, formaliter sitam esse in actibus intellectus: quia per huiusmodi actus, dum idem obiectum attingitur inadæquatè modo clarè, modo obscurè, nunc in ordine ad hæc connotata, modo in ordine ad illa, veluti ratione multiplicatur, & apparet à se ipso diuersum; at præcisis his actibus nulla est diuersitas in obiecto; ergo hi actus sunt formalis distinctio rationis, formaliter constituens idem secundum intellectum distinctum à se ipso: quod clarius patebit ex dicendis.

SECTIO QVINTA.

Soluitur prima obiectio.

Exclusa præcisione obiect.

1. OBijcies primò: hæ duæ propositiones homo est animal, homo est rationalis non sunt identicæ: ergo habent diuersum obiectum. Distinguo consequens habent diuersum ob-

tiua non verificatur propositiones esse identicas

obiectum in recto: nego: in obliquo transeat. Imbecillitas discursus inde patet: quia propositiones dicunt non solum obiectum sed etiam actum intellectus: ergo ad illatam diuersitatem sufficit diuersitas actuum, quamuis habeant idem obiectum. Sane aduersarius non dicet has propositiones Petrus est homo, Petrus est animal rationale esse identicas: plus enim differunt; ac illæ Petrus est homo, Petrus est homo; & tamen habent idem obiectum, solumque differunt secundum actus: prima enim dicit actum non ita clarum, ac secunda.

2. Præterea allatæ ab aduersario propositiones quamuis habeant idem obiectum directum, nempe totam entitatem hominis; habent tamen obiecta indirecta, & obliqua diuersa; nam prima propositio dicit actum, quo attingitur totus homo in ordine ad sensationes, ita vt homo valeat ex vi illius distingui ab omni non animali, non autem à reliquis animalibus, quod est attingi hominem vt animal, seu conceptu animalis expresso hac voce animal. At secunda propositio attingit quidem directè totum hominem, sed in ordine ad discursum, & reddit intellectum potentem distinguere hominem ab omni non rationali, denique dicitur conceptus formalis rationalis. Sicuti enim rationale distinguitur, vbicumque est, à non rationali; ita cognitio distinguens hominem à nō rationali erit conceptus formalis rationalis.

3. Instabis: diuerso modo distinguitur hæc propositio Petrus est homo, ab hac Petrus, est animal rationale; ac illæ inter se, Petrus est animal, Petrus est rationalis: ergo si primæ duæ dicunt diuersitatem tantum ex parte actus, secundæ dicent etiam diuersitatem ex parte obiecti. Distinguo antecedens: diuerso modo distinguuntur ex parte obiecti directi; nego: omnes enim quatuor propositiones habent idem obiectum directum humanitatem videlicet, & esse Petri: ex parte obiecti indirecti, transeat: nam connotata duarum priorum sunt omnino eadem, & solùm est diuersitas, quia vnus actus est clarior alio: posteriorum autem sunt diuersa obliqua: prima enim attingit Petrum per ordinem ad sensationes, secunda per ordinem ad discursum.

4. Instabis iterum: hinc nulla sequitur distinctio in obiecto directo, seu inter prædicata identificata, sed solum inter cognitiones, & connotata, quæ realiter distinguuntur: ergo iam nulla datur distinctio rationis inter prædicata realiter eadem; sed solum realis inter formas versantes circa idem obiectum, & effectus ab illo procedentes. Distinguo antecedens: nulla sequitur distinctio intrinseca inter prædicata identificata, concedo: extrinseca nego. Et distinguo secundam partem: sed solum inter cognitiones, & connotata; formaliter, & intrinsecè; concedo: extrinsecè, & denominatiuè; nego antecedens, & consequentiam. Obiectum directum cū sit intrinsecè vnum, & indiuisibile non potest per cognitionem extrinsecam intrinsecè multiplicari, & diuidi, neque subesse duplici contradictorio. Distinguitur igitur obiectum extrinsecè, & denominatiuè à

Distinctio rationis formaliter est inter actus & obiecta distinguuntur pro vt substant diuersis actibus.

se ipso; quia tota entitas obiecti pro vt attingitur per hanc cognitionem, & per ordinem ad hoc connotatum, est diuersa à se ipsa, vt cognita per aliam cognitionem, & per ordinem ad aliud connotatum: quod aliud absolutè non est, quàm cognitiones versantes circa idem obiectum, & effectus ab illo procedentes esse diuersos: hoc autem sufficit vt obiectum distinguatur per intellectum: quia videlicet cognitiones, quæ formaliter distinguunt obiectum, & denominant illud diuersum à se ipso, sunt opus rationis, & intellectus.

5. Instabis adhuc: ergo homo eodem modo distinguitur cum afficitur duplici illa cognitione, ac cum producit duos effectus, vel cum mea manus habet simul quantitatem, & calorem: cum non minus verum sit, homo vt cognitus cognitione A, est diuersus à se ipso vt cognito cognitione B; ac verum sit homo vt sentiens est diuersus à se ipso vt discurrente: & manus vt calida differt à se ipsa vt quanta: hoc autem videtur absurdum. Nego absolutè consequentiam de identitate modi quo ad omnia: quia homo affectus duplici cognitione distinguitur ratione à se ipso: forma enim distinguens est actus intellectus & rationis. Rursus homo confusè cognitus in ordine ad sensationes vel confunditur, vel potest per intellectum confundi cum alijs animalibus: clarè autem cognitus per ordinem ad discursum, non potest confundi cum alijs animalibus; hoc autem est hominem apparere veluti diuersum à se ipso. Cuius rei ratio vlterior esse potest; quia cognitio est imago obiecti, & est metaphoricè, & intentionaliter ipsum obiectum: ergo dum multiplicatur cognitio, multiplicatur intentionaliter obiectum. quæ omnia non militant in homine realiter sentiente, & discurrente.

6. Instabis tertio: ergo Petrus eodem modo differt per intellectum à se ipso, dum quis bis dicit, Petrus est homo, Petrus est homo; ac cum dicit Petrus est animal, Petrus est rationalis: in vtroque enim casu habetur duplex imago intentionalis obiecti. Nego consequentiam: quia primæ duæ cognitiones omnino similes quo ad veritates cognoscendas perinde sunt, ac vna. Quare homo non apparet propriè veluti intentionaliter duplex: quod non militat in secundis propositionibus.

7. Ex dictis patet ad illam fallaciam quæ distinguuntur pro eo statu, quo distinguuntur possunt suscipere contradictoria; sed animal, & rationale distinguuntur per intellectum: ergo possunt suscipere prædicata contradictoria per intellectum, qualia sunt cognosci, & non cognosci. Distinguo enim maiorem: quæ distinguuntur, pro eo statu, quo distinguuntur, possunt suscipere prædicata contradictoria; ita vt contradictoria cadant supra distincta vt distincta; concedo: alio modo; nego: & distinguo minorem: distinguuntur per intellectum ratione diuersarum cognitionum; concedo: intrinsecè; nego: & distinguo consequens: possunt per intellectum suscipere prædicata contradictoria, quæ cadant supra illa vt distinc-

stinc-

stincta; concedo; quæ non cadant supra illa vt distincta; nego consequentiam. Breuiter, animal, & rationale vt distincta per intellectum, dicunt cognitiones realiter distinctas: ergo contradictoria cadunt supra illa, vt dicentia diuersas cognitiones: quod idem, ac cadere supra diuersas cognitiones, in quo nullum est absurdum, sicuti neque quod de Petro vt albo realiter verificetur aliquod, quod non verificatur de Petro vt quanto: id enim est aliquid verificari realiter de albedine Petri, quod non verificatur de eiusdem quantitate. At hinc male quis inferet, requiri ad distinctionem per intellectum duos actus versantes circa idem obiectum; sufficit enim si Petrus v.g. cognoscatur vt animal per actum confusum; nam hoc modo iam est diuersus à se ipso vt cognoscibili per alium actum.

8. Instabis quartò: vox animal, & vox rationale differunt etiam quoad significationem; neque enim sunt synonimæ, sicuti sunt gladius, & ensis: ergo diuersum obiectum correspondet vni, ac alteri. Nego consequentiam de obiecto directo. Cum enim voces significent rem prout substat conceptibus nostræ mentis; vt voces non sint synonimæ, & omnino idem sonantes; sufficit si significent diuersos conceptus nostræ mentis, quamuis versantes circa idem obiectum directum: vt euenit in illis verbis animal, rationale. Confirmatur; quia hæc vox, homo, non est synonima cum illa animal rationale, & tamen, etiam per aduersarios, non significant diuersum obiectum.

SOLVITVR SECVNDA OBIECTIO.

Et explicatur discrimen inter distinctionem rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis, & quid sit claritas cognitionis.

9. Obijcies secondò: non potest in hac nostra sententia explicari discrimen inter distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ; neque in quo sita sit claritas, & obscuritas cognitionis; quæ omnia facile explicantur ab aduersarijs: ea enim per illos distinguuntur ratione ratiocinata, & cum fundamento in re, quæ sunt diuersæ formalitates obiectiuæ, vnde bene potest vnum cognosci sine alio: per diuersitatem enim illam obiectiuam præbent intellectui sufficiens fundamentum, vt vnum cognoscatur sine alio: quæ verò non dicunt diuersas formalitates obiectiuas; si possunt concipi diuersis actibus, vt est definitio, & definitum, distinguuntur ratione ratiocinante: quia nullum præbent intellectui fundamentum, vt vnum sine alio concipiatur. Nos autem, qui non possumus recurrere ad hanc diuersitatem obiectiuam formalitatum, non possumus facile assignare rationem, cur animal, & rationale distinguantur ratione ratiocinata; non autem homo, & animal rationale. Rursus aduersarij facile dicunt illam cognitionem esse clariorem, quæ magis penetrat obiectum; eam autem magis penetrare, quæ plures formalitates obiectiuas in illo cognoscit, quod nos non possimus præstare.

10. Multa dici possent contra diuersitatem inter illas distinctiones, & claritatem aduersariorum; sed iis omissis, dico ea distingui ratione ratiocinata, quæ distinguuntur cum fundamento in re; fundamentum autem esse similitudinem, quam habet obiectum ad plures alias res; similitudinem, inquam, imperfectam; quia ex hac similitudine oritur, vt modò possit concipi per vnum actum tantæ perfectionis, modò per alium actum maioris perfectionis: species enim rerum inadæquatè similium faciunt, vt intellectus imperfectus apprehendat obiectum modò sub vno conceptu, modò sub alio; sic species animalis, quam longa experientia dependenter à sensibus acquisiui, facit, vt ego apprehendam Petrum vt animal; hoc est per conceptum, quo intellectus redditur potens illum distinguere à non animalibus, non autem à reliquis animalibus. Idem dico de alijs prædicatis. In quibus casibus alia prædicata, quamuis eadem cognitione attingantur, ita se habent, ac si non attingerentur.

Quid sit identificata distingui distinctione rationis ratiocinatæ, vel ratiocinantis.

11. Non negauerim, tamen quamplures ex negantibus præcisiones hoc fundamentum explicare per diuersa connotata, & effectus; ita videlicet, vt tunc sit fundamentum distinguendi per intellectum, quæ realiter identificantur; quando obiectum habet plures effectus, ratione quorum modò sit conceptibile per ordinem ad vnum effectum, modò per ordinem ad alium: pluralitas enim effectuum, sicuti est fundamentum, vt res possit cognosci per diuersos actus; ita est fundamentum, vt distinguatur ratione à se ipsa; & ea distinctio appellari poterit rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re.

12. Verum quamuis, plerumque intercedat in distinctione rationis ratiocinatæ diuersitas connotatorum; tamen illam non esse fundamentum sufficiens huius distinctionis, multis probari potest: primò ipsa met connotata possunt inadequatè cognosci secundum vnum prædicatum, & non secundum aliud, & non per ordinem ad diuersa alia connotata: ne enim abeamus in infinitum in connotatis connotatorum, & effectuum effectibus, deueniendum tandem est ad aliquod connotatum, & effectum, cuius prædicata non distinguantur per ordinem ad diuersa connotata. Præterea possum ratione ratiocinata distinguere in albedine rationem coloris à ratione eius differentiali; neque tamen facile assignare poteris, quænam diuersa connotata correspondeant illis cognitionibus. Neque dicas cognitionem albedinis attingere carentiam nigredinis, quam non attingit cognitio coloris: primò quia cùm sensus non attingat nigredinis carentiam, non est cur intellectus illam tunc attingat. Secundò quia, si quis numquam cognouisset nigredinem, adhuc posset habere conceptum illum præcisiuum albedinis, quamuis non posset cognoscere carentiam nigredinis. Tertio nonnumquam, quamuis nulla præcesserit cognitio connotati, attingimus obiectum per ordinem ad hunc potius effectum, quam

Non omnis distinctio rationis ratiocinatæ desumitur ex diuerso obiecto indirecto.

illum: ergo fundamentum illius cognitionis non possunt esse diuersa connotata: certe enim connotata non possunt fundare illam cognitionem imperfectam, nisi præsupponantur cognita.

13. Instabis primò: species hæ rerum non adæquantes perfectionem obiecti non possunt repræsentare vnum prædicatum, & non aliud: prædicata enim sunt realiter identificata. Respondeo has species repræsentare totam perfectionem rei; quia excitant cognitionem attingentem totum obiectum; sed imperfectè; tanta videlicet claritate, vt valeat intellectus affirmare, hoc v. g. est animal; non valeat autem affirmare, hoc est rationale. Non negauerim, has species inadæquatas acquiri nonnunquam dependenter à cognitione effectus inadæquati; verum id non est necessarium, vt vidimus.

14. Instabis secundò, non potest explicari, quomodo acquirantur hæ species inadæquatæ. Nego assumptum: nam cognito v. g. vno animali singulari efformatur in meo intellectu conceptus animalis aptus applicari cuicumque animali, & relinquens speciem sui potentem excitare similem conceptum animalis respectu cuiuscumque animalis. Intellectus igitur noster non valens penetrare ob suam imperfectionem omnia prædicata hominis, v. g. determinatur à specie, vel phantasmate, quo nunc mouetur; & ab illa specie relicta per priorem cognitionem ad exprimendum hominem, vt animal; non verò vt rationale. Quare præter similitudinem obiecti ad plura alia inter se dissimilia, quæ ex parte obiecti præbent fundamentum huius distinctionis; est etiam fundamentum ex parte intellectus eius imperfectio.

15. Instabis tertiò: eadem res potest successiue comparari cum rebus infinitis sibi partim magis, partim minus similibus: ergo possunt successiuè haberi infinitæ, seu finitæ in infinitum huiusmodi cognitiones, & præcisiones. Concedo consequentiam; neque video vllam absurditatem in consequenti: solum enim sequitur, posse, successiuè dari infinitos, seu finitos in infinitum huiusmodi actus præcisiuos; quod sine vllo absurdo concedi facile potest.

16. Eadem igitur res, pro vt habet similitudinem imperfectam cum alijs multis, est fundamentum, vt per species inadæquatas modò concipiatur actu confundente illam cum his creaturis, & distinguente ab illis; modò actu confundente illam cum alijs, & distinguente à reliquis; & hoc est fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ. At plures actus, qui hoc modo inter se non comparantur; quamuis versentur circa idem obiectum; non distinguunt illius prædicata ratione ratiocinata, sed ratiocinante; & vel sunt repetitiones omnino similes eiusdem obiecti: vt si quis simul efformet hos duos conceptus Petrus, Petrus, vel dicat, Petrus est Petrus: vel solum differunt secundum implicitum, & explicitum; ita vt per vnum illorum conceptum, res non cum pluribus confundatur, quam per aliud, saltem radicaliter; licet vnus conceptus sit explicatio alterius, vt sunt conceptus definiti, & definitionis. his pro explicatione distinctionis rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis dictis.

Explicatur claritas cognitionis.

17. Res hæc est fortassè difficilior, quàm apparet. Et certum quidem est omnem cognitionem intellectualem esse manifestationem sui obiecti; ideò enim dicitur imago, & expressio obiecti: quia sicut imago externa obiectiuè manifestat rem, cuius est imago; ita cognitio formaliter per seipsam manifestat obiectum, cuius est cognitio: omnis autem manifestatio est lumen quoddam, & claritas. Iam verò omne lumen, & claritas est aliqua distinctio, & discretio rei quam illuminat, & clarificat, vel in actu, quia videlicet actu discernit, vel in potentia, quia reddit illam potentem discerni. Si enim præscindamus ab omni prorsus discretione, est potius vmbra, & confusio, quám lumen, & claritas: neque est vnde distinguamus inter noctem & diem; inter vmbram, & lumen; inter claritatem, & obscuritatem: quare omnis cognitio, quemadmodum est aliqua claritas, & lumen; ita est aliqua distinctio sui obiecti, vel actualis, qua actu illud intentionaliter discernitur ab alio; vel potentialis, qua intellectus constituitur potens illud discernere. Cuius rei ratio est: quia nulla est cognitio, quæ non attingat aliquod prædicatum sui obiecti, ratione cuius illud distinguitur ab ijs, quæ tale prædicatum non participant: ergo nulla est cognitio, quæ vel actu non distinguat, vel non reddat intellectum potentem distinguere suum obiectum ab alio saltem dissimillimo.

Claritas cognitionis est distinctio intentionalis.

18. Ex quibus infero, claritatem non esse, nisi dictam distinctionem; & maiorem claritatem esse, qua intellectus vel actu, vel potentia in obiecto cognito, vel ex illo plura cognoscit, distinguendo inter illa; vel ipsum obiectum à pluribus distinguit: quia ex omnibus his capitibus sicuti crescit distinctio intentionalis, ita & claritas intentionalis. Cognitio igitur erit minus, vel magis clara, pro vt plus, aut minus modo dicto distinguit: erit autem clarissima, quæ & obiectum distinguit ab omni alio, ac in eo, & ex eo cum distinctione cognoscit omnia, quæ in eo, & ex eo cognosci possunt. Hæc profectò cognitio attingit omnes rationes obiecti, exhauritque totam eius cognoscibilitatem. Et quia hæc omnia bené saluari possunt, etiam si ex prædicatis identificatis vnum non cognoscatur sine alio; ideò claritas maior, & minor cognitionis saluari potest, & si identificata non præscindantur obiectiuè, nec vnum cognoscatur incognito alio.

19. Sed notandum est, longè clariorem esse eam cognitionem, quæ actu distinguit suum obiectum à multò pluribus, & in eo, & ex eo multò plura distinctè actu cognoscit; quam cæteris paribus sit illa, quæ hæc omnia in potentia præstat, quia prima est actualis claritas includens etiam

riam impotentiam ad confundendum; secunda potius est confusio, quam claritas actualis, quamuis sit potentia ad eam distinctionem.

20. Allata doctrina de claritate vlterius confirmatur: quia si auditus aliquis, & auditio distinguat voces singulas, quæ in foro simul proferuntur, indicatur longè perfectior, & clarior, quàm ille auditus, & auditio, quæ non ita distinguat: eadem est ratio in reliquis sensibus respectu sui obiecti. Huc spectat Angelicus præceptor, qui prima parte quæst. 12. art. 8. concludit non posse Beatos in diuina essentia videre omnes creaturas possibiles, *quia alias Deum comprehenderent*: quod inde confirmat: quia *Manifestum est, inquit, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tantò plures eius effectus in ipsa videri possunt. Qui enim habet intellectum eleuatum, statim vno principio demonstratiuo proposito ex ipso multarum conclusionum cognitiones accipit.* hæc S. Doctor: quo nihil ad rem nostram accommodatius. Neque verò si à S. Thoma petas, quid sit intimius, & perfectius cognosci obiectum, & causam; respondebit aliud, quàm plures effectus in ea cognosci, &c. Eadem habet S. Doctor in 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. *art.* 5. & de verit. *quæst.* 8. *art.* 4. & 3. contra gen. c. 56. primis duabus, ac etiam tribus rationibus 3. autem p. q. 10. ar. 2. in corpore longè post medium, & ante finem expressè docet: animam Christi non cognoscere in Verbo omnia, quæ sunt possibilia: quia alias Deum comprehenderet: cuius rei rationem dat illis verbis (*virtus enim quælibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest.*) vbi notandum S. Thomam ad perfectissimam, & comprehensiuam cognitionem virtutis, non aliud requirere, quàm cognitionem omnium, in quæ potest virtus.

21. His adde præcisa dicta distinctione cognitionem futuram prorsus obscuram, & confusam: & si vbi est omnimoda dicta distinctio exclusa est omnis vmbra, & confusio, tum actualis tum potentialis; erit profecto ea cognitio perfectissimè clara, neque locum habebit vlterior claritas.

22. Dices primò: explicatam claritatem esse claritatem extensiuam, præter quam admitti debet alia claritas intensiua. Sed perfectò inexplicabilis est ea claritas intensiua, & verbo prolata ad fugam difficultatis; neque, & si verba, ac phrases multiplicent, aduersarij asserentes esse quod magis penetretur obiectum, quod intimius attingatur, &c. peruenient ad exitum, neque vnquam præcisa dicta distinctione vltimo, ita vt quiescat animus, explicabunt, quid sit obiectum melius, clarius, intimius, magisque penetrari. Distinctio igitur prædicta non est pura extensio cognitionis, & claritatis ad plura obiecta; sed etiam intensio; non enim dumtaxat cognoscuntur plura, sed idem indiuisibile melius cognoscitur, dum magis distinguitur, quod sufficit ad intensionem: sicuti calor intenditur, dum idem indiuisibile subiecti magis, ac perfectius calefit: cuius rei iudicium certum est, si ad maiorem distantiam extendat actionem. Similiter virtus intensiua causæ maior probatur, si ad plures effectus se extendat; & omnipotentia est virtus absolutè intensiue infinita, quia ad omnes effectus possibiles se extendit. Extensio igitur alicuius indiuisibilis ad plura arguit maiorem perfectionem intensiuam illius indiuisibilis. Quare in re nostra maior illa extensio ad plura non pugnat cum maiori intensione, sed potius illam omnino supponit; & ipsum obiectum indiuisibile à pluribus distingui, est in se distinctius cognosci.

23. Dices secundò: cognitio abstractiua huius obiecti est minus clara, quàm cognitio eiusdem intuitiua; & tamen per cognitionem abstractiuam potest illud obiectum à pluribus distingui, quàm per intuitiuam; quid enim repugnat, quòd per abstractiuam distinguatur à pluribus, quam per intuitiuam: ergo claritas non consistit in hac maiore distinctione. Confirmatur: quia Deus potest per reuelationem manifestare de eodem obiecto plures effectus, quàm quis in eo intuitiuè cognoscat: in quo casu nemo dixerit, quòd cognitio fidei fundata in Dei reuelatione sit futura clarior, quam cognitio intuitiua de eodem obiecto. *Vtrum cognitio abstractiua possit esse clarior intuitiua.*

24. Respondeo duplicem esse claritatem: aliā essentialem cuicumque cognitioni, & est distinctio iam dicta: alia est claritas euidentiæ, & est necessitas assensus ex motiuo, & hæc propriè non est claritas actualis; quia non est formaliter manifestatio; licet illam necessario augeat in suo genere, quia ex suo modo tendendi certo, & euidenti reddit intellectum impotentem confundere obiectum cum alijs multis, respectu quorum se extendit gradus illius euidentiæ, quæ est perfectio spectans ad claritatem, & non conuenit actui obscuro, & probabili, qui nō excludunt actus confundentes, saltem indeliberatos, & apprehensiuos, quod verificatur etiam de actu fidei, quamuis certissimo, & de eius obiecto etiam secundùm rationem, secundùm quam terminat talem actum; cum huiusmodi enim actu possunt componi formidines quædam indeliberatæ, vt suppono, & quisque facile in se experitur. Hinc patet ad confirmationem. Concedo enim actum intuitiuum futurum clariorem, quia licet pauciores effectus declaret, est tamen magis distinctus modo dicto, quia excludit confusionem, & formidinem, (quæ exclusio est absoluta distinctio) in ordine ad plures effectus, quàm actus fidei, licet hic actu se extendat ad plures effectus.

25. Ad principale argumentum, primò dico: nullum fortassè esse absurdum (si possibilis est casus ab aduersario positus) quod cognitio abstractiua aliqua sit clarior, & ex hoc capite sit perfectior intuitiua: nam visio ocularis coloris v. g. albedinis est intuitiua, & tamen superatur in claritate à cognitione intellectuali abstractiua, qua intellectus in causa creata cognoscit eamdem albedinem, attingens distinctè eius causas, affectiones, eamque distinguens à sono, & reliquis qualitatibus; quod non præstat oculus per suam visionem. Deinde si absolutè probatur co-

gnitionem esse claram, quia est distincta, & magis claram, quia est magis distincta; & deinde suppoonas cognitionem abstractiuam absolutè esse magis distinctam, quàm intuitiuam eiusdem obiecti; ex necessitate sequitur esse magis claram, neque vllum erit in consequenti absurdum.

26. Absolutè autem puro claritatem cognitionis intellectualis abstractiua non posse adæquare claritatem cognitionis intellectualis intuitiuæ eiusdem obiecti: ratio est: quia cognitio intuitiua est proprius conceptus rei inapplicabilis alij; est enim cognitio, qua res, exclusis vmbris aliarum rerum, & ænigmatibus etiam ex parte apprehensionis, cognoscitur sicuti est: hic autem conceptus, quamuis actu non distinguat, nisi à valde paucis (do id aduersario) reddit nihilominus intellectum potentem sine vlla formidine distinguere rem illam à quocumque alio occurrente, & impotentem confundere; aliter non esset proprius conceptus rei inapplicabilis alij.

27. Contrarium accidit in cognitione abstractiua, quæ rem exprimit sub speciebus, & conceptibus alienis, ac in ænigmate; nam accipit conceptus simplices aliarum rerum, eosque componit, ac format tertium conceptum suo modo proprium rei, quæ dicitur abstractiuè cognosci, vt fusius dicam; cum de Deo. In quo negotio per apprehensionem iam confunditur primò cum rebus, sub quarum conceptu concipitur, & apparet vt composita ex illis, quamuis per iudicium distinguatur. Vnde secundò intellectus stante eo conceptu non est paratus ad distinguendum sine formidine obiectum illud ab omni alio, sed potius ad confundendum & errandum: cognoscere enim hoc modo abstractiuè est principium omnis confusionis, & erroris. Hinc patet falsam esse minorem assumptam de distinctione perfecta cum impotentia confundendi iam explicatà.

28. Dices: vnus amor est alio efficacior sine maiore extensione: ergo & vna cognitio clarior alia sine maiore distinctione. Nego consequentiam; quia positiuè probauimus claritatem esse distinctionem, & maiorem claritatem maiorem distinctionem: at non probatur quod amor fit efficacior: quia ad plura extenditur. Cæterum in amore efficaciore admittenda est quædam maior extensio, quia reddit amantem paratum ad plura bona desideranda, & tribuenda amato, & ad plura media adhibenda pro consecutione rei amatæ. Eodem modo visio clarior eiusdem albedinis reddit oculum potentem distinguere albedinem visam à multo pluribus similibus, quàm visio minus clara: quod confirmo exemplo S. Augustini: si habeas in sinu duo oua simillima, eaque successiuè ostendas; profectò clariorem visum, & visionem deprehendes in eo, qui ouum secundo loco ostensum distinguit ab ouo primo viso; ac in eo, qui vel oua confundit, vel non valet distinguere.

29. Demum confirmo allatam doctrinam: nam oculus potens distinguere inter colores est minus perfectus, ac sensus communis potens distinguere non solum inter colores, sed etiam inter colorem, & sonum, inter visionem, & auditionem, & reliqua sensibilia, ac sensationes; & longè perfectior intellectus, qui potest distinguere etiam inter materialia, & spiritualia: ergo ex inductione benè maior claritas potentiæ, & actus constituitur in maiori distinctione iam explicata.

30. Cum his autem benè coheret doctrina Angelici 3. p. q. 10. ar. 2. ad tertium: vbi docet quamuis scientia visionis Christi creata attingens omnia actualia adæquet scientiam visionis increatam, hanc tamen esse longe clariorem, quia lumen increatum excedit in infinitum lumen creatum intellectus humani Christi Domini: cohæret, inquam, quia ratione huius excessus lumen increatum actu distinguit quodlibet actuale non solum à quolibet actuali, quod competit lumini Christi creato; sed etiam à quolibet possibili, quod non conuenit lumini creato Christi domini.

Soluuntur reliquæ obiectiones.

31. Obijcies tertiò: per cognitionem præcisiuam animalis, animal vt sic cognoscitur clarè, differentia non cognoscuntur clarè: sed animal, & differentiæ sunt realiter idem: ergo idem cognoscitur clarè, & non cognoscitur clarè; quæ est contradictio similis illis, quam obijeimus præsciodentibus. Maior probatur per illam cognitionem distinguo animal à non animalibus, nō autem rationale ab hinnibili: ergo animal cognoscitur clarè, rationale non clarè. *Ex distinctione ex parte actus identificata non suscipiunt contradictoria*

32. Respondeo, animal vt sic esse ex parte obiecti collectionem omnium animalium, quæ si comparetur cum collectione omnium differentiarum, neutra ab altera distinguitur realiter; sed vtraque per illam conceptum clarè cognoscitur, & non confunditur: quia confusio semper est cum aliquo distincto: sed neque collectio animalium, neque collectio differentiarum confunditur per illum conceptum cum alio à se distincto: distinctum enim ab ea collectione est non animal; neutra autem collectio confunditur cum non animali; sed vtraque ab illo distinguitur. Si autem collectio omnium animalium comparetur cum singulis differentijs, dico illam collectionem clarè cognosci; quia cum nullo à se distincto confunditur; rationale verò confusè, si comparetur cum alijs differentijs: quia per illum actum non distinguitur ab alijs differentijs: clarè autem, si comparetur cum non animalibus: quia per illum actum non confunditur cum non animalibus: sed in hoc nulla est contradictio: collectio enim omnium animalium distinguitur realiter, licet inadæquatè, à rationali. Si demum consideremus animal hominis comparatum cum rationali eiusdem, dico tum illud animal, tum rationale, cum quo identificatur, confundi cum alijs animalibus, & differentijs, & sic vtrumque

con-

confusè cognosci, quamuis aliquo modo etiam clarè cognoscantur; quia per illum actum vtrumque distinguitur a non animalibus: nulla autem est contradictio, quod idem per eamdem cognitionem confundatur cum his, & distinguatur ab illis: sicuti neque quòd eadem cognitio sit aliqualiter clara, & aliqualiter obscura. Hinc.

33. Distinguo maiorem: differentiæ non cognoscuntur clarè, si simul sumantur; nego: si sumantur sigillatim; sub distinguo: non cognoscuntur clarè si comparentur cum alijs differentijs; concedo: si cum non animalibus; nego. Et distinguo minorem: animal in communi, & differentiæ simul sumptæ sunt idem; concedo: animal in communi, & singulæ differentiæ sunt realiter idē inadæquatè; concedo: adæquatè; nego minorem, & consequentiam. Hinc infero per illum actum confusum tum collectionem omnium animalium, tum omnium differentiarum constitui genus: singulæ autem differentiæ non constituuntur genus, sicuti neque singula animalia. Quamuis autem solum animal hominis non sit genus; tamen homo dicitur constare genere, & differentia: quia habet talia prædicata, quæ confusè cognita cum alijs distinctis constituuntur genua per conceptum animalis, & distinctè cognita per conceptum rationalis constituuntur differentia.

34. Obijcies quartò: sensatio, & motus ducit me in cognitionem principij sensitiui, & non rationalis: ergo quando video à longè aliquem moueri, cognosco animalitatem illius hominis, & non cognosco eiusdem rationalitatem. Confirmatur: possum affirmare, quòd mouetur, est animal, & non possum affirmare, quod mouetur est rationale: ergo cognoscitur animal, non rationale. Consequentia probatur, quia non minus sunt contradictoria affirmari, & non affirmari, quàm cognosci, & non cognosci: ergo si prima verificantur, non est cur non verificentur secunda. & sanè si vtrumque cognosceretur tum animal, tum rationale posset vtrumque affirmari.

Qui à longe videt hominem moueri non præscindit obiectiue.

35. Respondeo, sensationem, & motum localem in communi esse collectionem omnium sensationum, & motuum, & ducere nos in cognitionem collectionis omnium animalium, & differentiarum: talem autem sensationem ducere nos in cognitionem talis principij sensitiui, & differentiæ, à quibus procedit. Dupliciter autem potest cognosci talis sensatio, primò clare; ita vt intellectus non solum aduertat illā esse vnam sensationem, sed etiam esse hanc & non illam, valeatque distinguere ab omnibus alijs similibus; & tunc ducet in claram cognitionem huius principij sensitiui, & differentiæ; ita vt intellectus possit distinguere illud principium non solùm à non sensitiuis, sed etiam à reliquis sensitiuis. Cuius ratio est; quia sicuti sensatio in communi habet connexionem cum principio sensitiuo in communi, ita hæc sensatio cum hoc determinato principio sensitiuo. hinc.

36. Distinguo antecedens: sensatio, & motus in communi ducit me in cognitionem principij sensitiui in communi; concedo: principij sensitiui in particulari; subdistinguo: in cognitionem claram; nego: obscuram; concedo: & distinguo secundam partem: & non ducit me in cognitionem claram rationalis; concedo: obscuram; nego. Si autem loquamur de sensatione in particulari, iterum distinguo: sensatio in particulari ducit me in cognitionem principij sensitiui in communi; nego: in cognitionem principij sensitiui in particulari; subdistinguo: semper claram, vel semper obscuram; nego: aliquando claram, aliquando obscuram, pro vt illa sensatio obscurè, vel clarè cognoscitur; concedo: & distinguo secundam partem: & non ducit me in cognitionem rationalis semper claram, vel semper obscuram; concedo: aliquando claram, aliquando obscuram; nego antecedens, & consequentiam. Si enim benè perpendantur, quæ supra diximus, omnia, quæ verificantur de hoc principio sentiendi determinato, verificantur etiam de rationali eidem identificato, eodemque modo clarè, vel obscure vtrumque cognoscitur, quod sufficit ne incidamus in præcisiones obiectiuas, vel contradictoria, quæ præcisoribus obijcimus. per illum enim actum eodem modo; si sit obscurus, vtrumque attingo, & vtrumque valeo distinguere à non animalibus, non autem à reliquis animalibus: sin clarus; vtrumque distinguo etiam à reliquis animalibus; & ideò primus actus dicitur concipere hominem vt animal, secundus vt rationale.

37. Ad confirmationem, distinguo antecedens: possum in eo casu affirmare, quod mouetur, est hoc animal, determinatum; nego: hoc, vel illud; concedo: & non possum affirmare determinatè, est rationale, concedo; rationale, vel irrationale; nego antecedens, & consequentiam: eodem enim modo affirmatur animal ac, rationale illi identificatum. Quare nulla est contradictio. Breuiter cum intellectus è longinquo videt aliquod moueri per cognitionem imperfectam, ducitur in cognitionem obscuram huius determinati principij sensitiui, à quo procedit motus, non tamen potest prudenter determinatè affirmare illud esse tale animal, v.g. rationale; aliter exponeretur periculo errandi. Vnde potest absolutè dicere, quod mouetur, est animal: quia quod mouetur semper est aliquod animal. non tamen potest absolute dicere, quod mouetur est rationale: quia quod mouetur & est aliquod animal, potest non esse rationale: in hoc autem nulla est contradictio: quia quando dico, quod mouetur est animal, ex parte prædicati venit omne animal sub disiunctione, quæ collectio inadæquatè realiter distinguitur à rationali. Ad experientiam, dico illam non habere locum in casu nostro, quia illa tantùm est de rebus clarè cognitis.

Ex identificatis vnum non affirmatur non affirmato altero.

38. Instabis: illud affirmatur ex parte prædicati, quod cognoscitur: sed tantum animal particulare cognoscitur: ergo tantum animal particulare affirmatur. Minor probatur: cognoscitur sensatio in particulari: ergo tantum cognoscitur animal.

mal in particulari: sensatio enim in particulari ducit tantum in cognitionem animalis in particulari, à quo procedit. *Distinguo minorem:* tantum animal singulare cognoscitur per iudicium; nego: per apprehensionem, transeat minor, & nego consequentiam. Ad probationem in contrarium distinguo consequens: per apprehensionem cognoscitur animal in particulari; concedo: per iudicium; nego. Apprehensio, qua cognito hoc motu confusè apprehendo principium illius, habet pro obiecto determinatè principium sensitiuum: affirmatio autem, qua, stante illa apprehensione, dico, quod mouetur est animal, habet pro obiecto ex parte prædicati omnia animalia sub disiunctione: est enim sensus, quod sit aliquod animal, vel hoc, vel illud. Et ratio est, quia apprehensio confusa non potest determinare intellectum ad iudicium determinatum huius animalis. Quare cum intellectus aliundè certus sit, omne, quod mouetur esse aliquod animal, & videat illud moueri; ex vtraque cognitione determinatur ad dicendum, quod mouetur est aliquod animal, non hoc determinatum, ne se exponat periculo erroris. Quod si non præcedat illa apprehensio; dico in illa propositione haberi cognitionem huius determinati animalis ex parte subiecti, non ex parte prædicati; quia videlicet intellectus in eo casu ex speciebus motus, & illius principij, quòd omne, quod mouetur, est animal, determinatur ad dicendum, hoc, quod mouetur, est aliquod animal: Neque enim ex parte subiecti clarè cognoscit quodnam animal illud sit.

Potest per errorem idē de se ipso negari.

39. Instabis iterum: potest aliquis dicere. Quod mouetur est animal, & non est rationale: in quo casu non cognoscit rationale, aliter non posset illud negare: ergo præscinderet obiectiuè. Respōdeo in eo casu vel nō cognosci principium illius motus, sed aliud simile: vnde quamuis non cognoscatur rationale; non sequitur præcisio: quia non cognoscitur principium sentiendi identificatum cum rationali: vel si cognoscitur principium illius motus, dico cognosci etiam rationale, quod intellectus per errorem negat de illo principio motus, & consequenter de ipso rationali identificato cum principio motus: & re vera intellectus cognoscit aliquod impossibile; nempe carentiam rationalis in ipso rationali: quod nullam dicit repugnantiam, aut præcisionem obiectiuam: hæc enim est vis intellectus, vt possit animali rationali confusè cognito tribuere carentiam rationalis, & consequenter etiam animalis identificati, & dicere saltem implicite animal rationale, quod idem est ac illud, quod mouetur, non est animal rationale. Male autem quis arguet: potest intellectus cognoscere obiectum repugnans: ergo potest cognoscere, & non cognoscere idem obiectum: nam in primo casu contradictio cadit supra obiectum repugnans, quod nullam dicit repugnantiam; at in secundo casu cadit supra idem obiectum reale, quod apertè repugnat.

40. Ex dictis infero primò eum, qui crederet futurum tempore Antichristi aliquem Prophetam, non autem determinatè Eliam, habere cognitionem essentialiter connexam cum ratione superiori Prophetæ; non adæquatè, & determinatè sumpta, aliter essentialiter exigeret omnes Prophetas; sed sub disiunctione; essentialiter enim exigit esse aliquem ex tota collectione Prophetarum, vel hunc, vel illum. Ex quo non sequitur aliquod prædicatum conuenire rationi Prophetæ identificatæ cum hoc indiuiduo; quod prædicatum non conueniat huic indiuiduo, vt patet ex dictis.

41. Infero secundò cognitionem, qua, è longinquo videns aliquod moueri, dico quod mouetur est animal, esse imaginem omnis animalis, & omnium differentiarum, quas disiunctiuè affirmat: quia dum disiunctiuè affirmat, omne animal, necessario apprehendit simul omne animal: est enim modus proprius illius cognitionis, vt simul repræsentet, quæ simul affirmat sub disiunctione; quare eodem modò est imago huius determinati animalis, ac rationalis illi identificati.

42. Obijcies quintò: Homo vt animal est principium sentiendi, & non discurrendi; & vt rationale est principium discurrendi, non sentiendi: ergo de animali rationali verificantur contradictoria. Distinguo antecedens: ex parte obiecti; nego: ex parte actus; transeat: & nego consequentiam. Ex parte obiecti tum animal, tum rationale, sunt vnicum principium tum sentiendi, tum discurrendi: sed tamen quia homo dicitur concipi vt animal, quando concipitur per ordinem ad sensationes, & confunditur cum reliquis animalibus; & dicitur concipi vt rationalis, cum concipitur per ordinem ad discursum, & distinguitur etiam à reliquis animalibus; ideo ex parte actus rationale est principium discurrendi, non sentiendi, & animal est principium sentiendi, non discurrendi.

43. Obijcies sextò: animal distinguitur ratione à rationali, rationale non distinguitur ratione à rationali: ergo animal rationale suscipiunt prædicata contradictoria. Distinguo antecedens: animal distinguitur ratione à rationali, ita vt distinctio cadat formaliter supra actus; concedo: cadat supra obiectum; nego antecedens, & consequentiam. Rationale distingui ratione ab animali, nil aliud est, quàm conceptum animalis formalem non esse eandem rationem cum conceptu formali seu mentali rationalis: quod non contradicit nostræ doctrinæ. Solum enim facit, vt illi actus intellectus sint realiter distincti; rationale autem non distingui ratione à rationali non est aliud, quàm conceptum formalem rationalis non distingui à conceptu formali rationalis, sed esse vnam cognitionem.

44. Obijcies septimò: cognoscimus præcisiones obiectiuas, dum illas negamus: ergo cognoscimus earum obiecta: ergo præscindimus obiectiuè. Distinguo consequens: cognoscimus earum obiecta eo modo, quo cognoscerentur per præcisiones; nego: diuerso modo; concedo primam, & nego secundam consequentiam: cognoscimus enim

enim illa præcisiones, quæ si darentur attingerent vnam partem obiecti sine alia; non ideo tamen cognoscimus vnam partem sine alia: sicuti Deus cognoscens nostros actus præcisiuos, non ideò præcindit. Et qui negat comprehensionem Dei esse possibilem, cognoscit quidem Deum, qui est terminus comprehensionis, non ideo tamen Deum comprehendit.

45. Obijcies octauò: in hac propositione, homo est cognitus, homo supponit simpliciter pro tota natura humana, non personaliter pro singulis indiuiduis: ergo non potest dici, quòd Petrus sit cognitus, quòd Paulus sit cognitus. Confirmatur tum antecedens, tum consequens. In hac propositione, homo est species, ly homo non supponit personaliter, sed simpliciter pro tota collectione indiuiduorum; neque enim dici absoluté potest, Petrus est species, Paulus est species: ergo etiam quando dico homo cognoscitur, ly homo supponit simpliciter.

46. Nego antecedens. Ad cuius probationem, nego consequentiam. Disparitas est, quia nomine speciei intelligimus plura ita inter se similia, & tali cognitione cognita: quare cum singula indiuidua non habeant has conditiones; mirum non est, si singula indiuidua non sint species, sicuti singula cognoscuntur: nomen enim cogniti non est collectiuum, sicuti nomen speciei.

Quomodo potẽtia intẽtionalis plus extendatur, quã realis.

47. Obijcies nonò: plus extenditur potentia intentionalis, quam realis: ergo quamuis non possit ex identificatis vnum produci sine alio, poterit tamen vnum cognosci sine alio. Nego consequentiam, quia maior extensio vtpotè realis non debet inuoluere contradictionem. Sita igitur est maior extensio primò, quia potentia intentionalis potest extendi non solum ad existentia, sed etiam ad possibilia, quin imò ad chimæras: quod non conceditur potentiæ reali. Secundo potentia intentionalis per comparationem ad plura potest infinitis ferè modis repræsentare suum obiectum, quod non conuenit potentiæ reali.

48. Obijcies decimò: cognito ente cognoscuntur connotata animalis rationalis: ergo explicitè cognoscitur animal rationale. Nego consequentiam: cum enim connotata animalis rationalis in eo casu explicitè non cognoscantur, sed potius confundantur cum connotatis aliorum prædicatorum; mirum non est si explicitè non cognoscantur animal rationale.

49. Obijcies vndecimò: possum per vnicum actum simul attingere decem obiecta, & postea recordari, quòd cognouerim vnum, & non recordari, quòd cognouerim aliud: ergo illa cognitio præterita attingitur pro vt est repræsentatio vnius non aliorum obiectorum: ergo prædicata illius cognitionis, quamuis identificata, præscinduntur obiectiuè: attingitur enim vnum prædicatum sine alio. Nego consequentiam: tota enim illa cognitio præterita attingitur, quamuis imperfectè, & ideò dicatur attingi vt repræsentatio vnius, & non alterius obiecti.

50. Obijcies duodecimò: sensus obiectiuè præscindunt: ergo & intellectus. Antecedens probatur: oculus attingit rationem coloris, non connexionem coloris cum Deo identificatam colori; quia non attingit Deum: ergo præscindit obiectiuè. Nego antecedens: ad probationem, nego secundam partem antecedentis: ad rationem in contrarium dico eum, qui cognoscit connexionem aliquam non debere cognoscere terminum illius; nisi & cognitio connexionis sit clara, & terminus illius supponatur intra limites obiecti potentiæ cognoscentis. Deus autem non supponitur intra limites obiecti potentiæ visiuæ: vnde quantumuis crescat claritas illius visionis, nunquam poterit attingi terminus illius connexionis, vel explicitè dicta connexio.

Sensus non præscindunt obiectiuè

11. Obijcies duodecimo: aliqua distinguuntur per intellectum adæquatè, & mutuò; aliqua inadæquatè, & non mutuò, quæ omnia non videntur saluari posse sine præcisione obiectiua: actus enim semper mutuò, & adæquatè distinguuntur. Respondeo, has distinctionum diuersitates non esse formaliter in intellectu, neque ex parte actuum, qui semper adæquatè distinguuntur, vt probat Aduersarius. Sunt igitur tantùm æquiualenter; quia vnus actus æquiualet pluribus, à quorum quolibet potest dici inadæquatè distinctus, quia non continet æquiualenter illum solum, sed etiam alium: exemplum fit in conceptu hominis comparato cum conceptibus animalis, & rationalis: conceptus enim hominis æquiualet suo modo illis duobus conceptibus, quos implicitè includit, & per quos explicari potest. Et hæc potest dici aliquo modo distinctio non mutua saltem quoad inclusionem: quia quamuis conceptus hominis includat per æquiualentiam conceptum animalis; hic tamen non debet illum includere. Ex quibus patet primò, ipsum formalem conceptum hominis posse ratione distingui in plures, & per cognitionem imperfectam modò comparari cum conceptu animalis, modò cum conceptu rationalis. Secundò conceptum definitionis, & definiti adæquatè formaliter distingui, & differre secundum implicitum & explicitum: præterea binarium actuum, quorum vno attingitur homo vt animal tantùm, altero tantùm vt rationale inadæquatè etiam realiter distingui à quolibet illorum.

Quid sit adæquatè vel inadæquatè per intellectũ distigui.

52. Obijcies decimo tertiò: aliud est cognoscere ignem, & calorem; aliud ignem, vt productiuum caloris: ergo in primo casu non exprimitur vis productiua caloris, quamuis cognoscatur ignis illi virtuti identificatus. Nego consequentiam: nam in primo casu exprimitur vis productiua caloris non explicitè in ordine ad productionem caloris, sicuti in secundo; vnde semper, licet non eodem modo, exprimitur vis productiua caloris.

53. Obijcies decimo quartò: sunt possibiles præcisiones obiectiuæ circa obiectum increatum: ergo etiam circa creatum. Distinguo antecedens: si supponamus distinctionem mediatam in tertio formalitatum identificatarum tollere repugnantiam præcisionum; concedo: sin minus; nego antecedens, & consequentiam. Nam vel

con-

consequens deducitur ex falso antecedente; vel est manifesta disparitas; neque enim in prædicatis creaturæ identificatis admittimus distinctionem realem in tertio, aut mysterium Trinitatis.

Quem ordinem transcẽdentalẽ ad obiectum dicat actus præcisiuus.

54. Obijcies decimo quinto, conceptus formalis, quo exprimitur animal, non exprimit rationale: ergo præscindit obiectiuè. *A*ntecedens probatur: conceptus, quo exprimitur animal, dicit trascendentalem ordinem ad animal, & non dicit trascendentalem ordinem ad rationale: ergo exprimit animal, & non exprimit rationale: non enim potest habere pro obiecto, & exprimere nisi suum terminum, ad quem videlicet dicit ordinem trascendentalem. *A*ntecedens probatur: conceptus formalis animalis expressus per hanc vocem, animal, potest esse, & intelligi, etiam si nec sit, nec intelligatur homo, & rationale: ergo non dicit trascendentalem ordinem ad hominem, & ad rationale: quod enim dicit trascendentalem, & sibi essentialem ordinem ad aliud, non potest esse, aut intelligi sine illo. Antecedens probatur: quia & si repugnet homo, aut concipi non possit, adhuc perseuerat idem conceptus formalis animalis secundum se, respectu cuius per accidens est quod detur homo, vel equus. Confirmatur: conceptus quidditatiuus animalis est independens à rationali: ergo potest quidditatiue attingi animal, & non attingi rationale. probo consequentiam: aliter conceptus quidditatiuus animalis non esset independens à conceptu quidditatiuo rationalis, & ab ipso rationali. *A*ntecedens probatur; tum quia conceptus quidditatiuus animalis inuenitur in equo independenter ab homine; neque necessarium est, vt qui format hunc conceptum animal hinnibile, concipiat hominem, & reliqua animalia: sicuti qui concipit principium discurrendi, non est necesse, vt concipiat omne principium, quamuis formet conceptum principij applicabilem omni principio: tum quia potest formari idem conceptus animalis quidditatiuus, qui nunc est; & si repugnet rationale.

55. Nego antecedens, si loquamur de animali, & rationali identificatis. Ad probationem, nego eodem modo antecedens. Ad probationem, nego similiter antecedens. Ad cuius probationem, nego absolutè antecedens. Supponit autem responsio cum aduersarijs animal & rationale in homine realiter identificari identitate etiam logica excludente discrepantiam in prædicatis, aliter non est locus præcisioni obiectiuæ, de qua loquimur, vt patet consideranti. *I*am verò vel sermo est de conceptu animalis in communi, vel de conceptu animalis in particulari, quod videlicet reperitur in homine. *I*n vtroque autem conceptu oportet distinguere & ipsum conceptum formalem, seu actum intellectus & obiectum illius saltem inadæquatè distinctum ab actu; neque verò fingendum est, huiusmodi actus adæquatè reflectere supra se, aut nõ habere obiectum à se distinctum: & si id dicatur, nulla est præcisio obiectiua attingens vnum ex identificatis sine alio, cum actus, qui sunt adæquatum obiectum, realiter inter se distinguantur.

56. Vterque item conceptus exprimit rationale, & dicit ad illud trascendentalem ordinem: nam si est conceptus animalis in communi, habet pro obiecto à se distincto omne animal secundũ suum esse reale, vt supra dicebam: sed rationale est animal: ergo habet pro obiecto à se distinctũ rationale: ergo exprimit rationale, & dicit ad illud ordinem trascendentalem, nõ minùs quàm ad aliquod animal. Hic ordo est secundum dici, quia non potest benè intelligi hic conceptus animalis, nisi intelligatur etiam rationale, ad quod terminatur: non est secundum esse, quia benè potest esse conceptus ille formalis, etiam si non existat rationale, & animal cum rationali identificatum.

57. Quod si repugnet rationale, & consequenter animal illi identificatum, repugnaret iuxta mea principia conceptus formalis animalis, imo omnia absolutè repugnarent: quia repugnaret etiam Deus. Præterea in ea suppositione conceptus communis animalis vel exprimeret omnia animalia tum realia, tum chimerica, & sic exprimeret animal hominis fictum, & rationale fictum illi animali identificatum; vel exprimeret tantum animalia realia; & sic non exprimeret animal, & rationale hominis. Cæterum illi conceptus formales non essent idem, ac conceptus animalis, quod nunc formamus: quia in hac suppositione possibili, & actuali conceptus animalis in communi determinatè habet pro obiecto animal rationale reale: quid autem mirum est, si variato obiecto varietur actus? Si verò loquamur de conceptu animalis in particulari eodem modo discurrendum, ac de conceptu animalis in communi: non enim concipi potest animal particulare, quin concipiatur rationale illi identificatum.

58. Eadem responsio applicanda est ad confirmationem: nam conceptus quidditatiuus animalis in communi, exprimens quid sit animal in communi, habet pro obiecto omne animal, vt vidimus, & satis probauimus: ergo habet etiam pro obiecto rationale, cum quo identificatur aliquod animal: ergo pendet, tanquam à termino, à rationali. Idem á fortiori verificatur de cõceptu quidditatiuo animalis in particulari, v.g. animalis hominis. Nego igitur antecedens de conceptu quidditatiuo animalis adæquatè, vel inadæquatè identificato cum rationali. Ad rationem in contrarium dico in equo non inueniri conceptum quidditatiuum animalis, vel adæquatè sumptum, vel qui est in homine. Sicuti autem non est necesse, vt conceptus animalis in quolibet identificetur cum rationali; ita neque necesse est, vt concepto quocumque animali cõcipiatur homo, & rationale; sed satis est si concepto animali identificato cum rationali, concipiatur rationale. Ad id quod additur, dico: illum, qui format hunc conceptum animal hinnibile, si formet definitionem ex conceptu generico, & differentiali, necessario reflectere supra conceptum animalis in communi, eumque diuidere, & contrahere per differentias. Quare non solùm non est

ab-

absurdum, sed etiam necessarium, quòd attingat omne animal, vnamque eius partem coniungat cum hinnibili, v. g: Idem esto iudicium de eo, qui format illam apprehensionem compositam: principium sentiendi. Quod si aduersarius contendat, tunc non concipi nisi principium, quod est in equo, v. g. non curo; neque enim inde aliquid euincet pro sua præcisione obiectiua.

Quomodo cognitio est imago obiecti.

59. Dices: qui format conceptum animalis in communi, format imaginem intentionalem animalis, quę apta est applicari omnibus animalibus, & ex qua bené considerata possumus in singulis circumstantijs decidere verum, quod occurrit, sit animal? & non format imaginem obiectiuam rationalia, ex qua in quolibet casu possimus decidere verũ, quod occurrit, sit rationale: ergo imago illa, & idolum, ac veluti idęa animalis, non est imago, Idolum, ac veluti idęa rationalis. Hinc fit, vt possit quis aliquando benè discurrere, ac etiam loqui de conceptu generico, & circa conceptum specificum sit veluti ignarus, & mutus. Antecedens videtur satis firmum ipsa experientia, & eius veritas omnino est necessaria ad constituendos diuersos gradus primorum conceptuum incomplexorum magis, vel minùs vniuersalium, & qui sint fundamentum diuersarum scientiarum.

60. Distinguo: secundam partem antecedentis, & non format claram, & distinctam imaginem rationalis, aut animalis particularis identificati cum rationali; concedo; quia videlicet ex vi illius imaginis non distinguit inter rationalia, & non rationalia: obscuram, & veluti confusam; nego. Quia cum illa imago exprimat animal ex parte obiecti, quod est collectio omnium animalium, exprimit etiam illud animal, quod identificatur cum rationali, & consequenter rationale ipsum. Vbi notandum est iuxta supradicta, animal particulare identificatum cum homine eodem modo per illam imaginem confundi, & distingui, ac ipsum rationale; licet dem diuerso modo distingui collectionem omnium animaliũ: sed hæc realiter distinguitur, saltem inadæquatè, à rationali. Hinc distinguo primum consequens, ergo imago illa, &c. non est explicita imago rationalis; concedo: implicita, nego primam, & secundam consequentiam. Quæ autem adduntur, non impugnant allatas responsiones: neque contradicunt nostræ doctrinæ.

61. Vt autem aliquid de hac imagine, & idæa dicam: primò non potest illa negari vt probat allatum argumentum: secundò, est applicabilis omnibus animalibus, quia quocumque animalè occurrente per actum reflexum deprehenditur, exprimi per illam imaginem, & in eius obiecto contineri: ex quo tertiò clarè reijcitur præcisio obiectiua; quia iam constat illam imaginem exprimere, & quidem eodem modo animal particulare, & rationale illi identificatum. Quartò illam imaginem posse dici obiectiuam, quia dum reflexè cognoscitur, exprimit, & dictat, quid sit suum obiectum, quod deinde per actus particulares inuenitur diuisum in plures species. Quintò demum hanc imaginem, & idęam non esse, nisi actum ipsum intellectus præcisiuum in cõmuni versantem circa animal: qui dici potest idæatum formalis (licet speculatiua) sui obiecti, & animalis; & quidem quidditatiua, quia non distinguendo inter species animalis actu formaliter exprimit quid sit animal: tum obiectiua, quia & reflectit supra seipsam, vt ego puto, & suo loco dicam, & in ea potest per alios actus reflexos veluti legi quidditas animalis, ac applicari modo supra explicato. De his conceptibus multa supra diximus, & non pauca remanent dicenda.

62 Illud hic addo nulla me necessitate cogi, vt pręter dictum actum intellectus admittam, vel cum Quiros *disp. 19. sect. 5.* & alijs recentioribus, idolum quoddam fictum aut reale, ex cognitione resultans tanquam terminus illius, in quo veluti in imagine repræsentantur animalia, &c. aut cum Isquierdo simile phantasma præcedens actum intellectus. Attamen illis admissis nihil pro præcisione obiectiua, nihil contra nostram doctrinam euinces: nam illa imago animalis necessariò modo dicto exprimet rationale. Dari autem varios actus intellectus diuersimodè versantes circa idem obiectum, quamuis diuersitatem ex parte actus, & inter ipsos actus; nullo tamẽ modo infert præcisionem obiectiuã. Et quamuis verum sit non posse dari cognitionẽ interminatam, & sine termino, sicuti non potest dari actio sine termino; terminus tamen nostræ cognitionis non debet esse idolum illud, aut phantasma contradistinctum ab actu, & obiecto reali; satis enim in re nostra terminatur cognitio per suum obiectum reale; sicuti satis terminatur visio per colorem, & lumen; neque necesse est, vt aliquid medium producat. Cuius rei ratio est, quia hi sunt actus intentionales ordinati ad formaliter denominandum subiectum, & obiectum, non ad aliquid causandum.

63 Illud hic aduerto aduersarios ad fulciendam suam præcisionem, congerere multa exempla rerum creatarum, in quibus identitas realis componatur cum discrepantia identificatorum in prædicatis. Verùm hæc probant potius distinctionem virtualem, quam repugnare in creaturis supponimus; & suo loco Deo dante exempla illa soluemus, & fortasse facilè solui possunt ex dictis.

64 Obijcies demum inter prædicata superiora, & inferiora, quamuis realiter identificata in eodem indiuiduo datur distinctio ex natura rei formalis, quam defendit Scotus: ergo benè admitti debet præcisio obiectiua. Nullum enim est absurdum ex formalitatibus intrinsecè diuersis alteram cognosci incognita altera. Vt soluatur pręsens obiectio examinanda est veritas distinctionis Scoti, quam *sect. 3.* explicauimus. sit igitur.

SECTIO SEXTA.

Vtrum in creaturis inter prædicata realiter identificata dari possit distinctio ex natura rei formalis?

1 SCotus inter prædicata identificata eiusdē indiuidui v.g. Petri superiora, & inferiora admittit distinctionē quandā intrinsecā, quā supra explicauimus, & ipse appellat ex natura rei formalem; ratione cuius illa omnia, etsi sint vna entitas ob inseparabilitatem; & quia vnum non producitur, nec causatur ab alio; nihilominùs sunt ante operationem intellectus plures formalitates, plures rationes, plures quidditates, vtpotè definibiles pluribus definitionibus. Neque verò eodem modo comparantur animal, & rationale Petri, ac comparetur homo cum sua definitione animal rationale, à qua tantùm ratione distinguitur. Hanc doctrinam extendit Scotus ad prædicata diuina etiam absoluta inter se comparata. Sed nolo Theologum in logica agere, & dispositionem restringam ad creaturas. Huic opinioni contradicunt Thomistæ, & omnes ferè Nostri, paucis exceptis, inter quos Maurus, qui *quæst. 53. logic.* acritèr pro illa pugnat.

Distinctio ex natura rei formalis est distinctio absolutè realis.

2 Dico primò distinctionem ex natura rei formalem non componi cum identitate reali, & consequentèr illam esse distinctionem realem; ideoque distinctionem ex natura rei, & intrinsecam rebus, ac ab intellectu independentem, non benè diuidi in distinctionem ex natura rei formalem, & ex natura rei realem. Moueor, quia illud idem, quod satis est, vt duo conceptus sint intrinsecè duæ formalitates, satis est, vt sint intrinsecè duæ realitates, & duæ entitates saltem inadæquatæ, sicuti anima, & corpus in homine. Vt enim sint absolutè duæ entitates intrinsecè, & ante opus intellectus absolutè vnus conceptus non sit alius; satis est, si intrinsecè perfectio vnius non includat perfectionem alterius; nam perfectio vnius vt non includens intrinsecè perfectionem alterius, est esse, & entitas vnius non includens esse, & entitatem alterius. Quid enim est esse, & entitas hominis, quàm perfectio hominis? Confirmatur ex supradictis, quia pugnat duos conceptus se sibi inuicem summè realiter, & intrinsecè communicare in creaturis; & formalitatem vnius non esse formalitatem alterius: sed identitas est summa illa communicatio; ergo repugnat identitas absoluta vnius conceptus cum alio, si formalitas vnius intrinsecè non est formalitas alterius. Distinctio igitur, quam aduersarius appellat ex natura rei formalem, est verissima distinctio realis excludens identitatem realem, nisi velimus de nomine quærere.

5 Dices cum Mauro: præter identitatem metaphysicam sitam in summa, & perfectissima communicatione, & logicam sitam in conuenientia adæquata prædicatorum, dari tertiam, nempè physicam sitam in inseparabilitate conceptuum, quorum vnus intrinsecè non includit aliud, neque vnus est alterius causa; ea enim est summa communicatio physica. Sed contra, quia, vt facilè colligi potest ex dictis, sicuti vna formalitas non est intrinsecè alia, ita non est realiter & physicè alia: Quare sicuti illa inseparabilitas non facit, vt vna formalitas sit intrinsecè alia; ita neque, vt vna formalitas physicè summè communicetur alteri: aliter si vnam formalitatem non esse intrinsecè aliam, non officit summæ communicationi physicæ; neque officiet, quòd vna procedat realiter ab alia. Rursus peto cur anima non se summè physicè communicat corpori, cui tamen se totam communicat; nisi quia stante vnione adhuc perfectio animæ non est intrinsecè perfectio corporis; quod colligimus ex multis argumentis? ergo cum per aduersarium ex multis argumentis colligamus, formalitatem animalis non esse intrinsecè formalitatem rationalis, debemus dicere, has formalitates absolutè intrinsecè distingui.

Inter prædicata metaphysica creata eiusdem indiuidui non datur distinctio ex natura rei.

4 Dico secundò in creaturis inter prædicata eiusdem indiuidui superiora, & inferiora, non dari distinctionem intrinsecam ex natura rei formalem. Et sumo prædicata Petri, quæ sunt substantia, corpus, viuens, animal, rationale, homo, Petreitas; & sic probo meum dictum: prædicatum substantiæ, quæ est in Petro includit intrinsecè prædicatum corporis, viuentis, &c. ergo intrinsecè non distinguitur ab illis. Consequentia debet esse vera; quia intrinsecè distingui has formalitates, est intrinsecè vnam aliam non includere: ergo si vna aliam intrinsecè includit, non intrinsecè ab illa distinguitur. Probo igitur antecedens; formalitas substantiæ, quæ est in Petro per se ipsam, est inseparabilis à formalitate corporis, quæ est in eodem Petro, (& idem dico de aliis formalitatibus sequentibus, v.g. de viuente, animali, &c.) item per seipsam repugnat reperiri in non corpore, non viuente, & cum illis identificatur ergo per se ipsam est intrinseca inseparabilitas ab illis gradibus, & repugnantia ad identitatem cum oppositis; ergo primò, intrinsecè, & per se ipsam est gradus inferior, nempè intrinsecè est illæ omnes inseparabilitates, & repugnantiæ, qui sunt gradus inferiores, & inter se, & ab ipsa substantia quidditatiuè, & definitiuè diuersi; nam gradus substantiæ potest inueniri sine inseparabilitate à corpore, & hoc sine inseparabilitate à viuente, vt patet in elementis. Hæc, vt omnia sunt quidditates diuersæ ex diuersis definitionibus: ergo iam gradus substantiæ in Petro est intrinsecè idem cum formalitate graduū inferiorum; & rationes allatæ ab aduersario ex diuersa quidditate, & definitione non euincunt vllam distinctionem intrinsecam; cur igitur nō dicis substantiam Petri esse intrinsecè eandem formalitatem cum ratione corporis, &c. Secundò, ergo iam substantia Petri per seipsam est corpus, quod enim est inseparabile à corpore, & non potest inueniri in spiritu, necesse est, vt sit corpus. Eadem est ratio de viuente, & reliquis gradibus.

4 Di-

5 Dices primò: substantiam Petri inseparabilem à formalitate corporis esse radicaliter, non formaliter, corpus. Hæc responsio ad summum vrget secundam instantiam, non primum argumentum. Deinde illa formalitas substantiæ vt inseparabilis à corpore, & repugnans reperiri in spiritu iam formaliter est distincta à spiritu: ergo est formaliter corpus; quid enim vltra requiritur, vt sit formaliter corpus? Tertiò est distincta à formalitate corporis, & est radix illius; ergo est reale principium illius; quid enim requiritur, vt vnum sit principium reale alterius, quam vt sit illius realis radix.

6 Dices secundò: Pater in diuinis est à Filio inseparabilis, & tamen distinguitur à Filio: ergo inseparabilitas non affert identitatem. Primò in diuinis Pater non purè ex natura rei formaliter, sed realiter distinguitur à Filio. Secundò, concedo consequentiam: inseparabilitas enim neque identitatem ex natura rei & physicam affert, si vna formalitas non sit intrinsecè alia. Tertiò, in casu nostro inseparabilitas à corpore probat, quod substantia Petri sit corpus propter allatas rationes; at inseparabilitas Patris à Filio, tanquam à termino producto nō probat Patrem esse Filium, sed potius distingui à Filio.

7 Dices tertiò cum Mauro: formalitatem substantiæ Petri non à se, sed ab adiuncta formalitate corporis habere, vt sit à corpore inseparabilis. Contra: ergo ex se, & secundum sua intrinseca, formalitas substantiæ Petri potest separari à formalitate corporis: hoc autem sufficit ad realem distinctionem per aduersarios; sicuti materia, quamuis stante vnione ad formam non possit separari ab ea vnione, & forma; quia tamen potest secundum se absolutè esse sine hac vnione, & forma hac, est absolutè ab illis separabilis, & realiter distincta.

8 Replicabis cum eodem Mauro: animalitatem hominis per se ipsam exigere rationalitatem, ac esse capacem illius, & per illam perfectibilem; sed exigentia, & perfectibilitate, non determinante, sed determinabili. Contra primò: illa exigentia, capacitas, & perfectibilitas sunt rationes inferiores respectu animalitatis, quæ in equo inuenitur sine illis: ergo in homine ratio superior animalis iam intrinsecè, & per se ipsam est ratio inferior. Secundò iam in priori ad rationale, animal hominis est distinctum ab animali equi per illam exigentiam: ergo illa exigentia est prima differentia distinguens; & rationale erit proprietas sequens. Tertiò, illa est exigentia determinata, & determinans; vtpotè impotens oppositi.

Soluuntur obiectiones.

Quid diuersitas definitionū ad distinctionē ex natura rei formalem.

9 OBijcies primò cum Mauro ex principijs Scoti. Rationes, quarum neutra in recto includitur in definitione adequata alterius, distinguuntur ex natura rei: sed ratio generica animalis, & differentia rationalis ita se habent, vt neutra includatur in recto in definitione alterius: ergo hæ rationes quamuis identificatæ distinguuntur ex natura rei. Minor probatur: nam si quæratur, quid sit animalitas, nunquam respondetur per rationalitatem; neque per animalitatem, si quæratur quid sit rationalitas: cum autem quæritur, quid sit res, quæritur definitio adæquata explicans totam quidditatem. Suppono sermonē esse de animalitate hominis, quæ identificatur cum rationalitate, non de animalitate in communi, & prout includit omnes animalitates: hanc enim, sæpius dixi, realiter distingui à rationalitate, non solùm ex natura rei formaliter: hoc posito.

10 Permissa maiore, nego absolutè minorē de ratione animalitatis hominis, tum quia falsò supponis animalitatem hominis esse rationem genericam animalis, sed est pars, & vna species, ac in Petro vnum indiuiduum illius rationis genericæ: tum quia definitio adæquata, & perfecta explicās totam quidditatem animalitatis hominis, debet includere in recto rationalitatem, sicuti animalitas hominis est per se ipsam rationalitas; & aduersarij debent docere, quod sit per se ipsam inseparabilitas à rationalitate, vel exigentia illius. Quare primò, qui definiens animalitatem hominis non includit in recto rationalitatem, non definit adæquatè hominis animalitatem; sicuti per Maurum, qui definit misericordiam diuinam, si non includit in recto iustitiam, non perfectè definit diuinam misericordiam: quia videlicet in neutro casu explicat totam quidditatem, & omnia prædicata intrinseca rei definitæ. Igitur sicuti animalitas hominis potest imperfectè concipi modo suprà explicato, ita & imperfectè, ac inadæquatè definiri. Secundò animalitas hominis non est genus, sed pars illius obiecti, quod per actum præcisiuum constituitur genus. Ad rationem in contrarium, dico: si quæratur quid sit animalitas hominis, debere responderi per rationalitatem, vbi velis perfectam, & adæquatam definitionem tradere. Satis plura, & quidem fusè, nec planè ineruditè ad suam mentem confirmandam affert Maurus, sed quę facilè solues, si iam dicta diligenter attēdas.

Quā compositionem faciant genus, & differentia.

11 Obijcies secundò: vbi est compositio, est distinctio partium componentium: sed in homine est compositio ex animali, & rationali tanquam ex partibus: ergo in homine est distinctio inter animal, & rationale. Distinguo maiorem: vbi est compositio est distinctio congruens cōpositioni; concedo: non congruens; nego: & distinguo minorem: in homine est compositio realis ex animali, & rationali; nego; intentionalis; concedo minorem: & distinguo consequens: est distinctio realis; nego: intentionalis; concedo. Homo metaphisicè consideratus non est compositum physicum constans partibus realiter distinctis, sed metaphysicū constans partibus realiter identificatis, & solùm per intellectum distinctis; quia videlicet conceptus animalis nō est conceptus rationalis. Cōceptus autem hominis specificus, quamuis sit realiter vnus, est ta-

men æquivalenter duplex, quia explicari potest per illos duos conceptus animalis, rationalis; qui duo conceptus veluti componuntur, dum sunt in eodem intellectu, & versantur circa idē obiectum, & primum per secundum veluti perficitur.

12 Obijcies tertiò animal formaliter, vt animal, nō est rationale: ergo distinguuntur. Distinguo consequens: distinguuntur realiter, nego; ex parte actus, concedo. Animal enim formaliter, vt animal non esse rationale (loquor autem de animali hominis) est, actum expressiuum hominis sub conceptu animalis, non esse conceptum rationalis. Hinc patet animalitatem de suo conceptu formali non dicere identitatem cum rationalitate: tum quia conceptus formalis animalitatis non est conceptus formalis rationalitatis; tum quia animal est in equo sine rationalitate: attamen animalitas hominis de suo cōceptu est obiectiuè, & intrinsecè rationalitas.

13 Obijcies quartò: in actu fidei vitalitas distinguitur à supernaturalitate: ergo etiam in homine animalitas à rationalitate. Antecedens probatur; quia vitalitas illius actus est à principio vitali, non à supernaturali; & supernaturalitas est à principio supernaturali, non á vitali. Respondeo, antecedens, communiter negari à Theologis; & ad rationem in contrarium dicunt, quod supernaturalitas illius actus verè est à principio vitali, & supernaturali, non minus ac vitalitas; formaliter autem supernaturalitas est à principio supernaturali, quia conceptus exprimens actum fidei vt supernaturalem, exprimit illum vt effectum principij supernaturalis, non principij vitalis. Vitalitas verò dicitur esse à principio vitali, non supernaturali, quia conceptus exprimens actum, vt vitalem, exprimit illum, vt effectum principij vitalis, non vt effectum principij supernaturalis: quare tota distinctio est inter actus, & connotata; non inter prædicata actus fidei. Cæterum permisso antecedente posset quis tutò negare consequentiam, quia nec ratio probans distinctionem vitalitatis à supernaturalitate in actu fidei, nec similis militat respectu animalitatis, & rationalitatis.

14 Obijcies quintò: animal in homine est principium conueniendi cum equo, rationale est principium disconueniendi ab equo: ergo distinguuntur realiter, vel saltem ex natura rei formaliter. Distinguo antecedens: realiter, & intrinsecè; nego: extrinsecè; transeat: & nego consequentiam. Realiter totus homo est diuersus ab equo. Extrinsecè autem dicitur homo conuenire cum equo per animalitatem, non per rationalitatem; quia conceptus animalitatis ita attingit hominem, & equum, vt illos inter se non distinguat: at conceptus rationalitatis, vel actu clarè distinguit hominem ab equo, vel est radix huius distinctionis.

15. Obijcies sextò: non potest eadem res esse similis, & dissimilis eidem: sed animal hominis est similis animali equi; rationale hominis non est simile animali equi: ergo animal hominis, & rationale non sunt idem. Nego minorem: totus enim homo est absolutè, & intrinsecè dissimilis animali equi, licet secundum quid totus idem homo, quo ad omnia prædicata, quæ dicis, sit similis equo: quia possunt conceptu aliquo imperfecto ita confundi, vt vnus non distinguatur ab alio. Quando igitur dicitur quòd homo, vt animal, non vt rationalis, est similis equo; solùm sensus est, quòd similitudo illa imperfecta inter hominem, & equum fundat conceptum animalis confundentē hominem cum equo: dissimilitudo autem absoluta fundat conceptum distinguentem illos inter se, qualis est conceptus rationalis: non repugnat autem, quòd idem cum alio comparatum, sit absolutè illi dissimile, & secundum quid simile, idque per idem suum esse indiuisibile; hoc enim aliud non significat, quàm duas res posse, ita conceptu aliquo confuso attingi, veluti vnum, vt alio conceptu clariori valeant absolutè distingui, idque non cum magna difficultate. Illud hic aduerto: hoc argumento premi aduersarios; nam eadem animalitas hominis est similis animalitati equi, vt ipsi concedunt, & non est similis, animalitas enim hominis est ex suis intrinsecis inseparabilis à rationalitate, quod non conuenit animalitati equi; hoc autem sufficit, vt sint illæ animalitates dissimiles.

16 Vrgebis: non potest eadem res esse absolutè æqualis alteri, & secundum quid inæqualis: ergo neque absolutè similis, & secundum quid dissimilis, aut è contra. Nego consequentiam; & disparitas est, quia æqualitas consistit in indiuisibili, quæ totaliter deficit quacumque inæqualitate adueniente: at similitudo non consistit in indiuisibili, sed potest ex communi sensu suscipere magis, & minus.

17 Igitur si comparemus animalitatem, & rationalitatem eiusdem suppositi Petri, v. g. conueniunt in omnibus prædicatis, eodemque actu, eademque definitione, ac eodem modo clarè, vel obscurè, adæquatè, vel inadæquatè distinguuntur. At si comparemus animal in communi, seu vt sic, quod ex parte obiecti dicit collectionem omnium animalium cum rationali, distinguuntur realiter inadæquatè, vt supra non semel dicebam, & accidere potest, vt quis habeat conceptum, & definitionem claram animalis, & tantùm obscuram rationalis, idque sine vlla contradictione, iuxta supradicta. Ex his patet solutio ad argumentum sect. præcedentis vltimo loco allatum pro præcisione obiectiua.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA.

De Vniuersali.

COgnita natura distinctionis, & identitatis, faciliùs intelliguntur ea, quæ spectant ad cognitionē vniuersalis: Sic igitur.

SECTIO PRIMA.

Definitur, & diuiditur Vniuersale.

Definitio vniuersalis.

1 VNiuersale in tota sua latitudine est: Vnum, quod plura respiciat: Sic dicitur causa vniuersalis, quæ licèt vna, potest tamen producere plures effectus, & vox, quæ plura obiecta repræsentat, dicitur vniuersalis in significando, morbus etiam, qui totam, vel maiorem ciuitatis partem depopuletur, est suo modo vniuersalis. In præsenti autem sumitur pro ente, quod vnum sit, & secundum se totum possit pluribus conuenire per identitatem, ac de illis prædicari, & ideò appellatur vniuersale in essendo, vel in prædicando. In quo sensu definitur communiter ex Aristotile pluribus in locis. *Vniuersale est vnum aptum esse in multis, & de illis prædicari*. Hæ vltimæ particulæ nō sunt de essentia vniuersalis, sed explicant vnam ex primarijs eius proprietatibus, nempè prædicabilitatem de pluribus, ut infra patebit.

Vnitas, & multiplicabilitas vniuersali essentiales.

2 Duo igitur requiruntur ad vniuersale: primum est vnitas; quod enim non est vnum, non est commune pluribus, neque vniuersale, sed plura in pluribus. Secundum est, multiplicabilitas, qua illud vnum secundum se totum aptum sit esse in pluribus per sui multiplicationem: sic natura humana dicitur communiter vniuersalis, quia est suo modo vna, & secundum se totam, hoc est secundum omnia sua prædicata essentialia, inuenitur multiplicata in singulis indiuiduis: vnusquisque enim hominum habet integrā essentiam hominis, & est animal rationale.

3 Ex his collige primò. Naturam diuinam identificatam tribus Personis diuinis, non esse vniuersalem, quam ipsa nec multiplicatur, nec multiplicabilis est per identitatem ad personas. Secundò non esse vniuersalem albedinem, quæ esset in duobus subiectis: quia non ipsa multiplicaretur, sed tantùm subiecta, quibus inesset. Tertiò non esse vniuersalem calorem intensum, qui diuidi potest in plures partes, quia singulæ partes, in quas diuiditur, non participant totum calorem diuisum. Multa contra hanc doctrinam, quæ communis est, docet Lynceus, sed eius rationes facilè à quouis solui possunt. Illud autem diligentèr notandum est, non esse de ratione vniuersalis actualem multiplicationem, sed posse modo dicto multiplicari; ideoque natura solis potest dici vniuersalis, quia licet non sit, nisi vnum solis indiuiduum, possunt tamen alia plura à Deo produci.

Certum est dari vniuersalia.

4 Adeò autem certum est dari naturas vniuersales, vt S. Anselmus *lib. de Incarn. Verbi* c. 2. contrarium docentes, vocauerit dialecticæ hæreticos. Defactò enim datur natura communes pluribus; qualis est natura humana existens in singulis hominibus, quæ cum vna suo modo sit, nec singularis; reperitur enim multiplicata in pluribus, erit aliquo modo vniuersalis. Non leuis tamen est difficultas, quomodo in his naturis, quas vniuersales appellamus cohæreant illa prædicata, Vnitas & Multiplicabilitas: vtrū videlicet verè, ac independentèr ab intellectu huiusmodi naturæ participent intrinsecè vnitatem, & multiplicabilitatem vniuersalis, an extrinsecè, & dependentèr ab operatione intellectus. Quare sit

SECTIO SECVNDA.

Verum vniuersale sit in rebus independentèr ab operatione intellectus.

Opinio Platonis de vniuersalibus, & ideis separatis.

1 PRima opinio seu potius error in hac re est Platonis apud Aristotelem primò Ethicorum *cap. 6. & 1. m. à Textu 25. & lib. 7. à Text. 44.* affirmantis rerum species, v.g. naturam humanam leoninam separatas ab indiuiduis realitèr existere in coacauo Lunę, & esse vniuersales, ac veluti exemplaria naturarum singularium easq; constituere. Has naturas appellabat ideas, incorruptibiles, & ingenerabiles, & rerum omnium causas. Mouebatur autem Plato, quia homo, qui cognoscitur, non est restrictus ad hoc, vt sit Petrus, vel Paulus; ergo est quid vniuersale: rursus non est restrictus ad hanc, vel illam materiam, ad has, vel illas conditiones materiales temporis loci, &c. Ergo est quid immateriale. Secundò necessariò, & immobilitèr est animal rationale: ergo est quid immutabile, ingenerabile, & incorruptibile: ergo præter homines singulares, mutabiles, materiales datur conceptus hominis vniuersalis, immaterialis, qui profectò erit singularium idæa; quia omnia singularia fiunt ad similitudinem illius; sicuti domus materialis fit ad similitudinem domus immaterialis, quam artifex sibi proponit. Confirmat quia idæa operis facti præcedit opus factū cum igitur omnes homines singulares sint facti debet præcedere illorum idæa non facta; quæ est homo iam explicatus participabilis à singularibus. Addebat, hominem vniuersalem esse obiectum intellectus, & singularem sensus: quia homo singularis mouet sensum ad formandam sensationem sui materialem, & fluxam; homo autem vniuersalis mouet intellectum ad formandam definitionem, & demonstrationem sui immutabilem immaterialem, & vniuersalem. Et ex eo quod idææ huiusmodi vniuersales imprimant in nostro intellectu speciem sui; inferebat causari in nobis scientias, quæ sunt de vniuersalibus.

Opinio Scoti de vniuersali coniuncto.

2 Secunda sententia tribuitur Scoto, & admittit ante opus intellectus naturas vniuersales coniunctas singularibus. Aliqui tamen affirmant illum admisisse naturam realiter vniuersalem

vniu-

vnitate positiua, hoc est naturam vnam, quæ eadem per sui multiplicationem esset in pluribus indiuiduis. Alij verò apud Ouiedum contr. 3. log. p. 2. n. 5. hanc interpretationem vt alienã à mente subtilissimi reijciunt, dum illum admisisse asserunt naturam vniuersalem vnitate tantùm negatiuâ; in eo sita per Caietanum c. 4. de ente, & essentia q. 6. quod natura ex se non sit singularia: quia videlicet natura Petri, & Pauli non distinguuntur inter se ratione sui ipsarum, sed singularitatum. Quare ex se sunt vna natura negatiuè, quia non habent ex se multiplicitatẽ, & distinctionum.

Opinio Fonsecæ.

3 Tertio Pater Fonseca l. m. c. 7. & 8. q. 3. considerat naturam in triplici statu primus est status quidam præcisiuus, & indifferentiæ realis; antecedenter enim quã natura producatur est ab æterno indifferens, vt sit in Petro, vel in Paulo, & per hoc est vniuersalis: Secundus status est cõtractionis cum iam producitur potius in hoc, quàm illo indiuiduo, & in hoc statu est singularis. Tertius est status præcisionis intentionalis, cũ videlicet natura realiter contracta abstrahitur per intellectum, & fit intentionaliter vna.

Repugnat vniuersale independens ab intellectu.

4 Quarta demum sententia, cui adhæreo, docet implicare naturam, quæ realiter, & ante intellectus operationem sit vniuersalia, ita communiter Thomistæ, & omnes ferè Societatis Scriptores.

Quid sit vnitas.

5 Suppono autem ex ijs, quæ fusius dicam in metaphysicis, vnum esse indiuisum in plura, quæ sint adæquate idem cum ipso, si enim diuiditur fit multiplex: non quæcumque autem pluralitas pugnat vnitati. Petrus enim vnus est, & tamen continet plura animam videlicet, corpus, & vnionem, & quodlibet compositum necessariò includit plures partes siue essentiales, siue integrales. Vnum igitur excludit pluralitatem sui, seu dicit non esse plura ipsum, quod idem est, quod esse diuisum in plura, quæ sint adæquatè idem, cum ipso, vt eueniret, si idem Petrus fieret plures Petri, in quorum quolibet non esset nisi illud idem esse Petri. Vnitas igitur erit forma tribuens illam indiuisionem. Hinc patet differentiam inter vnum, & distinctum; esse quod vnum est entitas rei excludens illam sui multiplicitatem: distinctum autem est eadem entitas, vt excludens identitatem sui cum alijs, & fundans relationem diuersitatis.

Vnitas alia formalis, alia indiuidualis.

6 Duplex communiter vnitas agnoscitur indiuidualis, ratione cuius aliquod est indiuisum in plura indiuidua etiam simillima, & eiusdem speciei: sic petreitas est vnitas indiuidualis, quia per illam Petrus non solũ habet, vt non sit Leo, equus, &c. quia esset multiplicitas specifica; sed etiam ne sit plures Petri, & indiuidua humana. Et formalis, quæ habetur per prædicata communia, in quibus ita plura indiuidua conueniunt, & sunt vnum, vt sub eadem ratione, non sint plura: talis esset conceptus hominis, in quo ita conueniunt omnia indiuidua humana, vt non sint in illa ratione diuersi, seu plures homines, quamuis per illam rationem diuersificentur ab alijs non hominibus,

7 Ex quibus apparet in hac vnitate formali præcisè considerata intercedere actus præcisiuus, de quibus supra egimus: nam cum in Petro humanitas, & indiuiduatio identificentur non solùm per indiuiduationem, sed etiam per humanitatem Petrus est diuersus à Paulo, & ceteræ cum pereunte humanitate Petri perseuerent aliæ; humanitas Petri non potest esse humanitas Pauli. Quare solùm verificatur, quod conceptus explicitus humanitatis præbet quidem intellectui fundamentum distinguendi Petrum ab non hominibus, non autem à reliquis hominibus.

Alia generica, alia specifica.

8 Iam verò vnitas formalis alia est generica excludens diuersitatem in prædicato generico, alia specifica excludens diuersitatem in conceptu specifico, sic omnia animalia habent vnitatem genericam, quia non differunt in conceptu generico animalis; homines autem habent vnitatem specificam; quia non differunt in prædicato specifico humanitatis, quamuis vnitas specifica supponat, vel includat genericam vnitatem; homines enim non solùm conueniunt in prædicato specifico humanitatis, sed etiam generico animalitatis.

9 Verum autem dici possit, quòd in Petro, & in quolibet indiuiduo sit vnitas non solùm indiuidualis; sed etiam specifica, & generica; videtur quæstio de nomine: certum enim primò est Petrum non esse genus, & speciem, vt infra constabit. Secundò certum est has vnitates realitèr non distingui in eodem indiuiduo: sicuti non distinguuntur prædicata inferiora à superioribus, quæ omnia videntur sufficere ad negandum in Petro esse vnitatem specificam, vel genericam formaliter acceptam. Quod si velis Petrum esse realiter vnum non solùm indiuidualiter, sed etiam specificè, quia realiter per totam suam entitatem excludit identitatem non solùm cum alijs indiuiduis similibus, sed etiam cum dissimilibus; non multum laboro. Illud hic aduerto, vnitatem indiuidualem solitam appellari materialem; genericam autem, & specificam, formalem: quia differentia indiuidualis, qua vnum indiuiduum differt ab alio non consideratur communiter à scientijs, quæ regulariter versantur circa rationes communes. His positis:

Probatur repugnare naturam intrinseco vniuersalẽ

10 Probatur nostra cõclusio: Natura intrinsecè vna, quæ possit diuidi in plura, quorũ quodlibet sit adæquatè idem cum ipsa, est realiter impossibilis: sed natura realiter vniuersalis est intrinsecè vna, quæ possit diuidi in plura, quorum quolibet sit adæquatè idem cum ipsa: ergo natura realiter vniuersalis est realiter impossibilis. Maior probatur: quia si possibilis esset talis natura, illa plura, in quæ diuideretur, essent plura, vt patet, & non essent plura, quæ enim sunt adæquatè eadem vni tertio, sunt adæquatè eadẽ inter se: quod principium in creatis nullam pati debet limitationem: sed illa plura essent adæquatè eadem vni tertio, scilicet illi naturæ, cum qua quodlibet illorum identificaretur: ergo illa plura essent adæquatè eadem inter se, & consequen-

quenter non essent plura. Minor principalis argumenti probatur, quia non videtur aliud dicere vnitas, & aptitudo naturæ vniuersalis ante opus intellectus, nisi quod natura vna, sit apta modo dicto, diuidi realiter in plura.

11 Nam primò non sufficit quòd natura diuidi possit in plura, quæ sint inadæquatè idem cum ipsa; alitèr hoc lignum palmare esset vniuersale; quia potest diuidi in plures quadrantes, quorum quilibet est inadæquatè idem cum illo. Neque secundò sufficit, vt natura idẽtificetur pluribus inter se distinctis; aliter natura diuina esset vniuersalis; quia vna est, & identificatur tribus personis realiter distinctis. Requiritur igitur vt ipsa natura multiplicetur, & in quolibet membro diuisionis reperiatur tota: aliter easdem difficultates haberet in creatis natura vniuersalis, quas haberet mysterium simile mysterio Trinitatis, cuius difficultas in eo sita est, quod eadem res identificetur tribus realiter distinctis. Neque tertiò sufficit ad vniuersale, quod natura vna sit indifferens, vt sit in hoc, vel illo indiuiduo; nam hæc albedo est indifferens, vt sit in hoc, vel illo subiecto, & hæc numero materia, vt sit sub hac, vel illa forma, nec tamen sunt vniuersales.

Reiicitur prima responsio.

12 Dices primò: albedinem esse indifferentem, vt sit in pluribus subiectis, & materiam sub pluribus formis, non per identitatem: natura autem est indifferens, vt sit in hoc, vel illo indiuiduo per identitatem, quod confirmari potest primò, quia Deus est indifferens, vt idẽtificetur, aut cum virtualitate constituente illũ volentem mundum, aut cum opposita constituẽte illum nolentem mundum. Secundò Sancti Patres, inter quos Augustinus, & Bernardus, monent, vt gratias Deo agamus, quod nos non fecerit lapides, equos, & similia: ergo nos sumus natura indifferentes, vt essemus homines, aut lapides. Sed contra, quia in creatis hæc indifferentia est efficax argumentum distinctionis realis: ergo est implicantia in terminis dicere naturam indifferentem, vt sit in hoc, vel illo indiuiduo per identitatem; indifferentia enim illa necessariò trahit distinctionem realem. Antecedens probatur, quia in creatis efficax signũ distinctionis est separabilitas: si enim vnum potest esse sine alio, statim inferimus vnum esse ab alio distinctum, cum nulla res possit esse sine se ipsa: sed illa indifferentia necessariò dicit separabilitatem: si enim est indifferens ad aliud, potest sine illo esse, ac ab illo separari: ergo illa indifferentia est signum efficax distinctionis.

Quomodo Deus identificetur cũ sua volitione libera.

13 Ad primam confirmationem desumptam ex natura diuinæ libertatis. Respondeo: Deũ non esse indifferentem ad identitatem cum perfectione virtualitatis constituentis illum volentem, aut nolentem efficaciter mundum: Deus enim per suum esse absolutissimè infinitum, & necessarium est tota perfectio volitionis, aut volitionis; sed solùm est indifferens ad denominationem volentis, & non volentis, secundum quod illa denominatio dicit determinationem

sub

Dei, & purum respectum eiusdem ad has, vel illas creaturas, qui respectus non est formaliter perfectio, vt hic suppono. Cum hoc igitur respectu Deus absolutè identificatur: quia tantũdem intensiuè communicatur sibi, quantũ communicatur illi respectui: nec enim ille respectus est minus intensiuè perfectus realiter, quam sit Deus. Et sicuti Deus ob suam infinitam perfectionem per illud prædicatum respectiuum superadditum non euadit perfectius quid; ita ex sua eadem perfectione habet, vt non magis se sibi communicet, quàm illi prædicato respectiuo, vt fusiùs dicam cum de Deo. At res diuerso modo accidit in creatis, in quibus, vt suppono discrepantia in prædicatis intrinsecis necessariò trahit distinctionem realem, & quòd vnus conceptus non tantumdem communicetur alteri, quantùm sibi. Et in casu quidem nostro de duobus conceptibus, quorum vnus est intrinsecè indifferens ad idẽtitatem cum alio, verificantur duo contradictoria, nam conceptus A, non est indifferens ad identitatẽ cum conceptu A, & conceptus B, esset indifferens ad identitatem cũ conceptu A, quæ sunt aperta contradictoria; & argumentum, quod conceptus A, non tantumdem communicetur sibi, quantùm alteri.

14 Ad confirmationem ex Patribus, dico: illorum sensum esse, nos debere Deo gratias agere, quod nos creauerit potiùs, quàm loco nostri creauerit aliam rem, v.g. lapidem, &c. quia videlicet illa eadem materia, quæ informatur anima rationali, poterat à Deo subdi aliis formis equi, v.g. leonis, &c. neque vllus Patrum vnquam dixerit: Deum posse hanc nostrã eamdem indiuisibilem entitatem ita facere, vt immutata fuisset lapis, &c.

Reiicitur secunda responsio.

15 Dices secundò: repugnare quidem, quod eadem natura sit vna, & actu multiplicata, quod probant nostra argumenta: non autem quod sit vna, & multiplicabilis: ad vniuersale autem sufficit hoc secundum. Sed contra vel multiplicatio repugnat huic naturæ, vel non? Si primũ; ergo non est multiplicabilis: cui enim repugnat multiplicatio, est profectò immultiplicabilis. Si secundum; iam supra impugnatus est: probauimus enim repugnare multiplicationem, quæ sit veluti actus secundus multiplicabilitatis, quæ est propria naturæ vniuersalis, ratione cuius videlicet tota natura reperiri possit realiter in singulis indiuiduis, & de illis prædicari.

Reiicitur tertia responsio.

16 Dices tertiò: repugnare quod eadem res secundum eamdem rationem sit vna, et multiplicabilis, non autem secundum diuersas: natura autem vniuersalis, v.g. natura humana, est vna secundum proprium suum conceptum naturæ, & multiplicabilis secundum conceptum singularitatis: quia non solùm indiuiduatio Petri est diuersa ab indiuiduatione Pauli, sed etiam natura humana vnius est diuersa à natura humana alterius; & cum perit, vel producitur Petrus, non solùm Petreitas, sed etiam eius natura humana perit, & producitur, non destructa, nec producta natura humana Pauli: ergo hæ duæ naturæ

huma-

humanæ non sunt vna, & eadem, sed multiplex, alitèr quis non minùs perridiculè, quàm impiè diceret naturam humanam, quæ est in me fuisse assumptam à Verbo in Christo Domino: natura enim humana Christi Domini eadem per aduersarios est, ac natura humana, quæ est in me.

Reijcitur quarta responsio.

17 Dices quartò, naturam humanam secundum proprium cóceptum esse vnam formaliter, & multiplicem singulariter: non videtur autem repugnans, quòd idem conceptus habeat vnitatē vnius generis, & multiplicitatem alterius, sed solùm, quod sit vnus, & multiplex eodem modo, & genere. Hanc responsionem probat Quiros *disp.* 18. *logicæ*, admissa distinctione ex natura rei inter gradus metaphysicos. Quod confirmat, quia ad vniuersale sufficit vnitas quædam præcisiua, vt patet in vniuersali, quòd formamus per intellectum: iam verò natura distincta ex natura rei à singularitatibus, habet illā vnitatem præcisiuam, quia non est ex se singularizata.

18 Sed contra natura, quam tu dicis formaliter vnam; vel est talis, vt eadem secundum se totam possit multiplicari modo supra explicato; & hoc repugnare supra probauimus: vel non est eo modo multiplicabilis, & sic non est vniuersalis, vt patet ex dictis. Ad id, quod addit Quiros de vnitate præcisiua, dico non esse ita intelligendum, quasi veró ad vniuersale sufficiat præcisio quædam ab vnitate, & multiplicitate: aliter vniuersale non tam esset vnum, & aptum esse in pluribus, quàm conceptus, neque vnus, neque multiplex, sicuti conceptus præscindens ab homine, & non homine, non potest absolutè dici homo: vnitas autem per intellectum dicitur præcisiua, non quia formaliter sit præcisio, ab vnitate, & non vnitas; sed quia ita constituit naturam vnam; vt sit formalis præcisio à differentijs: at reuera colligit in vnum; omnes differentias, & veluti identificat, dum illas confundit.

19 Secundò contra est: natura illa, quam tu distinguis à singularitate, adhuc est vna, & singularis; ergo neque habet vnitatem præcisiuam: antecedens probatur: quia adhuc est hoc vnum indiuisibile in plura se, quæ sint adæquatè idem cum ipsa: sed quod est huiusmodi est maximè singulare: ergo.

Reijcitur quinta responsio.

20 Dices quintò: nō repugnat in creatis aliquod singulare identificatum cum tribus realiter distinctis: ergo neque repugnat natura vna vnitate intrinseca formali, quæ tamen sit multiplex singulariter. Antecedens probatur: quia non repugnat id in Deo. Breuiter sicuti non repugnat ens naturaliter vnum, & personaliter trinum: Ita neque natura formaliter vna, & singulariter multiplex. Okamus in 1. *dist*. 2. *q*. 1. *l*. 1. apud Suarium, & Quiros videtur admittere antecedens, sed oppositum docent communiter Doctores, & sanè si in alio; certè in hoc vel in primis negotio non sunt humane miscenda diuinis: & falsitas huius sententiæ facilè intelligitur ex suppositione, quam fecimus, videlicet repugnare in creaturis identificata discrepare in prædicatis intrinsecis: quam discrepantiam includit antecedens assumptum, quod propterea nego.

21 Cuius falsitas confirmari obiter potest ex Quiros, si subiectū sit capax imperfectionis tribuenda est illi ea imperfectio, cuius respectu ipsius datur causa efficacissima: sed identificari cum realiter distinctis est causa efficacissima ad inferēdam realem distinctionē; si enim hæc causa nō est sufficiens, & efficax, non videtur quænā alia sit futura talis: ergo si aliquod subiectum sit capax imperfectionis, qualis est omnis creatura, illicò vt identificatur cum realiter distinctis, est multiplex, & non omninò idem, ergo implicat aliquod creatum vnum realiter identificatum pluribus realiter distinctis.

22 Ex quibus colligimus tres primas opiniones falsas esse, quia vel reuera nō admittunt naturam, quæ sit vna apta esse in pluribus, modo explicato, vel affirmāt aliquod dicens apertam repugnantiam. Cœterum contra Platonem facit.

Impugnantur ideæ Platonicæ.

23 Primó, quia illa idæa separata non potest adæquatè identificari cum pluribus: tum quia id affirmant, eius Patroni; tum ob rationem supra allatam: ergo non est vniuersalis, nisi forrasse tantum in causando. Secundó, si illa idæa est extrinseca, & separata, Petrus, & Paulus sunt extrinsecè homines ab illa idæa, quæ est forma extrinseca, sicuti sunt extrinsecè cogniti à cognitione extrinseca. Quod si velis Petrum, & quemlibet hominem habere suam humanitatem intrinsecam, ergo primo non constituuntur homines per illam idæam. Secundò, de conceptu huius humanitatis intrinsecæ redeunt argumenta Platonis: est enim inuariabilis, includens necessariò animalitatem, & rationalitatem, & quo ad hoc non subiectus diuinę libertati: ergo non solùm illa humanitas separata; sed etiam hæc coniuncta debet esse quid æternum, increatum, immēsum, ingenerabile, & incorruptibile; quod esse absurdum de vtraque facilè probatur: quidquid enim est extra Deum, necessariò est quid generabile, corruptibile, ac limitatum.

24 Ad rationes autem, quas adducebamus initio pro Platone, dico hominem, qui cognoscitur per actum imperfectum intellectus, ex parte obiecti non esse nisi Petrum, & Paulum, & reliqua indiuidua; quamuis hæc indiuidua non cognoscantur clarè per illum actum. Rursus homo ille est restrictus ad habendas aliquas circumstantias loci, temporis, &c. in singulis indiuiduis; ita vt quodlibet indiuiduum necessariò exigat esse in aliquo tempore, & loco; licet nō determinatè potius exigat hoc, quàm illud spatium temporis, ex quo potiùs infertur illum hominem esse quid materiale, quamuis per illum actum imperfectum non exprimantur illæ circūstantiæ, neque ordo ad illas. Quare nulla est necessitas, vt præter conceptus singulares hominum ex parte obiecti detur homo quidam vniuersalis, immaterialis, immutabilis, qui sit idæa singularium, ad cuius similitudinem fiant indiuidua

dua humana, sicuti domus imitatur idæam spiritualem, quæ est in mente Artificis.

Quo modo admittēdæ sint idææ.

25 Non negauerim tamē debere omne opus creatum causari ab idæa, quæ sit immutabilis, æterna, & increata: verum hæc idæa non est nisi natura diuina. Quare si Plato, vt volunt nonnulli, inter quos S. Augustinus, per idæas intellexit rationes æternas, & increatas rerum omnium, quæ sunt in diuina mente, & natura; verum docuit, quamuis fortasse, quia obscurè locutus est, dederit æmulis ansam, vt ipsum malè intelligerent, & calumniarentur. Illud autem est apertè falsum, indiuidua deindè constitui per illas idæas.

26 Hinc patet falsum etiam esse tantū hominem vniuersalem esse obiectū intellectus, quamuis vniuersalis homo non constituatur, nisi per actum intellectus. Verùm fortasse est, sensus non versari, nisi circa singularia; imò solùm circa accidentia sensibilia, quibus substantiæ vestiuntur: quæ accidentia causant sensationem sui fluxam, & mutabilem, quia non semper perseuerant eadem, neque semper sunt præsentia, & cum sensatio, præsertim, externa dependeat ab obiecti præsentia, ideò facilè mutatur, & fluit.

Quo modo noster intellectus formet definitiones, & primos rerum conceptus.

27 Attamen intellectus humanus format definitiones, & demonstrationes immutabiles, non solùm de substantijs, sed etiam de accidentibus: mouetur autem ad huiusmodi definitiones conficiendas, non ab aliquo obiecto realiter vniuersali, immutabili, & necessario; sed dependenter ab aliqua experientia per sensus habita, qua posita illicò formatur in intellectu conceptus aliquis vniuersalis per se notus, sub quo continentur omnia particularia, & per quē valeant distingui ab omni, quod non participat illam rationem obiectiuam: hic autem conceptus dicitur immutabilis vniuersalis, & necessarius, non quia, vel ipse in se sit increatum quid, cum aliquando cesset, & non nisi in tempore incipiat: neque quia huiusmodi prædicata participet illius obiectum; sed quia est ita proprius obiecti, vt obiectum non possit esse realiter, neque rectè concipi spoliatum ea ratione, quæ exprimitur per illum conceptum, & consequenter datur aliqua cognitio necessaria exprimens talem connexionem, & rationem, qualis est actus diuini intellectus, cuius participatio, & imitatio, licet imperfecta, est noster ille actus exprimens rationes illas communes, quibus constant definitiones.

28 Ex quo patet secundò falsum assumi ab Aduersarijs res eo modo esse in se, quo modo sunt in cognoscente: Ex quo principio Plato inferebat suam opinionem. Heraclitus autem inferebat nullam dari scientiam: falsò, ignam etiam respectu sensuum: colores enim non sunt eodem modo in se ipsis, ac sunt in oculo: nam in se ipsis sunt ita dependentes à subiecto, vt diuersi colores supponant in subiecto diuersum temperamentum: neque enim subiectum retinens idem temperamentum primarum qualitatum potest transire de vno ad alium colorem: at oculus potest sine mutatione sui temperamenti transire de visione vnius coloris ad visionem alterius. Rursus in eadem parte subiecti non sunt plures colores, sicuti sunt in eodem oculo plures plurium colorum visiones. Ratio autem à priori est, quia entia cognoscitiua habent quamdam vniuersalitatem, ratione cuius possint alia ad se trahere, & fieri quodammodo omnia, & ideò Aristoteles docuit, quod intellectus intelligendo fit omnia: quin imò reliqua perfectiori modo sunt in intellectu, quàm in se: nam per hoc, quod sint in se, non fundant aliquod gaudium subiecti, in quo sunt; at si sint in intellectu, possunt fundare gaudium.

29 Instabis primò, sensus materialis non potest versari circa obiectum spirituale: ergo neque intellectus spiritualis circa obiectum materiale. Nego consequentiam, quia spirituale, vtpotè superioris ordinis sine vllo absurdo dicitur esse supra sphæram potentiæ materialis, quod non militat in intellectu respectu rei materialis.

30 Instabis secundò: veritas necessaria non potest fundari in subiecto contingente. Nego antecedens; quia subiectum contingens potest in se, vel in alio ostendere eam prædicatorum connexionem, quæ sufficiens sit ad formandas propositiones, quas appellant æternæ veritatis.

Impugnatur sententia Fonsecæ.

31 Deindè contra sententiam Fonsecæ, facit primò: quia non minùs natura est indifferens ad hanc, vel illam indiuiduationem, quàm hæc indiuiduatio ad hanc, vel illam naturam: neque enim aliqua in hoc puncto potest assignari rationabilis disparitas: Ergo non minùs natura, quàm indiuiduatio est vniuersalis propter similē indifferentiam. Secundò gratis fingitur status ille indifferentiæ. Tertiò ante contractionem dātur plures naturæ, quælibet indifferens ad plura indiuidua; quæro ergo quomodo differunt illæ naturæ humanæ? non specie; aliter Petrus, & Paulus specie differrent, sicuti equus, & leo: haberent enim naturas specie differentes: si solo numero; ergo illæ naturæ sunt indiuidua: differentia enim indiuidualis, & numerica non est nisi inter indiuidua.

32 Contra vnitatem negatiuam facit, quia si natura Petri, & Pauli præcisis singularitatibus sunt idem, idem perseuerant positis singularitatibus: prædicata enim identificata rei, si res perseuerat, perseuerant necessariò, additis, vel ablatis quibuscumque alijs. Rursus vel naturæ illæ possunt præscindere à singularitatibus, vel habent ex se repugnantiam ad illam præcisionem? Si secundum; ergo habent repugnantiam ad vnitatem, quæ non est, nisi illa præcisio: si primum; ergo possunt absolutè illæ naturæ spoliari differentijs, & fieri vnum ex distinctis, quod supra impugnauimus: hoc enim est veram naturam habere ex se indifferentiam ad identitatem cum alia. Reliquæ sententiæ iam supra satis reiectæ sunt.

I SECTIO

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiectiones.

1 Objicies primò ad minùs admissa distinctione ex natura rei inter gradus superiores, & inferiores, debet admitti vniuersale: natura enim Petri, vt distincta à singularitate, non est singularis, aliter erit singularis ex se, & non per singularitatem superadditam: ergo erit vniuersalis: inter singulare enim, & vniuersale non datur medium. Respondeo, data ea suppositione, verumque fortasse sequi. Cæterum distinguo illam propositionem natura Petri, vt distincta à singularitate, non est singularis singularitate vltima, & adæquata; concedo: inadæquata; nego antecedens, & consequentiam. Natura Petri habet singularitatem: quia distinguitur ab omni alia natura, & non specie: ergo numero. Non tamen habet singularitatem adæquatam, & vltimam: quia adhuc complenda est per vltimam indiuiduationem in ordine ad complendum hoc indiuiduum, sicuti materia determinatur ad constituendum vltimò hominem per vnionem ad animam rationalem.

2 Objicies secundò: natura humana non est singularis: ergo est vniuersalis; consequentia probatur, quia inter singulare, & vniuersale non datur medium. Distinguo antecedens, tota natura humana non est singularis, concedo: quælibet; nego antecedens, & consequentiam. Tota natura humana est collectio omnium indiuiduorum hominum: & hæc collectio non est vnum ens singulare, sed multitudo, & plura; quælibet tamen natura est in suo indiuiduo singularis. Ad probationem consequentiæ do inter vnum singulare, & vniuersale non dari aliud vnum medium. Tota autem natura humana non est aliquid absoluté vnum.

3 Objicies tertiò: independenter ab operatione intellectus Petrus, & Paulus sunt vnus specie homo: ergo illorum humanitas habet vnitatem vniuersalem. Antecedens probatur: Petrus, & Paulus non differunt specie, & essentialiter: ergo sunt specie, & essentialiter vnus homo. Confirmatur differentiæ numericæ, & materiales diuidunt naturam in plura indiuidua: ergo supponunt naturam vnam, non enim diuiditur, nisi quod est vnum.

4 Distinguo antecedens. Petrus, & Paulus independenter ab operatione intellectus sunt vnus homo formaliter; nego: fundamentaliter, & per similitudinem; concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis, distinguo illam propositionem: Petrus, & Paulus non differunt essentialiter, quia non sunt dissimiles in prædicatis essentialibus; concedo: quia non habent essentias intrinsecè diuersas nego: permitto autem, quod non differant specie, & nego consequentiam. Realiter enim Petrum, & Paulum non differre specie, non est esse realiter, & verè vnum, sed solù habere prædicata essentialia similia, quod non solùm excludit, sed necessario supponit pluralitatem illorum prædicatorum: similitudo enim supponit pluritatem: quare ex eo quod Petrus, & Paulus non differant specie, non infertur, quod realiter illorum humanitas sit vna. Ad summum igitur habent vnitatem similitudinis, & fundamentalem, quia videlicet est fundamentum, vt intellectus illos confusè concipiat, & constituat suo modo vnum. Ad confirmationem, distinguo maiorem: differentiæ indiuiduales diuidunt naturam realiter; nego: per intellectum; concedo. Ex quo solùm infertur naturam esse vnam per intellectum: de quo infra. Natura igitur realiter est multiplex, & diuisa: post quam autem per conceptum confusum constituta est vna, potest per conceptus clariores diuidi in plura.

5 Et in hoc sensu accipio Philosophum 5. *m.* t. 9. & 15. vbi *eadem*, inquit, *sunt, quorum substantia est vna: similia sunt, quorum qualitas est vna: æqualia, quorum quantitas est vna:* Vox enim una significat unitatem iam explicatam, ut patet ex t. *Top.* c. 14. *Considerandum*, inquit, *quæ sunt sub eodem genere, si quid inest omnibus idem, vt homini, equo, & cani, natura, si inest aliquid eis idem, in eo sunt similia.* ubi confundit unitatem cum similitudine. Quia uerò hæc similitudo potest esse maior, & minor, ideo datur maior, & minor unitas fundamentalia.

6 Aduertò autem hic primò: similitudinem sufficere, ut plura possint unica definitione definiri, sicuti vnico actu concipi, in quo casu illa defintio est una ex parte actus, quia est unus actus attingens confusè plura; quare non est adæquata definitio illorum plurium.

7 Secundò nomen uniuocum significat aliquod unum, sed unitate extrinseca, & intentionali: non autem reali, nisi tantùm per similitudinem.

8 Tertiò obiecta scientiarum sunt plerumque realia, sed non realiter uniuersalia, nisi tantùm fundamentalitèr: quia scientiæ humanæ plerumque considerant plura conuenientia.

9 Quartò illa propositio: non ideò est possibilis homo, quia Petrus est possibilis; sed ideò possibilis est Petrus, quia est possibilis homo, non significat possibilitatem humanitatis Petri in aliquo priori ad possibitaté Petri: cum hæc duo non distinguantur: sed solùm exprimit quamdam prioritatem secundùm subsistendi consequentiam, cum enim homo sit collectio omnium hominum; si est possibilis homo ualet consequẽtia, ergo est possibilis Petrus, qui est pars illius collectionis: at formaliter, & immediatè non ualet, est possibilis Petrus, ergo est possibilis illa collectio.

10 Quintò natura abstracta est quidem quid reale, sed includens formam extrinsecam, qui est actus intellectus: quare realiter dantur vniuersalia, & non sunt meræ voces, sed res expressæ per voces, seu terminos vocales communes. Verùm non dantur independentèr ab operatione intellectus; ideoque benè diuisit Aristoteles ens in vniuersale, & singulare, quamuis vniuersale non detur independentèr ab intellectu.

11 Vt-

11 Vrgebis relatiua sunt in eodem statu: sed vniuersale, & singularia sunt relatiua: ergo hæc duo sunt in eodem statu. Respondeo, distinguo maiorem relatiua vera, & physica sunt in eodem statu transeat: datur enim inter illa physicus nexus realiter trahens illa secum ad statum realitatis: relatiua secundum dici, & impropria; nego: quia cum inter huiusmodi relatiua non sit physicus nexus, sed tantùm unum explicetur per aliud, non debent esse neque simul, neque in eodem statu. Vniuersale autem, & singulare sunt relatiua secundi ordinis. His adde vniuersale, & singulare posse simul esse in statu intentionali, pro quo tantùm sunt relatiua.

SECTIO QVARTA.

Vtrum natura fieri possit vniuersalis per intellectum.

1 NOtandum est vniuersale concipi, vt quoddam concretum ex forma, & subiecto: forma est vnitas, & aptitudo ad essendum in pluribus: subiectum autem est illud, quod denominatur unum, & aptum: sicuti in concreto albo, forma est albedo; subiectum, quod per illam denominatur album. Sensus igitur quæstionis est an saltem per intellectum, detur hoc unum aptum ad essendum in pluribus, & quodnam sit illius substratũ, & forma. Sit igitur.

SVBSECTIO PRIMA.

Referuntur variæ de hac re opiniones.

Vniuersale non est idolum fictum

2 NOn est una omnium in hoc negotio mens. Et primò quidem aliqui apud Arriagam *disp.6. log. sect.1.* docent uniuersale esse simulacrum, seu idolum quoddam ab intellectu confictum, in quo reperiuntur prædicata similia prædicatis indiuiduorum, de quibus per similitudinem prædicatur; cum ipsum idolum uerè prædicari non possit de singularibus. Fictum enim, & impossibile, sicuti non potest uerè identificari cum indiuidois realibus; ita neque de illis prædicari: prædicatio enim uera fundatur in reali identitate. Non igitur ipsum idolum uerè prædicatur de singularibus; sed prædicatá realia, quibus est simile ipsum idolũ, & quæ sunt realiter idem cum ipsis indiuiduis.

3 Sed contra: quia si illud idolum non est prædicabile de singularibus, nulla est necessitas cur concipiatur: termini enim uniuersales concipi debent, ut sint subiectum, & prædicatum conclusionis scientificæ humanæ.

Substratum vniuersalis non est formalitas indiuisibilis.

4 Secundò alij docent, subiectum vniuersalis esse formalitatem quamdam indiuisibilem, quæ secundum se totam conueniat cuique inferiori, & de illis prædicetur. Hanc autem formalitatem dicunt esse obiectum cognitionis præcisiuæ.

5 Sed contra: illa formalitas indiuisibilis vel est ipsa adæquatè vniuersalis, ita vt non solùm sit subiectum, quod denominatur vnum aptum esse in pluribus: sed etiam includat vnitatem, & aptitudinem: vel non; sed tantùm est subiectum, quod denominatur vnum aptum? Si primum; certè hæc formalitas indiuisibilis non est impossibilis, aliter non posset prædicari verè de singularibus: ergo est reale quid. Quæro ergo: vel hoc reale includit aliquam cognitionem, vel non? si secundum ergo illa formalitas non est, nisi collectio singularium, reale enim distinctum à cognitione non est nisi vel singulare, vel collectio singularium. Rursus ergo iam vniuersale habetur præcisa cognitione extra animam. Neque dicas illam formalitatem produci á cognitione: primò, quia cognitiones non producunt sua obiecta regularitèr loquendo. Secundò, si producitur à cognitione, ergo non identificatur indiuiduis, neque potest de illis prædicari. Si dicas illam formalitatem includere cognitionem, redit argumentum; quodnam sit obiectum talis cognitionis ab ipsa contradistinctum? certé non est aliquod impossibile, hoc enim non posset prædicari de singularibus. Si dicas esse reale, profectò reale non est, nisi vel singulare, vel collectio singularium: ergo illa formalitas indiuisibilis non est, nisi cognitio, & aliquod vnum singulare, vel multitudo singularium, quod non admittent, credo, aduersarij. Et sanè si est cognitio, & vnum singulare, non videtur quo modo possit prædicari de pluribus. Si autem est cognitio, & collectio singularium, primò hoc conflatum non videtur participare rationem formalitatis indiuisibilis: secundò, adhuc explicari debet, quomodo illud conflatum sit vnum aptum esse in pluribus secundùm se totum; quod requiri ad naturam vniuersalis supra probauimus.

6 Si verò dicas illam formalitatem indiuisibilem non esse totum vniuersale, sed tantùm illius substratum; vrgetis quæstionibus supra positis; nam hoc substratum vel est quid impossibile, vel reale? si reale vel includit cognitionem, vel non? quodcumque dixeris redeunt argumenta supra facta, quæ facilè applicari possunt ad impugnandas responsiones, quas afferũt aduersarij dicentes, illam formalitatem esse v. g. animal sumptum secundum suum esse intentionale, & præcisum, uel inadæquaté sumptum, uel prædicatum animalis secundum se consideratum prascindendo á statu reali, uel intentionali: quocumque enim ex his modis sumatur, semper redeunt illæ quæstiones; sit ne impossibile: an reale; includat ne cognitioné, &c.

7 Dices cum Comptono argumentum esse fallax: quia transit à statu reali ad statum intentionalem. Sed contra: quia nulla est fallacia dissoluere illud concretum in suas partes, & quærere quidnam sint illæ partes, quas includit: sicuti nulla est fallacia dissoluere album in suas partes, & quærere illarum naturam. Neque á me committitur transitus à statu intentionali ad statum realem: non enim à prædicatis, quæ habet animal, v.g. in statu intentionali á cogni-

tione, ego argumentor prædicata realia animalis; sed tantùm inquiro, quid sit animal contradistinctum à cognitione, quam terminat.

8 Vrgebis neque nos possumus assignare obiectum cognitionis, qua homo attingitur sine vbicatione. Nego assumptum: est enim obiectum illius cognitionis homo secundum suum esse intrinsecum, & reale trahens necessariò aliquam vbicationem.

9 Hinc infero, præcisiones obiectiuas non conferre ad constitutionem vniuersalis per intellectum; tum quia implicant: tum quia non potest assignari obiectum, quod per illas fit vnum. Et si supponas vnam formalitatem intrinsecè virtualiter distinctam ab alia, v. g. animalitatem Pauli ab eiusdem rationalitate; primò illa animalitas Pauli, vt virtualiter distincta à rationalitate, non est apta prædicari de pluribus secundum se, quia secundum se non identificatur cum pluribus: neque secundò illā aptitudinem potest recipere à cognitione, qua præscinditur à rationali; nam per illam cognitionem non intrinsecè mutatur, neque fieri potest vt eadem intrinsecè identificetur pluribus: ergo illa animalitas non potest esse substratum vniuersalis, & cōstitui vna apta esse in pluribus.

Vniuersale non est natura per formam realem intrinsecè vna.

10 Tertia sententia est illorum, qui docent naturam vniuersalem debere esse intrinsecè vnam. Hanc autem vnitatem intrinsecam non omnes eodem modo explicant. Nam primo aliqui docent naturam fieri intrinsecè vnam formaliter per cognitionem præcisiuam ex parte obiecti: quia per illam natura spoliatur differentijs intrinsecis. Sed contra sic arguo: cognitio præcisiua est vnitas extrinseca obiecto: ergo non potest constituere obiectum intrinsecè vnū. Probo antecedens; cognitio præcisiua est extrinseca obiecto; ergo vnitas, quæ identificatur cognitioni præcisiuæ, est extrinseca obiecto. Consequentia prima probatur: vnitas extrinseca non potest constituere naturam intrinsecè vnam: nam sicuti vnitas constituit vnum, ita vnitas extrinseca constituit obiectum extrinsecè vnum, & intrinseca intrinsecè vnum.

11 Neque dicas: cognitionem præcisiuam constituere naturam intrinsecè vnam, quia spoliat differentijs intrinsecis; nam quamuis spoliet naturam differentijs intrinsecis, non tamen spoliat intrinsecè differentijs intrinsecis: ergo non constituit naturam intrinsecè vnam. Antecedens patet; quia est forma extrinseca, ergo non potest intrinsecè formaliter spoliare. Probo primam consequentiam: natura extrinsecè tantùm spoliata differentijs intrinsecis non est intrinsecè vna: sed per cognitionem præcisiuam natura tantùm extrinsecè spoliatur differentijs intrinsecis: ergo per cognitionem præcisiuam non fit formaliter intrinsecè vna. Maior probatur: natura extrinsecè tantùm spoliata differentijs intrinsecis, adhuc retinet intrinsecè differentias: nam intrinsecè non spoliatur differentijs intrinsecis; ergo non est intrinsecè vna, sed multiplex. Confirmatur, quia cognitio, quæ attingit prædicata intrinseca Petri, v. g. non constituit Petrum intrinsecè cognitum: quia ipsa cognitio est forma extrinseca.

12 Secundò alij docent, naturam fieri intrinsecè vnam formaliter, non per cognitionem præcisiuam, sed per carentias intrinsecas differentiarum. Et hi quidem diuisi sunt in duas classes. sunt enim, qui putant huiusmodi carentias intrinsecas, & impossibiles non cognosci, sed posita cognitione præcisiua, siue ex parte obiecti, siue ex parte actus, illicò resultare in natura pro statu intentionali. Sed contra hos sic vrgeo: huiusmodi carentiæ sunt fictæ, & impossibiles: ergo non possunt resultare physicè in statu intentionali per hoc, quod physicè causentur, sicuti causantur ab intellectu cognitiones, vel species intelligibiles: ergo tantùm possunt resultare obiectiuè: quia cognoscuntur: ergo falsum est, quod resultent, & non cognoscantur. Quare.

Est ne natura vniuersalis intrinsecè vna per formā fictam?

13 Melius fortasse alij dicunt huiusmodi carentias cognosci in natura, & constituere illam vnam intrinsecè. Et quidem si velint, quod possit intellectus cognoscere illas carentias in natura, non mihi videntur in aliquo reprehensibiles: si enim intellectus potest attingere obiecta impossibilia; non est cur non possit in natura cognoscere illam carentiam differentiarū. Neque mihi videntur à vero aberrare, si dicant, naturam aliquo modo constitui vnam per illas carentias, quia natura affecta illis carentijs cognoscitur, vt excludens multiplicitatem: ergo cognoscitur, vt aliquo modo vna.

14 Idem esto iudicium de illorum sententia, qui dicere possint, naturam constitui vnam per vnitatem quamdam fictam intrinsecam naturæ, & positiuam, veluti identificantem omnia indiuidua illius naturæ. Si enim solum velint, quòd intellectus possit concipere naturam affectam illam vnitate, & quod natura ita concepta sit vna chimericé, & cognoscatur vt vna; non video in quo deficiant. Certè quidem dum negamus possibilitatem vniuersalis realis, & tales vnitates, iam eas concipimus.

15 Solum mihi displiceret, si simul assererent, non posse alio modo naturam constitui vnam, & aptam, vt sit subiectum, & prædicatum vniuersale scientificarum demonstrationum: ad hæc enim munera nullo modo requiruntur illæ fictiones, vt patet experientia. Neque in alio hic debemus elaborare, nisi vt assignemus modum, quo natura possit constitui vtiliter vniuersalis in ordine ad scientias acquirendas, cui fini videntur potius opponi, quam fauere illæ fictiones. quidquid sit deinde, verum illa vnitas, quæ haberetur ab aliqua forma extrinseca sit absolutè dicenda vnitas, & natura tali vnitate affecta absolutè vna. Cæterum sicuti non repugnat quòd denominatio cogniti modò sit à forma intrinseca vt cum Angelus cognoscit se ipsum, modò à forma extrinseca, vt cum idem Angelus cognoscitur ab alio, ita neque videtur repugnans quòd per intellectum natura constitui possit tum intrin-

intrinsecè vna à forma intrinseca, tum extrinsecè à forma extrinseca. Illud hic addo, malè in fauorem huius vnitatis fictæ, & intrinsecæ argui; quia per illam natura constituitur intrinsecè, ac proinde perfectiori modo vna. Non enim est perfectior vnio quamuis intrinseca, sed ficta, quàm realis extrinseca: neque est perfectiùs vna, natura intrinsece sed chimæricè vna, quàm realiter extrinsecè vna: Ratio est: quia vnitas ficta est vnitas non vnitas, & absolutè nihil est, & nulla perfectio. Quod non verificatur de vnitate extrinseca. Et natura chimæricè vna, est absolutè impossibilis, & prorsus nulla.

16 Quarta demum sententia, quam sequor, docet naturam constitui vnam, & vniuersalem extrinsecè, per formam extrinsecam, hanc autem esse cognitionem præcisiuam ex parte actus, ita confusè attingentem plura similia; vt non distinguat inter vnum, & aliud illorum. Hæc sententia est communis apud Recentiores, præsertim eos, qui negant præcisiones obiectiuas, vt autem clarius procedamus, sit.

SVBSECTIO SECVNDA.

Definio propriam sententiam de subiecto, & forma vnius intentionalis.

Substratũ vniuersalis est indiuiduorũ collectio.

17 DIco primó, substratum naturæ vnius, quæ apta sit cum veritate prædicari de pluribus, & consequenter vtilis scientijs, est collectio plurium indiuiduorum. Probatur: substratum vniuersalis debet esse quid reale; & identificatum pluribus; aliter non posset de pluribus prædicari: ergo non potest esse nisi collectio omnium indiuiduorum. Omnia patent ex dictis.

Naturã fit extrinsecè vna per actum præcisiuum confusum: neq; ad illã vnitatẽ requiritur carẽtia cognitionis claræ.

18 Dico secundó: natura quæ realiter, & intrinsecè est multiplex, potest in statu intentionali fieri vna, vnitate vtili ad scientificas prædicationes, per actum præcisiuum confusum. Hæc conclusio duas habet partes, & in prima quidem dicimus intellectum humanum posse plura, imo infinita ita confusè cognoscere, vt non distinguat inter vnum & aliud illorum: secunda est quod illa cognitio confusa sit vnitas vtilis prædicationibus scientificis.

19 Prima igitur pars satis colligitur ex ijs, quæ diximus de præcisionibus. Confirmari vlterius potest ipsa experientia: intellectus enim noster dependenter ab experientia habita per sensus de singularibus, format conceptus quosdam, qui plura sub se continent, non distinguendo inter illa: ex quibus conceptibus construit definitiones, & prima principia complexa. Sic ex cognitione experimentali, qua dependenter à visione intellectus cognoscit albedinem, format conceptum vniuersalem albedinis, quin & coloris, independentem à circumstantijs loci, & temporis, & similibus accidentaliter indiuiduantibus. Cuius rei ratio esse potest, quia noster intellectus, & animæ, licet vniantur corpori, & consequenter dependeant aliquo modo in operando ab illo, & sensationibus; tamen, cum sint ab illo, & à circumstantijs alijs corporalibus independentes in essendo; ideo operando cum conformitate ad suum modum essendi, debent posse concipere res independenter ab illis circumstantijs accidentaliter indiuiduantibus; & cum non possint indiuiduationem substantialem in se attingere, sed tantum vnum indiuiduum ab alio distinguant per ordinem ad has indiuiduationes accidentales; sicuti possunt præscindere ab his circumstantijs, ita & formare quosdam conceptus communes, quibus ita plura attingant, vt non distinguant inter illa. In quo modo operandi ostenditur simul aliqua perfectio, & aliqua imperfectio nostri intellectus: perfectio in eo, quod possit plura simul attingere, ac proinde quod sit potentia quædam vniuersalis: imperfectio: quia illa confundit, & non distinguit.

20 Secunda pars, quod videlicet illa cognitio confusa constituat naturam vnam vnitate apta vt inseruiat scientijs; probatur: quia illa plura hoc modo confusa iam apparent vt vnum: ergo iam possunt simul sumi, & constitui vnum subiectum scientiarum: ergo per illam cognitionem confusam iam natura constituitur vna vnitate apta, vt inseruiat scientijs.

21 Hinc patet ad vnitatem naturæ, de qua loquimur, non requiri carentiam omnis cognitionis claræ: sufficit enim si ad sit illa cognitio confusa: quia cognitio confusa semper inuariabiliter præstat hunc effectum formalem, vt illa plura ex vi ipsius appareant vt vnum, & non exerceant munus distinguendi: ergo quamuis adsint aliæ cognitiones claræ diuidentes illud vnum in suas partes; adhuc illud est vnum ex vi cognitionis confusæ: ergo ad vnitatem illam non requiritur carentia omnis cognitionis claræ. Antecedens probatur, quia adhuc illa plura quatenus stant sub illa cognitione confusa, & ex vi illius non distinguuntur. Prima consequentia probatur: illico vt plura ex vi alicuius cognitionis amittunt munus plurificandi, veluti vniuntur per illam formam: dum constituuntur vnus terminus propositionis.

22 Sed vrgebis, forma, quæ non est incompossibilis cum multiplicitate pro statu intentionali, non est vnitas intentionalis: sed cognitio illa confusa secundum se, præcisa carentia cognitionis claræ, non est incompossibilis pro statu intentionali cum multiplicitate: ergo cognitio confusa præcisa carentia cognitionis claræ nõ est vnitas intentionalis: ergo vnitas intentionalis dicit etiam illam carentiam. Minor est certa: quia cognitio præcisiua est quædam cognitio imperfecta, quæ benè componi potest cum cognitione perfectiori, & clariori: ergo benè componi potest cum multiplicitate intentionali, quæ non est nisi cognitio illa clarior. Maior probatur: omnis vnitas est incõpossibilis cum multiplicitate, vt patet in vnitate reali: ergo etiam vnitas intentionalis est incompossibilis cum multiplicitate intentionali: ergo forma, quæ caret hac incompossibilitate non est vnitas. Ita doctissimus magister meus Requesenius huius Panor-

normitanæ Vniuersitatis decus, & ornamentum.

23 Nego absolutè maiorem: ad cuius probationem distinguo antecedens: vnitas realis, & intrinseca est incompossibilis cum multiplicitate reali; concedo: vnitas extrinseca, & intentionalis; nego antecedens. Disparitas; quia vnitas realis est identificata cum re vna, sicuti multiplicitas realis cum re multiplici: ergo non potest vnitas realis componi cum multiplicitate eiusdem rei: aliter illa multa essent multa, & non essent multa, quia identificarentur adæquatè cum illo vno: ergo essent adæquatè, & intrinsecè idē inter se: hoc autem absurdum non sequitur in vnitate intentionali: quia nullum est absurdum quòd plura per vnum actum intellectus copulētur, & per aliud diuidantur: id enim solum arguit, quòd simul sint in eodem intellectu duo actus circa illa plura alter altero perfectior. His adde vnitatem illam intentionalem esse vnitatem imperfectam, & secundum quid: quare non debet in omnibus assimilari vnitati reali, ac perfectæ: sicuti esse intentionale est esse secundum quid, & non absolutè, & simpliciter tale.

24 Vrgebis iterum, ad minus illæ carentiæ cognitionis claræ sunt aliqua vnitas: excludunt enim multiplicitatem. Nego assumptum. Licet enim excludant multiplicitatem, quia tamen nō connectuntur necessariò cum esse naturæ pro statu obiectiuo, vt patet, cum nihil cognoscant; non sunt illius vnitas; quia vnitas est proprietas necessariò consequens, & comitans rem vnam.

SVBSECTIO TERTIA.

Soluuntur obiectiones contra allatam doctrinā.

25 Obijcies primò: cognitio confusa attingit differentias, ergo non est vnitas. Antecedens patet, quia non admittimus præcisiones obiectiuas. Consequentia probatur: vnitas intentionalis non debet ponere differentias pro statu obiectiuo: sed cognitio attingens differentias, qualis est præcisiua ponit differentias pro statu obiectiuo: ponere enim aliquod pro statu obiectiuo est illud cognoscere: ergo cognitio attigens differentias, qualis est præcisiua à nobis explicata, non est vnitas intentionalis.

Per conceptum confusum nō attinguntur differentiæ sub conceptu differentiarum.

26 Distinguo antecedens: attingit differentias clarè, & distinguendo inter illas, nego: confusè; concedo: & nego consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem: vnitas intentionalis non debet ponere differentias pro statu obiectiuo distinguendo inter illas; concedo: sic enim poneret multitudinem: confundendo; nego: quia si confundit illas, iam reddit illas vnum. Et distinguo minorem: cognitio attingens differentias ponit illas pro statu obiectiuo, si clarè attingat; concedo: si confusè; subdistinguo: ponit illas pro statu obiectiuo sub conceptu differentiarum; nego: non sub illo conceptu, imo impediendo exercitium differentiarum; concedo minorem, & nego consequentiam. Cognitio confusa ponit quidem differentias pro statu obiectiuo, sed non sub conceptu differentiarum: quia non exprimit illarum diuersitatem. Rursus differentiæ illo modo positæ impediuntur, ne exerceant munus differentiarum, quod est distinguere, ac diuidere: at confusé cognitæ non diuidunt, imò potius vniuntur; ergo eodem modo se habent, ac si non essēt. Cæterum in statu reali differentiæ, non sunt in natura, nisi vnico modo intrinsecè, & per idētitatem: quare mirū non est si à parte rei semper diuidant naturam. Vndè vlterius patet naturam etiam post præcisionē remanere intrinsecé multiplicem: illa enim multiplicitas est essentialis naturæ: cognitio autem non mutat essentias rerū.

27 Instabis: ex eo, quod quis non cognoscat diuinam bonitatem, & malitiam dæmonis, non sequitur, quòd Deus non sit bonus, & dæmon malus: ergo ex eo, quod quis non cognoscat multitudinem naturæ, non sequitur, quòd natura non sit multiplex. Respondeo, distinguo antecedens: ex eo, quòd quis non cognoscat diuinā bonitatem, & malitiam dæmonis, non sequitur, quod Deus non sit intentionaliter bonus, & dæmon non sit intentionaliter malus; nego: realiter concedo: & distincto eodem modo consequenti, nego consequentiam. Illud hic aduerto cognitionem, qua quis cognoscit Deum, & non attingit explicitè eius bonitatem, non constituere Deum extrinsecè malum: quia non est malitia Dei: at cognitio confusa est formaliter vnitas; sicuti formaliter est confusio: ergo mirum non est si constituat plura extrinsecè vnum.

28 Instabis iterum: similitudo plurium nō est illorum vnitas: ergo neque cognitio confusa. Nego consequentiam: quia similitudo non affert vnitatem, sed necessarió dicit pluralitatem, licet sit fundamentum confusionis: at confusio intentionalis ita plura attingit, vt illa commisceat, & faciat vnū, dum formaliter quatenus illa plura attinguntur per talem actum, non apparent vt vnum, & alterum: quod si quis nolit hanc vnitatem extrinsecam dicere simpliciter, & perfectè vnitatem, non multùm laboro, dummodò ita constituat obiectum vnum, vt sit aptum subiectū scientiæ humanæ: neque est alia necessitas vnitatis vniuersalis, vt sæpius notauimus.

29 Obijcies secundo: non datur ens extrinsecè ens: ergo neque datur vnum extrinsecé vnum. Et confirmatur: non datur homo extrinsecè homo: & sicuti homo extrinsecé talis non esset absoluté, sed solùm apparenter homo; ita vnum extrinsecé vnum non est absolutè, sed solùm apparenter vnum. Respondeo multa constitui talia entia per formam extrinsecam: sic Petrus, qui ex se intrinsecé est ens, constituitur ens cognitum per cognitionem sibi extrinsecam, & in hoc sensu negari posset antecedens: verum quidem est, quod omnis conceptus positiuus est ex se intrinsecè ens: quia quilibet conceptus positiuus per se ipsum est suum esse, & ideò omnis conceptus positiuus est intrinsecé ens, licet possit recipere aliquod esse, & denominationem superadditam á forma extrinseca: at non omnis

Quomodo vnitas potest esse extrinseca.

con-

ceptus positiuus realis est absolutè vnum ens: multitudo enim non est absolutè vnum ens: hæc ergo multitudo similium non est, cur non possit extrinsecè constitui vna per cognitionem confusam: & in hoc sensu nego consequentiam. Quod si velis, vt illud, quod est extrinsecè vnum, non sit absolutè, sed solùm apparenter vnum, sicuti illud, quod est extrinsecè tantùm ens, & homo, non est absolutè, sed tantùm apparenter homo, & ens; non curo de vocabulo, dummodo mihi concedatur illud vnum esse aptum subiectum scientiarum humanarum. Illud hic addo, cognitionem hominis, non posse dici hominem, neque humanitatem, quia non est animal rationale, licet attingat animal rationale; at cognitio confusa, quamuis non attingat vnitatem, adhuc est formaliter vnitas, quia, vt vidimus, dum plura confundit illa suo modo vnificat, ac identificat, & reddit indiuisum quid.

30 Ex quibus patet denominationem vnius esse ex illis, quæ possunt haberi, tum à forma intrinseca, tum à forma extrinseca: cuius rei ratio est, quia denominatio vnius est non solùm realis, sed aliquando intentionalis, per quam videlicet obiectum constituitur subiectum proximè aptum considerationi scientificæ, qualis est cognitio, quæ est forma extrinseca.

Cognitio præcisiua non attingit naturā, vt vnam; nisi reflectat supra se ipsam.

31 Obijcies tertiò: cognitio hæc præcisiua vel attingit naturam, vt vnam, attingendo vnitatem, vel vt multiplicem: omne enim quod cognoscitur, vel attingitur, vt vnum, vel vt multiplex: vnum enim, & multa sunt proprietates vniuersalissimæ entis. Si primum; ergo vnitas distinguitur à cognitione confusa; cognitio enim vnitatis distinguitur ab vnitate. Si secundum; ergo illa cognitio non constituit naturam vnam: iam enim si attingit multiplicitatem, ostendit vnum, vt diuersum ab alio. Respondeo, si quælibet cognitio est reflexiua supra se ipsam, cognitionem præcisiuam attingere naturam vt vnam, & attingere vnitatem, nempè se ipsam. Sin cognitio non sit reflexiua supra se ipsam; nego maiorem: Cognitio enim præcisiua neque attingit naturā sub conceptu vnius exprimendo vnitatem, neque sub conceptu multiplicis exprimendo plura, vt plura; sed attingendo plura confusé constituit illa vnum, sicuti constituit formaliter confusa. Vltro concedo quodlibet esse vel vnum, vel multa, & illas esse vniuersalissimas proprietates entis. Non est tamen necesse, vt quodlibet exprimatur vel vt vnum, vel vt multiplex.

32 Instabis cognitio clara distinguens plura attingit illorum pluralitatem, ergo cognitio confusa identificans illa inter se, debet attingere illorum vnitatem. Nego consequentiam: quia cognitio clara distinguens plura iam uidet vnū, & alterum: ergo iam attingit plura, ut plura, neque uidetur alio modo posse illa distinguere; cum præsertim pluralitas, in hoc casu sit realis in obiecto: at cognitio confusa, si præcisè, ita attingat plura, vt non exprimat illorum pluralitatem, iam constituit illa vnum, assumibile à scientijs, vt vnum subiectum: quod sufficit ad præsens institutum: ad hoc autem non requiritur aliqua vnitas ficta ex parte obiecti. His adde, cognitionem præcisiuam distinguentem inter partes metaphysicas esse multiplicitatem intentionalem, & non attingere in obiecto aliquam multitudinem.

33 Instabis secundò: quia cognitio confusa non exprimit multiplicitatem, est vnitas intentionalis: ergo quia non exprimit vnitatem, erit multiplicitas intentionalis. Nego consequentiam: nam quamuis cognitio confusa non exprimat vnitatem, tamen ita confundit plura, vt habeant aptitudinem, quantum est ex hoc capite, vt fiant simul vnum subiectum actus scientifici. At ad multiplicationem intentionalem requiritur, vt vnum appareat diuersum ab alio: quod non sufficienter saluatur per hoc, quod nō attingatur vnitas. Sicuti ad hoc, vt aliquod sit intentionaliter singulare, debet attingi, vt hoc distinctum ab omni alio.

34 Instabis iterum: quia obiectum est vnū, cognitio est vna: ergo cognitio vt sit vnitas, debet attingere aliquam vnitatem se tenentem ex parte obiecti. Nego antecedens; cognitio est vna in essendo; quia est hæc, & non alia: in repræsentando, quia plura confundit.

35 Obijcies quartò: cognitio præcisiua non aufert à natura differentias: ergo non est vnitas. Distinguo antecedens, non aufert à natura differentias negatiuè; concedo. Neque enim fingit in natura carentias differentiarum. Non aufert confundendo illas; nego antecedēs, & consequentiam. At spoliare hoc modo naturam differentijs, non est effectus formalis negatiuus, sed positiuus, & optimè præstari potest per cognitionem præcisiuam. Hinc patet, quod quamuis cognitio clara non pugnet, vt vidimus, cum cognitione confusa, & consequenter vnitas intentionalis non pugnet cum multiplicitate intentionali; tamen natura vt vna intentionaliter, non est intentionaliter multiplex, neque vnitas intentionalis est intentionalis multiplicitas: cognitio enim confusa non est cognitio clara.

36 Attamen non quæcumque cognitio confusa est vnitas, de qua loquemur: quia si videam aliquod è longinquo, quod se moueat, & non valeam discernere, verum illud sit homo, vel brutum; attingam tamen illud, vt vnum indiuiduum; hæc cognitio est quidem confusa, sed non sufficiens ad vnitatem vniuersalis: neque enim illud ens vnicum, & indiuiduum est aliquod cōmune pluribus. Vnitas igitur, de qua loquimur est cognitio confusa ita attingens plura, vt non distinguat inter illa. Quare neque sufficit ad vnitatem, quod plura per intellectum non distinguantur: nam quando quis dormit non distinguit Petrum, & Paulum, nec tamen illa intentionaliter identificat. Requiritur igitur, vt illa plura in statu obiectiuo, & modo dicto confundantur.

47 Obijcies quintò: si vnitas esset cognitio confusa, homo abstractus, & vnus per intellectū

differ-

differret specie ab equo abstracto, & per intellectum vno. Concedo consequentiam: neque in consequenti est aliqua absurditas: quia tum obiectum, tum cognitiones illorum concretorum differunt specie. Dici tamen communiter solet, quod homo abstractus, & equus abstractus non differant specie logica: quia videlicet modus tendendi cognitionis, qua fit abstractio hominis, est valdè similis modo tendendi cognitionis, qua fit abstractio equi.

Sensus non attingit plura, vt vnum.

38 Obijcies sexto: sensus non cognoscit plura simul confundendo illa inter se: ergo neque intellectus. Intellectus enim accipit cognitionem à sensibus: vt docet Aristoteles. Confirmatur intellectus non potest mutare naturas rerum, nam si pomum sit acerbum; quomodocumque intellectus illud cognoscat, nunquam reddet dulce: sed natura à parte rei est multiplex: ergo quomodocumque cognoscatur, non potest ab intellectu fieri vna. Dato antecedenti; nego consequentiam: ad cuius probationem distinguo assumptum: intellectus accipit cognitionem à sensibus cum adæquata proportione ad modum operandi potentiæ sensitiuæ; nego: sine illa proportione; concedo: anima enim rationalis vnitur corpori, sed longè est perfectior illo: ergo quamuis in operando dependeat ab organo corporeo, aliter non esset cur indigeret vnione ad corpus, & iam esset ens completum; tamen debet habere modum operandi longè perfectioré modo operandi sensus: ergo licet sensus ob suam imperfectionem non versetur nisi circa singularia accidentalia, potest tamen intellectus præscindere ab his circumstantijs corporalibus accidentaliter indiuiduantibus, & abstrahere rationes vniuersales.

Vnitas extrinseca cōponitur cū multiplicitate intrinseca.

39 Ad confirmationem concedo maiorem: & data minori nego consequentiam: quia intellectus constituendo per suum actum confusum naturam vnam non mutat eius essentiam: illa enim vnitas extrinseca non destruit multiplicitatem intrinsecam, & essentialem naturæ; sed addit illi aliquod prædicatum: intellectus autem potest per suas cognitiones tribuere rebus multas denominationes, etiam reales, vt patet consideranti. Quod si per suam cognitionem non potest reddere dulce pomum, quod est acerbum, idest, quia dulcedo est forma intrinseca rei dulci, propter quam dulce potest causare talem determinatam sensationem gustus, quàm quisque in se experitur, quod præstare nullo modo potest cognitio intellectiua, quæ proindè non potest dici dulcedo; sicuti benè dici potest vnitas, vt vidimus.

Cur sciētiæ indigeant vnitate vniuersali.

40 Obijcies septimò: si intellectus posset, tribuere obiectis vnitatem; maximè quia illa vnitate indigent scientiæ: sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor probatur. Scientiæ speculantur res, vt sunt: sed res à parte rei, & in se sunt singulares: ergo scientiæ considerant res, vt singulares: ergo dare rebus illam vnitatem, non est necessarium scientijs. Data maiori, nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: scientiæ speculantur res vt sunt; quia non tribuunt rebus, nisi prædicata, quæ illis conueniunt, neque auferunt prædicata, quæ illis conueniunt; concedo: quia debent in omnibus suis prædicatis conformari prædicatis obiectorum; nego. Neque vero si obiectum est materiale, cognitio debet esse materialis: ergo quamuis obiecta sint singularia, & multa, non est tamen necesse vt attingantur per multas cognitiones, & vt singularia: cum præsertim intellectus non benè distinguat inter vnum, & aliud singulare.

41 Obijcies octauò contra illud, quod diximus; posse nimirum intellectum fingendo vnitatem cognoscere plura, vt vnum, idque cognoscēdo in illis carentiam differentiarum. Hæ carentiæ non negarent naturam, & negarent differentias: sed natura, & differentiæ sunt idem: ergo idem negaretur, & non negaretur. Respondeo, nullum esse absurdum, quòd per formam aliquā repugnantem negetur, & non negetur idem terminus. Igitur cognitio attingens illas carentias cognoscit naturam negatam, & non negatam per illas carentias, ita vt tota contradictio sit in termino cognitionis, qui est impossibilis, non autē in ipsa cognitione reali.

42 Obijcies nonò. Si cognosco illas carentias: ergo iam cognosco differentias exclusas: ergo iam video naturam multiplicatam. Nego absolutè secundam consequentiam: quia videre naturam multiplicatam non est purè cognoscere multiplicationem; sed videre illam multiplicationem in ipsa natura non exclusam ab illa: in casu autem nostro multiplicitas cognoscitur exclusa. Rursus dato, quod videam naturam multiplicatam, non sequitur, quòd natura illa non appareat etiam vna, dum apparet vel per eamdem, vel per diuersam cognitionem virtute carentiarum spoliata suis differentijs. Cuius rei ratio esse potest: quia nullum est absurdū, quòd intellectus simul apprehendat duo opposita, etiam contradictoria, dummodò non dicat illa simul dari.

43 Obijcies decimo, cognitio clara ponit pro statu obiectiuo differentias: ergo aufert carentias differentiarum: quod enim ponit vnum contradictorium, aufert aliud. Nego consequentiam: ad cuius probationem, distinguo assumptum: quod ponit realiter vnum contradictorium aufert aliud realiter; concedo: intentionaliter; nego. Contradictoria enim solùm repugnant simul realiter esse, non autem intentionaliter. Et certè, si quis cognoscat carentiam Petri, fieri nequit quin cognoscat Petrum: contradictoria igitur non habet repugnantiam, vt simul cognoscantur, sed vt simul sint.

4 Instabis secundò; ubi non est forma, est carentia formæ: sed cum habetur cognitio præcisiua, non est in intellectu multitudo differentiarum: ergo est carentia illarum. Distinguo maiorem, ubi non est forma realiter, est carentia formæ: concedo: intentionaliter; nego. Cum enim quis dormit non est in intellectu eius, Petrus, vel carentia illius, quia neutrū cognoscit.

Solùm

Solùm igitur uerum est, quod si non sit cognitio Petri, aut carentiæ, sit illius cognitionis carētia.

Quomodo per intellectum possit naturæ competere multiplex unitas.

45 Obijcies vndecimò: realiter rebus non conuenit, nisi unica unitas: ergo etiam per intellectum rei non conuenit, nisi vnica vnitas: ergo non potest natura fieri una tum intrinsecè, tum extrinsecé. Nego primam consequentiam. Ratio disparitatis est: quia realiter res non habent, nisi unicum esse: ergo non possunt habere nisi vnicam vnitatem: omnis enim alia esset superflua; at per intellectum potest res recipere multiplex esse. Et primò esse intentionale, quod formaliter confertur per ipsam cognitionem; secundò multa prædicata ficta, & impossibilia: ergo potest habere plures vnitates, aliam formaliter intentionalem, & extrinsecam, aliam impossibilem, & intrinsecam.

46 Hinc patet vnitatem fictam, & impossibilem non habere ex se esse intentionale, sed á cognitione: quare ex se habet constituere naturam vnam, sed chimaricè, idest vnitate impossibili, quæ simul videlicet esset, & non esset, si daretur; & esset vnitàs non vnitas: ideoque ad constituendam naturam intentionaliter vnā, præter illam vnitatem fictam requiritur cognitio, quæ formaliter conferat non vnitatem naturæ, sed vnitati esse intentionale.

47 Aduerto autem, plura similia, quæ sunt substratum vnitatis, non debere cognosci vt similia: quia sic deberent cognosci, vt plura: similitudo enim dicit explicitè pluralitatem; licet sit fundamentum, vt multa concipiantur vnico actu confuso: quæ duo esse inter se diuersa, est satis clarum. Vtrum autem cognitio confusa debeat attingere omnia indiuidua sub conceptu vniuersali contenta; mihi videtur probabilior pars affirmatiua: nam si hic conceptus, hominis, est omninò confusus; certè non videt vllam hominum pluralitatem, neque distinguit inter hanc, & illam hominum collectionem; aliter iam attingeret homines, vt plures: ergo sub se continet non minùs hunc numerum hominū, quàm illum: ergo comprehendit omnes homines. Non negauerim, quod cognitio experimentalis vnius indiuidui habita dependentèr á sensibus, sit sufficiens, vt intellectus formet cōceptum vniuersalem hominis; non indè tamen fit hunc secundum conceptum attingere tantùm vnum hominē, vt facilè colligi potest ex dictis.

48 Quæres hic, vtrum supposito, quód res distinguantur per carentias, natura fiat vna præcisè, quia cognoscitur, & non cognoscuntur illæ carentiæ? Respondeo negatiuè: nam præcisè, quia non cognoscuntur illæ carentiæ, solùm sequitur, quod non eluceat multitudo, non autem, quòd illa indiuidua appareat vnum, nisi accedat cognitio confusa, vel aliqua vnitas intrinseca ficta.

SVBSECTIO QVARTA.

Vnitas explicata cōstituit naturam vniuersalem.

Vtrum natura dictis modis vna sit vniuersalis?

49 Ratio dubitandi est, quia natura dictis modis vna, non est ita vna, vt secundum se totam sit apta esse in pluribus: sed ex supradictis hoc requiritur ad vniuersale, & quidem essentialiter: ergo quamuis natura sit dictis modis vna, non ideo est vniuersalis. Maior probatur: quia natura dictis modis vna non est apta secundum se totam prædicari verè de pluribus: falsum enim est quodlibet indiuiduum esse totam illam collectionem indiuiduorum, quæ confunduntur, & fiunt vnum.

50 Dico tamen: naturam dictis modis vnā esse vniuersalem: quia est vna, & apta esse in pluribus secundum se totam: ergo est vniuersalis. Antecedens probatur quoad secundam partem: quia quando ratio hominis prædicatur de Petro, v.g. & ad illum contrahitur, quamuis Petro non conueniat, neque de illo verè prædicetur, nisi tantùm sua illius humanitas; tamen illa humanitas est tota natura ex vi actus cōfusi; vel vnitatis intrinsecæ fictæ. Ex vi enim harum vnitatum omnes homines identificantur inter se, & quilibet euadit omnis homo, vel extrinsecè ex vi cognitionis confusæ, vel intrinsecè ex vi vnitatis fictæ. Hinc patet ad rationem in contrarium: dico enim Petro conuenire naturam, quæ sit tota natura, non in actuali contractione, vel prædicatione, sed quæ tota sit extrinsecè in illo actu confuso, vel etiam intrinsecè, & fictitiè per vnitatem impossibilem. Neque contra hanc doctrinam sumi potest argumētum ex vniuersali pro statu reali: quia realiter non datur aliquis status, in quo natura cuiuslibet indiuidui sit tota natura; nam si aliquando realiter natura cuiuslibet indiuidui esset tota natura; id haberet per identitatem realem, quam non posset amittere: cum non possit amittere suum esse: ergo illam identitatem retineret etiā cum contrahitur ad indiuidua: ac proindè indiuidua participarent eamdem totam naturam, essentque idem inter se, vt supra probauimus. Hæc ergo explicatio nullo modo fauet sententijs Scoti, Fonsecæ, vel Platonis. Breuiter prædicatur de indiuiduis tota natura totalitate extrinseca, vel fictitia, non quasi totalitatem recipiat per actualem prædicationem, aut contractionem; sed quia aliunde est tota.

51 Ex quibus aperte colligitur intellectum nostrum posse construere vniuersale, & dari pro statu intentionali naturas vniuersales. Sed

52 Obijcies primò; nihil potest dare alteri, quod non habet: sed intellectus humanus non habet in se vniuersalitatem, sed singularitatem; ergo non potest dare naturæ vniuersalitatem, quà reddat illam vniuersalem. Data maiori, distinguo minorem: intellectus humanus non habet vniuersalitatem in essendo; concedo: est enim vnum ens indiuiduum: non habet vniuersalitatem in repræsentando; nego: habet enim virtutem cognoscendi plura simul, ita confusè, vt appareant vnum modo supra explicato. Et illa cognitio quamuis sit singularis in se; est tamen forma constituens naturam vniuersalem, dum plura attingens reddit illa vnum. Et sanè sicuti intellectus quamuis sit vnus in se, est quodam modo

omnia, vt ait Aristoteles; quia potest omnia cognoscere, & fieri omnia, ita potest plura repræsentare simul, & ob suam imperfectionem ita confundere, vt non valeat illa distinguere.

53 Obijcies secundò: quia cognitio confusa attingit plura simul, constituit illa vnum; ergo omnes creaturæ sunt vnum: quia subiacent vni diuinæ omnipotentiæ. Nego antecedens: nõ enim quia plura indiuidua per vnicam cognitionem attinguntur, fiunt vnum; sed quia talis cognitio ita versatur circa plura, vt verè confundat illa inter se, & faciat vt possint ab intellectu sumi simul per modum vnius ad constituẽdum subiectum scientiæ.

SECTIO QVINTA.

Vtrum aptitudo naturæ vniuersalis sit independens ab intellectu.

Aptitudo naturæ vniuersalis est ab actu præcisiuo.

1 Communior opinio recẽtiorum docet, naturam vniuersalem esse independẽter ab intellectu aptam ad essendum in pluribus. Mihi tamen est satis probabile huiusmodi aptitudinem includere aliquam operationem intellectus, si loquamur de natura vna vnitate extrinseca, quam præcipuè hic consideramus. Probatur: natura, vt apta ad essendum in pluribus, est quid diuersum ab ipsa pluralitate: sed hæc diuersitas non potest esse realis: ergo erit intentionalis habita per operationem intellectus. Maior probatur: quis enim non videat diuersum conceptum esse naturam aptam multiplicari, & naturam multiplicari? Minor autem patet ex dictis. Confirmatur: natura in priori aliquo signo ad pluralitatem intelligitur apta plurificari: aptitudo enim ad aliquem terminum est in priori aliquo signo ad illum terminum, à quo etiam debet aliquo modo diuersificari: sed hæc prioritas non potest esse realis, realiter enim nulla est antecedentia naturæ ad pluralitatem; ergo est per intellectum.

2 Natura igitur per eamdem cognitionem confusam, quâ constituitur vna, constituitur etiam apta, vt sit, & prædicetur de pluribus: quia per illam cognitionem veluti separatur à pluralitate; sed non ita, vt non sit intrinsecè multiplex: ergo per illam cognitionem ità fit vna, vt constituatur apta esse in multis per cõtractionem intentionalem ad illa; & per suî multiplicationem intentionalem. Ex quibus patet aptitudinem hanc dicere præter cognitionẽ præcisiuam, etiam intrinsecam pluralitatem naturæ; si enim præscindamus ab illa pluralitate, non est natura potens verè contrahi ad plura indiuidua.

5 Dices: natura realiter est multiplicata; ergo realiter est potens multiplicari: ab actu enim ad potentiam valet consequentia. Distinguo consequens: est potens multiplicari, hoc est, possibilis est eius multiplicatio realis; concedo: quia in aliquo priori ad multiplicationẽ intelligitur realiter esse cum potentia ad multiplicatione, & est sine multiplicatione; nego consequentiam. Neque vrget ratio adducta in contrarium: solùm enim est sensus, quod multiplicatio illa actualis est etiam possibilis: per hoc autem, quòd illa multiplicatio sit possibilis, non intelligitur esse in potentia ad multiplicitatem, sed ad actualitatem: natura autem vniuersalis, vt apta, debet intelligi in potentia ad multiplicitatem, vt vidimus.

4 Dices rursus: qui abstrahit omnipotentiã, non constituit illam aptam. Concedo: quia non quæcumque cognitio confusa dat aptitudinem, sed confundens plura.

5 Dices tertio: quid addit hæc aptitudo intentionalis supra multiplicitatem? Respondeo distinctionem naturæ per intellectum à multiplicitate.

SECTIO SEXTA.

Per quem actum confusum natura constituatur vniuersalis?

1 Multos actus confusos possumus hic nos considerare: primus est actus ille præcisiuus, de quo supra sæpiùs diximus. Secundus est, quo natura illo modo confusè cognita apprehenditur, vt potens participari à pluribus inferioribus; ita tamen, vt pluralitas eluceat ex parte indiuiduorum, quæ possunt conceptum naturæ participare, non ex parte ipsius conceptus naturæ: & hic actus reflectit supra primum actum confusum, & dicitur actus comparatiuus, at confusus; quia non diuidit conceptũ naturæ, sed tantùm illam refert ad plura inferiora. Potest tertiò intelligi alius actus comparatiuus, quo natura illa confusè cognita, Ita videtur, posse participari à pluribus inferioribus, vt etiam apprehendatur ipse conceptus naturæ diuisus in illis inferioribus: & hic actus comparatiuus, vt verum fatear, nullam inuoluit confusionem, sed summum reflectit supra confusionem alterius actus. *Multiplex actus confusus.*

2 Tertius igitur actus confusus, posset esse actus copulatiuus, seu copulatus, quo ita exprimuntur plura simul, vt aliquo modo exprimatur illorum multitudo, & suo modo prædicatum commune distribuatur in plura: talis est conceptus, & apprehensio expressa illis terminis; omnis homo. ly enim omnis, additus termino, Homo, videtur colligere plura, & significare, quod sub illo termino, Homo, contineantur, quamuis non explicet determinatè illorum plurium diuersitatem: idcoque est suo modo confusus: hæc autem confusio deficit actui expresso his vocibus, & Petrus, & Paulus, & hic, & ille homo: huiusmodi enim actus non solùm exprimit plura, sed etiam illorum diuersitatem.

3 Quartus actus confusus est actus disiunctiuus expressus his vocibus; aliquis homo: quo actu ita plura attinguntur, vt videatur illorum diuersitas, & terminus verè non verificetur, nisi de

de vno determinato illorum plurium, quamuis determinatè non explicetur quodnam illud sit. Et hæ quidem omnes confusiones inueniuntur in prima apprehensione.

4 Dantur præterea iudicia quædam totidem ferè modis confusè attingentia terminos vniuersales. Et primò quidem, si ex parte subiecti sit terminus vniuersalis nullo syncategoremate affectus, sed absolutè positus, & ex parte prædicati sit etiam terminus vniuersalis absolutè positus, vel æquè latè patens, ac subiectum, vt cum quis dicit, homo est rationalis: vel magis extensus, vt cum quis dicit, homo est substantia: Secundò, si ex parte subiecti sit terminus vniuersalis affectus aliquo syncategoremate, aut copulatiuo, vt: omnis homo est animal: aut disiunctiuo, vt aliquis homo currit. Tertiò, si simili syncategoremate efficiatur prædicatum, vt homo est aliquod animal; est omne risibile: Quartò, si ex parte subiecti attingatur aliquod determinatum indiuiduum, & ex parte prædicati terminus vniuersalis, vt: Petrus est homo. Iudicia autem illa, quibus de termino singulari affirmatur terminus vniuersalis affectus syncategoremate singularizante, vt Petrus est hic homo, non videntur vllam inuoluere confusionē, quæ faciat ad rem præsentem: his positis.

Apprehēso confusa constituit naturam vnam.

5 Dico primò: per actum, primo modo confusum, natura constituitur vniuersalis. Patet ex dictis, quia per illum actum ita plura attinguntur, vt nullo modo exprimatur illorum pluralitas: ergo absolutè dici potest, quod per illum actum natura constituatur vna.

actus cōparatiuus, ac reflectens supra præuiā apprehensionem confusam, non constituit naturam vnam.

6 Dico secundò: per actum comparatiuum non attingentem diuisionem in ipso conceptu naturæ, si reflectat supra actum confusum primū; non constitui formaliter naturam vnam. Probatur; quia si ille actus comparatiuus reflectat supra actum confusum, iam supponit naturam constitutam vnam: ergo non est cur illam constituat vnam. Et quamuis non videat illam naturam multiplicatam; non indè sequitur, quod illi conferat vnitatem, aut confundat plura; sed solum, quòd vnum illud includens intrinsecè plura referat ad plura, apprehendendo quòd conueniat illis. Sicuti cognitio comparans diuinam omnipotentiam ad plures effectus non constituit diuinam omnipotentiam vnam, sed tantùm apprehendit, ab illa, licet vnica, posse dependere plures effectus.

7 Dices: illa cognitio comparatiua attingit plura ex parte obiecti, etiam quatenus versatur circa naturam, & non distinguit inter illa: ergo verè confundit illa: cognitio enim attingens plura, & non distinguens inter illa, confundit ea, & vnificat. Distinguo antecedens: & reflectit supra confusionem; concedo: De hac enim cognitione comparatiua nos loquimur: & non reflectit; nego antecedens, & consequentiam: quia ex munere suo solùm habet iam confusa comparare. Ad rationem in contrarium distinguo antecedens: cognitio attingens plura, & non distinguens inter illa, confundit ea, si reflectat supra confusionem; nego: sin minus; concedo. Si enim reflectat supra confusionem, iam supponit naturam vnam: quare sufficit, si ex modo suo tendendi illam referat ad inferiora.

8 Dices secundò: ad minus illa cognitio requiritur ad constituendam naturam vniuersalem. Natura enim vt vniuersalis, dicit ordinem ad inferiora; qui ordo cum non possit esse realis, erit vtique intentionalis: ergo debet haberi à forma intentionali: hæc autem non videtur esse alia, quàm cognitio comparatiua.

9 Nego assumptum: ad rationem in contrarium; dico, naturam vniuersalem non dicere formaliter actualem ordinem ad inferiora; sed solùm radicalem, seu comparabilitatem ad illa. Ratio autem est: quia essentia vniuersalis sufficienter saluatur per hoc, quod natura sit vna, & apta esse in multis: at ad hanc aptitudinem sufficit, si natura possit comparari cum pluribus.

10 Dices tertiò: ad minus cognitio illa comparatiua est forma constitutiua vniuersalis logici, quod idem est, ac vniuersale in prædicando: vt enim natura iam vna constituatur proximè prædicabilis, requiritur necessariò cognitio comparatiua: nisi enim videam naturam illam inesse, & conuenire pluribus, non possum illam prædicare.

Actus comparatiuus non constituit vniuersale logicū.

11 Nego assumptum: vniuersale enim logicum, cum sit proprietas vniuersalis metaphysici, debet esse ab illo inseparabile: cognitio autem comparatiua est separabilis á cognitione confusa, & consequenter ab vniuersali metaphysico, seu in essendo: ergo cognitio illa comparatiua non constituit vniuersale logicum. Eadem igitur cognitio confusa, quatenus constituit naturā vnam, & aptam esse in pluribus, dum illam abstrahit á pluribus; constituit vniuersale metaphysicum, seu in essendo: sed quia illicò, vt natura est vna apta esse in pluribus, est etiam prædicabilis de illis; ideò eadem cognitio constituit naturam prædicabilem, prædicabilitate propria termini vniuersalis: quod est vniuersale logicum. Attamen hoc secundum est proprietas primi: quia priùs intelligitur in natura aptitudo ad essendum in pluribus; quàm posse de illis prædicari: ideò enim potest de illis prædicari, quia verè apta est esse in pluribus. Hinc patet: vniuersale logicum non constitui formalitèr per prædicabilitatem proximam, sed per remotam.

12 Dixi in conclusione: Cognitionem comparatiuam, quæ reflectit supra confusam, & naturam constitutam vnam per actum præcisiuum, non esse formam constitutiuam vniuersalis: quia, si cognitio comparatiua non sit hoc modo reflexiua, tunc non solùm exercebit munus cognitionis comparatiuæ, sed etiam dabit vnitatem naturæ: quia cum non supponat illam vnam, vtrumque munus præstabit. Non negauerim illam tunc non futuram cognitionem purè comparatiuam.

13 Hinc patet naturam ex vi actus præcisi-

 ui

ui constitui & vnam, & proximè comparabilem: quia inter cognitionem comparatiuam, & naturã vnam ex vi actus præcisiui, nec solet, nec debet intercedere alius actus intellectus: per cognitionem autem comparatiuam constituitur proximè prædicabilis; quia inter hanc, & actualem prædicationem non debet, nec solet intercedere alius actus.

Nec actus copulatiuus, nec distributiuus, aut disiunctiuus constituit naturam vniuersalem.

14 Dico tertiò per actum confusum copulatiuum, seu etiam distributiuum non constitui formaliter naturam vniuersalem. Probatur: actus ille confusus copulatiuus expressus per illas voces: omnis homo, ex vno capite iam attingit pluralitatem: ex alio veró terminus communis vt expressus illis vocibus, & conceptu, quem tales voces indicant, non est prædicabilis de pluribus inferioribus: neque enim dici potest: Petrus est omnis homo. Rursus de ratione termini vniuersalis est, vt illi possit accommodari vtrumque syncategorem, tum particulare, aliquis, tum distributiuum omnis: ergo hic terminus, omnis homo, iam non est vniuersalis.

16 Dico quartò. Actus disiunctiuus non cõstituit formaliter naturam vniuersalem: quia iam diuidit naturã in plures partes; dũ dicit vel hic, vel ille homo; ergo non constituit naturam vnã: & quamuis sit aliquo modo confusus; non tamẽ habet eam confusionem, quæ sufficit ad constituendam naturam vnam, vt patet consideranti, quæ supra diximus. Cuius rei ratio est: quia, aliquis homo, exprimit vnum hominem, vt distinctum à reliquis, licet non determinet, quinam ille sit.

17 Hinc patet vniuersale solùm fieri rigorosè per actum præcisiuum confusum primo loco explicatum, non per reliquos. Dixi, rigorosè, quia si velis per alios actus naturam constitui incompleté vniuersalem, vt docent nonnulli, quatenus videlicet aliquo modo confunduntur indiuidua, & fiunt vnum; non multum laboro. Nostra hæc doctrina non discrepat ab illis, qui docent vniuersale constitui per cognitionem indefinitam. Et hæc de prima apprehensione cõfusa quo ad constitutionem vniuersalis. Vt autẽ decidamus an, & quomodo natura fieri possit vniuersalis per iudicium; videndum priùs est quomodo natura vniuersalis prædicetur de suis inferioribus: quare sit.

SECTIO SEPTIMA.

De prædicatione naturæ vniuersalis.

Per actum, quo de suis inferioribus prædicatur natura, nõ constituitur vniuersalis

1 CErtum est apud omnes terminum vniuersalem posse prædicari de suis inferioribus. Difficultas autem est, quomodò veré terminus vniuersalis affirmari possit de singulis inferioribus: cum enim in termino vniuersali duo includantur, alterum ex parte obiecti, nempè collectio omnium indiuiduorum, alterum ex parte actus nempé cognitio confusa; non potest vel vtrumque, vel alterutrum illorum veré affirmari de singulis inferioribus: neque enim Petrus est vel cognitio confusa, vel collectio omnium indiuiduorum, vel etiam vtrumque simul.

2 Communis inter recentiores responsio est, affirmari de inferioribus terminum vniuersalem non collectiuè, quia verè Petrus non est omnis homo, neque disiunctiué, quia non experimur, cum dicimus, Petrus est homo, modum illum tendendi disiunctiuum; videlicet est hic, vel ille homo; sed indefinitè, seu in suppositione confusa; neque prædicari adæquaté secundum omnia, quæ dicit, ly homo, sed inadæquatè: quia videlicet significatur, quòd Petrus habeat cum homine aliquam identitatem saltem inadæquatam: ad veritatem enim prædicationis confusæ sufficit identitas inadæquata prædicati cum subiecto, sicuti sufficit ad veritatem prædicationis disiunctiuæ.

Terminus vniuersalis de particulari sub disiunctione saltem implicitè prædicatur.

3 Mihi semper visa est satis probabilis doctrina Patris Arriagæ asserentis, terminum vniuersalem prædicari sub disiunctione de suis inferioribus: ideoque in ea prædicatione verè prædicari de termino particulari omnia indiuidua saltem impliciré sub disiunctione; ita vt sensus huius propositionis: Petrus est homo; sit: Petrus est aliquis homo, vel hic, vel ille. Ratio, qua moueor, est: quia non potest dici, quòd ex parte prædicati veniat vnum tantùm indiuiduum, aliter illa non esset propositio de prædicato vniuersali, sed singulari: neque quod veniat collectio omnium indiuiduorum; aliter propositio esset falsa; Petrus enim non est collectio omnium indiuiduorum: ergo dicendum est, quòd veniant omnia indiuidua sub disiunctione, saltem implicitè; per hoc enim saluatur, & quòd propositio sit vera, & quòd prædicatum sit suo modo uniuersale, & applicabile pluribus: de quolibet enim homine verificatur absoluté, quòd sit aliquis homo, vel hic, vel ille; quamuis non propter eamdem humanitatem verificetur propositio de vno, ac de alio indiuiduo: nam de Petro verificatur, quod sit aliquis homo propter humanitatem, A, cum qua identificatur, de Paulo propter humanitatẽ B, cũ qua Paulus identificatur, non alius homo.

Nõ est adæquatè idẽ prædicatũ, & verificatiuũ propositionis.

4 Ex quo patet non esse adæquatè idem prædicatum allatæ propositionis, ac illud propter quod verificatur propositio: nam prædicatum est collectio omnium hominum disiunctiué sũpta, illud autem quod verificat propositionem respectu Petri est eius determinata humanitas, quæ illi necessariò inest. Hoc autem non debet putari absurdum: propositiones enim de prædicato disiunctiuè significato, non debent verificari, nisi per vnam partem disiuncti, vt patet.

5 Neque satisfacis, si dicas, ex parte prædicati venire hominem in confuso, seu præcisiuè sũptum, & hunc prædicari inadæquatè de singulis indiuiduis, sicuti inadæquatè identificatur cum illis; contra enim est: quia cum de Petro prædicas hominem ex parte prædicati veniunt omnes homines in confuso: ergo de Petro non minus affirmatur propria ipsius humanitas ipsi identificata,

tificata, quam aliæ omnes distinctæ, aliter non affirmaretur homo in communi, & præcisiué sumptus: sic enim acceptus includit omnes humanitates: ergo illa propositio est ex pluribus capitibus falsa, quã vera: quia vera est præcisè quatenus affirmatur de Petro propria humanitas: est falsa quatenus affirmantur infinitæ aliæ distinctæ.

6 Dices secundò; sensum illius propositionis esse, quòd Petrus sit homo, non exprimendo, quod sit omnis homo, vel aliquis determinatus; sed sub præcisione ab illis expressionibus. In quo sensu, vt propositio sit vera, sufficit, si Petrus identificetur cum aliqua humanitate. Sed contra: quamuis ex parte prædicati in illa propositione non exprimatur ly omnis homo, vel aliquis homo; adhuc prædicatum illud intrinsecé includit omnes, & dum affirmatur, non minus, nec diuerso modo de Petro affirmatur vna, ac alia humanitas: ergo illa propositio non est minùs vera, quam falsa. Quæ ratio non militat contra sensum disiunctiuum; nam ad veritatem disiunctiuæ propositionis sufficit, si vnum membrum disiuncti verificetur: quia id expresse indicat ipsa disiunctio.

7 Dices tertiò: non aduertimus neque per actum ipsum reflexum, in his prædicationibus termini vniuersalis modum tendendi disiunctiuum: ergo re uera non tendunt dicto modo disiũctiuo. Nego antecedens: si enim benè aduertamus, & per actus reflexos explicemus illas propositiones, apertè deprehendimus prædicatum disiunctiuè significari: vt patet ex dictis, & si quæras à rustico affirmante: quod mouetur, est animal; vtrum illud sit omne, vel aliquod animal. apertè respondebit esse aliquod animal. Confirmatur: quia á subiecto particulari determinatur intellectus ad non affirmandum de illo prædicatum vniuersale, nisi disiunctiué. non est autem necesse, vt ille modus tendendi disiunctiuus exprimatur clarè per eumdẽ actum iudicij. Sicuti neque quòd clarè exprimatur modus tendendi confusus, aut præcisiuus, & indefinitus, quem defendunt aduersarij.

8 Dices quartò: illud prædicatur, quod apprehẽditur: sed apprehẽditur homo cõfusus, & præcisus: ergo prædicatur homo confusus, & præcisus. Distinguo maiorem illud prædicatur, quod apprehenditur, & eodẽ modo attingitur per iudiciũ, quo per apprehensionem; nego: & diuerso modo; cõcedo. Cum enim iudiciũ applicet prædicatum vniuersale termino particulari, iam suo modo singularizat terminum vniuersalem. Qui modus tendendi non conuenit cognitioni præcisiuæ: & ideó non eodem modo attingitur per iudicium terminus vniuersalis, ac per cognitioné apprehensiuam confusam.

9 Dices quintò: si terminus vniuersalis prædicatur modo disiunctiuo, non est prædicatio scientifica: scientiæ enim non prædicant disiunctiué terminos vniuersales de suis inferioribus, sed modo vniuersali, ita vt plura constituant vnũ subiectum, & vnum prædicatum. Nego sequelam: ad cuius probationem, nego assumptum: & ad rationem in contrarium; dico: scientias prædicando vniuersale sub disiunctione de terminis particularibus tendere modo vniuersali in plura, non quidem perfecto, quo plura nullo modo distinguantur; sed imperfecto, quo plura constituantur vnum prędicatum, & vnum subiectum: quod verificatur cum prædicatur vniuersale sub disiunctione, & sufficit ad modum tendendi proprium scientiæ. Et certè, quòd illa perfecta cõfusio non requiratur ad scientias; omnes fateri debent. Nam per illum actum confusum non distinguimus vnum indiuiduum ab alijs; at per actualem prædicationem cum dico, Petrus est homo, iam distinguo hunc hominem à reliquis hominibus. His adde sufficere si scientiæ supponant suum obiectum vnum.

10 Dices sextò: Terminus vniuersalis cum prædicatur sumitur confusè; sed prædicatur inadæquatè: ergo propositio est vera: quia verè Petrus est idem cum homine confusè cognito, & inadæquatè accepto: Nego antecedens: nam si sumitur confusè terminus vniuersalis de Petro nõ minus affirmatur sua ipsius humanitas, quàm aliæ: aliter si per illud iudicium prædicaretur potiùs de Petro sua humanitas, quàm aliæ omnes; ergo iam distingueretur sua illius humanitas à reliquis: ergo prædicatur adæquatè ille terminus confusus; ita videlicet, vt propositio illa, vt supra considerabam, ex pluribus capitibus sit dicenda falsa, quàm vera.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum, & quomodò natura fiat vniuersalis per actum iudicij?

1 DIco primò: probabile esse actum iudicij non constituere naturam vniuersalem, si reflectat supra præuias apprehensiones subiecti, & prædicati. Probatur: si iudicium reflectat supra præuias apprehensiones terminorum, supponit terminos constitutos vniuersales: ergo non est cur illi tribuamus hoc munus constituendi naturam vniuersalem.

Iudicium reflectens ad præuias apprehẽsiones confusas non cõstituit vniuersale.

2 Dico secundò: si iudicium aliquod non tendat reflexé in præuias terminorum apprehẽsiones constituere vniuersale; si ita tendat vel ex parte prædicati, vel ex parte subiecti in plura, vt non distinguat inter illa: tunc enim non solùm exercet munus iudicandi, sed etiam plura confundit; quæ in primo casu supponit confusa. Vt autem clariùs procedamus.

Secus si nõ reflectat.

3 Dico tertiò: si subiectum iudicij non sit aliquod singulare, vt Petrus, vel hic homo; neque terminus particularis, ut aliquis homo, sed sit terminus uniuersalis, ut homo, equus, constituit illud unum, & uniuersale, supposito quòd non reflectat supra præuiam apprehensionem confusam: Probatur; quia per illud iudicium ita attinguntur ex parte subiecti plura, ut non distinguat inter illa, nec appareat ex vi talis iudicij ea pluralitas: ergo verè constituit illa vnum intentionale: cum enim illa habeant vnitatem intentionalem, & non supponatur illis

Explicatur quo modo per iudiciũ cõstituatur vniuersale

collata

collata ab alio; confertur vtique formaliter ab actu iudicij.

4 Dico quartò: iudicium habens prædicatum æquè vniuersale, ac subiectum; constituit illud vnum, si non reflectat, &c. Probatur: quia re vera illud prædicatum est in se multiplex, & per tale iudicium ita attingitur, vt non distinguatur inter illa plura, neque appareat illorum pluralitas: ergo si non reflectit verè talis actus constituit illud vnum. Omnia patent ex dictis conclusione præcedente.

5 Dico demum quartò: si prædicatum plus extendatur, ac subiectum, non potest per actum iudicij verum constitui ita vniuersale, sicuti constituitur per præuiam apprehensionem confusam. Probatur: quia per præuiam apprehensionem confusam, ita attinguntur illa plura; vt intellectus nullo modo distinguat inter illa: at iudicium iam determinatur à subiecto minus vniuersali ad tendendum in illa plura disiunctiuè, vt vidimus: & ideò aliquo modo distinguit inter illa: ergo non eodem modo constituit illa vnum, ac præuia apprehensio confusa. Ad hunc autem modum tendendi disiunctiuum in prædicatum non determinatur à subiecto intellectus, si prædicatum æquè extendatur, ac subiectum, vt cum dico: *homo est risibilis*.

6 Non negauerim tamen, quòd si subiectum est terminus vniuersalis, & prædicatum sit vniuersaliùs, tunc ex parte prædicati, possint respondere plura vniuersalia perfectè confusa, & vnificata; neque enim est necesse, vt in quolibet membro disiuncti attingatur vnum indiuiduum: sed plura, inter quæ nulla appareat diuersitas: sic cum dico, homo est animal, ly animal, ad veritatem propositionis non debet distingui per singula indiuidua; sed sufficit, si distinguatur in plures collectiones, & species, & omnia inferiora cuiuslibet speciei ita confundantur inter se, vt non appareat eorum diuersitas. Cum quo beoè cohæret, quòd animal non eodem modo constituatur vnum per hoc iudiciū, āc per præuiam apprehensionem confusam, vt patet considerantí.

7 Dices ergo per actum iudicij destruitur vnitas naturæ vniuersalis. Nego consequentiam; aliud enim est, actum iudicij destruere vnitatē; aliud non conferre illam: hoc secundum verum est, primum falsum; quin imò si iudicium reflectat supra præuiam apprehensionem confusam, necessariò supponit illam vnitatem, & fortasse sibi coexistentem. Natura igitur stante iudicio, adhuc potest esse vniuersalis; sed non formaliter ex vi iudicij in sensu primæ, & quintæ conclusionis.

SECTIO NONA.

Natura nō cōstituitur formaliter vniuersalis per speciem impressam.

Soluuntur nonnullæ quæstiones de forma vniuersalis per intellectum.

1 QVæres primò: verū natura constitui possit vniuersalis non solùm per repræsentationem formalem confusam; sed etiā per virtualem? Formalis repræsentatio confusa est actualis cognitio, de qua plura iam diximus. Virtualis est species impressa vniuersalis apta causare dictam cognitionem confusam. Quiros, & Manrus docent hanc quæstionem esse de nomine. Affirmant tamen absolutè dici posse, quòd natura constituatur vna, etiam per repræsentationem virtualem.

2 Mihi in quæstione de nomine videtur probabilior opposita sententia, quam defendunt Ouiedus, Arriaga, & Hurtadus: quia etiam intellectus habet vim causandi cognitionem confusam, & potest ob id dici, virtualis confusio naturæ; nec tamen per suum esse constituit naturam formaliter, sed tantum virtualiter vnam: ergo quamuis species impressa possit causare cognitionem confusam; non ideò erit vnitas formalis naturæ, sed solùm virtualis, hoc est potēs causare vnitatē formalem. Ratio autem est, quia sicuti per speciem impressam natura non habet formaliter esse in intellectu, ita neq; habet formaliter constitui vnam per intellectum.

Aliquādo natura ab vno indiuiduo abstracta est vniuersalis aliquando non.

3 Quæres secundò: vtrum fit possibilis abstractio naturæ ab vno indiuiduo tantùm, quæ constituat naturam vniuersalem? Dupliciter intelligi potest, quod natura abstrahatur ab vno tantū indiuiduo; primò, si ego videns è longinquo aliquem hominem, sed ob imperfectionem intellectus mei, & distantiæ impedimentum apprehendam illum esse vnum hominem determinatum, at non valeam distinguere, quinam illo sit: in quo casu suo modo abstraho naturam eam à sua indiuiduatione, quia valeo distinguere illum hominem ab omni non homine, quod est cognoscere illum sub conceptu hominis, & non valeo determinatè affirmare quinā ille sit, quod est aliquo modo confundere illum cum aliis hominibus, & non cognoscere sub conceptu indiuidui saltem adæquati, & vltimo determinati.

4 Secundò: si cognito dependenter à sensibus homine determinato efformo in me conceptum communem hominis, quod fieri posse ab intellectu supra notabamus, & esse necessarium confirmatur; aliter non possemus formare conceptus vniuersales, & continentes sub se omnia alicuius generis, & speciei indiuidua: nam si à natura non possemus determinari ex cognitione clara vnius indiuidui, ad conceptus illos vniuersales efformādos, necessariò ad illos conceptus efformādos deberemus præcognoscere omnia indiuidua humana possibilia, & conuenientia in prædicatis specificis: aliter enumeratio non esset sufficiens, & adæquata, & semper possemus dubitare an aliquod indiuiduum lateat, quod sit humanum, & non habeat hæc prædicata. Igitur ne incidamus in huiusmodi angustias, debemus dicere; quod ex cognitione vnius singularis valdè perfecta, possimus determinari à natura ad formandos conceptus illos vniuersales, & per se notos scientijs apprime necessarios. His positis.

5 Respondeo, & dico primò naturam primo modo abstractam ab vno indiuiduo non esse

vniuersalem: quia apparet distinctè singularis; ergo non est vniuersalis, & applicabilis pluribus in sensu copulatiuo, seu distributiuo, sed sub disiunctione.

6 Dico secundo: naturam secundo modo abstractam ab vno indiuiduo esse vniuersalem: nam verè per illum conceptum attinguntur omnes homines, v.g. & est conceptus prædicabilis de pluribus distributiuè, & copulatiuè, ita vt verum sit dicere: & Petrus est homo, & Paulus est homo, & omnes similiter continentur sub illo conceptu: ergo verè ille conceptus est vniuersalis. Ex quibus patet naturam vniuersalem posse in hoc sensu abstrahi à decem, vel viginti, aut triginta indiuiduis, sicuti ab vno tantùm; si nimirum ad conceptum illum vniuersalem præcedat cognitio clara vnius, aut decem, aut viginti indiuiduorum naturæ humanæ.

7 Dices primò: abstrahere est confundere plura, sed per primum modum non confunduntur plura: ergo non fit abstractio. Nego maiorem, abstrahere est ex identificatis vnum trahere sine alio: quod est cognoscere vnum sine alio, siue demum id fiat per actum confusiuum, siue per actum alio modo præcisiuum.

8 Dices, secundò: natura abstracta primo modo ab vno indiuiduo non est singularis: ergo est vniuersalis. Antecedens probatur: aliter non esset abstracta à singularitate. Distinguo antecedens: non est singularis intrinsecè: nego: extrinsecè; subdistinguo. Singularitate adæquata; concedo; inadæquata; nego: iam enim apparet, vt, vnum ens singulare, licet non possimus dignoscere quodnam illud sit. Vnde nego consequentiam. Probatio antecedentis non est contra distinctionem: est enim natura illa abstracta à singularitate inadæquata. Quod si omninò abstrahatur à singularitate; dico esse naturam abstractam secundo modo, ac proindè vniuersalé.

9 Dices, natura abstracta ab vno indiuiduo non identificatur, nisi cum indiuiduo, à quo abstrahitur: ergo natura secundo modo abstracta non identificatur, nisi cum illo indiuiduo, à quo abstrahitur: ergo non est prædicabilis, nisi de vno; ergo non est vniuersalis. Nego antecedens: Natura abstracta ab vno indiuiduo per secundum modum abstractionis identificatur cũ omnibus indiuiduis, & potest dici abstracta ab omnibus illis; licet specialiter dicatur abstracta ab hoc indiuiduo: quia dependenter à cognitione clara huius indiuidui, facta est abstractio illa, & formatus conceptus communis omnibus indiuiduis.

10 Illud hic obiter aduerto: non illicò duo confundi per intellectum, si non distinguantur; nam si ego cognoscam clarè Paulum, & non cognoscam Petrum, non distinguo per intellectum Petrum à Paulo; non ideo tamen confundo illos inter se. Realiter, si duo non distinguantur, statim identificantur, quia si duo non distinguantur realiter; ergo non faciunt duo ab intrinseco: ergo non possunt eadem vnitate facere intrinsecè duo: ergo sunt omninò idem. At duo per intellectum possunt non distingui: quia non cognoscuntur: quare, si accedat cognitio, poterunt benè distingui.

SECTIO DECIMA.

De causis vniuersalis.

1 DE causis intrinsecis huius concreti, vniuersalis, materiali, uidelicet, & formali satis supra egimus: materialis enim, seu substratum, est collectio indiuiduorum: formalis vnitas supra explicata. Remanent tantùm inquirendæ extrinsecæ; finalis uidelicet, & efficiens. Et finalis quidem uidetur esse scientia, & perfectio humani intellectus, qui nisi adsint huiusmodi conceptus vniuersales, non uidetur posse humano modo acquirere scientias. Solùm igitur remanet quæstio de causa efficiente, & quidem particulari, ac proxima: nam certum est Deum, ut causam uniuersalem, concurrere immediatè ad omnes illos actus confusos, Quare solùm uidetur quæstio restringenda ad potentias intentionales: quænam uidelicet potentia vitalis possit attingere plura modo uniuersali, confundendo illa inter se, & unificando.

Intellectus angelicus potest vniuersale cõficere.

2 Dico breuitèr: intellectum angelicum posse plura confusè ita cognoscere, ut reddat illa unum, & uniuersale. Cum enim intellectus angelicus sit imperfectus, non debetur illi cognitio clara, & distincta omnium indiuiduorũ cuiuscumque speciei, quam cognoscit: cum enim hæc sint infinita, non videntur simul posse ab intellectu imperfecto Angeli clarè cognosci: ergo dicendum est, quod cognoscat illa confusè, & formet conceptus illos uniuersales comprehendentes sub se omnia indiuidua specierũ, & per se notos; ne sit peioris conditionis, quàm homo; neque enim formare posset conceptus essentiales rerum, v.g. hominis, qua homo est; ita ut omnis non inclusus in illo conceptu non sit homo.

Sed non diuinus.

3 Dico secundò: intellectus diuinus non tendit in plura confundendo illa inter se, ac proindè non constituit per suam cognitionem naturam vniuersalem. Probatur, quia quamuis tendere simul in plura sit perfectio intellectus; tamen illa confundere est imperfectio.

4 Vrgebis intellectus diuinus videt cognitiones nostras confusas, quibus facimus vniuersale: ergo videt confusè omnia indiuidua: probatur consequentia: quia Deus, velut in imagine, cognoscit in nostris cognitionibus confusis illarum obiecta: ergo attingit illa obiecta confusè: quod enim videtur in imagine non aliter videtur, quàm pro vt in imagine repræsentatur: ergo si nostræ cognitiones sunt imagines confusæ repræsentantes plura; Deus videns in illis earum obiecta, attingit illa confusè. Nego consequentiam, ad cuius probationem, nego antecedens. Deus cognoscit nostram cognitionem, & imaginem, ac illius obiecta, cognoscit etiam nostram cognitionem esse medium, in quo cognoscatur obie-

obiectum, sed ab intellectu creato, non à suo increato, qui omnia in diuina essentia tamquam in perfectissima idæa, & prima omnium ratione cognoscit.

5 Dices: nos possumus in diuina cognitione præscindere duas rationes, & modo attingere illam, vt cognoscentem rationes communes, modo vt cognoscentem rationes indiuiduales: ergo diuina cognitio constituit vniuersale; attingens enim rationes communes nõ distinguit inter vnũ, & aliud. Concedo antecedens, & nego consequentiam: ex antecedente enim solum sequitur, nos imperfectè cognoscere diuinam cognitionẽ per comparationem, & similitudinem ad nostras cognitiones imperfectas; non autem Dei cognitionẽ verè plura confusè cognoscere. Per illam tamen nostram cognitionem confusam, qua præscindimus prædicata diuinæ cognitionis, non fingimus: neque enim attingimus in Dei cognitione aliquam confusionem; sed solùm clarè non explicamus omnem eius perfectionem.

Nulla voluntas per suos actus constituit naturã vniuersalem.

6 Dico tertiò: mihi satis probabile est voluntatem non constituere per suos actus vniuersale, & plura vnum: ratio est; quia obiectum voluntatis vel supponitur confusum, & intentionaliter identificatum per intellectum, vel non; si primum; ergo supponitur iam vnum: ergo actus voluntatis non dat illi vnitatem, sed tantum fugit, vel prosequitur obiectum, quod propositum est ad modum vnius; ita vt sicuti in obiecto continentur plura, & non distinguuntur per actum intellectus; ita voluntas tendit per suum amorem in plura, uel per odium ab illis fugit; sed ita ut amor, & odium attingant totum obiectum, & non determinatè hanc, uel illam partem. Et quamuis uoluntas non tendat, neque fugiat ab unitate ipsa intentionali, seu cognitione; adhuc tendit, uel detestatur obiectum illud ad modum unius: quia eius amor, uel odium extenditur ad totum obiectum, quod proponitur ab intellectu, ut unum: ita ut stante ea propositione non possit uoluntas tendere in unam partẽ, & non in aliam obiecti, nisi fiat noua propositio, qua partes illæ distinguantur ab intellectu: idenque, distinguere, & vnire totum spectat ad intellectũ. Quare si obiectum non supponitur confusum, quæ est secunda pars disiuncti, non potest confundi à uoluntate.

Neque propriè imaginatio.

7 Dico quarto: uidetur probabile, quod imaginatio non apprehendat terminos uniuersales, sed semper particulares: quia imaginatio utpote potentia materialis non potest præscindere a circumstantijs accidentalibus loci, temporis, & similibus, quæ circumstantiæ semper saltem accidentaliter sunt indiuiduales: ergo semper apprehendit aliquod singulare; quod enim apparet conuestitum circumstantijs huius loci temporis, &c. semper est aliquod singulare, sicuti singulares sunt illæ circumstantiæ.

8 Non est tamen fortasse absurdum, quod docet Maurus *q. 34.* uidelicet: imaginationem facere quoddam uniuersale incompletum: quia ita confusè potest apprehendere hoc, uel illud indiuiduum; ut eo mutato non aduertat mutationem: ut si successiuè illi repræsententur duo oua simillima: & Lupus semper prosequitur ouem; quamuis una alteri successiuè subrogetur.

Sicuti neq; potentiæ externę;

9 Dico quintò: potentias externas non constituere per suos actus uniuersale, neque plura unum: probatur tum paritate imaginationis, tum quia non mouentur ad suos actus nisi ab obiectis præsentibus, quæ singularia sunt: ergo nõ attingunt plura ut uuum, sed plura singularia.

10 Illud autem aduerto primò: oculum non uidere colores in collo columbæ, uel in iride; sed lucem uariè refractam, & reflexam: quæ lux uerè est in illis obiectis, quamuis imaginemur esse ueros colores. Secundò: dum oculus uidet stellas, ita ut non uoleamus distinguere inter illas; uidet singulas stellas, & obiecta singularia, quamuis, quia imperfectè uidet, det fundamentum intellectui illas confundendi inter se. Ratio autem est: quia proprium oculi non est distinguere in suas partes obiectum, sed illas attingere modo magis, modo minus clarè: ex eo autẽ, quòd non ita clarè uidet; non sequitur, quòd illas cõfundat: ad hoc enim requireretur, ut uideret illas in eodem loco, quod non uerificatur in stellis, quamuis proximis: & si in illis casibus non præbeat intellectui fundamentũ distinguendi stellas. Quod si albedo esset in duplici loco; tunc oculus uideret unam albedinem singularem cum duplici ubicatione; quamuis intellectui occasio præberetur attingendi illam vt duplicem. Addit demum Quiros: semper attingi ex parte obiecti aliquod singulare, licet illud nõ existat: in quam sententiam inclinat Pallauicinus: & iuxta illam benè explicatur uisio remi fracti in aqua. Quocumque tamen id se modo habeat, semper saluatur, quòd obiectum oculi sit quid singulare.

DISPVTATIO QVARTA.

De vniuersali logico, seu de quinque prædicabilibus.

1 ABsolutis ijs, quæ ad uniuersale metaphysicum spectant; aggredimur uniuersale logicum, de quo in communi nonnulla diximus. Quæ autem addenda sunt; faciliùs intelligentur, si agamus priùs de speciebus uniuersalis logici, quæ sunt quinque prædicabilia, de quibus Porphirius librum edidit, quem Hagogęo inscripsit, idest breuem introductionem: rogatus enim a Chrisaorio Romano patricio, ut sibi uiam ad intelligendas Aristotelis categorias, seu prædicamenta, in quibus frequentes sunt illæ uoces: genus, species, differentia proprium, accidens, aperiret; hanc illi breuem introductionem, de quinque uocibus misit. Subiectum igitur præsentis disputationis sunt quinque prædicabilia. Totam autem materiam claritatis gratia in quinque quæstiones diuidam. Et in primis quatuor agam de prædicabilibus in particulari in quinta ea addam quæ dicenda supersunt de prædicabilis in communi. Sit igitur.

QVÆ.

QVÆSTIO PRIMA.

De genere.

AB hoc incipimus: quia inter prædicabilia essentialia est magis vniuersale.

SECTIO PRIMA.

Definitur genus.

Definitio generis.

1 DEfinitur communiter genus cum Porphirio, quod de pluribus differentibus specie in eo, quod quid est, prædicatur. Pro intelligentia sciendum est; tripliciter unum posse prædicari de alio: primò, in quid purè; si uidelicet prædicatum sit essentiale subiecto, & significetur per modum per se stantis. Illud significatur ad modum per se stantis; quod non intelligitur aduenire alieni prædicato superiori, & essentiali eiusdem subiecti; & communiter significatur nomine substantiuo; tale est animal, respectu hominis: est enim eius prædicatum essentiale significatum nomine substantiuo, nec intelligitur aduenire alteri prædicato superiori, & essentiali subiecti: licet enim homo, qui est subiectum, dicat essentialiter etiam substantiã, corpus, viuens, quæ sunt prædicata superiora respectu animalis; animal tamen non intelligitur aduenire illis, sed ea includit, & per illa explicatur: animal enim est essentialiter substantia, viuens, corpus. Non sufficit igitur ad prædicationem in quid, & per modum per se stantis, quòd prædicatum sit nomen grammaticaliter substantiuum: artifex enim est hoc modo substantiuum, nec tamen prædicatur in quid de Petro, v. g.

Quid sit prædicari in quid, in quale quid & in quale.

2 Secundò alia prædicantur, in quale quid, quæ uidelicet essentialiter conueniunt subiecto, sed communiter exprimuntur nomine adiectiuo, & significantur per modum alteri adiacentis: quia videlicet supponunt in subiecto, cui conueniunt, alia prædicata superiora essentialia, nec illa includunt. Tale est rationale, in homine, de quo essentialiter prædicatur, sed supponit in eo prædicata animalis, viuentis, corporis, superiora, & essentialia homini, nec includit illa: neque enim rationale debet explicari, aut definiri per animal, uiuens, &c. quæ sunt priora ipso rationali, saltem secundum subsistendi consequentiam. Valet enim: est rationale; ergo est animal, uiuens, &c. non autem è contra: est uiuens, &c. ergo est rationale.

3 Tertiò demum alia prædicantur in quale purè, quia neque significantur per modum per se stantis, neque sunt essentialia subiecto, ut cum dico, Petrus est albus: quare prædicari in quale, est prædicari per modum alteri adiacentis: sub quo conceptu continentur duæ classes: aliqua enim prædicantur in quale purè: aliqua uerò in quale quid. His positis.

4 Explico definitionem. Dicitur primò: quod prædicatur de pluribus: quæ particulæ sunt ueluti genus; prædicari enim de pluribus conuenit omnibus prædicabilibus. Verùm de hoc genere plura, nec planè facilia occurrunt dicenda quæst. 5. Illud autem aduerto: uerbũ prædicari non significare actualem prædicationem, sed aptitudinem ad illam. Genus enim cum sit uniuersale, non potest constitui per actualem prædicationem, sed per aptitudinem ad illam: actualis enim prædicatio, ut uidimus, non est necessariò constitutiua prædicati uniuersalis. Igitur ly prædicatur, idem sonat; ac unum aptum prædicari.

5 Dicitur secundò: de pluribus differentibus specie, quia subiecta saltem aliqua, de quibus prædicatur genus, debent specie, & notabiliter differre. Tertiò demum dicitur: in eo, quod quid est; quòd idem significat, ac in, purè quid, iuxta superiorem explicationem: sic animal est genus: quia est unum aptum prædicari de pluribus, uidelicet leone, equo, homine, qui specie differunt: aptum, inquam, prædicari essentialiter, & ad modum per se stantis.

6 Ex dictis infero: genus prædicari per modum partis materialis: nam primò genus non potest prædicari, ut tota essentia: aliter, quæ conuenirent in genere, conuenirent in tota essentia; ac proindè inferiora generis non differrent essentialiter: neque genus esset prædicabile de pluribus differentibus specie: quæ enim differunt specie, differunt essentialiter: ergo genus prædicatur, ut pars essentiæ, non quidem formalis; pars enim formalis intelligitur alteri adiacere, & aduenire: ergo ut pars materialis, & per se stans, cui potius alia intelliguntur aduenire.

Genus prædicatur, vt pars materialis.

7 Obijcies primò: naturæ genericæ aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales, aliæ fictæ, aliæ reales, aliæ negatiuæ, aliæ positiuæ, quarum genereitates etiam differunt: ergo non possunt unica definitione definiri; uel saltem genus non est prædicabile specie infima unum. Nego consequentiam quoad utramque partem: omnes illę naturę possunt unica definitione definiri, quę explicet prędicatum generis, in quo omnes conueniunt, non tamen singulas illarum proprietates, & differentias intrinsecas: illud autem prędicatum generis est unum specie infima logica: quia licet illę naturę inter se plusquam specie intrinsecè differant; sicut & cognitiones, per quas attinguntur (si considerentur tales cognitiones, prout uersantur circa terminos, adeò diuersos) quia tamen naturę eo modo cognitæ non differunt notabiliter in modo, quo sunt aptæ prædicari de suis inferioribus, qui modus præcipuè consideratur á logica; ideò non dicuntur differre specie logica.

8 Obijcies secundò: pars non potest prædicari de toto: sed genus est pars; species totũ: ergo genus non potest prædicari de specie. Distinguo maiorem: pars physica, & in abstracto significata non potest prædicari de toto physico; concedo: pars metaphysica, & in concreto significata: nego: & distinguo minorem: genus

est pars physica, & in abstracto significata; nego: pars metaphysica, & in concreto significata; concedo minorem, & nego consequentiam; pars physica, vtpotè realiter distincta à toto physico, non potest, præsertim in abstracto prædicari de toto: neque enim verum est hominem esse animam: pars metaphysica identificatur realiter cum specie, & toto metaphysico: ergo benè potest de illo prædicari; & quidem si prædicetur in concreto, etiam exprimitur identitas adæquata & formalis inter extrema. Concretum enim illud animal resoluitur in subiectum habens animalitatem, & homo etiam formaliter est tale subiectum habens animalitatem.

10 Instabis: animal æquè realiter identificatur cum homine, ac homo cum Petro: ergo non est ratio, cur animal prędicetur de homine, vt pars essentiæ, & homo de Petro, vt tota essentia. Nego consequentiam: ratio est, quia conceptus animalis per ordinem ad sensationē, non ita clarè exprimit hominem, vt ex vi illius valeat distingui ab omni eo, à quo essentialiter differt: neque enim per illum conceptum homo distinguitur ab equo, leone, &c. ergo ille non est conceptus essentialis adęquatus hominis: conceptus enim essentialis adęquatus, sicuti adęquatè constituit, ita adęquatè distinguit: at per conceptum, homo, Petrus distingui potest ab omni eo, à quo essentialiter differt; solùm enim non distinguitur ab alijs hominibus, à quibus tantùm indiuidualiter differt, differentia non notabili, nec formali, sed materiali; quia de illa, vtpotè quę difficilè substantialitér potest cognosci; non curant in creatis scientię.

SECTIO SECVNDA.

Quid definiatur in definitione generis?

1 TRia possumus in genere considerare: naturam, seu substratum; genereitatem, seu formam, & cognitionem confusam: ac demum concretum ex illis resultans, quod absolutè vocatur genus. Quæritur igitur quodnam ex tribus definiatur in allata definitione.

2 Dico primò: non definiri solam genereitatem in abstracto; quia definitur genus: sed cognitio illa præcisiua non est genus, neque prædicabilis de pluribus: sed ad summum forma, qua aliquod redditur de pluribus prædicabile.

3 Dico secundò: non definiri naturam, seu substratum secundum se: quia natura est animal, viuens, & similia prædicata, quæ non explicantur per allatam definitionem: neque illa secundum se sunt vnum aptum prędicari de pluribus: ergo illis secundum se non conuenit essentialiter allata definitio: ergo secundum se non definiuntur per allatam definitionem: definitio enim essentialiter conuenit rei definitæ.

4 Dico tertiò: definitur concretum ex natura, & genereitate: quia genus est quod definitur; sed concretum illud est genus; ergo concretum illud definitur. Secundò, solùm illi concreto conuenit essentialiter esse vnum aptum prædicari de pluribus. Cæterum substratum illius concreti explicatur per allatam definitionem, vt quod, & denominatiuè: genereitas autem formaliter, & vt quo. Probatur: illud explicatur, vt quod, & denominatiuè, cui non conuenit ratione sui, formale significatum definitionis: sed ratione alterius; sed vnitas, & aptitudo ad prædicationem de pluribus, quod est formale significatum huius definitionis, non cōuenit naturę ratione sui; sed ratione alterius, nempè cognitionis confusę: ergo natura explicatur, vt quod denominatiuè, non formaliter. Illud autem exprimitur, vt quo, & formaliter, quod exprimitur vt ratio formalis tribuens subiecto denominationem, & formale significatum definitionis: sed cognitio confusa exprimitur in allata definitione, vt ratio formalis tribuens subiecto denominationem, & formale significatum definitionis; vnitas enim illa, & aptitudo, quę exprimitur, vt forma, non est nisi cognitio confusa: ergo cognitio confusa exprimitur, vt quo, & formaliter in allata definitione.

In definitione generis definitur concretum ex natura, & genereitate.

5 Obijcies primò: tantùm natura prędicatur de suis inferioribus: ergo tantùm natura definitur. Antecedens probatur: tantùm natura identificatur cum suis inferioribus: ergo tantùm natura prędicatur. Distinguo antecedens: tantùm natura prędicatur, vt quod, concedo: vt quo; nego: ad probationem, dico ex antecedenti solùm inferri, quòd sola natura prędicatur, vt quod: identitas enim solū debet esse inter subiectum, & illud, quod prædicatur, vt quod. Cęterū natura sicuti non à se, sed à cognitione confusa habet esse vniuersalem; ita ab illa habet posse per modum termini vniuersalis prędicari, quod est cognitionem prędicari, vt quo.

6 Obijcies secundò: concretum per accidens non potest vnica definitione definiri: sed concretum ex natura, & cognitione est concretum per accidens: ergo. Maior probatur: concretum per accidens non constat vnico genere, & differentia: ergo non potest vnica definitione definiri. Antecedens probatur: concreta per accidens constant naturis essentialiter diuersis, quę nequeunt constare vnico genere, & differētia. Hoc argumentum probat non posse definiri domum, ciuitatem, & reliqua concreta per accidens.

7 Distinguo igitur maiorem: concretum per accidens non potest vnica definitione definiri, quæ explicet differentias singularum partium; concedo: quæ explicet totum, & partium naturas, quatenus totum constituunt; nego maiorem; & data minori distinguo eodem modo consequens. Ad probationem in contrarium; nego antecedens: & ad probationem; distinguo assumptum: constat pluribus naturis essentialiter diuersis, sed facientibus aliquo modo vnum conceptibile ab intellectu; concedo; non facientibus vllo modo vnum conceptibile: nego: & distinguo eodem modo aliam probationem; nequeunt

nequeunt conſtare vnico genere, & differentia, quæ explicent naturam ſingulorum; concedo: naturam concreti; nego; plura enim eſſentialiter diuerſa poſſunt aliquod vnum conſtituere vnico actu conceptibile, cui aſſignari poſſit ſuum genus, & differentia, quæ tamen non explicent diuerſitatem partium, ſed naturam conflati. Licet enim realiter non diſtinguatur totum à partibus; poteſt tamen haberi conceptus totius explicitus, diſtinguens ipſum à non ipſo, qui non ſit explicitus partium diſtinguens inter illas. Illud hic aduerto, Porphyrium definiſſe genus, quod iuuat ad cognitionem prædicamentorum, non quod ponitur in prædicamentis: alitér definiſſet ſubſtantiam, qualitatem, &c.

SECTIO TERTIA.

Comparatur genus ad ſua inferiora.

1 INferiora generis ſunt non ſolũ ſpecies; ſed etiam indiuidua; prædicatur enim non ſolũ de ſpeciebus, vt cum dico: homo eſt animal, equus eſt animal; ſed etiam de indiuiduis: vt cum dico: Petrus eſt animal. Paulus eſt animal. Duas indiuiduorum claſſes poſſumus hic conſiderare: alia enim ſunt completa, alia incompleta; completa cõtrahunt ſpeciem athomam, omniaque eius prædicata ſingularizant, vt hic homo, hic equus; quæ contrahunt, & ſingularizant naturam humanam adæquatè ſumptam cum omnibus prædicatis: incompleta contrahunt, & ſingularizant vnum aliquod prædicatum præciſum à reliquis, vt cum dicimus: hoc animal, hoc rationale, quæ ſingularizant tantùm prædicatum animalis, & rationalis.

Genus comparari poteſt etiam ad indiuidua incompleta.

2 Hæc contractio per indiuidua incompleta eſt opus intellectus: tum quia realiter nulla eſt indifferentia; quæ neceſſariò ſupponitur ad contractionem: tum quia realiter non ſunt, niſi indiuidua completa. Contra non apparet cur intellectus poſt conceptum animalis, non poſſit immediatè illud diuidere in hoc, & illud animal ſingulare, non cognitis explicitè differentijs ſpecificis hinnibilis, rationalis, & ſimilibus: Profectò cum à longe videmus aliquod ſe mouens, certò ſcimus illud eſſe vnum animal indiuiduum: ignoramus autem vtrum ſit hinnibile, vel rugibile; his poſitis.

Et reſpectu illorum habet rationẽ ſpeciei.

3 Dico primó: genus poteſt immediatè contrahi ad hæc indiuidua incompleta; verùm reſpectu illorum erit ſpecies, non genus. Prima pars probatur: poſt conceptum animalis poſſum immediaté cognoſcere plura animalia, non diſcernendo, vtrum illa ſint huius, vel illius ſpeciei: ergo poteſt animal immediatè contrahi per indiuidua incompleta: antecedens videtur certum; probatur conſequentia: quia tunc intellectus contrahit animal iam præciſum ad plura indiuidua illius non cognita differentia ſpecifica illorum indiuiduorum: ſed hoc, & illud animal non cognita ſpecifica differentia illorum, ſunt indiuidua incompleta; per intellectum enim tantùm ſingularizant gradum ſuperiorem animalis, non inferiorem differentiarũ: ergo contrahit animal ad indiuidua incompleta. Et quidem immediaté: quia inter conceptum illum animalis, & hanc contractionem, non mediat alius actus intellectus.

4 Secunda pars, quod videlicet animal reſpectu horum indiuiduorum ſit ſpecies; probatur: quia animal comparatur ad illa indiuidua, vt tota eſſentia, quod eſt proprium ſpeciei, vt ſuppono: ergo comparatur ad illa, vt ſpecies. Antecedens probatur: quia in hoc, & illo animali præter animalitatem non elucet niſi indiuiduatio: ſed indiuiduatio eſt extra eſſentiam: ergo præter animalitatem non elucet in illis, niſi aliquod extra eſſentiam: ergo adæquata, & tota eſſentia illorum eſt animalitas: quamuis enim illa indiuidua intrinſecè includant etiam differentias ſpecificas; cum tamen hæ differentiæ, rationale videlicet, hinnibile, & ſimiles, non eluceant; non faciunt, vt illa indiuidua dicant explicitè aliud prædicatum eſſentiale. hinc patet idem dicendum eſſe de prædicato communi differentiali ſi comparetur cum hoc, vel illo indiuiduo incompleto, de rationali v.g. comparato cum hoc, vel illo rationali.

5 Dices primò: magis extenditur viuens, quàm animal, & hoc magis, quàm rationale; ergo non eodem modo poteſt prædicari viuens de hoc, vel illo viuente, & animal de hoc, vel illo animali; ac rationale de hoc, vel illo rationali: Nego conſequentiam; maior enim extenſio ſolùm facit, vt ſub viuente ſint plura indiuidua incompleta, quàm ſub animali, & ſub hoc plura, quàm ſub rationali.

6 Dices ſecundò: animal abſtractum ab omnibus animalibus poteſt immediatè contrahi tum ad ſpecies, tum ad indiuidua incompleta: ergo non eſt potior ratio, cur ſit genus, quàm ſpecies. Concedo conſequentiam. Eſt enim ſimul genus, & ſpecies reſpectu diuerſorum.

7 Dices tertiò: cum dico hoc animal eſt animal, ex parte ſubiecti includitur intrinſecè differentia: ergo prædicatum non explicat totam eſſentiam ſubiecti. Sed contra: quia etiam ex parte prædicati intrinſecè venit differentia. Diſtinguo igitur conſequens: totam eſſentiam ſubiecti, vt expreſſam per illum conceptum; nego: ſecundum intrinſeca; tranſeat. Ad prædicationem autem per modum totius ſufficit, ſi prædicatum explicitè dicat omnia prædicata eſſentialia, quæ explicitè ſignificantur in ſubiecto: quare quamuis intrinſecé hoc, & illud animal notabiliter differant; quia tamen hæc differentia non elucet in intellectu; ideò per intellectum illa non comparantur ad animal præciſum vt ſpecie differentia, ſed vt eiuſdem ſpeciei.

8 Dices quartò: vna differentia non eſt actus alterius: ergo vna non poteſt contrahere aliam: ergo hoc rationale non poteſt contrahere rationale. Antecedens probatur: vnus actus non poteſt eſſe actus alterius actus; ſed differentia

est essentialiter actus: ergo vna differentia non potest esse actus alterius. Prima consequentia probatur: quia si vna differentia contrahit aliā, est actus illius. Nego antecedens: ad probationem, nego absolutè maiorem; nam quod est actus perfectiois respectu vnius, potest esse potentia perfectibilis respectu alterius; sic anima est actus perfectiouus corporis, & est potentia perfectibilis respectu operationum vitalium. Quare differentia superior, nempè rationale, quæ est actus respectu gradus animalis superioris, est potentia respectu huius rationalis, à quo magis determinatur.

Genus potest immediatè contrahi ad in diuidua cōpleta, sicut ad species.

9 Dico secundò: genus potest tum mediatè, tum immediatè contrahi ad indiuidua completa. Probatur: post cognitionem confusam, qua cognoscitur animal sine distinctione, potest immediatè sequi cognitio clara diuidens animal in hominem, equum, & alias species, & post hanc alia clarior diuidens hominem in hunc, & illum hominem, & equum in hunc, & illum equum; quæ cognitio procul dubio simul videt animal illud præcisum contrahi ad hunc, & illū hominem, & equum: sed hoc modo iam animal præcisum contrahitur mediatè ad indiuidua: inter præcisionem enim illam animalis, & contractionem ad indiuidua intercedit contractio ad species: & quidem comparatur ad illa, vt genus, quia non exprimit totam illorum essentiam; nam præter animalitatem tum species, tum indiuidua completa includunt etiam differētiam essentialem specificam.

10 Rursus post cognitionem confusam animalis potest statim immediatè sequi cognitio clara, qua animal contrahatur ad hunc, & illum hominem, & ad hunc, & illum equum: sed hoc modo contrahitur immediatè ad indiuidua cōpleta: illa enim sunt indiuidua completa, & inter illam contractionem, & præcisionem animalis non intercedit contractio ad species: ergo potest conceptus genericus animalis contrahi immediatè ad indiuidua completa. Maior probatur: quia sicuti potest diuidi vlna primò in quatuor bipalmos, & secundò in octo palmos, & potest illicò ab initio diuidi immediatè in octo palmos; ita potest animal illud immediatè diuidi primò in partes vniuersaliores, tum in partes minores, videlicet primò in species, tum in indiuidua; & potest immediatè diuidi in partes minores, imò minimas, qualia sunt indiuidua. Non negauerim tamen primum modum contrahendi esse magis naturalem, & communem.

11 Vrgebis: animal non prædicatur, vt tota essentia de indiuiduo completo, v.g. de Petro, Paulo, &c. ergo etiam non prædicatur vt tota essentia de incompleto, videlicet de hoc animali. Nego consequentiam. Ratio est, quia licet verum sit, non minus ex parte obiecti, & intrinsecè includi in Petro rationalitatem, quàm in hoc, vel illo animali prædicatum differentiale: id tamen non verificatur ex parte actus: nam hic conceptus Petrus non potest explicari nisi per rationale: Petrus enim est hoc animal rationale; at ille conceptus hoc animal sufficienter explicatur ex parte actus per animalitatem, & per indiuiduationem, quæ afficit immediatè eamdem animalitatem.

12 Vrgebis secundò: communis sensus docet post genus sequi speciem: ergo genus non potest immediatè contrahi ad indiuidua. Distinguo antecedens: post genus sequitur species, si consideremos ordinē vniuersalitatis, concedo: si præscindamus ab isto ordine; nego antecedens: & in priori sensu loquuntur communiter Doctores: at intellectus in contractione non tenetur seruare hunc ordinem: nam post abstractionem illam possunt occurrere species intentionales huius leonis, & illius hominis, determinantes intellectum ad contrahendum animal præcisum ad hunc leonem, & ad illum hominem, nulla facta præcisione hominis, & leonis in communi.

13 Vrgebis tertiò: genus non prædicatur immediatè de indiuiduis: ergo neque ad ista immediatè contrahitur: antecedens probatur: genus prædicatur immediatè de pluribus differentibus specie; sed indiuidua non differunt specie: ergo genus non prædicatur de indiuiduis immediatè. Nego antecedens: ad probationem; distinguo maiorem: in qualibet prædicatione actuali prædicatur immediatè de pluribus differentibus specie; nego: ita vt id non sit necessarium; concedo: & distinguo minorem: indiuidua eiusdem speciei non differunt specie; concedo: diuersarum specierum; nego minorē, & consequentiam. Quando genus dicitur prædicari de pluribus differentibus specie, non est sensus, quod in qualibet prædicatione sint in subiecto plura specie differentia; nam cum dico homo est animal, verè prædicatur genus, nec tamen ex parte subiecti sunt plura specie diuersa. Sensus igitur est, quod in genere sit aptitudo, vt prædicetur de pluribus specie differentibus. Ex quo malè infertur, quod non possit immediatè prædicari de indiuiduis.

14 Vrgebis quartò: ergo non solùm species, sed etiam indiuidua sunt immediatè subijcibilia generi: ergo à specie, & indiuiduo potest abstrahi ratio communis subijcibilis generi: hoc autem est absurdum; nam ratio subijcibilis generi abstracta à genere, & indiuiduo, vel est genus, vel species: non secundum; est enim abstracta ab indiuiduo, & specie subijcibilis, quæ essentialiter differunt: ergo est prædicabilis de pluribus essentialiter differentibus: ergo est genus: neque primum; non enim videtur cohærere, quòd ratio subijcibilitatis ad genus sit genus, est enim essentialiter inferior genere.

Quomodo ratio subijcibilis generi sit cōmunis speciei, & indiuiduo.

15 Nego minorem: ad probationem in contrarium dico rationem subijcibilis intrinsecè non esse genus, sed speciem, & indiuiduum: extrinsecè autem fieri genus per cognitionem confusam, qua abstrahitur ab omnibus subijcibilibus: sicuti animal intrinsecè est homo, equus, & similia, & non est genus; constituitur autem genus per cognitionem confusam, qua abstrahitur

tur ab omnibus animalibus. Ita tamen ratio ſubijcibilis conſtituitur genus, vt reſpectu generis hic definiti ſit vnum eius indiuiduum: ſicuti Petrus reſpectu hominis, eſt vnum indiuiduum in illo contentum: quare plus extenditur genus in communi, quod continet omnia genera, videlicet animal in communi, plantam in communi, & ſimilia; quàm ratio ſubijcibilis abſtracta ab hac, vel illa ratione ſubijcibili: quia præter hoc genus continentur ſub genere in communi plura alia genera: non eſt autem abſurdum, quòd ratio eadem abſtracta conſiderata, vt abſtracta, ſit indiuiduum comparata ad ſpeciem alicuius prædicabilis, & ſit genus reſpectu ſuorum inferiorum.

Ratio ſubijcibilis eſt ratio extrinſecè generice reſpectu ſpeciei & indiuidui.

16 Inſtabis: ratio ſubijcibilis non eſt prædicabilis: ergo non eſt genus. Diſtinguo antecedens: ratio ſubijcibilis intrinſecè non eſt prædicabilis; concedo: extrinſecè; nego; ſicuti ratio animalis intrinſecè eſt principium ſentiendi, & non eſt prædicabilis, niſi tantùm fundamentaliter; ſit autem prædicabilis, & genus extrinſecè per actum confuſum; ita ſubijcibile intrinſecè eſt id, de quo poteſt aliud prædicari, & non eſt genus formaliter, niſi tantùm extrinſecè, vel intrinſecè fundamentaliter, quatenus poteſt per actum confuſum abſtrahi ab omnibus ſubijcibilibus, & fieri vnum aptum prædicari de pluribus. Hinc patet ipſam rationem ſubijcibilis ſignatè ſumptam, pro vt dicit ſubiectum aliquod indeterminatum affectum ſubijcibilitate, eſſe terminum vniuerſalem, & prædicabilem: exercitè autem pro ut dicit hoc ſubiectum ſubijcibile, & veluti concretiuè non eſſe vniuerſalem, neque prædicabilem: hoc enim ſubiectum ſubijcibile non eſt prædicabile, ſed illud, de quo aliquid prædicatur. Quare falſum eſt ſubijcibile ſignatè ſumptum, & abſtractè eſſe inferius quolibet prædicabili: quia ipſum non eſt inferius ſe ipſo; & tamen ipſum eſt aliquod prædicabile de pluribus, vt vidimus.

17 Inſtabis ſecundò: non poteſt explicari, quo modo illa plura, cui conuenit ratio ſubijcibilis, differant ſpecie. Reſpondeo inferiora huius rationis ſubijcibilis eſſe indiuidua, & ſpecies: ſed indiuiduum, & ſpecies differunt ſpecie logica: ergo inferiora huius rationis differunt ſpecie logica, quod ſufficit, vt abſolutè dicatur genus: eſt enim ratio abſtracta ab inferioribus, quæ ſunt denominationes logicæ: minor probatur: æquè differunt logicè genus prædicabile, & ſpecies prædicabilis ex vna parte, ac ex alia ſpecies ſubijcibilis, & indiuiduum ſubijcibile.

18 Vrgebis quintò; *Quot modis*, inquit Ariſtoteles 1. *top. c. 13. dicitur vnum oppoſitum, tot alterum dicatur neceſſe eſt*: ergo ſi genus habet duo oppoſita relatiua, indiuiduum videlicet, & ſpeciem; erit duplex prædicabile. Reſpondeo: ſenſum Ariſtotelis eſſe, ſi comparemus vnũ ex oppoſitis cum alio, non poſſe in vno illorum inueniri aliqua prædicata oppoſita alteri, quin in alio ſint prædicata quibus opponantur prædicata priora. Si enim calor e. g. ex ſex capitibus opponitur frigori, cuicumque ex illis ſex prædicatis caloris debet correſpondere in frigore prædicatum aliquod illi determinatè oppoſitum; aliter ſecundum illud prædicatum calor nõ opponeretur frigori. Cæterum genus adhuc eſt vnum prædicabile, quia eodem modo prædicatur tum de ſpecie, tum de indiuiduo, per modũ videlicet partis materialis, & ſicuti vnus pater poteſt referri ad plures filios numerò diuerſos; ita vnum ſpecie prædicabile poteſt reſpicere ſubijcibilia ſpecie diuerſa. Cuius rei ratio vlterior eſſe poteſt: quia illa diuerſitas ſubijcibiliũ non oritur ex diuerſis rationibus ipſius prædicabilis, ſed ſupponitur aliundè in terminis ſubijcibilibus. Quod ſi velis ob id appellare genus prædicabile veluti virtualiter, ſeu extrinſecè, & reſpectiuè duplex; non curo de voce.

Quid ſit ſubijcibilitas remota, quid proxima.

19 Ex dictis autem tum hic, tum diſputatione præcedente facilè erit definire, per quam formam genus conſtituatur prædicabile, ſpecies autem, & indiuiduum ſubijcibilia: poſſumus verò loqui de prædicabilitate proxima, & de remota. Et quidem prædicabilitas remota eſt cognitio confuſa, qua v. g. cognoſcitur animal in cõmuni, ſine vlla diſtinctione inter ſpecies, & indiuidua, quæ ſub ſe continet: quia ſicuti per illam cognitionem conſtituitur vnum aptum eſſe in pluribus; ita vnum aptum prædicari de eiſdẽ; non quidem proximè: neque enim illicò vt habeo cognitionem illam confuſam, ſum proximè expeditus ad prædicandũ animal de hac, vel illa ſpecie, de hoc, vel illo indiuiduo, ſed remotè. Per eamdem cognitionem ſpecies, & indiuidua conſtituuntur remotè ſubijcibilia generi: quia ſicuti per illam cognitionem animal v. g. conſtituitur vnum aptum eſſe in pluribus, & prædicari de illis, quæ tamen plura continentur in ipſo; ita illa plura conſtituuntur potentia extrahi ab animali, & comparari cum illo, vt partes ſubiectiuæ in eodem contentæ; ſed poſſe hoc modo extrahi, & comparari eſt remotè poſſe ſubijci illi: ergo per illam cognitionem remotè, & ſaltem inadæquatè conſtituuntur ſpecies, & indiuidua potentia ſubijci generi, tamquam termini particulares termino vniuerſali, in quo continentur.

20 Ad ſubijcibilitatem remotam, licet minus remotam, ſpectat cognitio illa, qua ſine vlla reflexione ad conceptum animalis genericum quis conciperet diſtinctè hominem, leonem: quin etiam indiuidua Petrum, Bucephalum, &c. probatur: quia licet attingam ita clarè has ſpecies, & indiuidua; tamen niſi reflectam ad animal iam conſtitutum vnum, & videam ſub illo contineri omnes eas ſpecies, & indiuidua; non ſum proximè expeditus prædicare illud animal de ſpeciebus, & indiuiduis: ergo per illum actũ ſpecies, & indiuidua non conſtituuntur proximè ſubijcibilia: eſt tamen illa ſubijcibilitas minus remota: quia iam apparent clarè termini, qui poſſunt ſubijci.

21 Proxima igitur prædicabilitas, & ſubij-

cibilitas est actus comparatiuus, quo intellectus reflectendo supra priores actus alterum confusum, alterum distinguentem inter species, & indiuidua, videt has species, & indiuidua contineri sub illo conceptu, eisque conuenire illud prædicatum. Huius actus comparatiui necessitatem, & existentiam supra probauimus. Ostendo nunc esse proximam prædicabilitatem, & subijcibilitatem: quia posito illo actu comparatiuo iam sum proximè expeditus, vt affirmem terminum illum vniuersalem de particularibus, quos sub se continere animaduerto. Ex quibus patet eamdem formam constituere alterum extremũ proximè prædicabile, alterum proximè subijcibile: sicuti idem actus iudicij subsequentis constituit alterum extremum subiectum, alterum prædicatum.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur nonnulla quæsita.

Genus est materia metaphysica.

1 QVæres primò: in quo sensu genus sit materia? Respondeo per quamdam analogiam ad materiam physicam actualem: sicuti enim hæc non est totum esse compositi, sed pars illius, non quæcumque, sed indifferens ad hanc, vel illam compartem, & cum aliqua prioritate respectu illius; ita genus non est tota essentia subiecti, sed pars suo modo indifferens ad compartem, ad hanc scilicet, vel illam differentiam, ac habens respectu illius aliquam prioritatem saltem secundum subsistendi consequentiam. Vnde patet differentiam per quamdam analogiam ad physicam posse dici formam respectu generis.

2 Quæres secundò: quomodo verificatur commune proloquium, quod genus sit totum quoddã? Respondeo genus sub diuersa cõsideratione esse totum, & partem. Et primò quidem est quoddam totum concretum constans ex forma, nempè cognitione confusa, & substrato. Secundò est totũ: quia continet sub se plures species, & plus extenditur qualibet illarum, & sub hac ratione est totum potentiale, seu potestatiuum: quia non actu elucet in illo plures species, sed possunt ex illo extrahi per cognitiones claras. Tertiò, respectu speciei est etiam pars: quia non exprimit omnia illius prædicata essentialia. Neque esse hoc modo simul partem, & totum respectu speciei dicit aliquam repugnantiam.

Essentialiter habet sub se plures species saltem possibiles.

3 Quæres tertiò: vtrum genus requirat sub se plures species? Respondetur affirmatiuè: genus enim prædicatur vt pars materialis: ergo est contrahibile, & determinabile per differentiam: neque enim aliud est posse prædicari per modũ partis materialis: ergo debet continere sub se plures differentias, & species: vltima consequẽtia probatur, quod est determinabile per differẽtiam, est indifferens ad plures differentias: aliter non esset determinabile, & contrahibile, sed omninò contractum, & determinatum: quod autem est indifferens ad plures differentias, debet sub se continere plures: aliter si vnam tantùm contineret non esset indifferens, sed omninò determinatum ad illam; indifferentia enim necessariò respicit plura.

4 Dices primò: si homo tantum ex animalibus esset possibilis, animal non contineret sub se plures species, & tamen animal esset genus sicuti nunc est: ergo ad rationem generis non requiritur multitudo specierum. Minor probatur: quia homo tunc haberet eamdem essentiam, ac habet nunc: ergo haberet idem animal, quod nunc: ergo si nunc animal est genus, etiam tunc esset genus. Nego minorẽ. Ad probationẽ dico, tunc non futurum neq; verum hominẽ, neque verum animal, quod nunc est: quia animal, quod nunc est, & quo homo constituitur, est cuius simile non repugnat in alijs.

5 Dices secundò: potest dari species cum vno tantum indiuiduo: ergo, & genus cum vna tantum specie. Distinguo antecedens: species prædicabilis, nego: subijcibilis; concedo. Genus verò prædicabile, & vniuersalius debet posse habere sub se plures species.

6 Dices tertiò: non implicat materia determinata ad vnam tantum formam: ergo neque genus cum vna tantum specie. Nego consequentiam: quia in materia illa adhuc saluarentur cõceptus materiæ: at præcisa pluralitate specierũ non potest saluari conceptus generis, sed confunderetur cum specie, esset enim tota essentia.

Animal abstractum tantum ab homine prædicatur vt genus.

7 Dices quartò: animal abstractum ab hominibus tantùm, vel prædicaretur vt genus, vel non? Secundum est apertè falsum: si primum; illud est genus, & non continet sub se plures species. Respondeo prædicari vt genus, hoc est, vt partem essentiæ. Ad probationem in contrariũ distinguo illam propositionem: non continet sub se plures species; & potest confundi cum alijs speciebus realibus animalis: concedo: & non potest confundi; nego: primum sufficit vt non sit tota essentia hominis; & vt prædicetur tamquã pars materialis; & consequenter ad modũ generis, quamuis non sit genus, sicuti neque vnquam per nos est formaliter genus in actuali prædicatione; quia non retinet vnitatem genericam.

8 Ex dictis infero: cur in definitione hominis sufficit dicere animal rationale, neque necesse est, vt addatur viuens, corpus, &c. Ratio est: quia animal includit omnes illas rationes superiores: quare superfluè adderentur. Secundò infero, genus sub diuersa ratione esse magis, & minus vnum specie. Est magis vnum: quia non dicit compositionem ex partibus metaphysicis, sicuti species: est minus vnum; quia dicit maiorem diuersitatem, quàm species in suis inferioribus: inferiora enim generis sunt species, quæ plus differunt inter se, quàm inferiora speciei, quæ sunt indiuidua puro numero differentia.

Indiuidua incompleta singula habens suas indiuiduationes proportionales.

9 Quæres quartò; vtrum indiuidua incompleta, de quibus supra diximus genus prædicari per modum speciei; indiuiduentur, quodlibet per suam indiuiduationem, an omnia per vnicã, v. g. est in Petro hæc substantia, hæc ratio corporis, viuentis, &c. quæritur igitur, vtrum hæcceitas substantiæ, sit eadem cum hæcceitate corporis, viuentis, &c. an diuersa. Et quidem supposita identitate reali graduum superiorum,

& in-

& inferiorum, quam supra defendimus, videtur certum vnam esse indiuiduationem realem, realiter indistinctã ab omnibus illis gradibus: quare quæstio solùm habet locum supposita distinctione reali graduum; vel supposita identitate posset quæri vtrum formaliter ex parte actus eadem sit indiuiduatio huius conceptus, hoc animal, ac illius hæc substantia.

10 Pater Arriaga, citatus à Quiros affirmat illas indiuiduationes esse diuersas. Quæ sententia mihi placet, nam si gradus illi distinguantur realiter; alias probaui quemlibet illorum gaudere sua indiuiduatione. Si autem ponantur idẽtificati; certè diuersus conceptus est hæcceitas immediatè contrahens substantiam; ac sit hæcceitas immediatè contrahens corpus: sicuti diuersus conceptus est substantia, & corpus. Non negauerim tamen, omnes illos gradus posse concipi vt contractos per eamdem hæcceitatem, veluti adæquatam.

11 Dices cum Quiros: ergo eodem modo diuersus est conceptus rationalis immediatè afficientis substantiam, ac conceptus immediatè afficientis corpus. Respondeo me nullam videre absurditatẽ in diuersitate horum conceptuũ, quæ non est nisi diuersitas cognitionum.

Genus non essentialiter sub se habet species multiplicabiles.

12 Quæres quinto; vtrum genus requirat sub se species vniuersales. Respondeo negatiuè: quia præcisè per hoc, quod aliquod prædicatum contineat sub se plura specie differentia, iam est genus prædicabile de pluribus specie differentibus: sed quamuis plura illa specie diuersa non sint multiplicabilia, & vniuersalia adhuc prædicatum vniuersale contineret sub se plura specie diuersa.

Cur genus est primũ prædicabile.

11 Dices: si species, quæ subijcitur generi, non esset prædicabilis de pluribus, genus non esset primum prædicabile; quia non contineret sub se alia prædicabilia. Respondeo, genus esse primum prædicabile: quia ex suo conceptu non supponit aliud prædicabile ante se, sicuti supponunt species, & differentia; non quia species, quæ illi subijciuntur, debeant continere sub se plura inferiora.

Quinam conceptus perfectior genericus specificus differentialis, vel indiuidualis.

16 Quæres sextò: quinam sit perfectior cõceptus rationis genericæ specificæ, vel indiuidualis? Respondeo, vel loquimur de ratione specifica, generica, differentiali, ac indiuiduali eiusdem suppositi, v.g. Petri, & dico: hæc omnia intrinsecè, & realiter nullo modo differre quo ad perfectionem, sicuti neque quo ad entitatem: extrinsecè quo modo includunt actus intellectus; dico: conceptum genericum esse omnium imperfectissimum: quia est minus distinctus, quàm specificus, indiuidualis, & differentialis; conceptus autem specificus videtur perfectior conceptu differentiali; quia ex vno capite videtur gaudere æquali, ac ille, claritate; ex alio vero exprimit rem ad modum per se stantis; differentialis autem ad modum alteri adiacentis, ex quibus primus est perfectior modus exprimendi; ac demum conceptus specificus est suo modo completus, & æquiualens pluribus, quòd non conuenit differentiali. Demum omnium perfectissimus mihi videtur conceptus indiuidualis: est enim magis clarus, & adæquatus. His adde, quòd si comparemus conceptum genericum determinatè cum conceptu differentiali eiusdem indiuidui, ex eo etiam capite secundus est primo perfectior: quia secundus exprimit obiectum per modum formæ, perfectiuæ primus autem per modum materię perfectibilis.

17 Quod si comparemus rationem genericam, v.g. animalis in communi, in quo sensu includit omnes species, differentias, & indiuidua; comparemus, inquam, cum speciebus, differentijs, & indiuiduis; dico: genus ex duplici capite excedere perfectionem reliquorum: primò ex parte obiecti; quia dicit intrinsecè collectionem omnium specierum, differentiarum, & indiuiduorum; quæ vtique perfectior est qualibet specie, differentia, & indiuiduo. Secundò, ex parte actus: quia cognitio illa confusa attingens omne animal, & applicabilis singulis, est perfectior cognitione vnius tantùm speciei differẽtiæ, vel indiuidui: primò, quia est principium vniuersalius, ex quo colligi possunt plures conclusiones: secundò, quia fundatur in maiori perfectione potentiæ; absolutè enim perfectior est potentia, quæ possit plura simul cognoscere; quamuis autem cognitio differentiæ sit clarior conceptu generico; hæc tamen perfectio maior non solùm compensatur, sed longè exceditur à dictis prædicatis conceptus generici. Et certè scientiæ perfectiores considerans sea magis abstractè, vt parte considerant. Ob similem rationem conceptus specificus, & differentialis est perfectior conceptu indiuiduali: conceptus autem specificus semper remanet perfectior differentiali ob rationes supra allatas.

QVÆSTIO SECVNDA.

De specie, & indiuiduo.

QVamuis species comparetur ad genus, & differentiam, tanquã ad suas partes, ideoque æquum videri possit, vt post tractationem vnius partis nempè generis agamus de altera, nempè differentia; tamen quia species, non differentia subijcitur generi, ideò habet maiorem connexionem cum cognitione generis, de quo egimus, cognitio speciei, quàm differentię. Eadem autem est ratio de indiuiduo, quod subijci generi, etiam immediatè, supra probauimus. Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit species.

Quid sit species.

1 COnceptum speciei in communi ita explico; est conceptus metaphysicè completus notabiliter differens ab omni alio. Dicitur primò, completus: quia species siue comparetur ad superiora, siue ad inferiora, respectu quorum est species, semper retinet rationem totius essentiæ: nam si comparetur ad gradus

dus superiores, illos includit, & aliquid superaddit: quare cum illis comparatur tamquam quid completum, tum incompletis. Si comparetur ad inferiora, quæ sunt tantùm indiuidua; exprimit totam illorum essentiã ex supradictis.

2 Dicitur secundò, metaphysicè: tum quia species non constat partibus physicis, sed metaphysicis, non realiter, sed per intellectum distinctis: tum quia, etiam res physicæ incompletæ sunt in sua determinata specie, quæ tamen non possunt esse completa, nisi metaphysicè ex materia, & forma intentionali, genere, videlicet, & differentia. Demum additur, notabiliter differens: vt distinguatur ab indiuiduo completo, quod quamuis sit metaphysicè completum; non tamen differt notabiliter ab omni alio: sic Petrus non notabiliter differt ab omni non Petro: neque enim Petrus notabiliter differt à Paulo. Contra verò homo notabiliter differt ab omni non homine: quid autem sit notabiliter differre infra fusiùs dicam.

3 Hæc definitio non longè distat ab illa Porphyrij c. 2. *species est, quæ subijcitur generi:* quod enim subijcitur generi in prædicatione directa non potest esse, nisi natura metaphysicè completa: solùm indè mihi displicere posset alla definitio, quia species immultiplicabilis, & essentialiter indiuidua, quales sunt apud multos singulæ personæ diuinæ, & qualem possibilem esse in creatis aliquam probabiliter docent authores non illaudati; ostendit genus post se immediatè habere speciem æquè, ac indiuiduum.

4 Hinc reijcio Ouiedum, qui speciem definit: quæ subijcitur generi vt natura intentionaliter vna, & realiter multiplex: quia non repugnat species realiter non multiplex, & talis est natura diuina quin, & singulæ personalitates diuinæ per multos.

5 Ex dictis infero primò: omnem speciem esse subijcibilem: quia omnis species includit rationem aliquam superiorem, cui subijcitur. Secundò: subijcibilitatem ad genus non esse de ratione speciei metaphysicè consideratæ: quia prius est, quod species sit natura quædam metaphysicè completa, &c: quàm quòd possit de illa prædicari genus: sicuti enim prædicabilitas supponit in vniuersali vnitatem, & aptitudinem; ita subijcibilitas supponit in specie esse naturam metaphysicè completam: logicè autem considerata species, dicit subijcibilitatem saltem remotam: quia hæc prædicata considerantur à logico. Tertio infero speciem constitui per actum intellectus apprehendentis rem ad modum alicuius completi, & ex vi cuius aduerti possit notabilis differentia eiusdem ab omni alia.

Subijcibilitas non est ratio metaphysicæ speciei.

6 Iam verò species alia est merè subijcibilis, quæ nimirum vel prædicari non potest, quia non habet inferiora, vt esset species immultiplicabilis; vel si prædicatur non retinet in actuali prædicatione rationem naturæ integræ respectu subiecti, sed partis materialis: vnde non prædicatur modo proprio speciei, sed generis: vt sunt species subalternæ animalis, viuentis, & similes. Et definiri potest: essentia metaphysicè completa imprædicabilis de pluribus per modũ totius.

Species alia prædicabilis, alia merè subijcibilis

7 Alia est species prædicabilis, & definiri potest: quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo, quod quid est: Ita colligitur ex Porphyrio, qui licet non addiderit, vt totã essentiam, tamen, cum non admiserit in specie posse prædicari de pluribus differentibus speciem; iam implicitè intellexit speciem prædicari vt totam essentiam, & hæc est definitio speciei vniuersalis logicè sumptæ: metaphysicè enim definiri deberet: quæ apta est esse in pluribus numero differentibus, vt tota illorũ essentia: omnia patet ex dictis. Ex quibus colligi potest à specie subijcibili, & prædicabili abstrahi posse rationẽ communem speciei, quam iam explicauimus: quæ ratio erit profectò generica: different enim essentialiter, & notabiliter multæ species merè subijcibiles a prædicabilibus, & quidem differentia logica, & quo ad esse intentionale.

8 Dices: indiuiduatio est de essentia indiuidui: sed species non dicit indiuiduationem: ergo non dicit totam essentiam Indiuidui. Distinguo antecedens: indiuiduatio est de essentia physica indiuidui, concedo: metaphysica; subdistinguo: faciens notabiliter, & essentialiter differre ab omni alio, nego: non faciens notabiliter illo modo differe; concedo: & data minori, nego consequentiam. Prædicata metaphysica absolutè essentialia respectu indiuidui, sunt illa, quæ faciunt notabiliter differre: qualis non est indiuiduatio ex suo conceptu formali, vnde quamuis species non dicat ex suo conceptu formali indiuiduationem; dicit nihilominus omnia prædicata essentialia indiuidui.

9 Iam verò species remotè subijcibilis cõstituitur tum per actum, quo ratio superior, v. g. animal constituitur remotè prædicabilis, vt diximus: tum per actum expressum hac voce homo, v. g. homo enim hoc modo cognitus potest per actum comparatiuum respicere suum superius, & genus, & per hunc actum fit proximè subijcibilis. Species autem prædicabilis constituitur remotè talis per actum, quo natura humana fit vna: proximè autem per actum comparatiuum quo ad inferiora, nempè indiuidua contrahitur, quæ omnia facilè intelliguntur ex dictis.

Qua cognitione constituitur species.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit notabiliter, seu specie differre?

1 Diximus speciem afferre, & dicere notabilem differentiam sui ab omni alio ab ipsa contradistincto, quod nomen ipsum speciei indicat: dicitur enim species à spectãdo, eò quòd spectabilis sit, & facilè notabilis. Dicet præterea quis, esse per se notum, quid sit notabiliter differre, differentia videlicet, quæ facilè notari, & discerni potest: ex quo benè quis inferet, ca purè numero differre, quæ differunt, & non notabiliter. Hæc vera sunt, & sufficere possent ad rudem quamdam, & minus philosophicam differen-

ferentiæ specificæ, & purè numericæ notitiam. Sed non potest in illis quiescere animus veritatis amator.

Notabiliter differre non benè vltimo explicat differentiam specificam.

2 Nam quæ differunt specie; inuariabiliter specie differunt; ita vt perseuerantia in suis conceptibus non possint modò differre specie, modò non differre specie: apud hos solo numero, apud alios etiam specie distingui. Iam verò ea, quorum differentia non potest notari ab hominibus, facilè discerni possunt ab Angelis, & quæ confunduntur ab hominibus, ac etiam ab Angelis, clarissimè discernuntur à Deo: quin imo accidere potest, vt quæ confunduntur ab his hominibus prudentibus, & doctis, discernantur ab alijs item prudentibus, & doctis: quæro ergo: sunt ne huiusmodi indicanda eiusdem speciei; quia ab hominibus imperfectè cognoscentibus non discernuntur; vel diuersæ; quia ab Angelis perfectiori modo intelligentibus, & á Deo perfectissimè comprehendente discernuntur?

3 Præterea res facilè discerni, seu esse facilè discernibiles, est veluti effectus sequens differentiam notabilem, & specificam, quæ veluti radix trahit illam notabilem differentiam, & discernibilitatem: assigna igitur quænam sit illa radix ex parte obiecti, quę fundet rationabiliter illam discretionem, & iudicium prudentium, asserentium hos, vel illos conceptus specie, ac notabiliter differre. Quod si assignaneris, illa profectò differentiæ specificę conceptus erit. Breuiter iudicium prudentium asserentium hęc differre specie, ac notabiliter, illa minimè, debet habere fundamentum ex parte obiecti, ex quo tamquam ex principio firmo, & inconcusso deducant in singulis, vel certò, vel probabiliter hęc differre specie, & notabiliter, illa verò minimè: aliter irrationabiliter, & imprudēter procederent. Hoc igitur fundamentum, & firmam regulam ex parte obiecti, quam quę participent, præcisò quocumque iudicio, sint certo, & inuariabiliter specie differentia, est quòd operosè quęrimus, & quo non inuento non potest animus in hac quæstione quiescere. Ex quibus patet non adęquatè soluere hanc qnęstionē recētiores, qui cōmuniter asserūt, ea differre specie, quæ differunt notabiliter: ea notabiliter differre, quę prudētes indicant notabiliter differre.

Non possūt duo esse omnino similia.

4 Pro solutione, sciendum est, nullas res realiter distinctas posse esse omninò similes: aliter non realiter distingnerentur, quod sic declaro: si sunt omninò similes, nullum prędicatum conuenit vni, quod non conuenit alij: si enim aliquod prędicatum conuenit vni, quod non cōpetit alij; iam non sunt omnino similes; dissimilantur enim in eo, quòd prędicatum, quod participatur ab vno, non participatur ab alio: ergo si duo sunt omninò similia, nō distinguuntur realiter: quę enim conueniunt in omnibus prędicatis realiter non distinguuntur, sed identificantur. Ex quo apertè sequitur nulla duo entia creata esse possibilia, quę non sint ab aliquo intellectu saltem diuino, & perfectissimo discernibilia, & proprio cōceptu, ac nomine tali conceptui correspondente designabilia: sicuti nulla sunt, quæ non dissimilantur in aliquo prędicato. Ex quibus patet non esse verum, ea solo numero differre, quę sunt omninò similia; cum hęc omnimoda similitudo repugnet.

5 Quanta igitur similitudo requiritur ad constituendam differentiam purè numericam, quanta dissimilitudo ad constituendam differentiam specificam, & vt duo non faciant purum numerum, & hoc, & hoc; sed differant essentialiter? Neque satisfacies, si dicas; differre essentialiter, specificè, & plusquam numero, ea, quæ differunt in prędicatis essentialibus. Non satisfacies, inquam, quia omnia prædicata Petri identificantur inter se: ergo ex parte obiecti omnia sunt essentialia: ergo ex parte obiecti intrinsecè non dantur aliqua prædicata essentialia, per quę Petrus distinguitur ab equo, & non à Paulo, & aliqua nō essentialia, per quæ distinguitur etiam à Paulo; sed per totum suum esse, & essentiā distinguitur à quolibet non ipso: neque intrinsecè, & ex parte obiecti est in Petro aliquod prędicatū, quod inueniatur idem in Paulo.

Differētia alia per se alia per accidens.

6 Sciendum præterea est: duo posse in aliquo differre; primò accidentalitèr: differentia videlicet, quam possunt non habere; vt si vnus homo sit albus, alter niger: ea differentia est accidentalis, quam possunt illa duo non habere, & esse ambo, vel alba, vel nigra. Et hęc differentia non facit ad rem: neque verè, quia Petrus est albus, Paulus niger, Petrus, & Paulus differunt specie: aut quia idem Titius modò est albus, modò niger, Titius est diuersus à se ipso. Secundò, differentia inter duo potest esse per se, & omninò necessaria, ita vt duo illa non spoliari possint ea differentia; sicut Petrus, & Paulus differunt per se in hęcceitate, seu indiuiduatione; quia omninò necessariò, & indispensabiliter in ea differunt. His positis.

Differunt numero, quæ differunt differentia per se, sed minima.

7 Dico primò: ea differunt purè numero, quę differunt differentia per se, sed minima, per se quidem: quia per se sunt duo, nec possunt fieri vnum; minima autem: quia differentia purè numerica debet esse omnium minima, quod sic explico, & confirmo. Differentia, qua pręcisè constituitur numerus, plura, & hoc, & hoc; est differentia purè numerica: omnis enim alia, sicuti facit plusquàm numerum, ita est plusquàm numerica: sed differentia omnium minima est, qua pręcisè constituitur numerus, plura, & hoc, & hoc: ergo differentia omnium minima est purè numerica. Omnis autem differentia maior minima, sicuti est maior minima, ita habet aliquid plùs, quàm requiratur, vt pręcisè constituatur numerus: ergo constituit plusquàm numerum, ac proinde constituit differentiam non purè numericam, sed maiorem purè numerica vtique specificam.

8 Vbi notandum primò est: omnem differentiam sicuti distinguit, ita necessariò facere numerum, & pluralitatem; sed cum hoc discrimine, vt differentia minima, & purè numerica faciat purum numerum: at maior minima quam-

ula nomerica fit, & numerum faciat: non est tamen purè numerica, neque facit purè numerū, sed plus quàm numerum. Secundò differentiam purè numericam esse absolutè minimam, aliter faceret plus quàm numerum. Quare non satis est, quod sit minima respectiuè, quæ videlicet reperiri potest inter duo determinata extrema: nam inter Deum, & equum non potest reperiri minor distinctio ea, quæ de facto inter illos reperitur? & tamen ea differentia est plus quàm generica.

Differētia minima est, quæ purè resolui-tur in plures partes continuabiles.

9 Dico secundò: differentia absolutè numerica est, quę vltimò tamquam in primam radicem, resoluitur purè in plures partes continui. Nomine autem continui, intelligo magnitudinem siue corporatem, siue spiritualem, quę constet pluribus partibus, quæ partes, vna alijs superaddita, faciunt quid maius, non quid diuersum; siue demum illud continuum sit tempus, siue locus, siue extensio, siue intensio. Tunc autem vltimò tamquam in primam radicem differentia resoluitur purè in plures partes continui, quando quæ differunt, vel differunt purè vt plures partes continui inter se continuabiles, vel tota differentia illorum tamquam in prima radice tantùm fundatur in diuersis partibus cōtinuis: sic duę partes caloris differunt purè vt partes continuabiles ad faciendum magis tale, nempè magis calidum, seu maiorem calorem: duæ autem animę rationales purè differunt differentia resolubili purè in diuersas partes continui; quia in omnibus conueniunt, & sunt duæ, quia diuersę partes materiæ quęlibet adęquatè disposita ad vnionem cum anima, exigunt diuersas animas. Hoc modo explicata conclusio.

10 Probatur: quę differunt differentia per se, & differentia minima; differunt differentia purè numerica; vt probatum est: sed quæ dicto modo differunt differentia purà resolubili in plures partes continui, differunt differentia per se, vt suppono, & minima: ergo quæ dicto modo differunt differentia purè resolubili in plures partes continui, differunt differentia purè numerica. Minor quoad secundam partem, quod illa sit differentia minima, probatur: quia non est differentia minor illa: omnis enim alia est maior: quia quæ alio modo differunt, vel nō possunt vniri ad faciendum vnum; vel si vniantur ad faciendum vnum, ex illis vnitis, non solùm resultat maius quid, sed etiam tertium quid diuersum, vt constat inductione: nam Angelus v. g. non potest vniri cum homine. Materia autem & si vniri possit cum forma; non purè vniūtur ad faciendum maius quid, v. g. maiorem materiam, maiorem formam; sed tertium quid, v. g. hominem, leonem, &c. Contra verò quę purè differunt vt partes continuabiles; & vniri possunt inter se; & ex vnione resultat purè maius quid, v. g. maior materia, maior calor, non tertium quid, vt patet consideranti, maior autē est disconuenientia inter illa, quæ non possunt vniri: vel si vniuntur, vniantur ad faciendum non purè maius, sed tertium quid; quam sit inter illa, quę & vniri possunt, & non vniuntur nisi ad faciendum maius quid; sicuti maior affinitas est inter hæc, quàm inter illa.

11 Iam verò differentia vnicè fundata in differentia partium continuabilium, non potest esse maior suo fundamento: ergo si differentia partium purè cōtinuabilium est omnium minima; omnis alia voicè fundata in illa erit etiam omnium minima. Hoc autem necessarium est, ne cogamur dicere tantùm partes continuabiles solo numero differre, non autem composita, & formas substantiales, quę inter se vniri non possunt: vt sunt duo equi, vel duę animę rationales. Hinc

Differunt specie, quæ differunt differentia maiore, quam sit minima supradicta.

12 Dico tertio: differunt specie ea, quæ differunt per se, & necessariò differentia maiore, quàm sit minima iam explicata. Probatur, quę differunt per se differentia maiore, quàm minima, differunt per se plus quàm numero: ergo differunt specie. Consequentia probatur; quia ad differentiam specificam sufficit differre plus quàm numero; si enim facit plus quàm numerum; alia differentia afferet multitudinem, sed specierum: nam purè afferre multitudinem indiuiduorum, est facere purum numerum, non plus quàm numerum. Primum antecedens confirmatur: quia differentia maior minima aliquid prestat supra minimam; ergo si minima facit numerum, quę est maior minima, debet facere plus quàm numerum.

13 Hinc patet, malè nonnullos dicere, differentiam purè numericam habere latitudinem, & suscipere magis, ac minus: ideoque quamuis quæ intercedit inter partes continuabiles, sit numerica; posse nihilominus dari aliā item purè numericam, & per se sed maiorem. Malè, inquam, tum ob allatas rationes; tum quia admissa ea latitudine non potest determinari quantus excessus supra infimam per se ad specificam differentiam requiratur, & sufficiat; & iudicium illud prudens, in quod rem totam resoluunt frequenter Recentiores, esset sine fundamento, ac imprudens.

Aliorū sententiæ de differentia numerica, & specifica referūtur, & impugnātur.

14 Patet secundò: non adæquatè, & vltimò quęstionem hanc resoluere illos, qui dicunt ea specie differre, quę differunt prędicato positiuè designabili: ea purè numero, què differunt tantùm prędicato negatiuè designabili; ita ut ex vi illius solùm constituatur plura, & formari dumtaxat possit iudicium negatiuum, hoc non est hoc. Non adęquatè, inquam, & vltimò: quia hoc est signum à posteriori fundatum in imperfectione nostri intellectus. Profectò prædicata, per quæ differunt duo indiuidua eiusdem speciei sunt in se positiua, & per se illis competunt; ac Deus, quin & Angelus possunt illa positiuè designare: neque putanda sunt differre absolutè prædicatis negatiuè tantùm designabilibus, nisi quæ differunt differentia minima iam explicata; si enim, quæ differunt prædicatis purè negatiuè designabilibus; differunt differentia, quæ sit minima maior, iam ex probatis differūt plus quàm numero: ac proindè eo modo differre

re non est purè numero differre.

15 Idem esto iudicium de illorum sententia, qui asserunt: ea differre specie, quæ differũt differentia, quæ cognita valeat excitare curiositatem: quare differentia numerica erit, quæ huiusmodi curiositatem excitare non potest. Sed profectò eius rei cognoscendæ, & inuestigandæ curiositatem excitat cognitio differẽtiæ specificæ. Ego dicerem potius differentiæ specificæ cognitionem satisfacere appetitui sciendi, & curiositati, dum affert nouam cognitionem, & valdè æstimabilem; cognitionem videlicet obiecti dissimilis obiectis priùs cognitis. At cognitio noui indiuidui eiusdem speciei non videtur noua, neque noui obiecti; propter similitudinem cum obiectis priùs cognitis; ideoque nõ solet magni fieri, neque expeti ad satisfaciendum curiositati, & appetitui sciendi.

16 Hæc vera sunt; sed vrgeri potest: quia fundamentum totius huius rei est, quia quæ differunt purè indiuidualiter, differunt differentia minima, & sunt ferè idem, ideoque cognitio noui indiuidui non æstimatur nouum quid, augens diuitias intellectus: Secus accidit in ijs, quæ differunt differentia non absolutè minima: ergo totum negotium resoluitur in differentiam minimam, & non minimam explicatam. Fac quæso, ea, quorum cognitio non affert eam nouam satisfactionem differre differentia, quæ sit maior, quàm minima; vtique different specie: vt probatum est. Totum igitur negotium resoluendum est in differentiam minimam: & non minimam.

Confirmatur allata doctrina ex S Thoma, & Aristotele.

17 Sententia, quam supra explicauimus de differentia numerica, & specifica, est celeberrima illa Sancti Thomæ, & Thomistarum asserentium, principium multiplicitatis indiuidualis esse materiam; quod in rebus corporalibus est certum: quia tota diuersitas purè numerica in illis tandem resoluitur in plures partes materiæ omninò homogeneas. In rebus spiritualibus vel repugnat distinctio purè numerica, & minima, vel resoluenda est in aliquod simile materiæ corporeæ, videlicet in partes alicuius continui differentes differentia per se quidem, & minima. Eadem est mens Aristotelis, vt fatetur Scotus, & si contrariæ sententiæ doctor; & apertè colligitur ex 12. *m. tex.* 46. vbi probat primum motorem esse vnum ratione, & numero, quia materia caret. *Quæ sunt*, inquit, *numero plura, ea materiam habent: at quidditas prima materiei est expers.*

Sententia Mauri.

18 Neque ab hac nostra sententia longè distat Maurus, dum docet; ea differre purè numero, quæ solum differunt in hoc, quòd ordinantur ad essendum saltem primo in diuerso subiecto, vel à diuerso agente, vel sub diuerso loco, tempore, aut quibusdam alijs circumstantijs, quæ propterea dicuntur indiuiduantes; quæ verò differunt etiam in alijs prædicatis per se, differre etiam specie. Profectò illæ circumstantiæ ne differant inter se specie, ac fundent diuersitatem specificam, debent differre differentia minima resolubili in plures continui partes, quæ adeò similes sunt, vt multi putauerint illas ante designationem identificatas.

Sententia Giattini.

19 Hùc reuocari potest mens Giattini asserentis differre specie, quæ differunt in ordine ad accidentia non disparata, idest, quæ per se illis competunt: at numero differre; quæ non differunt in ordine ad accidentia non disparata. Debet hæc sententia supponere accidentia non disparata differre specie, idest differentia plus quã minima: aliter non possent fundare differentiam specificam: sicuti ea, quæ conueniunt in accidentibus non disparatis; & notabiliter differunt in disparatis, quæ per accidens illis conueniũt, supponere debet, quod differant differentia minima: aliter differrent specie, vt probauimus: ergo totum negotium resoluitur tandem in differentiam minimam, & non minimam, quæ est nostra sententia. Verum in his sententijs id probare non possum, quod differentiam specificam, vel numericam substantiarum videntur explicare per respectum ad accidẽtia numero, vel specie diuersa; sed relinquunt inexplicatam differentiam specificam, & numericam accidentium.

Non benè dicitur, quod differũt specie, quæ inæqualia; numero, quæ sũt in perfectione essentiali æqualia.

20 Eodem modo discurro de illis, qui dicunt ea differre specie, quæ sunt inæqualia in perfectione essentiali, quæ verò æqualia solo numero differre; nam primò, quæ sunt æqualia in perfectione essentiali, different specie, si stante illa æqualitate adhuc differant plus quã minimè. Secundò, per multos etiam intra eamdem speciem repugnant duo indiuidua, sicut prorsus similia; ita, & æqualia perfectionis essentialis. Occurrent fortasse plures aliorum sententiæ; sed facilè eas reuocare poteris ad meã, vel ad aliquam ex supradictis. Neque est necessarium illas referre, & impugnare; quia mea sententia positiuè probata non indiget ad sui firmitatem aliarum impugnatione; sed si aliquid contrarium continent eisdem argumentis, quibus probaui meam, poteris eas impugnare: qui enim positiuè probat vnum ex oppositis, iam reijcit aliud.

Quo modo differentia numerica desumitur à materia.

21 Patet tertiò: quam benè Thomistæ cum Sancto Thoma dicant, quæ differunt puro numero, differre materialiter, seu differentia materiali, quæ specie differre etiam formali, seu formaliter; & differentiam indiuidualem desumi à materia, specificam à forma: quia videlicet differentia purè numerica resoluitur tandem in diuersas partes materiæ, vel continui; at specifica aliundè desumitur, & in compositis materialibus est, præciso ordine, ad plures partes materiæ ex aliquo prædicato proprio formæ: v. g. duo equi solo numero differunt, quia constant partibus materiæ per se cõtinuabilibus; & quod formæ illorum sint duæ est primò, & radicaliter à diuersis partibus materiæ, quæ dispositæ exigunt duas formas, cum in reliquis prædicatis conueniant. Idem asserebam de animabus rationalibus: at equus, & ignis differunt specie, quia eorum differentia habetur ex prædicato proprio formarum, etiam præciso ordine ad

plures partes subiecti, seu materiæ.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primó vnio inter animam, & & materiam Petri puro numero differt ab vnione inter animam, & materiam Pauli, & tamen magis differunt inter se hę vniones, quam duæ vniones successiuè possibiles inter easdem animam, & materiam Petri: ergo differentia numerica non est omninm minima. Nego secundam partem antecedentis: vtraque enim minima est resolubilis purè in plures partes continuabiles: nam prima resoluitur in plures partes materiæ, tamquam in sui primam radicem, at secunda in plures partes temporis, continuum autem resultat tum ex pluribus partibus materiæ, tum ex pluribus partibus temporis. Quæ doctrina vera est siue supponamus cum aliquibus, quod determinatè hæc forma exigat radicari in hac parte materiæ, illa in illa, siue id negemus: semper enim verificatur, quod diuersitas illarum vnionem radicaliter fit á diuersis partibus continui, siue determinatis, siue vagè sumptis.

Duæ animę rationales purè numero differũt.

2 Obijcies secundò: plus differunt duæ animæ rationales, quàm duæ partes materię, vel guttæ aquę: quia duę partes materię possunt cõtinuari, sicuti & duę guttę aquę; at duę animę rationales nullo modo continuari possunt: ergo vel differentia numerica nõ est minima, vel duę animę rationales differunt specie. Nego antecedens: ad rationem in contrarium indicatam, dico: animas rationales, quamuis inter se continuari nequeant, non plus inter se differre, quàm duas partes materię, quę continuari possunt: quia videlicet animarum diuersitas tandē resoluitur purè in diuersas partes continui: ergò non potest esse maior ea, quę est inter partes continui, in qua fundatur, vt supra dicebam.

Quo modo in Deo differũt personalitates

3 Obijcies tertiò: personalitates in Deo differunt non per ordinem ad diuersas partes continui, nec tamen differunt specie. Respondeo, personalitates diuinas non differre specie, quia participant eamdem indiuiduam essentiã: quare neque absolutè distinguuntur indiuidualiter logicé, cum identificentur cum eadem indiuidua essentia: distinguuntur igitur distinctione verissima reali, sed inadæquata, & personali pura, quæ faciat absolutè plures personas inter se purè numero distinctas, idest distinctione reali minima composita cum identitate reali inadæquatè distinctorum, ratione cuius verissimè Christus Dominus dicit; Ego, & Pater vnum sumus. Hæc autem distinctio non habet locum in creaturis, de quibus loquimur: In his enim non potest dari minor iam explicata: neque nobis est sermo, nisi de distinctione indiuiduali adæquata.

4 Obijcies quartò: rotunditas auri, & rotunditas ligni non differunt specie. Distinguo physicè, & intrinsecè nego: mathematicè; concedo: id autem est: quia mathematicus eas differentias non considerat. Hic obiter noto: duo ligna alterũ palmare, alterum bipalmare vt ligna, differre purè numero, tãquã partes purè continuabiles: vt palmare autem, & bipalmare differre specie; quia extensio palmaris differt specie á bipalmari: sicuti numerus binarius á ternario. Ratio est: quia precisè eo, quod sint partes continuabiles, differunt in aliquo alio prędicato.

Calefactio procedēs à sole, & procedens ab igne specie differunt.

5 Obijcies quintò: calefactio, qua producitur calor à Sole, non differt specie à calefactione, qua producitur calor idem ab igne; & tamen differunt non purè per ordinem ad diuersas partes continuabiles. Nego primam partem antecedentis, quam sine ratione assumunt aduersarij: Rationes autem à nobis factæ, probant oppositum. Idem assererē de calore, qui exigeret determinatè produci tantùm à Sole, si compararetur cum calore, qui determinatè exigeret produci tantùm ab igne. Cęterum quę puro numero differunt, possunt accidentaliter participare accidentia essentialiter diuersa sine determinatione ad illa, & esse accidentaliter, prout substant illis accidentibus specie diuersa, vt homo albus, & niger, mas, & fœmina: accidit enim huic homini esse fœminam, cum aliquando sexum mutauerit, at non accidit esse hunc hominem. Quæ igitur per se indiuidualiter tantùm differunt, possunt accidentaliter specie differre.

Quo modo differant duæ cognitiones eiusdem Angeli versantes circa idem obiectum.

6 Obijcies sextò: potest Angelus simul duplici cognitione omninò simili, v.g. vt vnum, cognoscere idem obiectum, v.g. hominem: in quo casu illæ cognitiones essent eiusdem speciei solo numero differentes; nec per ordinem ad diuersas partes continui. Respondeo casum esse naturaliter saltem impossibilem: sicuti, quod homo habeat simul duas vbicationes adæquatas, vel quod simul eumdem locum occupet per duas vbicationes adæquatas. Profectò altera ex illis cognitionibus omninò similibus, nec facientibus intensionem inter se esset superflua; quod si faciant intensionem iam comparantur, vt partes continuabiles. Idem dico, si fingas, quod faciant extensionem: at si nullo modo vniantur ad faciendum vnum continuum, adhuc solo numero differunt in eo casu impossibili, quia exigunt esse in diuerso tempore, seu in diuersis partibus temporis, quod est quid continuum: nisi enim ex natura sua fundentur in diuersis partibus temporis, non est vnde ex natura sua diuersificentur.

SECTIO TERTIA.

Resoluitur ex dictis vtrum possibilis sit species essentialiter immultiplicabilis?

Datur species essentialiter immultiplicabilis.

1 VIdelicet cuius vnicum tantúm sit possibile indiuiduum impotens ab alio distingui differentia omnium minima, idest vltimò resolubili tantùm in plures partes continui, tamquam in fundamentum totius distinctionis? multi ex recentioribus negant eam speciem esse possi-

possibilem. Sermo autem est de creaturis: sed possibilem esse talem speciem, imò de facto dari, & tales esse omnes Angelos defactò existentes, vt cum suo præceptore docet præclara Thomistarum schola, facilè colligitur ex dictis.

Angeli de facto existentes sūt species essentialiter immultiplicabiles.

2 Ex quibus ita pro illa sententia argumentor. Quilibet Angelus defactò existens differt á quocumque alio differentia per se plus quam minima: ergo differt ab omni alio differentia plus quam numerica; differentia enim plus quā minima est differentia plus quàm numerica, vt probatum est: ergo differt ab omni alio differentia per se specifica: differentia enim per se plus quàm numerica, vt dictum est, est specifica: ergo quilibet Angelus defactò existens est species immultiplicabilis. Indiuiduum enim, quod differt ab omni alio differentia specifica est species immultiplicabilis excludens aliud, á quo minimè, & purè numero differat; est species, quæ essentialiter excludit plura sub se posita, quæ differant tantùm differentia minima: omnia constant consideranti, quæ & hic innuimus, & supra diximus. Solùm confirmandum est primū antecedens, quod iam præstoi nullus Angelus differt ab alio quocumque differentia purè resolubili in plures partes continui: omnis enim Angelus est ens spirituale essentialiter, & integraliter simplex, ac completum, ac proindè non supponens in aliquo priori continuum aliquod, cuius partium multitudo sit fundamentū multitudinis Angelorum: sed primò distinguitur per sua prædicata absoluta præcisò quocumque ordine ad plures partes continui: quod verum est, vt patet consideranti, siue Angelus comparetur cum accidentibus, siue cum substantia quacumque increata, vel creata, materiali, aut spirituali, quales sunt alij Angeli: ergo nullus Angelus distinguitur, aut differt á quacumque alia re differentia purè resolubili tamquam in primum fundamentum in plures partes cōtinui: ergo nullus differt ab alia re differētia minima: ergo quilibet differt á quocumque alio differētia plus quàm minima: omnia patent ex dictis.

3 Quòd si fingas possibiles substantias purè spirituales compositas ex forma, & subiecto diuisibili in plures partes continuabiles; sicuti constant composita materialia, in ea suppositione non curo verum possibiles sint plures substātiæ purè spirituales solo numero differentes: sicuti possunt solo numero differre plura accidētia spiritualia, quæ vel comparentur inter se, vt plures partes continui; vel quorum differentia tandem purè resoluatur in plures partes cōtinui, tamquam in primam radicē distinctionis.

4 Obijcies primò: dici potest Angelos defactò existentes differre differentia resolubili in plures partes continui; si dicamus differre per hoc, quod exigant esse in diuerso loco, vel tempore, & custodire diuersos homines numerò distinctos. Nego assumptum: quia substantia completa est prædicatum absolutum, & primum, ac reliquorum fundamentum: ergo sicut in priori ad respectum ad locum, tempus, & alia numera supponitur constituta, ita & distincta, ac differens ab omni alio, & principium proprietatum differentium, & sibi propriarum: ergo nisi vel constet ex pluribus partibus integralibus facientibus continuum, vel ex parte continuabili, vt euenit in homine; eius distinctio non potest resolui tamquam in primam radicem, purè in plures partes continui.

Diuersorū Angelorū vbicationes durationes inter se specie differunt.

5 Hinc probabilius est Angelorum vbicationes, durationes, & similia saltem quatenus dicunt vnionem, & dependentiam ab Angelis esse omnes diuersæ speciei. Ex quo à fortiori sequitur diuersorum Angelorum cognitiones etiam circa idem obiectum specie inter se differre: quod de aliqua differentia physica, & veluti materiali extendi etiam potest ad visiones beatas. Possunt tamen in eodem Angelo saltem successiuè esse plures cognitiones puro numero differentes, vel circa idem obiectum, vel circa diuersa, sed solo numero differentia. Vbi aduerto obiter: si gradus facientes intensionem sint heterogenei, iuxta allata principia satis probabiliter dici, quod differant specie, quia præcisa differentia orta ex eo, quòd componant continuum, gaudent alia: sicuti ob eamdem rationem pars virgæ arida, quamuis continua cum viridi differt specie ab illa.

Limitatio perfectionis non est caput sufficiens multiplicitatis numericæ.

6 Obijcies secundò: caput sufficiens multitudinis purè indiuidualis est limitatio perfectionis, quæ locum habet in omni creatura: ergo qualibet creatura est numero multiplicabilis; antecedens probatur: caput vnicum immultiplicabilitatis est summa perfectio, vt patet in Deo, qui ex eo capite dicitur in scripturis non habere similem: ergo caput sufficiens multitudinis purè numericæ est limitatio perfectionis. Nego primam partem antecedentis: nā quamuis requiratur ad multitudinem purè numericam limitatio; quia, vt probat argumentū, ea deficiente deficit distinctio purè numerica; non est tamen sufficiens; sicuti non sufficit ad differentiam omnium minimam: aliter omnia limitatæ perfectionis solo numero differrent: ad rationem in contrarium; nego antecedens: nam quamuis vbi adest summa perfectio habeatur immultiplicabilitas; ea tamen non est purè numerica, sed etiam specifica, & generica: facit enim, vt repugnet alius Deus verus, etiam specie, quin & genere diuersus à Deo: & in hoc specialis proprietas Dei est excludere sibi similem, qui nimirùm vel superet, vel æquet Dei perfectionem, quod nulli creaturæ competit. Cum hoc autem benè cohæret, quod detur aliud caput immultiplicabilitatis numericæ, de quo iam diximus. Aliud obiter noto: animas rationales vel non esse inæqualis perfectionis: vel si potes, repugnare creaturas æqualis omninò perfectionis, certè inter duas animas rationales, sicuti est minima differentia, ita & minima erit inæqualitas.

7 Obijcies tertiò: posito quocumque indiuiduo, non repugnat aliud simile: quia non potest

test assignari repugnantia: ergo repugnat species immultiplicabilis: antecedens confirmatur: quia dicere, quod Deus non possit facere aliud indiuiduum simile, restringit diuinum dominium, & potentiam. Simili argumentandi modo in contrarium vtuntur patroni argumenti negatiui: nō potest assignari repugnantia speciei immultiplicabilis, & est restringere diuinum dominium, & potentiam dicere, quòd Deus preter omnes multiplicabiles non possit facere aliquam immultiplicabilem. Quare tota lis inter hos Doctores est; quis debeat assignare repugnantiam, & quis plus extendat obiectum diuini dominij, in qua lite vix exitum inuenias; cum non procedatur ex primis conceptibus, & primò fundamento multiplicitatis numericę, & specificæ. Nego igitur antecedens: repugnantia iam supra assignata est; dicere autem, quòd Deus non possit facere, quòd aliundè repugnat, non restringit diuinum dominium.

Vnde reddatur impossibile aliud indiuiduum simile.

8 Obijcies quartò: creatura immultiplicabilis reddit formaliter impossibile aliud indiuiduum eiusdem speciei: ergo directè opponitur diuinę omnipotentię. Primò nego antecedens; nā si cesset existere creatura immultiplicabilis; non propterea cessat impossibilitas alterius indiuidui, sed eiusdem speciei. Igitur impossibilitas necessaria illius secundi indiuidui est ipsa possibilitas creaturę immultiplicabilis: quæ possibilitas est ipsa diuina essentia dictans hoc indiuiduum à nullo alio differre differentia per se minima. Secundò, nego consequentiam; quia si repugnat homo equus; id profectò non contradicit diuinæ omnipotentiæ; ergo si repugnat aliud indiuiduum eiusdem speciei, ex quocumque capite repugnet, non contradicet diuinæ omnipotentiæ.

9 Obijcies quintò: alia creatura similis immultiplicabili repugnat: ergo, & ipsa creatura immultiplicabilis: aliter non essent similes: nam inter possibile, & impossibile est summa dissimilitudo. Nego consequentiam, ad rationem in contrarium distinguo assumptum: non essent similes similitudine reali, cōcedo, quia dum aliud extremum similitudinis est chimericum; nō potest similitudo esse realis: vt patet in Deo, cuius similis repugnat, & similitudo est terminus repugnans; similitudine chimærica, nego: dum enim species immultiplicabilis reddit simile huic indiuiduo repugnans, facit vt illud simile possit quidem concipi, sed nullo modo existere: id autem est, illud simile esse maximè dissimile, quòd est proprium conceptus chimærici, videlicet se ipsum negare, & excludere.

Non differūt numero, quæ cōueniunt in prædicato præcipuo.

10 Obijcies sextò cum Cardinali Pallauicino: omnes Angeli sunt eiusdem speciei: ergo, &c. Antecedens probatur: quæ conueniunt in prædicato præcipuo sunt eiusdem speciei: sed omnes Angeli conueniunt in prædicato præcipuo intellectiui: ergo omnes sunt eiusdem speciei. Maior probatur: quia non potest alio modo explicari conuenientia, & differentia specifica; nisi per hoc, quòd, quæ conueniunt in prædicato præcipuo sint eiusdem speciei; diuersę autem speciei, quæ disconueniunt in prædicato præcipuo. Verùm ex hoc discursu quis inferet, omnia bruta esse eiusdem speciei, quia omnia conueniunt in prædicato præcipuo, quod illis inest, & est esse sensitiuum; & omnes plantas eiusdē speciei, quia conueniunt in prædicato magis nobili viuentis. Nego igitur antecedens: ad probationem nego maiorem. Ad rationem in contrarium, dico: me iam independenter ab hoc modo explicasse differentiam numericam, & specificam. Quamuis autem in Angelis prędicatum intellectiui sit præcipuum; falsum est, quod omnes omninò conueniant in prædicato intellectiui, cum vnus ex sua intrinseca perfectione melius participet prædicatum intellectiui, ac alius.

Quomodo Angeli specie differētes contrahant societatem.

11 Obijcies septimò: Angeli sunt inter se sociabiles: ergo sunt eiusdem speciei; societas enim non potest contrahi inter entia dissimilia, similitudo enim est amicitiæ conciliatrix. Nego consequentiam; ad rationem in contrarium, dico amicitiam requirere aliqualem, non omnimodā amicorum similitudinem; satis enim est, si sint sui iuris, & habeant propria secreta, quæ possint sibi mutuò liberaliter communicare. Quod si inter homines, & Angelos non potest naturaliter esse amicitia; est: quia nō possunt mutuò se intueri, nec ita se cognoscere, vt familiaritatem contrahant, & secreta communicent, quæ non est quæcumque dissimilitudo. Quis tamen admittet, posse inter homines, & Angelos esse etiam naturaliter veram amicitiam. Multas paritates, quas possent contra hanc nostram doctrinam afferre aduersarij, fingendo creaturam, quę nulli alij suæ speciei posset coexistere, vel quæ posset tantùm multiplicari vsque ad numerum ternarium v.g. solues dicendo allatam doctrinam esse iam positiuè probatam. Quòd si aduersarij probent positiuè illos casus, vel nullam in illis agnoscant repugnantiam, permitto illos: quod si afferant contra illos repugnantiam, iam dant disparitatem.

Conceptus speciei subijcibilis differt à cōceptu prædicabilis.

12 Ex dictis infero primò: conceptum speciei subijcibilis esse diuersum à conceptu speciei prædicabilis, cum multæ species sint subijcibiles, quæ non sunt prædicabiles. Secundò: cum qui in Angelo aliquo non consideret vltimam rationem indiuidualem, non considerare in illo rationem eius propriam specificam, quæ in illo est ipsissima ratio indiuidualis. Tertiò indiuidua eiusdem speciei differre quidem per suas entitates: at cum hoc benè cohæret fundamentum multitudinis purè numericæ, esse materiam, & continuum modo explicato.

SECTIO QVARTA.

De Indiuiduo primo intentionaliter sumpto.

Quid est rē primo, quid secundo intentionaliter sumi.

1 RES considerari possunt dupliciter primo secundum ea prędicata, quæ ipsis competunt intrinsecè, independenter ab omni actu

intel-

intellectus, quo cognoscuntur, & ita dicuntur sumi primo intentionaliter. Secundò pro vt dicunt aliquam denominationem habitam formaliter ab actu intellectus, vt esse cognitum, esse prædicatum, & similes, & ita dicuntur sumi secundo intentionaliter, & vtroque modo possumus loqui de indiuiduo, primò secundum ea, quæ ipsi conueniunt intrinsecè, quod præstabimus in præsenti sectione: secundò secundum ea, quæ habere potest ab actu intellectus, quatenus videlicet constituitur prædicatum alicuius propositionis, &c. quę erit materia infra tractanda.

Definitur indiuiduũ primo intẽtionaliter sumptum.

1 Indiuiduum igitur primò intentionaliter sumptum definitur à Prophyrio c. 3. *Cuius collectio proprietatum in alio inueniri nequit;* quas proprietates illis versibus communiter exprimunt.

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.
Vnum perpetua reddere lege solent.

Sensus definitionis est: ita collectionem horum accidentium conuenire vni, vt euenturum nunquam sit, quód eadẽ cõueniat alteri, saltem naturaliter. Indiuiduum igitur erit: quod habet determinatam accidentium collectionem, quæ alteri naturaliter conuenire nequit. Dixi naturaliter, quia saltem miraculosè nõ repugnat duo indiuidua habere collectionem horum accidentium, & proprietatum omninò similem, & eamdem: ideoque ad defendendam allatam definitionem Maurus dixit: indiuiduum esse, cuius collectio qualitatum in alio naturaliter inueniri nequit.

Duo indiuidua non possunt omninò conuenire in omnibus accidentibus.

3 Et fanè quòd saltem naturaliter non possint duo indiuidua cõmunicare omninò in omnibus accidẽtibus; inde cõfirmari potest: aliter nõ possẽt naturaliter discerni, vt distincta: saltẽ à nobis: nõ enim aliundè discernimus vnũ indiuiduũ non esse aliud, nisi ex aliqua diuersitate in accidentibus sensibilibus: hoc autem esse absurdũ patet; aliter non benè se nobiscum gessisset natura, dum natos ad sciendum coniecisset in necessitatem errandi, idque circa obiecta nobis maximè conuaturalia, quales sunt substantiæ sensibiles.

4 Et hæc quidem ratio militat immediatè in rebus corporeis, & sensibilibus: substantias autẽ spirituales, quæ non sunt obiectum ita proportionatum nostri intellectus, non possumus aliunde cognoscere, vt numero differentes, nisi per aliquem ordinem ad hæc accidentia sensibilia diuersa, vel per quamdam proportionem ad indiuidua sensibilia, & naturaliter nobis nota; ita vt ea putemus diuersa sub eadem specie, quæ participare diuersa accidentia nobis constet aliquo lumine naturali, vel supernaturali.

Probatur indiuidui tradita definitio.

5 Hoc modo explicata definitio competit omni, & soli definito: quia nullum est indiuiduũ, cui naturaliter competere possint eadem accidentia, & proprietates; quæ conueniunt alteri, idque essentialiter exigit quodlibet indiuiduum. quare prædicatum intrinsecum indiuidui videtur esse non illa collectio accidentium, sed exigentia diuersæ illius collectionis. Illud aduerto, accidentia supra enumerata esse propria solius hominis: stirps enim, patria, nomen, &c. sunt propria hominum. Igitur illa potius afferuntur in exemplum pro indiuiduis humanis magis notis, quam vt regula generalis omnium indiuiduorum: alia enim indiuidua aliarum specierum exigunt habere collectiones accidentium sibi propriorum, & diuersas.

6 Cæterum quamuis allata definitio modo explicato conueniat omni, & soli indiuiduo; tamen nõ videtur tradita per prædicatum essentiale, & primum si enim petam: cur vnum indiuiduum exigit habere diuersam collectionem accidentium; non potest aliud respondere, nisi vt possit cognosci ab intellectu creato, vt distinctũ ab omni alio: hoc autem posse cognosci vt distinctũ ab omni alio, supponit prædicatum aliquod priùs, per quod verè distinguatur ab omni alio; prius enim est rem distingui ab omni alio, quàm posse ita cognosci. Illa igitur exigentia non videtur esse prędicatum primum, & essentiale indiuidui.

Exactior ex S. Thõ. indiuidui definitio.

7 Igitur axactiùs videtur indiuiduum definisse S. Thomas 1. p. q. 11. art. 1. *Quod est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio.* Cuius definitionis sensus est: indiuiduum non posse diuidi in plura, in quorum quolibet adæquatè insit, seu quorum quodlibet sit ipsum. Ratio est: quia indiuiduum opponitur vniuersali: quare sicuti vniuersale est multiplicabile in plura, quorum quodlibet sit ipsum; ita indiuiduum debet non posse multiplicari in plura, quorum quodlibet sit adæquatè ipsum.

8 Obijcies primò: indiuiduum non potest definiri: ergo, &c. Antecedens probatur: omnis definitio constat genere, & differentia: sed in definitione indiuidui non possumus distinguere genus, & differentiam; aliter esset species: ergo. Respondeo Indiuiduum signatum, v. g. Petrum non posse definiri definitione vniuersali, quæ possit pluribus conuenire: potest tamen definiri definitione, quę constat genere, & differentia, & vltima ratione indiuiduante: attamen per allatam definitionem definitur indiuiduum in communi, quod est collectio omnium indiuiduorum confusè cognita, & est prædicatum communissimum, & vnum ex prædicatis, & attributis entis transcendentalibus. Quod si permittam non constare genere, & differentia rigorosè sumptis; ideoque non posse definiri definitione logica; poterit nihilominus definiri definitione metaphysica, quæ per plura prædicata explicet; quod inuoluitur in conceptu indiuidui. Cæterum si quis in eo conceptu distinguat rationem superiorem, & inferiorem, sine absurdo dici potest, quòd conceptus indiuidui, qui formaliter non est species, constituatur species per actum intellectus: sicuti homo, qui intrinsecè non est species, constituitur species per actum intellectus, quo in illo, actu, vel potentia distinguuntur genus, & differentia.

9 Obiter hic aduerto: primam definitionẽ Por-

Porphirij, solùm conuenire indiuiduo substantiali: non enim quodlibet accidens indiuiduum est, cuius proprietatum collectio non conueniat alteri: neque verò necesse est omne accidens indiuiduum habere collectionem accidentium, ne abeamus in infinitum, in accidentium accidentibus, & proprietatum proprietatibus.

10 Obijcies secundò: hæc definitio conuenit speciei humanæ: nam hæc est indiuisa in se, & diuisa à quocumque alio: neque enim est species equina, leonina. Respondeo: homo abstractus, qui est species humana, vt abstractus, est vnum indiuiduum contentum sub specie in communi; species enim in communi est prædicatum quoddam commune continens sub se plura indiuidua: nulla enim ratio communis est, quæ non sit tandem resolubilis in plura singularia, quæ ipsam contineant. Idem autem homo abstractus est species respectu singulorum hominum: quia ita est vnus, vt sit diuisibilis in plures homines, quorum quilibet est adæquatè idē cum illo homine saltem extrinsecè: at realiter non est, nisi collectio plurium indiuiduorum: nullum autem putari debet absurdum, quòd idem conceptus respectu diuersorum sit simul indiuiduum, & species.

11 Obijcies tertiò: in allata definitione definitur indiuiduum abstractum ab hoc, vel illo singulari: sed indiuiduum hoc modo abstractum est terminus vniuersalis: ergo definitur vniuersale, quòd repugnat: cum indiuiduum non sit terminus vniuersalis. Distinguo maiorem: in allata definitione definitur indiuiduum abstractum ab hoc, vel illo singulari; abstractum, inquam, formaliter, & quatenus supponit pro illa abstractione; nego: materialiter, & quatenus supponit pro hoc, vel illo singulari, à quibus fit abstractio; concedo, & distinguo minorem: indiuiduum hoc modo abstractum est terminus vniuersalis, si sumatur formaliter; concedo: si sumatur materialiter; nego minorem, & consequentiam: nam cum dicimus: singulare est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio; non loquimur de ratione singularis, vt abstracta ab hoc, vel illo singulari: illa enim ratio eo modo considerata, non est indiuisa; sed prædicabilis de singulis indiuiduis, de quorum quolibet verum est dicere, quòd sit indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio: sicuti cum dicimus: homo est animal rationale; non loquimur de homine, vt abstracto: sub eo enim conceptu formaliter est vnum prædicabile de pluribus; sed de substracto illius abstractionis: at significamus: quodlibet contentum sub illo esse animal rationale. Non negauerim tamen has definitiones vel supponere, vel esse abstractiones illas, cum non distinguant inter vnum, & alium hominem, vnum, & aliud indiuiduū: ideoque dici suo modo potest, quòd in huiusmodi definitionibus ingrediatur abstractio, vt quo.



SECTIO SEXTA.

Vtrum possit abstrahi ratio vna indiuidui communis omnibus.

1 Sensus quæstionis est: vtrum per conceptū aliquem confusum possim ita attingere rationem indiuidui, seu indiuisi in se, & diuisi à quocumque alio; vt ea ratio sit applicabilis pluribus, & nullam dicat in se diuersitatē. Multi negant absolutè posse fieri huiusmodi abstractionem. Alij dicunt posse fieri talem abstractionem, sed conceptum indiuidui abstractum non esse perfectè vnum, & vniuocum. Alij tertiò docent esse vniuocum: inter quos est Ouiedus, qui hanc conclusionē putat esse veram negatis præcisionibus obiectiuis, quibus admissis putat illū conceptum esse analogum non vniuocum.

2 Dico: posse abstrahi ab omnibus indiuiduis rationem indiuidui, eamque esse vniuocā: quam conclusionem defendo posita impossibilitate præcisionis obiectiuæ: non quia putem, ea possibilitate admissa, repugnare huiusmodi conceptum; sed quia nolo quæstionem in eo sensu agitare, neque argumenta soluere, quæ contra illam abstractionem, & vniuocationem desumūtur ex positione illius præcisionis. Hanc conclusionem defendunt saltem quo ad substantiam possibilitatis talis abstractionis, Arriaga, Ouiedus, & ex parte summa philosophiæ triumphantis distinctione 3. c. 4. n. 4.

Ratio indiuidui abstracta ab omnibus indiuiduis est vniuoca.

3 Probatur: conceptus vnus, communis pluribus, & expressus vnico nomine est abstractus, & vniuocus: sed conceptus indiuidui est vnus, communis pluribus, & expressus vnico nomine; ergo conceptus indiuidui est abstractus, & vniuocus. Maior probatur, & quidem quòd conceptus vnus communis pluribus sit abstractus; patet: non enim aliud hic intelligimus nomine conceptus abstracti. Quod autem sit vniuocus, si etiam significetur vnico nomine; patet ex definitione vniuocorum, quorum videlicet nomen vnum est, & ratio significata per nomen omnino eadem: Quod non intelligitur, nisi de identitate extrinseca, vt patet in conceptu vniuoco hominis, animalis, & similium. Minor probatur: quia quando definio indiuiduum; ratio indiuidui, quæ elucet in subiecto, conuenit pluribus: esse enim indiuiduum, & indiuisum, conuenit non solùm Petro, sed Paulo, & infinitis alijs. Rursus illa ratio est vna: quia per illum conceptum non exprimitur diuersitas inter hoc, & illud indiuiduum, nō minùs ac per conceptū hominis non exprimitur diuersitas inter hunc, & illum hominem. Demum non minùs vnico nomine exprimitur conceptus hominis, ac conceptus indiuidui: ergo non minùs cōceptus indiuidui est vnus, communis pluribus, & expressus vnico nomine, quàm conceptus hominis.

4 Ex quibus facilè reijcitur responsio Lyncei, quòd videlicet ratio indiuidui respectu Petri, Pauli, & reliquorum, est sicuti ratio canis respectu canis marini, cælestis, & terrestris; cōtra

tra enim est: quia ratio canis, quæ dicitur de marino, cælesti, & terrestri, prout expressa eo nomine canis, non est vna, sicuti est vna ratio indiuidui expressa per nomen, indiuiduum: ad vniuocationem autem requiritur, vt ratio significata per nomen sit vna: ergo quamuis ratio canis non sit vniuoca, talis profectò erit ratio indiuidui. Confirmatur: quia ratio canis non potest exprimi, & definiri vnica definitione, quæ, & exprimat esse canis, & possit sine vlla varietate verè accommodari omnibus illis canibus, at ratio indiuidui potest exprimi, & definiri aliqua definitione, quæ sine varietate potest accommodari singulis indiuiduis, non minùs, ac definitio hominis singulis hominibus.

Ratio indiuidui alia completa, alia incompleta.

5 Dices cum Giattino *qu. 5. logicæ art. 4.* distinguendas esse duas rationes indiuidui: aliã completam, & completè cognitam: qualis est Petrus differens ab omnibus, quæ non sunt Petrus, & per hunc conceptum exprimitur pluralitas sine vlla confusione ex parte Petri, ipse enim clarè cognoscitur, quis sit, quamuis intellectus non distinguat inter illa plura, à quibus omnibus videt Petrum esse diuersum: alia est ratio indiuidui incompleti, nimirum esse vnum in se indiuisum, & diuisum à quocumque alio: qui conceptus cum sit vlterius determinabilis per conceptum clariorem huius, vel illius indiuidui; rectè dicitur indiuiduum incompletum, & in hoc conceptu docet Giattinus exprimi pluralitatem: implicat enim intelligi vnum distinctum à reliquis; quin intelligantur reliqua, & consequenter plura: ergo neque sub hac ratione indiuiduum est perfectè vnum, & præcisum á singularitatibus.

6 Sed contra quamuis vera sit doctrina de indiuiduo completo, & incompleto; falsum tamen est indiuiduum incompletum præcisum, nõ esse in suo conceptu perfectè vnum: quia licet hic conceptus indiuisi in se, & diuisi à quocũque alio, dicat pluralitatẽ in connotato exclusõ, nẽpè in alijs, à quibus diuiditur; nõ dicit tamen pluralitatem in ipso conceptu indiuisi: ergo conceptus indiuisi adhuc est perfectè vnus, sicuti vnũ reale est verè vnum, quamuis excludat plura: antecedens confirmatur: quia per illum conceptũ ita attinguntur omnia indiuidua, vt inter illa quatenus substant tali conceptui, nulla appareat diuersitas in eo, quod sint indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio.

7 Instabis indiuisum in se, & diuisum á quocumque alio, explicitè dicit ipsum non esse alia quæcumque: ergo explicitè dicit multitudinẽ indiuiduorum: illa enim alia quæcumque sunt plura, & non nisi indiuidua. Nego consequentiam; ad cuius probationem, dico, illa alia quæcumque, quamuis intrinsecè sint plura indiuidua; non exprimi tamen sub conceptu indiuiduorum, sed purè sub conceptu alietatis, vel pluralitatis: aliter definitio esset minùs apta sensus enim esset: indiuiduum esse indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio indiuiduo: quod esset explicare indiuiduum per indiuiduum. Illud obiter aduerto: quòd Petrus differt à Paulo non per rationem indiuidui incompletè sumpti; cum in ea ratione potius conueniant; sed per rationem indiuidui completi, & non præcisi: videlicet per Petreitatem: quare falsum est conceptum indiuidui incompleti, vt prædicabilem de pluribus dicere explicitè Petrum, vt distinctum á Paulo.

8 Obijcies primò cum Lynceo: ratio indiuidui præcisa est indiuidua: ergo non est communis pluribus: consequentia probatur indiuiduũ, & non commune pluribus dicuntur ad conuertentiam. Antecedens probatur; ratio hominis præcisa ab hoc, vel illo homine est homo: ergo ratio indiuidui præcisa ab hoc, vel illo indiuiduo est indiuidua. Distinguo antecedens: ratio indiuidui secundũ extrinseca est indiuidua; nego: secundum intrinseca; subdistinguo, & vnica; nego, & multiplex; concedo: & distinguo consequens: non est intrinsecè communis multis; concedo: extrinsecè; nego. Ratio indiuidui intrinsecè, & ex parte obiecti est collectio omniũ indiuiduorum intrinsecè incommunicabilium; extrinsecè dicit cognitionem confusam, qua illa collectio fit vna, & consequenter communia pluribus. Ad probationẽ distinguo assumptum: indiuiduum, & non commune pluribus, dicuntur ad conuertentiam, si eodem modo sumantur; concedo: si diuerso modo; nego. Nam etiam hoc prædicatum non commune pluribus intrinsecè est collectio omnium non communium, extrinsecè dicit cognitionem confusam, qua omnia illa non communia redduntur vnum: quare illud ipsum prædicatum, non commune pluribus, cognitum ea cognitione confusa, fit commune pluribus, sed extrinsecè, sicuti fit extrinsecè vnum, & applicabile pluribus, quorum quodlibet fit incõmunicabile intrinsecè alteri.

9 Hinc patet: rationem indiuidui incompleti non esse realem, sed constitutam per actũ intellectus præcisiuum: realiter enim non sunt nisi indiuidua completa, & signata: quæ tamen sicuti per cognitionem confusam fiunt extrinsecè vnum; ita extrinsecè amittunt rationem indiuidui completi. Vnde patet disparitas ad exemplũ de ratione hominis: ratio enim hominis per præcisionem non acquirit aliquod prædicatum, quo constituatur extrinsecè non homo: cognitio enim confusa non est non homo: benè tamen acquirit prædicatum, quo, quamuis intrinsecè multiplex, fit extrinsecè non multiplex, sed vna modo explicato.

10 Vrgebis: hinc sequitur etiam rationem indiuidui completi esse vnam, & communem pluribus: nam potest concipi vnico actu confuso, & prædicari de pluribus. Distinguo consequens: esse vnam, & communem pluribus extrinsecè; concedo: intrinsecè; nego consequẽtiam: neque in hoc est aliqua incohærentia: quia ratio indiuidui completi confusè cognita redditur extrinsecè incompleta: neque enim discernit determinatè inter vnum, & aliud indiuiduũ. Idem dico de ratione indiuidui signati: ex par-

 te

te enim obiecti ratio Indiuidui, ratio signati, ratio completi sunt idem prorsus, & per actum confusum amittunt extrinsecè munus determinatè discernendi inter vnū, & aliud indiuiduū.

11 Vrgebis iterum: ergo eodem modo est indiuidua ratio indiuidui abstracta ab hoc, vel illo indiuiduo; sicuti ratio hominis abstracta ab hoc, & illo indiuiduo humano: aquè enim vtraque est intrinsecè multiplex constans pluribus indiuiduis, & extrinsecè vna cum præcisione ad hoc, vel illo indiuiduo: quod esse absurdum patet indè; quia diuerso modo comparatur ratio indiuidui cum hoc, vel illo indiuiduo, ac ratio hominis cum hoc, vel illo homine. Nego sequelam; ratio diuersitatis est; quia ratio hominis abstracta ab hoc, vel illo homine, cum per Intellectum contrahitur ad hoc, vel illod indiuiduum, intelligitur quidem constituere illud hominem, & animal rationale: non tamen formaliter indiuisum in se, & diuisum à quocūque alio: quod tamen præstatur per rationem indiuidui.

12 Instabis: ratio indiuidui abstracta ab hoc, vel illo indiuiduo; non potest explicari, quo modo cōtrahatur ad plura indiuidua signata; & quid addat ly signatum, supra rationem illam abstractam; aut quodnam prædicatum conferat indiuiduo signato illa ratio abstracta, cum contrahitur. Respondeo: á parte rei non haberi has contractiones, & additiones; sed esse purum opus intellectus. Breuiter igitur dico: rationem illam abstractam contrahi ad plura indiuidua signata, per cognitionem claram, qua plura inter se distincta ita cognoscūtur, vt quodlibet illorum appareat indiuisum in se: quare ly signatum, supra indiuidui rationem addit pluralitatem; at ratio abstracta indiuidui nihil addit supra indiuiduum signatum, sed includitur in illo, veluti ratio specifica: neque plura illicò ita elucent inter se distincta, vt quodlibet illorum indiuisum in se appareat: quod formaliter deindè præstatur per actum comparatiuum, quo illis pluribus applicatur ratio indiuidui præcisa: & sic constituuntur indiuidua etiam extrinsecè signata, & vltimo completa.

13 Vrgebis tertiò: collectio indiuiduorum confusé cognita non est indiuiduum: ergo non est indiuiduum præcisum. Respondeo: illam collectionem esse intrinsecè indiuidua omnia; sed extrinsecé ita expressa sub conceptu indiuidui; vt non distinguantur inter se: quare illa ratio præcisa etiam extrinsecè est ratio indiuidui, quamuis non sit indiuidua extrinsecè; quia est ratio vna, & extrinsecè communis pluribus. Sic distincto antecedente; nego consequentiam.

14 Vrgebis quartò: indiuiduum est; quod de vno solùm prædicatur: ergo non potest dari ratio communis indiuidui. Distinguo antecedens: indiuiduum vltimó determinatum est, quod de vno solùm prædicatur; concedo: indiuiduum in communi; subdistinguo: quia semper exprimit vnitatem; concedo: quia vni tantùm conuenit; nego: hoc enim ipsum prædicari de vno, est quid conueniens pluribus, imò omnibus rebus: ergo sub suo conceptu continet plura, & cum non distinguatur per eius conceptum inter hoc, & illud, non apparet in eius conceptu multiplicitas, ac proindé est conceptus extrinsecè vnus, & vniuocus.

15 Vrgebis quintò: si datur ratio indiuidui præcisa; ergo, vt supra vidimus; potest vlterius contrahi per alias rationes: ergo ratio Indiuidui non est vltima ratio vltimò determinās ens. Distinguo secundum consequens: ratio indiuidui completa, & signata non est ratio vltimò determinans; nego: ratio indiuidui præcisa; subdistinguo: non est vltima ratio vltimò determinans in communi; nego: vltimò determinans signatè; concedo: ratio indiuidui abstracta ex parte obiecti, & intrinsecè, est collectio omnium vltimò determinatorum: extrinsecè dicit cognitionem confusam, qua ita exprimitur conceptus vltimò determinantis: vt nō exprimatur distinctio; & diuersitas inter hoc: & illud vltimò determinans, & vltimò determinatum. Huius igitur rationis munus est, vt si contrahatur ad plura constituat illa vltimò determinata, & indiuisa in se, & vt ita appareant etiam per ordinem ad statum realem.

16 Obijcies secundo: formalis ratio differendi non potest esse formalis ratio conueniendi: sed indiuiduatio est formalis ratio differendi: ergo non potest esse formalis ratio conueniendi. Concedo consequentiam: aliud enim est indiuiduum esse id, in quo conueniunt plura, aliud esse conceptum ipsum conueniendi: animal est ratio, in qua conueniunt omnia animalia, non tamen est formalis conceptus conuenientiæ: quod si instes: non possunt plura conuenire in formali ratione differendi; nego assumptum: nam hoc differre ab alijs est prædicatum pluribus commune, & confusè cognitū.

17 Obijcies tertiò: si posset á pluribus indiuiduis abstrahi ratio communis indiuidui; posset ab vno indiuiduo abstrahi ratio indiuidui: sicuti ab vno animali potest abstrahi ratio animalis: hoc autem est absurdum: nam omnis ratio abstracta semper est inadæquata, & per actum inadæquatum: at cognitio, qua abstraheretur hoc modo indiuiduum, non haberet aliquā inadæquationem, aut confusionem. Nego minorem; & dico illam cognitionem esse inadæquatam: quia non cognoscit obiectum quantum cognoscibile est. Exemplum sit, cum video Petrum è longinquo, possum cognoscere illum esse vnum indiuiduum, cognitione adeò confusa; vt non valeam distinguere verum sit Petrus? in quo caso illa cognitio esset abstractiua, inadequata; & illud haberet rationem indiuidui inadæquati.

Quo modo ab vno indiuiduo potest abstrahi ratio indiuidui.

18 Aduerto hic hanc rationem abstractam spectare vel ad genus, quia prædicabilis est de pluribus differentibus specie, vel ad proprietatem genericam: Est enim vnitas proprietas entis.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De indiuiduo secundo intentionaliter sumpto.

Quid est indiuiduũ secundo intentionaliter sumptũ

1 DEfinitur ex Porphirio citato: prædicabile de vno tantùm: per quæ verba explicatur essentia logica indiuidui: quæ est proprietas essentiæ metaphysicæ eiusdem indiuidui: illud enim, quod est indiuisum in se, & à quocunque alio diuisum, sicuti realiter non potest conuenire, nisi vni tantùm; ita non est prædicabile realiter, nisi de vno tantùm. Hæc igitur definitio cõuenit indiuiduo signato, quod vt tale cognitum non potest prædicari, nisi de vno, vt est Petrus, Paulus, hic homo.

2 Aduerto hic: indiuiduum esse prædicabile de vno tantùm, prædicatione vel identica, vel etiam formali: quia saltem formaliter prædicatum differt à subiecto, vt cum dico: Petrus est hic homo: vel, hic homo est Petrus. Quod si Aristoteles aliquando negauit indiuiduũ prædicari; locutus est de prædicatione vniuersali, quæ propriè spectat ad scientias.

Indiuiduũ vagum.

3 Datur præterea indiuiduum vagum, quod cum inuoluat actum intellectus, vt infra dicam, non incongruè reuocatur ad indiuiduum secundo intentionaliter sumptum. Est indiuiduum vagum in se vnum, sed indeterminatum; vt hic terminus, aliquis homo, qui profectò significat vnum hominem, sed non explicat qualis ille sit, ideoque applicari potest pluribus nõ simul, sed sub disiunctione. Ex quibus mihi videtur probabilius: indiuiduum vagum non haberi independenter ab intellectu: qualibet enim res intrinsecè, & realiter, est hæc, & non alia. Illa igitur indeterminatio, per quam veluti vltimò constituitur indiuiduum in esse vagi; non potest esse nisi actus imperfectus, qui attingens vnum aliquod, & non valens illud determinatè designare, exprimit illis vocibus: Aliquis homo, v.g.

4 Contrarium sentiunt Lynceus, & Arriaga *disp. 7. sect. 4 subsect. 4.* Mouentur: quia independenter ab omni opere intellectus aliquis oculus est necessarius ad videndum, & aliquis equus ad equitandum: nullus tamen est determinatè necessarius: ergo datur necessitas vaga causæ ad causandum aliquem effectum, idque independenter ab operatione intellectus: quid igitur repugnat indiuiduum aliquod vagum independenter ab operatione intellectus? Nego tamen secundam consequentiam; quia indiuiduum, & ens indeterminatum supra repugnare pronuimus. At illa eadem necessitas vaga causæ ad causandum non significat aliquam necessitatem, quæ sit quidem vna in se, sed habeat indeterminationem ad essendum hanc, vel illã; sed in se est hæc determinatissima necessitas, & non alia: dicitur tamen, vaga, in ordine ad aliquod sibi extrinsecũ, nempè ad causã: quia hæc necessitas omninò in se determinata ita afficit effectum; vt ex vi illius effectus exigat quidem procedere ab aliquo oculo v.g. non autem ab isto determinato. Illa igitur necessitas vaga solùm supponit possibiles plures oculos; quorum quilibet habet potentiam sufficientem ad producendam visionem.

5 Idem dico ad exemplum materiæ, quæ se, & quo ad sua prædicata intrinseca determinatæ; sed potentis recipere, & vniri pluribus formis sub disiunctione, idem ad similia exempla, quæ affert Arriaga.

6 Instabis: datur realiter aliquis homo: ergo, & indiuiduum vagum. Distinguo antecedens: cum illa indeterminatione independente ab intellectu, nego: dependente; concedo.

7 Iam verò indiuiduum vagum secundũ sua intrinseca non est ratio perfectè vna, & vniuersalis; nam licet per illum actum plura cognoscantur aliquo modo confusè; tamen aliquo modo discernitur inter vnum, & aliud; quod pugnat cum ratione perfectè vniuersali: hic enim conceptus: aliquis homo currit: idem est, ac vnus homo determinatus currit, hic, vel ille; neque per descensum distributiuum potest dici, & Petrus est ille aliquis homo, & Paulus est ille aliquis homo; quod tamen requiritur ad naturam vniuersalis. Illud autem vltrò concesserim: rationem indiuidui vagi præcisam ab hoc, vel illo indiuiduo vago, esse vniuocam, & communem pluribus: nam hic conceptus indiuidui vagi vt sic, nõ dicit diuersitatem inter hoc, & illud indiuiduum vagum, & potest pluribus applicari per descensum distributiuum, dicendo aliquis homo est indiuiduum vagum, & aliquis equus est indiuiduum vagum: & si aliqua pluralitas hic intercedit, non est in ipso conceptu indiuidui vagi, pro vt dicitur de pluribus; ita vt inter illa distinguatur etiam pro vt stant sub ratione indiuidui vagi.

Ratio indiuidui vagi est perfectè vna, & vniuoca.

8 Dices; hic terminus; aliquis homo, potest pluribus applicari, & dici Petrus est aliquis homo, Paulus est aliquis homo: ergo aliquis homo est terminus vniuersalis. Nego consequentiam: quia in ly aliquis, iam exprimitur diuersitas hominum, & designatur vnus, vt distinctus à reliquis, licet cum aliqua confusione; cum quo benè cohæret, quod aliqueitas particularizans naturam, sit terminus vniuocus, & vniuersalis, si sumatur præcisa, & veluti in cõmuni; sed illicò vt afficit aliquem terminum, v.g. hominem reddit illum particularem.

QVÆSTIO TERTIA.

De differentia essentiali.

TRes differentiarum classes agnoscunt cõmuniter authores, alia est proprijssima, quam vocant essentialem; alia propria: quę dicitur proprium; alia communis, & dicitur accidens. Nos hic agemus de differentia essentiali, & proprijssima; acturi in sequentibus de reliquis.

SECTIO PRIMA.

Explicatur conceptus differentiæ per ordinem ad genus, & speciem.

Varia differentiæ munera.

1 TRia sunt differentiæ essentialis munera; diuidere genus; sic differentia rationalis, & irrationlis, diuidunt animal in brutum, & hominem: constituere speciem; & prædicari de inferioribus; quod vltimum est fortasse separabile à differentia; si enim non repugnant species immultiplicabiles, non poterunt earum differentiæ contioere sub se plura inferiora, & de illis veré prædicari. Omnis tamen differentia necessariò, & diuidit genus, & constituit speciem: circa hac ergo duo posteriora munera.

Differētia diuisiua, & cōstitutiua nō est formaliter vniuersalis.

2 Dico primò: differentiā vt diuisiuam, & constitutioam non esse formaliter vniuersalem: quia vt diuisiua comparatur ad genus, vt constitutiua ad speciem: sed neque respectu generis, neque respectu speciei est vniuersalis: terminus enim vniuersalis plùs extenditur eo, respectu cuius est vniuersalis: alıer non posset in pluribus esse, & prædicari de pluribus; at differētia oō plùs extenditur genere, quod diuidit, aut specie, quam constituit.

3 Antequam reliqua, quæ ad differentiam spectāt resoluam; suppono ex Aristotele 10. me. c. 5. & Sancto Thoma 1. p. q. 9. art. 1. ad 3. ea differre, quæ in aliquo conueniunt: quæ enim in nullo conueniunt, non differentia, sed sunt diuersa. Munus igitur differentiæ erit diuidere, quæ sunt vnum. Sicuti igitur vnitas rerum conuenientium propriè non est, nisi intentionalis, & per intellectum; ita differentia propriè non est, nisi in intellectu virtute actus clari: nam pro eo statu differentia exercet suum munus diuidendi, pro quo supponitur vnum diuisibile.

Quid sit contrahi genus ad speciem.

4 Hinc colliges: genus contrahi ad speciē per differentiam, non esse aliud; quàm illa, quę erant intentionaliter vnum per actum confusum, fieri plura intentionaliter per actum clarum distinguentem inter vnum, & aliud. Caterum non quicumque actus clarus distinguens v. g. inter hominem, & alias species animalis, est proprié diuisio generis, sed actus comparatiuus, qui reflectens supra naturam iam vnam, diuidit illam in suas partes; quia non est diuisio, nisi quæ supponit vnitatem: hic autem actus est essentialiter diuersus ab illo, quo plures species animalis clarè cognoscuntur sine vlla reflexione, vt patet.

Quid requiratur ad constituendā speciem ex genere, & differentia

5 Dico secundò: ad constituendam speciem ex genere, & differentia requiruntur tres cognitiones: prima est confusa, qua animal abstrahitur à differentijs; secunda, qua rationale præscinditur ab animali; tertia, qua animal, & rationale cognoscuntur per modū vnius conceptus expressi per vocem homo; probatur: implicat totum constitui ex pluribus partibus: quin partes distinguantur pro eo statu, quo totum constituitur: partes enim necessariò distinguuntur; aliter quælibet esset totum, non pars: ergo ad hoc, vt genus, & differentia constituant intentionaliter tamquam partes totum, nempé speciē; debent intentionaliter distingui: non distinguitur autem intentionaliter; nisi genus, v. g. animal, cognoscatur cognitione confusa, qua constituitur vnum, & differentia præscindatur à genere: ergo genus, & differentia vt partes constitutiuæ speciei dicunt duas primas cognitiones. Necessitas autem tertiæ cognitionis probatur: nisi partes vniantur non possunt constituere totum: animal autem, & rationale expressa primis conceptibus non sunt vnita: ergo necessaria est tertia cognitio, qua vniantur ad constitutionem totius, & speciei.

6 Hinc colligo primò: conceptum expressō per vocem, homo, esse partialiter extrinsecum, quòd componatur formaliter ex genere, & differentia distinctis: potest enim haberi, etiam si non sint primæ illæ cognitiones. Secundò: conceptum speciei non esse formaliter compositū: probatur: conceptus expressus per vocem homo, est apud omnes conceptus speciei: sed hic conceptus non est formaliter compositus: ergo conceptus speciei non est formaliter compositus. Minor probatur: conceptus, qui non habet extrema formaliter distincta, non est formaliter compositus: sed hic conceptus, homo, non habet extrema formaliter distincta: nam est vnus simplex conceptus non distinguens inter animal, & rationale: ergo, &c. Æquiualentèr tamen est compositus: quia potest resolui in plurea conceptus inadæquatos magis, & minus vniuersales, & per illos explicari.

7 Dico tertiò: conceptus speciei non est formaliter, & intrinsecè contractio generis. Probatur: contractio generis supponit necessariò genus abstractum, quod contrahit: sed conceptus speciei, v. g. homo, non supponit necessariò animal abstractum: ergo non est necessariò contractio generis. Minor probatur: non enim apparet, cur hic conceptus homo supponat necessariò illum alium imperfectiorem, nempè animal. Ille igitur conceptus speciei est contractio generis, qui reflectens supra animal abstractum illud diuidit in hominem, equum, & similes; nam per hanc diuisionē animal amittit suam indifferentiam; & hic actus est formaliter comparatiuus. *Conceptus speciei nō est formaliter generis contractio*

8 Ex quibus patet: in actuali contractione non remanere formaliter genus; neque differentiam: quia genus præscindit à differentia, & differentia à genere; in actuali autem contractione facta per conceptum specificum, neque animal præscinditur à rationali, neque rationale ab animali: ille enim est vnus simplex conceptus non distinguens inter animal, & rationale: ergo neque animal remonet genus, neque rationale differentia. Maior probatur: quia si illi conceptus non præscindunt vnus inuicem ab altero; erunt conceptus speciei, non generis, & differentię. Dicitur in actuali speciei contractione, genus contrahi per differentiam; quia con-

conceptus speciei æquiualet duobus, alteri particulari, alteri vniuersali modo supra explicato.

Conceptus differentiæ

9 Dico quartò: conceptus differentiæ formaliter sumptus est conceptus incompletus potens alteri superiori aduenire, & illud diuidere, seu contrahere. Explicatur, & probatur; dicitur primò: conceptus incompletus: quia non explicat integram rei essentiam: aliter non distingueretur à specie. Dicitur secundò: potens alteri superiori aduenire, hoc est generi: quia genus habet respectu differentiæ aliquam prioritatem saltem vniuersalitatis, & secundum subsistendi consequentiam. Quia tamen non est necesse, vt actu differentia supponat conceptum generis; ideò non debet actu aduenire, & adiacere generi, sed sufficit, si possit. Dicitur tertiò: potens illud diuidere, & contrahere, quia differentia manens differentia, non contrahit genus: cum ex dictis in actuali contractione, & constitutione speciei, non fit neque genus, neque differentia.

10 Sufficit igitur si sit talis conceptus, qui ex se minus extendatur, quàm genus; ac præterea in speciei constitutione æquiualenter contrahat illud: quia si speciea diuidatur in duos conceptus diuersos, conceptus differentiæ elucet, vt minùs vniuersalis, & restrictiuus. Potest tamen constitui etiam differentia per cognitionem comparatiuam, per quam reflectens intellectus ad genus iam constitutum, designet plures eius comparetes, per quas valeat modo dicto contrahi: quia etiam hic est conceptus inadæquatus potens aduenire, vel potiùs adueniens alicui superiori. Vnde patet differentiam non constitui per cognitionem genericam; quia animal v. g. præscinditur ab omnibus animalibus: illa enim cognitio non exprimit differentias.

11 Ex quibus colligitur: illum conceptum, animal rationale, non esse specificum: tum quia, non est simplex; tum quia non prædicatur in purè quid, sed partim in quid, partim in quale. Erit igitur conceptus definitiuus, & concretum quoddam metaphysicum accidentale ex partibus, quarum vna intelligitur alteri aduenire: quælibet autem est de essentia speciei, & vtraque simul poterit dici ad connexentiam cũ specie, respectu cuius tamen non est conceptus vniuersalis: quia non plus extenditur, quàm species. Ex quo benè infert Ouiedus: diuisionem animalis in rationale, & irrationale esse diuisionem generis in accidentia; quia logicè differentiæ accidunt generi, & sunt extra illius conceptum.

SECTIO SECVNDA.

Comparatur differentia cum inferioribus.

differentia comparata ad inferiora est prædicabilis.

1 SVb hoc conceptu est prædicabilis, & definitur à Porphyrio: differentia prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid. Hæc definitio communiter reijcitur: quia non conuenit differentiæ vltimæ, quæ cum non contineat sub se plura specie differentia; non est de illis prædicabilis. Neque dicas sufficere ad veritatem definitionis, si differentiæ ex genere suo non repugnet, eo modo prædicari; nam sic posset aliquis definire animal, principiũ discursus: animali enim ex genere suo non repugnat esse principium discursus; quamuis aliquod animal sit, cui non conueniat esse tale principium.

2 Respondet Quiros: differentiam prædicari de pluribus differentibus specie; non quia inferiora illius debeant specie differre; sed quia per ipsam differentiam, quæ de illis prædicatur, differunt specie. Contra est: quia cum dicitur genus prædicari de pluribus differentibus specie; non est sensus, quòd inferiora per genus constituantur specie differentia: ergo neque in casu nostro.

3 Melius igitur cum Sancto Toma differentiam prædicabilem definies; quæ prædicatur de pluribus in quale quid. Hæc definitio non patitur difficultatem allatam contra porphyrianã: omnes autem eius particulæ facilè explicantur ex dictis: significatur enim quòd differẽtia essentialis prædicatur de pluribus per modum partis essentialis alteri adiacentis: in quo sensu distinguitur tum a genere, quod prædicatur per modum per se stantis: tum a specie, quæ etiam prędicatur, vt tota essentia.

Definitio differentiæ prædicabilis.

4 Differentia igitur respectu indiuiduorum primò est vniuersalis; quia plus extenditur. Secundo est pars essentialis: quia non explicat totam illorum essentiam. Tertio habet rationem alteri adiacentis: non quia adiacet indiuiduis, aut speciei adæquatè sumptæ; sed quia adiacet alteri eius parti, nempè generi modo supra dicto; idcoque dici potest, quod adiacet speciei, & indiuiduis inadæquatè acceptis.

SECTIO TERTIA.

Vtrum gradus differentiæ inferioris includat formaliter gradum differentiæ, & generis superioris?

1 QVæstio non potest procedere de inclusione ex parte obiecti: quia realiter, & intrinsecè omnia sunt vnũ: sed ex parte actus: verũ videlicet conceptus differentiæ inferioris includat conceptum differentiæ superioris, & generis. Loquimur autem de differentia inferiori, non de specie, quæ, cum sit totum quoddam metaphysicum, essentialiter includit omnes sui partes, & consequenter gradus superiores, & inferiores. Verum hoc non est ita ruditer intelligendum; supra enim docuimus speciem in suo formali conceptu non dicere genus, & differentiam formaliter sumptam; sed tantùm æquiualenter: quare formaliter loquendo æquè species, ac differentia non includunt conceptus superiores. Sensus igitur quæstionis est, vtrum conceptus formalis differentiæ inferioris, includat æquiualenter con-

conceptum rationis superioris; ita vt eū expli. catur, debeat per illum superiorem explicari: Sicuti species includit conceptum non solùm generis, sed etiam differentiæ; quia per vtrumque explicatur, in quo sensu.

Differentia inferior nō includit formaliter gradus superiores.

2 Dico: differentias inferiores non includere in suo conceptu gradus superiores. Ita communiter recentiores: Arriaga, Oniedus, Comptonus, Lynceus, Giattinus, & alij passim. Loquor autem de gradibus superioribus non transcendentibus, nā de trāscendētibus ex ipsa nominis significatione certū est oppositū: vtrum autem dentur huiusmodi gradus transcendētes; suo loco videbimus. Probatur: rationalitas nō includit animalitatē: sed rationalitas est differētia inferior, animalitas gradus superior: ergo differentia inferior nō includit gradum superiorem. Maior probatur: quia conceptus rationalitatis non debet explicari per animalitatem: sufficienter enim explicatur per principium discursus, qui non est formaliter conceptus animalitatis. Confirmatur: si tum rationalitas, tum hinnibilitas includerent rationem animalis; essent conceptus specificus, non minùs, quàm equus, & homo. Rursus cum dicitur: homo est animal rationale, sensus esset: homo est animal, animal principiū discursus; quod est inutile.

Quo modo differentiæ definiātur.

3 Obijcies primò: rationale, & quælibet alia differentia definitur: ergo constat genere, & differentia: ergo differentia inferior includit gradus superiores. Distinguo antecedens: definitur per illud, respectu cuius est differentia; nego: per aliud; transeat, & distinguo primum consequens: constat genere, respectu cuius est differētia; nego: alio genere; concedo, & distinguo eodem modo secundum consequens: includit gradum superiorem, respectu cuius est differentia, nego; respectu cuius est species; concedo: at nulla est repugnantia, quòd gradus, qui respectu vnius est differentia contractiua, respectu alterius sit species; vnde benè poterit idem gradus, qui est differentia, definiri vt species per gradus superiores, quos includit; non autem per illos, quos non includit, & respectu quorum non est species.

4 Hinc colligo gradum differentialem, vt differentialem non posse in rigore logico, & definitione propriè dicta definiri: quia, vt talis, nō potest definiri per genus, & differentiam. Potest tamen primò definiri, si sumatur substātiuè, & in concreto, quo modo dicit in recto totam speciem, & rationale idem est ac habens rationalitatem, & includit ex parte subiecti omnes gradus superiores. Secundò potest minùs propriè definiri etiam in abstracto nō per prædicata superiora, & differentiam: sed per conceptus æquales, & clariores. Quod genus definitionis, non est mihi repugnans.

Non omnis gradus, qui est differētia, est etiā species.

5 Aduerto hic: non omnem gradum, qui est differentia, esse etiam speciem. Certè quidem, ne abeamus in infinitum, debemus tandem deuenire ad aliquos gradus omninò simplices, & purè differentiales, & non est ratio cur non dicamus huiusmodi differentias esse vltimas taleitates graduum superiorum, ob defectum vocum innominatas, quæ licet non includant in se, veluti partes, gradus superiores; dicant tamen ad illos quemdam veluti transcendentalem ordinē; quia nimirum illas explicare nequimus, nisi per ordinem ad gradus superiores; dicendo v. g. rationalitas est taleitas principij per quam constituitur species, nempè principium discursus: neque ex hoc inferas: includere gradus superiores; aliud enim est non posse explicari, nisi per ordinem ad gradus superiores, quos respiciunt veluti in obliquo; aliud verò illos gradus directè includere. Hanc doctrinam tradunt Giattinus, & Comptonus. Cæterum processus in infinitum in his conceptibus posset fortasse alicui videri non absurdus: solùm enim dicit possibiles esse infinitos actus reflexos supra eamdem entitatem in ordine ad diuersa: nam etiam in ipsa vltima taleitate huius gradus, habetur ratio ordinis, & talis ratio. Verum hæc ipsa resolui vlterius possunt: quia vltima resolutio debet fieri in indiuisibilia.

Explicantur multæ differentiæ.

6 Hinc soluitur aliud argumentum: simitas per Aristotelem est differentia nasi, & fissio est differentia pedum: ex nasis enim aliqui sunt simi, aliqui non simi, & ex pedibus alij fissi, alij non fissi, sed solidi: sed tum simitas includit nasum, tum fissio pedes, quę sunt rationes superiores: ergo differentiæ includunt rationes superiores. Minor probatur: quia si præscindamus à naso, curuitas non est differentia nasi, cum inueniatur in alijs rebus. Idem dico de fissione respectu pedis. Respondeo enim differentiam nasi simi non esse curuitatem, sed taleitatem illius propriam; videlicet nasi, & contractionem nasi, & curui ad esse simum, & hæc erit fortasse vnio, vel identitas curuitatis cum naso, quæ formaliter differt ab vtroque. Idem dico de fissione per dum, & hoc tantùm voluit Aristoteles 7. *m. c.* 12. *vel* 14. *t.* 43. dum absolutè, & in recto protulit: *Fissio namque pedum est aliqua peditas:* quia videlicet fissio pedum, quæ est differentia pedum non est quæcumque fissio, sed spectans ad pedes, & per ordinem ad illos explicabilis: & sanè cū differentia sit determinatio, non cuiuscumque; sed quęlibet sui generis, non videtur explicari posse, nisi per ordinem ad suum genus: neque enim putare debemus genus, & differentiam esse duo omninò disparata: aliter non possent facere vnum: sicuti in physicis saltem naturaliter non fit vnum, nisi ex pluribus habentibus aliquem ordinem.

7 Eodem modo non est differentia leonis principium rugitus, videlicet illius soni horrifici vtcumque consideratum; sed taleitas illius principij dicens ordinem in suo conceptu ad animal, & differentia rugitus, quæ formaliter respicitur à rugibili; est taleitas actus vitalis sensitiui; dicens ordinem ad vitalitatem, & sensitiuum; quare neque rugitus, neque rugibile secundum vltimam differentiam sunt vitales, licet sint determinatio actus, & principij vitalis; hine si fingeremus illam vltimam determinationem

nem rugitus, & rugibilis, praecisas existere à parte rei, non essent causa, & effectus, sed talcitas caus , & effectus. Idem dico de intellectione, & Intellectiuo; & de numero ternario, & quaternario, qui non sunt differentiae, sed species numeri: differentia autem est taleitas illa innominata, dicens ordinem ad numerum, & illum determinans ad ternarium potius, quàm quaternarium.

9 Obijcies secundò; homo essentialiter est animal; homo essentialiter est rationale; ergo rationale est essentialiter animal. Nego consequentiam: sicuti, quamuis homo essentialiter includat materiam, & formam; non tamen materia includit essentialiter formam: ratio est: quia homo non est solùm animal, neque solùm rationale, sed vtrumque simul.

9 Obijcies tertiò: potest dari differentia composita: sed haec includit formaliter gradus superiores: differentia enim actus, qui simul sit scientia, & opinio est perfectio, tum scientiae, tum opinionis; vtraque autem perfectio secundum se est gradus superior, & vniuersalior: opinio enim alia est pura, alia simul scientia, idem dico de scientia; ergo saltem differentia composita includit gradus superiores. Ob hanc rationem Quiros putat, differentias compositas includere gradus superiores. Alij putant, nullas dari differentias compositas. Erit fortasse nonnullus, qui arbitretur, omnes differentias esse compositas.

10 Ego in hac re puto: nullas esse differentias propriè compositas; idque ob rationes allatas: quia illa differentia si esset composita, esset potius conceptus specificus, includens rationem superiorem, & inferiorem, quàm differentialis. Rursus, si differentia actus opinionis, & scientiae esset opinio simul, & scientia; iam vnum genus contraheretur per aliud omninò disparatum: quod videtur absurdum; ratio enim inferior, & contractiua habet ex suis intrinsecis restringere, & determinare rationem superiorem. Confirmatur, & explicatur: quia in actu opinionis, & scientiae simul tria possumus considerare: perfectionem scientiae, perfectionem opinionis, & identitatem illarum inter se: quos conceptus esse inter se diuersos nemo nō videt: differentia autem huius actus, non est perfectio opinionis, neque perfectio scientiae, quę communes sunt alijs actibus: sed simulcas illa, seu identitas talis, aut taleitas identitatis, quam esse conceptum simplicem; facilè quisque deprehendis. Eadem est ratio de similibus casibus. Nulla igitur est species, cuius vltima differentia non sit aliquis simplex conceptus.

Nulla differētia est formaliter composita.

11 Hinc in formaad argumentum, nego minorem; ad rationem in contrarium, responsio patet ex dictis; cum hac autem doctrina benè cohaeret, quod dentur aliquae differentiae simplices, aliae compositae; quia quamuis quilibet vltimus conceptus differentialis sit formaliter simplex; aliquis tamen non contrahit immediatè, nisi vnicum genus, & haec differentia dicitur absolutè simplex; aliquis contrahit immediatè duo genera: vt est in homine identitas sensitiui, & intellectiui, quod est rationale, seu intellectiuum dependens à phantasmatibus; & talis differentia dici potest composita nō formaliter, sed praesuppositiuè: quia identificat plures rationes superiores, quin imò est formalis illarum compositio.

12 Instabis, probando omnem differentiam creatam esse compositam: omnis differentia creata dicit perfectionem admixtam imperfectioni: ergo omnis est composita. Distinguo antecedens: dicit formaliter; nego. Identicè; concedo. Omnis conceptus creatus identificat sibi duos conceptus, perfectionem videlicet, & imperfectionem; quia illicò vt est creatus, ita includit perfectionem; vt necessariò à se excludat cumulum omnium perfectionum. Aliter esset Deus. Non est tamen necesse, vt omnis differentia dicat formaliter illos conceptus. Vltimae enim differentiae non concipiuntur necessariò formaliter vt perfectio, vel imperfectio; sed vt taleitates vltimò contractiuae perfectionis admixta imperfectioni, in quo conceptu nulla apparet formalis inclusio plurium. Hinc tamen malè inferas: omnes differentias saltem esse praesuppositiuè compositas; quia primò nō omnes immediatè contrahunt duas rationes positiuas superiores; sed ad summum vnam positiuam perfectionis, alteram negatiuam, defectus materia proportionis. Secundò, rationes illae perfectionis, & imperfectionis, sunt veluti transcendentales contractae per omnes gradus creatos. Nos autem hic loquimur de differentia composita contrahente duos gradus positiuos non transcendentes.

13 Obijcies quartò; ratio differentiae est quid commune respectu omnium differentiarum; & tamen includitur in singulis differentijs: quid enim magis includi debet in singulis differentijs, quàm ratio differentię? Respondeo: differentias, v.g. rationale, hinnibile, & similes, posse dupliciter considerari: primò sub conceptu hinnibilis, rationalis, &c. sub quo conceptu comparantur ad animal, & sunt eius differentiae, & & ita consideratae non includunt rationes superiores. Secundò, possunt considerari, vt differentiae, & dissimilitudines comparatae ad rationem differentiae in communi; & in hoc sensu non sunt differentiae, sed vel indiuidua, vel species illius rationis differentiae in communi: quare mirum non est, si sub hac ratione includant rationes superiores. Sic igitur explicato, quod assumunt aduersarij, nego consequentiam, quam intendūt.

QVAESTIO QVARTA.

De proprio, & accidente.

HAEC duo simul coniungo: quia ambo sunt extra essentiam rei, quamuis non eodem modo illam respiciant.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De proprio.

1 PORphyrius *c.* 4. assignat quatuor acceptiones proprij: aliud conuenit soli, sed non omni: vt esse Philosophum, conuenit soli non omni homini: aliud conuenit omni, sed non soli: sic esse bipedem; seu id exigere, conuenit omni, sed non soli homini: aliud conuenit omni, & soli, sed non semper: vt discurrere, quod conuenit omni homini, & soli, sed non pro quacumque differentia temporis: aliud demum quod omni soli, & semper conuenit: vt esse risibile respectu hominis.

2 Arriaga *disp.* 8. *n.* 18. docet: si proprium opponatur communi, eius rationem propriè cõpetere tum illi, quod omni soli, & semper; tum illi, quòd omni, & soli, licet non semper; tum demum illi, quod soli, licet nec omni, nec sẽper competat; monetur: quia quodcumque ex his prædicatis non est commune alij; ergo est proprium subiecti, de quo dicitur. Sic phrasis, qua vtitur Petrus, est propria ipsius, quamuis non semper illa vtatur.

3 Hæc doctrina non est improbanda in sensu, quo asseritur à suo authore. Cæterum authores communiter accipiunt proprium non præcisè, vt oppositum communi, sed vt ita oppositum communi, vt habeat necessariam connexionem cum subiecto, respectu cuius est proprium, vel demum ea connexio sit essentialis, ratione cuius nec de potentia quidem absoluta possit haberi subiectum sine proprio, aut proprium sine subiecto: vel tantùm connaturalis, si videlicet saltem supernaturaliter valeant separari: primum dicitur proprium metaphysicum, & realiter identificatur cum subiecto. Secundum physicum, & distinguitur à subiecto: in qua acceptione non participat rationem proprij, nisi quod conuenit, omni, soli, & semper. His adde communiter dici, quòd proprium manat ab essentia: vnde necessariò debet illi conuenire; & quidem soli: aliter non emanaret ab illa essentia secundum suum conceptum: posset enim emanare ab alio principio.

Definitio proprij.

4 Definitur ab Aristotele proprium *c.* 4. *l.* 1. *topic.* quod indicat essentiam rei, & soli inest, & conuersim de re prædicatur. Non longè ab hac distat definitio Ouiedi: proprium est extra essentiam rei, & illam necessariò comitatur. Solùm differunt, quòd prima traditur per prædicatum intentionale prædicationis, quod conuenit proprio dependenter ab operatione intellectus; secunda per reale, quod illi conuenit independenter ab intellectu. Proprium igitur dicitur primò ab Aristotele esse extra essentiam rei, per quod conuenit cum accidente communi, & distinguitur á genere, specie, & differentia, quæ sunt prædicata essentialiter. Secundò dicitur: soli inesse, & conuersim prædicari de re, per quod differt ab accidente, quod non dicitur conuersim de re. Cœterum vtraque definitio conuenit proprio rei singularis: nam etiã proprium naturæ singularis illi soli inest, & dicitur cum illa ad conuertentiam.

5 Hinc reijcio Hurtadum, & Comptonum, docentes: proprium dici aliquod prædicatum, non propter connexionem subiecti cum accidente, sed huius cum subiecto; reijcio, inquam, aliter gratia sanctificans, & alia accidentia supernaturalia, vtpotè connexa cum substantia creata intellectuali, essent eius proprietates: quod si requiras etiam naturalitatem; hæc importat exigentiam, & consequenter connexionem ex parte subiecti.

Proprium vniuersale & quomodo differat ab accidẽte.

6 Proprium vniuersale, quod hoc quartum prędicabile constituit, definies: quod prædicatur de pluribus in purè quale necessario, seu cõuertibiliter; quæ definitio solùm conuenit proprio in quarto modo. Et primæ quidem particulæ, prędicatur de pluribus, se habent, vt genus commune omni prædicabili. Secundæ verò: in pure quale, distinguunt illud à genere, specie, & differentia, quæ prædicatur etiam in quale quid, & essentialiter, sed confundunt cum accidente communi; vltima demum: conuertibiliter, seu necessario, distinguit illud etiam ab accidente communi, quod non necessario inest, neque conuertibiliter dicitur de subiecto secundum sua prædicata essentialia: neque enim absolutè potest prędicari de omni eo, quod participat essentiam illius subiecti, neque è contra omne illud, quod participat essentiam illam, potest prædicari de eo accidente. Contra verò, si risibile est proprium hominis, potest absolutè dici: omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo, & hic homo est risibilis, & hoc risibile est homo, idque per adæquatam distributionem. Accidens igitur vel non dicitur ad conuertentiam, vel non nisi facta aliqua suppositione accidentali. Vnde, quamuis facta suppositione, quòd Petrus sit albus, possit dici, & hic homo est hoc album, & hoc album, est hic homo; tamen poterat Petrus absolutè non esse albus, & falsificari vtraque propositio.

7 Instabis primò: frigiditas in summo est proprietas aquę, & tamen aqua potest esse sine illa. Nego primam partem antecedentis; est aquæ proprietas is gradus frigiditatis, & ea temperies primarum qualitatum, sine qua conseruari naturaliter nequit.

8 Instabis iterum: non potest idem esse simul proprium, & commune; ergo proprium non est vniuersale. Distinguo antecedens; non potest idem esse proprium respectu alicuius collectionis, & commune respectu singularum partium illius collectionis; nego: alio modo; transeat. Risibilitas est proprium naturæ humanæ, hoc est, collectionis omnium hominum; quia necessariò conuenit illi collectioni, & non extenditur extra illam. Est communis respectu singulorum hominum: quia ita conuenit vni, vt non excludatur alius: vnde comparatum proprium cum tota natura non est vniuersale: æquè enim extenditur, ac tota natura. Tale autem est comparatum cum indiuiduis.

9 Hinc

Proprium genericum, specificum & indiuiduale.

9 Hinc colligas: dari proprium genericum, quod scilicet, ita conueniat alicui naturæ genericè; vt extra illud genus non diffundatur, Et hoc respectu specierum erit commune: quia ita conuenit vni, vt non excludat aliam speciē. Datur item proportionaliter proprium specificum, quod erit commune respectu indiuiduorum illius speciei. Demum datur proprium indiuiduale, quod conuenit huic indiuiduo, & omne aliud excludat, quod profectò vt diximus non est prędicabile.

10 Instabis tertiò: ergo proprium non prędicatur vt proprium de singulis inferioribus. Distinguo consequens: si ly vt proprium dicat prędicatum aliquod extra essentiam, sed eum illa connexum; nego; si significet prædicatum, quod ita conuenit huic indiuiduo, vt simile excludatur ab alio; concedo consequentiam.

11 Instabis quartò: ergo omne accidens erit proprium respectu alicuius generis, cui soli ita conueniat; vt necessariò conueniat omni contento sub illo. Nego consequentiam: neque enim facilè assignabis cui generi ita soli conueniat albedo, vt conueniat omni contento sub illo genere.

Quomodo proprium dicat aliquid secūdæ intentionis.

12 Quæres: verum proprium dicat aliquid secundæ intentionis? Respondeo proprium metaphysicum, identificatum videlicet realitèr cū essentia, cuius est proprium, dicere necessariò actum intellectus, quo distinguitur ab essentia: præcisò enim illo actu nullam habet diuersitatē respectu essentiæ; ergo non est proprium: proprium enim formaliter, vt proprium, debet distingui à subiecto, cuius est proprium: propriū autem physicum, vt proprium, non dicit necessariò aliquem actum intellectus: tunc enim per se ipsum est realiter distinctum à subiecto. Quod si proprium consideretur vt prædicabile, & vniuersale; dicit aliquod secundæ intentionis, actum videlicet confusum, quo constituatur vnum aptum esse, & prædicari de pluribus.

13 Illud hic aduerto coh erenter ad supradicta: proprium, v.g. risibile, non habere rationem proprij respectu huius, vel illius risibilis. Eadem autem est ratio de accidente, v.g. albo respectu huius, vel illius albi: quia comparata cum illis indiuiduis incompletis explicant totam illo, ā essentiam; sed esse proprium, & accidens respectu naturæ, & indiuiduorum completorum, v.g. Petri, Pauli, &c.

SECTIO SECVNDA.

De accidente quinto prædicabili.

Quid sit accidens.

1 CVm proprium sit prædicatum extra essentiam, quod conuenit omni, soli, & semper, & conuersim de re dicitur: accidens erit prædicatum extra essentiam: quod non cōuenit omni, soli, & semper, quia vel non conuenit omni, vel non conuenit semper, vel conuenit alij; quæ posset esse bona accidentis primò intentionaliter sumpti, & secundum se considerari definitio.

Sermo est de accidente logico.

2 Cæterum notandum ad meliorem rei intelligentiam est, hic nos non loqui de accidente physico pro vt contradistinguitur á substantia, & comparatur ad subiectum physicum, sed logico, pro vt contradistinguitur à prædicatis essentialibus, & proprietatibus, & comparatur ad subiectum logicum, de quo prædicari potest: hę enim considerationes propriè spectant ad logicum.

Subiectum non necessario mutuo cōuertitur cū accidēte.

3 Secundò, possumus considerare accidēs & subiectum dupliciter: primò secundum totam suam latitudinem, deindè secundum aliquam sui partem; v.g. comparando lac, & dulce, possumus vtramque considerare, vel adequatè, pro vt dicit omne lac, & omne dulce: vel inadequatè, pro vt dicit aliquod lac, & aliquod dulce. Quando igitur dicimus, quòd accidens est extra essentiam subiecti, & non conuenit omni, soli, & semper, loquimur de subiecto, & de accidente secundum aliquam sui partem, ita vt vel aliqua pars illius accidentis non insit tali subiecto, vel aliqua pars subiecti aliquando non habeat accidens illud. Sic album est accidens lactis, quia secundum aliquam partem separatur à lacte: datur enim aliquod album, quod non sit lac: præterea esse musicum est accidens hominis; quia homo secundum aliquam suam partem separatur ab illo; multi enim homines non sunt musici: ratio autem huius separabilitatis est: quia accidens commune non profluit, nec emanat ab essentia subiecti; quare vel subiectum non respicit illud accidens, vt suum, secundum singulas sui partes; vel accidens non respicit subiectum, vt causam sui necessariam; vel etiam neque accidens respicit subiectum, vt suam causam, neque subiectum respicit adæquatè accidens, vt suum effectum: ideoque non est inter accidens, & subiectum mutua, & necessaria connexio, sicuti inter subiectum, & proprium; hoc posito.

Definitio accidentis à Porphyrio tradita defenditur.

4 Possumus dare aliquem bonum sensum definitioni Porphyrij c. 5. *Accidens adest, & abest præter subiecti corruptionem*; dicendo quod accidens adest præter subiecti corruptionem: quia, eum prædicatur, & intelligitur adesse; non destruit subiectum pro eo tempore, pro quo significatur in propositione ipsum subiectū; præterea cum abest; vel quia non omne subiectum participat illud accidens, quæ potest dici absentia negatiua; vel quia non omne simile accidens inest illi subiecto, quæ potest dici absentia positiua; non corrumpitur subiectum illud. Probatur: quia si possumus dare definitioni Porphyrij aliquem bonum sensum, non est cur illam reijciamus: sed sensus iam positus est bonus: neque enim aliquid est, in quo redarguatur; vt patebit ex solutione argumentorum: ergo non est cur illam definitionem reijciamus.

6 Dices primò: si risibilitas abesset positiuè ab homine per hoc, quod communicaretur equo, non ideò destrueretur essentia hominis; & tamen non est accidens, sed proprium: ergo etiam proprium potest adesse, & abesse positiuè

absque corruptione proprij subiecti. Nego secundam partem antecedentis; cum enim risibilitas sit proprietas necessariò promanans ab essentia hominis, non potest communicari, vel fieri communicabilis equo, quin fiat communicabilis equo essentia hominis, à qua necessariò illa emanat: ergo destrueretur essentia hominis, quæ ex se habet esse incommunicabilem equo; quæ ratio non militat in accidente, quod non necessariò emanat ab essentia subiecti. Quare tota diuersitas accidentis à proprio, desumitur ab hac emanatione necessaria, qua gaudet proprium, caret accidens, & fundat diuersam prædicationem, conuertibiliter videlicet, vel inconuertibiliter.

6 Hinc colligo contra Quiros: non esse de ratione proprietatis, quod identificetur cum subiecto. Independenter enim ab illa identitate potest aliquod predicatum conuenire ita necessariò alicui subiecto; vt conueniat soli, omni, & semper; ac proindè conuertibiliter dici cum illo. Neque realiter distingui, vel identificari fundat diuersum modum prædicandi. Vbi obiter noto: quando Porphyrius docuit proprium non intendi, neque remitti; solùm voluisse: proprium secundum illum gradum, secundum quem est proprium; non posse intendi; vlterior enim intensio cum possit abesse à subiecto, non est proprium: neque remitti: quia minor intensio non coniungitur cum subiecto, quod destruitur.

7 Dices rursus: mors est accidens hominis, & tamen non adest præter corruptionem hominis. Respondeo, vel loquimur de morte, vt accidente physico, & hæc non corrumpit suum subiectum physicum; est enim carentia vitæ in materia, quæ materia non corrumpitur per aduentum talis carentiæ: vel de subiecto logico, de quo verificatur, quòd sit mortuum: vt cum dico: Petrus est mortuus, & adhuc verificatur sensus allatus definitionis: quia illa propositio verificatur per distractionē. Sensus enim propositionis est; Petrus, qui extitit, nunc non est, seu est mortuus: prædicatum autem, non est, seu est mortuus, & accidit Petro pro vt extitit tempore antecedente; nec destruit illum pro eodem tempore, quod significatur à propositione; quare subiectum remanet integrum pro tempore significato per propositionem. Illud hic aduerto: me non improbare in hoc leui puncto aliorum sententias, sed tantùm meam, vt satis congruam defendere.

8 Dices tertiò: in nostra explicatione non eodem modo sumimus abesse, & adesse: ergo committimus æquiuocationem vitiosam. Respondeo adesse, & abesse voces esse diuersas, significātes plura, quæ sine æquiuocatione vitiosa possunt diuerso modo sumi. Cæterum nos semper loquimur de abesse, & adesse logico; hoc est de negatione, & affirmatione vera respectu alicuius subiecti logici: accidens enim potest prædicari de subiecto, & non prædicari de illo, sed de alio sine corruptione eiusdem subiecti pro tempore importato per propositionem: quod non verificatur de accidentibus repugnantibus, quæ non possunt verè affirmari de subiecto, quia illud destruunt: vt si quis diceret: Petrus loquens non mouet linguam: non mouere enim linguam destruit loquutionem.

9 Dices quartò: hanc explicationem non esse ad mentem Porphyrij. Respondeo, Porphyrium explicasse definitionem per separabilitatem intentionalem, vt patet consideranti, quæ c. 5. scripsit. Quare hæc explicatio potiùs est iuxta mentem Porphyrij.

10 Hinc patet sub allata definitione iuxta nostram explicationem comprehendi accidentia, quæ communiter dicuntur inseparabilia; quia si tum subiectum, tum accidens sumantur adæquatè, semper intercedit aliqua separatio secundum aliquam partem; vt constat ex dictis.

11 Patet secundò: conceptum prædicati accidentalis, vt contradistincti ab essentiali, esse, quòd sit extra essentiam: quod intelligo non solùm de essentia naturę, quæ dicitur specieis, sed etiam de essentia subiecti, quamuis indiuidui, & subsistentis: licet enim indiuiduatio, & subsistentia sint prædicata accidentalia respectu naturæ, quam vltimò contrahunt; non accidunt tamen indiuiduo, seu supposito. Et nemo absolutè dixerit indiuiduationem, & subsistentiam esse prædicatum accidentale subiecto. *Quid sit prædicati extra essentiam.*

12 Patet tertiò: risibilitatem respectu Petri esse accidens metaphysicum, quia inuenitur in Paulo, non tamen respectu conceptus hominis: quia non potest ab humanitate separari; idē dico de existentia in creatis.

13 Accidens autem secundò intentionaliter, seu vt prædicabile; est: quod prædicatur de pluribus in quale contingenter, seu non conuertibiliter: omnia patent ex dictis. Sub allata definitione comprehenduntur accidentia tum metaphysica, vt est rationale respectu animalis: tū physica, quale est album respectu hominis. Non omnis autem prædicatio, in qua prædicatum est accidens physicum, est accidentalis: potest enim prædicatum accidentale physicum prædicari essentialiter de pluribus. Et quidem id est necessarium, si prædicetur in recto, & in abstracto: vt cum dicimus: color est qualitas, albedo est color. Sunt enim hæ prædicationes essentiales, & genericæ: neque enim accidit colori esse qualitatem, aut albedini esse colorem; & aliquando etiam in concreto, vt cum dico: coloratum est quale: album est coloratum. *Accidens secundò intentionaliter.*

14 Prædicatum igitur est accidentale, spectans ad hoc quintum prædicabile, si modo explicato, subiecto accidentaliter insit: quamuis aliundè prædicatum illud sit in se substantia, vt cum quis dicit: materia est ignita: homo est vestitus.

15 Dices primò: accidens realiter distinguitur à subiecto: ergo non potest de illo prædicari. Distinguo consequens: non potest in abstracto, & in recto prædicari; concedo: in obliquo, & in concreto; nego: per hanc autem

pre-

prædicationem non significatur identitas inter prædicatum explicitum, & subiectum, sed adiacentia prædicati respectu subiecti.

16 Dices secundò: hæ prædicationes: homo est species: animal est genus, sunt accidentales; & tamen fiunt nomine substantiuo. Respondeo: illa esse nomina substantiua grammaticaliter, non logicè: quia significant formam adiacentem alteri.

17 Dices tertiò: ratio vniuersalis debet esse abstracta á suis inferioribus; at color non abstrahitur à substantia parietis, & lactis; sed ab hoc, vel illo colore: ergo inferiora, de quibus prædicatur color, sunt hic, & ille color, non subiecta illorum. Minor videtur certa: quia abstractio fit à terminis realiter idétificatis cum re abstracta: sed illa subiecta sunt realiter distincta á colore: ergo non sunt id, vnde fit abstractio. Minor probatur: quia si non esset identitas realis inter terminum abstractum, & terminum vnde fit abstractio, illa non esset abstractio intentionalis, neque terminus abstractus posset prædicari de illis, à quibus abstractus est.

Quo modo abstrahatur accidēs 18 Respondeo: hoc quintum prædicabile non esse accidens in abstracto præcisum ab hoc, vel illo accidente, v.g. albedo abstracta ab hac vel illa albedine, neque accidens in concreto abstractum à pluribus accidentibus in concreto significatis, v.g. album abstractum ab hoc, vel illo albo: hæc enim eo modo abstracta spectant ad primum, vel secundum prædicabile, vt supra innuebam. Erit igitur quintum vniuersale, seu prædicabile accidens in concreto abstractum á subiectis secundum se sumptis: v.g. album confusè cognitum, abstractum; non ab hoc, vel illo albo formaliter, vt albo; sed á Petro, Paulo, &c. Vnde.

19 Nego minorem, si loquamur de colore in concreto. Ad probationem distinguo assumptum: abstractio termini concreti, & accidentalis fit necessariò à terminis identificatis; nego: termini abstracti, & essentialis; concedo. Est autem illa abstractio intentionalis, quia confunduntur plura concreta alba, & vnificantur. Rursus illa concreta dicunt in recto subiectū, quod identificatur cum Petro, Paulo, & cæteris, à quibus fit abstractio. Propositiones affirmatiuæ sunt veræ: quia non significatur identitas inter subiectum, & prædicatum explicitum, sed adiacentia formæ respectu subiecti.

Vt vera sit propositio, accidēs debet inesse subiecto. 20 Aduerto hic, quod accidens, vt sit prædicabile, verè de pluribus, debet actu illis inesse: aliter propositio non esset vera, & accidentalis. Neque dicas: sufficere si accidens possit inesse subiecto: nam posse inesse subiecto, sicuti subiectum posse recipere accidens; non accidit formæ, & subiecto, sed illis necessariò inest: vnde etiam ex hoc capite differt accidens à proprio; quod proprium prædicatur de subiecto prædicatione absoluta à tempore: secus accidens. Verum hæc doctrina non est firma; nam albedo prædicatur de lacte prędicatione absoluta á tempore.

QVÆSTIO QVINTA.

De prædicabilibus in communi.

SECTIO PRIMA.

De numero prædicabilium.

1 Dico cum communi apud Oviedum *contr. 7. p. 1. n. 1.* prædicabilia non excedere numerum quinarium. Probatur: quia nulla est ratio admittendi plura prædicabilia: neque debent admitti pauciora: cum enim hæc sit diuisio communiter admissa; non debemus sine vrgente ratione ab illa discedere augendo, vel minuendo numerum illum. Nulla autem adest vrgens ratio. Congruentias autem fortasse non leues huius diuisionis habes apud Maurum *qu. 36. logicæ.* *[illegible]lia sunt quinque.*

2 Dices primò: hæ prædicationes: Petrus est hic homo, homo est animal rationale, non pertinet ad aliquod ex quinque prædicabilibus. Respondeo: primam propositionem esse de prædicato singulari, secundam æqualis de æquali: quare mirum non est, si non spectent ad aliquod prædicabile, quod tantum est terminus vniuersalis. Illa autem: Petrus est aliquis homo, reducitur ad speciem, sicuti illa: Petrus est rationalis, si rationalis sumatur substantiuè. Illa verò: Petrus est aliquod animal, ad genus. Illa demum: Petrus est animal rationale, ad speciem, cum terminus ille animal rationale sit, veluti natura quædam completa, vel si vis, dicas, spectare ad duo prędicabilia, genus videlicet, & differentiam.

3 Dices secundò: hæc diuisio non comprehendit prædicationem entis de suis inferioribus. Respondeo: ens prædicabile reduci ad genus vel analogum, vel vniuocum iuxta varias sententias.

4 Dices tertiò: Aristoteles 1. *de partibus animalium c. 5.* docet rationem communitatis esse vel proportionem, vel genus, vel speciem: ergo tria tantùm sunt prædicabilia. Nego consequentiam; quia Aristoteles ibi solùm voluit rationes communes aut esse analogas, quod expressit per proportionem, aut vniuocas, quod indicauit per genus; ad hunc autem finem non opus erat enumerare omnia quinque prædicabilia. sed sufficit attulisse in exemplum duo.

5 Instabis Aristotel. *1. top. c. 3.* prædicata, ex quibus construuntur propositiones, & de quibus potest in vtramque partē probabiliter disputari, appellat problemata dialectica; & addit: ea esse definitionem, hoc est genus, speciem, propriū, & accidens: ergo differentiam exclusit à prædicabilibus. Respondetur: differentiam confudisse cum genere, vt ibidem docuit his verbis: *Differentia cum generalis sit, cum genere ordinanda est.* Idque fortasse, quia supponebat genericam tantùm dari differentiam, vt communior eo tempore ferebat opinio.

6 Dices quartò: hæc propositio Petrus est subst-

subsistens, ad quod prædicabile spectat? Respondeo pertinere ad quartum: subsistentia enim est proprietas naturæ: & in Petro intelligitur esse hæc numero humanitas præcisâ subsistentia, & in priori ad illam.

7 Dices quintò: ad quod prædicabile reducuntur hæ propositiones; animal est homo, rationale est animal, sensitiuum, &c. Respondeo, primam pertinere ad quintum: accidit enim animali esse hominem. Secundam, si rationale sumatur substantiuè, prout dicit totum hominem, pertinet ad primum prædicabile, sicuti hæc: homo est animal. Si verò sumatur adiectiuè, pro conceptu formali rationalis, pertinet ad quintum: animal enim est extra conceptum rationalis, neque cum illo ita connectitur, vt non possit inueniri sine rationali.

8 Dices sextò: genus subalternum prædicatur de pluribus differentibus etiam genere; infimum autem de pluribus differentibus specie: ergo genus subalternum est diuersum prædicabile ab infimo, non minùs, ac genus, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, est diuersum prædicabile, ac species, quę prædicatur de pluribus differentibus numero. Nego consequentiam, ad cuius probationem nego, diuersitatem potissimam inter genus, & speciem esse allatam ab aduersario: sed esse quia species prædicatur vt tota essentia, ad quod requiritur, vt inferiora solo numero formaliter differant: at genus prędicatur, vt pars essentiæ, et proindè requirit, vt aliqua sua inferiora differant etiã specie siue infima, siue media, & consequenter etiam genere, quod materialiter se habet ad diuersificandum modum prædicandi, & ipsa prædicabilia.

9 Dices septimò cum Arriaga *disp. 9. sect. 2. n. 11.* duo vltima prædicabilia tantùm differunt ratione materiæ contingentis, vel necessariæ; ergo non differunt essentialiter saltem logicè, quia logicus non considerat diuersitatem illam materiæ. Nego consequentiam: quia modi prædicandi necessariò, & contingenter essentialiter differunt. Illa igitur differentia spectat ad logicum, quia non est solius materiæ, sed refunditur in modum ipsum prædicandi, conuertibiliter videlicet, vel non conuertibiliter.

10 Aduerto autem hîc primò: præter quinque prædicabilia iam dicta non esse admittenda alia, quæ communiter dicuntur assumptiua: & illas propositiones; Deus est homo, est animal, est rationalis, est sedens; omnes spectare ad quintum prædicabile, si nulla fiat reduplicatio; quia Deo accidunt omnia illa prædicata, quamuis inter se differant essentialiter; facta autem aliqua reduplicatione possunt spectare ad alia prędicabilia, quod facilè dignosci potest ex dictis.

11 Secundò, illam propositionem: homo existit, spectare ad quintum prædicabile: quia conceptui hominis accidit existentia. Illam verò: homo in quantum substantia est substantia; ad speciem: quia prędicatum explicat totam essentiam subiecti, prout stat sub illa reduplicatione. Tertiò, abstracta posse de abstractis essentialiter prædicari, quod supra innuiʼ, vt cum dicimus; albedo est color, humanitas est animalitas, est rationalitas. Quare abstracta possunt esse genera, species, &c. sic color est genus respectu albedinis, &c. abstracta autem accidentia non possunt prædicari de subiectis, quibus accidentariè insunt: quia cum illis non identificantur; vnde non potest dici paries est albedo, neque verò per has propositiones purè significatur adiacentia prædicati, sed identitas.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum detur ratio communis generica ad quinque prædicabilia?

1 NON loquimur de prædicabilibus materialiter sumptis pro vt dicunt substrata; quæ per cognitionem præcisiuam constituuntur vniuersalia, & prædicabilia. Hæc enim sunt res omnes positiuæ, & negatiuæ, fictæ, & reales, quibus verum detur aliqua ratio communis non est logici instituti. Loquimur igitur de prædicabilibus formaliter sumptis, quatenus sunt quædã tota includentia res, & cognitiones, per quas constituuntur genus, species, &c. In quo sensu quæstio habet duas partes, prima est; vtrum ab illis possit abstrahi ratio prædicabilis, vt sic quę sit vniuoca: secunda, vtrum hæc ratio sit genus contentum sub genere, definito à Porphyrio, & consequenter, vtrum diuisio prædicabilis in quinque prædicabilia sit generis in suas species.

2 Dico primò: potest abstrahi talis ratio vniuoca, prædicabilis in communi. Eadem autem est ratio de conceptu vniuersalis. Probatur; conceptus prædicabilis, vt sic habitus per cognitionem confusam non distinguentem inter vnum, & aliud prædicabile, est ratio prædicabilis vniuoca abstracta ab omnibus prędicabilibus; sicuti conceptus hominis, vt sic, habitus per cognitionem confusam non distinguentem inter vnum, & alium hominem, est ratio hominis vniuoca abstracta ab omnibus hominibus: sed possum habere illum conceptum: ergo possum habere rationem prędicabilis vniocam abstractam ab omnibus prædicabilibus. Minor probatur: quia non potest assignari repugnantia illius conceptus, sicuti neque conceptus animalis. Confirmatur: quia dũ dico: prædicabile est vnũ aptum affirmari de pluribus, exprimo omne prædicabile: non enim est ratio, cur dicas potius exprimi vnum, quam aliud: rursus non aduerto diuersitatem inter vnum, & aliud prædicabile: neque enim distinguo inter hunc, & illum modum prædicandi: ergo per illum actum verè ita attingo plura prædicabilia, vt nullo modo distinguam inter illa. Maior autem vlterius confirmatur: quia conceptus ille verè exprimitur vnico nomine, nempè prædicabile, & ratio significata per illud nomen est omninò eadé, quia in illa pro vt subiacet tali conceptui expresso

Potest abstrahi ratio prædicabilis, & vniuersalis in cõmuni.

ea

ea vnde nulla diuersitas apparet; non minus, ac in conceptu hominis: neque obstat, quod cõceptus ille sit prædicabilis de pluribus: pluralitas enim terminorum non officit vnitati ipsius conceptus: sicuti neque officit vnitati diuinæ omnipotentiæ posse producere plures terminos.

Prædicabile in cõmuni est gen[...] [...] qui que prædicabilia.

3 Dico secundò: prædicabile in communi est genus contentum sub definitione Prophyrij. Probatur: hic conceptus, prædicabile, est prædicabilis de pluribus differentibus specie, nempè de genere, specie, & alijs prędicabilibus, quę differunt specie: verè enim dicitur: genus est prædicabile, species est prædicabilis, & similia; ergo continetur sub allata definitione generis, qua dicitur prædicabile de pluribus differentibus specie.

4 Objicies primò: genus non plus extenditur, quam prædicabile in communi: ergo non continet sub se prædicabile in communi; neque hoc est illo inferius. Antecedens probatur: non aliquid sub genere continetur, quod non contineatur in prædicabili in communi: ergo non plùs extenditur, quàm illud; quòd enim plùs alio extenditur, continet illud, & aliquid plus.

In quo sensu prædicabile in cõmuni plus, & minus, quã genus extẽditur.

5 Respondeo: genus in communi duo dicere: primum intrinsecum nempè omnia genera. Secundum extrinsecum, nempè cognitionem confusam, qua omnia genera ad modum vnius cognoscuntur: rursus prædicabile in communi dicit item duo, vnum intrinsecum nempè collectionem omnium prædicabilium, generum nimirum, specierum, & similium: alterum extrinsecum, nimirum cognitionem confusam, qua hęc omnia cognoscuntur ad modum vnius. Iam verò si comparemus genus cum prædicabili in communi, secundum intrinseca consideraro; minùs extenditur genus quocumque modo consideretur, quàm prædicabile in communi sumptũ secundum intrinseca: est enim genus vna pars prædicabilis in communi, præter quam dantur aliæ. Si vero comparemus prædicabile in communi secundum exsrinseca cum genere in communi, minus extenditur prædicabile in communi: nam hoc extrinsecum est vnica cognitio confusa, qua omnia illa prædicabilia fiunt vnum aptum, &c. quæ profectò minus extenditur, quã genus, quod sub se continet præter illam, alias cognitiones confusas. Non implicat autem aliquod, secundum intrinseca, plùs extendi alio: minùs verò ratione alicuius formæ extrinsecæ, per quam illi subijcitur. In forma.

6 Distinguo antecedens genus non plus extenditur, quàm prædicabile in communi sumptũ secundum intrinseca; concedo: quàm prędicabile in communi, sumptum secundum extrinseca; nego. Et distinguo eodem modo consequens: ergo non continet sub se prędicabile in communi, sumptum secundum intrinseca; concedo: secundum extrinseca; nego: eodem modo dico esse illo inferiùs. Neque est absurdum illud, quod est secundum se totum superiùs, & vniuersalius alio, esse secundum aliam considerationem, & ratione alicuius partis inferius eodem: hoc enim non est aliud, quàm totum esse superiùs, & partem inferius quid: quin imò in casu nostro vna pars, videlicet prędicabile, secundum intrinseca, est superior genere; altera autem, nempè cognitio illa confusa, est genere inferior. Sicuti nullum est absurdum, quòd hic homo, vt Summus Pontifex sit superior respectu omniũ, & singulorum Christianorum; & quatenus est homo peccatis subditus, subijciatur Sacerdoti, cui confert authoritatem absoluendi ipsum.

7 Ad rationem in contrarium, distinguo antecedens: nihil est in genere, quod non sit sub prædicabili in communi, sumpto secundum intrinseca; concedo: sumpto secundum extrinseca; nego: nam genus præter illam cognitionem confusam, qua prædicabile in communi constituitur, vnum, dicit alias cognitiones confusas constitutiuas aliorum generum. Quare distinguo illam propositionem: quod plùs extenditur alio, continet illud, & aliquid plus sub ea ratione, sub qua plus extenditur; concedo: sub alia; nego prædicabile in communi intrinsecè consideratũ continet sub se plura prædicabilia, & omnes cognitiones confusas, & illam ipsam cognitionem confusam, qua ipsum constituitur vnum, quæ proindè est reflexiua saltem implicitè supra se ipsam, in quo suppono nullam esse repugnantiam. Cœterum illa eadem cognitio continetur sub genere, vt patet ex dictis. Neque vlla repugnantia est in eo, quòd vna pars totius contineatur sub alia, & quòd ratione illius totũ subijciatur logicè suę parti, quæ sub illa ratione est prædicabilis de toto, & de alijs.

8 Aduerto hic obiter: facta præcisione vniuersalis in communi, non posse iterum abstrahi nouam rationem vniuersalis præcisam ab isto vniuersali in communi, & reliquis vniuersalibus, quæ sit diuersa ex parte obiecti à prima: quia prima includit omnia vniuersalia non minùs, ac hæc secunda: sed ad summum posse reflecti per nouam cognitionem supra vniuersale in communi. Et sanè ratio vniuersalis secunda vice abstracta à ratione vniuersalis in cõmuni, & vniuersalibus particularibus non esset, nisi ratio vniuersalis in communi constituta per cognitionẽ confusã reflectentẽ supra se ipsã, & supra ipsum vniuersale in cõmuni. Sed quid dicet aduersarius, potest ne abstrahi ratio animalis superior animali abstracto, & animalibus cõtractis?

9 Dices: omnia alia genera continentur in prædicabili in communi: ergo cum genus prædicatur de alijs, non plus extenditur, ac dum prędicatur tantum de prædicabili in communi. Distinguo antecedens: omnia alia genera continentur in prædicabili in communi sumpto secũdum intrinseca; concedo: sumpto secundum extrinseca; nego. Et distinguo consequens; non plùs extenditur, si consideremus intrinseca prædicabilis in communi; concedo: si consideremus extrinseca; nego: omnia patent ex dictis. Illud addo, quod in prædicatione generis de suis inferioribus semper ex parte subiecti elucet in vno iudicio aliquod obiectum reale, quod non elu-

cet explicitè in alio iudicio: cum enim dico: prædicabile in communi est genus; non elucet ex parte subiecti cognitio confusa, qua constituuntur vnum omnia animalia, & sic de reliquis.

Quid veniat in definitione generis per ly prædicabile.

10 Hinc patet in definitione generis, dum dicitur prædicabile de pluribus differentibus specie; per prædicabile, non intelligi prædicabile in communi confusè cognitum, vt tale, & secundum extrinseca, sed secundum intrinseca, hoc est vnum aptum prædicari de pluribus, quòd dicitur genus generis: & secundum intrinseca plùs extenditur genere definito: quod idem tamen, ratione cognitionis confusè constituitur inferiùs genere, & vnum eius indiuiduum. Quando autem dicitur, quòd res debet definiri per genus, & differentiam, non sumitur genus formaliter, sed materialiter, hoc est pro illa ratione obiectiua, quæ constituitur genus; neque enim cum dico: homo est animal rationale, sensus est: quòd homo sit animal confusè cognitũ, sed quod sit principium sentiendi: quare si vrgeas; prædicabile est genus, & genus definitur per prædicabile: ergo genus definitur per genus. Respondeo: prædicabile secundum intrinseca non esse genus, sed substratum generis includẽs omne prædicabile, fieri verò genus per cognitionem confusam; genus autem definiri per prædicabile secundum intrinseca, ac proindè definiri per genus non formaliter, sed materialiter sumptum.

Genus secũdum extrinseca est species.

11 Vrgebis adhuc: ergo genus non est genus, sed species prędicabilis in communi. Distinguo consequens: non est genus secundum intrinseca; nego: est enim conceptus prædicabilis de pluribus differentibus specie, vt sic: secundum extrinseca, quatenus videlicet, est prędicabilis de hoc, vel illo genere, & subijcitur prędicabili in communi; concedo. Illud igitur quòd intrinsecè, & essentialiter est genus, quia est ipsa ratio formalis generis; est fundamentaliter species respectu prędicabilis in communi; quia potest confusè cognosci, & subijci prędicabili in communi. Sicuti ipsum prędicabile in communi, intrinsecè est prædicabile in communi includens omnia prędicabilia: extrinsecè autem ratione illius cognitionis confusæ, fit genus, & vnum indiuiduum contentum sub ratione communi generis. Vnde patet hanc rationem abstractam comparatam generi, esse partem, & totum: est totum considerata secundum intrinseca; pars autem considerata secundum extrinseca.

Prædicabile in cõmuni per eamdẽ cognitionem constituitur superius, & inferius genere: & inadæquatè.

11 Objicies secundò: genus vniuersalissimum non potest habere supra se aliud prędicatum: sed ratio prędicabilis in communi est genus vniuersalissimum: ergo, &c. Respondeo: genus vniuersalissimum, qua tale, & secundum intrinseca consideratum non posse habere aliud supra se: sub alia autem ratione, posse: quatenus videlicet dicit aliquam partem, per quam subijcitur alicui prędicabili.

14 Instabis: implicat idem per eamdem formam constitui superiùs, & inferiùs respectu eiusdem: sed hoc euenit in casu nostro: ergo, &c. Minor probatur: nam prædicabile in communi per eàdem cognitionem confusam, qua constituitur genus ad quinque prædicabilia, constituitur inferiùs genere: ergo per eamdem cognitionem constituitur superiùs genere, & inferius eodem. Distinguo maiorem: implicat per eamdem formam aliquod constitui superius, & inferius adæquatè respectu eiusdem; concedo: Inadæquatè; nego, & nego minorem, in sensu concesso: prædicabile in cõmuni, vt superiùs genere, duo dicit alterum intrinsecum, nempè quòd secundũ se plus extendatur genere: alterum extrinsecũ, quòd videlicet sit vnũ, & id habet à cognitione illa confusa: cognitio igitur illa confusa non confert superioritatem dando maiorem extensionem, sed inadæquatè, dando vnitatem: eadẽ cognitio confusa, quia non est omnis, sed aliqua genereitas, constituit vnũ, genus quod proindè subijcit generi in communi: nullũ autem est absurdum, quòd eadem forma constituat superiorẽ eumdem terminum conferendo non maiorem extensionem, sed puram vnitatem; & inferiorẽ respectu eiusdem termini ratione sui ipsius, quia tribuit illi termino magis extenso denominationem, ratione cuius subijciatur termino minus extenso. Absurdum autem esset, si conferret superioritatem adæquatam extendendo plùs eumdem terminum, & inferioritatem adæquatam minus extendendo respectu eiusdẽ termini. Sic primus terminus plus, & minus extenderetur respectu eiusdem termini.

15 Objicies tertiò: genus contradistinguitur ab alijs prædicabilibus: ergo non potest sub se continere prædicabile in communi: aliter nõ contradistingueretur à reliquis prædicabilibus, sed illa sub se contineret. Distinguo consequẽs: non potest sub se continere prædicabile in communi, secundum intrinseca consideratum; concedo. Sic enim esset omne prædicabile: ratione alicuius formæ extrinsecæ; nego.

16 Objicies quartò: tria prima prædicabilia prædicantur essentialiter, duo reliqua accidentaliter, ergo non conueniunt in ratione prædicabilis. Nego consequentiam: quia in illa ratione non exprimitur ea diuersitas: eodem modo quamuis vnum prædicabile dependeat ab alio; cum tamen ea dependentia non exprimatur in conceptu communi, non tollit vniuocationẽ.

17 Objicies quintò: si posset abstrahi ratio communis ab omnibus prędicabilibus, hæc cõtineret differentias prædicabilium: nam etiam differentiæ prædicabilium sunt prædicabiles, quia de animali potest dici, quòd sit prædicabile, vt pars materialis, de leone, equo, &c. & de planta similiter: Hoc autem est absurdum: aliter differentiæ non diuiderent rationem superiorẽ, sed illam includerent. Respondeo, differentias prædicabilium esse modos illos prędicandi in quid, in quale quid, in quale contingenter, per modum partis, &c. quæ differentiæ secundum suum conceptum nõ sunt formaliter ipsum prędicabile in communi, sed taleitates, & determina-

minationes illius, nec illud includunt; aliter cum dicimus: genus est prædicabile per modum partis materialis, bis repeteretur, ly prędicabile. Sensus enim esset: genus est prędicabile per modum prędicabilis. Cœterum nullum est absurdum, quod differentiæ prędicabilium extrinsecè, sub ea ratione, sub qua non sunt differentię, fiant de pluribus prędicabiles. Cum enim modus partis materialis conueniat pluribus, potest confusè cognosci ad modum vnius, & constitui vnum aptum prędicari; & potest dici: animali abstracto competit modus partis materialis; & plantæ abstractæ competit idem modus; hoc autem modo non sunt differentię, sed potiùs species subijcibiles prędicabilis in communi, & illud includunt.

18 Distinguo igitur maiorem; continerent differentias prędicabilium secundum intrinseca consideratas, quasi verò ex se habeant esse prędicabiles: nego: secundum extrinseca; concedo: & distincta eodem modo minori; nego consequentiam: ad rationem in contrarium nego illas differentias secundum intrinseca non diuidere rationem prędicabilis, in qua consideratione illam non inuoluunt. Si verò considerentur secundum illum actum confusum extrinsecum, constituuntur prędicabiles, & indiuiduum prędicabilis in communi, & de quo prędicabile in communi prędicatur, vt pars essentię; neque enim explicat omnia eius prędicata. Quod si quæras, ad quod prędicabile spectat ly per modum partis materialis, pro vt dicitur de animali, de plantis? respondeo: ad differentiam, quia non explicat totam essentiam animalis secundò intentionaliter sumpti, quod etiam inuoluit prædicabilitatem, & alia prędicata. Cœterum tunc ly per modum partis materialis sumitur intrinsecè, secundum esse partis materialis. Cū quo benè stat, quòd si sumatur secundò intentionaliter, & comparetur ad prędicabile in cōmuni sit vna illius speciei.

19 Illud obiter hic notandum puto: obiecta omnium specierum identificari cum obiectis omnium generum, si simul sumantur. Cuiusque autem generis obiectum, plùs extendi, quàm obiecta singularum specierum, quę sub illo continentur.

SECVNDA PARS LOGICÆ.

In ipsam Aristotelis logicam.

DISPVTATIO QVINTA.

De antepradicamentis.

1 ABsolutis quæstionibus proœmialibus ad logicam Aristotelis explicandam aggredimur. Orditur igitur Philosophus suam logicam ab eo, quem Categoriarum librum inscripsit. Est autem Categoria, forense vocabulum, significans dictionem in alium, seu delationem ad iudices. Sed ab Aristotele à foro translatum ad literam, significat id, quod de alio dicitur: & hinc, categorias, affirmat Sanctus Damascenus appellata esse prædicamenta, quia de alio dicuntur. Rectè autem hunc tractatum logicæ præmisit Aristoteles, quia acturus erat de demonstratione, quæ constat ex propositionibus: propositiones verò constant terminis, qui prædicātur, & de quibus aliquid prædicatur.

2 In hoc igitur libro res omnes diuidit Aristoteles in decem veluti summa genera, à quibus gradatim descendendo, peruenimus tandem ad singularia. Categoria autem est vel primum illud genus, vel tota series prædicatorum à primo genere vsque ad vltimam differentiam. Totum autem opus partitur Philosophus in tres partes. In anteprædicamenta, in prædicamenta, & post prædicamenta: primò enim præmittit, quæ necessaria, & vtilia videbantur ad cognitionem prædicamentorum. Deindè agit de ipsis prędicamentis quantum logicæ institutum patitur. Tertiò demum de quibusdam ad prædicamenta spectantibus, de oppositione videlicet simultate, prioritate, quæ post predicamenta dicuntur. Sequentes igitur methodum aristotelicam, agemus in præsenti disputatione de ante prædicamentis; quæ sunt vniuoca, æquiuoca, analoga.

SECTIO PRIMA.

De Æquiuocis.

1 ÆQuiuoca alia sunt ęquiuocantia, alia æquiuocata; æquiuocata sunt ex Aristotele c. 1. quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ significata per nomen diuersa; æquiuocantia sunt nomina communia pluribus, quorum ratio substantiæ per nomen expressa est diuersa; quare sensus primæ definitionis est æquiuoca æquiuocata conuenire quidem in nomine: significantur enim eodem nomine: discrepare verò omninò in re significata per nomen; quia videlicet nomen ęquiuocum non significat aliquam rationem communem, & vnā, quæ sit vnica definitione definibilis, & inuariata applicetur omnibus ęquiuocatis. Sic nomen canis, prout dicitur de marino, terrestri, & cœlesti, est ęquiuocum: quia conuenit pluribus. Sed ratio canis non est eadem in omnibus, nec definibilis secundum suum conceptum vnica definitione applicabili omnibus significatis. Cum quo benè cohæret, quod ęquiuoca ęquiuocata possint conuenire etiam vniuocè in alia ratione non significata per nomen; sic omnes dicti canes conueniunt in ratione corporis. *Definiũtur æquiuoca, æquiuocata, & æquiuocantia.*

2 Hinc patet primò: sensus secundę definitionis. Secundò, in prima non definiri res æquiuocatas secundum se; neque enim res habent nomen secundum se consideratę, neque in recto ipsa nomina ęquiuoca: hæc enim nō sunt quorum nomen, &c. sed res vt expressas, & substantes illis nominibus. Tertiò, non rectè explicari conceptum æquiuocorum per illa verba: *Quid definitur in definition æquiuocorum.*

verba: quorum solùm nomen est idem: particula enim taxatiua, solùm, excludit ab æquiuocis omnem conuenientiam, præter quam in nomine, quod est falsum: sufficit enim si æquiuoca non conueniant in re significata. Quartò, diuersitatem illã rationis expressæ nomine æquiuoco, non esse solùm realem, & intrinsecam: nam etiam res significatæ nomine vniuoco sunt intrinsecè diuersæ; sed intentionalem, quia videlicet res expressa nomine æquiuoco non potest definiri vnica definitione verè applicabili omnibus æquiuocatis. Quare conceptus mentalis canis adæquatè correspondens huic nomini, canis, debet exprimere differentias inter canem cœlestem, & alios. Non negauerim tamen, quòd sicuti nomen canis potest ex circumstantijs coarctari ad significandum canem dumtaxat terrestrem, v. g. ita conceptus illi ita coarctato correspondens potest exprimere tantùm canem terrestrem, & esse vniuocus: sed tunc neque nomen adæquatè sumitur, neque ille est conceptus adæquatè correspondens tali nomini absolutè prolato. Hinc patet æquiuocis per diametrũ opponi synonima, cum videlicet nomina sunt plura, & ratio significata omninò eadem, vt ensis, gladius, &c.

Quæ æqui uocorum diuersitas.

4 Dices: Aristoteles 4. *m. t.* 12. docet: impossibile esse vnum nomen plura significare: ergo impossibile est nomen æquiuocum. Confirmatur: forma nominis est significatio: ergo vbi est multiplex significatio, est multiplex nomen. Respondeo, Aristotelem locutum de nomine vno, idest vniuoco: cœterum 1. *Elenchorum* c. 1. & 3. expresse docet ob vocum penuriam adactos homines, ad significandum eodem nomine plures res. Ad confirmationem, nego consequentiam: nomen enim significatiuum est concretum accidentale dicens in recto tamquam substratum ipsam vocem, & in obliquo tamquã formam significationem: concreta autem accidentalia non multiplicantur, nisi ad multiplicationem recti.

Æquiuoca significant diuersa simul.

4 Circa modum, quo nomen æquiuocum significat plura, dico: illud significare plura simul, nisi à circumstantijs determinetur ad significandum potiùs vnum, quàm aliud: quia præcisa determinatione circumstantiarum, audito hoc nomine, canis: vel nullus formatur conceptus illi proprius, vel debent cognosci plura eius significata: non enim est potior ratio de vno, quàm de alio: quare in hac propositione: canis est animal, nomen æquiuocum determinatur à prædicato ad exprimendum canem, vel marinum, vel terrestrem. Hinc ne detur occasio errandi, benè docuit Aristoteles: æquiuoca esse distinguenda.

Cur æquiuoca priùs diuidenda, deindè definienda.

5 Quando igitur Aristoteles 6. *top.* c. 2. & 5. docet æquiuoca priùs esse diuidenda, quàm definienda, quia plura, vt plura nequeunt vnica definitione definiri; locutus est de æquiuocis materialiter sumptis, & quæ exprimuntur nomine æquiuoco canis, v. g. non autem de æquiuocis formaliter acceptis, quatenus sunt æquiuoca: omnia enim æquiuoca conueniunt in ratione expressa per nomen hoc æquiuocum; neque hæc vox æquiuocum, est æquiuoca; est enim communis pluribus, & exprimit rationem illis communem definibilem vna definitione: neque enim eo nomine, & conceptu exprimitur illorum plurium diuersitas.

Vtrum dari possit cõceptus formalis æquiuocus.

6 Ad illud autem, quod quærunt nonnulli: vtrum possit dari cõceptus formalis æquiuocus; dico 1 si nomine huius conceptus intelligas conceptum mentis correspondentem nomini æquiuoco, posse dari huiusmodi conceptum: sicuti etiam, si intelligas conceptum, qui vnus sit, & exprimat plurium diuersitatem. Quod si nomine conceptus æquiuoci intelligas cognitionem, quæ modò exprimat hoc, & modò illud, modò plura simul; ex dictis patet non posse dari huiusmodi conceptum æquiuocum, quia non datur in cognitione illa indifferentia: aliter potiùs esset potentia cognoscitiua, quàm actualis cognitio. Illud etiam puto negandum; Deo inesse conceptus æquiuocos; ab hoc enim loquendi modo abhorret sensus communis, licet contrarium putet verum Arriaga.

7 Æquiuoca æquiuocantia, supra explicata, alia sunt à casu, alia à consilio. A casu sunt, quando nomen idem imponitur ad significanda plura sine vllo respectu vnius ad aliud. A consilio, si aliqua ratio præcedens induxerit ad imponendum vni nomen alterius, vt cum nomen aui imponitur nepoti, ad conseruandam in familia aui memoriam.

SECTIO SECVNDA.

De vniuocis, & denominatiuis.

Definiũtur vniuoca.

1 Eodem capite primò definit Aristoteles vniuoca: quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen omninò eadem; & hæc dici possunt vniuoca vniuocata. Vniuocantia autem dici possunt nomina exprimentia rationem aliquam vnam, & communẽ pluribus. Duo igitur requiruntur ad vniuocata: primum, quòd sint plura expressa vno nomine. Secundũ, vt sint vnum in ratione significata per nomen; vnum inquam, non vnitate vera, & intrinseca, quam supra repugnare probauimus, sed per similitudinem, & extrinsecam: quia videlicet conceptus mentis expressus nomine vniuoco ita attingit omnia illa plura, vt non exprimat pluralitatem.

2 Dices: nomen homo est vniuocum, & significat plura, vt plura: dum enim quis dicit se vidisse hominem in foro; potest æquiuocare audiens, & sumere vnum pro alio. Nego antecedens: ad cuius probationem, nego audientem posse æquiuocare quo ad principale significatũ illius vocis. Significat enim determinatè naturam humanam: neque quo ad hoc præbet audienti occasionem errandi; sed solùm quo ad indiuiduationem, quæ non exprimitur per illud nomen.

3 Aduerto hic primò, singulare non posse vniuocari; quia non potest pluribus conuenire. Secundò, Quiros putasse nomen, Deus, esse vniuocum: quia significat eandem naturam communem tribus personis diuinis. Tertiò, vniuoca participantia esse rationes superiores, vt animal, participata inferiores, vt hoc, vel illud animal. Quartò, æquiuoca posse vniuocari ex adiunctis, vt gallus rationalis: & vniuoca æquiuocari, vt substantia canis. Quintò vox illa, animalia, quamuis non sit vniuoca absolutè, quia significat plura; non tamen esse absolutè æquiuocam, sicuti neque illud complexum, Petrus, & Paulus: quia non adest aliqua indeterminatio. Sextò, demum Aristotelem docuisse, In genere latere æquiuocationem, quia genus includit plures species in se diuersas; non ideò tamen est æquiuocum, quia non apparet, sed latet illa diuersitas.

Definiutur denominatiua.

4 Denominatiua sunt ex Aristotele: quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu; quare duo requiruntur ad denominatiuè constitutionem; primò, vt significetur nomine concreto deriuato ab aliquo abstracto. Secundò, quòd denominatiuum differat tantùm casu à sua forma; differre autem casu non sumendum est grammaticaliter, de diuersitate quo ad terminationem, seu quoad rectū, & obliquum; sed logicè cum Conimbricensibus; ita vt differre casu, sit differre quoad modum significandi: nam tum denominatiuum album, tum albedo significant idem, & principaliùs ipsam albedinem; sed diuerso modo: nam denominatiuum significat illam, vt formam adiacentem subiecto; albedo autem, vt aliquid per se stans: quę diuersitas benè exprimitur illis verbis, solo differentia casu; quia vt plurimum ea varietas exprimitur vocibus habentibus diuersam terminationem. Hinc patet hoc nomen, musica, prout dicitur de muliere, musices præceptis instructa, esse denominatiuum, à musica substantiuè accepta.

5 Denominatiua hoc modo explicata, comprehendunt, si nihil obstet ex alio capite, omnia concreta siue substantialia, siue accidentalia, siue constituta per formam intrinsecam, siue per extrinsecam: omnibus enim his possunt aptari verba definitionis; licet non renitar concedere Caietano, & Arriagę, denominatiua magis propriè dici concreta constituta à forma extrinseca, quæ præter denominationem, & nouam appellationem non tribuit subiecto aliquid aliud.

Aliud est esse denominatiuum, aliud denominatiuè prædicari.

6 Instabis: apud Aristotelem idem est prædicari denominatiuè, ac prędicari accidentaliter: ergo concreta substantialia non prædicantur denominatiuè: ergo non sunt denominatiua. Antecedens probatur: nam 2. topic. negauit genus prędicari denominatiuè de inferioribus, &c. de substantia: idem docet de differentijs substantialibus: & subdit: secundas substantias prędicari vniuocè, accidentia verò denominatiuè. Nego secundam consequentiam: nam aliud est prædicari denominatiuè, aliud esse denominatiuum: denominatiuum enim est concretum à nobis supra explicatum, quod potest essentialiter prędicari de subiecto, non tantùm denominatiuè, & accidentaliter.

SECTIO TERTIA

De Analogis.

Definiutur analoga.

1 Analoga ex Philosopho sunt: quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen, neque omninò eadem, neque omninò diuersa: seu, vt aliqui volunt, partim eadem, partim diuersa. Conueniunt igitur analoga cum vniuocis, & ęquiuocis, quòd nomen sit idem in omnibus. Discrepant ab æquiuocis, quòd ratio significata non est omninò diuersa, sed partim eadem: ab vniuocis, quòd ratio significata non est omninò eadem, sed partim diuersa. Hæc verba exprimunt analoga analogata, sed ex illis facilè est colligere quid sint analoga analogantia, seu nomina analoga: ea, videlicet, quæ licet sint communia pluribus; tamen exprimunt aliquam illorum diuersitatē, & aliquam conuenientiam.

2 Exemplum fit in hoc nomine, Risus, quod in sua adæquata significatione, ita dicitur de pratis, & de homine, vt de homine dicatur propriè, de pratis metaphoricè: ideoque exprimit aliquam similitudinem inter hominem ridentē, & prata virentia, quę dicuntur item ridere: omnis enim metaphora supponit similitudinem inter terminos propriè, & metaphoricè significatos: verùm exprimit etiam aliquam dissimilitudinem: si enim homo propriè ridet, prata impropriè, non potest eadem forma per risum exprimi, dum dicitur de homine, ac dum dicitur de pratis: & qui concipit adęquatum significatum illius nominis, apertè videt formas per illud nomen expressas ita aliqualiter conuenire, vt longè discrepent, etiam sub conceptu expresso per tale nomen: ideoque conceptus mentalis adæquatè correspondens illi nomini, necessariò exprimit aliquam rerum significatarum diuersitatem, & aliquam conuenientiam.

Analoga alia propria, alia impropria

3 Diuiduntur primò analoga, in propria, & impropria: propria sunt, quando forma significata per nomen analogum propriè, & intrinsecè participatur ab omnibus inferioribus, & analogatis, sed vel cum inæqualitate; quia scilicet in vno illa ratio est perfectior, quàm in alio, idque ratione differentiæ, & hæc appellantur analoga analogia inæqualitatis: vel cum dependentia vnius ab alio; sic rationem entis participant intrinsecè Deus, & creatura, sed hęc cum dependentia ab illo. Hæc dicuntur analoga analogia attributionis propriæ, quia reliqua analogata participant eam rationem à b aliquo vno, ad quod referuntur.

4 Impropria sunt, quorum analogata non omnia participant rationem significatam per nomen analogum, sed in vno reperitur talis ratio significata propriè, & intrinsecè, in alijs

autem vel impropriè, vel extrinseeè, & per respectum quemdam ad aliud, in quo intrinseeé inest res, & forma significata, ita tamen vt ea diuersitas exprimatur per nomen sumptum secundum suam adequatam significationem, & per conceptum mentis illi adęquatè correspondentem.

Impropria alia attributionis, alia proportionis, alia proportionalitatis.

5 Jam verò analoga impropria, alia sunt attributionis, alia proportionis, vel proportionalitatis, vt volunt aliqui. Analoga attributionis sunt; quorum nomen est vnum, ratio verò significata per nomen intrinseeè est in vno tantùm, quod ideó dicitur principaliùs analogatum; reliqua autem dicuntur talia extrinsecè ab ordine, quem dicunt ad illam formam; tale est hoc nomen, sanum, adæquatè sumptum pro vt dicitur de homine, colore, aere, &c. quia semper significat sanitatem; sed cum dicitur de animali significat sanitatem illi intrinsecam: cùm de aere, vel medicina significat sanitatem ab illis causatam: quare ratio significata per illud est partim eadem, nempè eadem sanitas, partim diuersa: quia significat diuersos respectus subiectorum, de quibus prædicatur, ad ipsam sanitatem: & hęc subiecta dicuntur analogata minus principalia.

6 Rectè autem notat Arriaga, minùs principalia analogata non posse, vt talia definiri, nisi per principalioris analogati formam, quam respiciunt, & ad quam ordinantur. Secundò, rectè etiam idem Arriaga, & Ouiedus docent: analoga minùs principalia esse talia, si comparentur cum principaliori, & principaliùs esse tale, si comparetur cum minùs principali: nam si minùs principalia comparentur inter se, & considerentur prout dicunt respectum ad illam formam, conueniunt vniuocè: neque enim aer hic, vel ille; & hoc, vel illud medicamentum, dum dicuntur sana, exprimuntur vt inter se diuersa. Sicuti neque cum dico: hoc animal est sanum, & illud animal est sanum, exprimitur aliqua diuersitas in animalibus, vel in sanitate.

7 Analoga analogia proportionis, seu proportionalitatis, sunt: quorum nomen est idem, ratio verò significata per nomen est omninò diuersa, sed cum aliqua proportione, & similitudine, ratione cuius vni nomen propriè conueniat, alteri verò impropriè, & metaphoricè, vt satis supra explicaui exemplo cōmuni risus.

Illationes ex dictis.

9 Infero primò ex dictis: posse idem nomen respectu diuersorum habere vtramque analogiam; sanum enim potest etiam dici de animali. & de pomo, quod metaphoricè dicitur sanum. Secundò, non omnem proportionem esse analogiam, nisi ex suo conceptu afferat aliquam diuersitatem inter analoga. Et certè illa proportio (sicuti se habent duo ad quatuor eodem modo se habent quinque ad decem) non exprimit aliquam diuersitatem inter illas comparationes, sed tantùm in vtraque haberi proportionem dimidij ad totum. Infero tertiò: verum esse, quod docuit Aristoteles: analoga attributionis esse vel ab vno, vel ad vnum; quia analoga minùs principalia dicunt ordinem ad vnum principaliùs analogatum, à cuius forma ipsa dicuntur talia. Quartò, quamuis analogum attributionis explicitè significet vnam formam, quæ sit intrinseca principali analogato, extrinseca reliquis; implicitè tamen, & veluti indirectè significare formam his secundarijs analogatis intrinsecam, respectum videlicet ad illam formam explicitè significatam. Quin imò verum est nomen analogum adæquatè sumptum significare explicitè illum respectum diuersum, vt patet consideranti supra dicta.

SECTIO QVARTA.

Vtrum ratio communis quæ diuersimodè participatur à suis inferioribus sit necessariò analoga?

1 PRoposui hanc quęstionem sub his terminis; quia vt supra notabam, certum mihi est, posse rationem illam concipi conceptu aliquo analogo, quo eius inferiora exprimātur vt conuenientia aliquo modo, & vt aliquo modo disconuenientia, dari que posse nomen, quod illam conuenientiam, & disconuenientiam exprimat. Quare sensus quæstionis est: verum ratio communis, quæ diuerso modo participatur ab inferioribus, vel ratione dependentiæ vnius ab alio, vel quia perfectius participatur ab vno, quàm ab alio; debeat necessariò in suo conceptu exprimere illam diuersitatem, ac proindè nomen, quod illi conceptui subrogatur, sit necessariò analogum? Quoniam verò ratio entis est, quæ cum magna inæqualitate participatur à suis inferioribus; quin imò aliqui docent, illam essentialiter transcendere suas differentias, & non solùm ex inęqualitate, & dependentia, sed etiam ex hoc tertio capite transcendentiæ esse analogam; ideò quęstio agitari solet de ratione entis: quod autem de illa definieris, facilè applicare poteris ad similes rationes.

Conceptus entis est logicè vniuocus.

2 Dico primó: conceptum entis, vt formaliter expressum per hoc nomen, ens, esse perfectè præcisum à differentijs, & vniuocum, & quod perindè est, ex se non esse necessariò analogum. Hanc conclusionem defendunt multi recentiores cum Arriaga, & Ouiedo contra nonnullos præsertim veteres, ex quibus Moyses quidam apud S. Thomam *q. 7. de potentia art. 2.* asseruit: Conceptum entis esse merè æquiuocum. Probatur: Conceptus, qui pro vt aliquo nomine exprimitur, potest pluribus conuenire, nec exprimit illorum diuersitatem, est vniuocus, & perfectè præcisus: sed conceptus entis, pro vt exprimitur hoc nomine, ens, potest pluribus conuenire, nec exprimit illorum diuersitatem: ergo est vniuocus, & perfectè præcisus. Maior patet ex definitione vniuocorum; & confirmatur paritate animalis, qui est conceptus vnus, & perfectè præcisus; quia exprimitur

vno

vno nomine, & potest conuenire pluribus, quorum diuersitas non elucet in ipso conceptu animalis, eo nomine significato. Minor probatur; & quidem satis apertum est, hunc conceptum exprimi vno nomine, & esse communem pluribus: non solùm enim Deus, sed etiam creatura; non solùm substantia, sed etiam accidens sunt intrinsecè ens; nullum enim illorum inuoluit in suo conceptu implicantiam, & quodlibet opponitur cum ente chimærico. Præterea conceptus entis, vt expressus eo nomine non dicit maioritatem, & minoritatem perfectionis, dependentiam, vel independentiã; esse à se, vel esse ab alio, quæ sunt entis differentiæ: ergo in conceptu entis, vt expresso nomine entis, non explicantur differentiæ, non minùs ac non explicantur in conceptu animalis eius differentiæ.

3 Respondebis primò: conceptum animalis ideò esse vnum, & perfectè præcisum, quia præscindit obiectiuè à differentijs: conceptus autem entis non præscindit obiectiuè à differẽtijs. Sed contra: quia si animal non præscindit obiectiuè à differentijs, sed est conceptus expressus vno nomine communis pluribus, nec exprimens illorum diuersitatem; adhuc est vniuocus, contentus sub definitione allata vniuocorum: ergo etiam ens, si non præscindat obiectiuè à differentijs, erit adhuc vniuocum.

4 Respondebis secundò: ens transcendere differentias, & ideò differentias entis esse diuersas etiam in ratione entis: quia vt differentiæ sunt diuersæ: vt differentiæ sunt ens: ergo vt ens sunt diuersæ: animal autem non transcendit differentias. Confirmat Comptonus: ens transcendit differentias, ergo licet præcisum non dicat actualem diuersitatem, est tamen potens diuersificari per differentias, quæ sunt ipsũ ens: ergo habet diuersitatem sufficientem ad analogiam. Consequentia probatur: quia diuersitas sufficiens ad analogiam non est actualis, sed aptitudinalis, nam in definitionibus, esse diuersum, sumi debet aptitudinaliter, sicuti ly prædicari de pluribus, in definitionibus prædicabilium sumitur pro prædicatione aptitudinali, non actuali. Hæc responsio tangit difficultatem de transcendentia.

Ens non transcendit differentias

5 Dico igitur secundò: ens non transcendere suas differentias. Probatur: differentiæ non includunt formaliter ens; ergo ens non transcendit differentias. Antecedens probatur: si differentiæ includunt formaliter ens, vel dicunt aliquam rationem, quæ non sit formaliter ens, vel non? Si primùm; ea ratio erit differentia entis, nec tamen est formaliter ens: si secundũ; ergo differentiæ entis sunt pura ratio entis: ergo nihil addunt supra rationem entis: quomodo igitur differunt inter se huiusmodi differentiæ, aut faciunt differre cum conueniant in omni, & adæquata ratione: omnis enim, & adæquata illarum ratio est conceptus entis, in quo non differunt, sicuti non differunt animalia in ratione animalis.

6 Dices: differentias entis dicere rationem entis, & aliquid aliud, & hoc aliquid aliud dicere rationem entis, & aliquid aliud. Sed contra, si differentia non includat aliquam rationẽ, quæ non sit ens, non potest verificari, quòd includat rationem entis, & aliquid aliud: sicuti, si quis non possideat nisi aurum, non potest dici, quòd possideat aurum, & aliquid aliud: neque potest dici vinum mixtum, si nullam includat partem, quæ non sit vinum, sed erit purissimum merum. Et in compositione continui (quo exẽplo vtitur contra nos Lynceus) si pars immediata tangit secundum quid, & secundum quid non tangit, semper absolutè verum est dicere, quòd detur aliquod absolutè non tangens; vnde si differentia est ens, & aliquid aliud, debet necessariò dicere aliquid, quòd non sit ens. Neque facilè admittendus est processus ille infinitus, qui sequitur ex hac responsione, numquam enim possemus scire, quid sit hoc aliquid aliud, quòd vltimò determinaret eos.

7 Ex quibus reijcitur alia eiusdem Lyncæi responsio de differentijs nominatis, quorum nomen datur, & innominatis, quæ carent nomine; nam vel neutræ includent rationem entis, vel si nominatæ includunt, habebunt rationem speciei; & sanè cur innominatæ possunt non includere, nominatæ autem debent necessariò includere, si vtraque participant rationem differentiæ.

8 Dices secundò: differentias differre in ratione entis per ipsum ens contractum, non autem per rationem entis præcisam, in qua conueniunt. Sed contra: ratio entis præcisa, & contracta vel sunt eadem ratio, vel non? si primum: ergo dum differunt in ratione entis per ipsum ens contractum, differunt etiam in ratione entis præcisi, neque differentiæ dicunt aliquid præter rationem entis præcisi, in quo conueniũt; si secundum: sic argumentor: ens contractum, vt contractum, vel dicit aliquod præter rationem entis expressam per nomen, & conceptum entis, vel non? si primum; nullo modo differet ab ente præciso, quod nihil aliud debet dicere prẽter rationem entis, ac proindè si differentiæ non differunt in ratione entis præcisi, neque differunt in ratione entis contracti. Si secundum; hoc aliud est differentia non includens rationem entis; vt colligi potest ex dictis. Breuiter ens, quod contractum appellas, non est ens, neque nomine, aut conceptu entis exprimitur; sed eius differentia: neque enim alio modo comparari potest ad ens præcisum, quàm vt eius differentia, si illud non includit.

Dato quod ens transcẽdat differentias; adhuc ratio entis præcisa est vniuoca.

9 Dico tertiò: quamuis ratio entis transcendat differentias, adhuc est vniuoca: quia transcendentia hæc non affert diuersitatem in ratione præcisa entis, quæ neque dicit perseitatẽ, neque inaleitatem, sed ad summum in ratione entis contracti, quæ potiùs esset species cõstãs genere, & differentia, quàm pura differentia. Sicuti quamuis animal includatur in homine, equo, & reliquis speciebus, non indè sequitur rationem abstractam animalis, non esse vnam,

quia in illa ratione nulla elucet diuersitas. Nomen autem ens, & conceptus per illud significatus exprimunt rationem entis præcisam, non contractam, neque enim exprimunt aseitatem, perseitatem, &c. quæ sunt ens contractum.

10 Hinc patet ad rationes allatas à Comptono: ad primam enim nego primó ens transcendere differentias. Secundó, distinguo primũ consequens: differentiæ differunt in ratione entis, ita vt hæc diuersitas exprimatur in ipso conceptu entis; nego: ita vt non exprimatur neque in conceptu, neque per nomen ens, quãtumuis clarè explicetur; concedo primam, & nego secundam consequentiam. Semper enim ratio entis abstracta remanet vna ex vi cognitionis confusæ. Ad secundam, dico: illam probare nullum dari conceptum vniuocum vniuersalem; quia nullus est, qui non possit diuidi in plura; quare non semper prædicata definitionis significant aptitudinem; sed aliquando; quod colligi debet ex circumstantijs: aliter quis posset admittere naturam vniuersalem independenter ab intellectu: quia independenter ab illo habetur vnitas aptitudinalis, quæ significatur in definitione, cum dicitur vnum aptum esse in pluribus.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones.

1 Obijcies primò: ratio entis priùs contrahitur ad Deum, quàm ad creaturas, ad substantiam, quàm accidens; priùs enim est esse causam, quàm effectum: ergo priùs participatur à Deo, quàm à creaturis, à substantia, quàm ab accidentibus: ergo ratio entis inæqualiter participatur, & respicitur à suis inferioribus; ergo inæqualiter respicit sua inferiora: ergo est analoga.

Conceptus præcisiuus entis non exprimit entium diuersitatem.

2 Respondeo realiter rationem entis neque præscindi, neque contrahi, neque vt precisam petere realiter contrahi ad vnum priús, quàm ad aliud; realiter enim semper est contracta, & diuersa: per intellectum autem non petit priùs contrahi ad Deum, quàm ad creaturas, ad substantiam, quàm ad accidens: quia rationem entis contrahi ad Deum per intellectum, est clarè cognosci differentiam contrahentem, & ipsum Deum, vt ens distinctum à creaturis: contrahi verò ad creaturas, est cognosci clarè creaturas, vt ens distinctum á Deo: Huiusmodi enim contractiones, & abstractiones sunt opus intellectus, non quid reale extra animam. Sed conceptus entis iam præcisus non exigit, vt priùs sequatur cognitio clara Dei, quàm creaturæ: sed æquè benè post illum potest immediatè sequi cognitio clara creaturæ, ac cognitio clara Dei: ergo. Confirmatur: quia creaturæ dependent à Deo, non cognitio vnius à cognitione alterius: quare licet creaturæ supponant Deum, non tamen cognitio creaturæ supponit cognitionem Dei: ex dependentia igitur creaturarum à Deo solùm infertur non posse cognosci creaturas, nisi simul cognoscatur Deus saltem indirectè. Vnde ad argumentum, nego antecedens. Illa autem propositio: ratio entis priùs participatur à Deo, quàm à creaturis est absolutè falsa: ratio enim entis non participatur à Deo, neque enim Deus est ens participatum. Solùm igitur verum est realiter Deum esse primum ens omnium perfectissimum: ex quo solùm sequitur, quòd ratio entis intrinsecè, & ex parte obiecti dicat plura, quorum vnum est alio perfectiús: quod non probat rationem præcisam, & expressam illo nomine non esse vniuocam.

3 Cum hoc autem benè cohæret, quod docet summa triumphantis philosophię, quòd si nomine entis intelligamus ens absolutè, & strictissimè sumptum, qualis est solus Deus; creaturæ non sunt ens, nisi cum addito per participationem, & in eo sensu ens non erit vniuocum, sed analogum: quia non potest explicari explicatione se extendente ad omnia entia, nisi inuoluatur aliqua diuersitas. Idem dico, si nomine entis intelligas illud, quod simpliciter est, quod solùm conuenit substantiæ non accidenti, quod est entis ens; & modus eius, quod simpliciter est. certè non potest in hoc sensu exprimi ratio entis, quæ conuenit accidenti nisi explicetur diuersitas eius à substantia, quæ propriè est ens. Verùm nos non loquimur de conceptu, & nomine entis in hac acceptione.

4 Instabis: ens eo modo est participabile ab inferioribus, quo ab illis participatur, sed ab inferioribus participatur cum inæqualitate, ergo est participabile cum inæqualitate. Idē argumentum vrget aduersarios in conceptu animalis, quòd cum inæqualitate participatur ab inferioribus. Dato igitur toto syllogismo, dico: nihil indé contra me inferri: quamuis enim ratio entis sit participabilis cum inequalitate ab inferioribus; non tamen ea diuersitas exprimitur in ipsa ratione entis quin imò etiam si ratio entis præcisa explicitè dicat exigentiam, qua exigit inæqualiter participari à suis inferioribus, adhuc esset vniuoca: quia ille conceptus non exprimeret aliquam diuersitatem in ipsa ratione entis, & in exigentia, sed in terminis talis exigentiæ.

5 Obijcies secundò: si ratio entis esset vna, & præcisa à differentijs, esset superior Deo, & creaturis. Rursus daretur aliqua ratio in Deo, quæ non esset formaliter Deus, illa videlicet, quæ esset illi communis cum creaturis, quę omnia videntur absurda. Respondeo ad primum, rationem entis non esse superiorem Deo, idest nobiliorem, aut priorem illo natura, vel tempore; sed tantùm logicè, quia est illo vniuersalior, & ad alia extenditur, in quo sensu nullum est absurdum, Deum esse respectu illius, quid logicè inferiùs. Ad secundum dico: omne, quod est in Deo, esse intrinsecè formaliter Deum: hoc autem nihil obstat quo minùs possim per cognitionem imperfectam attingere simul Deũ, & creaturam, & non distinguere inter illos:

Quo modo ratio entis est Deo superior.

hac

hæc enim est imperfectio cognitionis, non in obiecto cognito: nam posita illa voitate extrinseca adhuc quidquid intrinsecè est in Deo, est infinitum vndequaque. Quod si aliquando Patres docuere creaturas comparatas cum Deo non esse, esse nihilum; loquuti sunt de ente in strictissima significatione, prout tantùm significat ens perfectissimum; qualis est solus Deus, qui de se loquens inquit, *Sum qui sum*. Neque verò putandum est illos negasse creaturis verum, & reale esse.

Solus Deus absolutè est

6 Obijcies tertiò: si posset à Deo, & à creaturis perfectè præscindi ratio communis entis, posset etiam á sapientia creata,& increata præscindi ratio communis sapientiæ: quod est falsum; nam hæc ratio præcisa vel identificatur realiter cum iustitia, vel non? si primum; ergo non est prædicabilis de sapientia creata, quæ distinguitur á iustitia. Si secundum, ergo non est prædicabilis de sapientia increata, quæ identificatur cum iustitia; ergo nó est communis creatæ, & increatæ. Nego minorem: ad rationem in contrarium, dico: sapientiam illam præcisã intrinsecè esse complexum ex sapientia creata, & increata, cuius vna pars identificatur cum iustitia, alia minimé: extrinsecè autem præscindit ab vtroque conceptu, quia per conceptum sapientiæ in communi neque exprimitur identitas cum iustitia, neque distinctio ab illa. Hoc autem sufficit, vt ille conceptus sit vnus communis, & prædicabilis de pluribus,vt patet in alijs conceptibus.

7 Obijcies quartò: differentiæ non possunt separari à ratione entis: ergo nulla præcisio fieri potest, ex vi cuius differentiæ maneant sine ratione entis: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius maneat ratio entis præcisa, & sine differentijs: probant vltimam consequentiam, id quod est imbibitum, & cum alio coniunctum non potest esse sine illo. Confirmatur eo ipso, quòd ens separatur à differentijs, differentiæ separantur ab ente; sed differentiæ nequeunt ab ente separari, ergo. Nego secundam consequentiam, & id, quod assumitur ad illius probationem: quamuis enim totum non possit esse sine partibus, quas includit: potest tamen pars esse sine toto, in quo imbibitur, vt patet in homine, qui non potest esse sine anima, potest tamen anima esse sine homine: ergo & si differentiæ includentes ens non possint ab ente præscindi, poterit ens non includens differentias ab illis præscindi. Ex quibus patet responsio ad confirmationem.

Quo modo ratio entis cõtrahatur per differẽtias.

8 Obijcies quintò: si ratio entis est vniuoca, & præcisa; ergo potest contrahi per differentias: sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor probatur differentiæ contrahentes rationem entis vel sunt formaliter ens, vel non? Si primum, ergo ens contrahitur formaliter per ens, quod non videtur concedendum. Si secundum, ergo ens contrahitur per non ens. Nego minorem: ad probationem respondeo iuxta mea principia: differentias entis, non esse formaliter ens, & ens contrahi formaliter per non ens præcisiuè, sicuti animal contrahitur per non animal. Cæterum admissa transcendentia, dico: differentias singulas esse ens inadæquatè sumptum, neque enim singulæ differentiæ sunt collectio omnium entiũ, sed aliquod ens. Distinguo igitur illud consequens: ergo ens adæquatè sumptum contrahitur per ens inadæquatè sumptum; concedo: per ens adæquatè sumptum;nego consequentiam: in primò autem nulla est absurditas: ens enim contrahi est restringi: ens autem adæquatè sumptum restringitur per ens inadæquatè sumptum, non minùs, ac animal per speciem hominis.

9 Instabis: ergo ad minus si ens confusè cognitum contrahatur per omnes differentias ad omnes suas species; iam contrahitur per se ipsum adæquatè sumptum: omnes enim differentiæ sunt collectio omnium entium. Respondeo idem argumentum vrgere conceptum animalis, quod possumus supponere contrahi per omnes suas species. Distinguo igitur consequens. Iam contrahitur per se ipsum adæquatè, & eodem modo sumptum; nego: diuerso modo sumptum; concedo: ens, quod est vnum præcisum, & contrahibile, dicit collectionem omnium entium realium confusè ita cognitam, vt intellectus nó distinguat inter vnum, & aliud ens: hæc autem collectio, seu conceptus communis, sufficienter intelligitur contrahi dum per alium conceptum clariorè cognoscitur diuisus in omnes suas species: idque quia ratio entis, quæ est in substantia, & per conceptum confusum non apparebat vt diuersa à reliquis,per conceptum clarum iam restringitur ad propriam speciem.

Quo modo ab ente abstracto, & contracto abstrahi possit ratio communis entis.

10 Obijcies sextò: si ens abstrahitur à differentijs, quæro vtrum ab ente abstracto, & cótracto possit abstrahi ratio communis? Rursus si ens etiam post abstractionem manet in differentijs: poteritnè iterum abstrahi ab illis differentijs? Respondeo non dari rationem communem, & intrinsecam enti abstracto, & contracto: quia intrinsecè eadem est ratio entis abstracti, & cótracti, collectio nimirum omnium entium. Si verò ens abstractum, & contractum sumantur secundum extrinseca, in quo sensu contractum dicit cognitionem claram, & abstractum confusam; respondeo ab illis cognitionibus versantibus circa ens diuerso modo posse abstrahi rationem comunem cognitionis versantis circa ens: sed si vis, loqui de ente abstracto, & contracto in concreto acceptis, dico: posse abstrahi rationem communem entis cogniti, seu secundó intentionaliter sumpti. Vnde patet responsio ad primum. Ad secundum, dico: à differentijs in quibus manet ratio entis posse iterum abstrahi rationem entis omninò eamdem ex parte obiecti, & solùm extrinsecè diuersam propter diuersam cognitionem.

11 Obijcies septimó cum Hurtado; ratio entis vt præcisa non dicit differentias, quas admissa transcendentia dicit ratio entis contracta: ergo saltem admissa transcendentia ratio entis non est omnino eadem, sed partim eadem partim

tim diuersa. Distinguo consequens: ratio entis vt expressa per hoc nomen, & conceptum ens: nego; vt expressa alio nomine, & alijs conceptibus; concedo. Ad vniuocationem entis sufficit si conceptus entis vt expressus hoc nomine, ens, nullam dicat diuersitatem. Sicuti ad equinocationem sufficit, quod ratio expressa per nomen sit omnino diuersa, licet alioqui æquiuoca conueniant in multis alijs rationibus.

12 Instabis: idem est ens contractum, & abstractum: sed nomen, ens, significat rationem entis abstractam: ergo & contractam. Distinguo maiorem: est idem quo ad intrinseca, concedo; quo ad extrinseca; nego; & data minori nego consequentiam. Ratio entis contracti, & abstracti sunt quo ad intrinseca collectio eadem omnium entium realium, sed differunt extrinsecè: quia prima dicit cognitionem confusam non exprimentem differentias. Secunda autem dicit cognitionem claram: nomina autem non solùm significant obiecta, sed etiam conceptus mentis: quare non illicò vt aliqua vox significat conceptum entis abstracti, debet significare conceptum entis contracti.

13 Instabis posita transcendentia omnes differentiæ sunt formaliter ens: sed differentiæ differunt: ergo ens differt. Distinguo maiorem; sunt formaliter ens contractum; concedo: abstractum; nego, & data minori distinguo consequēs: ergo ens contractum differt; concedo; ens præcisum; nego. Illud autem falsò assumunt aduersarij: nullam rationem vniuocam transcendere differentias.

14 Obijcies nonò: ergo ens est genus: ergo abstrahit ab existentia: ergo Deus vt inclusus in eo genere abstrahit ab existentia. Secundo: ergo Deus componitur ex genere, & differentia. Tertiò: ergo Deus est limitatus, & restrictus, ad aliquod determinatum genus entis. Do primam cōsequentiam. Ad secundam, dico: genus extrinsecè abstrahere ab existentia: quia conceptus genericus non exprimitur, vt existens: vndè solùm sequitur, quod Deus vt cognitus confusè per illum actum præcisiuū non cognoscatur vt existēs, & secundum proprium conceptum, quod vltro concedo. Ad secundum, dico: Deo repugnare compositionem physicam, & intrinsecam: non autem extrinsecam, & logicam, quę nullam supponit imperfectionem in obiecto, sed solùm in nostro modo concipiendi. Ad tertium distinguo consequens: ergo Deus est limitatus ad aliquod determinatum genus entis includens omnem perfectionem aliorum generum, & excludens illorum imperfectionem; concedo: alio modo, nego. Limitatio illa Dei non est quo ad perfectionem, sed quo ad imperfectionem: non extēdi autem Deum ad imperfectiones creatas, maximè spectat ad eius perfectionem. His adde S. Damascenum allatum ab Arriaga, & Ouiedo expressè docere, substantiam esse genus respectu Dei, & creaturarum. Quod si Sancti Patres excludunt aliqui à Deo rationem genericam, locuti sunt de Deo formaliter, vt Deus est: Deus enim, vt Deus, non est genus, aut species ad plures specie, aut numero Deos.

15 Obijcies decimò: Aristoteles docuit ens esse analogum. Respondeo locutū esse de analogia inæqualitatis, quæ non est propriè analogia, & stat cum vniuocatione. Dices cur igitur non dixit analoga reliqua genera, quæ habent etiam inferiora inæqualia. Respondeo: quia inferiora aliorum generum non ita distant sicuti inferiora entis. Dices iterum 4. m. docet idem Philosophus: ens esse sicuti sanum. Respondeo comparationem non esse in omnibus, aliter sicuti aer tantùm extrinsecè dicitur sanus; ita ens tantùm extrinsecè diceretur de creaturis: in eo igitur est comparatio, quòd sicuti reliqua sana dicunt ordinem ad animal sanum; ita omnia entia creata ad Deum, & omnia accidentia ad substantiā: & in hoc sensu ens aliquando negatur ab Aristotele esse genus. Vno tamen Aristotelis testimonio, quidquid contra nos afferri ex illo poterit facilè reijcitur: loco enim cit. ex 4. m. post quam dixit ens analogum, subdit: *Sed hæc quidem quomodocumque dicere analoga, siue vniuoca quis velit, parum refert.* In eodem ferè sensu accipio S. Thomam negantem, Deum esse sub genere, loquitur enim S. Doctor de genere non logico, de quo nobis sermo est; sed metaphysico, cuius videlicet est continere plus perfectionis, quàm inueniatur in singulis speciebus; ita vt qualibet sit restrictiua perfectionis genericę, vt ait S. Doctor, quod profectò repugnat in Deo.

16 Obijcies vndecimò cum Mauro *qu. 45. logicæ*; supposita distinctione obiectiua graduum ens non est vniuocum, licet alia genera sint vniuoca: quia vniuoca sunt, quorum nomen est idem, ratio verò obiectiua per nomen significata est eadem, hoc est omninò similis; dissimilitudo autem in ratione obiectiua facit analogiam: sed ratio obiectiua significata per nomen ens commune substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturę non est eadem, & omninò similis: nam substantia ex parte obiecti est ens per conceptū obiectiuum omninò identificatum cum substantię conceptu; & accidens est ens per conceptum obiectiuum omninò identificatum cum ratione accidentis, quæ est maxima diuersitas obiectiua in ipsa ratione entis. Quoniam verò definitiones formales adæquatæ debent conformari cum conceptu obiectiuo; idcò definitio adæquata entis non potest eadem inuariata applicari pluribus. Hoc argumentum à fortiori probatur non esse vniuocam rationem entis, si significet intelligibile, vt sic, neque dari posse rationem vniuocam enti, & non enti. *Etiā supposita diuersitate obiectiua graduum, ens est vniuocum, & genus.*

17 Nego absolutè maiorem: aliter nulla essent vniuoca, nam etiam in sententia admittente diuersitatem obiectiuam graduum, ratio obiectiua animalis, quę est in homine, est diuersa à ratione obiectiua animalis, quæ est in equo: animal enim hominis ex suis intrinsecis est inseparabile à rationali, quod non conuenit animali equi: quare non poterit dari vna definitio

nitio adæquata, quę inuariata sit applicabilis omnibus animalibus. Non igitur admittenda est vniuocatio in rebus formaliter, & independenter ab opere intellectus: neque ad veram vniuocationem requiritur præter vnitatem vocis, & conceptus mentalis alia vnitas ex parte obiecti; & ratio significata non est sola ratio obiectiua, sed vt subiacens nostro conceptui, sub qua ratione iam est vna in casu nostro.

18 Instabis: Aristoteles pluribus in locis tanquam rem magni momenti docet, quòd ens non est genus: at non est res magni momenti, si ad rationem generis non requiritur aliqua vnitas obiectiua, sed sufficit sola extrinseca: quid enim momenti est, quod nostra illa cognitio non sit constitutiua generis? Maiorem cōfirmat Maurus authoritate interpretum Aristotelis. Respondeo Aristotelē non absolutè negasse, ens esse genus, sed solùm voluisse, illi non competere eodem modo rationem generis, ac alijs generibus; nam ens ita est genus, vt eius inferiora etiam quo ad existentiam, & intrinsecè ita comparentur, vt plura dicant attributionem ad vnum, v. g. omnia creata ad Deum, omnia accidentia ad substantiam, quod non conuenit alijs generibus: quare ens est genus includens in suis inferioribus analogiam quamdam, quamuis id nō exprimat. De expositoribus Aristotelis non multum laboro: quia quamuis multi faueant sententiæ oppositæ, non pauci tamen, nec ignobiles peripatetici nobis suffragantur.

19 Obijcies duodecimò, probando ens trāscendere differentias; connotata differentiarum sunt etiam connotata entis: ergo differentiæ non possunt cognosci in ordine ad propria connotata, quin cognoscantur in ordine ad connotata entis: ergo non possunt præscindi ab ente. Antecedens probatur: intellectiones, & volitiones, ac sensationes, quæ sunt connotata animalis rationalis, non solùm ducunt me in cognitionem principij sensitiui, & rationalis, sed etiam in cognitionem existentiæ illius, & consequenter entis: effectus enim, vt effectus, necessariò supponit in principio, à quo dependet existentiam, & consequenter capacitatem ad existendum, & oppositionem ad chimæram.

20 Respondeo nos posse in intellectione, ac sensatione considerare plura prædicata, non minùs, ac in ipsis principijs: nam illa primò sunt ens reale accidentale, & actus vitales, procedentes à principio vitali, & sunt non quicumque actus vitales, sed tales, procedentes à tali principio vitali. Iam verò licet vt effectus reales procedentes à causa reali supponant in causa existentiam, & distinctionem à chimæra; tamen vt tales effectus, & secundum suam vltimam taleitatem non supponunt formaliter in causa rationem entis, sed taleitatem entis. Cæterum cū taleitas effectus in ipso effectu, tum taleitas principij supponit in ipso principio rationem entis, vt in simili docuimus agentes de inclusione graduum superiorum in inferioribus: vnde patet taleitatem effectus esse realem, & productam ex parte obiecti, & entitatiuè: formaliter autem, & ex parte actus non est producta, & realis, nisi præsuppositiuè: quia est taleitas producti realis: idem dico de taleitate principij, quę est quidē intrinsecè ens, & principium: formaliter autem non est principium, aut ens, nisi tantùm presuppositiuè: quia est taleitas entis, & principij: vndè verum est, nō posse concipi sine ratione principij, & entis; non tamen formaliter illam includit, quia licet non possit explicari sine ente, & principio in obliquo connotato: non ideò debet explicari per illud, veluti inclusum, & in recto significatum.

21 In forma ad argumentum, nego antecedens: ad probationem distinguo antecedens: Connotata animalis rationalis adæquatè sumpta ducunt me in cognitionem etiam existentiæ; cōcedo: inadæquatè accepta secundum vltimam taleitatem considerata, subdistinguo; ducunt me in cognitionem existentiæ, & entis, vt inclusorum in taleitate rationalis, & animalis; nego: vt presuppositorum; concedo. Illud autem notandum est primò: non eo ipso, vnum ab alio includi, quia non potest sine illo concipi. Creaturæ enim non possunt concipi sine Deo, nec tamen includunt Deum. Secundò, non illicò, vt aliquis conceptus apparet, vt effectus alterius, verumque esse realem; quia data ea suppositione, adhuc potest inquiri, & dubitari, verum illi effectus, & causa sint reales, & realis item processus vnius ab alio.

22 Obijcies decimotertiò: ergo tollimus rationes transcendentes, quas communitèr admittunt. Concedo consequentiam, si loquamur de transcendentia formali. Communiter autem admittitur transcendentia realis in illis prædicatis ens, res, bonum, vnum, &c. quia omne, quod absolutè est, participat realiter illa prædicata, & quæcumque concipiantur ad modum illorum, seu cum ordine ad illa concipiuntur.

23 Obijcies decimoquartò: ergo ens contrahitur per non ens, & differentiæ sunt negatio entis. Distinguo primam partem consequentis: contrahitur per non ens formaliter; concedo: realiter, nego. Differentiæ realiter, & intrinsecè sunt ens, licet non exprimantur per conceptū entis. Confirmatur: animal contrahitur per rationale, quod formaliter non est animal. Hinc nego secūdam partem consequentiæ. Sicut enim rationale non est formaliter animal, sed non ideò est negatio animalis, ita, & in casu nostro.

24 Obijcies decimoquintò, differentię entis sunt formaliter perfectiones: ergo sunt formaliter ens: consequentia probatur. Perfectio formaliter est ens. Antecedens cōfirmatur: differentię entis sunt aseitas in Deo; dependentia in creaturis: sed hę sunt formaliter perfectiones: ergo differentiæ entis sunt formaliter perfectiones. Minor probatur. aseitas enim reddit Deum summè perfectum: ergo est perfectio: nō videtur enim quomodo Deus formaliter constituatur summè perfectus per aseitatem, si hęc non sit formaliter perfectio, sicuti aliquod, non potest

Differentię entis sunt perfectiones.

potest fieri summè extensum, nisi addita infinita extensione. Confirmatur: quia Deus formaliter ex sua differentia essentiali habet, vt sit cumulus omnium perfectionum, illimitatus in entitate, & infinitus; ergo eius differentia addit formaliter perfectionem, & quidem infinitam. Confirmatur vlteriùs: Deus non præcisé, quia ens est, excludit omnem imperfectionem, aliter omne ens formaliter includeret omnem perfectionem, quod est absurdum: ergo omnem imperfectionem formaliter excludit per suam differentiam: ergo formaliter per suam differentiam dicit omnem perfectionem: excludere enim omnem imperfectionem, est formaliter includere omnem perfectionem: non includere enim aliquam perfectionem, est formaliter imperfectio.

23 Respondeo, hoc argumentum satis probabiliter ostendere differentiam constitutiuam Dei includere formaliter rationem perfectionis, & entis. Sed permisso antecedente, nego consequentiam: ad cuius probationem, distinguo assumptum: omnis perfectio est formaliter ens; nego: aliqua; concedo: nam vel ens in suo formali conceptu non dicit perfectionem, quod ego puto valdè probabile: vel si dicit formaliter perfectionem, non est conceptus omnis perfectionis; neque omnis perfectio formaliter est conceptus entis, aliter cum creaturæ, & Deus conueniant in conceptu entis, neque per illud formaliter distinguuntur; Deus, & creaturæ conuenirent adæquaté in conceptu perfectionis: vnde sequeretur præterea, quód vna creatura non esset perfectior alia; quia omnes æquè opponuntur chimeræ, & sunt ens. Igitur conceptus entis in se consideratus est cóceptus non perfectionis vniuersalissimè sumptæ, sed perfectionis cum præcisione: cum quo benè cohæret, quod possit contrahi per differentias, quæ sint formaliter perfectiones, sed non illa eadem, quæ exprimitur per ens: quia ens tantùm exprimit hanc perfectionem; oppositionem cum chimæra, & nihilo; differentiæ autem exprimunt alias perfectiones, quæ licet supponant oppositionem cum chimæra, & nihilo; non tamen sunt formaliter in suo conceptu illa oppositio; sed sunt alia oppositio ad defectum, v. g. ad inaleitatem, &c.

26 Dices ergo, conceptus perfectionis est analogus. Nego consequentiam: conceptus enim perfectionis formaliter explicatur per hoc, quod melior sit ipse, quàm eius contradictorium, in quo conceptu nulla elucet diuersitas.

27 Dices iterum: si differentiæ entis sunt formaliter perfectiones; ergo sunt formaliter bonæ: ergo sunt formaliter ens. Distinguo primum consequens: sunt formaliter bonæ bonitate transcendentali sita, vel fundata in pura oppositione ad chimæram, vel nihilum; nego. Bonitate non transcendentali: concedo primam, & nego secundam consequentiam: ens enim formaliter non fundat, nisi bonitatem transcendentalem.

29 Hinc patet: conceptum entis vniuersalissimè sumptum, si dicat perfectionem præscindere à maiori perfectione, vel imperfectione differentiali, & posse contrahi per differentiam, quæ sit perfectio summa, vt est aseitas in Deo, & per differentias, quæ sint perfectiones non summæ, sed admixtæ imperfectionibus, vt cum contrahitur ad creaturas substantiales, vel accidentales. Illa autem perfectio differentialis nõ est formaliter entitas, vel ens in suo conceptu; sed determinatio entitatis, & entis: quod si velis illam perfectionem superadditam esse ens, & entitatem in suo conceptu formali facis, ni fallor, quæstionem de nomine: certè non erit ens, & entitas expressa per nomen ens, & dicens formaliter oppositionem ad chimæram, & nihilum.

33 Vrgebis: ratio perfectionis est ratio generica, & inuoluitur formaliter, in differentia, quæ est similiter perfectio. Distinguo illam propositionem: inuoluitur in differentia, quę est perfectio, ita vt sit differentia huius gradus perfectionis, quam contrahit; nego. alterius gradus; concedo: respectu enim gradus perfectionis pręcisæ differentia illa potius est species: ideò mirum non est, si includat illum gradum, cuius est propriè differentia.

34 Vrgebis iterum: Assigna mihi in differentia Dei prædicatum, quod respectu prędicati perfectionis sit differentia, & non includat formaliter perfectionem? Respondeo esse identitatem omnis perfectionis, quæ identitas formaliter ex modo nostro concipiendi non est perfectio.

35 Obijcies decimosextò: in sententia admittente transcendentiã saluatur, quod perseitas, & inaleitas primò differant: ergo saluatur, quòd sint differentię. Nego absolutè antecedens: quia si non dicunt nisi rationem entis; cum conueniãt in ea ratione, omninò conuenient.

36 Ex dictis infero: Deum, & creaturam per rationem entis distare à nihilo: sed Deus per suam differentiã magis distat à nihilo, quam creatura; verum illa est quidem maioritas distãtię, non formaliter ipsa distantia, neque ratio entis, sed eius modus, & determinatio, quę in Deo est necessitas essendi: minoritas autem in creaturis est contingentia essendi. Vbi obiter addo non obstare vniuocationi entis, quòd omnia attingamus ad modum entis, sicuti neque vniuocationi corporis, quod omnia ad modum corporis cognoscamus.

37 Infero secundo: conceptum entis præcisum ab actuali, & possibili esse vniuocum ob rationes allatas: hunc item conceptum, ens reale, vel rationis, dici vniuocé de omnibus entibus realibus, & chimæricis. Demum rationem entis non vniuocè conuenire enti chimęrico, & reali: ens enim chimæricum nõ est absolutè ens. Demum rationem intelligibilis vniuocè dici tum de ente reali, tum de chimærico. Cæterum diuidentia ens dici summa genera entis, quia illud immediatè diuidunt.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Expediuntur nonnulla de diuiſione, & numero prædicamentorum.

Quatuor entium genera ab Ariſtotele deſignata.

1 ARiſtoteles hiç c. 2. quatuor aſſignauit entium genera, nam alia inquit, de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto non ſunt: tales ſunt ſubſtantiæ cōpletæ vniuerſales, quæ dr̄ predicātur de pluribus, dicũtur de ſubiecto, ſed non ſont in ſubiecto; quia nō ſunt in a'io. Alia sũt in ſubiecto, ſed non dicuntur de ſubiecto, vt aceidens ſingulare, v.g. hac albedo, quæ eſt in pariete, ſed non prędicamr de pluribus. Tertiò, alia ſunt in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto, vt aceidentia vniuerſalia, quæ ſunt in ſubiectis, & prędieantur de pluribns. Alia demum non ſunt in ſubiecto, neque prædicantur de ſubiecto, vt ſubſtantiæ ſingulares, quæ non ſunt in alio, neque de pluribus prædicantur. Vnde patet ex rebus alias eſſe ſnbſtantias, alias aecidentia, alias vniuerſales, alias ſingulares, & ens dupliciter diuidi: primó in ſubſtantiam, & aceidens; ſecundò in vniuerſale, & ſingulare. Patet ſecundò, non eodem modo ſumi ſubiectum ab Ariſtotele in allatis verbis, nam, dici de ſubiecto, denotat ſubiectum logicum, de quo terminus vniuerſalis affirmatur: eſſe verò in ſubiecto, ſignificat ſubiectuw phyſicum, in quo res aliqua inſit. Patet tertiò Ariſtotelem diuiſiſſe ens in ſubſtantiam completam, & aceidens: nam ſola ſubſtantia completa abſolutè non eſt in ſubiecto, incompleta enim, vt forma, aliquando eſt in ſubiecto. Quid autem ſit ſubſtantia, quid accidens, ſicuti etiam ipſum conceptum entis, ſuſiùs explicabo in metaphyſicis.

Duæ regulæ antepredicamentales.

2 Ibidem c. 3. tradit Ariſtoteles duas regulas prædicationis, quas antepædicamentales quidam appellant. Prima eſt, cum quidpiam de quopiam prædicatur, vt de ſubiecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de ſubiecto: ſenſus autem eſt, quòd ea, quæ eſſentialitèr, & neeeſſatiò conueniunt alicui prædicato, conneniunt etiam ſubiecto, de quo eſſentialiter dicitur illud prędicatum: ſic quia homini eſſentialiter conuenit eſſe rationale, & neceſſariò eſſe riſibile, eadem prædicata eodem modo conueniunt Petro, de quo eſſentialitèr prædicatur homo: ea autem, quæ non eſſentialiter, nec neceſſariò conueniunt prędicato eſſentiali, non eſſentialitèr, nec neceſſarió conueniunt ſubiecto; ſic quia accidentalitèr conuenit homini, eſſe album: Petrus etiam, qui eſſentialiter eſt homo, poteſt non eſſe albus, & quamuis animal ſit genus, non ideò homo eſt genus. Quando autem prædicatum eſt aecidentale ſubiecto, non quidquid conuenit eſſentialiter prædicato, conuenit ſubiecto: ſic quamuis album ſit compoſitum aecidentale, non ideò Petrus, qui dicitur albus, eſt compoſitum aceidentale. Demum quidquid neceſſarió negatur de aliquo prædicato, neceſſariò etiam negatur de omni ſubiecto; cui eſſentialiter conuenit illud prędicatum; ſic quia de animali neceſſariò negatur eſſe incorporeum, etiam de homine, cui eſt eſſentiale animal neceſſariò negatur eſſe incorporeum.

3 Et hęc quidem regula, vt innui diſp. 1. exprimitur per primum illud principium logicum: dici de omni, quód exprimitur per primam partem de prædicato affirmato: & dici de nullo, quod exprimitur per ſecundam partem regulę de eo, quod eſſentialiter repugnat prædicato eſſentiali.

4 Secunda regula eodem loco tradita eſt, diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ: ſubalternatorum verò nihil prohibet eaſdem eſſe differentias. Tripliciter autem poſſunt genera inter ſe comparari: primò, ſine vlla ſubalternatione neque inter ſe, ita vt vnum non ſit ſub alio, neque ad aliud tertium, ita vt neque ſint ſub eodem genere, vt ſunt homo, & ſcientia, quorum primus ſpectat ad predicamentum ſubſtantię; ſecunda ad qualitatis. Secundò, cum ſubalternatione ad vnum tertium, vt planta, & animal, quæ ponuntur ſub eodem genere viuentis, non tamen vnum eſt ſub alio. Tertiò demum cum ſubalternatione inter ſe; ita videlicet, vt vnum ponatur ſub alio, vt viuens, & animal, quod illi ſubijcitur. Senſus igitur regulę eſt; genera, quę nullo modo ſubalternantur, non poſſunt habere eaſdem differentias eſſentiales diuiſiuas intrinſecas, vt eſt animal, & color, quæ quia ſummo genere differunt, nulla differentia diuiſiua vnius poteſt eſſe diuiſiua alterius: quę verò ſubordinantur poſſunt habere eaſdem differentias diuiſiuas: & quidem res eſt certa, ſi ſubordinentur inter ſe. Rationale enim, quod diuidit animal, diuidit etiam viuens. Sin autem ſubordinentur vni tertio, poſſunt habere eaſdē differentias diuiſiuas generum ſuperiorum: Sic animal, & planta participant rationem corporis, viuentis, quæ ſunt differentiæ generum ſuperiorum.

5 Dices ſubſtantia, & aceidens non ſunt genera ſubalternata; & tamen participant eaſdem differentias diuiſiuas, quia tum ſubſtantia, tum accidens diuiduntur in vniuerſale, & ſingulare, in materiale, & ſpirituale. Reſpondeo, & ad primam quidē partē de vniuerſali, & ſingulari; dico: illas eſſe differentias extrinſecas habitas per actum intellectus, nos autem loquuti ſumus de differentia intrinſeca. Ad ſecundam; dico: Non idem corporeum diuidere ſubſtantiam, & accidens, nam corporeum, quod conuenit ſubſtantiæ eſt principium remotum, & radicale impenetrationis: corporeum autem quod conuenit accidenti, eſt vel formalis impenetrabilitas, vt euenit in quantitate, vel exigentia impenetrabilitatis, quę conuenit reliquis accidentibus. Idem dico de incorporeo, quod quatenus conuenit ſubſtantię, eſt radix accidentium ſpiritualium. Et quamuis tum aceidens, tum ſubſtantia participent differentiam corporei, & incorporei, vt ſic; hęc tamen non eſt differen-

tia diuisiua substantiæ, & accidentis, cum sit illis superior: neque contradicit allatæ doctrinæ, quòd participent eamdem differentiam generis superioris; iam enim subalternatur alteri generi.

Diuisio entis in decē categorias

6 Cap. 4. idem Aristoteles diuidit ens incomplexum in decem categorias, seu summa genera, in substantiam videlicet quantitatem, qualitatem, relationem, vbi, quando, situm, habitum, actionem, & passionem. Hęc autem diuisio non est ita rigorosa, vt non potuerit secari ens in plura, vel pauciora membra, vt notat Arriaga in *proem. disp. 11. log.* poterit enim ens primò diuidi in infinitum, & in finitum, & hoc in substantiam, & accidens: nec per eam aliud intendit Aristoteles, quàm res, quę in vastissimo entis conceptu vagantur; per certas classes distribuere, vt commodiùs possemus de quocúque ente in particulari discurrere, nulla habita ratione ad rerum naturas saltem rigorosè loquendo. Sicuti benè quis diuidit logicam in decem tractatus, in quibus comprehendat omnia, quę potuisset quindecim haud incongruenter complecti. Congruentiam huius diuisionis affert Maurus *qu. 50. logicæ*, sed non vocat singula vel examinare, vel referre, cum præsertim fundetur illa congruentia in particulari sententia, quam nos non sequimur.

Conditiones prædicamenti.

7 Quæres de conditionibus requisitis ad prædicamentum? Respondeo, stando principijs Aristotelis, primò requiri, vt prædicamentum sit ens: hic enim Aristoteles diuisit ens in decem prædicamenta, quare excluduntur à prædicamentis entia ficta, quæ simpliciter non sunt, & carentiæ. Secundo requiritur, vt sit ens per se, siue simplex, vt Angelus, siue compositum, vt homo. Nomine autem entis per se intelligimus, quod est simpliciter vnum, vel quia constat pluribus partibus eiusdem generis, vt est compositū substantiale, vel quia partes excludit; vt est albedo, quę non cōstat materia, & forma: quare cōcreta substantialia non accidentalia pertinent ad prædicamenta: accidentalia enim cum constent subiecto substantiali, & forma accidentali; non spectant ad vnum genus, & in illis potiùs confunduntur res, quam distinguantur: prædicamētorum autem diuisio facta est ad distinctionem rerum; vnde Aristoteles *3. top. c. 1.* ait iustitiam non iustum esse in genere boni.

8 Tertia conditio requisita ab Aristotele est, quod prædicamentum sit completum, quòd videlicet non faciat vnum cum alio eiusdem rationis, & seriei, si sit singulare; sin autem vniuersale prędicetur in quid. In quo sensu accidentia, quamuis ordinata ad faciendum vnum cum subiecto; quia tamen hoc non est eiusdem seriei cum illis, ideò non sunt entia incompleta: prętcrea accidentia in abstracto prædicantur in quid de suis inferioribus etiam in abstracto: dicitur enim albedo est color; color est qualitas. Excluduntur igitur per hanc conditionem partes substantiales, quæ faciunt vnum cum alijs compartibus eiusdem seriei, & differentiæ, quæ non prædicantur in quid. Verum tamen est differentias, & substantias incompletas pertinere indirectè ad prędicamenta, quatenus scilicet continentur in naturis completis, & speciebus, quę propriè, & directè spectant ad prædicamenta.

Deus non est sub prædicamento.

9 Quæres iterum: vtrum Deus ponatur in prædicamentis? Respondeo in hac quæstione de nomine, certum est Deum esse substantiam simpliciter infinitam, & infinitè distantem à creaturis quoad perfectionem: probabile item est à Deo, & creaturis posse abstrahi rationem communem, & vniuocam substantiæ, vt colligi potest ex dictis sectione præcedente: omninò spectat ad quæstionem de nomine, vtrum dicenda sit prędicamentum substantia præcisa ab increata, & creata, an sola substantia finita? cum igitur in acceptione vocum standum sit communi sensui, & communis sensus doceat in prædicamentis non poni, nisi res finitas, & creatas; dicendum est, Deum non poni in prædicamento: S. Damascenus constituit quidem Deum sub genere substantiæ, non tamen definiuit illud genus substantiæ abstractum à Deo, & creaturis, esse prædicamentum. Angelos autem non est cur excludam à prędicamento substantiæ: cum authores à prędicamento solùm exclusérint ens infinitū, non autem spirituale. Sed in quæstione de nomine non multùm laboro: vtatur quiuis vocibus, vt libuerit, dummodò nihil à fide alienū, vel rationi absonum etiam in ipsa vocum vsurpatione immisceatur.

10 Multus est Maurus *qu. 51.* in probando Deum non esse sub genere, ex quo deducat non poni in prædicamento. Quoniam verò quæ afferi faciunt ad doctrinam sectionis præcedentis, illa breuitèr perstringam, & soluam. Vrget primò; quia nulla ratio communis Deo, & creaturis est prædicabilis de pluribus differentibus specie: creaturæ enim non differunt specie, & per prædicatum positiuum à Deo, sed per carentiam perfectionis. At responderi posset Deū differre per positiuum à creatura, & creaturas à Deo per carentiam; quod sufficit vt notabiliter differant, ac proindè specie.

11 Secundò vrget: quia Deus non est compositus ex genere, & differentia: compositio enim metaphysica fundatur in physica, quę longè distat à Deo. Sed facilè negatur assumptum, & eius probatio; compositio enim metaphysica fundatur in comparabilitate obiecti ad plura, & in modo concipiendi imperfecto nostri intellectus.

12 Tertiò, nullum genus continet in se perfectionem aliorum generum; & ideò ens non est genus; ergo neque Deus est sub genere, quia continet perfectionem omnium rerum. Nego antecedens: potest enim vnum oppositum distingui ab alio per purum positiuum, quod ab alio non includitur.

13 Illud aduerto, dari duplicem mensuram aliam veluti homogeneam, quæ per multas replicationes potest adæquari mensurato, aliam heterogeneam, quam numquam potest mensuratum

ratum adæquare; sed solùm quædam maior, vel minor proportio, quam mensuratum habet cum ipsa, ostendit quanta sit perfectio mensurati. Deus igitur est mensura perfectionis creatæ, hoc secundo, non primo modo.

DISPVTATIO SEXTA.

De relatione.

Ex categorijs seligitur tractãda relatio.

A capite 5. categoriarum incipit Aristoteles explicare singula prædicamenta; ideoque breuis aliqua illorum notitia esset hic afferenda. Sed quia fusè de illis disputandum est in toto phylosophiæ decursu; propterea ne inutiliter, quæ hic breuiter dicuntur, repetere alibi cogamur, satiùs est, ea hic intactas præterire. Seligo tamen solùm prædicamentum relationis, de quo exactè agam, doctorum hominum authoritate nisus, qui hanc de relatione logicis disputationibus inserere consueuerunt. Nec immeritò profectò: frequens enim est in tota philosophia vsus horum vocum, relatio, ordo, connexio, & similium, quarum notitia maximè pendet à præsenti disputatione.

SECTIO PRIMA.

Quid, & an sit relatio.

Nomen relationis.

1 Nomine relationis intelligimus formã quamdam, seu prædicatum, ratione cuius subiectum, cui conuenit, non sistit in se; sed fertur extra se ad aliud; quia videlicet, vt affectum tali prædicato, subiectum non potest esse, vel ad minus non potest intelligi sine alio à se distincto: exemplum sit in paternitate: illicò enim vt homo habet in se hoc prædicatũ paternitatis, non potest esse, aut intelligi sine alio, nempè filio à se distincto. Hinc communiter dicunt, relationem habere duo prædicata, esse in, & esse ad: concipitur enim vt accidens quoddam inhærens subiecto, & ferens illud ad aliud.

Definitio relatiuorũ & relationis prædicamentalis

2 Iam verò relationem in abstracto, nunquam definiuit Philosophus, benè verò relatiua in concreto. Circumfertur communiter definitio illis verbis: *Relatiua sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere:* Aduerto hic, me diligenter Aristotelis textum considerasse, nec in illo inuenisse verbum illud, totum, explicitè, aut etiam implicitè significatum: quare si ex illo aliquid contra doctrinam, quam infra dabo, inferant aduersarij; non indè colligant, nos contradicere Aristoteli; sed quidquid sit de hoc.

3 Sensus definitionis est: relatiua esse concreta quædam accidentalia, quorum videlicet forma, & denominatio accidit subiecto, quæ concreta quatenus talia non sistunt in se, sed feruntur ad aliud, sine quo nequeunt esse, aut intelligi; & hoc exprimitur per illa verba: quorum totum esse est, ad aliud se habere: vltima enim differentia relatiuorum est purè respicere aliud. Quod autem illa verba: Concreta accidentalia, quamuis non exprimantur; debeant subintelligi in dicta definitione: patet: quia illa explicant prædicatum genericum commune relatiuis cum alijs: & quidem debent illa concreta esse accidentalia: quia Aristoteles hic non definiuit relatiua, nisi quæ spectant ad hoc quartum prædicamentum; & quorum forma illud constituit: huiusmodi autem concreta non possunt esse nisi accidentalia saltem logicè; quia videlicet eorum forma est accidens saltem logicum subiecti. Aristoteles igitur non posuit expressè illud verbum; Concreta accidentalia: quia supposito illo prædicato generico communi, & notiori, præcipuus eius finis, & labor fuit, explicare differentiam, qua ab alijs concretis accidentalibus relatiua distinguerentur.

4 Hinc infero primò: si quæ alia dentur relatiua, quæ non sunt prædicamentalia, non comprehendi sub allata definitione; quæ vtpotè tradita ad exprimendum differentiam huius prædicamenti accidentalis ab alijs, non debuit, nec congruè potuit extendi ad alia. Secundò: ex dictis facilè est, colligere definitionem relationis prædicamentalis, videlicet; accidens, ratione cuius subiectum fertur ad aliud; seu accidentalis tendentia vnius ad aliud; seu forma accidentalis tribuens subiecto esse ad aliud. Vbi ly accidentalis sumitur pro accidente logico, non physico; neque enim omnia, quæ constituunt reliqua prædicamenta sunt accidens physicum, vt patet in habitu, & similibus.

Quid sit relatio in communi.

5 Quod si velis definire relatiua, & relationes non prædicamentalia, sed in communi; dicas: relatiua sunt, quorum esse est ad aliud. Relatio autẽ forma tribuens subiecto esse ad aliud; sicuti albedo tribuit parieti esse album.

Veterum definitio.

6 Quæres: vtrum bona sit definitio, quam ex antiquis affert primo loco Aristoteles: *Ea dicuntur ad aliquid, quæ id, quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo:* vel secundum aliorum versionem, *quomodolibet dicũtur.* Respondeo, hanc definitionem, si spectemus verba, quibus traditur, facili fortasse negotio posse cum Aristotelica conciliari. Cæterum Aristoteles ex eo videtur illam impugnasse; quia conuenit partibus respectu totius: partes enim verè dici possunt esse totius; nec tamen referuntur ad totum, aliter referrentur ad se inclusas in toto. Eandem definitionem secundò impugnant alij: quia traditur per illa verba: dicuntur ad aliquid aliquo modo; quæ verba non exprimunt relationem propriè dictam, sed secundum, dici, ratione cuius verum non refertur ad aliud; sed ex modo nostro concipiendi imperfecto exprimitur, ac si referretur ad aliud; vt euenit cum per actum compositiuum affirmo: Petrum esse hominem: per illum enim actum veluti Petrus refertur ad hominem, sibi identificatum.

Dantur relatiua, & relationes.

7 Iam verò certum videtur, dari huiusmodi relatiua, & relationes: & in Deo quidem, sanctum fide est; dari paternitatem, & alias relationes,

tiones, quibus personæ diuinæ se mutuo respiciunt; quamnis illa non sint concreta, aut formæ accidentalia; quare non comprehenduntur sub allata definitione: in creatis autem datur verè, & realiter pater producens, & similia concreta accidentalia, quæ vt talia nequeunt intelligi, quin imò nec esse, sine alio: vt patet consideranti.

8 In negotio igitur præsenti hæc omnia interueniunt, primò subiectum, quod constituitur relatum, & dicitur fundamentum relationis remotum; fundamentum quidem, quia communiter præintelligitur ad relationem; remotum, quia inter ipsum, & relationem mediat fundamentum proximum, illa videlicet ratio, qua posita statim necessariò resultat relatio, & hoc fundamentum proximum, quam vocant etiam rationem fundandi, est secundum, quod hic interuenit. Tertiò, relatio ipsa supra explicata; ac demum quartò terminus, ad quem per relationem refertur fundamentum: exemplum sit in relatione paternitatis, qua Petrus pater refertur ad Paulum filium: ipsa enim substantia Petri est fundamentum relationis remotū; actio generatiua est fundamentum proximum; ea enim posita statim in Petro resultat relatio patris: paternitas est forma relatiua; ac demum Paulus filius est terminus.

9 Ex quo colligi potest vlterius, verumque extremum respectu alterius diuerso modo considerarum posse esse terminum, & fundamentū. Sic in allato exemplo Petrus est fundamentum relationis paternitatis, qua respicit Paulum filium, vt terminum. Paulus est fundamentum relationis filiationis, qua respicit Petrum, vt terminum; quia sicuti per paternitatem Petrus constituitur pater, & relatus ad filium; ita per filiationem Paulus constituitur, & denominatur filius, & refertur ad Petrum patrem. Fundamentum igitur confunditur cum subiecto denominato.

10 Colligitur demum, non posse vnum relatiuum cognosci, vt tale, nisi cognoscatur aliud: vt relatiuum enim constituitur per ordinem ad aliud; ergo vt relatiuum non potest cognosci sine tali ordine; sicuti paries, vt albus non potest cognosci sine albedine: ergo neque sine alio: ordo enim non potest cognosci sine termino, ad quem est. Hinc tamen malè infertur, carentiam Petri esse relationem ad Petrum. Licet enim non possit cognosci sine Petro, non tamen habet esse ad Petrum, cum nullum habeat esse. Rursus non est tendentia in Petrum, sed potiùs eius destructio.

SECTIO SECVNDA.

Assigno varias relationis diuisiones.

1 PRimò diuiditur relatio in realem, & chimæricam; prima nullam inuoluit repugnantiam, sicuti inuoluit secunda.

2 Secundò, relatio realis alia est totaliter extrinseca extremis, alia est intrinseca saltem partialiter alicui extremo. Prima non est propriè relatio, sed sita est in quodam actu comparatiuo, & imperfecto intellectus, qui reflectens supra alios actus imperfectos versantes diuerso modo circa idem, vel diuersum obiectum, dum comparat obiectum vnius cum obiecto alterius, & affirmat, vel negat vnum de alio, veluti efferr vnum ad aliud; in quo sensu verum est, quód subiectum, vt subiectum, dicit ordinem essentialem ad prædicatum, & è contra prædicatum ad subiectum; quia videlicet eadem forma, quæ est modo dicto comparatio, constituit prædicatum, & subiectum. Hæc relatio appellatur à nonnullis secundum dici; ego appellaram illam formaliter intentionalem, & secundum dici, quia formaliter consistit in actu intellectus, qui est intentio, & ipsum dici. *Relatio alia realis, alia chimærica, alia intrinseca, alia extrinseca.*

3 Tertiò, relatio alia est secundum esse, alia secundum dici: prima formaliter refert esse vnius extremi ad esse alterius: quia videlicet est talis forma, quæ si realiter existat; subiectū, quod afficit, ratione illius non solùm non possit cognosci, quin cognoscatur aliud, sed neque esse, quin sit aliud. Talis est paternitas, qua v. g. Caius constituitur pater Cæsaris. Caius enim ex vi illius, seu quatenus stat sub illa, non solùm non potest cognosci, nisi cognoscatur Cæsar, sed nec esse, nisi sit Cæsar. Et hæc dici potest absolutè relatio realis, quia necit realitates, non puras rerum cognitiones. Secunda refert formaliter cognitiones; quia subiectum, quatenus stat sub illa, solùm connectitur cum cognitione alterius, idque sub conditione, quòd ipsum subiectum cognoscatur, non autem cum esse illius: talis relatio est in cognitione, qua Deus cognoscit alium mundum possibilem: non potest enim cognosci Deus cognoscens alium mundum possibilem, quin cognoscatur alius mundus possibilis; potest tamen absolutè esse Deus cognoscens alium mundum, absque eo quod sit ille alius mundus possibilis. *Alia secundum esse, alia secundum dici.*

4 Quartò, diuiditur relatio in mutuam, & non mutuam. Prima est inter extrema, quæ se mutuo respiciunt; vt sunt duo alba, quæ vt similia se mutuo respiciunt: non minùs enim album A. est simile, & refertur ad album B, quàm hoc ad illud: non mutua est inter extrema, quorum vnum tantùm refertur ad aliud; talem putant esse relationem scientiæ ad scibile, seu cognitionis ad obiectum; cognitio enim secundum se considerata refertur ad obiectum, sine quo saltem nequit intelligi; at obiectum non refertur ad cognitionem, cum & esse, & intelligi possit sine illa. Lynceus putat relationem non mutuā esse, si duo referantur relatione diuersi ordinis, vt pater, & filius. Sed primò sine sufficienti ratione recedit à communi loquendi modo. Secundò diuersum quid est, duo se mutuo non respicere; ac duo se non respicere respectu eiusdem ordinis, & nominis. Sicuti diuersū quid est, duo se mutuo non cognoscere, ac se non cognoscere cognitione eiusdē ordinis, *Alia mutua, alia non mutua.*

5 Quin-

Alia æquiparantiæ, alia disquiparantiæ.

5 Quintò diuiditur relatio in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Æquiparantiæ est, quando vtrumque extremum refertur ad alterum relatione eiusdem rationis, ac nominis; talis est relatio similitudinis inter duo alba. Disquiparantiæ, cum extrema referuntur mutuò, relatione tamen diuersi ordinis, & nominis; talis est relatio inter patrem, & filium.

Alia extrinsecus, alia intrinsecus adueniens.

6 Sextò, diuiditur relatio ex Scoto in relationem extrinsecus aduenientem, & intrinsecus aduenientem: intrinsecus adueniens est, quæ statim resultat positis fundamento, & termino; talis est relatio identitatis, seu similitudinis in prædicatis essentialibus inter duos homines, qui statim, vt existunt, intelliguntur dicta relatione referri. Extrinsecus adueniens dicitur illa, quæ non statim emergit posito fundamento, & termino: talis est actio, & passio, quæ est relatio inter agens, & passum, sed non statim posita entitate fundamenti, & termini emergit: vt enim agens agat, & passum patiatur, non sufficit pura vtriusque existentia, sed requiritur etiam applicatio. Primum genus, putat Scotus, spectare ad relationem prædicamentalem. Secundum, ad reliqua sex prædicamenta, quæ sequuntur. Contra hanc diuisionem multis pugnāt: Suarius, Hurtadus, & Ouiedus *contr. 9. m. p. 2.* quibus ex parte adhæret Quiros.

7 Igitur sic illam vrgeo primo: relatio extrinsecus adueniens, vel est talis: quia posito, fundamento, termino, cum ratione fundandi, adhuc moratur, & expectat aliquid aliud; vel quia posito fundamento, & termino sine ratione fundandi non illico emergit? Primum est falsum, vt patet. Secundum est commune omnibus relationibus, quæ non emergunt, nisi posita ratione fundandi. Rursum statim vt res existit, est in loco, & tempore; neque requiritur, vt emergant illi modi, aliqua alia dispositio: ergo etiam aliqua ex reliquis prædicamētis sunt relationes intrinsecus aduenientes.

Alia fundata in vnitate, & numero, alia in actione, & passione, alia in ratione mensuræ et mensurabilis.

8 Septimò celebris est relationis diuisio in tria illa membra pro triplici ratione fundandi, quam diuisionem fusè prosequitur Aristoteles 5. *m. c.* 15. & fusissimè Suar. *disp. 47. à sect. 7.* nos hic magis necessaria seligemus. Relatio igitur alia est fundata in vnitate, & numero; alia in actione, & passione; alia in ratione mensuræ, & mensurabilis. Cuius diuisionis nullam rationem magis apparentem docet esse Suarius; quàm quia nulla est assignabilis relatio, quę ad aliquod ex dictis generibus reuocari commodè non possit: pro intelligentia igitur singulorum generum.

Relatio identitatis, & diuersitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, æqualitatis, & inæqualitatis.

9 Noto primò, nomine vnitatis intellexisse Aristotelem conuenientiam realem in prædicatis: numeri verò, disconuenientiam in eisdem. Triplex autem relatio fundari potest in conuenientia: nam vel est conuenientia prædicatorum essentialium; & fundat relationem identitatis: *idem enim sunt*, ait Aristoteles, *quorum substantia, idest prædicata essentialia, est vna*, vel est conuenientia in qualitate, & fundat relationem similitudinis, qualis est inter duo alba: *Similia enim sunt, quorum vna est qualitas;* vel demum est conuenientia in extensione, & fundat relationem æqualitatis, qualis est inter duos semipalmos: *æqualia enim sunt, quorum eadem est quantitas, idest extensio.*

10 Hinc triplex etiam est relatio fundata in numero, seu disconuenientia; nam vel est disconuenientia in prędicatis essentialibus; & fundat relationem diuersitatis; vel in qualitate, & fundat relationem dissimilitudinis; qualis est inter album, & nigrum; vel in quantitate, & extensione, & fundat relationem inæqualitatis, qualis est inter quantitatem palmarem, & vlnarem: & ad has reuocari possunt relationes distantię, & propinquitatis, tum secundum locum, tum secundum tempus. Vnde colliges inter easdem duas res posse esse relationē diuersitatis, & identitatis inadæquatę: si nimirum inter se cōparatę conueniant in aliquibus prędicatis essentialibus, & in aliquibus disconueniant. Ita euenit si comparemus hominem, & equum.

11 Noto secundò, ad secundum genus relationis fundatæ in actione, & passione reduxisse Aristotelem relationes inter agens, & patiens, non solùm in actu, sed etiam in potentia: nec solùm calefaciens referri docet ad calefactum; sed calefactiuum ad calefactibile. Secundo relationes inter causam non solùm actu causantem, sed etiam causaturam, & effectum tum causatum, tū causandum; quinimò inter causam, quę iam causauerit, & effectum iam ante causatum.

12 Noto tertiò ad tertium genus communiter reuocare Doctores relationes mensurabilis ad mensuram. Illud dicitur mensurabile, cuius perfectio essentialis desumitur ab alio, dependenter à quo dignoscitur quanta sit: sic potentię mensurantur per actus, & actus per obiecta: quia potentiæ perfectio ab actibus, horum ab obiectis desumitur, & dignoscitur: quo enim est perfectius obiectū, eò, ceteris paribus, perfectior est actus, & quò magis crescit perfectio actus, eò maior dignoscitur perfectio potētiæ, à qua deriuatur. Mensura autem est id, ex quo dignoscitur alterius perfectio. Aliter rem explicat Suarius *sect. 13. à n. 1.*

SECTIO TERTIA.

Explico rationes fundandi dictorum trium generum relationis.

1 POssumus de his relationibus loqui, primò pro vt sunt uerę, & propriæ relationes secundum esse, quatenus videlicet sunt formæ quędam, quæ si existant, essentialiter trahant secum existentiam vtriusque extremi. Secundo quatenus sunt relationes secundū dici; formæ videlicet, quę ita afficiunt subiectū, vt hoc ex vi illarū nequeat intelligi, quin cognoscatur aliud; licet possit esse sine illo; nomine rationis fundādi intelligimus illud, quo posito statim, ac indispēsabiliter intelligitur consurgere relatio. His positis.

9 Dico

tiooes, quibus personæ diuinæ se mutuo respiciunt; quamuis illa non sint concreta, aut formæ accidentalia; quare non comprehenduntur sub allata definitiona: in creatis autem dantur verè, & realiter pater producens, & similia concreta accidentalia, quæ vt talia nequeunt intelligi, quin imò nec esse, sine alio: vt patet consideranti.

8 In negotio igitur præsenti hæc omnia interueniunt, primò subiectum, quod constituitur relatum, & dicitur fundamentum relationis remotum, fundamentum quidem, quia communiter præintelligitur ad relationem; remotum, quia inter ipsum, & relationem mediat fundamentum proximum, illa videlicet ratio, qua posita statim necessariò resultat relatio, & hoc fundamentum proximum, quam vocant etiam rationem fundandi, est secundum, quod hic interuenit. Tertiò, relatio ipsa supra explicata; ac demum quartò terminus, ad quem per relationem refertur fundamentum: exemplum sit in relatione paternitatis, qua Petrus pater refertur ad Paulum filium: ipsa enim substantia Petri est fundamentum relationis remotũ; actio generatiua est fundamentum proximum; ea enim posita statim in Petro resultat relatio patris: paternitas est forma relatiua; ac demum Paulus filius est terminus.

9 Ex quo colligi potest vlterius, vtrumque extremum respectu alterius diuerso modo consideratum posse esse terminum, & fundamentũ. Sic in allato exemplo Petrus est fundamentum relationis paternitatis, qua respicit Paulum filium, vt terminum. Paulus est fundamentum relationis filiationis, qua respicit Petrum, vt terminum; quia sicuti per paternitatem Petrus constituitur pater, & relatus ad filium; ita per filiationem Paulus constituitur, & denominatur filius, & refertur ad Petrum patrem. Fundamentum igitur confunditur cum subiecto denominato.

10 Colligitur demum, non posse vnum relatiuum cognosci, vt tale, nisi cognoscatur aliud: vt relatiuum enim constituitur per ordinem ad aliud; ergo vt relatiuum non potest cognosci sine tali ordine; sicuti paries, vt albus non potest cognosci sine albedine: ergo neque sine alio: ordo enim non potest cognosci sine termino, ad quem est. Hinc tamen malè infercs carentiam Petri esse relationem ad Petrum. Licet enim non possit cognosci sine Petro, non tamen habet esse ad Petrum, cum nullum habeat esse. Rursus non est tendentia in Petrum, sed potius eius destructio.

SECTIO SECVNDA.

Assigno varias relationis diuisiones.

1 PRimò diuiditur relatio in realem, & chimaricam; prima nullam inuoluit repugnantiam, sicuti inuoluit secunda.

2 Secundò, relatio realis alia est totaliter extrinseca extremis, alia est intrinseca saltem partialiter alicui extremo. Prima non est propriè relatio, sed sita est in quodam actu comparatiuo, & imperfecto intellectus, qui reflectens supra alios actus imperfectos versantes diuerso modo circa idem, vel diuersum obiectum, dum comparat obiectum vnius cum obiecto alterius, & affirmat, vel negat vnum de alio, veluti refert vnum ad aliud: in quo sensu verum est, quód subiectum, vt subiectum, dicit ordinem essentialem ad prædicatum, & è contra prædicatum ad subiectum: quia videlicet eadem forma, quæ est modo dicto comparatio, constituit prædicatum, & subiectum. Hæc relatio appellatur à nonnullis secundum dici: ego appellaram illam formaliter intentionalem, & secundum dici, quia formaliter consistit in actu intellectus, qui est intentio, & ipsum dici.

Relatio alia realis, alia chimærica, alia intrinseca, alia extrinseca.

3 Tertiò, relatio alia est secundum esse, alia secundum dici: prima formaliter refert esse vnius extremi ad esse alterius: quia videlicet est talis forma, quæ si realiter existat; subiectũ, quod afficit, ratione illius non solùm non possit cognosci, quin cognoscatur aliud, sed neque esse, quin sit aliud. Talis est paternitas, qua v. g. Caius constituitur pater Cæsaris. Caius enim ex vi illius, seu quatenus stat sub illa, non solùm non potest cognosci, nisi cognoscatur Cæsar, sed nec esse, nisi sit Cæsar. Et hæc dici potest absolutè relatio realis, quia nectit realitates, non puras rerum cognitiones. Secunda refert formaliter cognitiones; quia subiectum quatenus stat sub illa, solùm connectitur cum cognitione alterius, idque sub conditione, quod ipsum subiectum cognoscatur, non autem cum esse illius: talis relatio est in cognitione, qua Deus cognoscit alium mundum possibilem: non potest enim cognosci Deus cognoscens alium mundum possibilem, quin cognoscatur alius mundus possibilis; potest tamen absolutè esse Deus cognoscens alium mundum, absque eo quod sit ille alius mundus possibilis.

Alia secundum esse, alia secundum dici.

4 Quartò, diuiditur relatio in mutuam, & non mutuam. Prima est inter extrema, quæ se mutuo respiciunt; vt sunt duo alba, quæ vt similia se mutuo respiciunt: non minùs enim album A. est simile, & refertur ad album B, quàm hoc ad illud: non mutua est inter extrema, quorum vnum tantùm refertur ad aliud; talem putant esse relationem scientiæ ad scibile, seu cognitionis ad obiectum; cognitio enim secundum se considerata refertur ad obiectum, sine quo saltem nequit intelligi; at obiectum non refertur ad cognitionem, cum & esse, & intelligi possit sine illa. Lynceus putat relationem non mutuã esse, si duo referantur relatione diuersi ordinis, vt pater, & filius, Sed primò sine sufficienti ratione recedit à communi loquendi modo. Secundò diuersum quid est, duo se mutuo non respicere; ac duo se non respicere respectu eiusdem ordinis, & nominis. Sicuti diuersum quid est, duo se mutuo non cognoscere, ac se non cognoscere cognitione eiusdẽ ordinis.

Alia mutua, alia non mutua

5 Quin-

Alia æquiparantiæ, alia disquiparantiæ.

5 Quintò diuiditur relatio in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Æquiparantiæ est, quando vtrumque extremum refertur ad alterum relatione eiusdem rationis, ac nominis; talis est relatio similitudinis inter duo alba. Disquiparantiæ, cum extrema referuntur mutuó, relatione tamen diuersi ordinis, & nominis; talis est relatio inter patrem, & filium.

Alia extrinsecus, alia intrinsecus adueniens.

6 Sextò, diuiditur relatio ex Scoto in relationem extrinsecus aduenientem, & intrinsecus aduenientem: intrinsecus adueniens est, quæ statim resultat positis fundamento, & termino; talis est relatio identitatis, seu similitudinis in prædicatis essentialibus inter duos homines, qui statim, vt existunt, intelliguntur dicta relatione referri. Extrinsecus adueniens dicitur illa, quæ non statim emergit posito fundamento, & termino: talis est actio, & passio, quæ est relatio inter agens, & passum, sed non statim posita entitate fundamenti, & termini emergit: vt enim agens agat, & passum patiatur, non sufficit pura vtriusque existentia, sed requiritur etiam applicatio. Primum genus, putat Scotus, spectare ad relationem prædicamentalem. Secundum, ad reliqua sex prædicamenta, quæ sequuntur. Contra hanc diuisionem multis pugnāt: Suarius, Hurtadus, & Ouiedus *contr. 9. m. p. 2.* quibus ex parte adhæret Quiros.

7 Igitur sic illam vrgeo primo: relatio extrinsecus adueniens, vel est talis: quia posito, fundamento, termino, cum ratione fundandi, adhuc moratur, & expectat aliquid aliud; vel quia posito fundamento, & termino sine ratione fundandi non illico emergit? Primum est falsum, vt patet. Secundum est commune omnibus relationibus, quæ non emergunt, nisi posita ratione fundandi. Rursum statim vt res existit, est in loco, & tempore; neque requiritur, vt emergant illi modi, aliqua alia dispositio: ergo etiam aliqua ex reliquis prædicamētis sunt relationes intrinsecus aduenientes.

Alia fundata in vnitate, & numero, alia in actione, & passione, alia in ratione mensuræ et mensurabilis.

8 Septimò celebris est relationis diuisio in tria illa membra pro triplici ratione fundandi, quam diuisionem fusè prosequitur Aristoteles *5. m. c. 15.* & fusissimè Suar. *disp. 47. à sect. 7.* nos hic magis necessaria seligemus. Relatio igitur alia est fundata in vnitate, & numero; alia in actione, & passione; alia in ratione mensuræ, & mensurabilis. Cuius diuisionis nullam rationem magis apparentem docet esse Suarius; quàm quia nulla est assignabilis relatio, quę ad aliquod ex dictis generibus reuocari commodè non possit: pro intelligentia igitur singulorum generum.

Relatio identitatis, & diuersitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, equalitatis, & inæqualitatis.

9 Noto primò, nomine vnitatis intellexisse Aristotelem conuenientiam realem in prædicatis: numeri verò, disconuenientiam in eisdem. Triplex autem relatio fundari potest in conuenientia: nam vel est conuenientia prædicatorum essentialium, & fundat relationem identitatis: *idem enim sunt*, ait Aristoteles, *quorum substantia, idest prædicata essentialia, est vna*, vel est conuenientia in qualitate, & fundat relationem similitudinis, qualis est inter duo alba: *Similia enim sunt, quorum vna est qualitas*; vel demum est conuenientia in extensione, & fundat relationem æqualitatis, qualis est inter duos semipalmos: *æqualia enim sunt, quorum eadem est quantitas, idest extensio.*

10 Hinc triplex etiam est relatio fundata in numero, seu disconuenientia; nam vel est disconuenientia in prędicatis essentialibus; & fundat relationem diuersitatis; vel in qualitate, & fundat relationem dissimilitudinis; qualis est inter album, & nigrum; vel in quantitate, & extensione, & fundat relationem inæqualitatis, qualis est inter quantitatem palmarem, & vlnarem: & ad has reuocari possunt relationes distantię, & propinquitatis, tum secundum locum, tum secundum tempus. Vnde colliges inter easdem duas res posse esse relationē diuersitatis, & identitatis inadæquatę: si nimirum inter se comparatę conueniant in aliquibus prędicatis essentialibus, & in aliquibus disconueniant. Ita euenit si comparemus hominem, & equum.

11 Noto secundò, ad secundum genus relationis fundatæ in actione, & passione reduxisse Aristotelem relationes inter agens, & patiens, non solùm in actu, sed etiam in potentia: nec solùm calefaciens referri docet ad calefactum; sed calefactiuum ad calefactibile. Secundo relationes inter causam non solùm actu causantem, sed etiam causaturam, & effectum tum causatum, tū causandum: quinimò inter causam, quę iam causauerit, & effectum iam ante causatum.

12 Noto tertiò ad tertium genus communiter reuocare Doctores relationes mensurabilis ad mensuram. Illud dicitur mensurabile, cuius perfectio essentialis desumitur ab alio, dependenter à quo dignoscitur quanta sit: sic potentię mensurantur per actus, & actus per obiecta: quia potentiæ perfectio ab actibus, horum ab obiectis desumitur, & dignoscitur: quo enim est perfectius obiectū, eò, ceteris paribus, perfectior est actus, & quò magis crescit perfectio actus, eò maior dignoscitur perfectio potētiæ, à qua deriuatur. Mensura autem est id, ex quo dignoscitur alterius perfectio. Aliter rem explicat Suarius à *sect. 13. à n. 1.*

SECTIO TERTIA.

Explico rationes fundandi dictorum trium generum relationis.

1 POssumus de his relationibus loqui, primò pro vt sunt verę, & propriæ relationes secundum esse, quatenus videlicet sunt formæ quędam, quæ si existant, essentialiter trahant secum existentiam vtriusque extremi. Secundo quatenus sunt relationes secundū dici; formæ videlicet, quę ita afficiunt subiectū, vt hoc ex vi illarū nequeat intelligi, quin cognoscatur aliud; licet possit esse sine illo; nomine rationis fundādi intelligimus illud, quo posito statim, ac indispēsabiliter intelligitur consurgere relatio. His positis.

9 Dico

Relationū idētitatis, & diuersitatis secundum dici proximum fundamentum sunt prædicata essentialia extremorū: at secundū esse: eorumdem prædicatorum coexistentia.

2 Dico primò: rationem fundandi relationem identitatis, & diuersitatis secundum dici sunt prædicata essentialia rerum, quæ per illas relationes referuntur. Probatur: nam binarium prędicatorum Petri, & Pauli est tale, vt eo intellecto non possit intelligi Petrus v. g. quin intelligatur Paulus, & quin intelligantur conuenire. Idem dico de relatione diuersitatis inter hominem, & equum: ergo dictum binarium est fundamentum proximum relationis identitatis, & diuersitatis secundum dici. Non est autem fundamentum proximum earumdem relationū secundū esse: non enim illicò vt intelligitur esse illud binarium, intelligitur necessitas, vt simul sit vnum extremum cum alio, & vt nequeat esse sine illo: ergo non intelligitur proximum fundamentum relationis secūdum esse: proximum enim fundamentū relationis secundum esse est vel talis necessitas, vel est ab illa inseparabiles.

3 Quare proximum fundamentum relationis identitatis, & diuersitatis secundum esse, est coexistentia prædicatorum Petri, & Pauli in relatione identitatis; & in relatione diuersitatis coexistentia prædicatorum essentialium hominis, & equi. Probatur: quia talis coexistentia necessariò facit, vt Petrus nō possit esse sine Paulo, cum quo conuenit in prædicatis essentialibus, & homo sine equo, à quo discrepat secundum prædicata essentialia. Præterea præcisa illa coexistentia non habetur forma, ex vi cuius Petrus non possit esse sine Paulo, neque homo sine equo: ergo dicta coexistentia est proximum illarum relationum fundamentum.

Proximū fundamentū relationis similitudinis, & dissimilitudinis secundū dici est duplex vnio duarū qualitatū ad duo subiecta.

4 Dico secundò: fundamentum proximum relationis similitudinis secūdum dici est duplex vnio qualitatis eiusdem rationis ad duplex subiectum: dissimilitudinis autem duplex vnio duplicis qualitatis diuersæ rationis ad subiectum duplex. Probatur: quia posita illa duplici vnione vnum simile non potest intelligi sine alio; illa enim duplex vnio necessario trahit cognitionem duplicis albi, v. g. & si intelligatur paries A, cum duplici illa vnione, necessariò debet intelligi paries alter B. v. g. ergo duplex illa vnio verè fundat relationem secundum dici inter duo alba, seu similia. Eadem est ratio de dissimilibus.

5 Dices primò: cur non dicimus rationem fundandi hanc relationem secundum dici esse duplicem albedinem v. g. Respondeo, quia duplex illa albedo non necessariò trahit cognitionem duplicis albi: non enim est fundamentum necessariò trahens vtrūque album: albedo enim præcisa vnione non constituit album.

6 Sciendum autem est ad vberiorem doctrinam, relationem similitudinis, & dissimilitudinis esse propriè inter duo qualia, v. g. inter duo alba, vel inter album, & nigrum: quia per Aristotelem similia sunt, quorum qualitas est eadem: ea autem, quorum qualitas est eadem, sunt ipsa qualia, non qualitates: quare inter qualitates potius intercedit relatio identitatis, & diuersitatis, de qua supra diximus, præterea relatio similitudinis non solum est inter subiecta qualitatū, v. g. inter parietem A, & parietem B. qui sunt albi; sed etiam inter album A, constitutum ex pariete, A, vnione A, & albedine, A, & albū, B. constitutū ex pariete, B. vnione, B. albedine, B, & duplex illa vnio non solùm cognita facit ne vnus paries sine alio, sed etiam ne vnum album sine alio, & vna albedo sine alia cognosci possit. Quare etiam fundat relationem secundum dici inter ipsas albedines, verùm inter has non fundat, nisi relationem identitatis.

7 Dices secundò: cur non dicimus rationē fundandi esse albedines vnitas? Respondeo, quia solæ vniones sufficiunt fundare relationem illam, vt patet ex dictis: quare albedines illæ potiùs se habent, vt extrema relata; quando autem dicitur, quòd fundamentum harum relationum sit vnitas, & numerus, vel non est sermo de fundamento proximo, & rigoroso; vel nomine vnitatis, & numeri, venit illud, quo posito intelligitur vnitas, & numerus, qualis est dicta vnio in casu nostro: ea enim intellecta illicò intelliguntur duo qualia similia, & dissimilia.

Proximum fundamētū dictarū relationum secundum esse est earū vnionū coexistētia.

8 Hinc deduco: relationem similitudinis, & dissimilitudinis secundum esse, proximè fundari in coexistentia illius duplicis vnionis. Probatur: posita illa coexistentia, vnum album nō potest esse sine alio: ergo illa fundat proximè relationem secundum esse inter vnum, & aliud albū. Et sanè absolutè vnum albū potest esse sine alio, etiam si ambo sint: si nimirùm, vt euenire potest, existant in diuerso tempore. Eadem est ratio de partibus componentibus illa alba; non solùm enim possunt esse vnus paries, & vna albedo, sine alio pariete, & albedine; sed etiam vna vnio sine alia: quin etiam si parietes coexistant, nō est necesse, vt vnū albū non sit sine alio; & eadem est ratio, si coexistant albedines: quia possunt coexistere sine vnione, qua præcisa non habetur album: ergo coexistētia duplicis parietis, vel duplicis albedinis non est fundamentum proximum relationis inter duo alba: relationis in quam secundum esse. At coexistentia duplicis vnionis necessariò trahit secum existentiam vtriusque albi: ergo ea posita vnum album nequit esse sine alio: ergo verè fundat relationem secūdum esse inter duo albo. Hinc,

9 Dico tertiò: fundamentum relationis æqualitatis, vel inæqualitatis, relationis, inquam, secundum dici, esse duplicem extensionē eiusdem, vel diuersæ rationis; relationis autem secundum esse, coexistentiam duplicis illius extensionis: quia illa duplex extensio facit vt vnū æquale, aut inæquale nequeat intelligi sine alio: coexistentia autem, ne vnum sit sine alio. Suppono hic extensiones, seu vbicationes esse modos essentialiter addictos subiectis. Quare nulla hic est necessitas recurrendi ad vniones, ad quas tamen recurrendum est in contraria suppositione. Noto hic proportionaliter ad dicta, æqualia non esse ipsas extensiones, sed extensa:

qua-

quare inter extensiones est potius relatio identitatis, & diuersitatis.

Proximum fundamentū relationis, actionis & passionis est ipsa actio, et passio. 10 Dico quartò: rationem fundandi relationem tum secundum dici, tum secundum esse inter causam, & effectum, inter agens, & passū: esse influxum, seu actionem, & passionem; quia ea intellectā necessariò debent intelligi agens, & passum, causa, & effectus; & ea existente necessariò simul existunt agens, & passum, causa, & effectus; ergo ea posita nequit agens, & causa intelligi, aut esse sine passo, & effectu. Et quidem si influxus ille est præsens; facit, vt agēs, & causa actu nequeat esse sine passo, & effectu; sin præteritus; ne tunc potuerit: sin futurus; ne sit eo modo futurum agens, & causa sine effectu. Suppono autem cum probabiliori opinione, quā sequar in physicis, influxum illum esse regulariter ab extremis distinctum.

Proximum fundamētū relationis mensuræ & mensurabilis. 11 Demum relationis tertij generis fundamentum proximum est, prædicatum quoddam intrinsecum mensurabili, cuius perfectio taxatur, ac determinatur à perfectione mensuræ: intellecto enim illo prædicato, est necessitas, vt qui intelligit mensurabile, cognoscat etiam ipsam mensuram: quod si mensura sit mensura à priori respectu mensurabilis, ipsum prædicatum existens, vel actio, quā dependet à mensura, est fundamentum proximum relationis secundū esse ad ipsam mensuram.

12 Hinc patet: fundamentum relationis mutuæ secundum dici inter seruum, & dominum, si seruitus, & dominium sit forma aliqua indiuisibilis, esse formam illam indiuisibilem; si duplex, esse duas illas formas: quia, intellecta illa vnica, vel duplici forma, nequit intelligi hic homo sine illo; neque è contra ille sine hoc, & cum subiectione, ac superioritate: relationis autem secundum esse fundamentum erit, vel existentia illius vnicæ formæ: quia ea posita necessariò existit dominus, & seruus: vel ob similem rationem, illius duplicis formæ coexistentia: vt quiuis colligere potest ex dictis.

14 Demum relatio prioris, & posterioris non est propriè relatio secundum esse; loquor autem de prioritate, & posterioritate temporis: quia prius, vt prius, non connectitur cum esse posterioris, imò vt talia essentialiter repugnant illa simul esse. Tantùm igitur inter illa est relatio secundum dici: quia prius, vt prius non potest cognosci sine posteriori; nec è contra posterius siue priori: hæc autem prioritas, & posterioritas necessariò dicit duas durationes essēntialiter incompossibiles, & distinctas regulariter ab extremis, quæ dicuntur priora, & posteriora.

SECTIO QVARTA.

Explicatur diuersitas inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem.

1 VLtima, & celeberrima omnium est diuisio, qua relatio diuiditur in transcendentalem, & prædicamentalem; quam diuisionem sic breuiter explico cum non paucis, quos secutus videtur author summæ triumphantis philosophiæ: relatio transcendentalis est, quæ imbibitur intrinsecè, & identificatur essentialiter cum re relata; ideoque dicitur transcendentalis; quia relatio transcendit, & inuoluitur in essentia subiecti relati: prædicamentalis accidit subiecto, neque de illo sub aliquo conceptu eidem intrinseco essentialiter dicitur. *Relatio transcēdentalis à lia prædicamentalis.* Probatur: relatio prædicamentalis, vt prædicamentalis necessario debet spectare ad hoc quartum prædicamentum: aliter non est, cur dicatur prædicamentalis: sed ad hoc quartum prædicamentum non spectat relatio, quę sit de essentia subiecti relati: cum enim hoc prædicamentum sit vnum ex nouem accidentibus, non potest esse essentiale subiecto, respectu cuius est accidens; ergo relatio, vt prædicamentalis, non potest esse prædicatum essentiale subiecto. Confirmatur; quia nulla est relatio transcendentalis, quæ non includatur intrinsecè in conceptu rei relatæ; sicuti nulla est prædicamentalis, quæ includatur intrinsecè in conceptu rei prædicamentaliter relatæ: ergo ex isto capite non est, cur benè non distinguantur hæ relationes.

2 Dices actio productiua accidit agenti, & tamē refert illud transcendētaliter ad effectum: non enim est relatio prædicamentalis. Respondeo: vel actionem non esse relationem agentis ad effectum; vel esse relationem prædicamentalem causæ ad effectum, sicuti est ordo, & relatio transcendentalis sui ad causam, & effectum. Neque absurdum putari debet, quod eadem relatio sit prædicamentalis respectu vnius, & transcendentalis respectu alterius; sicuti non est absurdum, quod est vni essentiale, accidere alteri: neque obstat, quod actio constituat prędicamentum diuersum à relatione; quia ad constituenda diuersa prædicamenta, satis est distinctio formalis, & ex parte actus, quæ inuenitur inter actionem, & relationem; non solum, quia datur aliqua relatio, quæ non sit actio, sed etiam quia in ipsa actione conceptus actionis, & relationis formaliter distinguitur: nam, vt actio, est formale exercitium operandi, quo agens dat esse alteri: vt relatio verò, est forma, ex qua agens nequit intelligi, aut esse sine effectu: simili distinctione distinguitur actio à passione, & si constituant diuersa prędicamenta. Et quamuis hic secundus conceptus intrinsecè identificetur cum primo; nemo negabit illos esse inter se formaliter diuersos. Verum quidem est quod assumunt nonnulli; videlicet modum tribuere subiecto eamdem denominationem, quam ipse participat; sed non debet illam eodem modo tribuere: vbicatio enim hæc essentialiter vbificat seipsam, accidentaliter subiectum: vnde quamuis actio essentialiter, ac transcendentaliter referat seipsam ad agens, & effectum; poterit prædicamentaliter, & accidentaliter, referre agens ad effectum.

3 Dices secundo: omnis quantitas est prædicamentalis: ergo, & omnis relatio. Nego cō-

sequen-

ſcquentiam: quia nulla eſt occeſſitas quantitatis non prædicamentalis; vt ſupponimua cum aduerſario: at eſt neceſſitaa, vt præter relationem prædicamentalem admittatur tranſcendentalis; tum ex communi ſenſu; tum quia alias, cum omne ens ſit relatio aliqua, prædicamentum relationis includeret ſub ſe omne ens, & reliqua prædicamenta: quod nemo dixerit. Neque omnia relatio ſimilitudinis, vt vult Lynceus, eſt predicamentalis: tum quia ſimilitudo intentionalis, nempè cognitio, non eſt relatio prædicamentalia ſui ad obiectum; tum quia, vt docet Giattinus, ſimilitudo, & diſſimilitudo creaturarum ad Deum, eſt relatio traoſcendentalis creaturarum ad Deum.

4 Dices tertiò: hęc diuerſitas relationis tranſcendentalis, & prædicamentalis, non militat in eorum ſententia, qui docent relationem prædicamentalem eſſe formalitatem adæquatè intrinſecam fundamento. Nego aſſumptum: nā in hac ſententia, licet illa formalitas non poſſit perſeuerante fundamento deficere ſecundum ſuā entitatem; poteſt tamen deficere formaliter, & conceptibiliter, ſi deficiat terminus. At relatio tranſcendentalis, ne ſecundum formalitatem quidē, deficere poteſt perſeuerante fundamēto.

Vtraque relatio alia ſecundum dici, alia ſecundum eſſe.

5 Ex his colligo relationes tum tranſcendentales, tum accidentales, eſſe in duplici differentia. Aliæ enim ſunt relationes ſecundum eſſe, & propriæ, alię ſecundum dici, & valdè impropriæ: nam aliquæ formæ relatiuæ ſunt ita eſſentiales ſubiecto; vt ſi exiſtant, neceſſario cōnectant eſſe ſubiecti cum eſſe alterius rei, & hæ ſunt propriè relatiuę: quia ex vi illarum ſubiectum non eſt abſolutum ab omni alio; ſed verè connectitur cum eſſe alterius: talis eſt relatio, qua actio concipitur referri ad agens, & terminum. Aliæ verò ita afficiunt ſubiectum, vt non connectant eſſe ſubiecti cum eſſe alterius rei; ſed ſolùm præſtent, vt non poſſit cognoſci hæc res, quin cognoſcatur alia; quod eſt potius connectere cognitiones: talis eſt relatio, qua cognitio refertur ad obiectū, quæ ex genere ſuo nō neceſſariò trahit exiſtētiā obiecti, licet propter illam non poſſit cognoſci, quin cognoſcatur obiectum. Et huiuſmodi relationes non ſunt formę abſolutè relatiuę; ſed cum addito diminuente, ſecundum dici. huiuſmodi relationē agnoſcunt multi Theologi cum Perea in diuina omnipotētia, & ſcientia, ad creaturas poſſibiles, & ſcitas.

6 Eodem modo dupliciter poteſt aliqua forma relatiua accidere ſubiecto, primò ita vt poſita neceſſariò trahat, vel ſupponat exiſtentiā alterius, cum quo connectat ſubiectum, & huiuſmodi eſt verè, & propriè relatio ſecundum eſſe, eiuſque ſubiectum propriè relatiuum: talis eſt influxus diſtinctus à principio, qui neceſſariò connectit illud cum termino. Secundò ita vt illa forma ſolùm præſtet, ne ſubiectum poſſit cognoſci ſine alio: & huiuſmodi non eſt propriè relatio, niſi cum addito, & ſecundum dici, & ſubiectum illius non niſi valdè impropriè dicitur ens relatiuum. Talis eſt aliqua cognitio reſpectu cognoſcentis.

Prædicamentū relationis cōſtituitur per accidentales ſecundum eſſe.

7 Ex his autem relationibus rigoroſè ſpectant ad hoc prædicamentum relationes accidētales propriè dictæ, & ſecundum eſſe, ſi ſpectemua mentem Ariſtotelis: tum quia non eſt putandum Ariſtotelem poſuiſſe hic formaa, quæ ſunt potiùs abſolutę, quàm relatiuæ: tum quia reiecit definitionem antiquorum traditam per verbum dici, & ſuam tradidit per verbum, habere, ſeu eſſe ad aliud. Quare diuiſio hęc in relationem prædicamentalem, & tranſcendentalē, vel eſt relationis rigoroſè ſūptę, & ſecundū eſſe, vel nomine prædicamētalis non venit tantū prędicamentalia formaliter, & rigoroſè; ſed tum ea, quæ eſt formaliter talis; tum ea, quæ reductiuè tantùm eſt talis; quatenus vtraque continetur ſub illo genere relationis accidentalis ſubiecto.

Reijciūtur aliorū ſentētiæ de relatione prædicamētali, & trāſcendētali.

8 Hinc reijcio illos, qui docent: relationē tranſcendentalem non exigere exiſtentiam termini, ſicuti eſſentialiter exigit prædicamentalis. Reijcio, inquam; quia multi putant, quamuis mihi non placeant, prędicamentalea non exigere exiſtentiam termini. Rurſus multæ tranſcendentalea exigunt exiſtentiam termini: vnio enim eſt relatio tranſcendentalis ſui, ſicuti actio, ad terminum vnitum, & productum; & tamen vtraque exigit exiſtentiam termini. Ad hanc, reduci poteſt ſententia Patris Quiroa, docentis: prædicamentalem vel ſupponere cognita extrema, vt exiſtentia, vel illa inuoluere, vt ſui conſtitutiua. Sed contra; quia ex vno capite hoc predicatum non poteſt colligi, vt eſſentiale relationi ex definitione Ariſtotelis: eo enim pręciſo, adhuę intelligitur, quomodo relatiua ſint, quorum totū eſſe eſt ad aliud ſe habere, ex alio verò ſufficiēter diſtinguitur prædicamentalis à tranſcendentali iuxta ſupra dicta, idque ad mentem Ariſtotelis. Legatur tamen Quiros *diſp. 27. ſectio 3.*

9 Secundò reijcio illos, qui dicunt relationem prædicamentalem reſpicere terminum vt purum terminū; quia videlicet non dat termino aliam denominationem, niſi purè reſpecti, & terminantis ordinem; neque ſubiecto aliā, quàm purè relati: at tranſcendentalia dat termino, & fundamento alias denominationes: nam vnio e. g. non ſolùm denominat extrema ſe mutuò reſpicientia; ſed etiam vnita, & actio dat etiam denominationem agentis, & producti, & in hoc ſenſo intelligunt, quod communiter dicitur: relationem tranſcendentalē vagari per omnia genera: quia nimirùm non ſolum tribuit denominationem relati, ſed etiam alias.

10 Reijcio, inquam: quia quando dicis, relationem prędicamentalem eſſe purum reſpectum, & non dare termino, niſi puram denominationem termini; vel loqueris de relatione prædicamentali, quatenus formaliter eſt relatio? Et in hoc ſenſu etiam tranſcendentalis non tribuit termino niſi puram denominationem termini, neque eſt niſi purus reſpectus: vel loqueris de predicamentali entitatiuè ſumpta, ita vt repugnet entitati relationis aliud prædicatum, & hoc gratis aſſumitur: ſicuti enim actio prędicamentalis non excludit à ſua entitate alia

præ-

prædicata spectantia ad diuersa prædicamenta; ita neque relatio prædicamentalis essentialiter excludit à sua entitate prædicata alia. Et sanè quomodo id defendere possunt, qui relationem prædicamentalem identificant cum absoluta entitate extremorum, vel cum illorum coexistētia.

11 Dices, relatio transcendentalis, vt relatio, est respectus: vt transcendentalis, non excludit alia prædicata. At prædicamentalis, vt relatio, dicit respectum, vt prædicamentalis, excludit omnia alia prædicata aliorum prædicamentorum. Sed contra; quia sufficienter ex vno capite saluatur essentia relationis transcendentalis; si supra prædicatum ordinis addat illud prædicatum, quod sit de essentia subiecti: ex alio verò gratis dicitur, quod ly prædicamentalis addat supra respectum, exclusionem omnis alterius prædicati, & prædicamenti. Et sanè in sententia illorum, qui admittunt coexistentiam esse relationem prædicamentalem, materia, forma, & vnio simul sumpta, sunt relatio; & tamen spectant ad prædicamentum substantiæ: vel si includas durationem, ad prædicamentum quando. Præterea, supra iam probauimus, relationem vt prædicamentalem non debere excludere omne aliud prædicatum alterius prædicamenti; quare non debet esse purus respectus per non inclusionem, seu exclusionem realem, sed præcisiuam: hæc autem præcisio inuenitur in qualibet etiam transcendentali.

12 Hinc patet, relationem dici transcendentalem, non quia transcendat per omnia genera, vt intendit aduersarius; nam vel hoc verificatur de qualibet relatione transcendentali in particulari, & hoc est apertè falsum; relatio enim transcendentalis actionis ad terminum non transcendit omnia genera: vel quia relatio transcendentalis in communi transcendit omnia genera; quia videlicet in quolibet genere inuenitur aliqua relatio; & contra hoc facit, quia sensus est, quodlibet genus identificari sibi aliquem ordinem ad aliquem terminum; & hæc explicatio coincidit cum nostra; quia si quæram ab aduersario, cur relatio actionis ad terminum est transcendentalis? respondebit, quia identificatur cum termino relato, seu cum actione: ergo relatio propriè est transcendentalis; quia identificatur cum termino relato.

13 Tertiò, reijcio illos, qui docent relationes transcendentales esse actiuas: vnio enim est relatio transcendentalis sui ad extrema; nec ideò potest aliquid agere. Quartò, reijcio, qui docent transcendentales per se produci, secùs prædicamentales, quæ resultant: quia prædicamentalis creata est saltem ordo sui transcendentalia ad Deum, vt infra videbimus: ergo vel non omnis transcendentalis per se producitur; vel omnis prædicamentalis per se producitur. Confirmatur, quia vel prædicamentales sunt entia creata ab alijs distincta, vel alijs identificata: si primum, non est cur non terminent per se actionem: aliter enim quis non poterit dicere accidentia non per se terminare actionem; sed resultare ex substantijs, ideoque hoc ipsum, quod est resultare non conuenire tantum relationi: si secundum, sicut illa, cum quibus identificantur, terminant per se actionem; ita & ipsæ relationes: nisi velis huiusmodi relationes realiter non dari, quod est contra communem sensum. Dum autem communiter dicitur, quòd ad relationes non datur motus per se; solùm sensus est, quòd per se non intendantur á natura seorsim á fundamento, & termino; quod extendi potest etiam ad transcendentales.

14 Quintò demum reijcio Lynceum, qui putat relationem transcendentalem addere aliquod intrinsecum termino relato, non autem prædicamentalem. Sed contra primò: qui admittunt modos, vtique docent, relationes prædicamentales addere aliquid intrinsecum termino relato. Secundò: relatio filiationis per Lynceum est prædicamentalis, & tamen addit aliquod intrinsecum filio, quem refert; dicit enim per hunc authorem tanquam partem intrinsecā ipsam actionem, & rationem fundandi, quæ est intrinseca filio. Tertiò, actio est relatio transcendentalis sui ad terminum; nec tamen addit sibi aliquid intrinsecum.

15 Ex dictis colligo, rationem fundandi relationes transcendentales identificari cum fundamento relato, & cum ipsa relatione.

SECTIO QVINTA.

Quomodo existentia relationis connectatur cum existentia rationis fundandi, & extremorum.

1 SEnsus præsentis quæstionis est, vtrum possit existere relatio sine ratione fundandi, termino, & fundamento: sunt enim, qui cum Giattino putant, posse relationem existere realiter sine ratione fundandi: alij cum Conzagues afferunt, eam posse existere sine termino. Ac demum nonnullus forsasse audebit cū Lynceo affirmare, eam posse existere sine fundamē- to seu termino relato. Ego in hac opinionum varietate.

Dico primò; nullam relationem posse existere, quin existat ratio fundandi: & quidem de relationibus transcendentalibus res est aperta ex supradictis: quia huiusmodi relationes, si dantur, vidimus identificari cum fundamento, & ratione fundandi; quæ non potest in illis esse quid diuersum à fundamento: de alijs autem relationibus. *Nulla relatio potest sine ratione fundandi existere.*

2 Probatur vniuersaliter conclusio; nunc v. g. inter ignem A, & ignem B, non est relatio causæ, & effectus, quæ potuisset esse; quæro ergo, quid impedit existentiam huius relationis? non defectus termini, & fundamenti, quæ iam existunt: neque possibilitatis rationis fundandi; quia hæc etiam habetur: ergo impeditur relatio ex defectu existentiæ rationis fundandi; ergo relatio, vt existat, necessariò requirit existentiam rationis fundandi. Et ratio est, quia fundamen-

tum proximom; seu ratio fundandi est id, ex quo necessariò intelligitur resultare relatio: ergo ea posita necessariò sequitur relatio, & ea deficiente deficit.

4 Dices sufficere rationem fundandi præteritam: Sed contra; quia in ordine ad præsens instans, in quo non existit, eodem modo se habet ratio fundandi preterita, ac futura, seu etiam merè possibilis: nam in ordine ad tempus præsens eodem modo noo est relatio futura, & possibilis, quo non est preterita.

5 Respondebis rationem fundandi præteritã, cum fuit præsens, causasse relationem, quæ postea transacta illa ratione fundandi conseruatur à Deo, que ratio non militat pro ratione fundandi possibili, vel futura. Sed contra: non potest effectus, qui necessariò dependet ab aliqua causa, vel conditione, vt producatur, conseruari, nisi vel dependeotet ab eadem causa & conditione; vel ab alia supplente vicem illius: sic qoia ignis, B, cum primò producitur dependet ab igne, A, tanquam à causa; & ab eius approximatione tanquam à conditione, non potest destructo igne, A, conseruari, nisi vel alius ignis approximatus, vel Deus suppleat vicem ignis, A, & approximationis eiusdem; ergo non potest conseruari relatio deficiente ratione fundandi, nisi alia loco illius subrogetur. Et ratio est: quia non potest dari actu relatio, nisi actu sit ratio, cur illa actu detur; neque deficiente omni ratione fundandi est, cur Deus conseruet illam relationem. Si enim conseruat, qoia vult, iam illa volitio est ratio, & proximum fundameotum illius conseruationis.

6 Coofirmatur: Pater, & causa pro instantibus sequentibus ad primam productionem non caosant, neque communicant esse filio: ergo non eodem modo connectuntur cum effectu pro primo, ac pro sequentibus instantibus: ergo non eodem modo referentur: ergo si in primo instanti habetor relatio, noo debet hæc perseuerare in reliquis. Et hæc quoad connexionem relationis cum fundamento proximo, quoad connexionem autem cum fundamenti remoti, & termini existentia.

Relatio prædicamẽtalis necessariò connectitur cum existentia fundamẽti, & termini

7 Dico secundò, relatio prædicamentalis necessariò connectitur cum existentia fundamẽti, & termini: est communis, paucis exceptis, opinio: & probatur: ex dictis relatio realis, & secundum esse, est necessariò connexa cum existentia vtriusque extremi: sed relatio prædicamentalis, quam Aristoteles posuit in hoc prædicamento, vt vidimus, est propriè, & rigorosa relatio secundum esse: ergo relatio prædicamentalis essentialiter requirit existentiam vtriusque extremi. Maior probatur: quia per hoc differt relatio secundum esse, & rigorosè sumpta à relatione impropriè dicta, & secundum dici; qood relatio propria, & secundum esse connectat rerum existentias: at relatio impropria, & secundum dici tantùm, quamuis sit forma alioqoi realis; non tamen nectat realiter esse vtriusque extremi; sed solùm intentionaliter; hoc est cognitionem vnius cum cognitione alterius, vt dicebam.

8 Hinc patet: conceptum genericum relationis realis præscindentis á perfecta, & imperfecta, esse, quòd sit forma, ex vi cuios vnom non potest cognosci sine alio. Sub hoc autem conceptu contineri duas species: aliam relationis realis secundum dici, quæ solùm connectit extrema secundum esse intentionale, quod est esse secundum quid, & diminutum: aliam relationis secundum esse, quæ connectit etiam esse, & existentias extremorum.

Relatio secundũ dici nõ cõnectitur essẽtialiter cũ existentia extremorum.

9 Dico tertiò: relationes, licet reales, sed secundum dici, non connectuntur essentialiter cum existentia termini, & fundamenti: ita videlicet, vt quantum est ex vi huius prædicati relationis, videlicet secundum dici, non requirat essentialiter illorum existentiam, & possit existere non solùm deficiente alterutro, sed etiã vtroque. Probatur, quia vt existat relatio secundum dici; sufficit, si existat aliquod prædicatum, quod cognitum ducat in cognitionem duorum extremorum, ita videlicet, vt si cognoscatur vnum, vt affectum aliqua ratione tali prædicato, debeat cognosci & aliud: per hoc enim talis forma connectit, secundum esse intentionale, illa duo extrema: sed tale prædicatum non requirit essentialiter existentiam alterutrius, vel vtriusque extremi, vt patet consideranti.

10 Coofirmatur per eos, qui admittunt connexionem Dei cum possibilitate creaturę; omnipotentia cognita est medium ex qoo possint cognosci prædicata possibilia Petri: ergo verè est relatio secundum dici ad illa prædicata, nec tamen requirit existentiam illorum. Idem euenit in scientia Dei futurorum conditionatorum, & in similibus. Quin imò poterit hoc modo relatio secundum dici terminari ad aliquod impossibile: si enim quis amat obiectum impossibile non potest cognosci ille amor, & amans, quin cognoscatur obiectum impossibile.

11 Ex quibus patet, si similitudo vnius albedinis cum alia, vt probabilius putant nonnulli, est adęquatè intrinseca alteri albedini, existente tantùm illa albedine, existere quidẽ similitudinem illius ad aliam albedinem; sed eam noo esse relationem prædicamentalem, & secundum esse ad albedinem non existentem, sed secundum dici. Io quo sensu filius dicitur in scripturis similis patri mortuo. Esse enim simile alteri non est referri ad illum secundum esse; sed habere figuram, & accidentia talia, que referant aliquo modo speciem illius, & valeant eius memoriam excitare. Ob similem rationem dicimur filij Adam, non qoia dicamus ad illum aliquam relationem secundum esse; sed quia nostrum esse præsens per multas generationes deriuatum est ab esse Adami; neque potest cognosci perfectè hoc nostrum esse cum adæqoata dependentia ab omnibus suis causis tum mediatis, tum immediatis, nisi cognoscatur illud esse Adami. Fideles autem dicuntur filij Abraham; quia imitantur eius fidem, & bene potest in illis cognosci

gnosci imago quędam expressiua sanctitatis Abrahami. Idem dico de relationibus prioris, & posterioris secundum tempus, & similibus, quæ possent occurrere, & afferri ad impugnandam secundam conclusionem.

12 Objicies tamen contra tertiam, non potest existere realiter actio sine causa, & effectu: ergo neque relatio sine extremis. Confirmatur: quia non minùs relatio est actuale exercitium referendi, quàm vnio vniendi, & actio producendi. Distinguo consequens: relatio secundum esse; concedo. Secundum dici, nego. Ratio disparitatis inter actionem, & vnionem ex vna parte, ac relationem secundum dici ex alia, est: quia actio est actualis influxus, quo agens communicat esse effectui: hic autem actualis influxus necessariò supponit esse in agente: nam per illum agens dat esse alteri: ergo supponitur habere esse: nemo enim dat, quod non habet: rursus ille influxus necessariò trahit existentiam effectus, cui actu datur esse. Similis ratio militat in vnione, qua posita necessariò existit totum permanens, de quo loquimur: totum autem nõ potest actu absolutè existere, nisi actu sint omnes eius partes. Hę rationes non militant in relatione secundum dici.

13 Vrgebis: relatio secundum dici non cõnectit actu per se existentias rerum; neque per se formaliter actu trahit cognitiones extremorum: ergo relatio secundum dici actu non refert: ergo non est relatio. Probo secundam partem antecedentis: quia non trahit cognitionem extremorum nisi cognoscatur: ergo non formaliter per se actu trahit cognitionem extremorum; sed per sui cognitionem. Respondeo: dici posse primò, quod relatio secundum dici formaliter completur per cognitionem illius prędicati, quod ex vi alicuius annexionis cognitum ducit in cognitionem alterius; ita vt relatio formaliter sita sit in dicta cognitione; prædicatum autem sit potius fundamentum relationis, & subiectum quod denominatur relatum. Secundò dici potest, quòd ipsum prædicatum sit relatio secundũ dici: quia licet actu realiter per se ipsum non trahat cognitionem vtriusque extremi; adhuc constituit vnum extremum impotens cognosci sine alio: quòd videtur sufficiens vt possit putari constituens vnum secundum dici relatum ad aliud: in quo sensu nego primam consequentiam.

14 Aduerto autem hic, non omnem relationem secundum dici esse mutuam: nam cognitio v.g. parietis non potest cognosci, quin cognoscatur paries, hic autem benè cognosci poterit secundum esse parietis, quin cognoscatur illa cognitio. Per accidens autem est, quòd paries vt cognitus referatur ad cognitionẽ, & ad principium cognoscitiuum, & vniuersaliter, quòd terminus, vt terminus, non possit cognosci sine fundamento, quod ad ipsum refertur: quia hoc non distrahit terminum à ratione puri termini, nec facit vt fit fundamentum alicuius specialis relationis, quod sufficit, vt dicamus non omnem relationem esse mutuam.

15 Aduerto secundò, relationem secundum dici actu existentem denominare subiectum actu relatum, non tamen trahere necessariò existentiam illius. Sicuti mea cognitio, qua cognosco alium mundum possibilem, denominat alium mundum possibilem actu cognitum; non tamen necesse est, actu esse alium mundum.

16 Aduerto tertiò (ne quæras inuidiam ex vocabulo) hanc sententiam non esse inauditam: nam absolutè illam defendit Lynceus, & cum limitationibus, & distinctionibus allatis nemo fortasse illam negabit.

17 Aduerto quartò, iuxta nostra principia malè inferri, quòd Christus possit absolutè dici similis Antichristo: quia absolutè Antichristus sumitur pro vt est futurus cum suis vitijs: potest tamen dici similis illi homini pro vt capaci virtutis, &c.

18 Quintò: ad has relationes secundum dici reuocari relationes totius ad partes, & partis ad totum: quia verè partes non sunt aliud à toto, sed concipiuntur, vt duo termini diuersi, & inter se comparantur.

19 Sextò demum scientia non est relatio sui ad obiectum vt intentionaliter existens: aliter referretur ad seipsam, per quam obiectum constituitur intentionaliter existens; sed ad obiectum ipsum, seu ad illius prędicata intrinseca, sine quibus nõ potest cognosci talis sciẽtia.

SECTIO SEXTA.

Vtrum in quolibet ente detur relatio transcendentalis.

1 CVm relationem transcendentalem dixerimus identificari fundamento relato; sensus præsentis quęstionis est: vtrum quodlibet ens identificet sibi aliquem respectum vel secũdum esse, vel secundum dici ad aliud ens? Quã quęstionem proponunt alij sub his terminis: vtrum quodlibet ens sit relatiuum. Maurus *qu. 53. logicæ*, licet subtimidè, & problematicè docet non dari relationes transcendentales identificatas cum quolibet prędicamento, ita vt reliqua nouem prædicamenta sint entia absoluta, in quo videtur secutus Pallauicinum, qui non semel docet omne prædicatum relatiuum debere resolui in aliquod absolutum; contraria tamẽ sententia videtur communior. Ego claritatis gratia mentem meam sequentibus conclusionibus declaro.

2 Dico igitur primò: Deus est absolutus ab omni relatione transcendentali reali, & secundum esse ad entia positiua sibi extrinseca. Probatur: quia Deus non necessariò connectitur cũ aliquo ente extra se: est enim sibi sufficiens, & nullius indigens: ergo non habet relationem trãscendentalem secundum esse ad aliquod ens extra ipsum existens. Consequentia probatur: quia relatio transcendentalis secundum esse est essentialis subiecto, & necessariò illud connectit cũ esse termini. *Deus non transcendẽtaliter secũ dum esse refertur ad creaturas.*

 3 Dices

3 Dices: Deus iuxta probabiliorem opinionem est necessariò, & essentialitèr connexus cum possibilitate creaturarum: ergo falsa conclusio. Nego consequentiam: quia vt probabo in loco, possibilitas creaturæ non est aliquod ens extra Deum: sed est ipsa diuina essentia.

Deus habet relationem transcendẽtalem secũdum dici ad creaturas.

4 Dico secundò: Deus dicit intrinsecè, & essentialiter relationem transcendentalem secũdum dici ad omnes creaturas possibiles. Probatur: quia, vt suppono, Deus est essentialiter connexus cum possibilitate creaturarũ: est enim omnium, & singularem rerũ creatarum potentia, & cognitio: ergo verè non potest perfectè cognosci, quin cognoscantur res aliæ tum omnes, tum singulæ: ergo dicit transcendentalem ordinem secundum dici ad illas.

Omne creatũ est transcendẽtaliter relatiuum secũdum esse.

5 Dico tertiò: omnia entia creata sunt transcendentaliter relatiua secundum esse. Probatur: omnia entia creata nequeunt existere, quin coexistant Deo, idque essentialiter exigunt ex suis intrinsecis: sicuti enim ex suis intrinsecis essentialiter sunt defectibilia, ita ex suis intrinsecis prædicatis exigunt ab alio dependere. Neque dicas, id exigere per exigentiam distinctam: contra enim est: quia vel per sua prædicata sibi intrinseca, & identificata sunt separabilia ab illa exigentia, vel non: si enim dicas præscindere: ergo iam, quantum est ex se, possunt coniungi cum separabilitate, & separari ab illa exigentia: aliter non præscindunt, sed sunt prorsus inseparabilia: si affirmas esse separabilia, iam possunt absolutè esse sine illa exigentia, & existere sine Deo: ergo non sunt ens essentialiter defectibile: si enim possunt existere sine Deo, & quocumque alio ente; iam possunt esse entia à se, & indefectibilia. Si dicas esse inseparabilia: ergo eorum esse essentialiter connectitur ex se cum illa exigentia, & consequenter cum Deo: ergo eorum esse secundum se est ordo ad Deum: eo enim modo, quo res nõ potest esse sine Deo, dicit ordinem ad illum.

Omnes creaturæ dicunt transcendentalem relationem secundũ dici ad alia entia creata.

6 Dico quartò: omnes creaturæ dicunt essentialiter ordinem aliquem transcendentalem secundum dici ad alia entia creata: hoc est identificant sibi aliquod prædicatum, quod cognosci clarè non potest, nisi cognoscantur aliæ creaturæ possibiles, vel in communi, vel etiam aliquæ in particulari. Probatur: qualibet creatura identificat sibi hoc prædicatum, vt possit coexistere cum alijs, esse ab illis distans, simul, vel propinqua, tum quo ad locum, tum quo ad tempus: quæ prædicata cognosci minimè possunt, quin cognoscantur aliæ creaturæ vel in communi, vel etiam in particulari.

7 Quod si dicas cum aliquibus, has denominationes esse partialiter extrinsecas; nam Petrus v. g. est potens coexistere Paulo, esse ab illo distans; simul, &c. per possibilitatem Petri, vbicationis, ac durationis eiusdem. Contra adhuc est: quia, vt vidimus conclusione antecedenti qualibet creatura ex suis intrinsecis est connexa cum diuina omnipotentia, quæ vel est ipsum possibilitas, vel connectitur essentialiter cum illa possibilitate: ergo ex suis intrinsecis est vel mediatè, vel immediatè cum possibilitate omnium rerum connexa; ergo dicit ex suis intrinsecis, relationem transcendentalem saltem mediatè, ad res omnes possibiles: quæ relatio, cum non sit secundum esse, erit proculdubio secundum dici; quod enim in se est ordo transcendentalis ad possibilitatem rerum, nequit secundum illud prædicatum concipi, nisi simul concipiantur res possibiles.

Non propterea rerũ prædicata sunt intrinsecè infinita.

8 Obijcies contra hanc vltimam conclusionem: ergo in qualibet re existente dantur infinita prædicata, & infinitæ relationes ad infinitas creaturas possibiles. Distinguo consequens: infinita realiter, nego: extrinsecè; subdistinguo; actu: nego: in potentia; concedo. Realiter, & intrinsecè vnus est ordo transcendentalis in qualibet creatura, quo connectitur cum Deo, & respicit mediatè, vel immediatè omnes alias creaturas possibiles; potest tamen hic ordo cognosci inadæquatè per plures, & plures cognitiones inadæquatas modo in ordine ad has, modo in ordine ad illas creaturas possibiles, in quo nullum est absurdum: solùm enim arguit, esse possibiles cognitiones inadæquatas plures, & plures sine fine, quod cum veritate conceditur. Cæterum ipse ordo secundum intrinseca est absolutè finitus tum secundum numerum, vt patet, tum secundum perfectionem: est enim adæquatissimè ipsa perfectio creaturæ cuiuscumque, quantumuis minimæ; & quamuis diuersus sit respectus, quo respiciuntur hæ omnes creaturæ possibiles ab illo, quo respicerentur aliæ pauciores, vel plures in alia suppositione impossibili, non ideò est perfectior: quia non est formaliter, nisi connexio cum Deo: neque multitudo terminorum auget perfectionem relationis, nisi augeat virtutem productiuam, quod non habet locum in casu nostro.

Neq; creaturã quamlibet esse incomprehensibilem.

9 Obijcies secundò: ex allata doctrina sequitur quamliber creaturam esse incomprehensibilem: ad talem enim comprehensionem necesse esset cognoscere omnes creaturas possibiles: relatio enim comprehendi nequit, nisi distinctè cognoscantur omnes illius termini. Nego sequelam: ad cuius probationem, nego iterum sequelam: ad rationem in contrarium, nego assumptum: vt enim comprehendatur relatio, sufficit si cognoscatur, quãtum cognoscibilis est, ea videlicet cognitione, quę sit omnium perfectissima inter illas, quæ naturaliter excitari possunt per species immissas ab eadem, vel alia illi similis, vt suppono ex materia de comprehensione; per hoc enim cognitio adæquat cognoscibilitatem veluti actiuam rei, non tamen terminatiuam. Huiusmodi autem cognitio non cognoscit nisi terminos, quos naturaliter exigit illa relatio, non quos vtcumque respicit: quia cognitio naturalis non debet extendi vltra limites naturales illius relationis: non omnia autem possibilia sunt termini naturaliter exacti ab illa relatione.

10 Obijcies tertiò: non potest explicari vtrum

Relatio transcendẽtalis determinatè, & simul respicit omnes suos terminos.

vtrum determinatè, vel indeterminatè relatio transcendentalis respiciat suos terminos: simul, an successiuè: ergo verè non datur huiusmodi relatio transcandentalis in creaturis. Respondeo relationem transcendentalem respicere determinatè ex parte sui omnes suos terminos, qui etiam sunt in se determinati: quia hæc relatio est aliquod ens determinatum, hoc,& nõ aliud; nullum enim datur ens reale indeterminatum: ergo est hæc determinata respicientia, & non illa: ergo determinatè respicit hos terminos,& non illos. Neque fingi potest, quòd modò respiciat hunc, modò illum terminum: aliter modò esset respicientia huius, modò illius termini; ac proindè modò esset hæc, modò illa respicientia, & relatio. Ob eamdem rationem simul respicit suos terminos: aliter intrinsecè variaretur. Non negauerim tamen posse aliquam potentiam exigere sub disiunctione plures terminos: quia potest esse talis exigentia, vt illi satisfiat per quemlibet ex terminis creatis: per hoc autem non fit, vt vel ipsa exigentia non sit determinata, vel ipsi termini non sint etiam determinati, sicuti actus, quo quis optat vel cibum, vel potum, tendit determinatè in cibum, & potum, neque est indifferens vt versetur circa cibum, vel circa potum, quamuis ei satisfiat per vtrumlibet illorum.

11 Obijcies quartò: relatio transcendentalis vel includit in suo conceptu terminum, vel non? Respondeo: non includere, sed illum connotare: neque enim visio includit albedinẽ, vt partem, sed illam connotat: vbi obiter aduerto relationes transcendentales dici posse quòd formaliter multiplicantur ad multiplicationem terminorum.

Explicatur Aristotelis & authorũ mens de relatione trã scendentali

12 Obijcies quintò: Aristoteles *cap. de relatiuis par. 2.* supponit substantias completas non esse relatiuas; & vt saluet partes substantię, v. g. caput, manus, pedes, &c. non esse relatiuas, mutat definitionem relatiuorum ab antiquis traditam: & quamuis cap. ad aliud hoc asseret cum aliquo dubio; tamen 14. *m. tex. 4.* absolutè asserit substantias, etiam partiales, non esse per se ipsas relatiuas: cum enim retulisset sententiam antiquorum docentium elementa, seu partes, ex quibus componitur substantia, esse magnum, & paruum; illos impugnat: quia elementa substantię non possunt esse posteriora substantia, & non substantiæ: sed magnum,& paruũ sunt posteriora substantia, & non-substantia: ergo non possunt esse elementa substantiæ: vnde concludit: *Nihil est magnum, aut paruum, vel omninò ad aliquid, quod non aliquid aliud existens ad aliquod sit.* Confirmatur ex S. Augustino *lib. 5. de Trinitate cap. 5. & lib. 7. cap. 1.* vbi ponit tanquam per se notum hoc axioma: *Omnis res, quæ relatiuè dicitur, est aliquid aliud, excepto relatiuo.* Idem docet S. Thomas *4. contgentes cap. 14. & 1. par. quæst. 80. art. 2. ad 2.* vbi asserit, quòd *Id, quod inuenitur in creaturis præter id, quod continetur sub significatione nominis relatiui, est alia res.*

13 Cuius rei ratio esse potest: quia omne esse relatiuum fundatur in esse absoluto: sicuti omne esse in alio proprium accidentis fundatur in aliquo esse per se, & substantiæ: sed si esse relatiuum identificaretur cum substantia, nõ fundaretur in alio esse absoluto: nam primum esse est esse substantiæ: ergo relatio non potest identificari cum substantia: ergo nulla substantia est per suam entitatem relatio. Confirmatur primò: quia esse ad, est debiliùs esse in; ergo si hoc ex sua debilitate fundatur in substantia realiter distincta, multò magis illud. Secundò, personæ, & relationes diuinæ fundantur in esse absoluto diuinæ naturæ, cum qua licet realiter, non tamen omnimodè identificantur. Tertiò, omnis relatio definitur cum additamento per ordinem ad terminum; at substantia debet definiri sine vllo additamento.

14 Hinc probatur, relationes non posse identificari cum alio vllo ex octo reliquis prædicamentis: primò: quia Aristoteles *cap. de quali*, cũ obiecisset sibi, quòd scientię,& quędam aliæ qualitates sint relatiuæ, conatur saluare, quod secundum se sint entia omninò absoluta. Secundò, Aristoteles, S. Thomas,& Auerroes docentes relationem esse debilissimæ entitatis; inferunt esse posteriorem reliquis omnibus prędicamentis. Tertiò, citati Authores cum plerisque alijs non distinguunt relationes transcendentales à prædicamentalibus, sed promiscuè cum Aristotele omnes respectus ponunt in prædicamento ad aliquid. Hæc Maurus, qui tamen nihil assertiuè concludit; cum ipsemet Aristoteles in hac re fuerit valdè dubius.

15 Sed ad authoritatem, dico, hos authores primò locutos esse de relationibus secundum esse: secundò de prædicamentalibus: quòd si non meminerunt in locis citatis de relationibus trãscẽdẽtalibus nõ est; quia illas nõ agnouerint; sed quia ipsorũ institutũ erat, agere de prædicamentis, ad quorum cognitionem non erat necessaria cognitio relationis transcendentalis, quæ, cum vagetur per omnia, non est necessariò cognoscẽda, vt possimus membra diuisionis explicare, & vnum ab alio distinguere.

16 Ad rationem autem dico, omne esse relatiuum propriè, & strictè sumptum, hoc est, secundum esse, fundari in aliquo esse absoluto ab omni relatione, secundum esse, ad alia extra se: omne enim esse creatum fundatur tanquam in prima radice in esse diuino, quod est absolutũ, vt vidimus, ab omni relatione secundum esse ad alia extra se. Falsum autem est, vt probant rationes, quas supra attulimus, omne esse relatiuũ fundari in aliquo esse absoluto secundo, seu substantia creata, quæ sit intrinsecè absoluta ab omni relatione, & constituatur relata per formam relatiuam superadditam. Et sanè non video quomodo hi authores possint explicare essentiã materiæ, & formæ, nisi per relationem vel ad totũ, vel inter se mutuam.

Quomodo relatiua resoluãtur in absoluta.

17 Non negauerim tamen: multos conceptus etiam in creatis primos admittendos esse,

qui

qui non sint formaliter, & explicitè relatiui, & in quos veluti in primas radices resoluuntur alij conceptus, siue demum hi conceptus sint termini relationum, siue fundamentum saltem logicũ prędicatorum relatiuorum. Ratio est, quia nisi deueniamus ad aliquos conceptus primos, nobis non relatiuos, abiremus in infinitum in explicationibus, nec possemus figere pedem: relatiua enim semper explicantur per aliud, ad quod dicunt ordinem, & per respectum ad quòd constituuntur in suo determinato esse: ergo si illud aliud est relatiuum formaliter, non potest explicari nisi per aliud, & sic in infinitum. Omnis igitur conceptus relatiuus est tandem resoluendus in aliquod absolutum explicabile independenter ab alio, vel saltem per se notum. Et sanè, vt id obiter addam, conceptus ipse creaturæ, quamuis, vt probauimus intrinsecè, & ex parte obiecti dicat ordinem ad Deum, tamen vltimo resoluitur in conceptum aliquem per se notum, & non formaliter relatiuum: nam formaliter creatura constituitur per esse defectibile, & defectibile est, quòd ita potest esse, vt possit nõ esse: qui conceptus, esse, & non esse, sunt formaliter absoluti, & per se noti, quamuis in illa ipsa defectibilitate, vt supra probauimus intrinsecè ex parte obiecti includatur ordo ad Deum. Et in hoc sensu admitto ex parte doctrinam, quam sępius inculcat Pallauicinus, quòd omnis relatio tandem resolui debet in aliquod absolutum.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum relatio prædicamentalis sit formalitas adæquatè intrinseca fundamento.

1 ABsolutis ijs, quæ ad essentiam relationis cognoscendã spectant, & probata existentia relationis transcendentalis, tum secundũ dici, tum secundum esse; transimus ad existentiam relationis prædicamentalis. Et quidem certum videtur dari relationes prædicamentales, denominationes, videlicet quasdam accidentales, conuenientes subiecto independenter à quocumque actu intellectus, quibus positis subiectũ non solùm non potest intelligi, sed nè esse quidem sine alio á se contradistincto: huiusmodi est denominatio producentis, accidentalis subiecto denominato, seu constituto, sed talis, vt ea posita, non solúm principium producens nõ possit intelligi sine termino producto, sed nec esse sine illo: idem euenit in denominatione coexistentis, per quam Petrus constituitur, v. g. coexistens Paulo.

2 Solùm igitur difficultas est, in quo sita sit physicè, & intrinsecè huiusmodi denominatio, & forma relatiua: in qua controuersia non vna est omnium mens, & primò quidem nonnulli, quibus præisse videtur Suarius, docent relationem, v. g. paternitatis, esse prædicatum aliquod, seu formalitatem adæquaté intrinsecam Patri, & illi identificatam, nec ab eo separabilem secundùm entitatem, non autem secundum formalitatem, conceptibilitatem, aut denominationem: quia videlicet entitas patris, vt denominetur relata, essentialiter exigit existentiam filij, qua deficiente non deficit entitas relationis, sed cessat denominare patrem; neque hic est ampliùs conceptibilis, vt relatus ad filium: sicuti neque potest absolutè dici pater.

3 Sed contra hunc dicendi modum sic insurgo. Forma potens denominare, existens; & identificata subiecto capaci denominationis debet denominare, & constituere subiectum tale: denominatio enim illa, & constitutio non est nisi forma potens denominare communicata subiecto capaci denominationis. aliter quis posset dicere, quòd lignum sit capax denominari homo, & habeat humanitatem sibi identificatã, & non sit homo; & quod oculus capax denominari videns, habeat sibi identificatam visionem, & non sit videns: sed Petrus est capax denominari pater Francisci, & omnium hominum, & illicò vt est, per aduersarios habet sibi identificatam simul paternitatem Francisci, & omniũ hominum: ergo Petrus illicò, vt est, erit, & denominabitur pater Francisci, & omnium hominum, quod est absurdum. *Relatio prædicamẽtalis non adæquatè idẽtificatur eum fundamento.*

4 Neque dicas in Petro existente esse quidem relationem secundum entitatem, non secũdum denominationem, formalitatem, aut conceptibilitatem; contra enim est: quia denominatio, formalitas, & conceptibilitas, quam negas, vel est intrinsecé, & constitutiuè aliquid diuersum á Petro, & ab entitate relationis; vel non? Si secundum, ergo habito Petro, habetur illa formalitas, conceptibilitas, & denominatio: si primum; præciso illo superaddito non habetur denominatio, formalitas, & conceptibilitas relationis secundum sua intrinseca: ergo denominatio illa, formalitas, & conceptibilitas est quid diuersum secundum sua intrinseca ab entitate Petri: hoc autem quid tandem est? Certè nisi id explicaueris, remanet insoluta quæstio. Rursus præciso illo superaddito, verè Petrus non est pater, & relatus: neque enim præciso illo superaddito connectitur cum filio, & veluti exit extra se ad aliud: ergo formaliter relatio cõsistit saltẽ partialiter in illo superaddito: neque entitas Petri est tota entitas sufficiens ad constituendam relationem formaliter sumptam, & secundum munus referendi. Illicò enim, vt habetur tota entitas, & realitas sufficiens ad cõstituendum aliquid, habetur illud constitutum: neque veró constitutum est quid diuersum ab illa entitate, & realitate sufficiente ad constitutionem ipsius. *Impugnantur aduersariorũ responsiones.*

6 Et quia vereor, ne tota quæstio resoluatur tandem in voces; aduerto, me nunc non multum curare, si aduersarij velint entitatem fundamenti appellare relationem entitatiuè sumptam; dummodò mihi concedant, illam entitatem non esse solam sufficientem ad constituendum fundamentum relatum: iam enim ad constituendum hunc effectum formalé requirunt aliquid aliud, quod formaliter pertinebit ad constituendam

rela-

relationem. Præterea si præciso illo super addito non habetur formalitas relationis, gratis omninò admittitur, quòd præciso illo superaddito, habeatur tota entitas relationis: neque enim vnquam poterunt aduersarij explicare, quomodo, præcisa formalitate relationis, remaneat tota entitas relationis, & quid dicat illa formalitas supra entitatem. Aliter ego dicam perseuerante tota entitate hominis non perseuerare eius formalitatem, & in morte hominis nihil entitatis illius deperdi, sed solam formalitatem.

6 Demum sic arguo: illa conceptibilitas, denominatio, formalitas, vel est quid reale independens ab intellectu, vel est aliquis actus intellectus, vel forma ficta? nullum ex his facilè explicari potest ab aduersario: nam si dicat secundum, & tertium; ergo pater fictitiè, vel per actum intellectus constituitur relatus formaliter ad filium. Si primum, quid tandem illud est?

7 Dices, relationem formaliter, conceptibilitèr, ac denominatiuè sumptam dicere etiam existentiam termini, & rationis fundandi. Sed contra: quia iam facis, ni fallor, quæstionem de nomine, & abuteris vocabulis: appellas enim entitatem fundamenti relationem entitatiuè sumptam, cum tamen careat munere referendi, vt vidimus: Nescio autem, quo iure possis appellare totam entitatem relationis illam, quæ caret munere referendi. Deindè asseris, relationem formaliter sumptam dicere existentiam termini, & rationis fundandi: ergo iam relatio formaliter, & absolutè dicta non est sola entitas fundamenti, sed illud conflatum ex fundamento, termino, & ratione fundandi, non minùs, ac homo formalitèr, & absolutè dictus non est sola anima, sed conflatum ex anima, corpore, & vnione; & binarium non est solus Petrus, sed etiam Paulus.

8 Replicabis: terminum non ingredi vt constitutiuum intrinsecum relationis formaliter, & denominatiuè sumptæ, sed vt purum terminum extrinsecum. Sed contra: ergo præcisa existentia termini iam habetur adæquatum constitutiuum relationis formaliter, & denominatiuè sumptæ; seu adæquata essentia relationis formaliter acceptæ: cum quo ergo identificatur hæc adæquata essentia relationis? Si recurras ad entitatem fundamenti, iam supra es impugnatus.

9 Replicabis iterum: relationem addere supra entitatem fundamenti formalitatem quandam ab illa virtualiter distinctam, & separabilem: eo modo, quo actus liberi Dei addunt supra entitatem necessariam Dei respectum quemdam ad creaturam realiter identificatum cum entitate necessaria Dei, sed virtualiter ab illa distinctum, & separabilem; & sicuti respectus ille in Deo non addit vllam perfectionem supra necessariam; ita in creatis hic respectus non addit aliquid perfectionis supra perfectionem fundamenti. Miror aduersariorum ingenium, qui ad soluendas quæstiones alioqui non difficiles, nulla coacti necessitate, ad difficultatem summam, & lumini naturali penitus insuperabilem mysterij Trinitatis, & libertatis diuinæ tam facilè recurrant. Contra igitur est, quia huiusmodi distinctiones virtuales à rebus creatis abigendas esse supra supponebam; & fusiùs, Deo dante, probabo tract. de Deo. Eodem modo reijcio Lynceum, qui distinctionis virtualis amantissimus, eam extendit etiam ad ipsas relationes, asserens non solùm relationem paternitatis realiter identificari cum entitate patris, & virtualiter ab illa distingui; sed vnam relationem, filiationem e. g. virtualiter distingui ab alia, v.g. à paternitate.

10 Dices iterum, totam relationem identificari cum entitate fundamenti; hoc tamen non denominari relatum ante existentiam filij, & rationis fundandi: quia non est capax huius denominationis, nisi positis illis existentijs, à quibus constituitur capax. Sed contra primò: quia quamuis dentur plures formæ extrinsecæ subiecto denominato, vt cognitio respectu cogniti; nulla tamen est capacitas extrinseca subiecto capaci, præter hanc, quam tu confingis ad fugam difficultatis. Profectò deficiente termino, deficit denominatio relati in fundamento. Ego assero deficere illam denominationem ex defectu formæ, tu ex defectu capacitatis: quis causam obtinebit in quæstione de nomine? conuenimus in re: vterque enim admittimus defectum denominationis ex defectu termini, & rationis fundandi; sed tu asseris terminum, & rationem fundandi, qui deficiunt esse vel capacitatem subiecti, vel partem talis capacitatis: ego cum communi assero deficere formam vel contradistinctam, vel saltem partialiter identificatam: tu sine vllo certo exemplo, & contra communem sensum admittis in subiecto capacitatem denominationis partialiter saltē extrinsecam: ego id nego, & cum communi sensu multis exemplis confirmato admitto formam denominantem partialiter, vel etiam totaliter extrinsecam subiecto.

11 Vrgebis: materia fit capax recipiendi formam substantialem medijs dispositionibus à se distinctis: ergo non est nouum aliquam rem fieri capacē alicuius effectus formalis per aliquod superadditum. Nego antecedens: dispositiones enim non dant materiæ capacitatem, sed exigentiam, & auferunt impedimenta remota formæ venturæ. Et sanè magis in casu nostro accedit ad naturam fundamenti capacitas, quàm relatio; ergo satius est ponere in fundamento intrinsecam capacitatem, quàm relationem.

12 Demum sic vrgeo illatam responsionem: quia ex illa posset quis impunè defendere, nunc in meo oculo esse visionem omnium colorum; meum tamen oculum non videre illos ex defectu capacitatis, quam recipere debet ex applicatione obiecti. Et eodem modo

in Deo ab æterno esse productiones omnium rerum, Deum autem non produxisse ab æterno res ex defectu capacitatis, quam conferunt effectus temporanei. Et si dicas non posse esse productionem sine termino producto, simili modo ego dicam: non posse esse relationem secundum esse sine termino: quod si recurras ad formalitates, conceptibilitates, & denominationes, idem recursus fieri potest in casu de visione, & productione.

13 Vrgebis: potest causa applicata impediri à productione effectus; ergo etiam entitas relationis ne referat. Hoc argumentum est simile illi. Potest causa applicata impediri ne causet; ergo visio ne videat. Nego igitur consequentiã. ratio est: quia causa applicata non se ipsa est productio effectus; sicuti relatio se ipsa est actualis referentia.

14 Ex dictis reijcio quemdam recentiorem, qui asserebat relationem, paternitatem e.g. identificari cum entitate patris, si ipsa relatio consideretur secundum se; si verò consideretur vt prędicamentalis, includere etiam terminum: reijcio, inquam, quia si paternitas vt relatio identificatur cum entitate patris; ergo pater, antequam generet filios, est verè pater, est verè relatus ad omnes filios ab ipso possibiles; & solum carebit denominatione patris prædicamentalis, seu prædicamentaliter relati: quod nemo dixerit; & cum id, quod dicis relationem, possit esse sine termino, iam carebit vera essentia relationis, quæ est cõnectere esse vnius cum esse alterius; facilius autem concesserim illud, quod tu appellas relationem, esse potius puram capacitatem relationis, quam relationem: cum actu non referat, sicuti actu non connectit.

SECTIO OCTAVA.

Explicatur in quo sita sit relatio prædicamentalis.

Supponuntur nonnulla, de duratione, & actione.

1 SVppono primò ex dicendis in physicis res creatas, quæ ad aliquod tempus in proprio esse perseuerant; id formaliter obtinere per formam quamdam modalem, essentialiter fluentem, quam concipimus addictam tempori, & formaliter est ipsum tempus intrinsecum, ac cõmuniter dicitur duratio. Suppono secundò huiusmodi durationes causari à Deo, vel etiam ab alijs agentibus creatis per actionem distinctam: quia, vt fusiùs dicam in loco, etiam duratio est indifferens vt creetur, vel educatur; causetur ab hoc, vel illo agente. Hęc igitur actio est essentialiter fluens, sicuti, & eius terminus, addicta tempori, & dici commodè potest duratio intrinseca sui: quia per se ipsam formaliter durat, quamuis non tribuat alij denominationem durantis. Suppono tertiò; in Deo vnicum, etiam virtualiter, esse decretum liberum, quo de omnibus ab æterno iuxta leges suæ altissimę prouidentiæ liberè disposuit. Suppono quartò, quamuis res ipsæ, quę defactò productę à Deo sunt, non respiciant essentialiter hoc vnicum decretũ; quia potuerunt per aliud decretum, & ob alios fines decerni; actiones tamen, quibus defactò producuntur, esse essentialiter addictas huic decreto, illudque essentialiter respicere, sicuti essentialiter respiciunt terminos causatos, & principia causatiua: quia videlicet hæ actiones sunt, & actuale exercitiũ virtutis causatiuę, & actualis executio decreti diuini. Hęc omnia hic supponuntur, fusiùs discurrenda in physicis, & in tract. de Deo. Ex quibus apertè colligitur actionem illam essentialiter fluentem productiuã durationis, essentialiter connecti cum hoc vnico decreto, quod defacto liberè Deus concepit. His positis.

Relatio prædicamentalis est actio productiua durationis.

2 Dico: relationem prædicamentalem creatam sitam esse in dicta actione causatiua durationis. Loquor autem de relatione prædicamentali latissimè accepta, siuè sit fundata in vnitate; & numero; siuè in actione, & passione, &c. Probatur: per actionem iam explicatã subiectum durans refertur ad omnes res sibi coexistentes siue sint ipsi similes, siue dissimiles, in prędicatis essentialibus, qualitate, & extensione; siue sint causæ, siue effectus ipsius. Præterea illa actio accedit subiecto relato; est enim extra illius essentiam, & ab illo distincta: ergo est relatio prædicamentalis subiecti ad omnes dictos terminos: ergo est relatio similitudinis, & dissimilitudinis; identitatis, & diuersitatis; æqualitatis, & inæqualitatis; causæ ad effectus, effectus ad causam; ac proinde est relatio prędicamentalis adæquata, qua videlicet tanquam forma subiectum prędicamentaliter refertur ad omnes res, ad quas prædicamentaliter referri debet: consequentiæ patent ex iactis principijs. Antecedens etiam quo ad secundam partem est satis declaratum, & probatum. Quo ad primam confirmatur: hæc actio productiua durationis essentialiter connectitur cum hoc vnico Dei decreto, quod essentialiter connectitur cum omnibus rebus creatis, quibus coexistit subiectum durans: ergo etiam illa actio essentialiter connectitur cum omnibus rebus, quibus subiectum coexistit, siue illæ sint similes, siuè dissimiles subiecto duranti; siue sint causæ, siue effectus subiecti durantis. ergo illa actio est forma, qua posita subiectum necessariò respicit omnes res sibi coexistentes; sicuti necessariò cum illis connectitur. Neque enim posita ea actione intelligitur, aut intelligi potest subiectum solutum ab ordine ad alias res cum verè per illam ipsissimam actionem, eaque stante, nequeat intelligi, aut esse sine illis rebus.

Actio dicta est qua subiectum immediate refertur ad alia omnia.

3 Dices primò: hęc non est immediata relatio subiecti ad alias res: ergo adhuc quærenda est immediata relatio subiecti distincta ab actione. Antecedens probatur: quia immediatè tantùm respicit decretum Dei, & durationem, ac principia, ex quibus procedit, & ratione decreti respicit alias res. Nego antecedens: ad probationẽ, nego item assumptum. Et distinguo quod additur: & ratione decreti formaliter respicit alias res; nego causaliter; concedo. Decretum,

cretum, quod essentialiter respicitur à dicta actione, transfundit in illam respectum ad omnes alias res: quare decretum est ratio, cur in ea actione, sit intrinsecus respectus ad alias res: neque enim actio tantùm immediatè respicit decretum, quod respicit alias res; sed quia actio respicit decretum haurit intrinsecum, & immediarum respectum ad alias res, ratione cuius nequeat esse, aut intelligi sine illis: sicuti actus fidei innixus authoritati Dei, immediatè per se ipsũ infallibiliter connectitur cũ veritate obiecti reuelati, licet eam cõnexionẽ hauriat ab authoritate Dei. Igitur benè in ea actione possumus distinguere per intellectũ duos veluti respectus, alterum ad decretum tanquam ad principium, alterum ad alias res tanquam ad purum terminũ; ita vt secundus respectus sit suo modo à primo. Sicuti in actu fidei distinguimus duas connexiones, alteram ad authoritatem Dei tanquam ad principium, alteram ad mysterium; ita vt prima sit ratio secundæ illam essentialiter trahens: ad hanc enim distinctionem satis est, si connexiones, & respectus intrinsecè insint in actu, & actione; & obiecta cum aliquo ordine distinguantur.

Actio productiua termini absoluti non est relatio prędicamentalis.

4 Dices secundò: ex allatis principijs posset quis dicere, relationem sitam esse in actione causatiua cuiuscumque rei: quia hæc actio essentialiter connectitur cum vnico illo Dei decreto. Nego id sequi: ad rationem in contrarium distinguo illam propositionem: hæc actio essentialiter connectitur cum vnico illo decreto Dei, & est essentialiter addicta tempori; nego: & nõ est talis, concedo. Si autem non est addicta tempori, neque duratio saltem intransitiua sui, non potest esse ratio, quare subiectum referatur ad aliud sibi coexistens, & qua perseuerante, seu existente nequeat subiectum intelligi, aut esse sine alio: hæc enim omnia includunt necessariò tempus, & ordinem ad coexistentes res; at relatio secundum esse necessariò, ac formaliter connectit esse vnius cum esse alterius quo ad idem tẽpus: quod nõ cõuenit actioni causatiuæ rei, quæ sicuti est indifferens ad plura tempora, neque ex ordine ad decretũ affigitur essẽtialiter tẽpori, ita non potest esse ratio formalis, & proxima, ex qua esse vnius connectatur quo ad idem tempus cũ esse alterius. Igitur illa actio causatiua subiecti est relatio quædam, veluti causalis exigens, vt quandocumque ipsa est, subiectum coexistat cũ alijs, & ad illa referatur: sed non potest per se ipsam facere, vt nunc hoc subiectum referatur ad hos, vel illos terminos, quod requiritur ad relationem prædicamentalem, & secundum esse, & benè præstatur ab actione productiua huius durationis: in qua actione illud etiam præcipuè nota, quòd vt respiciens decretum, connectitur cum alijs rebus vt sibi coexistentibus; quod non verificatur de actione causatiua subiecti, quæ vtpotè non addicta tempori, non potest per suũ esse formaliter respicere alias res, vt sibi coexistentes.

Relatio nõ est duplex duratio.

5 Dices tertiò: saltem poterit relatio consistere in duplici duratione duorum Angelorum v. g. si sit relatio identitatis, vel diuersitatis inter illos: nam duplex duratio hodierna duplicis Angeli est forma, qua posita vnus Angelus nequit intelligi, aut esse sine alio; ac præterea est extra essentiam vtriusque: ergo verè est forma, qua vnus Angelus non sistit in se, sed refertur prædicamentaliter ad alium. Ita olim sentiebã.

6 Primò dato quod possimus ex pluribus absolutis, veluti per accidens agglutinatis tertiũ quemdam conceptum architectari, qui sit relatio, & forma, qua stante vnum nequeat intelligi, aut esse sine alio; nihilominùs adhuc admittendus est conceptus aliquis simplex, qui per se, etiam si per intellectum multa non agglutinentur, sit relatio realis prędicamentalis, vt satis probauimus de actione productiua durationis.

7 Secundò, nego assumptum: ad rationem in contrarium distinguo antecedens: duplex duratio hodierna duplicis Angeli est intrinsecè forma, &c. nego antecedens: est forma extrinsecè, &c. & talis constituta per actum intellectus; concedo: ex hoc autem solùm sequitur, quòd duplex illa duratio sit tantùm realiter relatio quædam fundamentalis; quatenus est fundamentum, seu materia, circa quam versans intellectus per suum actum constituat vnam formã, quę, cum contineat duas relationes trauscendẽtales ad duos terminos disparatos, apprehenditur, vt vna forma, & prædicatum connectens vnũ terminum cum alio: ad eum modum, quo multa similia sunt fundamentaliter vnum, quia per intellectum possunt confundi, & fieri formaliter vnum.

8 Igitur vna duratio hodierna Angeli, A, est intrinsecè, & realiter relatio transcendentalis sui ad dictum Angelum; & nullo modo vel se, vel Angelum, A, connectit, aut refert ad Angelum, B, aut eius durationem. Eadem est ratio de duratione hodierna Angeli, B: quare nullum est independenter ab intellectu vinculum nectens vnum Angelum cum alio; sed sunt duo vincula, quodlibet connexum cum suo Angelo. Fiunt autem vnum vinculum per actum intellectus, quo quæ sunt duę formę concipiuntur per modum vnius. Ratio autem cur concipiantur per modum vnius, est vnitas temporis; cui actu correspondent; vel etiam decreti; facta tam per intellectum vna forma ex duabus durationibus, est fundamentum, vt per actum reflexum concipiatur vt forma connectens vnum extremum cum alio; cum re vera non sit, nisi aggregatum includens duas partes, quarum quælibet est transcendẽtalis ordo ad suum Angelum.

Reijcitur relatio compacta ex pluribus absolutis.

Relatio nõ est conflatũ ex pluribus absolutis.

9 Hinc facilè est reijcere illorum sententiam: qui cum nominalibus, Hurtado, Arriaga, Ouiedo, Giattino, & alijs recentioribus docent: relationem prædicamentalem esse aggregatum ex absolutis coexistẽtibus;

facilè, inquam; quia in hoc aggregato ex parte obiecti, & intrinsecè ante actum intellectus nō sunt nisi plura absoluta, quæ non sunt formæ referens vnū ad aliud, nisi per actum intellectus colligantur in vnum; & hoc modo constituta vna forma ex pluribus omninò disparatis, intelligitur, vt id permittam, referre vnum ad aliud: hoc autem est excludere relationes reales independentes ab intellectu. Quod si dicas te non agnoscere alias relationes reales, nisi illam multitudinem, quæ deinde constituta vna forma per actum intellectus potest, intelligi, quòd connectat vnum extremum cum alio; primò iam negas veras relationes reales: secundò præter has fucatas relationes existere etiam veras, sitas in actione productiua durationis supra iam probatum est. Illud scire velim ab aduersario: vtrum qui per intellectum diuidit multitudinem in plura binaria, constituat plures relationes, sicuti constituit plura binaria? profectò debes id affirmare: quia quodlibet binarium per actum intellectus constitutum est talis forma, vt ea stante nequeat intelligi, aut esse vnum extremum binarij sine alio: hoc autem præter quam quod non facilè conceditur ab aduersario; infert quód sicuti binarium est opus intellectus, ita, & relatio.

Quid de ratione fundandi?

Relatio prædicamētalis nō est ratio fundandi.

10 FAcilè etiam ex dictis colliges: relationem non posse consistere in ratione fundandi: quia præcisa actione productiua durationis fundamenti relati, nulla ratio fundandi est intrinsecè, & ex parte obiecti relatio; siue demum ea ratio fundandi sit actio productiua termini, siue duplex duratio, siue duplex qualitas, siue duplex vnio qualitatis ad subiectum, vel duplex duratio talium vnionum, & quidem de actione causatiua termini satis diximus; de reliquis autem satis est, meminisse, ea non esse nisi plura dissoluta, & inter se disparata, quæ, nisi per actum intellectus colligantur in vnum, non constituent relationem; vt facilè colligi potest ex dictis: quæ satis etiam declarant terminū absolutum non posse esse partem intrinsecam relationis: alitèr relatio constabit ex pluribus inter se non connexis, quæ extrinsecè colligantur in vnam formam modo supra explicato.

Redeo ad difficultates.

Duplex duratio formaliter nō est duorum coexistētia

11 INstabis: coexistentia Angeli, A, & & Angeli, B, est relatio realis independens ab intellectu, qua Angelus, A, refertur ad Angelum, B: sed duplex duratio hodierna altera Angeli, A, altera Angeli, B, est coexistentia illorum Angelorum, implicat enim intelligi illas durationes, & Angelos illos non coexistere; ergo duplex illa duratio est relatio realis independens ab intellectu. Permissa maiore, circa quam multa dici possent; distinguo minorem: duplex duratio est coexistentia formalis, nego: radicalis, trahens, vel supponens formalem; concedo minorem, & distinguo consequens: duplex duratio est relatio formalis, nego: radicalis; concedo. Duplex duratio hodierna illorum Angelorum non est formaliter coexistentia: coexistentia enim est simultas existendi, & durandi; quæ simultas, licet connectatur cum duplici duratione, & existentia; non est tamen duplex existentia, & duratio: est enim conceptus simplex; sicuti vnio, quamuis trahat secum extrema, distinguitur ab extremis tanquam conceptus simplex. Quod indé confirmat Pallauicinus: quia, qui concipit durationem hodiernam Pauli, & per alium actum hodiernam Petri, non concipit coexistentiam, nisi accedat tertius actus, quo attingat illarum simultatem: ergo relatio, & coexistentia durationum non sunt durationes hodiernæ inter se non connexæ; sed modus aliquis illas inter se connectens. Confirmatur: quia, vt probauimus, duplex duratio non est ex parte obiecti relatio formalis: coexistentia autem formalis est, vt assumit aduersarius, formalis relatio: ergo coexistentia formalis non est duplex duratio.

12 Ob has, & similes rationes Pallauicinus, & Maurus admittunt modum relatiuum coexistentiæ vnū in quolibet ente, per quē res refertur ad omnia coexistentia sibi, quin etiam futura, & preterita. Ego hunc modum cum his authoribus admitto, sed non habeo apparentem necessitatem illum distinguendi à dicta actione productiua durationis fundamenti relati: quæ actio est se ipsa primò coexistentia sui tum cum subiecto relato, tum cum duratione producta, tum cum reliquis omnibus. Secundò est coexistentia tum fundamenti cum duratione, tum durationis cum fundamento, & cum reliquis omnibus: quia hæc omnia connectit, vt forma indiuisibilis in ordine ad idem tempus; imò est nexus quidem temporalis horum omnium. Cæterum contra modum relatiuum sequentem duas durationes, & distinctum ab actione dicta non video nunc præter supradicta aliquam positiuam rationem. Ex dictis autem facilè quis aduertet non esse necessarium, vt modus coexistentiæ sequatur ad durationes. Legatur Pallauicinus *lib. 5. de Incarnatione à n.* 182. & Maurus *quæst. 54. logicæ.*

Eadē actio pductiua durationis est formaliter multiplex relatio eiusdem subiecti ad omnes terminos sibi coexistentes.

13 Dices quartò: non videtur quomodo dicta actio referat patrem ad filium formaliter vt ad filium, & vt ad partem à patre decisam. Respondeo, quia respicit decretum Dei, quod versatur circa vnum, vt principium generationis alterius, & alterum, vt partem ab alio decisam, vt genitum ab illo, vt existentem etiam nunc intuitu generationis illius, quæ & exigit existentiam fœtus, & diuturnam illius durationem, & conseruationem. Quod si filius conseruetur ad longissimum tempus vltra omnem exigentiam, adhuc illa conseruatio ex natura sua est dependens ab illa prima generatione, quam necessariò supponit, & decretum ipsum, quo Deus illam conseruationem vult; vult in

ea

ea conseruatione respectum ad illam primam actionem patris, tanquam ad primam radicem totius esse filij: quare sicuti fructus, flores, & rami habent ex natura sua connexionem cum radice, ita tota conseruatio sequens filij connectitur cum prima illa actione patris, & cum decreto, quo Deus vult totam illam seriem cum suo ordine. Pater igitur durans hodie per actionem causatiuam suę durationis, sicuti respicit decretum, quo Deus vult totum illum ordinē, ita respicit filium, vt à se genitum; id est vt nunc conseruatum per actionem, quæ originem ducit ab illa prima actione generatiua patris, & cum ea connectitur, eamque supponit: quia essentialiter cōnectitur cum decreto, quo Deus vult totum illum ordinem.

14 Igitur Petrus per eandem actionem causatiuam suæ durationis refertur realiter relatione prædicamentali, & secundum esse ad omnes res sibi coexistentes, quarum aliquas respicit vt sibi similes, alias vt dissimiles; aliquas vt causas, alias vt effectus; aliquem vt patrem, & aliquem etiam vt filium, &c. Quare illa vna indiuisibilis est ex suis intrinsecis respectu diuersorum relatio paternitatis, similitudinis, &c. Attamen hæc actio refert quidem Petrum ad alia, sed non refert alia ad Petrum: quia respicit illa vt puros terminos; quæ tamen referuntur ad Petrum, quodlibet per actionem causatiuam propriæ durationis. Cuius rei ratio non solùm est, quia non habemus fundamentum concedendi huic actioni vtrumque munus, & referendi proprium subiectum ad alia, & alia ad proprium subiectum: sed etiam quia sicuti est forma dumtaxat proprij subiecti, & tantum causat eius durationem, ac tantúm formaliter connectit cum decreto Dei propriom subiectū: ita non debet referre nisi proprium subiectum; cum presertim in alijs extremis existant propriæ singulorum relationes.

Imò ad priora, & posteriora.

15 Per eamdem actionem refertur Petrus ad omnes res priores, & posteriores: quia decretum, cum quo essentialiter connectitur illa actio, vult efficaciter totum hunc ordinē priorum, & posteriorum, & Petrum vt partem illius. Quare illa actio est relatio prioritatis, & posterioritatis; sed non secundum esse: quia res non connectitur quoad esse cum prioribus, & posterioribus, sine quibus defacto est.

Explicatur relatio albi ad album.

16 Dices quintò: paries albus dicit hæc tria, parietem, albedinem, & vnionem inter parietem, & albedinem: horum quodlibet durat propria duratione; & paries ipse albus refertur relatione similitudinis ad aliū parietē album. Quæritur igitur, verū referatur per vnā aliquā ex tribus actionibus productiuis durationū, vel per omnes tres. Respondeo quālibet ex illis actionibus referre suum immediatum subiectum ad omnia alia v. g. actio productiua durationis albedinis refert immediatè albedinem ad omnia alia. Sicuti autem non immediatè afficit parietem, & vnionem, ita non immediatè refert vnionem, & parietem; sed mediatè refert alias partes, & ipsum totum immediatè, formaliter refert inadæquatè ratione vnius partis; quamuis dici possit, quòd denominatiuè referat totum, sicuti totum dicitur genitum ratione vnius partis, & id quidem habet ratione ordinis ad decretum, quod efficaciter totam hanc seriem vult. Eadem est ratio de actione, qua producitur duratio vnionis, & parietis: neque quo ad hoc punctum est aliquod speciale in actione, qua producitur duratio vnionis: ex ordine enim ad decretum non minús connectitur cum albedine, & pariete actio, qua producitur defacto duratio vnionis; quam cum albedine, & vnione actio, qua producitur duratio parietis; & cum vnione, & pariete connectatur actio, qua producitur duratio albedinis: quare quantùm est ex hoc capite non minùs connectit cum decreto, & reliquis parietem actio, qua producitur duratio vnionis; ac illa qua producitur duratio albedinis; quamuis vnio essentialiter connectatur cum existentia parietis, non autem albedo. Hinc

17 Ad quæsitum dico: parietem album immediatè, & adæquate referri formaliter relatione similitudinis ad alium parietem album per omnes illas tres actiones. Ratio est: quia sicuti vt album constitutiuè immediatè includit tum parietem, tum vnionem, tum albedinem; ita vt album, ac proindè vt simile immediatè referri debet, si loquamur de relatione adęquata, per omnes tres illas actiones, quarum quælibet immediate refert suum immediatum subiectum: neque in hoc debet intercedere aliquod opus intellectus; & qui intuitiue etiam per diuersos actus videt relatum parietem, relatam albedinē, relatam vnionem, iam intuetur totum; cum non possit intueri relatam vnionem, quin cognoscat relatas reliquas partes.

Quomodo actio dicta productiua sit relatio ad actus liberos.

18 Dices sextò: malè ex ordine huius actionis ad decretum Dei efficax inferimus per illam subiectum durans connecti cum reliquis omnibus sibi coexistentibus; nam hoc decretum Dei non est infallibiliter connexum cum actibus liberis creaturæ rationalis: aliter non subsisteret illorum libertas. Respondeo illud vnicum Dei decretum esse efficax respectu omnium, quæ defactò á Deo causantur: sed diuerso modo: nam respectu eorum, quę pendent tantum à libertate Dei, est efficax efficacia sibi adæquate intrinseca, antecedente, ac inimpedibili à libertate creata, vt suppono ex 1. parte: At respectu eorum, quæ pendent etiam à libertate creata, efficacia non est omninò antecedens, & inimpedibilis, neque adæquatè identificata cum ipso actu libero Dei, sed partialiter constituta per scientiam conditionatam impedibilem á libertate creata: quę omnia hic à me supponuntur ex dicendis tract. de Deo. Iam verò actio illa productiua durationis est connexa cum hoc vnico Dei decreto efficaci, & cum omni illius efficacia: est enim actualis executio huius decreti, quatenus ipsa est pars huius vniuersi, in quod indiuisibiliter tendit ille actus diuinus cum tota sua efficacia: hoc autem vniuersum dicit etiam actus

liberos: ergo ex connexione cum decreto, respicit etiam actus liberos creaturæ rationalis,& cum illis connectitur.

19 Dices: gratis fingis hanc actionem esse actualem executionem decreti diuini, quatenus est efficax circa actus nostros liberos, ac proindè esse connexam cum scientia conditionata de nostris actibus liberis: satis enim est si connectatur cum decreto ipso secundum se, & quod sit executio illius secundum se, quatenus est efficax per se ipsum circa effectus non liberos: cuius sei ratio est: quia illius est exequutio, & cum eo debet connecti, à quo procedit: sed tantùm procedit ab illo decreto secundum se,& non á sciētia conditionata; quæ non se tenet ex parte actus primi. Ergo, &c.

20 Nego assumptum. Ad rationem in contrarium; nego, quod assumitur. Ad id, quod vrgent; nego absolutè maiorem: quia non solùm debet respicere Deū, & illud decretum, vt principium qualecumque suum, sed vt principium perfectissimum, quod videlicet ita liberé, & efficaciter velit hanc actionem, vt simul videat omnia, cum quibus illa constitutura est hoc vniuersum, quæque ad illam spectant vel vt priora, vel vt posteriora, vel vt comitantia, & coexistentia; ac proindè pulchritudinem, quæ ex illo ordine resultat: Deus autem hoc modo consideratus includit scientiam conditionatam, qua saltem partialiter constituitur certus de toto hoc, & de coexistentia illius actionis cum actibus creatis liberis. Et quamuis ea scientia non necessariò supponatur formaliter ex parte actus primi,& in Deo potente operari, includitur tamen in Deo certò, & infallibiliter cum plena scientia operaturo: sicuti actus liber tanquam terminus expressus supponit in Deo scientiam conditionatam sui, non vt aliquod se tenens ex parte actus primi; sed vt aliquod comitans impedibile á voluntate creata, sed necessarium, vt Deus certus infallibiliter de euentu futuro, prebeat concursum. Neque absurdum putari debet, quod si Petrus non elicuisset hunc actum liberum amoris, quem de facto elegit, non futuræ fuissent eædem actiones, quæ nunc sunt; id enim exigit ordo,& mutua connexio partium vniuersi inter se, ac mundi pulchritudo, & vnitas.

Reijciuntur modi relatiui superadditi.

21 EX dictis facilè est reijcere illos, qui docent cum Thomistis, & Scotistis, relationes prædicamentales esse modos quosdam superadditos entitati rei iam duranti, qui modi sunt ferè infiniti. Facilè, inquam: quia independenter ab his modis habeo per actionem iam dictam adæquatè constitutum respectum cuiusque rei ad quamlibet aliam. Deindè non videtur facilè concedendum, quòd motus existens in India determinet ad productionem tot modorum ralatiuorum similitudinis,& dissimilitudinis, qui debene in partibus distantissimis, & apud nos consurgere. Multa alia contra hos modos afferunt authores. Ego illos reijcio; quia illis non indigeo ad saluandos respectus. Quare non video cur sint admittendi. Præcipuæ difficultates contra meam sententiam iam solutæ sunt: sed ad pleniorem doctrinam sunt soluendæ nonnullæ obiectiones, quę vel directè impugnant allatam doctrinam, vel aduersariorum sententias promouent. Sit igitur.

SECTIO NONA.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primo, & petes: vtrum aliqua indiuisibilis relatio possit mutuò referre duo extrema? Respondeo affirmatiuè. Sicuti vnica vnio potest mutuò vnire duo extrema. Verùm supra probauimus actionem productiuam durationis pertinę tantum referre Petrum ad alias creaturas, non alias creaturas ad Petrum. Attamen non est improbabile, quòd ea actione, & Petrus ad durationem suam, & hęc referatur ad Petrum: cum præsertim non appareat alius nexus prædicamentalis inter illos. & ea actio in ordine ad idem tempus, non minus connectat Petrum cum duratione, quàm duratione cum Petro. Quamuis autem duratio referat se ipsam transcendentaliter ad Petrum, non tamen refert prædicamentaliter Petrum ad seipsam. Vnitur quidem cum Petro, sed iam vnita nihil amplius præstat, quàm reddere Petrum durantem; quod non est referre Petrum, sed purè terminare capacitatem Petri ad durandum: & potius est afferre se Petro, quàm ferre Petrum extra ipsum ad aliud. *Eadem indiuisibilis relatio potest mutuo referre duo subiecta.*

2 Eadem actio potest non improbabiliter propter allatas rationes dici relatio Petri ad Deum, & Dei ad Petrum: quia verè connectit illos inter se quo ad idem spatium temporis. Neque obstat quòd sit extrinseca Deo: non enim necessarium est, vt relatio sit intrinseca termino relato.

3 Obijcies secundò: relatio prædicamentalis sequitur fundamentum relatum: sed illa actio productiua durationis non sequitur durationem: ergo non potest esse relatio prædicamentalis durationis. Respondeo maiorem solùm verificari; quia relatio prædicamentalis formaliter, vt relatio, non est causa, neque effectus, sed purus ordo vnius ad aliud: neque fundat aliquā prioritatem; sed potiùs supponit hæc omnia, & purè refert: vnde fit, iuxta mentem Aristotelis, vt prædicamentaliter relatiua præcisè, vt talia, sint simul natura, tempore, & cognitione; quia videlicet vt formaliter relatiua vnum non est causa alterius, neque præcedit tempore aliud, neque necessariò debet supponi cognitum ad cognitionem alterius, licet vt relatiuum non possit cognosci sine alio. Relatio igitur prædicamentalis sequitur fundamentum: quia vltimus veluti conceptus vltimo determinat aliquā indifferentiam fundamenti. Hoc modo explicata maiore; nego minorem: quia quamuis illa actio *Quomodo relatio prædicamentalis sit posterior subiecto relato: & relatiua sint simul natura, & cognitione.*

actio formaliter, vt actio, sit simul natura cum duratione; est tamen eadem duratione posterior: quia vltimò determinat indifferentiā durationis potentia causari ab hac, vel illa causa, & coexistere his, vel illis rebus, dum reddit illam dependentem ab his causis, & coexistentem his, non alijs rebus.

Discrimen inter relationes increatas, & creatas.

4 Obijcies tertiò: in diuinis relatio non est productio durationis: ergo neque in creatis. Nego consequentiam; quia in diuinis ipsa generatio actiua sicuti distinguit Patrē à Filio, ita per se ipsam formaliter refert Patrem ad Filium, qui aliundè supponūtur essentialiter coexistentes. Quare in diuinis relatio purè accedit ad distinguendum terminos, qui necessariò idētificantur cum eadem essentia, & sunt essentialiter æterni. At in creatis relatio accedit non ad distinguendum terminos, qui iam alias supponuntur distincti, sed ad illos connectendos quo ad idem tempus. Non negauerim Patres ex nominibus relatiuis patris, & filij intulisse in diuinis distinctionem personarum; sicuti in creatis pater distinguitur à filio; at quot, & quàm magnas diuersitates agnoscunt inter generationem diuinam, & creatam?

Relatio similitudinis non est formalis similitudo.

5 Obijcies quartò: actio à nobis posita non est similitudo inter vnum, & aliud album, neque relatio similitudinis: ergo præter illam debet dari similitudo, & relatio similitudinis; quæ cum non possit esse, vt probauimus, duplex album, duplex albedo, duplex duratio, aut duplex vnio, erit profectò modus superadditus vnus, vel multiplex. Antecedens probatur: quia illa actio non est similitudo, vt videtur per se notum: ergo neque relatio similitudinis: relatio enim similitudinis est ipsa similitudo. Confirmatur: quia præciso hoc modo relatiuo aduersariorum, non potest explicari, in quo sita sit ratio similitudinis. Nego secundam partem antecedentis: ad probationem; nego consequentiam, & rationem in contrarium assumptam: nam relatio similitudinis est, qua vnum simile ad aliud refertur. Similitudo autem in concreto est duplex subiectum participās qualitatem eiusdem rationis: similitudo autem in abstracto est, duplex qualitas eiusdem rationis vnita duplici subiecto: quid autem sit qualitates esse eiusdem rationis, est aliundè notum: cuilibet autem claret hoc secundum prædicatum similitudinis esse prorsus diuersum á prædicato ordinis, & relationis inter duo similia. Confirmatur: quia aduersarij in priori ad relationē similitudinis, & similitudinem ipsam admittūt fundamentum illius modi: quidquid autem dixerint esse illud fundamentum; dicam ego illud ipsum esse similitudinem formalem. Confirmatur præterea: quia filius dicitur similis patri defuncto, nec propterea dicit relationem similitudinis secundum esse ad patrem defunctum: ergo esse similem formaliter non est prædicāmentaliter referri. Quod autem dicimus de relatione similitudinis applicari facilè potest ad relationem dissimilitudinis, identitatis, & diuersitatis, æqualitatis, & inæqualitatis.

Et si similitudo, & dissimilitudo non sit modus superadditus: non propterea qui amat dissimilitudinem inter mores honestos, et inhonestos, debet amare mores inhonestos.

6 Obijces quintò: si dissimilitudo, & similitudo non est modus superadditus, dissimilitudo inter mores honestos Pauli, & inhonestos Iudæ esset mores honesti Pauli, & inhonesti Iudæ: quod esse falsum, indè probatur: quia alias qui amaret illam dissimilitudinem peccaret; amaret enim mores inhonestos Iudæ, qui sunt pars illius dissimilitudinis: qui enim amat totum, amat singulas eius partes. Sed quid dicent aduersarij de fundamento suæ dissimilitudinis; quod est conflatum ex moribus honestis, & inhonestis, estne honestè amabile, vel non? quid quid dixerint de suo fundamento, ego dicā de mea dissimilitudine. Deindè, qui generat totum, non est necesse vt generet singulas partes: ergo non necessariò, qui amat totum, amat singulas partes. Demum, qui absolutè, & nulla facta suppositione amat dissimilitudinē, vtique peccat: quia necesse est vt amet singulas partes: at qui facta suppositione morum inhonestorum Iudæ amat dissimilitudinem inter illos, & mores Pauli, dum detestatur mores Iudæ, non amat formaliter, nisi complementum illius dissimilitudinis, & honestatem morum Pauli. Hinc concessa maiore, nego absurditatem consequentis. Ad rationem in contrarium, nego necessariò sequi ex amore dissimilitudinis amorem vitæ inhonestę Iudæ. Et distinguo illam propositionem: qui amat absolutè totum, amat singulas illius partes; concedo: qui amat facta aliqua suppositione, nego. Quid dicet aduersarius docens veritatē iudicij compleri partialiter per obiectum: qui amat veritatem huius iudicij, Caius cras peccabit, amatne peccatum, quod est pars illius veritatis?

Explicatur relatio maioritatis & minoritatis.

7 Obijcies sextò: lignum bipalmare est maius ligno palmari: ea autem maioritas, & minoritas non potest esse actio à nobis posita, neque binarium lignorum; aliter idem esset simul maioritas, & minoritas. Respondeo primò actionē à nobis positam posse sine absurdo dici maioritatem, & minoritatem formalem, & relatiuam: quia ea stante non potest hoc lignum non esse maius, & illud non esse minus. Rursus ipsa se ipsa refert maius ad minus. Secundò, quid repugnat, quòd eadem forma constituat vnum subiectum maius, aliud minus? Tertiò, lignum bipalmare sicuti se ipso est bipalmare, ita se ipso excedit palmare, & est minus quadripalmari: sicuti homo per suam substantiam est perfectior leone, imperfectior Angelo. Attamen horum omnium relatio semper est actio iam explicata.

8 Obijcies septimò: duo Angeli sunt perfectiores duobus hominibus, & non sunt magis inter se similes, quàm sint duo homines: ergo similitudo inter duos Angelos non est eorum perfectio, aliter sicuti perfectio duorum Angelorū est maior, quàm perfectio duorum hominum, ita similitudo deberet esse maior: idem enim nō potest esse maius, & non maius respectu eiusdē. Rursus ea similitudo non est actio à nobis posita: ergo modus alius relatiuus. Nego consequētiam. Ad cuius probationem; nego assumptum.

Ad

Ad rationem in contrariū, distinguo illam propositionem: idem non potest respectu eiusdem esse maius, & non maius, si ly non maius excludat eundem excessum, quem affirmat ly maius; concedo: est enim aperta contradictio: sin minus; nego. Sic homo, qui est maior leone secundum perfectionem, est minor illo secundum vires corporales. Quod autem in casu nostro non negetur excessus idem, qui affirmatur, patet quia dum dico Angeli duo sunt perfectiores duobus hominibus, solùm affirmo perfectionem Angelorum esse maiorem perfectione hominū; solùm affirmo excessum Angelorum supra homines. At dum nego esse maiorem similitudinē inter duos Angelos, ac inter homines, solùm nego maiorem perfectionem vnius Angeli supra alium, sicuti non est maior perfectio vnius hominis supra alium.

Cur crescēte qualitate non crescit similitudo?

9 Obijcies octauò: si duo alba essent similia, quia sunt duo alba: ergo si fierent ambo magis alba fierent magis similia: quin imò: si prius ambo fuerint alba, vt quattuor, deberet crescere similitudo, etiam si alterum tantùm fieret magis album. Nego absolutè vtramque consequentiā: ratio est: quia similitudo perfecta nō solùm sunt duo alba, sed habentia æqualem intentionem albedinis: quare si, quæ erant æqualiter alba, æqualiter crescant in albedine; quamuis fiant magis alba, & magis entitatiuè, formaliter nō sunt magis similia: quia tū prius, tū nunc habent æqualē intensionem albedinis. Quod si vnum tantùm fiat magis album, omittent perfectam similitudinem: quia amittunt illam æqualitatem. Cuius rei ratio est: quia album est terminus absolutus; at simile est terminus relatiuus ad aliud: ergo benè accidere potest, quòd subiectum fiat magis album in se, sed non magis simile alteri; seu se habens magis sicuti illud, & potens facilè cum eo confundi. Hinc quamuis cognitio duplicis albi non sit formaliter cognitio duplicis similis; malè infers quòd intrinsecè duplex simile sit quid diuersum à duplici albo: sed solùm quòd duplex simile est conceptus relatiuus; omne enim simile est alteri simile: est autem mihi satis probabile, eam similitudinem esse adæquatè intrinsecam cuicumque subiecto denominato, sicuti est albedo: quamuis ea similitudo non sit relatio prædicamentalis, & secundum esse ad aliud simila. Ratio est: quia eo ipso, quòd sum albus, habeo ex albedine mihi intrinseca, vt possim per actum intellectus cōparari cum alio albo, & iudicari, quòd mo habeam, sicut se habet ille.

Quomodo res ex coexistentia cum aliis fiat melior vel peior.

10 Aduerto hic primò: nos ex coexistentia cum alijs aliquando fieri peiores, aliquando meliores: quia aliquid in nobis causant, vnde perficimur, aut aliquod nostrum bonum directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè impediūt: hoc longè distat à modo, quem intendunt aduersarij. Eadem est ratio de præteritis, ex quibus aliquando reddimur meliores, aliquando deteriores: quia aliquid nunc est ex illis ortum, ex quo inficimur, vel perficimur.

11 Aduerto secundò: totum nonnunquam euadere pulchrius; quia decrescit pulcritudo alicuius ex partibus illius: vt si quis habeat duos oculos vnum mediocris pulchritudinis, alterū maioris omninò pulchritudinis, facies est absolutè deformis; at si minuatur pulchritudo oculi pulchrioris, & fiat æqualis oculo minus pulchro, crescit formositas faciei: ratio est: quia pulchritudo totius consistit in partiū proportione, quæ acquiritur aliquando per hoc, quod aliqua pars amittat aliquid pulchritudinis. Ad hoc autem saluandum non requiritur aliquis modus positiuus distinctus à relatione coexistentię supra explicata, & à toto fundamento positiuo illius relationis, quod admittit aduersarius. Non negauerim autem, & pulchritudinem esse positiuūm quid, vtpotè apta per se placere, & mouere per sui visionem ad sui complacentiam, & in ea includi multos modos terminatiuos, de quibus non est hic locus agendi. Legatur citatus Maurus, vbi eruditè satis multa affert nec nobis contraria, nec scitu iniucunda.

12 Demum infero, vnionem esse quidem relationem transcendentalem sui ad extrema; sed non esse relationem prædicamentalem secundū esse: quia cum non sit alligata tempori non connectit proximè esse extremorum quoad idem tempus. Erit fortassè relatio prædicamentalis secundum esse, vnio durationis ad subiectum, si sit ab illa distincta ob contrariam rationē, quia est addicta tempori.

SECTIO DECIMA.

Soluuntur nonnullæ quæstiones.

Terminus relationis non necessariò est relatiuus.

1 QVæres primò vtrum terminus relationis sit relatiuus? Respondeo terminum relationis nō necessariò, & formaliter debere esse aliquod relatiuū, seu aliā relationē: accidit autem vt relatio referat ad relationem, & ad illam terminetur. Prima pars probatur: quia satis est, vt relatio nectat absoluta; sicuti vnio nō vnit vniones, sed res alias non vnitas. Ex fane actio à nobis posita refert subiectum durans ad omnia alia, quorum maxima pars non sunt relatio ad illud subiectum. Non negauerim, & si termini relationis non sint plerumque relatio, referri nihilominus per relationem superadditā ad fundamentum ad ipsos relatum: verùm id est per accidens respectu primę relationis, quæ sufficienter præstat suum munus referendi, etiam si terminus repugnet referri ad fundamentum.

2 Præterea, et si quædam relationes sint, quæ ex sua ratione speciali exigant, vt terminus referatur alia, vel simili, vel dissimili relatione ad fundamentum, vt sunt omnes relationes mutuæ, sicut relatio paternitatis, quæ essentialiter refert patrem ad filium, qui necessariò debet referri ad patrem; & relatio similitudinis, quæ necessariò refert vnum simile ad aliud simile, quod per similē relationem debet referri ad primum simile; vnde dicitur quod pater alicuius filij est pater;

pater; & simile non est simile nisi rei, quæ sit ipsi similis: etsi, inquã, hæc ita sint, non propterea est necessitas, quòd relatio terminetur ex conceptu suo ad aliã relationẽ; & quod paternitas terminetur ad filiationem; aut dominium ad seruitutem; satis enim est si terminentur ad substantiam filij, & ad personam serui, licet necessariò connectantur cum seruitute, & cum filiatione.

3 Neque verum est, quod assumunt nonnulli relationem debere cognosci, & definiri per relatiuum; cum præsertim totus processus, vt supra dicebamus debeat resolui in conceptus absolutos, qui sunt simpliciter primi. Quomodo autem relatiua sunt simul tempore, natura, & cognitione, supra explicauimus.

4 Dices, in diuinis terminus relationis est relatio: ergo etiam in creatis. Nego consequẽtiam; ratio diuersitatis est; quia relatio est inter terminos distinctos: distinctio autem in diuinis non est, nisi inter relationes; at in creatis extrema sunt distincta independenter à relatione.

5 Secunda pars, quòd relatio terminari possit ad relationem, patet; quia actio, quam supra diximus, refert subiectum etiam ad alias actiones subiecto coexistentes. Quæ diximus intelliguntur de relatione prædicamentali; sed aptari proportionaliter possunt transcendentali.

Relatio nõ necessario realiter multiplicatur ad multiplicationem terminorum.

6 Quæres secundò: vtrum relatio multiplicetur ad multiplicationem terminorum? Respondeo, ex dictis aperte colligi partem negatiuam: eadem enim actio productiua durationis subiecti, refert subiectum ad omnes res sibi coexistentes; quin etiam præteritas, & futuras. Solùm addo: eamdem relationem inuariatam non posse cum indifferẽtia respicere modò hos, modò illos terminos; quare si intelligatur accedere nouus terminus antecedenter non respectus, debet necessariò vel mutari relatio, vel accedere noua relatio; quod verum est siue relatio consistat in modo, siue in coexistentia; quia videlicet relatio est actuale exercitium referendi.

Relatiuorũ proprietates.

7 Quæres tertiò: quænam sint relatiuorum proprietates? Respondeo Aristotelem cap. ad aliquid quatuor assignare relatiuorum proprietates: prima est habere contrarium; secunda suscipere magis, & minus; tertia esse simul natura; quarta esse simul cognitione, & definitione. De his multa diximus, qui plura desiderat, legat Conymbricenses loco citato ex Aristotele.

8 Esset hic aliquid addendum de postprædicamentis, quibus Aristoteles claudit librum categoriarum, & sunt oppositio, simultas, prioritas, motus; verum quia res est non magni momenti: & de singulis occurret commodior agendi locus: ideò non est in his immorandum.

DISPVTATIO SEPTIMA.

In libros Aristotelis perihermenias, seu de interpretatione.

Sicuti Aristoteles volens in categorijs dirigere primam intellectus operationem: egit de terminis incomplexis; ita directurus secundam intellectus operationem, agit in his libris perihermenias de propositione, seu enunciatione, & iudicio præcipuè mentali, sed ex occasione etiam de vocali, deque eius partibus, verbo, & nomine, quæ spectant ad summulas logicas, á quibus libentèr abstineo. Quoniam verò hæc sunt signa; & tanquam proprietas ad iudicium sequitur veritas, & falsitas; ideò multa de signo, & vocum significatione, multa de veritate, & falsitate disseremus. Sed quia teste ipso Aristotele, ille interpretatur, qui verum, & falsum exponit; meritò hi libri perihermenias, hoc est de interpretatione, inscribuntur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit signum.

Definitur signum.

1 CVm fusiùs hic de vocum significatione agatur, & voces, vt patet ex munere significandi, quo funguntur, sint signa, ideoque Aristoteles illas dixerit notas earum, quæ sunt in animo passionum; non est á præsenti instituto alienum exactè quærere, quid sit signum.

2 Signum vniuersalissimè sumptum definio: quod aliquid obiectiuè repræsentat potentiæ cognoscitiuæ. Hæc definitio non longè fortassè abest à communi mente. Eius sensus est: signum esse, quod causat repræsentationem alicuius rei in aliqua potentia cognoscitiua, non quocumque modo, sed obiectiuè, ita vt vel illud ipsũ, quod causat cognitionem cognoscatur, vel sic species eius, quod cognoscitur, eiusque munere fungatur in ordine ad causandam cognitionem.

3 Hanc particulam, obiectiuè, addidi; quia non sufficit ad rationem signi repræsentare aliquid potentiæ: nam ipsa potentia dum producit cognitionem aliquid sibi repræsentat, nec tamen habet rationem signi. Rursus repræsentare aliquid potentiæ, vel est vt eumque causare repræsentationem, qua potentia aliquid cognoscat? et in hoc sensu Deus, & qualibet causa cognitionis, esset signum obiecti cogniti, quod nemo dixerit; vel est causare speciali modo, qui non videtur alius, quàm appositus à me in particula, obiectiuè. Confirmatur definitio: quia conuenit omni, & soli signo.

Cognitio non est signum sui obiecti, sed significatio.

4 Hinc infero primò: cognitionem non esse signum sui obiecti, sed actualem significationẽ: quia non causat repræsentationem sui obiecti, sed est ipsa repræsentatio. Secundò, idem posse esse signum respectu sui ipsius: quia potest idem, quod cognoscitur, causare suam cognitionem: quod est obiectiuè seipsum repræsentare potentiæ cognoscitiuæ. Et quidem ex communi Sum-

muli-

nulistarum sensu voces non solùm habent significatum formale, quatenus exprimunt alias res; sed etiam materiale, quatenus se ipsas repræsentant. Confirmatur: quia idem potest se ipsum cognoscere: ergo & se ipsum significare: sed non potest esse imago sui ipsius: quia ex S. Augustino, quem communiter sequuntur Theologi, imago debet produci ab eo, cuius est imago: nulla autem res potest se ipsam producere.

5 Tertiò, si aliquod obiectum, vt cognitum ducit in cognitionem alicuius alterius rei, non solùm ipsum obiectum, sed etiam eius primam cognitionem esse signum respectu rei per secundam cognitionem expressæ: quia etiam prima illa cognitio repræsentat aliquid potentiæ cognoscitiuæ causando cognitionem, & quidem obiectiuè; facit enim vnum cum obiecto, cuius est formalis imago. Igitur S. Augustinus docens signum esse, quod præter cognitionem sui ingerit sensibus cognitionem alterius rei, locutus est non de signo in communi, sed de vna eius specie, & quidem sensibili; cum tamen non repugnent signa Angelorum insensibilia, quibus inter se colloquantur.

Causæ sunt effectuum, effectus sūt causarum signa.

6 Quartò: non solùm effectus esse signa causarum, sed etiam causas effectuum: quia non minùs effectus cognitus ducit in cognitionem causæ, quàm causa cognita in cognitionem effectus. Quod si demonstratio à priori, & à causa non dicitur à signo, sicuti dicitur demonstratio à posteriori, & ab effectu; idest; quia effectus respectu causæ non exercet nisi munus signi purè inducendo in eius cognitionem; at causa non solùm inducit cognitionem, sed etiam existentiam effectus.

Aliquæ signorum explicationes reijciuntur

7 Dices: cur signum non definimus: à natura institutum, vt ducat specialiter in cognitionem alterius? Respondeo primò: quia signum, vt vidimus, non debet necessariò significare aliud à se distinctum. Secundò, potest dari signum, quod non specialiter ducat in cognitionē alterius; sed sit veluti signum vniuersale respectu plurium, ita vt in his circumstantijs repræsentent hoc; in illis illud; sicuti multi Theologi docent esse species vniuersales Angelorum. Demum omnia signa, de quibus constat, habent illud prædicatum repræsentandi obiectiuè aliquid potentiæ cognoscitiuæ, sed non omnia habent prædicatum definitionis Mauri supra allatæ.

8 Dices secundò: cur signum non definimus; argumentum inferens existentiam, vel aliquod aliud prædicatum rei ex se non apparentis? Respondeo primò; quia non requiritur vt res significata ex se aliundè non appareat. Secundò: quia species est signum rei repræsentatę; non tamen est argumentum respectu obiecti: argumentum enim debet cognosci: species autem non cognoscitur saltem necessariò.

Deus potest dici signum respectu creaturarum, quæ in ipso videntur.

9 Dices tertiò: ergo Deus est signum respectu creaturarum, quas in illo vident Beati: quia obiectiuè mouet ad illarum cognitionem: hoc autem videtur absurdum. Respondeo me nullam videre in consequenti absurditatem; nisi addatur quod Deus respectu illarum sit purum signum; quod est falsum: nam etiam causat illas. Benè autem affirmat Maurus cognitionem, quam experimur, esse in hoc negotio primum notum, ex quo omnium, quæ spectant ad signum, notitiam haurimus. Verum malè quis inferet cognitionē esse signum: satis enim est si sit significatio, & effectus signi.

Signum aliud instrumentale, aliud formale.

10 Signum hoc modo explicatum aliud est Instrumentale, aliud formale. Aliqui dicunt instrumentale esse, quod cognoscitur, & obiectiuè simul causat cognitionem præcipuè alterius rei; vt fumus, qui cognitus causat cognitionem ignis: formale, quod non cognoscitur, sed ducit in cognitionem rei, tanquam gerens vices illius; vt sunt species impressæ. Non reijcio hanc explicationem, sed do aliam: instrumentale est, quod ita obiectiuè causat cognitionem rei, vt non sit forma inhęrens potentiæ: formale autem sit talis forma, siue demum cognoscatur, siue non: obiectum igitur extrinsecum potentiæ, quod causat cognitionem sui, est signum instrumentale: species informans potentiam est signum formale.

Aliud naturale, aliud ad placitum.

11 Secundò: signum diuiditur in naturale, & ad placitum: naturale ex natura habet ducere in cognitionem alicuius rei: ad placitum id pręstat ex agentis intellectualis placito, & libertate: exemplum primi est fumus respectu ignis: secundi est apud siculos laurus appensa respectu vini vendibilis.

SECTIO SECVNDA.

Quid significent voces?

1 LOquimur de vocibus humanis, & articularis; quas significare certum est; ad hūc enim finem institutæ sunt, vt ijs medijs possimus secreta cordium alijs cōmunicare in maximum amicitię, & societatis humanæ emolumentum: vnde ab Aristotele definiuntur; notę earum, quę sunt in animo, passionum.

voces significant se ipsas.

2 Primò igitur voces humanæ significant se ipsas: prolatæ enim, & auditæ illicò ducunt audientem in cognitionem sui. Secundò, significāt personam loquentis, si ostendant dependentiam sui ab illo: cum enim idem sonus materialis, vel alius valdè similis possit produci, & non à loquente, vt si ab Angelo, vel alia causa formaretur similis sonus in aere, non est se solo aptus ducere in cognitionem personę loquentis; nisi ostendat dependentiam sui ab illa, quą dependentia posita, aptus est ostendere determinatè personam loquentis, si clarè, & perfectè cognoscatur illa dependētia: sed quia plerumque euenit, vt non clarè cognoscatur illa dependentia; ideò sæpè ostendit, quod aliquis loquatur; non tamen determinatè, & clarè demonstrat in actu secundo, quinam ille sit.

Et personæ loquentis.

eius item voluntatē loquendi,

3 Tertiò: voces humanæ ostendunt quòd ille, qui loquitur, liberè loquitur, cognoscens

vide-

videlicet, & volens illam vocum prolationem: verum non est necesse, vt quicunque homo profert voces, liberè illas proferat, vt patet in dormientibus, & ebrijs: quare neque necesse est vt voces ostendat semper loquentem cognoscere, & velle illam prolationem: ad id igitur determinantur voces à circumstantijs, ex quibus colligimus loquentem esse rationis compotem, & liberè loqui: quia tamen voces non sunt formaliter humanæ, nisi cum liberè dicto modo proferuntur; ideò absolutè voces humanæ ostendunt loquentem cognoscere, & velle illam vocum prolationem.

At obiectũ 4 Quartò voces significant aliquod aliud obiectum determinatum: sic vox homo non solùm ducit in cognitionem omnium supradictorum, sed etiam apta est excitare cognitionem huius determinatæ substantiæ. Non negauerim tamen aliquas voces significare obiecta contradistincta ab omni actu intellectus, & cuiuscumque alterius potentiæ intentionalis, vt vox homo, leo, &c. aliquas verò significare actus ipsos intentionales, & conceptus formales, vt vox cognitio, apprehensio, & similes.

Et conceptũ formalẽ 5 Quintò denium voces ducunt in cognitionem conceptus formalis loquentis, quod videlicet loquens cognoscat obiectum expressum per illas voces: cũ enim loquens humano modo intendat altori declarare, & manifestare rem per voces expressam, necessariò supponitur cognoscens talem rem: nemo enim potest velle manifestare rem sibi incognitam: & ideò communis omnium sensus est, voces non solùm significare res, sed etiam conceptus mentis, seu res prout substant conceptibus. Vnde patet voces, quæ significant actum intellectus, vel alterius potentiæ Intentionalis exprimere duos actus, alterum directum, qui se habet vt res; alterum reflexum, qui se habet vt conceptus, quo cognoscitur directus. Sic hęc vox, discursus, significat ipsum discursum, qui est actus directus intellectus, & cognitionem reflexam loquentis, qua cognoscit discursum.

6 Confirmatur, voces exprimere conceptum loquentis, primò: quia aliter hæ voces homo, animal, risibile, rationale essent synonimę: quia exprimerent idem omninò obiectum; nam diuersitas non est nisi inter actus intellectus, qui per te non exprimuntur. Secundò, quia ideò Aristoteles citatus docuit: voces esse notas earum, quæ in animo sunt passionum: & S. Augustinus *lib. 5. de Trinitate cap. 11. Verbum*, inquit, *quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet*. Tertiò, datur mendacium: ergo voces significant conceptus. consequentia probatur: quia mendacium in eo consistit, quòd voces significent res aliter, quàm sentimus: ergo signũ est, quód voces habent exprimere tum res, tum quod ita de illis sentimus. Hinc non est idem mentiri, ac falsum loqui; discrimen autem non est in alio; nisi quia falsitas sita est in difformitate orationis cum re significata: vt cum quis dicit: cœlum esse quadratum; mendacium in difformitate orationis cum sensu loquentis: vnde ex S. Augustino, mentiri est quasi contra mentem ire: qui duo conceptus possunt separari, vt si quis putans cœlum esse quadratum, dicat esse rotundum. Hoc autem discrimen nullũ est, si locutio vocalis non exprimit etiam conceptum mentis; sicuti enim non est falsa locutio, nisi exprimat obiectum, quod non sit; ita non est mendax, & difformis menti, nisi ostendat esse conceptum mentis, qui non est.

7 Cæterum sicuti conceptus mentis aliqui sunt merę apprehensiones, & hæ vel simplices, vel compositæ; aliqui iudicia; ita aliquæ voces tantùm exprimunt in loquente adesse apprehensionem obiecti, quod significant, vt sunt omnes voces, & nomiã incomplexa, vel etiam complexa, sed non includentia aliquod verbũ, quod sit signum iudicij, vt sunt hæ voces, Leo, Homo, Animal rationale, & similes, quarum aliquæ, licet plura significent; non ostendunt tamen aliquod iudicium loquentis, quod videlicet loquens ita, vel ita sentiat de obiecto significato; sed solum apprehensionem.

8 Aliquæ verò exprimunt existere in loquente etiam iudicium, & quòd loquens ita, vel ita sentiat de re hac, vel illa: & huiusmodi sunt orationes perfectæ seriò prolatæ; vt cum quis dicit: hominem esse capacem beatitudinis. Quamuis autem fieri potuerit (& defacto ita res se habet apud Sinas) vt singulæ voces hieroglyphycorum more, integra sensa declararẽt; tamen apud Europæos huiusmodi iudicia non exprimuntur, nisi pluribus vocibus includentibus aliquod verbum exprimens affirmationem, vel negationem mentalem.

9 Hinc infero: prolationem verborum, quæ nullum indicium mentis indicant, non esse locutionem humanam propriè dictam; probatur: quia locutio humana propriè dicta ordinatur à natura ad commercium, & societatem humanam: ergo locutio humana propriè dicta exigit ab audiente fidem, & assensum verbis prolatis: nisi enim audiens teneatur præbere assensum, & credere dictis aliorum, nec commercia, nec societas constare potest, quę maximé fundatur in eo, quòd & qui loquitur sit fidelis, & verax, & qui audit illi credat, vt videtur ipso lumine naturæ notum: neque pręciso illo assensu, audientis communicari potest scientia, quæ essentialiter includit assensum: ergo locutio humana rigorosè sumpta debet indicare, quòd loquens ita sentiat; si enim id non indicat, non potest propter authoritatem dicentis exigere, vt audiens ita sentiat; quis enim cogi rationabiliter potest ad ita sentiendum propter dictum, & authoritatem eius, de quo nullo modo certus est, quod ita sentiat? ergo locutio humana rigorosa essentialiter exprimit hunc esse sensum loquentis. *Locutio humana propriè dicta exprimit indicium loquentis.*

10 Hinc aliquę locutiones non enunciatiuæ, quæ videntur nihil determinatè, & explicitè affirmare, vel negare, cuiusmodi est locutio optatiua, cuius quatuor species assignat S. Tho-

mas apud Pallauicinum Innocatiuam, Interrogatiuam, Deprecatiuam, & Imperatiuam; quamuis videantur non significare nisi meras terminorum apprehensiones; si tamen rectè considerentur, significant aliquod iudicium absolutè existens; vnde est, quòd quis potest fictè inuocare, interrogare, &c. quia cum inuocat significat se indigere aliena ope, idque indicare; quare si id non iudicat, iam fictè inuocat, licet illam indigentiam apprehendat. Idem euenit in similibus orationibus, vt patet supradicta consideranti.

11 Debent tamen huiusmodi orationes seriò proferri, nisi enim seriò proferantur sicuti non inducunt in audiente obligationem credendi, ita neque supponunt in loquente, quòd ita sentiat.

Locutiones scenicæ nō sunt propriè locutiones.

12 Ex quibus sequitur scœnicas enunciationes, inuocationes, & similes non esse propriè locutiones: neque enim ordinantur ad exprimendos internos loquentis conceptus, aut ad eliciendam ab audientibus fidem; sed ad excitandas varias apprehensiones, & iudicia conditionata, ac affectus in audientibus, & ad summum indicant loquentem velle, illa verba proferre, & quòd alij vel habuerint realiter iudicia correspondentia illis verbis, vel quòd per illa, aut similia verba expresserint, vel potuerint exprimere talia iudicia. Idem dico de fabulis. Quare etiam scænicæ locutiones indicant aliquod iudicium actuale præteritum, vel possibile illius, non qui profert verba, sed cuius personam histrio repræsentat. Non eodem modo puto discurrendum de narratione historica: historici enim munus est veritatem referre, & veris narrationibus vitam, ac prudentiam munire: ergo videtur exigere fidem suis dictis: ergo expresse significat se ita, vt rem narrat, de illa sentire.

SECTIO TERTIA.

Vtrum voces significent ad placitum?

1 SCiendum est, dupliciter vnum posse significare aliud: primò naturaliter, propter naturalem connexionem inter vnum, & aliud, ratione cuius sicuti vnum existens necessariò connectitur cum existentia v. g. alterius, ita cognitum, vt existens, ducit nos in cognitionem illius: hoc modo fumus significat naturaliter ignē, cum quo tanquā effectus cū sua causa necessariò connectitur. Secundò ad placitum, non propter naturalem connexionem cum re significata, sed propter liberam: quia videlicet homines, vel aliud agens intellectuale liberè voluerunt, hoc significare, & ducere in cognitionem alicuius rei, cum qua nullam habet connexionem naturalem. Sic apud nos laurus appensa significat vinum vendibile ex hominum beneplacito: quia nullam habet connexionem cum vino illo, sed homines liberè voluerunt, vt id ostenderet. Hoc posito.

2 Certum est voces significare naturaliter se ipsas, & suum sonum materialem. Naturaliter etiam significant personam loquentis, si cognoscatur dependentia, quam habent ab illa; talis enim vocis dependentia ex natura sua connectitur cum illa persona. Tertiò naturaliter etiam significant, quod loquens cognoscit, & vult voces proferre, & per eas manifestare aliquod obiectum, & conceptum siue apprehensiuum, siue iudicatiuum existentem subiectiuè in intellectu, siue tantùm obiectiuè; quia videlicet reflexè cognoscitur, quamuis actu non sit in mente loquentis.

Quid voces naturaliter significent.

3 Huius rei ratio est; quia voces humanæ ex se, & ex fine ad quem à natura sunt institutæ, habent posse exprimere alteri quamcumque rem, & conceptum in particulari: cum enim ad societatem, & communicationem hominum, sine qua non constat felicitas ciuilis, sit maximè necessaria communicatio conceptuum internorum; hi autem conceptus sint natura sua secreti, nec possint homini ab homine communicari, nisi per signum aliquod sensibile; ad talem finem natura instituit voces: ergo voces humanæ ex institutione naturæ habent posse significare res, & conceptus: ergo illicò vt humano modo, & seriò proferuntur, ex se ostendunt, quòd loquens per illas aliquam rem, & conceptum manifestet: ergo quòd voces humano modo prolatæ significent aliquam rem, & conceptum mentis veluti in communi, habent ex se, non ab hominum placito.

Voces ad placitum significant obiecta, & conceptus determinatos.

4 Solùm igitur quæstio est, vtrum voces rem, & conceptum, quos determinatè exprimunt, significent naturaliter, an ad placitum. Communis, & vera sententia est, earum significationem non esse vocibus saltem actualibus naturalem; sed extrinsecam ex hominum beneplacito. Probatur communi argumento, & satis efficaci: si voces ex natura sua, & non ex hominū placito significarent determinatas res, & conceptus; eamdem significationem retinerent apud omnes nationes: quæ enim sunt à natura, & non ex hominum voluntate, eadem sunt apud omnes nationes, sic fumus apud omnes nationes significat ignem; at apertè falsum est voces apud omnes nationes retinere eamdem significationem.

Commoda huius conclusionis.

5 Cum hac vocum significatione ad placitum, primè benè cohæret finis naturæ in vocum institutione, quòd fuit bonum communicationis, & societatis humanæ; ad quod non minùs spectat sincera, ac libera secretorum communicatio; ita videlicet, vt homo possit communicare sua secreta, & aliquando teneatur; & non valeat inuitus cogi illa manifestare, cum aliquando oporteat non se, suaque alijs aperire; nec nisi impudentissimè, & in maximum societatis detrimentum, cuique promiscuè, & omnia crederemus. Huic fini maximè inseruiunt voces nihil determinatè significantes ex natura sua: nam ex vna parte sunt facilè producibiles, quod non leuiter promouet, & facilitat humanū commercium: ex alia verò dum nihil ex natura sua determi-

terminatè significant, saluantur illæsa iura secreti, & libertatis: neque si quis cogatur à potentiore loqui, cogetur prodere suum animum: cũ locutio illa ad placitum significans benè coniũgi possit cum opposito eius, quod significat. Secundò cohæret possibilitas mendacij: quia uidelicet uoces possunt exprimere existentiam rei, & conceptus, quando re uera non existit ille conceptus.

6 Vbi aduerto me hic solùm defendere, cum significatione uocum ad placitum benè cõponi prædicta bona; sed non asserere, non posse prædicta bona saluari, si alias uoces ex natura sua significarent: nolo enim quærere utrum uoces naturaliter significatiuæ possint componi cũ facultate mentiendi, & cum facultate occultandi secretum etiam loquendo: quia uidelicet exprimant existentiam rei, & conceptus; non tamen cum illa connectantur; cum aliundè probauerim uoces non significare naturaliter.

Adam sapienter rebus nomina imposuit.

7 Dices primò: Genesis 2. dicitur, quòd nomina imposita ab Adamo rebus sint propria illarum. Respondeo sensum esse; quòd nomina ab Adamo sapientissimè imposita, remanserint ad illud idem significandum tempore Moysis, à quo scribebatur ille liber, ad quod significandum fuerant à primo parente imposita: sicuti nũc dicimus vox homo, est propria vox, qua exprimitur hæc substantia determinata: quia videlicet ea voce nunc apud omnes latinos exprimitur homo. Quod si quæras: quare Adam sapientissimè se gesserit in imponendis nominibus? Respondeo rationem esse: quia cognouit singularum rerum naturas, quæ est magna scientia; & singulis pro suo libitu diuersa nomina imposuit.

8 Notandum tamen hic primò est: aliquas voces assumptas esse ad significandas quasdam res propter naturalem quamdam aptitudinem ad ipsas specialiter significandas, v. g. vox mugitus, quia imitatur sonum, quem bos edit, assumpta fuit ad significandum talem sonum: cæterum illud ad placitum significant: quia adhuc potuissent non assumi ad significandum talem sonum, quinimò assumi ad significandum aliquod omnino aliud, & disparatum.

Linguæ à Deo primitus institutæ.

9 Notandum secundò: non esse nisi laudabilem doctrinam, quam dat Maurus *quæst.* 56. De facto linguas primarias habere significationẽ non ex institutione humana, sed diuina: Deus enim infudit primis hominibus cognitionem linguæ hebraicæ à principio: post diluuium cõfundendo linguas infudit septuaginta duabus familijs, quæ conuenerant ad ædificandam turrim babilonicam, notitiam septuaginta duarum linguarum per infusionem specierum intentionalium repræsentantium voces talium linguarum, & earum significationes, quæ species similes erant illis, quas acquirimus dum linguas addiscimus. Linguæ autem secundariæ habent significationem ex consuetudine, & corruptione primariarum: quod probatur exemplo linguarum nobis familiarium: Italica enim, Hispanica, Gallica ortæ sunt ex consuetudine per corruptionem linguæ latinæ: Romani enim victores in has prouincias cum imperio inuexerunt linguam latinam. Barbari autem illas postea occupantes, dum loquerentur simul latinè, simul barbarè paulatim induxerunt vsum illarum trium linguarum.

Reliquæ linguæ ex consuetudine, & corruptione primariarũ ortæ.

10 Vnde colligitur ratio clarior, cur sapienter Adam rebus singulis nomina imposuerit: quia videlicet postquam illi Deus infudit species vocum veluti radicalium, & significationis illarum; cognitis rerum naturis ex illis radicibus deriuauit nomina exprimentia singulas rerum proprietates, ad quod opus est magna sapientia.

Quomodo voces auditæ excitent cognitionem rei & conceptus.

11 Dices secundò: si voces ex placito significant, non est explicabilis modus, quo vox prolata excitet cognitionem obiecti, & conceptus: quod benè explicatur, & intelligitur, si voces naturaliter significent ex connexione, quam ab intrinseco habent cum rebus significatis. Nego assumptum, & dico: Auditis uocibus excitari cognitionem rerum, & cognitis rebus excitari cognitionem vocum, quibus vnaquæque exprimitur; idque beneficio specierum complexarũ, quæ simul & res, & voces repræsentant; & auditis vocibus, vel visis rebus per species incomplexas rerum, vel vocum excitantur ad exprimendum tum res, tum voces.

[illegible] plexæ & incomplexæ, & species item complexæ, & incomplexæ.

12 Ad rei intelligentiam sciendum est: in linguis alias voces esse incomplexas, quæ non significant verum, aut falsum, & correspondent primæ apprehensioni, vt homo, leo, &c. alias complexas, quæ significant verum, vel falsum, & sunt enunciationes correspondentes iudicijs; vt homo currit, Petrus est homo. Primi igitur linguæ parentes constituerunt significationem vocum incomplexarum; vt v. g. hac vox homo exprimeret hanc substantiam, eamque vocem proferentes, simul alijs signis demonstrabant rem. Secundò efformantes ex vocibus incomplexis perfectas enunciationes eas proferendo, alijs signis declarabant, quas res, quosue animi sensus vellent per eas exprimere.

13 Iam verò prolatio vocum, eo modo facta causat primò in audientibus cognitionem tũ vocum, tum rerum, ex qua relinquitur species complexa veluti rememoratiua, quæ deinde ex quadam sympathia excitatur ad repræsentandũ tum vocem, tum rem, audita voce, vel visa re; & species incomplexæ, quæ excitant cognitionem vel vocis, vel obiecti, excitant species complexas ad repræsentandum simul voces, & obiecta. Hoc totum fundatur in quotidiana experientia, qua propagantur, & addiscuntur linguæ: dum enim linguas addiscimus, in eo vel in primis laboramus, vt confirmemus, & consolidemus species illas complexas. Ratio est: quia voces, vt vidimus, non significant naturaliter; ergo nisi adsint species complexæ, & vis eas acquirendi, non videtur facile intelligibile, quomodo audita voce determinemur ad cognoscendas has vel illas res.

14 Dices tertiò: homines debuerunt ab initio significare placitum illud: sed non aliter id potuerunt, quam per voces significatiuas: ergo ante placitum voces sunt significatiuæ. Respondeo potuisse homines significare suum placitum primo per voces à Deo institutas: secundò per nutus, sicuti muti per nutus explicant suos conceptus. Vbi aduerto posse mutos per nutus mētiri: quia & si nutus naturaliter significent, non tamen necessariò connectuntur cum obiectis expresso.

Voces inarticulatæ.

15 Dantur præterea in homine voces quædam inarticulatæ communes illis cum bestijs ordinatæ ad exprimendas varias animi affectiones, vt risus, fletus, eiulatus, suspiria & similes: sed primò in bestijs non subijciuntur libertati, sicuti in homine, qui potest illis, quamuis naturaliter significantibus, vti etiam cum non adsunt illæ affectiones: neque veró dictæ voces necessariò in homine connectuntur cum talibus affectionibus. Secundo præter has inarticulatas debent in homine admitti articulatæ: neque verò inarticulatæ sufficiunt ad explicandas omnes rationes veri, & falsi; honesti & inhonesti, non solùm in genere, sed etiam in particulari, vt necessarium est ad amicitiam, & societatem inter homines. Et quidem congruum fuit, vt multa etiam in hoc negotio hominibus permitterentur determinanda per eorum libertatem, & ingenium: sicuti natura dedit bestijs determinatū genus vestium, & armorum; non homini, cui concessit ingenium libertatem, & manus, quibus posset varia vestium, armorumque genera inuenire, eligere, & conficere.

SECTIO QVARTA.

Vtrum voces significent ex consuetudine vel ex pacto?

1 Significat ex consuetudine, quod vsu hominum id habet. Ex pacto, si adsit obligatio per pactum inducta, ratione cuius, qui serió loquitur non possit proferre verba, nisi in sensu, quem habuerunt ex prima sui institutione: idque; vel quia, qui loquitur init defactò tale pactum cum republica, & auditoribus: vel quia ex suppositione quòd velit loqui serió, ad dictom vsum tenetur ex lege, vel diuina, vel humana. His positis:

Voces significant ad placitum ex pacto.

2 Dico: voces significare ad placitum ex pacto, non ex mera consuetudine. Probatur: quia voces institutæ sunt à natura in bonum communitatis, & societatis humanæ: quod, vt supra diximus, maximè situm est in congrua communicatione secretorum: hæc autem communicatio secretorum exigit, vt ab audiente detur fides loquenti: si enim audiens potest pro libitu negare fidem loquenti, nihil certi concludi posset in humanis commercijs; neque vnquam ego deberem alteri communicare meum secretum: cessaret enim finis huius communicationis, qui est vt idem sensus sit in vtroque: quinimo hæc identitas sensus est formalis communicatio, in qua fundatur totum commercium: nam nisi venditor, & emptor idē sentiant de merce, & pretio, nunquam absoluetur venditio: tenetur igitur audiens credere serió loquenti: hæc autem obligatio nō est nisi assentiendi verbis loquentis in eo sensu, quem habent in illo idiomate, quo vtitur loquens; neque videtur ad quid aliud obligari possit audiens: ergo etiam loquens tenetur ad proferendum illa verba in eo sensu: aliter non esset cur audiens teneretur ea in tali sensu accipere: imo imprudenter ageret dum acciperet illa in eo sensu, si loquens non tenetur ad illum; nam non haberet argumentum amplectendi illum sensum; non ipsas voces, quæ ex se non habent connexionem cum veritate rei, & conceptus; neque probitatem loquentis, qui si non obligatur ad illum sensum, sine læsione suæ probitatis posset illa proferre in alio sensu.

Non est eadem ratio de vestibus & alijs signis, ac de vocibus.

3 Non hoc modo significant uestes, quæ, quamuis iam determinatè significent sexum muliebrem: id tantum habent ex consuetudine, non ex pacto, & lege. Quare non mentitetur vir indutus muliebri veste: ratio est quia in ordine ad hæc signa non debuerunt homines conuenire; voces enim, non alia signa sunt à natura datæ hominibus ad communicationis sinceritatem.

4 Hinc patet eum, qui indicaret se nolle vti vocibus hic, & nunc in communi significatione, non teneri eas accipere in illa significatione: hinc iocantes excusantur à mendacio, vt si quis ad experiendam nimiam facilitatem alterius in credendo, incredibilia narret. Si quis autem ex bono fine velit alicui loqui, sed se nō prodere, potest hebraicè loqui coram illo, quāuis sciat eum putaturum se loquutum arabicè, dummodò non se astrinxerit ad arabicè loquendum. Quod si præter voces sint in aliqua communitate signa ad placitum significantia ex pacto, non licet illis vti serio in alio sensu: quia militat eadem ratio, & illa signa tunc habent rationem locutionis ad alterum.

5 Ex dictis excusantur religiosi, qui apud infideles vtuntur vestibus sæcularium: quia vestes illæ non significant aliquod ex pacto, neque sunt significatiuæ alteri, sed ex quadam consuetudine ostendunt illum hominem esse sæcularē: quare per illas vestes non exigitur fides ab alijs, qua credant vestitos esse sæculares; sed solum occultatur proprius status. Nemo autem tenetur manifestare suum statum, præsertim cum magno periculo; præcisè quia datur alijs occasio erroris, nisi aliunde constet de obligatione manifestationis etiam vrgente illo periculo. Hinc etiā cohonestari poterunt stratagemmata in bellis, & similes fictiones.

6 Illud hic aduerto: vestis vsum aliunde necessarium esse ad decentiam videlicet: quare præcisa obligatione veritatis, cuenire potest, vt aliquando teneamur seruare vsum communē

vestium, quando aliter vestiri indicens esset, & minus decorum apud homines. Ob eandem etiã rationem possumus licitè vti suspirijs, etiam quando non sunt animi affectus, qui per illos significantur: quia nulla est conuentio in contrarium; quinimo multoties præstat vultus hilaritatem præ se ferre ad ædificationem, ne animi motus detegantur.

7 Hanc obligationem, & quasi pactum initum à loquente cum audiente fundatum in eo, quod loquens exigat ab audiente fidem, extendunt doctores ad Angelos, & Deum: quia, dum Deus, & Angeli nobiscum loquuntur, exigunt á nobis fidem. Quinimo licet vna gens non teneatur pactis initis ab alia gente, non potest tamen licite loqui seriò lingua alterius, quin habeat conceptum conformem locutioni: quia eo ipso quod Hispanus loquitur gallicé, exigit à Gallo fidem: ergo tenetur proferre voces gallicas conformes conceptui, quem habet: obligatur autem non ex pacto inito inter Gallos, sed ex eo quod dum seriò gallicè loquitur, tenetur conformari sensibus gallicis, idque ex natura ipsa rei, independenter à quacumque libertate.

Vnde obligatio ad credendũ.

8 Instabis: audita aliqua enunciatione seriò prolata v.g. Philippus quartus mortuus est; non solúm apprehendo mortem regis illius, quod præstatur per species complexas iam explicatas, sed etiam credo, & iudico id ita esse, fundatus in authoritate loquentis: assigna igitur mihi, per quas species determiner ad apprehendendũ, quòd loquens ita sentiat, & ad iudicandum; quòd illi tenear assentiri? Respondeo nos addiscendo linguam non solùm acquirere species complexas correspondentes singulis vocibus, sed etiam orationi enunciatiuæ, quæ species repræsentant tum obiectum ipsum complexum, tum quod loquens ita sentiat; ad hoc enim institutæ sunt illæ voces complexæ, vt significent tum obiectum, tum quòd loquens ita sentiat, si seriò loquatur: qua apprehensione posita tenetur ex ipso lumine naturæ, audiens præbere assensum loquenti: lumen enim ipsum naturæ dictat, seriò loquenti, dum nihil obstat, habendã esse fidem.

Posita prima linguæ institutione ex ipsa natura rei tenemur ad loquendum iuxta sensũ institutionis.

9 Ex quibus infero: obligationem, quòd voces seriò prolatæ accipiantur in sensu à primis institutoribus intento, fundari immediate in ipsa natura rationali, supposita prima libera institutione: cuius rei ratio est: quia dum quis alteri seriò loquitur his vocibus, exigit ab illo fidem iuxta sensum, quem illæ voces habent ex hominum voluntate, aut diuina institutione: hoc autem exigentia fundatur in lumine naturali id dictante: ergo lumen ipsum naturale dictat, quòd uoces in eo sensu proferantur: quare pactum & obligatio libera, quam uidelicet liberè suscipiunt homines, non est, ut teneantur proferre uerba in eo sensu, sed situm est in uoluntate illa hominum uolentium, ut hæc uerba seriò prolata, significent hoc obiectum, & hunc conceptum, & quod quis uelit seriò uti illis uerbis: cuius rei ratio est: quia posita illa institutione, & quòd quis uelit uti seriò uerbis illis, nõ est illi liberũ licitè uti in alio sensu. Si autem à me petas: quid sit seriò uti his uerbis. Respondeo esse uti uerbis exigendo fidem. Quid sit autem exigere fidem, suppono ut satis notum: ex circumstantijs autem colligendum est, quando nam loquens seriò loquatur, & fidem exigat: neque nouum est obligationem naturalem fundari in aliqua actione libera, eamque supponere: sic liberum homini est furari, sed post furtum oritur in illo obligatio absoluta, & naturalis restituendi.

10 Hinc patet imprudenter acturum, qui latinè seriò loqueretur coram ignorante vsum sermonis latini: nam exigeret fidem ab eo, qui fidem præstare non posset, utpote ignarus sermonis.

SECTIO QVINTA.

Quid immediatiùs, & principaliùs significent voces, res, vel conceptus?

Voces vt argumentũ immeditiùs exprimunt conceptũ, vt imagines immediatiùs res.

1 VOces dupliciter considerari possunt: primò, vt argumentum, quod nobis inseruit ad inferendam aliquam consequentiam. Secundò, vt imago excitatiua apprehensionis alicuius; & quidem vt argumentum priùs repræsentant conceptus, quàm res: ex eo enim quod quia proferat Caium esse mortuum, habemus argumentum, ex quo immediatiùs possimus deducere illum ita sentire; quàm quod res ita sit: nam cum ille habeat obligationem, vt conformet suam locutionem propriæ menti, dum nihil obstat, vnde possimus dubitare de illius veracitate, habemus satis efficax argumentum, & obligationem dicendi, quod ille ita sentiat: hoc autem non est sufficiens argumentum ad cõcludendum, quòd res ita sit? nam ad hoc requiritur, vt voces ostendant non solùm esse illũ conceptum in mente loquentis, sed etiam talem conceptum esse verum: voces autem humanæ non ita certo ostendunt existentiam conceptus, & eius veritatem: & si sunt argumentum non solùm existentiæ conceptus, sed etiam veritatis, iam prius inducunt in nos assensum circa prædicata conceptus, quales sunt eius existentia, & veritas eiusdem; quàm circa res ipsas; ex eo enim quòd loquens sit vir probus, ideoque verax nec volens fallere; & sapiens, ideoque non errans, inferimus immediatè existere in illo actum verum, & ex veritate actus inferimus existentiam obiecti.

2 Vt imagines autem voces priùs repræsentant res, quam conceptus. Probatur; quia auditis vocibus hisce, Petrus loquitur; illicò ducor in cognitionem locutionis petrinæ, & vix aliquando cogito de sensu loquentis. Et confirmatur; quia sicuti cognitio est imago naturalis obiecti, ita vox artificialis, seu libera: ergo sicuti cognitionis munus est præcipuè exprimere obiectum, ita munus præcipuum vocis est exprimere idem obiectum.

3 Ab hac doctrina non abhorret Quiros asse-

asserens : voces instrumentaliter, idest, vt argumentum significare conceptus: doctrinaliter autem, idest, per modum imaginis significare res. Cæterum in nostra sententia verificatur, quòd voces significent iuxta mensuram apprehensionis loquentis, vel saltem primi institutoris: non enim possunt significare, nisi quod ille apprehendit, si perseueret eadem significatio.

Vrgebis primò cum Mauro: qui intimè penetrat hanc vocem homo, videt, quod significat hanc entitatem non vtcumque, sed ut cognitam conceptu determinato, ac definibiliter; ergo uidet significare immediatè cognitionem, mediatè res: significare enim res, ut cognitas, est mediatè significare res, immediatè cognitiones. Distinguo antecedens: sed ut cognitam, ita ut non exprimat etiam hominem secundum sua prædicata intrinseca, idque clarè, & determinatè; nego: ita ut id etiam præstet; concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad probationem, distinguo assumptum: significare res tantùm ut cognitas; concedo: ut cognitas, & sub proprio etiā conceptu; nego. Neque hinc inferas, immediatè æquè significare res, ac cognitiones: nam est, non illicò, ut auditur, sed post considerationem, ut ipsemet aduersarius assumit, ducat in cognitionem rerum ut cognitarum, res autem ipsas illicò repræsentet; immediatiùs exprimit res, quàm conceptum. Illud autem hic notandum iterum est: aliquas uoces non habere obiecta, quæ exprimant, distincta á cognitione: quia institutæ sunt ad significandos conceptus mentis, & de his certum est, quod significent etiam vt imagines immediatè, & primariò conceptus mentis, veluti directos, secundariò autem, & vt argumentum reflexos.

Per accidēs potest oppositum accidere.

5 Aduerto hic primò, aliquando ex cupiditate, quam habet audiens percipiendi potiùs rem, quàm conceptus, vel contra; euenire posse, ut auditis uocibus priùs attendat ad res, quàm ad conceptus, uel contra. At hoc est per accidens ex illa cupiditate, per se autem standū est allatæ solutioni.

6 Aduerto secundò aliud esse quærere, quid prius cognoscamus auditis uocibus; aliud motiuum, quo inducimur ad assentiendum obiecto per uoces proposito: aliquando enim assentimur illi obiecto ob authoritatem dicentis; & tunc debet esse mihi nota probitas, & scientia loquentis. Et in hoc casu intercedit necessariò cognitio conceptus loquentis: nisi enim concipiam loquentem ita sentire, non possum eius authoritatem muneri ad præstandam illi fidem. Necessariò etiam uidetur intercedere cognitio conceptus loquentis, quando ad assensum pertrahor rationibus per illum adductis; verum in hoc casu non video necessitatem huius cognitionis, quam vt quis præbeat assensum alicui conclusioni ex rationibus adductis ab alio, sufficit si attingat illā conclusionem, & rationes adductas; ad quod nō videtur necessarium reflectere supra conceptus illius: nisi velis talibus rationibus vt adductis per illum assentiri: quod est formaliter moueri ab eius authoritate. Idem à fortiori dico, si quis moueatur rationibus aliunde habitis.

Allata doctrina cohæret cum existentia mendacy.

7 Dices primò: mendacium ex S. Augustino *lib de mendacio, & contra mendacium*, in eo situm est quod voces significent diuersum conceptum ab eo, quem habet loquens: ergo uel non datur mendacium, vel eo admisso voces significant immediatè conceptus. Nego consequentiā: ad mendaciū enim sufficit si voces mediate exprimant conceptus, & sint argumentum magis immediatum conceptuum.

Voces non significant res medijs cōceptibus.

8 Dices secundò: voces significant res medijs conceptibus: ergo immediatè significant conceptus. Antecedens probatur: nisi præcedat conceptus, quo loquens apprehendat, & iudicet de rebus, voces non sunt in rigore significatiuæ; vt patet in ebrijs, pueris, & psyttacis. Respōdeo, antecedens esse mihi falsum ad cuius probationem, dico; voces posita prima institutione, & speciebus complexis iam explicatis, quamuis non coniungantur cum conceptu loquentis, adhuc esse significatiuas: vere enim voces formatæ á psyttaco, vel ebrio, aut quouis alio intelligentia spoliato, si audiantur excitant cognitionem apprehensiuam rerum per ipsas expressarū, & conceptus, ad quem exprimendum sunt institutæ; quamuis non possint inducere in iudicium, quòd res ita sit vt exprimitur per illas uoces: quia in ordine ad fundandum hunc assensum debet apprehendi, quòd seriò proferantur à loquente, quod non habet locum in casibus allatis ab aduersario. Hinc patet voces ab ebrio prolatas habere ex se significare conceptum, quamuis non ut existentem, conceptum ipsius ebrij, qui hic, & nunc nihil fortasse concipit. Ex eo autem quòd uox significet tum res, tum conceptus, malè quis infert omnem uocem futuram æquiuocam: vox enim quæ plura simul, & semper eodem modo significat, non est æquiuoca; sed quæ modo significat unum, modo aliud.

Explicatur Aristoteles

9 Dices tertiò: Aristoteles hic c. 1. voces inquit, sunt signa cōceptuum primò; ergo immediatè significant conceptum. Respondeo Aristotelem locutū esse de signo, quatenus est argumentum, non quatenus est imago, iuxta à nobis supradicta. Addit author summæ triumphantis; voces primò quo ad intentionem primorum institutorum significare conceptus: quia primaria illorum intentio fuit per uoces inducere sincerā cōceptuum manifestationem maximè necessariā ad bonum reipublicæ sociabilis, & amicabilis. Cum quo benè cohæret, quòd voces in executione significent magis immediatè res, & deinde cognitiones.

Voces loco non rerum, sed conceptum substituuntur.

10 Illud hic aduerto, voces substitui tum loco conceptuum, tum loco rerum: sed negari non potest, quin diuerso modo id præstent; nam, quamuis vtrosque repræsentent, tamen potiùs funguntur munere conceptuum, quàm rerum: munus enim conceptus est exprimere tum se ipsum, saltem vt quo, tum obiectum; & voces hoc præstāt, non autem igne faciunt, aut desiccant, quod est munus proprium rerum significatarum. Attamē

In

in propositionibus, vel termini affirmati, vel negati; & veri; de quo aliud affirmatur, vel negatur, significant, vt quod, solum res ipsas, & ad summum, vt quo, conceptum: neque enim cum dico: Petrus est homo, significo, quod vox, vel conceptus formalis, Petrus, sit vox, vel conceptus formalis, homo; hoc enim est euidenter falsum, sed solum sensus est: obiectum, expressum per vocem, & conceptum formalem, Petrus, esse idem cum obiecto expresso per vocem, & conceptum formalem, homo.

Scriptura significat immediate verba non res.

11 Dices quartò: scriptura significat immediatè voces, & mediatè res: ergo voces significant immediatè conceptus, & mediatè res. Antecedens probatur ab Arriaga; qui scit optimè legere scripturam hebræam, nescit autem significationem verborum, à scriptura ducitur immediatè in cognitionem verborum, non rerum: contra verò nullus vnquam poterit legendo scripturam cognoscere ex vi illius res, & non voces. Loquimur autem de scriptura propriè dicta, quæ componitur ex elementis alphabeticis; nam hyeroglíphica, & numeri arithmetici significant tantùm res, & non voces. Non vrget autem allatam Arriagæ rationem responsio Ouiedi, in eo casu scripturam non ducturam legentem in cognitionem: quia idem est significatum vocum, & scripturæ: ergo, qui ignorat, quid significent voces, debet etiam ignorare quid significat scriptura; quamuis enim id verum sit, non facit ad solutionem argumenti; solùm enim probat ignorantem significatum uocum legendo scripturam non cogniturum res; sed adhuc uerificatur quod cognita scriptura, non potest non cognosci uox, sicuti potest non cognosci res: ergo cognitio scripturæ habet connexionem magis necessariam, & magis immediatam cum cognitione uocum, quàm secum semper trahit; quàm cum cognitione rerum: quæ ratio cum non militet in uocibus respectu rerum, & conceptuum; possumus enim cognoscere ex uocibus res nõ cognitis conceptibus, nunquam tamen conceptus sine aliqua rerum cognitione; ideo concesso antecedente, nego consequentiam.

Nõ est idẽ, quod immediate exprimit scriptura: ac quod intẽdit significare scribens.

12 Instabis: dum scribo absenti epistolam, non intendo illum reddere certiorem de uocibus, sed de rebus per scripturam significatis: ergo principaliùs significat res. Nego consequentiam: licet enim litteræ, & scripturæ immediatè significent uoces, quia tamen scribens supponit amicum conscium huius significati, non de illo curat, sed tantum uult significare res per uoces expressas, quas uoces significat scriptura: non est igitur necessariò idem immediatum significatum scripturæ, & quod intendit significare, qui scribit.

13 Instabis iterum: si mutus, vel alius nullam habens notitiam vocum, scriberet, certè per eos caracthefes nõ exprimeret suam vocem, cuius essentia illi ignota est. Respondeo mutum, qui scribit habere etiam notitiam vocum, licet eas nequeat formare. Rursus per eos caractheres non significaret suas, sed aliorum voces saltem possibiles idem exprimentes, quod caracheres. Demum licet in eo casu caractheres actu non exprimerent voces, idest per accidens, quod non nocet nostræ doctrinæ: sufficit enim si scripturæ per se immediatè exprimant uoces.

SECTIO SEXTA.

Quæ forma constituat voces significatiuas?

1 VIdimus uoces non habere ex suis intrinsecis vim significandi, sed illam participare dependenter à uoluntate agentis liberi, Dei videlicet, vel hominum: non dum tamen assignauimus formam, qua uoces, quę ex se formaliter id non habent, constituuntur formaliter significatiuæ; de hac igitur forma in præsenti quærimus, quid sit. Vt autem clarius procedamus.

Non per idem voces obiecta exprimunt, ac mouent ad assensũ.

2 Notandum est, voces considerari posse vt dupliciter significatiuas; primò ita ut sint aptæ tantùm causare apprehensionem rei significatæ, & conceptum illam exprimentis, quod euenit non solùm si uox sit terminus incomplexus, sed etiam si sit perfecta enunciatio: non omnis enim enunciatio uocalis, quamuis perfecta, est apta fundare assensum in audiente: secundò ita ut aptæ sint causare cõsensum in audiente: cum hoc tamen discrimine, ut omnis uox audita à sciente linguam, necessariò causet apprehensionem rei, non tamen necesse est, ut causet actualem consensum, etiam si aliunde sit apta illum causare; nisi proponat rationes euidentes, quę trahant necessariò audientem ad consensum, si attendat illarum pondus: de utraque igitur uirtute significatiua quærimus per quid formaliter constituatur.

Modus, quo transmittitur linguæ notitia.

3 Notandum secundò ex supradictis præter sonum materialem, in quo intrinsecè consistunt uoces, & dependentiam ipsarum à loquente, hæc omnia in hoc negotio intercedere: uoluntatem primorum institutorum, qua uoluerunt has uoces significare hoc, uel illud obiectum, & conceptum: expressionem externam, qua eam uoluntatem sibi, & alijs manifestarunt: species cõplexas ex illa manifestatione productas, quas supra explicauimus: transmissionem ad posteros huius uoluntatis, quæ transmissio coniungitur cũ productione specierum complexarum in ipsis posteris; & hæc transmissio fit per quamdam absoluti historicam narrationem, & doctrinam, qua maiores natu docent minores, has, uel illas uoces hoc significare, quod prestant proferendo uoces, & ostendendo res, alijsque nutibus, & modis, quibus acquiruntur species illæ complexæ. Ex his sequitur obligatio, qua obstringuntur omnes, qui uolunt uti hac lingua in seria locutione, ut non adhibeant has, uel illas uoces exprimentes hoc, uel illud obiectum, & conceptum, nisi re uera sentiant rem ita esse: interuenit etiam auditio ex parte audientis, & apprehensio rerum, & conceptuum significatorum, & aliquando etiam iudicium, quo quis assentitur dictis. His positis.

Do-

Vis significatiua vocum sunt species cōplexæ.

4 Dico: formam constituentem voces significatiuas esse species complexas, exprimentes tum sonum ipsum vocum, tum obiectum significatum: huiusmodi autē species, vt supra notabā, sunt in duplici differentia, aliæ enim excitant apprehensionem ex se insufficientem ad fundandum assensum: quia videlicet vel exprimunt puros terminos incomplexos; vel si exprimunt integram orationem, tamen illam exprimunt conuestitam circumstantijs, in quibus non exigitur fides ob audientibus: quia non seriò aliquid enunciatur, vt euenit in actionibus scenicis, & ludis verborum, & similibus. Aliæ excitant apprehensionem ex se sufficientem ad trahendum assensum, vt cum proponitur aliquod per se euidens, uel rationes efficaces ad eliciendum conclusionem aliquam; aut si circumstantiæ sunt tales, vt ostendant alium seriò loqui: tunc enim species complexæ excitatæ à vocibus in illis circumstantijs prolatis, causant apprehensiones sufficientes ad assensum.

5 Et quidē quòd detur vtraque classis specierum complexarum, confirmatur: ex eo, quia dum linguam aliquam à magistro, & ipso vsu discimus, diligenti reflexione aduertimus, has voces ostendere hęc obiecta, & hos conceptus, & conuestitas talibus, vel talibus circumstantijs, ostendere non solùm obiecta, & conceptus secundum se, sed etiam, quod loquens ita sentiat; ex illa autem reflexione oriuntur duę specierū classes, quarū altera apta est excitare puras apprehensiones non idoneas ad iudicium fundandū: altera verò apprehensiones, quę habeāt hanc aptitudinē. Et prima quidem excitatur à vocibus prolatis sine illis circumstātijs, secunda autem quando proferuntur in talibus circumstantijs. Hoc posito.

6 Probatur conclusio: Huiusmodi species sunt quid permanens, & ipsis perseuerātibus uoces retinent suum significatum, & aptæ sunt ducere in cognitionem obiecti, & conceptus, etiam si deficiat uoluntas prima institutorum, & omnia alia: contra uerò si ipsæ deficiant, quamuis perseuerent reliqua, ineptæ sunt uoces causare illā significationem: ergo uerè tales species sunt uis causatiua significationis actualis; & consequenter uis significatiua.

7 Neque dicas esse meras conditiones applicantes uim causatiuam: contra enim est: quia sunt uis causatiua cognitionis tàm obiecti, quàm conceptus: sed ea cognitio est significatio: ergo sunt uis causatiua significationis, non pura conditio.

8 Obijcies primò: cum addiscimus uel à magistro linguam, uel ipso usu significationem uerborum, nobis illæ uoces significant sua obiecta, & tamen non habemus tunc species illas complexas. Nego secundam partem. assumpti: nam dum addiscimus linguam acquirimus species illas complexas, quæ actu, dum audiuntur uoces, exprimunt nobis tum uoces, tum obiectum: quare addiscere linguam, non est aliud, quàm acquirere species, quibus uoces constituuntur significatiuæ; ideoque ante illam acquisitionem uoces non sunt mihi significatiuæ, sed alijs: cum facultate tamen, ut reddantur mihi significatiuæ: quia possum usu ipso, uel studio, aut dependenter ab alterius doctrina illas species acquirere.

Quomodo voces ad placitum significant.

9 Obijcies secundò: ergo uoces non significant ad placitum: quia species illæ complexæ excitatæ per auditionem uocum naturaliter, & necessariò excitant cognitiones illas. Nego sequelam: ad cuius probationem dico: uoces significare ad placitum, non quia earum uis significatiua sit ueluti quædam potentia libera, quæ positis omnibus circumstantijs possit significare, & non significare: ut est certum; sed quia liberum fuit hominibus, & Deo tribuere his, uel illis uocibus uim significatiuam huius uel illius obiecti. Vbi aduerte ante productionem illarum specierum etiam stante uoluntate instituendi uoces, ne ipsis quidem institutoribus fuisse significatiuas, sed tantùm fuisse in illis uoluntatem ut fierent significatiuæ. Ex quibus patet uoces esse significatiuas huic homini per species complexas in illo existentes.

10 Obijcies tertiò: non potest explicari quomodo uoces nunc significent dependenter ab illa uoluntate prima institutorum. Nego assumptum: nam primæ species, quas primi institutores acquisierunt, fuerunt dependentes ab illa prima uoluntate: dum enim explicabant subditis, & posteris significationem uocum, id faciebant dependenter ab illis speciebus, & sic per manus linguæ scientia transmissa est ad posteros omnes: quare species hæ, quas ultimi habent mediatè dependent ab prima illa uoluntate; sicuti nos mediatè dependemus à primo homine Adamo.

Quomodo varientur linguæ.

11 Hinc facilè explicatur quomodo mutentur, uel ex parte, uarientur antiquæ linguæ: quia uidelicet usu ipso fieri potest, uel authoritate noui principis, ut acquirantur nouæ species cōplexæ exprimentes ad sonum huius uocis non amplius illud obiectū, sed aliud diuersum: quinimò euenire ut principio mutationis perseuerent simul in eodem homine tum species complexæ primæ exprimentes uocem hanc cum hoc obiecto, tum secundæ exprimentes eandem uocem cum alio obiecto, & tunc audita illa uoce excitatur in audiente utriusque obiecti apprehensio, sed uirtute specierum complexarum, quas reliquit noua mutatio cognita audienti, apprehensio primi obiecti non est apta fundare assensum, sicuti apprehensio secundi excitata per secundas species; & ideo uoces illę sunt huic homini absolutè significatiuæ huius secundi, non primi obiecti. Quod si quis ignoret mutationem factam; respectu huius uoces retinent priorem significationem. Sicuti lex non publicata alicui non potest illum obligare: uerum hoc est per accidens.

Cur voces significent res, & nō è contra.

12 Obijcies quartò; species illæ complexę representāt indiuisibiliter, & simul non solùm res, sed etiam uoces: ergo non est cur potiùs uoces sint signa rerum, quàm res signa uocum: neque potest commodè explicari quomodo res signi-

ſignificentur dependenter à uocibus. Reſpondeo negando vtramque partē conſequentiæ: & quoad primam quidem, potiori iure uoces dicuntur ſigna rerum: tum quia uoces à natura inſtitutæ, præcipuè ſunt, ut inſtrumenta ad exprimendas res, & facilè ad hunc finem ſunt aſſumibiles, ac paſſim obuiæ; quod rebus non conuenit; tum, quia voces non habēt aliud munus præcipuum, quàm illam aptitudinem ad exprimendas res, rebus autem conueniunt quamplura alia munera: tum præcipuè, quia quamuis res oſtendant uoces, & fortaſsè etiam conceptus, quibus exprimuntur; tamen non habent oſtendere exiſtētiam alterius loquentis; neque iuuant ad communicationem, & ſocietatem humanam, ad quem finem præcipuè inſeruiunt uoces, quę humano modo prolatę oſtendunt exiſtentiam loquentis, & dependentiam ſui ab illo, ac proindè exiſtere in eodem conceptum, quem exprimunt: quod eſt formaliter immediatè conducere ad communicationem ſecretorum cordium.

13 Quoad ſecundum, dico: res ſignificari dependenter a uocibus: quia uox prolata, & audita excitat ſpeciem, quæ cauſet cognitionem obiecti ſignificati. Quare in hoc caſu ſpecies incomplexa uocis, quæ eſt cauſatiua cognitionis vocis, tantùm coniuncta cum ſpecie complexa, quam ſupponit, concurrit ſimul cum illa ad cognitionem repræſentatiuam tum uocis, tum obiecti, ut ſupra indicabam. Quod autem per aduentum alicuius ſpeciei incomplexæ excitentur ad cauſandam cognitionem ſuorum obiectorum multæ aliæ ſpecies complexæ, patet experientia in recordatione: ſæpè enim occurrente ſpecie alicuius obiecti, illicò excitantur cognitiones plurium aliorum obiectorum antea a nobis cognitorum: hęc autem excitatio, & concurſus euenit fortaſſe propter ſimilitudinem, & quãdam ueluti ſympathiam, quę eſt inter illas ſpecies: ſicuti præſente aliquo obiecto excitatur in animali modò unus, modò alius humor: unde patet illas ſpecies complexas non eſſe principium, & adæquatum determinatiuum intellectus in ordine ad producendas cognitiones uocum, & rerum, aliter ipſis exiſtentibus ſemper exiſterent cognitiones rerum, & uocum; ſed inadæquatum, quod ultimò tandem completur per ſpeciem incomplexam uocum, uel rerum: per aduentum enim harum ſpecierum, cum producenda ſit cognitio uocum, uel rerum, omnia principia, quæ ſunt in eodem ſubiecto, & poſſunt concurrere ad illam cognitionem, conſtant ſimul cum illa ſpecie nouū unum principium; inter huiuſmodi autem principia unum eſt ſpecies illa complexa, quę cum aliundè determinata ſit ad producendum ſimul cognitionem utriuſque uocis, uidelicet & obiecti, ideò in eo caſu producitur cognitio repræſentatiua utriuſque: quinimò in aliquibus caſibus etiam conceptus. Vbi aduerto non quamcumque ſpeciem incomplexam uocis, ſed diſtinctam, & ualdè perfectā id habere: ſpecies enim imperfecta, ſicuti non ualet excitare cognitionem diſtinctam huius uocis, ita neque rei per illam ſignificatæ.

14 Obijcies quintò: præciſa quacumque acquiſitione ſpeciei complexę uoces habent ſignificandi uim completam: ergo non conſtituitur ſignificatiuæ per ſpecies illas complexas. Antecedens probatur: hæc uis ſignificatiua uocum ordinatur in bonum communitatis, ad quod requiritur, ut apud omnes huius communitatis, hæ uoces idem ſignificent: ergo antequam acquirantur illæ ſpecies, habent huiuſmodi uoces ſignificare in hac communitate hoc, uel illud obiectum. Probo conſequentiam: ideò quando addiſcimus linguam, docemur has uoces hoc, uel illud ſignificare, & acquirimus potiùs has, quàm illas ſpecies complexas, quia hanc uim ſignificandi habent uoces à principe intendente bonum communitatis.

15 Reſpondeo negando antecedens. Ad probationem; nego conſequentiam: ad cuius probationem; diſtinguo cauſalem: quia hanc uim ſignificandi habent uoces ueluti formaliter à principe intendente bonum communitatis; nego: habent efficienter, concedo: princeps enim, uel communitas, aut conſuetudo ipſa intendens bonum communitatis, dum uult in hac communitate ad bonum ſocietatis ciuilis has uoces exprimere hoc, uel illud obiectum, non conſtituunt per illam ſuam uoluntatem uoces formaliter ſignificatiuas huius, uel illius obiecti; ſed, tantùm uolunt, ut ſubditi huius communitatis acquirant ſpecies complexas, quibus tales uoces conſtituantur ſignificatiuæ; & ut maiores nati, ſi uelint eſſe membra huius communitatis, & filios ad hunc finem educare, ita illos doceāt, ut acquirant has ſpecies complexas, & in id laborent ludi magiſtri, ut diſcipulis tales ſpecies ingenerentur. Quare princeps ipſe per acquiſitionem harum ſpecierum complexarum, reddit illas uoces ſibi ſignificatiuas: per manifeſtationē autē ſuæ voluntatis habentis vim obligandi producit in alijs ſpecies complexas, quibus eędem uoces reddantur illis ſignificatiuæ: & ſimul cognita illa uoluntate principis inſurgit in illis obligatio, ut laborent in acquiſitione harum ſpecierum, & ut alij, quorum curam habent, ſimiles acquirant. Et per hoc uidetur ſufficienter prouiſum bono communitatis, & ſocietatis humanæ, ut patet conſideranti.

16 Ex dictis infero: uim ſignificatiuam in uocibus non eſſe uoluntatem primorum inſtitutorum: quia uoluntas illa eſt præterita, uis autem ſignificandi eſt præſens, quia debet actu cauſare. Neque dicas eſſe actum aliquem diuinæ uoluntatis; tum quia probauimus in ſpeciebus explicatis ſatis ineſſe uim ſignificatiuam; tū quia uis ſignificatiua modò adeſt, modò abeſt, ut patet cum mutantur linguæ: decretum autem Dei inuariabiliter ſemper perſeuerat idem: tum quia quo poſſimus aliorum ſenſus percipere, & noſtros manifeſtare: ualdé laboramus in acquirenda linguarum ſcientia, & uirtute ſignificatiua uerborum; ſed non laboramus in acquirendo decreto Dei. *Vis ſignificatiua uocum nō eſt voluntas inſtituētiū*

17 Ob similes rationes non potest ea uis consistere in transmissione, & uoluntaris institutiorum manifestatione; quia hæc manifestatio transijt, dum perseuerat uis significatiua. Neque in obligatione proferendi uoces in hoc potiùs sensu, quàm alio; ea enim obligatio supponit uim significatiuam: ideò enim seriò loquentes tenemur uoces adhibere in hoc sensu: quia hic est illarum sensus, & uis significatiua.

SECTIO SEPTIMA.

De obiecto voluntatis primorum institutorum.

Obiectum huius voluntatis institutorum linguæ sũt species cõplexæ, & obligatio subditorũ.

1 HVic quæstioni, quam nonnulli pluris faciunt, quam merentur, facilè est ex dictis satisfacere: nam in uoluntate primorum institutorum duo possumus nos considerare: primò quòd uoluerint has uoces sibi, & alijs significare hæc obiecta, & hos conceptus: secundò quòd uoluerint obligare subditos ad amplectendam illam significationem. Et quo ad primum obiectum illius uoluntatis est uis significatiua uocum iam explicata, contradistincta ab ipsa uoluntate. Secundum tangit quæstionem de obiecto uoluntatis obligatoriæ. Nobis autem sufficit dicere obiectum illius uoluntatis esse obligationem subditorum. Quid autem sit hæc obligatio, non spectat ad hunc locũ, sed est quæstio agitanda à Theologis in materia de legibus.

Obligatio non est formaliter voluntas obligatoria principis.

2 Certum autem esse debet: principem, aut communitatem debuisse uelle obligare subditos ad acquisitionem huius linguæ: cum enim in bonum communitatis debeant uelle uim significatiuam uocum eamdem apud omnes, & hoc alio modo obtinere non possint, nisi obligando ad id subditos; debuerunt uelle obligare subditos ad illius linguæ acquisitionem. Probabile item mihi est, hanc voluntatem obligandi non esse formaliter ipsam obligationem: quia potest formaliter haberi hæc voluntas obligandi, & non esse obligatio in subdito ex defectu cognitionis: Rursus in subdito potest esse obligatio absque eo quod in superiore sit voluntas obligandi vera, & realis: ut si per errorem subditus putet se peccare, si aliquid non faciat: quare voluntas illa principis & eius publicatio externa non sunt obligatio, nisi tantum causalis.

Sed est dictamen cõscientiæ.

3 Breuiter igitur dici posset: obligationem esse dictamen conscientiæ, quo subditus putet se peccare si non addiscat, uel doceat hanc linguã. Probatur: quia posito illo dictamine, & præciso quocumque alio, habetur obligatio: contra verò præciso illo dictamine, & pósito quocumque alio non habetur in subdito obligatio: ergo proximè, & formaliter obligatio sita est in illo dictamine.

Explicatur dictamen cõscientiæ.

4 Sed vrgebis: dictamen docet adesse obligationem: ergo non est obligatio, sed illam supponit. Distinguo antecedens: verè dictat adesse obligationem proximam, & formalem; nego: remotam & causalem; concedo antecedens; & nego consequentiam. Instabis: non potest explicari quid sit illa obligatio remota, & causalis: ergo perseuerat integra difficultas. Respondeo obligationem remotam, & ueluti causalem esse cognitiones quasdam præuias, in quibus fundatur dictamen. Instabis rursus: non potest explicari quid sint hę cognitiones præuiæ, & quodnam obiectum habeant. Respondeo esse quasdam apprahensiones, & iudicia, quibus apprehendimus, & iudicamus obiectum esse prohibitum, uel imperatum, aut esse ex suis intrinsecis bonum necessarium, aut malum fugiendũ: ex quibus sequitur dictamen illud, dictans nos non posse illud amplecti, uel omittere, nisi per actum malum, & oppositum ultimo fini; ad hoc autem non requiritur, ut obiectum sit in se malum, aut bonum necessarium, quod sit prohibitum, uel imperatum, sed sufficit si tale appareat.

5 Rem igitur totam hoc modo compono, quantum sufficit ad præsens institutum: primo est in principe uoluntas efficax obligandi subditos ad illam linguam in cõmercijs amplectendam: secundò est cognitio, qua princeps ipse cognoscit in se hanc voluntatem, & cognitionem, qua cognoscitur non posse subditos obligari, nisi manifestetur illis uoluntas prędicta: quare sequitur in principe uoluntas alia manifestandi suam primam uoluntatem, quæ secunda voluntas habet pro obiecto manifestationem illius primæ uoluntatis; & productionem signorum, siue hæc sint species, quæ ualeant inducere in subditis cognitionẽ illius primæ voluntatis; siue sint ipsa cognitio eiusdẽ primæ uoluntatis; ad quam cognitionẽ sequitur dictamẽ conscientiæ dictans, hic, & nunc peccatum esse non addiscere, uel non docere illam linguam, quod dictamen fuit obiectum primæ voluntatis, & habet pro obiecto omissionem, uel positionem intrinsecè malam, ut suppono, quod si bene consideretur nullum dicit circulum uitiosum.

Discrimen inter voluntatem obligatoriam Dei, & creaturæ.

6 Notandem autem est hic discrimen inter voluntatem obligatoriam Dei, & creaturæ, quòd voluntas Dei obligatoria, & efficax necessariò trahit illud dictamen, & obligationem; at creata voluntas obligandi, quamuis ex se efficax, potest aliundè ex multis capitibus impediri, ne cõsequatur suũ effectũ. Illud hic aduerto: huius dictaminis obiectũ, ut dicebã esse operationem bonã, uel malam, idest vltimo fini conformem, vel difformem, qui sunt termini aliunde noti: quæ si benè consideres non est periculum, ne incidas in circulum. Verum de hoc puncto fusius dicam 1. 2.

Obiectum voluntatis obligatoriæ non est chimæra.

7 Hinc reijcio illos, qui uolunt obiectum volitum à primis instituoribus esse implicans & chimæricum, sed conditionatum: voluerunt inquiunt, vt si fieri posset, uoces essent ab intrinseco significatiuæ: reijcio inquam primo: quia nulla est necessitas huius fictionis. Secundò, certò, ut probauimus, uoluerunt uoces esse significatiuas: hoc autem est quid reale; quod relinquunt inexplicatum aduersarij: & quidem quod

est

est in vocibus illa vis excitatiua, & causatiua talis cognitionis? Tertiò cum hac voluntate conditionata de obiecto impossibili potest stare absoluta voluntas, ut voces nullo modo significent: ergo voluntas illa non est voluntas constitutiua signi ad placitum; ut volunt aduersarij. Antecedens probatur: quia cum voluntate conditionata producendi hircoceruum, si fieri potest, componitur de facto voluntas absoluta illud non producendi. Quartò, potest quis habere hunc actum, si fieri posset, ut voces essent ab intrinseco significatiuæ, nollem id fieri; & tamen uolo, ut hæc vox hoc obiectum exprimat: in quo casu voluntas illa esset profectò in sententia aduersariorum constitutiua vocum in ratione signi ad placitum, neque uellet conditionatè aliquod obiectum impossibile. Quod si aduersarij uelint per hanc uoluntatem uelle homines, quòd uoces præstent id, quod præstarent si essent ab intrinseco significatiuæ, uerum fortasse dicunt, sed non habet ille actus pro obiecto directo aliquod impossibile, sed uirtutem significatiuam, & actualem significationem; de quibus supra diximus; uerùm de hac re fusius alibi.

Bruta non attingunt significatũ nominum.

8 Aduerto canes, & alia bruta uoces audientia, non attingere earum significatum, sed tantum ex illis tales excitari species, & cognitiones in brutis, quæ eadẽ bruta determinent ad aliquos determinatos motus locales; &c. Species autẽ illæ relictæ sũt á primis uocibus; quæ uoces cõiunctæ cum aliquo bono, uel malo produxerunt primó illos motus: ideoque excitatæ deinde similes cognitiones determinant ad motus similes antecedentibus.

Cui voces clariùs suũ obiectũ repræsentant

9 Quæres hic obiter: utrum uoces possint significare rem clariùs audienti, quàm loquenti, quin & primò etiam institutori? Quidam putat per se loquendo uoces non posse clariùs significare rem audienti, quàm loquenti: quia significant iuxta mensuram uoluntatis imponẽtium uoces; per accidens autem ex adiunctis possunt clariùs significare audienti, quàm loquenti; quinimò & primo institutori. Ego tamen puto uocem non habere ex se, & ex ui suæ institutionis, nisi significare hanc rem, & hunc conceptum: quod autem nunc producant clariorem, nunc minùs claram expressionem prouenit ex adiunctis accidentalibus: ideoque euenire potest, ut res, & conceptus clariùs cognoscatur ab audiente, quam à loquente, & institutore; & é contra: quinimò eadem uox audita in alijs, & alijs circumstantijs potest in eodem homine modò causare cognitionem clariorem, modò minùs claram. Neque uideo quomodo primi institutores potuerint taxare cognitioni procedenti à uocibus significatiuis gradum claritatis: neque huius determinationis ullum habemus de facto signum: his adde quæstionem uideri posse inutilem: neque enim uoces significant, & manifestant aliquod occultum loquenti, aut primo institutori; in quibus supponitur in priori ad productionem uocum cognitio rerum, quas intendunt manifestare. Solùm igitur habet locum quæstio, si fiat in hoc sensu: utrum uidelicet uoces possint excitare in audiente perfectiorem cognitionem ea, quæ supponitur in loquente circa idem obiectum. Et sanè, si loquamur de conceptu formali uidetur impossibile inter homines, quòd ex ui uocis in audiente formetur de illo clarior cognitio, quàm sit illa, quæ supponitur in loquente, qui in se ipso clarissimè, & euidenter experitur existentiam, uel carentiam talis conceptus.

SECTIO OCTAVA.

Quomodo apprehensio, & iudicium distinguantur.

Quid sit apprehensio.

1 A Repræsentatione, & enunciatione externa, gradum facimus ad internas, quæ sunt apprehensio, & judicium, & inquirimus: quid sint in hominibus huiusmodi actus: nam verum, & quid sint in Deo, & Angelis; est Theologorum negotium: nonnulla tamen etiam de illis hic obiter attingemus. Et quidem facilè quisque hominum experitur in se aliquos actus, qui sint meræ apprehensiones, aliquos etiam iudicatiuos: & ideò quid sint huiusmodi actus est fortasse notiùs, quàm valeat explicari: quia tamen hæc quæstio multa continet notatione digna, quæ spectant ad cognitionem nostrorum actuum, & modi, quo intellectus in rerum cognitione procedit; ideò videtur diligentiùs examinanda.

Simplex apprehensio.

2 Dico primò: apprehensio simplex, seu pura intellectualis (de hac enim loquimur, non de sensitiua) est actus vitalis potentiæ intellectiuæ, qui tantùm habet formaliter repræsentare eidem intellectui prædicata rei. Primæ particulæ sunt loco generis: nam esse actum vitalem potentiæ intellectiuæ humanæ, conuenit etiam alijs actibus hominis; reliquæ explicant differentiam: nam tantùm formaliter repræsentare intellectui obiectum non conuenit alij: licet enim alij actus intellectus repræsentent intellectui obiectum, non tamen habent tantùm repræsentare. Quid autem sit repræsentare aliquid formaliter potentiæ intellectiuæ est satis ex terminis notum. Ex quo benè intelligitur, quid sit ly tantùm, excludere videlicet omne aliud prædicatum ab illa apprehensione pura.

Quid, & quotuplex sit repræsentatio.

3 Cæterum vt res clariùs intelligatur, sciẽdum est: quòd repræsentare aliquid alicui, est reddere illi rem aliquam præsentem, ita ut velut illam in se vel apprehendat, uel possit illã apprehendere; ideoque res redditur præsens propriè tantùm enti cognoscitiuo, quod solùm per motum suum ab intrinseco procedentem valet res apprehendere. Dupliciter potest res alicui enti cognoscitiuo fieri præsens: primò secundum suum esse reale, ita vt valeat manibus, vel aliquo alio instrumento illam apprehende-

re, & aliquo modo intra se ponere: secundò intentionaliter tantùm, ita vt tantùm eius imaginem, non autem eius esse reale valeat ens cognoscitiuum in se ponere. Vbi aduerto, quòd apprehensio realis ferè semper supponit, vel comitatur intentionalem: neque enim potest ens cognoscitiuum uitaliter per aliquem suum motum apprehendere, & reddere sibi præsens manibus, uel aliquo alio instrumento esse reale alicuius rei, nisi illam cognoscat; ut patet consideranti: cognoscere autem illam est reddere sibi eamdem intentionaliter præsentem, & intentionaliter apprehendere.

Duplex imago instrumentalis ac formalis.

4 Iam verò duplex datur imago intentionalis alicuius rei, prima instrumentalis, quæ scilicet apta est excitare in ente cognoscitiuo cognitionem rei: & huiusmodi sunt pictura, & species impressa, quæ licet aptæ sint excitare in cognoscente cognitionem obiecti alicuius, qua veluti tale obiectum ponitur in intellectu, & sit illi præsens; non tamen sunt ea cognitio. Secunda est formalis, ipsa uidelicet cognitio, ratione cuius viuo quodam modo res est in cognoscente, & in illo uiuit: est enim cognitio imago uiua obiecti: & in hoc sensu omnes creaturæ uiuunt in Deo, uita Dei, dum ab illo cognoscuntur, & intellectus creatus intelligendo fit omnia, dum format in se rerum intellectarum imagines: pura igitur apprehensio humana erit pura repræsentatio, & imago non instrumentalis, sed formalis alicuius rei procedens ab intellectu humano, & in eodem residens.

Intellectus humanus initio est velut rasa tabula.

5 Hoc explicari potest primò exemplo Aristotelis, qui dixit intellectum humanum ante cognitionem rerum esse tabulam rasam: quia ante cognitionem non sunt in illo uelut depictæ imagines rerum; quod formaliter fit per ipsam cognitionem. Quare simplex apprehensio comparatur, & correspondet picturæ, & poësi. Sicuti enim tabula depicta, & poësis solùm habet repræsentare personas, & res gestas, non autem exigit, quantum est ex se, ut res ita credatur esse, uel non esse; ita apprehensio solùm formaliter reddit præsentes intellectui personas, & res gestas; non autem aliquid determinat, sed formaliter quantùm ex se est relinquit intellectum veluti pendulum, ac fere dubium.

6 Secundò explicatur exemplo iudicij forensis, antequam enim iudex proferat sententiã debent illi proponi ab utroque parte suæ rationes, quas benè concipit iudex: illa propositio rationum, & conceptus, quo iudex illas concipit precedens sententiam, sunt veluti simplices apprehensiones. Ex his facile est decidere, quod sit iudicium.

Quid sit iudicium.

7 Dico igitur secundò: iudicium humanum est actus vitalis intellectus humani, quo formaliter aliquod enunciantr enunciare formaliter est dicere, ac proferre sententiam, quod est formaliter adhærere vni parti, & non alteri: sicuti iudex discussis vniuscuiusque partis rationibus, dũ profert sententiam, adhæret vni parti potiùs, quàm alteri: quid sit hoc adhærere, & proferre sententiam, ac litem decidere, quisque in se facilius experitur, quàm valeat, vlterius explicari.

Alia ex apprehensionibus est complexa, alia incomplexa.

8 Vt autem innotescat modus, quo noster intellectus format apprehensiones, & indicia, notandum est: apprehensiones, vt sæpè diximus, alias esse incomplexas, quæ exprimunt terminos incomplexos, vt si apprehendam hominem, leonem, & similes: alias complexas, quæ exprimũt plures terminos, quinimò identitatem inter illos; vt si quæratur: vtrum sidera sint paria, vel imparia, apprehendo proculdubio, quid sit sydera esse paria, vel imparia; non tamen adhæreo alteri parti: & si quis mihi narret Petrum esse virum doctum; apprehendo vtrumque doctrinam in illo, non tamen affirmo, vel nego talem doctrinam esse in illo. & sanè in propositione cuiuscumque quæstionis semper apprehenditur identitas, vel distinctio inter prædicatũ, & subiectũ, non autem necesse est, vt illicò alteri parti hæreamus.

9 Iam verò ex apprehensionibus incomplexis aliquæ sunt valdè imperfectæ, vt sunt apprehensiones primæ, quas dependenter à sensibus acquirimus in primis annis: non attingunt enim nisi mera accidentia externa, circa quę versantur sensus, & vix quidquam iuuant ad discernendum vnum obiectum ab alio: paulatim, & veluti pendentim perficiuntur progressu temporis huiusmodi apprehensiones incomplexæ, sed non sine dependentia à multis tum primis operationibus incomplexis, & complexis; tum etiam iudicijs, & discursibus: primas enim operationes incomplexas saltem claras, & essentiales exprimentes conceptum substantiæ, spiritus, viuentis, Dei, & similes, non formamus nisi post multam considerationem, & diuturnam reflexionem, & disciplinam etiam extrinsecùs haustam vel à Deo per reuelationem, vel studio à magistris, & libris.

Primi conceptus & quomodo formentur.

10 Quod vt clariùs intelligatur, sciendum est: aliquos conceptus esse per se notos, & vlteriùs inexplicabiles, seu qui licet possint vlteriùs explicari, non est tamen id necessarium, cum satis in illis quiescat intellectus. Est autem per se notum, quod vel immediatè per se cadit sub aliquam experientiam, vt sunt ferè omnes conceptus accidentium, quæ sensibus experimur, vt lucis, albedinis, & similes; vel ex determinatione naturæ sine discursu cognoscitur, statim vt in nobis excitatur experientia alterius prædicati cum illo connexi per aliquam relationem, vel similitudinis, vel dependentiæ, vel principij & similium: quæ relationes etiam cadant sub experientiam: & hoc secundo modo forsitan formamus conceptum substantiæ, & aliquorum accidentium materialium, quæ non immediatè cadũt sub sensum.

11 Vbi aduerto: huiusmodi plures conceptus non pendere necessariò ab aliqua experientia sensuum extrinsecùs habita: multos enim, & quidem perfectiores formamus dependenter ab experientia, quam de nobismetipsis habemus: tales sunt primi illi conceptus entis, boni, & simi-

similes, quos quisque supra se, ac actus suos reflectendo format: tales etiam sunt conceptus causæ, & effectus, identitatis, & distinctionis: quilibet enim, reflectendo supra se, videt, se secum habere summam communicationem, & non esse quid à se diuersum, vnde format conceptum identitatis, & distinctionis: videt etiam suos actus à se profluere, vnde format conceptum causæ, & effectus. Huiusmodi autem conceptus pendet in homine à sensibus; primæ enim experientiæ sunt operationes sensibiles sensuum externorum, & dependenter ab illis determinatur anima ad cognoscendum suam substantiam, & à se omnes illas operationes procedere.

Conceptus ænigmaticus.

12 Nonnunquam tamen non experimur accidentia propria rei, aut relationem illorum ad eam; sed tantum possumus scire varias similitudines, quas vna res habet cum alijs, & tunc formamus de illa re conceptum ænigmaticum: ænigma enim est similitudo, vel simulacrum. Iam verò si similitudo sit tantùm cum vna re, non possumus ex vi illius formare conceptum proprium rei, sed vniuersalem, in quo res illæ conueniunt: at si similitudo sit multiplex, & cum pluribus per plura prædicata separabilia; tunc fit complexum quoddam prædicatorum, conueniens tantùm rei, quam ænigmaticè cognoscimus; v. g. esse substantiam completam, finitam conuenit Angelo, & homini, posse penetrari cum corpore conuenit Angelo, & accidenti: complexum autem omnium conuenit tantùm Angelo; & hic est proprius conceptus Angeli, sed ænigmaticus habitus per similitudinem plurium.

Primus, qui in nobis formatur Angeli conceptus, est imperfectus.

13 Vrgebis: quomodo primò formatur hic conceptus, Angelus: non supponuntur præcessisse illi conceptus, & multò minùs conceptus identitatis inter omnia illa prædicata, qui est maximè proprius Angeli: ergo independenter ab illis formamus conceptum Angeli: quo igitur modo id euenit? Respondeo conceptum Angeli perfectum, quem possumus in hac vita habere, & distinctiuum illius ab omni alio, & qui sit veluti fundamentum, & prima radix omnis fere iudicij, quod de Angelo formamus, ac decidendæ cuiuslibet quæstionis circa eiusdem proprietates, &c. non esse conceptum primum, quem de Angelo habemus; sed quem acquirimus post diuturnam discusionem combinando plura inter se, quæ per varias apprehensiones, & discursus attingimus, vt pertinentia aliquo modo, ad Angelum, & illi similia. Primus igitur conceptus Angeli, quem in nobis formamus, est valdè imperfectus, & uel non attingens substantiam ipsam Angeli, sed aut aliquem eius effectum, aut aliquid illi simile, aut etiam per errorem loco illius aliquam aliam rem, longè disparatam: vel est valde imperfectè attingens substantiam ipsam Angeli.

14 Hoc igitur dupliciter euenire potest; primò si ex effectibus venando causas, ductu luminis naturalis cognoscamus existentiam certæ alicuius causæ creatæ distinctæ ab omni causa visibili, tum sublunari, tum cælesti, ad quem conceptum formandum sufficiunt conceptus illi per se noti causæ videlicet, effectus, identitatis, & distinctionis, quibus positis ex discursu determinamur deindè ad formandum illum conceptum imperfectum existentię talis principij, & causæ distinctæ ab omni visibili. Quo conceptu formato ex ipsa curiositate, & sciendi desiderio inclinamur ad perfectiùs cognoscendum illud principium: & quia aduertimus id fieri à nobis non posse, nisi comparando cum illo principio, & eius prædicatis iam nobis, licet imperfectè, notis, alia prædicata nobis item aliùdè nota; ideo multas facimus huiusmodi compationes, & inquirimus. verum hoc, uel illud prædicatum competat, uel repugnet tali principio, & sic tandem possumus peruenire ad aliquē conceptum magis distinctum, & ex quo valemus deducere reliquas illius proprietates, quāuis in formando illo conceptu non parum aut laboris in sit, aut periculi in errorem incidendi.

Primus Angeli cōceptus in nobis aliquando ab extrinseco.

15 Secundò potest primus Angeli conceptus formari in nobis ex doctrina extrinsecùs habita, vel per magisterium humanum: primò enim audientes hanc vocem, Angelus, illicò formamus conceptum valdè confusum, quo cōcipimus ens aliquod exprimi per hanc vocem. Deindè audientes huiusmodi Angelum dari, formamus conceptum entis existentis, quod sit hoc, & non aliud: non autem possumus vel affirmare, quòd detur, aut nō detur, vel quód habeat hæc, non illa prædicata. Tum audientes alia, & alia de hoc ente expresso per hoc idem nomen formamus alios, & alios conceptus de substantia hac, quos conceptus inter se componendo primò possumus colligere, quod forment conceptum diuersum ab omni alia re. Secundò inquirimus, verum sit aliqua repugnantia inter illos conceptus, vnde per continuam discussionem formamus nouos, & nouos conceptus perfectiores, & perfectiores de eadem entitate Angeli.

Sed ex imperfecto ad perfectum transimus.

16 Huiusmodi autem conceptus formamus dependenter à speciebus, quas habemus ad formandos conceptus entis, substantiæ, & similes: illæ enim species determinatæ ab auditione, & cognitione vocum, & aliarum circumstantiarū iuuant intellectum ad apprehendendā substantiā Angeli distinctam ab omni alio, sed per similitudinē ad ens aliquod substantiale indiuiduum, & corporeum: vndè patet nos audita illa voce, Angelus, saltem primis vicibus posse non concipere Angelum, quod prouenit ex ignorantia significationis, quam ignorantiam deindè animaduertimus, cum alia de illius vocis significato audimus.

17 Ex quibus patet: ad formandas apprehensiones incomplexas proprias, sed ænigmaticas concurrere, & præsupponi plures alias non solùm incomplexas, sed etiam complexas, quibus comparamus obiecta incomplexarum, apprehendendo conuenientias, vel disconuenientias inter illa; certè quidem post omnem illam

di-

discussionem formamus conceptũ Angeli clarũ, qui nobis distinguit Angelum ab omni non ipso, saltem in potentia, qui conceptus, audita voce, Angelus, vel viso aliquo, quod cum illo habet connexionem aliquam physicam certam, vel probabilem, aut etiam intentionalem; beneficio specierum relictarum à primo illo conceptu, illicò occurrit, & quidem si non signatè, saltem exercitè exprimit distinctionẽ Angeli ab omni alio; ita vt intellectus stante tali conceptu, quãuis non reflectat ad præuios conceptus complexos, & incomplexos, qui ad formandum dictũ conceptum concurrerunt, quiescit in hac determinata substantia tanquã distincta á reliquis, neque de hoc ullo modo dubitat, quod est signũ, quòd ille conceptus sit proprius Angeli: & faciliè intellectus, stante illo conceptu, potest, orto dubio, excitare alios conceptus tum complexos, tam incomplexos, qui ad formandum illum conceptum Angeli influxerunt; idque ob connexionem, & naturalem veluti symphatiam, quã inter species rememoratiuas in bonũ intellectus humani instituit natura.

Hæc omnia pendẽt ab aliqua experientia.

18 Si quis autem supradicta diligenter consideret, animaduerteret hos omnes conceptus resolui tandem in aliquam experientiam ostendẽtem mediatè, vel immediatè omnia illa prædicata, dependenter à quorum expressione formatus est conceptus Angeli.

Apprehẽsiones complexæ aliæ prauæ aliæ rectæ.

19 Simili modo apprehensiones complexæ possunt esse prauæ vel rectæ; erunt prauæ si ita attingant identitatem inter extrema repugnantia, vel distinctionẽ inter identificata, vt vel determinent, vel inclinent intellectum ad iudiciũ falsum, quo adhæreat identitati inter terminos repugnantes, vel distinctioni terminorum, qui identificantur: præcisa autem hac inclinatione, vel determinatione, non est vnde apprehensio dicatur praua, sicuti neque dici potest absolutè, & positiuè recta; nisi quæ vel inclinat, vel determinat ad iudicium verum: quare apprehensio recta, vel praua sunt quædam veluti iudicia inchoata. Nõ quæcumque autem apprehensio, quæ attingit identitatem inter extrema repugnantia, inclinat, vel determinat ad iudicium illud: sicut quamuis apprehendam paritatem, vel imparitatem siderum, non ideò tamen inclinor, vel determinor ad amplectendam alterutram partem. Requiritur igitur vt apprehensio illa proponat mihi aliquod motiuum, quod me vel determinet, vel inclinet ad iudicium: non enim iudiciũ humanum potest esse omninò irrationale, & prorsus temerarium, ita vt homo non possit sui iudicij rationem reddere saltem aliquam, & apparentem, licet aliquando non veram, neque sufficientem. Hoc autem motiuum aliquando sunt ipsimet termini, qui apprehensi ostendunt in se ipsis illam identitatem, aliquando est ab illis diuersum, in quo veluti in medio apparet illa identitas; quare iudicium affirmans, vel negans identitatem aliquando est conclusio illata per discursum, vt cum priùs adhæremus per vnũ actum motiuo apprehenso, deindè per alium à

Iudiciũ aliud mediatum, aliud imediatũ.

primo dependentem, identitati: aliquando est immediatum non supponens aliud iudicium ante se, vt cum ex motiuo, & terminis apprehensis illicò determinamur vel liberè dependenter ab imperio voluntatis, vel necessariò, ad assensum vel dissensum dependentem ab illa apprehensione.

20 Illud hic aduerto primò; si idẽtitas proponatur apprehensione aliqua inclinante ad assensũ, fortasse dissensum sequentem non futurum euidentem: quia dum non excluditur apprehensio illa, & inclinatio in oppositum non excluditur omne dubium, vel saltem trepidatio in contrarium, neque planè intellectus assequitur veritatem.

Apprehẽsio comparatiua, & absoluta differunt ex parte obiecti.

21 Secundò, quod cognitio comparatiua differt ab absoluta non solùm ex modo tendendi, sed etiam ex parte obiecti, idque non præcisè, quia vt vult Pallauicinus, comparatiua semper habet ex parte obiecti aliquam relationem, quam applicat terminis absolutis, quod non cõuenit cognitioni absolutæ; sed etiam quia, cognitio comparatiua sæpè attingit aliquod obiectum impossibile contradistinctum ab omni ente reali, quod non competit cognitioni absolutæ apprehendenti terminos simplices, & absolutos: probabile enim est cognitionem absolutam, & non componentem terminos incompossibiles, non attingere impossibile. Cuius rei rationem dat Pallauicinus: quia cognitio absoluta concipit suos terminos per speciem rei propriam antecedentem ipsam cognitionem. Et confirmatur: quia apprehensiones absolutæ sunt conceptus uniuersales primi habiti dependenter ab aliqua experientia, qui non formantur nisi circa obiecta realia, de quibus tantum habemus experientiam: reliqui verò conceptus sequentes, vel sunt comparatiui, vel supponunt comparationem, siue demum ferantur in veras relationes, siue non.

Quælibet apprehensio est vna simplex qualitas.

22 Aduerto tertiò apprehensionem quãcumque siue simplicem, siue compositam esse vnam simplicem qualitatem. Probatur, quia si apprehensio esset physicè composita, vel id conueniret apprehensioni versanti circa obiectum unicum, & indiuisibile; & hæc non uidetur quomodo possit constare pluribus partibus constantibus unicam apprehensionem: quælibet enim pars illius apprehensionis esset necessario apprehensio totius obiecti: uel conuenit cognitioni uersanti circa plura obiecta; & præterquam quod multi probabiliter putant, non posse per ullum actum nostram mentem attingere plura, vt plura; unde tandem omnis apprehensio resoluenda est in aliquod indiuisibile, dicens ordinem ad plura; contra præterea est: quia si plura obiecta attingantur pluribus apprehensionibus, ex illis pluribus apprehensionibus non fit una composita: nam uel quælibet apprehensio attingit omnia illa obiecta, & sic alia est superflua, uel quælibet repræsentat suum obiectum, & sic non est cur uniantur ad faciendam unam cognitionem, sed quælibet est adequata respectu sui obiecti.

23 Quę quidem intelligenda sunt de compo-

posi-

positione ueluti essentiali, ratione unius: plures repraesentationes ueluti inadaequatae, quarum quaelibet repraesentaret suum obiectum, vnirentur ad faciendam vnam repraesentationem. Non est igitur apprehensio composita, quia constat pluribus veluti apprehensionibus simplicibus; sed quia tendit comparatiuè modo explicato in obiecta absoluta plurium apprehensionum de cuius compositione intensiua dicemus *in lib. de gen.*

apprehensio cōparatiua reflectit supra absolutas.

24 Aduerto quartò apprehensionem comparatiuam esse reflexiuam supra absolutas, quarum obiecta inter se comparat: nisi enim reflectat supra conceptus illos vniuersales absolutos, non videtur quomodo intellectus possit vnum conceptum comparare cum alio, imò à praesentia illorum conceptuum absolutorum mouetur, & excitatur appetitus intellectus ad illos comparandos inter se, vt videre possit, vtrum unus, alteri conueniat, vel repugnet: neque enim casu incidit intellectus in huiusmodi comparationes, vt quilibet in se experiri potest, sed ad illas ducitur à praeuijs apprehensionibus, in quas casu plerumque incidimus, & ab inclinatione luminis naturalis ducimur ad indagandam veritatem; ergo veré dum intellectus format illas cognitiones comparatiuas, existunt in intellectu apprehensiones simplices terminorum absolutorum, & non merè per accidens respectu comparatiuarum: ergo uerè hae reflectunt supra illas: aliter non esset cur illas necessariò supponerent. Confirmatur, quia cognitio comparatiua non tendit in terminos absolutos, quos comparat secundum se consideratos, sed prout sibi proponuntur ab apprehensione absoluta: cuius rei ratio est: quia tendit in illos, ut diuersos aliquo modo, & ut habentes aliquam distinctionem: aliter non posset, ut de factò euenit, assumere illos ut duos, ac inter se comparare: illam autem diuersitatem non habēt sępè in se illi termini, sed praecisè quatenus stāt sub illis diuersis apprehensionibus, & si aliquando habetur illa diuersitas realis: id tamen per accidens est: quia illa diuersitas realis non supponitur à cognitione comparatiua, sed potiùs indagatur.

SECTIO NONA.

Declaratur magis natura iudicij humani.

1 AGo principaliter de iudicio humano, quod & est nobis magis notum, & cognitum magis conducit ad cognitionem eorum, quae infra disputabimus; nonnulla tamen fortasse addam de iudicio Angelico, & diuino.

Iudiciū reflectit supra preuias apprehansiones tum simplices tū cōparatiuas.

2 Dico igitur primò: iudicium humanum, quod non sit conclusio formaliter illata per discursum (de hoc enim iudicio nūc loquor) supponit necessariò praeuias terminorum apprehensiones, & eorum comparationem, ac reflectit supra illos actus. Probatur: iudicium humanum, quod connaturaliter elicimus, est ex communi sensu essentialiter compositio, & diuisio: sed hoc non potest verificari, nisi supponat praeuias illas apprehensiones, & supra easdem reflectat: ergo iudicium humanum, quod naturaliter elicitur, supponit pręuias illas apprehensiones, & supra illas reflectit. Maior est omnium calculo confirmata, & probari vlterius potest ipsa experientia, qua, eliciendo quotidie iudicia, aduertimus nos iudicando componere, & diuidere plures terminos. Minor probatur: nam non potest saluari, quòd iudicium huiusmodi sit compositio, & diuisio: quia constat in se intrinsice pluribus partibus: infra enim probabimus iudicium esse simplicem qualitatem physicè incompositam, compositione tum essentiali, tum integrali extensiua (nam de intensiua dicam *in lib. de generatione*) neque quia se ipso physicè vniat plura obiecta realia, uel illa diuidat: tum quia non est diuisio, & compositio physica, sed intentionalis; tum quia sępè obiectum, quod attingit, est realiter unum, & indiuisibile: igitur non est diuisio, & compositio, nisi quia si est affirmatiuum, intentionaliter ex suo modo tendendi copulat: si negatiuum, intentionaliter diuidit terminos praeapprehensos, & comparatos: ergo necessariò supponit, & reflectit supra illas apprehensiones. Vltima consequentia probatur: quia iudicium non potest copulare, vel diuidere terminos, nisi tendat in illos, vt duos: ergo nisi tendat in formam, qua constituuntur duo: constituuntur autem duo per praeuias simplices apprehensiones: ergo necessariò tendit in illas apprehensiones, ac proinde supra easdem reflectit. Et haec de apprehensionibus simplicibus.

3 Quod autem supponat, & reflectat supra apprehensionem comparatiuam, facile probatur ex dictis: quia nisi pręcedat apprehensio comparatiua proponens conuenientiam inter illos terminos, uel disconuenientiam, non potest intellectus humanus assentiri uel dissentiri; hic enim assensus, & dissensus debet esse rationalis, potens videlicet reddere sui rationem: quę non potest esse, nisi illa conuenientia, & disconuenientia, quę proponitur per apprehensionem comparatiuam: ab hac autem conuenientia, uel disconuenientia, non mouetur intellectus, nisi quatenus proponitur per apprehensionē illā: ergo verè supponit illam apprehensionem, & supra eandem reflectit. Confirmatur, & explicatur: quia intellectus dum aliquid iudicat formaliter adhęret uni apprehensioni comparatiuae, & aliam repudiat; ergo verè reflectit supra illas apprehensiones: consequentia est certa; non enim videtur posse adhęrere alteri, & alteram reijcere; nisi supra illas reflectat: antecedens probatur; quia dum intellectus affirmat, Petrus est homo, tendit in conuenientiam inter Petrum, & hominem, tanquam in motiuum formale determinans, & inclinans ad dicendum, Petrus est homo, in motiuum inquam aliquo modo diuersum ab ipso Petro, & homine: ergo formaliter tendit in illam apprehensionem comparatiuam, per quam illa conuenientia, quę mouet, constituitur veluti diuersa à Petro, & homine: non enim illa conuenien-

nientia est quid in se realiter diuersum, sed talis constituitur per apprehensionem illam comparatiuam.

4 Vrgebis primò: ergo nulla est necessitas eut iudicium supponat pręuias illas apprehensiones simplices terminorum: sufficit enim si supponat apprehensionem comparatiuam. Nego consequentiam: quia ipsa cognitio comparatiua, vt vidimus, supponit necessariò apprehensiones terminorum: quare etiam iudicium debet illas supponere.

5 Instabis: ergo saltem iudicium non formaliter, & immediatè, ratione sui supponit illas præuias terminorum apprehensiones simplices; sed sufficit si supponat tantùm, & immediatè reflectat supra cognitionem comparatiuam, & hæc supra simplices: ergo non est necesse, vt iudicium feratur immediatè in illas, & reflectat supra easdem. Nego primam consequentiam: quia iudicium non solùm fertur directè in conuenientiam, sed etiam in ipsos terminos tanquam in plures res in recto significatas: ergo non solùm tendit in illam apprehensionem comparatiuam, sed etiam in simplices, per quas termini veluti in recto significantur. Cuius rei ratio est: quia iudicium verè in recto affirmat vnum extremum de alio; ergo verè supponit illa, vt duo recta, quod non fit nisi per præuias apprehensiones simplices. Exprimitur in recto, quod exprimitur vt aliquod per se stans, & velut terminus omnino absolutus, vel non ut terminus relationis alicuius: illud in obliquo, quod exprimitur vt terminus alicus relationis.

6 Vrgebis secundò: amor & odium necessariò supponunt cognitionem bonitatis, & malitiæ; nec tamen feruntur in illam cognitionem: ergo quamuis iudicium supponat necessariò illas præuias apprehensiones, non tamen est necesse, vt reflectat supra illas. Nego consequentiam: ratio disparitatis est: quia cognitio bonitatis, & malitiæ non participat rationem obiecti, sed puræ applicationis, & propositionis, neque constituit obiectum voluntatis conferendo aliquam rationem, in quam tendat voluntas. Quod si contendas conferre huiusmodi rationem, tunc nego antecedens, quod tu ipse iam supponis falsum, At apprehensiones illas præuias supra probauimus conferre obiecto iudicij aliquam rationem, in quam iudicium ipsum tendat: ergo mirum nō est si attingantur per iudicium.

Iudicium saltē exercite dicit rē esse sicuti repræsentatur.

7 Dico secundò: esse probabilem sententiā Caietani asserentis: iudicium esse cognitionem, qua intellectus asserit rem ita esse in se, sicuti repræsentatur ab intellectu: nō quia putem intellectum per iudiciū significare, & explicite id tantùm asserere; sed quia inuoluit in se talem modū tendendi, quo saltem exercitè id asserat. Probatur: quia iudicium, vt probauimus, necessariò reflectit supra præuiam apprehensionem cōparatiuam, quæ cognitio comparatiua nonnunquam est duplex, vel saltem æquiualenter: quia videlicet non solùm proponit mihi conuenientiam vnius extremi cum alio, sed etiam disconuenientiam; at efficaciùs proponitur conueniētia, quam disconuenientia; vel è contra: vnde intellectus determinatur, vel saltem inclinatur ad amplectendam potiùs vnam, quàm aliam partem. In hoc igitur casu intellectus reflectendo per iudicium supra illas apprehensiones sequitur potius ductum vnius, quàm alterius: ergo vere dum affirmat, Petrum esse virum piom, asserit, saltem implicitè, rem esse sicuti proponit apprehensio, ostendens conuenientiam inter Petrum, & pietatem. Et certè non potest explicari, quid sit sequi ductum apprehensionis, & iudicare dependenter ab illa, quàm iudicium asserere rem esse sicuti apprehenditur.

8 Confirmatur ex ipsis nominibus assensus, & dissensus: nam assentiri est sequi ductum alterius dicentis, dissentiri est suasionem, & ductum alterius repudiare: ergo dum intellectus assentitur, verè se conformat alicui suę apprehensioni ostendenti conuenientiam inter extrema: & si dicitur assentiri obiecto, hoc non est intelligendum de obiecto secundum se, sed vt apprehenso: obiectū enim secundum se non exigit assensum, vel dissensum, ad hoc enim obiectum non inclinat, neque determinat per se ipsum, sed per suā apprehensionem saltem in hominibus: quando autem dissentitur, verè se difformat alicui apprehensioni, vel suæ, vel alienæ existenti, vel possibili, quam repudiat, vt prauam, dum aliam amplectitur suadentem oppositum: ergo etiam dum dissentitur, assentitur alicui suæ apprehensioni: dum enim dicit Petrum non esse equum, saltem exercitè asserit, re vera non dari illam identitatem, sicuti apprehenditur non dari.

9 Signatè autem, & explicitè non est necesse, ut intellectus id affirmet, sed sufficit, si reflectendo supra illas apprehensiones, dicat v. g. Petrus est homo, non est equus: illa enim reflexio est exercitè asserere, res ita est, vt apprehendo.

10 Hinc deduco in quolibet iudicio motiuum saltem implicitè, & exercitè affirmari: si enim affirmo, Petrum esse hominem; quia apprehendo identitatem inter illos terminos; vtique amplector per iudicium illam identitatem: aliter non possem ex illa moueri ad affirmandū hominem de Petro. Profectò illa identitas est apta, me determinare ad iudicium, dum de ipsa dubito: ergo saltem exercite illam amplector, eidemque determinatè hæreo. Ob eandem rationem, si ex carentia identitatis moueor ad dicendum, Petrum non esse equum; vtique debeo amplecti illam carentiam. Ex quo sequitur nullum esse iudicium, quod sit mera fuga, & saltem virtualiter, & exercitè non probet, & prosequatur motiuum. Verum autem similis ratio militet in voluntate videbimus in libris de anima.

11 Illud hic aduerto: intellectū dum affirmat, obiectū esse sicuti à se apprehenditur, nō debere experiri conformitatem sui iudicij, aut apprehēsionis cum obiecto: aliter cum omnis experientia sit actus verus, omne iudicium experiens illam conformitatem sui cum obiecto, esset con-

fer-

forme obiecto, & consequenter uerum; quod est absurdum. Solùm igitur intellectus experitur se ita apprehendere obiectum, & iudicare obiectū esse sicuti repræsentatur ab illa apprehensione: id quod experitur intellectus in ipso exercitio iudicij supra se reflectentis; cū quo benè cohæret falsitas iudicij: quāuis enim intellectus iudicet rem esse sicuti repræsentatur, potest tamen aliter se habere. Cæterum nostra hæc tertia conclusio confirmari potest exemplo picturæ, cui supra comparauimus apprehensionem: sicuti enim cum uideo depictum Troiæ v.g. incendiū, moueor ad dicendum, quod illud ita euenerit, ut in illa tabula repræsentatur; ita cum moueor ad affirmandum Petrum esse pium, ab apprehensione unionis inter Petrum, & pietatem, utique affirmo Petrum esse unitum pietati, ut repræsentatur per illam apprehensionem. Rursus supra comparauimus apprehensionem rationibus, quas partes, pro se quælibet, afferūt corā iudice: quare sicuti cum iudex profert sententiā in fauorem alterius partis, saltem exercitè dicit rem esse sicuti ab illa parte asseritur; ita intellectus dum aliquid affirmat, uel negat, saltem implicitè dicit rem esse, sicuti apprehenditur hac, uel illa apprehensione.

12 Dices ergo in homine uiatore nullus actus iudicij potest esse theologicus: quia nullus potest tendere tanquam in obiectum formale in ens increatum: quilibet enim tendit in apprehensionem proponentem motiuum, & conuenientiam, uel disconuenientiam. Nego consequentiam: nam, quamuis omne iudicium humanum tendat in apprehensionē terminorum, & in actum comparatiuum; tamen immediatè etiam assentitur motiuo, quod per illam apprehensionem proponitur, quod motiuum, cum possit esse quid increatum; non est cur actus iudicij humani non possit dici theologicus, & talis est actus fidei diuinæ.

13 Dices iterum: non est necesse; vt iudiciū attingat dictas apprehensiones præsentes, satis enim est, si repræsententur, ut possibiles. Nego assumptum, & rationem in contrarium assumptā: quia actus iudicij comparatiuus tendit in subiectum, prędicatum, & motiuum, ut in conceptus aliquo modo actu plures, & diuersos: ergo actu supponuntur illæ apprehensiones. Cæterum si pręcedat una apprehensio repræsentans plures illas possibiles, iam æquiualet illis pluribus, & iudicium reflectens supra unicam illam, iam tēdit in illas plures possibiles, & supponit unam aliquam æquiualentem illis omnibus, quod sufficit ad saluandam nostram doctrinam.

Iudicium est vna simplex qualitas.

14 Dico tertiò: iudicium esse simplicem qualitatem, quod non intelligo de simplicitate opposita pluralitati partium facientiū intensionem, sed de opposita pluralitati partium, quarū una repræsentaret unum, altera alterum extremum; ita tamen ut nulla pars separata ab aliis constitueret propositionem; est contra nonnullos, qui apud Vasquez, & Oviedum *controu. 6. de anima pun. 1. n. 3.* dixerunt: actum iudicij esse compositum ex triplici actu, quorum unus repræsentat vnionem inter extrema, vel carentiam illius, reliqui ipsos terminos. Nonnulli autem, quibus adhærere videtur Molina, docent iudicium formaliter consistere in cognitione vnionis, prærequirere tamen tanquam conditionem cognitiones prædicati, & subiecti, quæ opinio fortasse non longè distat à nostra. Tertiò Pater Vasquez *1. p. disp. 223. cap. 3. nu. 14.* defendit iudicium constare duobus actibus, quorum alter attingit subiectum, alter prædicatum, non absolutè, sed relatè, ita ut vnum repræsentetur alteri conueniens. Contra quos.

15 Nostra conclusio probatur: quia actus, qui supponens, & reflectens supra apprehensiones prædictas adhæret potiùs vni parti, quàm alteri est vnus, & indiuisibilis: sed actus iudicij supponens, & reflectens supra apprehensiones prædictas adhæret potiùs vni, quàm alteri parti: ergo actus iudicij est vnus, & indiuisibilis. Minor est certa: maior confirmatur: quia actus adhærens potiùs vni, quàm alteri parti formaliter non adhæret nisi vnico obiecto, conuenientiæ videlicet, vel disconuenientiæ propositæ per apprehensionem comparatiuam; quæ conuenientia formaliter non est nisi unicum obiectum; quia licet includat plures terminos, de quo nūc non curo; tamen formaliter non potest fundare nisi vnicum actum, nempè comparatiuum, qui indiuisibiliter per seipsum cōfert unum obiectum cum alio, eoque modo adhæret conuenientiæ potiùs, quàm disconuenientiæ: ergo actus adhærens uni potiùs parti, quàm alteri est vnicus. Hæc ita confirmant nostram sententiam, vt simul oppositas supra relatas impugnēt.

16 Hinc à fortiori reijcitur illorū opinio, qui dicunt iudicium constare triplici apprehensione, copulæ, prædicati, & subiecti, sed apprehensionem subiecti sustentare apprehensionem copulæ, quæ connotat apprehensionem prædicati: nam præter supradicta non videtur quomodo in hac sustentatione dici possit, quod intellectus potiùs adhęreat vni, quàm alteri parti. Rursus, vnde habent hi authores vnam apprehensionem, & actum vitalem sustentare alium? Tertiò ad compositionem intentionalem, de qua loquimur non requiritur vnio, & sustētatio physica; sed sufficit intentionalis, qualis est actus iudicij á nobis supra explicatus.

17 Dices primò: cum successiuè audio Petrum dicentem: paries est albus, elicio tres apprehensiones successiuè correspondentes illis tribus terminis, & primò apprehendo parietem, secundò vnionem, vel identitatem eiusdem cum aliquo termino veluti in confuso; tertiò demum albedinem inhærentem parieti: ergo iudicium constat illis tribus apprehensionibus. Nego consequentiam; in eo enim casu vel nullum est iudicium: possum enim audita integra propositione uocali suspendere omne iudicium; quia non dum mihi elucet sufficiens caput affirmandi, vel negandi: vel si habetur iudicium illud formaliter consistit in aliquo alio actu sequenti in-

diuisibiliter attingente, & adhærente vnioni illi, &c. Verùm quidē est, voces illas eo modo prolatas significare iudicium loquentis; non tamen necesse est, vt causent iudicium in audiente, vt patet: sufficit enim si excitent apprehensionem existentiæ iudicij loquentis, & obiecti prolati.

18 Quod si voces externæ vniuntur ad faciendam vnam propositionem vocalem, id est, quia voces non significant ex natura sua, sed ex hominum beneplacito, qui liberè voluerunt, vt non nisi plures voces simul exprimerent existentiam iudicij in alio. At in iudicio interno assertiuè, & determinatè adhærere vni parti non conuenit nisi vnico actui. Et confirmatur: modus tendendi assertiuus proprius iudicij est essentialis actui, & essentialiter diuersus à modo tendendi simplicis apprehensionis, sicuti modus tendendi simplicis complacentiæ est essentialiter diuersus à modo tendendi efficacis intentionis: quare sicuti plures simplices complacentiæ non possunt componere vnam efficacē intentionem; ita neque plures simplices apprehensiones vnum iudicium.

19 Dices iterum: intellectus non potest tendere in plura, vt plura per vnicum actum: id autem eueniret, si iudicium esset vna simplex qualitas. Data maiori, de qua suo loco fusius; nego minorem: quia dum vnicus actus intellectus affirmat, vel negat prædicatum de subiecto, iam tendit in illa, vt dicentia aliquem ordinem conuenientiæ, vel disconuenientiæ, ac proindè non tendit in plura, vt plura.

20 Dices tertiò: sufficit actus attingens copulam: ergo non debet iudicium indiuisibiliter tendere etiam in prædicatum, & subiectum. Nego antecedens; copula enim attingi nequit per iudicium affirmatiuum, vel negatiuum, quin attingantur extrema, cum præsertim plerumque copula ex parte obiecti non dicat aliquid diuersum ab extremis.

21 Dices quartò: nisi iudicium humanum constet pluribus cognitionibus, non est vndè distinguatur ab angelico, & diuino. Respondeo, quia iudicium diuinum non est sicuti humanum compositio, & diuisio; sed simplex intuitus omninò certificans Deum de obiecto. Idem dico de iudicio angelico saltem aliquo. Verùm de hac re fusiùs agant Theologi.

22 Dices sexto: discursus constat pluribus actibus: ergo & iudicium. Dato antecedente de discursu formali; nego consequentiam. Ratio disparitatis: quia discursus formalis dicit necessariò quemdā motū intellectus ex vno actu in alium: ergo necessariò dicit plures actus: at iudicium est tantùm affirmatio, vel negatio vnius de alio, quod videtur situm tantùm in indiuisibili.

24 Demum hic aduerto omne iudicium esse etiam apprehensionem sui obiecti, licet non sit eiusdem simplex apprehensio: vt patet ex dictis.

SECTIO DECIMA.

Quanta sit oppositio inter assensum, & dissensum.

1 NON loquimur de assensu, & dissensu, nisi versantibus circa idem obiectū, habentibus videlicet idem prædicatum, & subiectum; nam certum est posse simul componi assensum, & dissensum eiusdem intellectus circa diuersa obiecta, quin imò poterit idem intellectus eodem actu assentiri vni, & dissentiri alteri obiecto. Quæstio igitur præsens est: vtrum in eodem intellectu possint simul componi assensus, & dissensus circa idem obiectum; ita vt simul possit intellectus enunciare Petrus est, Petrus non est. Dixi in eodem intellectu: nam certum est, posse diuersos intellectus eodē tempore alterum affirmare, alterum negare idem prædicatum de eodem subiecto.

2 Dupliciter autem fingi potest, quod intellectus simul neget, & affirmet idem de eodem; primò aduertendo, quod idem non potest simul esse, & non esse, & consequenter quod tunc ipse affirmando simul, & negando amplectatur aliquod apertè falsum, & impossibile; secundò, non aduertendo illam repugnantiam; iam verò in hoc secundo sensu nullam video rationem, quare intellectus non possit veluti semisopitus amplecti simul duo contradictoria. Et certè sæpè accidit, vt ex inaduertentia intellectus duo contradictoria simul amplectatur. Vt si quis facta suppositione, quod infinitum non repugnet, affirmet: hoc ens esse Deum, & non posse infinitum producere: vel, vt volebat Aristoteles, hoc ens esse Deum, sed non esse agens liberum, quod idem est, ac esse Deum, & non esse Deum. Solùm igitur quæstio est: vtrum intellectus possit simul assentiri duobus contradictorijs aduertendo eorum repugnantiā; & consequentèr se tunc amplecti falsum.

3 Omnes ferè negant id euenire posse de potentia ordinaria, oppositum de potentia absoluta docent Paludanus in 3. *dist.* 15. *quæst.* 2. & Gabriel in 4. *dist.* 10. *quæst. vnica ar.* 3. *dub.* 3. quos sequuntur Ouiedus, Alphonsus, & Quiros.

4 Ego tamen puto cum communi sententia, non posse etiam de potentia absoluta intellectū simul assentiri, & dissentiri eidem obiecto. Probatur: non potest etiam de potentia absoluta intellectus amplecti falsum cognitum, vt falsum: sed si simul cum aduertentia assentiretur, & dissentiretur eidem obiecto, assentiretur falso cognito, vt falso: ergo ne de potentia quidem absoluta potest intellectus cum illa aduertentia simul assentiri, & dissentire eidem obiecto. Maior probatur: intellectus non potest præbere assensum, nisi vero reali, vel apparenti, quod videlicet ita proponitur, vt appareat ita esse, & inclinet ad sui assensum: falsum autē cognitū, vt falsum non apparet ita esse, neque inclinat ad sui assensum. Cuius rei ratio à priori est: quia obiectum formale intellectus assentientis est verum

Nequit assensus cum dissensu cōponi.

saltem

saltem apparens; quia videlicet non potest moueri ad assensum, nisi ab obiecto, quod apparet ita esse; sicuti obiectum formale voluntatis prosequentis est bonum apparens: quare sicuti voluntas non potest per actum prosequutionis ferri in malum cognitum, vt malum; ita neque intellectus potest per assensum tendere in falsũ cognitum vt falsum; & sicuti malum cognitum vt malum non est aptum terminare amorem; ita neque falsum cognitum vt falsum aptum est terminare assensum. Minor principalis argumenti confirmatur: quia si intellectus aduertens repugnantiam inter esse, & non esse simul affirmaret idem esse, & non esse; iam affirmaret coniunctionem inter esse, & non esse, quam coniunctionem apprehendit euidenter vt falsum. ergo iam præberet assensum falso cognito vt falso.

5 Neque dicas posse illam repugnantiam per diuersas apprehensiones apparere simul veram, & falsam; & identitatem inter hominem, & equum repræsentari simul vt possibilem, & impossibilem, ac proindè non repugnare, quòd intellectus ex vno capite simul assentiatur illi identitati, & ex alio dissentiatur; nam contra est: vel intellectus aduertit repugnare, & esse falsum simultatem veritatis, & falsitatis illius repugnantiæ & sic iam non potest simul assentiri, & dissentiri illi repugnantiæ; sic enim amplecteretur obiectum falsum, cognitum vt falsum, nempè simultatem illius veritatis, & falsitatis: vel non aduertit ad illam falsitatem, & repugnantiam simultatis & sic non sumus in casu quæstionis.

6 Dices primò: dum aliquis iudicat Petrũ non esse, potest eodem instanti Deus illi reuelare, quod sit Petrus, imò ipse acquirere potest speciem euidentem euidenter repræsentantem existentiam Petri; in quo casu pro eodem instanti, & Deus per reuelationem exigeret ab illo fidem, & species euidens determinaret ad assensum euidentem de eadem existentia negata: ergo potest intellectus simul assentiri, & dissentiri eidem obiecto. Nego antecedens, idque ob duas rationes: prima est, quia probabilis est sententia Pallauicini, videlicet omnes apprehẽsiones, quæ sunt in hoc instãti esse in priori naturæ ad omnẽ assensũ pro eodẽ instãti elicitũ: ergo nõ potest pro eodem instanti, veluti in posteriori signo succedere apprehensio reuelationis exigens assensum in existentiam Petri, vel euidens apprehensio determinans ad similem assensum. Secunda: quia reuelatio subsequens in posteriori signo non potest exigere pro eodem instanti assensum fidei: quia inuenit in intellectu impedimentum illius assensus: quod non potest pro eodem instanti destrui: quare obligatio credendi respicit instans sequẽs, in quo potest homo, & tenetur cessare ab illo dissensu. Rursus species illa euidens non potest exercere suam euidentiam pro eodem instanti: quia inuenit impedimentum à se inamouibile: quare neque pro eodem instanti est euidens, euidentia enim vnius partis excludit omnem assensum in aliã: aliter simul intellectus amplecteretur falsum, quod apparet euidenter falsum: Habebit igitur euidentiam pro instanti sequenti in ordine ad quod excludit omne dubium in contrarium, quod est proprium euidentiæ.

7 Dices secundò: possunt simul per intellectum poni rationes probabiles suadentes vtrãlibet partem contradictionis: ergo potest simul probabiliter assentiri, & dissentiri eidem obiecto sequendo vtrasque rationes. Distinguo consequens: si aduertat repugnantiam, & impossibilitatem vtriusque partis: nego: si non aduertat; concedo: rationes enim illæ antecedentes probabiliter ostendentes veritatẽ vtriusque partis, vel coniunguntur cum apprehensione euidente, quod simultas vtriusque partis sit falsa; & sic non poterit sequi simul assensus, & dissensus cadens directè supra idem obiectum, vt patet ex rationibus allatis: vel non coniunguntur cum tali apprehensione, imò fortasse ex errore proponitur, vt probabilis cõiunctio vtriusque extremi; & in hac suppositione non sumus in casu quæstionis. Quando autem communiter dicitur, quòd alicui vtraque pars contradictionis sit probabilis; non est sensus, quod possit aliquis simul absolutè assentire, & dissentire eidem obiecto; sic enim putaret probabilem coniunctionem vtriusque partis, quam supponimus apparere illi repugnantem; sed solùm, quòd per actum reflexum cognoscat vtramlibet partem habere pro se rationes probabiles, ac proindè posse vtramlibet ab intellectu prudenter amplecti. Quod si probabilem per errorem putat illam coniunctionem, non sumus in casu.

8 Dices tertiò: quando intellectus simul per duos actus iudicat Petrum currere, & Petrum non currere, non affirmat simultatem cursus, & non cursus: ergo non fertur in obiectum repugnans cognitum vt tale. Respondeo, consequens non esse contra allatam doctrinam, qua solùm docemus non posse intellectum simul affirmare, & negare idem de eodem, quando in termino aliquo affirmato apparet manifesta repugnantia: Si enim nulla apparet repugnantia, non est cur etiam naturaliter intellectus id præstare nequeat: cæterum quando intellectus simul dicit Petrus currit, Petrus non currit, vel respicit ad idem instans temporis, ita vt dicat simul pro eodem instanti Petrus currit, & non currit; & sic iam affirmat illam simultatem, quã videt apertè repugnare; & vt verum fatear actus est vnus, vel saltem vnus actus supra alium reflectit, & attingit illam simultatem; vel id non dicit, & sic propositiones non sunt contradictoriæ: contradictoria enim præsertim in materia contingente respiciunt idem tempus, neque enim vlla est repugnantia, quòd Petrus currat hunc, & non currat cras.

9 Hinc infero simili fere modo discurrendum esse de actibus voluntatis, quo de actibus intellectus discurrimus: sicuti enim intellectus potest simul apprehendere plura contradictoria etiam cognita illorum repugnantia, non tamen

Non potest voluntas efficaciter velle impossibile cognitũ, vt impossibile.

potest illis assentiri; ita potest voluntas simul complacentia inefficaci ferri in plura contradictoria, non tamen cognita illorum incompossibilitate, & repugnantia simul illa efficaciter, & absolutè velle: sic enim ferretur actu prosecutionis efficaci in impossibile cognitum vt impossibile. Sicuti autem voluntas non potest actu amoris ferri in malum cognitum, vt malum; quia obiectum amoris est saltem bonum apparens; ita neque ferri potest actu absolutè efficaci in impossibile cognitum vt impossibile; quia obiectum actus absolutè efficacis est possibile, saltem apparens: actus enim absolutè efficax ex suo modo tendendi inclinat, & determinat ad positionem rei: quare cum sit actus potentiæ rationalis, debet supponere rem saltem apparenter possibilem.

DISPVTATIO OCTAVA.

De veritate, & falsitate formali iudicij.

VEritas, & falsitas formalis, est quædam veluti proprietas iudicij continens non leues difficultates, quare post iudicium meritò sibi specialem disputationem vendicat: dixi Formali, quæ residet in actu intellectus, ad distinctionem obiectiuæ veritatis, quæ est prædicatum trascendens omne ens, & cum opposita falsitate obiectiua spectat ad metaphys. Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit formalis veritas, & falsitas?

1 SIgnum apud omnes infallibile veritatis actus, quicumque ille sit, est, quòd sit conformis obiecto, idest indicet, & enunciet de illo, sicuti est: sicuti signum infallibile falsitatis est, si sit obiecto difformis, & de illo enunciet aliter, ac est. Quæstio est: vtrum hæc conformitas cum obiecto, vel difformitas, sit prædicatum primum veritatis, & falsitatis, vel proprietas sequens. Communior authorum sensus est, esse prædicatum primum: sed non desunt doctissimi viri, qui dicunt illud esse prædicatum secundarium, & veritatem sitam in conformitate actus cum diuina scientia, falsitatem in difformitate ad eandem: ita nonnulli apud Lynceum *lib. 10. logicæ tract. 1. cap. 1.* quibus annumerari debet Eminentissimus Pallauicinus.

Veritas in iudicij creati est conformitas ipsius cum scientia Dei; falsitas eiusdem difformitas cum eadem scientia.

2 Dico cum secunda sententia: veritas est conformitas actus cum diuina scientia, falsitas difformitas ab eadem scientia, ac proindè conformitas, & difformitas cum obiecto erit prædicatum secundarium veritatis, & falsitatis. Probatur: scientia diuina est prima veritas: ergo est prima regula omnis cuiuscumque veritatis: hoc enim ipsum spectat ad dignitatem, & excellentiam primæ veritatis, vt sit prima regula omnis alterius cuiuscumque veritatis: ergo reliqua omnia sunt formaliter vera, quia conformantur diuinæ scientiæ: nam ad perfectionem primæ regulæ spectat, vt regulata omnia sint formaliter talia per conformitatem ad illam; & ut prima perfectio regulatorum sit in suo genere conformitas cum prima regula in illo ordine. Sic prima perfectio honestatis consistit in conformitate cum prima regula honestatis, quæ est vltimus finis. Cuius rei ratio est: quia sicuti prima regula est primum, vnde deriuatur tota perfectio regulatorum; ita primum prædicatum, prima perfectio cuiuslibet regulati est in suo ordine conformitas cum prima regula eiusdem ordinis. Quod si conformitas cum scientia Dei est formalis veritas actus creati (de hoc enim loquimur) difformitas ab eadem scientia erit procul dubio falsitas.

3 Confirmatur; nam ipsa obiecta vera sunt: quia conformantur diuinæ scientiæ, & talia sunt, qualia Deus in sua arte, & ideis ea repræsentat; neque vera sunt, & non chimerica obiecta; nisi ea prædicata contineant, quæ ipsis à diuina Sapientia præscribuntur: ergo omnis veritas, tum obiectiua, tum formalis, & omnis conformitas cum obiecto, resoluenda tandem est in diuinam veritatem, tamquam regulam in hoc genere primam.

4 Dices primò: ipsa diuina scientia est vera, quia conformatur obiecto: si enim difformaretur obiecto, esset vtique falsa. Nego assumptum; diuina scientia est formaliter vera: quia essentialiter exigit, vt omnia sint, sicut ab ipsa dictantur; vnde sicuti est prima veritas, ita est prima rerum omnium quidditas, seu conceptus quidditatiuus absolutè primus, vt supra indicabam, & fusiùs dicam in metaphysicis: ad rationem in contrarium, dico: quod si diuina scientia non esset conformis obiecto, neque esset vera, quia non essentialiter exigeret omnia esse, sicuti ab ipsa dictantur. Verum hinc solùm infertur, quòd conformitas cum obiecto sit signum veritatis à posteriori, non ipsa formalis veritas.

4 Dices secundò: quamuis potentia Dei sit prima potentia, á qua est omnis potentia; non tamen formaliter potentia creata est conformitas cum potentia diuina: ergo quamuis scientia Dei sit prima veritas, non propterea omnis veritas creata est conformitas cum diuina scientia. Nego consequentiam: quia potentia creata ex genere suo non est conceptus situs in conformitate cum aliquo veluti cum regula sui. At conceptus veritatis creatæ est situs in conformitate cum alio tamquam cum regula sui: in regulatis autem primum prædicatum est conformitas cum prima regula sui ordinis.

6 Dices tertiò: non assignamus conceptum omnis veritatis, nam veritas actus increati, non est conformitas cum scientia Dei; aliter esset conformitas actus secum ipso: actus enim est in Deo ipsa Dei scientia. Respondeo nos hic inquirere conceptum veritatis creatæ, qui etiam iuxta nostram explicationem est vnus, & communis omnibus veritatibus creatis. Non curo autem vtrum in primo prædicato veritas creata con-

conueniat vniuocè cum increata, satis enim videtur esse, si conueniant vniuocè in prædicato secundario conformitatis cum obiecto. Demum dici potest actum diuinum esse conformem cum diuina scientia, conformitate perfectissima, idest summæ identitatis, sicuti est conformis suo obiecto primario, nempè diuino non per relationem aliquam realem, sed conformitate summæ identitatis.

Veritas imaginis est cōformitas cū diuina scientia.

7 Dices quartò: actus creatus verus, est per se ipsum imago obiecti non diuinæ scientiæ: ergo est verus, quia conformatur obiecto, non quia conformatur diuinæ scientiæ: est enim verus, quia conformatur obiecto, & rei cuius est imago, & repræsentatio: sicuti imago externa est vera, si conformetur illi, cuius est imago. Nego consequentiam, ad cuius probationem nego assumptum: quia in priori ad illam conformitatem est verus: idem dico de imagine externa: quia in priori signo ad conformitatem cum re repræsentata est vera per quamdam conformitatem cum diuina scientia in ordine ad exprimenda prædicata rei, &c. Vbi aduerto iudicium, quod ex genere suo est imago obiecti, & eius similitudo intentionalis repræsentatiua; esse ex genere suo indifferens, vt sit verum, vel falsum, & vt sit similitudo, vel dissimilitudo intentionalis enunciatiua. Ad vitandam autem æquiuocationem diligenter notanda est duplex illa similitudo intentionalis alia repræsentatiua, alia etiam enunciatiua.

Obiectū nō est absolutè prius sciētia Dei

8 Dices quintò; in priori aliquo signo intelligitur obiectum, quàm scientia Dei, quod vel maximè locum habet in scientia de actibus nostris liberis; quia vel hæc scientia completur per ipsos actus nostros Deo extrinsecos, vt fateri debent omnes, qui dicunt libertatem Dei in actu secundo compleri per ipsum effectum temporalem, & in hac suppositione scientia visionis de his actibus non est in priori ad existentiam illorum actuum: vel est prædicatum Deo adequatè intrinsecum, & in hac etiam suppositione vim habent supradicta; quia prius est, quòd homo liberè operetur, quàm quod Deus videat eius operationem: neque enim quia Deus scit illum liberè operaturum, ideò homo liberè operabitur, sed potiùs è contra; quia homo liberè operatur, Deus id scit; neque verò scientia Dei est in priori ad nostram liberam operationem; alioqui aliquod infallibiliter connexum cum nostra operatione esset in priori ad illam: quod pugnat cum libertate, vt suppono.

9 Ex hoc autē discursu sequitur primò, falsū esse, quod assumpsimus, videlicet diuinā scientiā esse primam regulam omnis veritatis; cū potiùs veritas obiectiua existens nostri actus liberi sit regula diuinæ scientiæ. Secundò, actus nostros veros, quibus iudicamus de actibus liberis, esse veros in priori ad scientiam Dei, per conformitatem videlicet ad illa obiecta, quæ sunt in priori ad scientiam Dei.

10 Respondeo in vtra libet suppositione, siue scientia visionis Dei de actibus liberis compleatur per aliquod extrinsecum, siue sit prædicatum adæquatè intrinsecum Deo, veritatem diuinæ scientiæ esse prædicatum absolutum, ab omni respectu ad creaturas existentes, omninò Deo necessarium: est enim necessitas antecedens, vt res sit eo modo, quo dictat scientia Dei, quæ necessitas absolutè necessaria est in Deo ante omnem suppositionem contingentem. Quamuis autem respectus ille ad actum liberum quo cōpletur scientia Dei in ratione visionis actus liberi, non sit in priori ad actum liberum, vt probat Aduersarius, & ego suppono; non est tamen in posteriori ad illum; quia non causatur ab actu libero: nam vel est Deo intrinsecus, & certum est, quod non causetur; vel quatenus addit aliquid supra perfectionem Deo intrinsecam dicit ipsum actum; certum autem est actum non esse in priori ad se ipsum. Est igitur, vt dicebam primò, actus ille, conditio comitans necessariò mutuò connexa cum illo respectu, & simul cum illo liberè impedibilis à voluntate creata, vt dicebam in loco. Illæ autem propositiones: ideò Deus scit, quia homo vult, non ideò homo vult, quia Deus scit; solùm significant in hoc negotio opus illud, & scientiam esse formaliter electionem liberam hominis, non Dei; & hominem non Deum, dum homo liberè amat, immediatè eligere, & determinare; his positis.

veritas est adæquatè intrinseca Deo scienti

11 Nego, vtramque sequelam: nam ratio cur scientia Dei etiā versans circa nostros actus liberos existentes sit vera, est necessitas illa, de qua diximus: neque ex actu nostro libero aliqua perfectio accedit diuinæ scientiæ, aut veritati, vt dicebam tractatu de Deo: cum quo benè cohæret, quod actus procedat à suis causis plenè indifferentibus. Præterea non datur prioritas actus liberi respectu scientiæ Dei: quare malè assumit aduersarius, in eo priori actum esse conformem obiecto. Deindè data ea prioritate nihil euincunt: nam in eo priori actus noster iudicij non est conformis obiecto; nam conformitas cum obiecto est proprietas veritatis, vt diximus; in eo autem priori non intelligitur veritas nostri iudicij; quia vt volunt aduersarij, non intelligitur cōformitas nostri actus cū prima veritate.

12 Dices sextò: si deficeret diuina scientia, adhuc noster actus esset verus. Nego, quia tunc nulla esset veritas, vel formalis, vel obiectiua; quod si fingas in ea suppositionē adhuc actum præseruaturum conformem diuinæ scientiæ, sine præiudicio doctrinæ permittam actum in ea implicante, & reflexa suppositione, futurum verum. Quando autem Aristoteles dixit ex eo quod res est, vel non est, actus est verus, vel falsus; assignauit infallibile signum falsitatis & veritatis.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum veritas sit denominatio adæquatè intrinseca actui vero?

1 QVærimus verum conformitas, in qua essentiam veritatis supra posuimus, sit aliquod

aliquod prædicatum adequatè intrinsecum, & identificatum actui; an verò partialiter extrinsecum, saltem partialiter ab actu ipso, qui denominatur verus distinctum. In qua re non omnes idem sentiunt: sunt enim qui cuicumque actui vero, & falso docent veritatem esse prædicatum adequatè intrinsecum, & identificatum, & in hac opinione est Petrus Hurtadus, & alij. Secundò alij absolutè docent; omnem veritatem, & falsitatem cuiuscumque actus esse denominationem partialiter extrinsecam constitutam per ipsum obiectum. Tertiò docent nonnulli: aliquos actus esse essentialiter, & ab intrinseco veros, aliquos ab extrinseco, & accidentaliter, quibus non repugnat Arriaga. Quartò non deerit qui doceat: aliquibus actibus veritatem esse denominationē intrinsecam, & essentialem, aliquibus intrinsecam quidem, sed non essentialem, habitam videlicet à modo quodam relationis actibus intrinseco, sed ab illis distincto: aliquibus demū esse partialiter extrinsecam à forma illis extrinsecā, siue demum hæc sit ipsum obiectum, siue scientia diuina. In hac opinionum varietate.

Veritas formalis, et formalis falsitas est adæquatè intrinseca iudicio.

2 Dico cum Petro Hurtado: veritatem, & falsitatem esse prædicatum adequatè intrinsecū actui vero, vel falso. Probatur: veritas actus est perfectio intrinseca intellectui, ad quam factus à natura est, & ad quam maximè inclinat: falsitas est intrinseca imperfectio intellectus, à qua intellectus maximè fugit, vtpotè impedimento suę præcipuę perfectionis, nempè veritatis: ergo veritas est perfectio adæquatè intrinseca actui, & falsitas imperfectio adæquatè intrinseca actui: Probo consequentiam: quia si veritas, & falsitas est partialiter extrinseca actui, ęqualis intrinseca perfectio intellectus erit veritas, ac falsitas: ęquè intrinsecè bona intellectui, vnai ac alia: ergo si veritas, ac falsitas est partialiter extrinseca, non verificatur, quòd veritas sit perfectio intrinseca intellectui, falsitas intrinseca eidem imperfectio. Vtraque enim æquè perficeret intellectum. Antecedentis probatio satis iā insinuata est, & vlterius promouetur: quia intellectus ad id maximè factus est, & in id laborat vt acquirat veritatem, eamque euidenter propositam non potest non amplecti; contra verò à falsitate maximè abhorret, ita vt non possit falsum cognitum vt falsum amplecti: hæc autem omnia frustra, & irrationabiliter fierent, si intellectus æquè benè, æquè malè se haberet affectus veritate, ac falsitate: neque esset reprehensione dignus, si contemneret veritatem, ex qua nullum in se speciale emolumentum sperat: falsitatem incurrere non curaret, ex qua nullum in se detrimentū timet: ęquè perfectus, æquè beatus, æquè in se diues futurus siue actibus veris, & veritate sit præditus, siue falsis, & falsitate fędatus, cum ea non sit intellectus propriè fœditas, uel pulchritudo; sed quid omninò per accidens, & impertinenter ad id se habens.

3 Confirmatur primò: quia Deus non est vituperio dignus si contemnat bona, & mala extra se posita; quia videlicet inde nullum augmentum, nullam diminutionē in suis perfectionibus intrinsecis spectat, vel timet. Confirmatur secundò: quia veritas est maximum bonum naturæ rationalis, maximè illius proprium; sicuti maximum malum est falsitas: videtur autē omninò falsum, quòd primum, & præcipuum bonū maximè proprium alicuius naturæ nihil spectet ad eius perfectionem intrinsecam; ita vt æquè benè se habeat sub opposito malo. Quod firma inductione confirmari potest: neque aliunde potest dici bonum proprium alicuius, nisi quia spectat ad illius intrinsecam perfectionem, & non aliorum; aliter non esset cur diceretur, potiùs bonum huius, quàm illius. Hinc tertiò ob veritatis ornamentum longè æstimabiliores sunt homines sapientes, quàm insipientes, quod sine fundamento rationabili fieret, si sapientes essent ęquè intrinsecè perfecti, ac insipientes. Id autē verum est, etiam si præscindamus ab habitibus, & tantùm consideremus sapientiam actualem.

4 Verum etiam est, & si in ipsa sapientia, & veritate non consideremus rationem vtilis, qua conducunt ad alia bona; sed secundùm se illas contemplemur: sapientia enim actualis, & veritas institutę sunt non vt seruiant alijs tamquam media, sed vt dominentur tamquam finis per se amabilis, cui omnia alia inseruiant; vt est certū, & patet in visione beata, quę est noster vltimus finis acquirendus. Ex quo vlterius sequitur, si æqualis perfectio intrinseca intellectus est actus verus, & ipsa veritas, ac actus falsus; non esse magni faciendam inclinationem ad verum siue naturalem, & innatam, siue superadditam illam in habitibus, & speciebus, cum non sit inclinatio ad aliquod bonum subiecti. Hæc mihi satis suadent hanc veritatem.

5 Dices: possumus dicere veritatem esse adęquatè intrinsecam actui, sed distinctam ab eius entitate, nempè modum superadditum relatiuum. Sed contra: quia præcisè quocumque modo superaddito si existente Petro, quis affirmet, Petrum existere: talis actus iam est conformis diuinæ scientię, qua itē Deus affirmat, quòd Petrus existit: ergo præcisè modo superaddito est verus.

Non est veritas modus superadditus.

6 Ex dictis colligo: omnia iudicia creata possibilia siue humana, siue Angelica, esse ab intrinseco vera, vel ab intrinseco falsa: circumstātiæ autem illæ, quæ per aduersarios constituunt iudicium affirmatiuum verum, vel falsum; determinant existentiam iudicij ab intrinseco veri, vel falsi: neque enim sunt indifferentes ad iudicium affirmatiuum, v. g. verum, vel falsum; sicuti per aduersarios non sunt indifferentes ad cōstituendum iudicium affirmatiuum verum, sed determinatè omninò constituunt verum; præcipuum autem locum inter hæc habet Dei scientia, quæ determinat existentiam iudicij ab intrinseco falsi, si illud sit futurum sibi difforme, ab intrinseco veri: si futurum sibi sit conforme.

7 Conclusio allata cum sua ratione extenditur ad omnes actus veros, & falsos, siue sint naturales, siue supernaturales, siue euidentes siue

inuiden-

inevidentes, & probabiles, siue fidei diuinæ, siue humanæ, vt patet consideranti.

8 Objicies primo: hic actus, quo dico: Petrus currit, currente Petro, est verus, non currente Petro, idem inuariatus est falsus: sed Petrus potest currere, & non currere: ergo ille idē actus potest esse verus, vel falsus: ergo veritas, & falsitas non est adequatè intrinseca actui. Nego maiorem, in qua falsò supponit aduersarius futurum eumdem actum currente, vel non currente Petro: cum enim actus ille currente Petro, sit verus, falsus non currente, apertè colligitur actum esse diuersum: probauimus enim actum verum per intrinseca differre à falso.

Non est idē actus neq; eadē actus causa existente, ac non existēte obiecto.

9 Dices: eædem sunt causæ huius actus, quo dico: Petrus currit, siue Petrus currat, siue non currat: ergo idem est actus: vbi enim perseuerant eædem causæ, debet perseuerare idem effectus. Antecedens probatur: quia diuersitas solùm est in cursu Petri, qui non est causa actus. Nego antecedens. Ad cuius probationem, nego item antecedens: nam currente Petro intellectus est causa proximè potens causare actum verum; at non currente est causa proximè potens causare actum falsum: causa autem proximè potens causare actum verum, est diuersa à potente proximè causare falsum; sicuti actus verus intrinsecè differt à falso, vt probauimus. Igitur causa proximè potens causare actum verum dicit Diuinā Omnipotentiam paratam per suum decretum concurrere iuxta exigentiam diuinæ scientiæ ad actum conformem diuinæ scientiæ, & ab intrinseco verum. At potens causare actum falsum dicit omnipotentiam paratam per suum decretum iuxta exigentiam diuinæ scientiæ concurrere ad actum difformem diuinæ scientiæ, & ab intrinseco falsum.

10 Dices iterum: Cursus Petri distans, imo præteritus, quin & futurus, & aliquando nunquā exiturus, non potest determinare, & exigere, vt nunc in loco distanti producatur actus potius verus, quàm falsus: aliter non esset ratio cur ignis Indicus, non posset exigere, vt Deus Panormi combureret: sed in nostra sententia Petrus distans, &c. determinaret, vt hic, & nunc in loco distanti produceretur actus verus: ergo, &c. Sed primò, quæro ab aduersario: cur Petrus absens, non existens, futurus, aut etiam præteritus, potest constituere veritatem præsentem, & non potest esse conditio, ut producatur eadem veritas præsens. Secundò, nego minorem: intellectus enim nunc durans determinatur ad existentiam potius huius actus veri, quā falsi, tanquam à conditione ab actione præsente, causatiua suę durationis præsentis: hæc enim actio sicuti respicit hoc vnicum liberum Dei decretum, quo vult, vel non vult pro tali, vel tali tempore cursum Petri; ita essentialiter respicit cursum Petri futurum, vel non futurum pro hoc, vel pro illo tēpore, ac proindè etiam apta est determinare ad actum connexum, vel non connexum ab intrinseco cum illo cursu ac proindè verum, vel falsum: quare non solùm independenter ab obiecto habetur determinatio ad actum verum, vel falsum orta ex scientia Dei, & eiusdem decreto modo supradicto: sed etiam habetur determinatio orta ab aliqua forma intrinseca intelligenti, excluso omni periculo actionis in distans.

11 Objicies secundò. Angelus potest ex aliqua coniectura iudicare, Petrum cras peccaturum, vel nunc habere in suo animo hoc, vel illud: debet præterea Angelus comprehendere hunc suum actum, quem supponimus esse verū: ergo debet certificari de omni prædicato intrinseco talis actus: ergo debet etiam certificari de veritate illius actus, quod per nos est prædicatū actui intrinsecum: ergo debet contra communē sensum Theologorum certificari, quòd Petrus cras peccabit, vel quòd hoc, vel illud meditetur. Breuiter vel debet denegari Angelis uis comprehensiua suorum actuum; vel concedi, quòd certificetur de secretis cordis alieni. Respondeo: Angelum comprehendentē suos actus etiam naturales, non debere certificari de omni prædicato intrinseco illius. Ratio est: quia hæc comprehensio nō est cognitio omnium perfectissima, nec versari possunt circa obiectum: aliàs solus Deus posset creaturas comprehendere: vnde dicebam *tract. de visione Dei*, comprehensionem esse cognitionem adæquatam intelligibilitati actiuę obiecti, idest perfectissimā omnium, quas potest obiectum per se ipsum, vel per sui speciem, aut per aliud, quod respectu illius fungatur munere speciei propriæ, naturaliter excitare; iam verò non est necesse, vt huiusmodi cognitio certificet cognoscentem de omnibus prædicatis obiecto intrinsecis: neque enim certificat de potentia obedientiali, aut de illius terminis: potest enim accidere, vt aliquod prædicatum sit naturaliter occultum hoc modo comprehendenti; idque ratione termini per illud prędicatum respecti, qui ex natura sua exigit esse occultus. Mirum igitur non est, si aliquando ueritas intrinseca actui non possit certò cognosci ab Angelo comprehendente, quando videlicet terminus illius veritatis est natura sua occultus Angelo, vt euenit in casu nostro.

Quomodo Angelus comprehendat actus sui intellectus.

12 Objicies tertiò: actus, quo dico: Petrus currit est ex se indifferens, vt sit verus, vel falsus; ergo ueritas accidit illi extrinsecus. Distinguo antecedens: est indifferens indifferentia logica; concedo: physica; nego antecedens, & consequentiam. Est indifferens indifferentia logica: quia uidelicet hic conceptus, nempe iudicium enuncians cursum Petri, potest contrahi ad falsitatem, & potest contrahi ad ueritatem in diuersis actibus; sicuti animal est logicè indifferens ad hominem, equum, &c. quia potest contrahi ad hominem, equum, &c. Non est physicè indifferens: quia ut probauimus ueritas est intrinseca actui uero, & falsitas falso; neque idem actus potest inuariatus esse modò uerus, modò falsus: sicuti iudicium, quòd est ex se indifferens, ut sit affirmatio, uel negatio; contrahitur per affirmationem, & negationem tamquam per differentias sibi identificatas, & intrinsecè, ac essentialiter diuersificantes, non tamquā per accidentia physica.

13 Obijcies quartò: hæc figura externa est etiam physicè indifferens, ut assimiletur, uel non assimiletur Petro: ergo actus iudicij est indifferens, ut assimiletur, & conformetur diuinæ scientiæ, uel non. Nego consequentiam: ratio diuersitatis est, quia satis probauimus ueritatem, & falsitatem esse actui intrinsecas: at non probāt aduersarij, quòd figura externa sit ab intrinseco similis Petro: uel si id probent, nego antecedēs.

14 Obijcies quintò: conformitas cum scientia Dei est relatio: ergo denominatio partialiter extrinseca. Nego consequentiam, ut relatio satis est si connotet aliquod extrinsecum ut terminum, non est necesse, ut illud includat tanquam partem.

15 Obijcies sextò: cur præter ueritatem adæquatè intrinsecam actui; non admittimus in eodem actu aliam ueritatem partialiter extrinsecam constitutam partialiter per obiectum, uel scientiam Dei? Respondeo, quia rationes factæ probant ueritatem esse ex genere suo perfectionem intellectui intrinsecam.

SECTIO TERTIA.

Vtrum idem actus possit transire de vero in falsum, vel è contra.

1 IN mea sententia, quæ asserit, quod ueritas sit identificata actui; repugnat, quod actus uerus, amissa ueritate, perseueret idem. Sed quid in opposita sententia, quod ueritas sit saltem partialiter distincta ab actu? in hac suppositione posset alicui uideri possibile, vt actus verus amissa veritate, euadat falsus. Non me tædet eam quæstionem in dicta suppositione agitare: tradentur enim ea occasione doctrinæ fortasse non contemnendæ. Certum autem est actus aliquos, quamuis ab extrinseco ueros, non posse transire in falsos, vt sunt qui versantur circa materiam immutabilē qualis est necessaria, vel repugnans, vt cum dico homo est animal, equus non est leo. Sermo igitur est de actibus versantibus circa materiam contingentem, quæ potest variari, & modò ita, modò opposita ratione se habere, quale est illud iudicium: Petrus est albus. Et quidem sunt tum pro parte affirmante, tum pro negante possibilitatem illius transitus nobiles patroni.

2 Ad intelligentiam suppono: non perseuerare eumdem actum, si mutet obiectum: mutatur autem obiectum: si aliquod, quod priùs affirmabatur, negabatur, vel exprimebatur; nunc non exprimatur, non negetur, non affirmetur; vel è contra. Ratio est: quia actus per se ipsum est expressio, affirmatio, negatio. His positis.

Actus verus non potest amittere veritatē idque, & si veritas actus sit illi partialiter extrinseca.

3 Dico: & si veritas sit partialiter ab actu uero distincta, non posse actum verum in se inuariatum, transire in falsum, neque falsum in uerum. Probatur: perseuerantibus constitutiuis veritatis perseuerat veritas: sed perseuerante actu, qui semel est verus, perseuerant omnia constitutiua ueritatis: ergo perseuerante actu, qui semel est verus, perseuerat ueritas: ergo non potest actus uerus amittere ueritatem, & fieri falsus: Maior est certa. Minor probatur: quia constitutiua ueritatis sunt actus ipse, & uel obiectum pro ut exprimitur, & secundum omnia quæ affirmātur, aut negantur de illo; non uero secundum alia; uel scientia Dei cui conformatur ille actus: sed certum est scientiam Dei perseuerare, neque mutatur obiectum pro ut exprimitur ab actu, & secundum ea, quæ de ipso affirmantur, uel negantur: nam si exprimit actus, & affirmat uerè existentiam lucis secundum se, ad id sufficit, quòd lux absolutè sit: quod obiectum non potest deficere: nam quamuis lux, quæ nunc est, possit non esse postea; id tamen, quod uerificat actum, est eius obiectum, idest existentia lucis secundū se, uel pro aliquo instanti: quæ ueritas obiectiua ex suppositione, quòd est, non potest non esse; ipsa autem uerificat, & complet ueritatem ex suppositione, quòd est; ergo si semel uerificat, & complet ueritatem, non potest cessare à complenda ueritate.

4 Dices existentia lucis, quæ uerificat nunc propositionem; Lux est; aliquando est, aliquando non est: ergo aliquando complet ueritatem, aliquando non complet; ergo ille actus aliquando est uerus, aliquando non est uerus. Prima consequentia probatur: quia quando est, complet ueritatem, quando non est, non complet ueritatem; sicuti albedo, quando est, constituit album, quando non est, non constituit album. Respondeo: hoc argumentum non urgere illos, qui dicunt ueritatem creatam compleri per scientiam Dei.

5 Secundò: qui docent ueritatem compleri per ipsum obiectum, numquam concedent obiectum, quod complet ueritatem, debere esse præsens, quādo existit actus uerus: aliquando enim complet ueritatem obiectum futurum, aliquando præteritum, quæ actu non sunt. Satis igitur est, si obiectum sit eo modo, quo affirmatur esse per actum: quia si ita est, iam habetur conformitas actus, tum cum scientia Dei, tum cum obiecto. Et quidem, si Dei scientia essentialiter æterna semper est uera, quamuis obiectum, per respectum ad quod uerificatur, aliquando sit, aliquando non sit, quia semper uerificatur, quòd obiectum sit eo modo, quo affirmatur à Deo esse: ita quamuis obiectum non semper sit, quādo est actus; si tamen semper uerificatur, quòd sit sicuti affirmatur esse; semper habetur ueritas actus. Hinc ad argumentum.

6 Nego consequentiam: quia etiam si lux semper non sit; semper uerificatur, quòd affirmetur esse, sicuti est, & quòd actus sit conformis obiecto; actus enim nō affirmat lucem esse nunc, & postea, sed absolutè esse cum præcisione à tempore, quod uerum est, quamuis aliquandò lux sit, aliquando non sit: & quamuis lux deficiat esse in tempore sequenti, non deficit uerificare actum: quia non uerificat actum per suum esse in tempore sequenti, sed per suum esse absolutè consideratum. Hinc patet ad exemplū

de

de albedine, quę non reddit subiectum album, nisi per unionem physicam sui cum subiecto, quæ unio essentialiter trahit condurationem extremorum, uel illam essentialiter supponit. At ut obiectum compleat ueritatem actus, uel falsitatem, satis est, ut sit, uel non sit eo modo quo affirmatur: quia per hoc præcisè iam actus est conformis, uel difformis obiecto; uerus, uel falsus.

7 Hinc patet, quòd si actus affirmet absolutè existentiam Petri, uel indefinitè pro aliquo tempore, semper erit uerus, quamuis actus durer per annum, & Petrus existat ad instans, etiã extra illum annum, quia semper uerificatur, quòd obiectum sit, ut affirmatur esse. Quod si actus affirmet coexistentiam sui cum Petro, sed pro primo instanti, si coexistit Petro pro eo primo instanti; quamuis pergens perseuerare, actus non coexistat Petro pro reliquis instantibus; semper est uerus; quia semper uerificatur, quòd obiectum sit, sicuti affirmatur esse. At si actus absolutè dicat, ego coexisto Petro, non determinando latitudinem temporis, uel instans coexistentię, semper ob allatam rationem est uerus, si uel unicum istans coexistat Petro. Sed si actus dicat ego semper coexisto Petro, semper est falsus; quia semper uerificatur quod obiectum non sit, sicuti affirmatur esse: quia affirmatur totalis coexistentia, quę absolutè non est, ut supponimus.

8 Dices: actus, quo quis dicit per verbum præsens, Petrus est, si duret per horam, successiuè repræsentat præsentiam Petri pro tota illa hora, in qua durat: ergo in prima parte horæ, in qua Petrus existit, est verus: in secunda parte horę, in qua repræsentat, & affirmat durationẽ Petri secundam, quam antea non repræsentabat, est falsus: quia Petrus non habet eam secundam durationem. Respondeo, eumdẽ actum non posse eo modo successiuè repręsentare pręsentiam Petri, & in prima parte horę affirmare primam præsentiam, in secunda tantùm secundam: quia si variatur affirmatio, & expressio; iam variatur actus. Neque dicas, ad id sufficere nouas durationes eiusdem actus; nam vel hę nouæ durationes illius actus sunt nouę affirmationes, vel non? si primum, non sumus in casu: quia non idem actus est modò verus, modò falsus; sed ex nouis actibus successiuè productis alij sunt veri, alij falsi. Si secundum; vrgeo: quia in secundo instanti habetur noua affirmatio, quæ non habetur in primo; non enim perseuerat eadem affirmatio: nam prima affirmatio asserebat pręsentiam Petri pro primo instanti; quod non asseritur in secundo instanti: ergo semper verificatur, quòd habeatur nouus actus. Falsum igitur est, quòd idem actus indiuisibilis à diuersis suis durationibus, quæ non sunt diuersę affirmationes, determinetur vt modò sit affirmatio vnius, modò affirmatio alterius. Ratio à priori est: quia noua, & noua pura duratio accedens solùm habet extendere per tempus sequẽs, quod inuenit, fuisse in tempore antecedente: aliter non esset pura duratio: sed tempore antecedente fuit hic actus, & affirmatio affirmans præsentiam antecedentem Petri: ergo accedens noua, & noua duratio solùm extendit pro tempore sequenti illum actum affirmantem præsentiam antecedentem Petri: ergo ille actus tempore sequenti durans, non affirmat præsentiam sequentem Petri.

9 Certificamur autem de existentia nostri actus per ipsummet actum supra se reflexum; de duratione verò, & coexistentia illius nobiscum, & cum alijs rebus certificamur per eumdem ipsum actum supra se reflexum, si sit cum sua duratione identificatus, & essentialiter fluens: sin minus, per actum reflexum supra primum actum, & eius durationem: qui actus reflexus debet consequenter esse essentialiter fluens.

Quomodo certificemur de existentia nostrorum actuum, & eorumque duratione, & coexistentia cum alijs rebus.

10 Aduerto hic primo, me supponere non posse cognitionem inuariatam modò exprimere hoc obiectum, deindè aliud: modò iudicare de hoc, modò de illo: quia per se ipsam est expressio, & iudicium de obiecto: at benè potest iudicium esse indifferens, vt verificetur per hoc, vel per illud obiectum, & posse modo verificari per vnum, modò per aliud, tamquam per terminum veritatis: vt patet in hac propositione, aliquis homo currit: ratio est: quia obiectum non est constitutiuum iudicij, & per me neque veritatis.

11 Aduerto secundò, idem dicendum esse de voluntate obligatoria principis: quæ semper vult idem: licet ex circumstantijs accidentarijs modò hos subditos, modò illos vltimo obliget; neque verò, vt suppono formaliter per se ipsam vltimo obligat. Ob similem rationem voces possunt variare significationem: quia significatio nõ est illis adæquatè intrinseca, neque adest aliud impedimentum huius variationis: sicut adest in casu nostro. Idem esto iudicium de similitudine, qua duæ eadem res inter se comparatæ modò gaudent, modò non gaudent.

Voluntas obligatoria principis sẽper vult idem; licet modo obliget hos, modo illos.

12 Obijcies primò: veritas, vt supponimus, est partialiter extrinseca actui. ergo actus potest illam amittere. Nego consequentiam. multæ denominationes extrinsecę sunt inamissibiles; sic extrinsecum mihi est, me esse cognitum à Deo; nec propterea possum fieri non cognitus.

13 Obijcies secundò: illa propositio vocalis: incipio loqui, est vera cum profertur prima syllaba, falsa cum profertur vltima; quia tunc non incipio loqui: ergo etiam propositio mentalis potest primo esse vera, postea falsa. Nego absolutè antecedens. Veritas rigorosa est in propositione mentali: vocalis autem dicitur vera, quia exprimit conceptum mentis verum. In re igitur nostra propositio non potest esse vera in principio, quando non est, sed in fine: in quo per species sui perseuerantes adæquatè exprimit iudicium hominis verum, quo affirmat se illo initio incepisse loqui.

14 Obijcies tertiò authoritatem Aristotelis in prædicamentis *cap. de substantia. Eadem autem oratio, inquit, vera, & falsa videtur esse,*

Explicatur Aristotiles

veluti si vera sit oratio sedere quemdam, eo surgente, eadem falsa erit: similiter de opinione. Si quis verum putet aliquem sedere, surgente ipso falsum putabit eamdem de ipso orationem habens. Verum in prima parte Aristoteles loquitur de oratione vocali, Petrus currit, quod quandocumque profertur significet Petrum tunc currere, idque ex hominum beneplacito. Quare cum mutet significationem, & nunc exprimat hanc præsentiam cursus, nunc illam, mirum non est, si possit de uera transire in falsam. In secunda parte loquitur expressè de actu interno, sed permittit aduersarijs eamdem orationem posse modò esse veram, modò falsam; cum ibi non esset locus id exactè examinandi, & discrimen inter orationem, & substantiam afferre, quod nimirum sola substantia sit susceptiua contrariorum per sui mutationem extrinsecam, quod nullo modo competit orationi, etiam dato quod eadem de uera mutetur in falsam: quia videlicet semper mutatur expressio saltem instantis, quæ expressio est de intrinseca ratione orationis. S. Thomas autem potest intelligi de oratione eadem moraliter, non physicè eadem.

SECTIO QVARTA

Quibus actibus competat veritas, & falsitas.

Veritas propriè dũtaxat conuenit iudicio.

1 TRes actus possumus hic considerare, iudicium videlicet, siue sit illatum, siue nõ: apprehensionem, & sensationem: breuiter dico: veritatem, & falsitatem propriè dictam, non esse nisi in iudicio, siue sit illatum, vt est conclusio, siue non. Apprehensio autem, & sensatio non propriè sont actus veri, uel falsi.

2 Et pars quidem affirmatiua probatur: quia iudicium intellectus verè est conforme obiecto, vel illi difforme, si affirmet rem esse sicuti est, aut aliter ac est: ergo est verum, vel falsum. Confirmatur, & explicatur integra conclusio: quia veritas actus non est quæcumque imago, & similitudo obiecti: aliter cum quicumque actus sit imago, & similitudo sui obiecti; quilibet actus verus esset: neque est quæcumque imago exprimens obiectum vtcumque, sicuti est: quia, cum quæcumque imago obiecti sit similitudo obiecti; quæcumque habet exprimere obiectum aliquo modo, sicuti est: similitudo enim essentialiter dicit, hoc esse sicuti illud: cum ergo quilibet actus intellectus sit imago sui obiecti, quilibet exprimit aliquo modo obiectum sicuti est: Confirmatur: quia quælibet cognitio exprimit ipsum esse obiecti: aliter non exprimeret illud obiectum: ergo quælibet intentionaliter est, sicuti est obiectum in se: quod non est aliud, quàm exprimere prædicata, quæ habet obiectum in se.

3 Veritas igitur est ea similitudo intentionalis, & conformitas actus cum obiecto, ratione cuius obiectum absolutè est in mente, sicuti est à parte rei. Obiectum autem absolutè non est in mente, sicuti est à parte rei, nisi cum intellectus affirmando, vel negando, adhæret alteri parti, quæ verè est à parte rei: quare è contra obiectum erit in mente, aliter ac est in se, cum intellectus affirmando, vel negando, adhæret parti, quæ non est à parte rei: ratio autem est, quia dum intellectus non præbet assensum, non intelligitur complexus alteram partem contradictionis, & dedisse illi esse, & voluisse existere in mẽte: sicuti malitia, & bonitas non intelligitur esse in voluntate, dum illi proponitur, aut dum excitantur quædam complacentiæ indeliberatæ; sed tunc demum dicitur esse in anima, cum liberè illam amplectitur per exclusionem contrarij: quare sicuti quando res est, excludit suum contradictorium à parte rei; ita tunc dicitur esse in mente, cum intellectus illam amplectitur per iudicium exclusiuum iudicij contrarij. Conformitas igitur, & difformitas propria veritatis, & falsitatis est enunciatiua, qua asseritur res esse, vt est, vel aliter, ac est.

4 Ex quibus patet: veritatem, & falsitatem non habere locum in sensationibus, & aprehensionibus. Et confirmatur, si quis apprehendat identitatem inter hominem, & equum, non dicitur errare, donec illam affirmet, neque dicitur verum dicere, donec illam neget. Idem à fortiori militat in sensationibus. Quamuis autem possimus apprehendere, & sentire obiecta, quæ realiter non sunt; non ideò illæ erunt cognitiones falsæ: quia non exprimunt modo dicto obiecta, aliter ac sunt, & in hoc sensu intelligendus est Aristoteles, si quando videtur docuisse oppositum, cum expressè 3. *de anima textu* 21. *&* 22. veritatem, & falsitatem posuerit in compositione, & diuisione.

5 Igitur apprehensio illa, homo hinnibilis, non est essentialiter falsa: sicuti neque illa, animal rationale, est essentialiter vera: sed ad summum disponunt ad veritatem, vel falsitatem. Et visio quidem attingit lucem existentem: sed non adhæret alteri parti, asserendo illam esse, vel non esse; sed tantum præbet fundamentum assertioni intellectiuæ. Rursus, cum videmus remum fractum in aquis, non elicimus actum falsum, sed per species imperfectas apprehendimus obiectum, quòd non est. Sed quia vereor ne incidamus in quæstionem de nomine; ideò dico, vt supra innui, absolutè concedi posse, quòd in sensatione, & prima apprehensione sit veritas, & falsitas quædam imperfecta, & radicalis, & in hoc sensu intelligo S. Thomam, si quid in oppositũ docuisse videtur. Legatur Quiros, & Maurus *quæst.* 58. *log.*

6 Instabis: qui volens apprehendere aurum, apprehendit auricalcum, efficiet apprehensionẽ falsam: Nego assumptum: licet enim hic non assequatur suum finem; tamen illa apprehensio est conformis suo obiecto; est enim imago, & expressio auricalchi, quod est eius obiectum, quamuis non exprimat aurum: neque dicas illũ conceptum esse verum conceptum auricalchi, sed falsum auri: quia ita est conformis auricalcho, vt sit difformis auro: nec id, inquam, dicas: quia sic omnis conceptus esset falsus, quia na-

est conformis vni obiecto, vt sit hoc modo disformis alteri: v. g. conceptus hominis est conformis homini, sed disformis equo.

Omne indicium est formaliter verum, vel falsum.

7 Quares: vtrum omne iudicium sit formaliter verum, vel falsum? Respondeo, omne iudicium mentale quo aliquid affirmatur, vel negatur, esse formaliter verum, vel falsum; quia vel obiectum est eo modo, quo affirmatur, aut negatur? & sic iudicium est verum, vel non? & sic est falsum: sed necessariò obiectum est illo modo, vel non est: ergo necessariò omne iudicium mentale est falsum, vel verum. Dixi, iudicium mentale, nam si dentur aliqua indicia merè vocalia, quæ non sunt, nisi vocum congeries, non exprimens aliquod obiectum, aut iudicium mentis; nullum est absurdum, huiusmodi iudicium neque esse verum, neque falsum. Vtrum autem possint huiusmodi propositiones vocales effirmari serio ab homine sano, infra fusiùs fortasse dicam.

SECTIO QVINTA.

Vtrum veritas, & falsitas suscipiant magis, & minus?

Vnus actus est certior alio.

1 SEnsus quæstionis est: vtrum vnus actus possit esse verior, vel falsior alio, sicuti vnus paries est magis albus alio. Certum autem est, vnam veritatem posse esse magis necessariam alia: sic est magis necessario verus actus, quo dico, Deus est; ac actus, quo dico: Petrus currit: hæc autem maior necessitas veritatis oriri potest vel ab obiecto, vel à principijs, uel demum ex modo tendendi actus: sic magis necessaria est veritas actus fidei, quo credo, Mundum iudicandum; ac actus, quo dico: Petrum videre; licet enim vtriusque obiectum materiale sit contingens, tamen primus connectitur infallibiliter cum obiecto credito, idque ratione tum principij effectiui, nempè habitus fidei, tum motiui formalis: quod non conuenit secundo, Quare si hæc maior necessitas ueritatis sit sufficiens caput, vt vnus actus dicatur magis verus, quàm altus, certum est vnum actum esse magis verum alio.

Sed non verior.

2 Absolutè tamen dico primò: vnum actum non esse magis verum alio. Probatur: quia veritas est conformitas actus cum obiecto, vel cum scientia Dei: conformitas autem hæc consistit in indiuisibili, neque suscipit magis, & minus: ergo etiam veritas consistit in indiuisibili, neque suscipit magis, & minus. Minor probatur: hæc conformitas videtur esse sicuti quædam æqualitas inter duas quantitates, quæ sita est in indiuisibili.

Vna falsitas maior alia.

3 Dico secundò: vna falsitas propositionis potest esse maior alia. Probatur: vna propositio potest esse magis disformis obiecto, quàm alia: ergo una magis falsa, quàm alia; ergo una falsitas est maior alia. Antecedens probatur: si enim currentibus decem hominibus alter dicat: nullus homo currit, alter verò tantùm quinque homines currunt; certè prima propositio magis recedit à veritate obiecti, quàm secunda: ergo est magis disformis obiecto, quàm secunda. Et confirmatur sequentibus exemplis æqualitas vnius quantitatis cum alia consistit in indiuisibili; at inæqualitas suscipit magis, & minus: vnum corpus esse proximum alteri, consistit in indiuisibili, esse autem distans situm est in indiuisibili: ergo benè intelligi potest, quòd veritas, quæ est veluti quædam æqualitas, & proximitas, sita sit in indiuisibili; & falsitas, quæ est quædam inæqualitas, & distantia suscipiat magis, & minus.

4 Obijcies primò: ergo tam est vera cognitio creata, quàm increata: quod videtur absurdum: nam sicuti cognitio increata est longè perfectior creata, ita est longè verior; veritas enim non distinguitur à perfectione vtriusque. Distinguo consequens: si ly tam cadat supra quantitatem veritatis formalis? concedo: si cadat supra alia prædicata; nego: ad rationem in contrarium; dico: solùm indè inferri, quòd veritas increata sit longè perfectior, quàm creata; ex quo solùm deduces maiorem materialiter esse veritatem increatam, quàm creatam; non autem formaliter: quia est maior ex alijs prædicatis additis prædicato veritatis, non autè ex ipso prædicato veritatis, quod incapax est suscipiendi magis, & minus. Sicuti æqualitas inter duos Angelos non est maior æqualitas, quàm sit æqualitas inter duos lapillos; quamuis entitas, & perfectio prioris sit longè maior perfectione posterioris.

5 Obijcies secundò: currentibus decem hominibus tum qui affirmat currere decem homines, tum qui affirmat currere tres elicit cognitionem veram, & tamen prioris cognitio est magis vera: quia est conformior obiecto. Confirmatur, quia apprehensio exprimens cursum decem hominum est similior obiecto; & eius imago perfectior apprehensione exprimente cursum trium: ergo iudicium affirmans, currere decem homines, est conformior obiecto, quàm iudicium affirmans currere tres homines: & sanè si primum iudicium, sicuti prima illa apprehensio, est similiùs obiecto reali, quàm secundum; erit vtique illi conformiùs.

6 Nego secundam partem antecedentis prioris; cognitio enim neque verior est, neque enunciatiuè conformior obiecto: Ratio autem est: quia iudicium verum non debet esse enunciatiuè conforme cuique obiecto, sed à se expresso: at in hac conformitate omnia iudicia vera sunt æqualia; nam si in casu nostro primum iudicium exprimit decem homines, qui defactò currunt, & affirmat illos currere, secundum autem exprimit tres homines, & affirmat illos currere, non minùs conformatur suo obiecto primum, quàm secundum, vt patet consideranti.

7 Hinc ad confirmationem concesso antecedente; nego consequentiam. Apprehensio non

comparatur ad obiectum, vt apprehensum, sed secundum se: neque enim realiter, vel formaliter possumus contradistinguere apprehensionē ab obiecto, vt apprehenso: ergo est similitudo maior, vel minor, & est imago magis, vel minùs expressiua, si sit minùs, vel magis præcisiua. At enunciatio comparatur cum obiecto, vt apprehenso, respectu cuius enunciatio non potest esse cōformis, nisi adæquatè. Quare iudiciū, quod est apprehēsio inadæquata obiecti, si sit verū, est adæquatè conforme obiecto apprehenso.

8 Vrgebis primó: potest intellectus apprehendens cursum decem hominum, affirmare tres currere: ergo non est necesse, vt iudicium verum conformetur adæquatè suo obiecto, seu obiecto apprehenso. Distinguo consequens: non debet esse positiuè conforme adæquatè obiecto apprehenso per ipsum iudicium; nego: apprehenso per præuiam primam intellectus operationem; concedo: quamuis enim supposita apprehensione decem currentium possit intellectus per iudicium affirmare tres currere, & de aliis præscindere; tamen obiectum proprium iudicij, non sunt nisi tantùm tres homines: quia vel iudicium non exprimit nisi tres tantùm homines currere, vel si, vt supra diximus, reflectat supra præuiam apprehensionem, ideoque velis, quòd exprimat omnes decem homines; certè diuerso modo exprimitur ab illa apprehensione cursus illorum trium, ac cursus reliquorum: at aliter non esset cur intellectus determinaretur ad affirmandum cursum trium, & non reliquorum. Illa autem diuersitas modi exprimendi tres illos, quæ etiam refunditur in expressionē, qua exprimuntur à iudicio, facit vt propriè sint obiectum iudicij tres illi homines, & non reliqui: quia per illum modum expressionis constituuntur proximè apti, vt sint terminus enunciationis. Quod si velis ex determinatione voluntatis intellectum affirmare cursum trium, & non reliquorum; iam ex illo imperio voluntatis, & reflexione supra illud constituuntur illi tres proximè apti, vt sint termini enunciationis. Breuiter per aliquod constituuntur illi tres homines proximè apti, vt sint termini illius enunciationis: quidquid autem sit hoc, semper constituet illos terminos speciali modo obiectum proprium huius enunciationis: supra autem recurrimus ad apprehensionem tamquam ad specialem modum, quo obiectum constituitur proprium iudicij.

9 Instabis: ergo omnis apprehensio est adæquata similitudo sui obiecti. Nego iterum consequentiam: quia apprehensio non supponit per se aliquod prædicatum, per quod res apprehensa constituta sit obiectum intellectus; sed primò constituitur obiectum intellectus per ipsam apprehensionem: quare similitudo apprehensionis non comparatur nisi cum obiecto secundum se.

10 Vrgebis secundò: potest idem actus respectu diuersorum obiectorum esse simul verus, & falsus, qui actus est minùs verus alio actu, qui tantùm est verus, neque in eo actu apparet quo modo adæquatè conformetur suo obiecto: ergo falsa allata doctrina. Respondeo actum simul verum, & falsum, qualis fortasse esset enunciatio, qua currente Petro, & non currente Paulo, dico: Petrus currit, & Paulus currit, non esse actum verum, de quo loquuti sumus in nostra conclusione, quæ procedit de actu purè vero. Rursus hic actus æquiualet duobus distinctis, alteri vero, alteri falso, & quatenus verus respicit diuersum obiectum, ac respiciat ut falsus: quare precisè vt verus, erit æquè conformis suo obiecto, ac alius purè verus. Vltro concedo vnó actum voluntatis esse honestiorem alio, & vnam cognitionem clariorem alia; quia, vt suppono claritas, & honestas suscipiunt magis, & minus, cuius oppositum de veritate probauimus.

11 Obijcies quintò: si actus intellectus habeant compositionem intensiuam: ergo actus verus, quo est intensior, eo est verior. Nego consequentiam: sicuti non est vitalior. Ratio est iam dicta: quia veritas consistit in indiuisibili, neque quia sunt plures partes actus conformis, ideò actus est magis intensiuè conformis; sed est vna conformitas veluti replicata in pluribus actibus, & subiectis. Ad summum igitur habetur conformitas magis perfecta veluti materialiter, vt supra in simili dicebamus.

12 Obijcies sextò: possum per vnum actum videre creaturas in Deo, & per alium videre illas in se ipsis, ac demum per tertium videre illas vtroque modo: iam hic tertius actus habet veritatem intensiorem, quam alteruter ex primis actibus: sicuti enim veritas vtriusque primi actus est maior extensiuè veritate alterutrius; ita cum in tertio actu copulentur vtraque veritas, illa erit maior intensiuè veritate alterutrius. Respondeo in hoc tertio actu non esse veritatem intensiuè maiorem, sed esse duplicem veritatem identificatam, seu actum hunc tertium habere veritatem ex duplici capite. Sicuti si duæ quantitates penetrentur in eodem subiecto, non reddent illud magis intensiuè quantum; sed bis quantum. Cuius rei ratio est: quia neque forma veritatis est capax huius maioritatis, & minoritatis; nec actus ipse est subiectum capax denominari magis, vel minus verus.

13 Demum non est contra conclusionem Aristoteles 4. m. c. 4. ibi: *Inest in rerum natura magis, & minus, neque enim æquè paria duo, ac tria dixerimus, neque decipietur æquè is, qui quatuor, atque is qui mille quinque esse existimauerit; quod si non æquè decipiuntur perspicuum est alterum minus decipi, quo fit, vt magis verum dicat. Si ergo id, quod magis tale dicitur propriùs accedit, erit profecto aliquid magis verum; cum magis verum sit magis propinquum.* Non est, inquam, contra: quia tamen ex primis verbis patet illum nomine magis veri, non intelligere, quod absolutè verum est, sed quod est minus falsum, & magis accedit ad veritatem. Illud autem axioma, propter quod vnum quodque tale, & illud magis tale, intelligitur de intentione finis, & electione mediorum: magis

gis enim amatur finis, quàm media: & certè nō potest extendi ad causam, & effectum incapaces intensionis, qualis est veritas: vndè quamuis veritas conclusionis pendeat à veritate præmissarum, non ideò præmissæ erunt magis veræ, quam conclusio. Cum autem Aristoteles docuit hanc propositionem bonum est bonum veriorem esse, ac sit illa bonum nō est malum; solū loquutus est in ordine ad obtinēdum assensum aliorum; quia magis elucet veritas primæ, quam secundæ propositionis.

SECTIO SEXTA.

Vtrum idem actus possit esse verus simul, & falsus?

1 ACtus intellectus idem potest versari aliquando circa obiectum indiuisibile, & vnicum, aliquando circa multiplex, & diuisibile: sic possum affirmare: Deum omnipotentem, qui actus habet vnicum, & indiuisibile obiectum, & dicere: Petrus, & Paulus currit. Iam verò certúm est in primo casu, non posse eumdem actum esse simul verum, & falsum: nam obiectum illud indiuisibile vel est, vt affirmatur, & sic actus est omninò verus: vel non est, vt affirmatur, & sic actus est omninò falsus. In secundò autē casu dupliciter potest intelligi, quòd tendat in duo illa subiecta, primò veluti indiuisibiliter: quia videlicet tendit in illa, quatenus afficiūtur aliqua forma, & relatione indiuisibili, vt si dicens: Petrus, & Paulus currit, affirmet præcipuè simultatem cursus Petrini, & Paulini: & in hoc etiam casu videtur certum, quod idem actus non possit esse simul verus, & falsus: nam simultas illa vel est, vel non est: Si est; actus est absolutè verus, neque ullo modo falsus: si non est; actus est absolutè falsus, & nullo modo verus. Idem esto iudicium, si actus ille veluti reflectendo dicam: cum veritate cursus Petri coniungitur veritas cursus Pauli. Secundò diuisibiliter, si per vnicum actum intellectus simul affirmet; & Petrum currere, & Paulum currere, ita tamen vt neque affirmet simultatem cursus, neque quod veritas vnius coniungatur cum veritate alterius, quem modum operandi aliqui putant impossibilem. Et qui hoc modo discurrunt facilè respondent quæstioni propositæ, non posse eumdem actum esse simul verum, & falsum. Ceterum in opposita suppositione, non deerunt, qui negent, eumdem actum posse esse simul verum, & falsum: quamuis valdè dubito, ne quæstionem faciant de nomine, quin imò è contra neque in prima suppositione fortasse deerunt docentes eumdem actum versantē circa idem indiuisibile obiectum, posse esse simul verum, & falsum: huiusmodi putant esse aliquas propositiones, quas vocant insolubiles, se ipsas falsificantes, reflexiuas, inextricabiles: his positis.

2 Dico primò: si possibilis est propositio aliqua, quæ simul tendat in plura subiecta, vt plura, posse illam esse simul veram, & falsam probatur: si quis dicat: Petrus currit, Paulus dormit, & non significet coexistentiam cursus Petri cum somno Pauli, sed disparatè tendat in illa (quod, vt verum fatear, est mihi difficile) Petro currente, & Paulo non dormiente, illa propositio esset simul vera, & falsa: ergo potest in ea suppositione propositio esse simul vera, & falsa. Antecedens probatur: ea propositio est enunciatiuè conformis vni obiecto, & difformis alij, vt patet: ergo est simul vera, & falsa. Quin imò potest esse simul vera, & falsa: quamuis tēdat in ipsam coexistentiam cursu Petri, & somni Pauli: quia illa propositio non solūm affirmat illam coexistentiam, sed etiam absolutam existentiam cursus Petri, & somni Pauli: ergo licet sit falsa quatenus affirmat cursum vnius coexistere somno alterius, ac etiam quatenus affirmat somnum Pauli; erit tamen vera, & conformis obiecto, quatenus affirmat cursum Petri. Neque est ullum absurdum eamdem propositionem esse conformem, & difformem diuersis obiectis.

3 Verum actus ille non est prudenter eligibilis, neque vero falsitas cognita est prudenter eligibilis. Quod si actui, qui affirmans plura de pluribus non tendit in aliquod vnum indiuisibile, non possit assignari contradictorius; id probat repugnare suppositionem, de quo puncto nō curo: at posita veritate suppositionis, non potest negari, quod asserimus. Demum aduerto, quod propositio falsa, non debet esse ex omni capite falsa: cum quo benè cohæret, quod aliqua propositio sit ita falsa, vt ex nullo capite sit vera.

4 Dico secundò, propositionem versantem circa obiectum indiuisibile non posse sub eisdē terminis esse veram simul, & falsam: probatur obiectum simul esse, & non esse vt enunciatur est impossibile: sed propositionem versantē circa obiectum indiuisibile esse sub eisdem terminis simul veram, & falsam, importat illud obiectum indiuisibile sub eisdem terminis simul esse, vt enunciatur, quod est propositionem esse verā, & simul non esse, vt enunciatur, quod est propositionem esse falsam: ergo propositionē versantem circa obiectum indiuisibile esse sub eisdē terminis simul veram, & falsam importat aliquod impossibile.

Non potest idem iudicium versans circa indiuisibile obiectum esse simul verum, & falsum.

5 Obijcies primò: potest intellectus concipere hoc iudicium reflexum: aliqua propositio creata falsa existit in hoc instanti: supponamus autem nullam propositionem creatam nunc existere præter ipsam: tum sic; hæc propositio si est vera, tam simul est falsa: nam vera est; quia aliqua propositio creata falsa nunc est: sed nunc tantum ipsa est propositio creata: ergo ipsa est falsa.

6 Respondeo iudicium, de quo loquitur aduersarius, necessariò habere pro obiecto aliud iudicium à se contradistinctum, quod vage repræsentat, & de quo enunciat existere, & esse falsum: alter iudicium illud esset simul verum, & falsum: quod supra aliunde repugnare probauimus. Igitur illa propositio reflecteret supra seipsam: expeteretur suam existentiam eamque affirma-

Explicātur propositiones inextricabiles ac seipsas falsificātes.

firmaret; sed necessariò simul enunciaret aliud iudicium falsum existere, quod cum non verificetur; erit dicta propositio non vera, sed dumtaxat falsa.

7 Obijcies secundo: reuelet Deus Caio, quod dabit illi gratiam ad primam propositionem veram, quam eliciet: Caius autē primo format hanc propositionem: Deus non dabit mihi gratiam: tum sic, si hæc propositio est vera, quia Deus non dat gratiam; esset simul falsa: quia Deus deberet Caio efformanti primam illā propositionem veram iuxta suā reuelationem dare gratiam. Rursus si est falsa, quia Deus dat gratiam, erit simul vera, quia ad propositionis veræ positionem Deus debet dare gratiam. Respondeo reuelationem Dei nō posse habere pro obiecto primam Caij propositionem versantem circa gratiam dandam: aliter sequeretur, quòd propositio illa prima posset esse simul falsa, & vera, & quod Deus deberet dare, & non deberet dare gratiam: quæ sunt consequentia absurda: antecedens autem, ex quo sequitur absurdum, absurdum est.

8 Obijcies tertiò, possunt duæ propositiones contradictoriæ ambæ esse veræ: vt cum dico nullum incognoscibile potest cognosci, aliquod incognoscibile potest cognosci, vtraque est vera: prima vt patet: secunda, quia dum formatur prima iam incognoscibile cognoscitur: ergo potest eadem propositio esse simul vera, & falsa. Nego antecedens: ad rationem in contrarium dico, si stet constantia terminorum, & identitas suppositionis realis (exclusa enim illa constantia, & identitate non habetur contradictio) illarum propositionum alteram esse necessario falsam, alteram necessario veram: nam in suppositione reali, quod incognoscibile repugnet, dum de illo loquimur, iam cognoscitur, & falsificatur prima vniuersalis, non secunda particularis. At in suppositione impossibili, quod existeret incognoscibile exercitè excludens omnem sui cognitionem, tunc sine vllo absurdo concedi potest, quod vtraque propositio verificaretur, & falsificaretur. Igitur defacto hic terminus, incognoscibile, est absolutè cognoscibilis, & tantùm conditionatè incognoscibilis, si nimirum existeret.

9 Obijcies quarto, hęc propositio, si homo esset æquus, esset rationalis: est simul uera, & falsa: quia non esset rationalis. Respondeo, hanc propositionem esse absolutè ueram: quia habet obiectum chimæricum, quod in ea suppositione simul esset, & non esset, & in suppositione impossibili simul falsificaret, & verificaret propositiones simplices absolutas; at nunc absolutè uerificat dictam hypotheticam: nimirum verissimum est, hominem tunc futurum rationalem simul, & non rationalem.

10 Si dicta benè considerentur satis sunt ad solutionem similium casuum, quos sibi confingūt Aduersarij, Duo tantùm hic addo: primum est, me non negare huiusmodi propositiones simul veras, & falsas posse reflexè cognosci: sicuti reflexè cognosco comprehensionem creatam Dei, quam verissimè nego. Secundum est, casus, quos confingunt aduersarij, si ex illis sequitur iudiciū simul falsum, & verum, quòd probauimus repugnare, reijciendos esse tamquam repugnantes, neque ad eorum repugnantiam probandam aliud requiri, quam ex ipsis sequi, quod aliundè probatur repugnans; repugnat enim antecedens, ex quo sequitur repugnans. Quod si ex illis casibus non sequitur consequens intentum, frustra laborant. Vtiliter igitur laborarent, si casus essent certi; & ex illis sequeretur, quòd intendunt.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ?

1 FVtura sunt in duplici differentia: alia sunt necessaria, quæ nimirùm procedunt à causa determinata ad illorum productionem, & talis est illuminatio crastina solis procedens à sole ex se determinato ad cras suo ortu illuminandum nostrum emisphęrium, & horum certum est nunc dari determinatam veritatem, neque solùm actus increatos Dei, sed nostros etiam affirmantes huiusmodi futura esse determinatè veros, & vt tales habere infallibilem connexionem cum illis.

2 Alia sunt futura contingentia, seu libera, quæ videlicet ita nunc non sunt, sed erunt, vt non sint processura à causis determinatis ad illorum productionem, sed indifferentibus ad productionem oppositorum, & respectu horum non habemus certam regulam, ex qua certò colligamus potiùs euentura ipsa, quàm opposita; licet aliquando coniecturaliter colligamus, quin, & probabiliter, ipsorum futuritionem: nam, & si sint in se determinata, nullum tamen datur obiectum pręsens nobis notum, & potens naturaliter nos determinare ad rectam, & infallibilem illorum cognitionem, & ideò huiusmodi futurorum cognitio à scripturis, & Patribus cognoscitur ut propria solius Dei, nec potens creaturis communicari, nisi ex fauore, & reuelatione eiusdē Dei, qui habens in se rectam, & infallibilem horum futurorum cognitionem, potest illam nobis sua reuelatione communicare.

3 Tota igitur præsens difficultas est de nostris actibus, quibus vel fortuitò, ac imprudenter, vel ex aliqua coniectura probabiliter affirmamus, vel negamus futurum hoc, vel illud obiectum contingens, & pendens ab hominis libertate. Quærimus igitur vtrum huiusmodi actus habeant nunc antequam existāt illa futura, determinatam veritatem. Hanc determinatam veritatem huiusmodi actibus negauit Tullius, qui ad saluandam hominis libertatem, eam etiam in Deo negare ausus est: eiusdem mentis videtur fuisse Aristoteles.

4 Dico: Nostros huiusmodi actus habere tunc quando eliciuntur determinatam veritatē, vel falsitatem. Probatur: quando dico; cras. Pe-

trus

trus peccabit; habetur determinatè futuritio peccati Petri, vel determinatè futuritio oppositæ carentiæ crastinæ peccati Petri; si primū actus est est determinatè verus: affirmat enim futuritionem peccati crastini Petri, quæ verè est: si secundum, actus est determinatè falsus: affirmat enim futuritionem peccati crastini Petri, quæ verè non est; ergo actus ille est determinatè verus: vel est determinatè falsus. Probo maiorem: cras peccatum Petri vel determinatè erit, vel determinatè nō erit: si primum; ergo nunc, & ab æterno fuit futurū peccatū crastinum Petri: ergo nunc, & ab æterno habetur futuritio illius: si secundum; ergo nunc, & ab æterno habetur futuritio carentiæ crastinæ peccati Petri.

5 Hic aduertas velim, peccatum ipsum, nō futuritionem esse futuram, sicuti præmium est futurum, non futuritio præmij: non enim expectamus ipsam futuritionem, sed præmium. Et confirmatur: quia adueniente re futura, nemo dixerit, quòd adueniat futuritio, sed potius rei præsentia. Confirmatur vlterius: futuritio est quid possibile, & aliquando est merè possibilis, aliquando transit ad statum actualitatis: quæro igitur, quid est futuritio actualis? certè non dices esse rem ipsam: quia antequam res sit, habetur futuritio actualis, non autem res; neque dici potest, futurum dicere non esse præcedens rei, & esse subsequens, seu quòd res non sit, sed erit: quia, ipsum erit, est, esse futurum, illud autem antecedenter non esse, non constituit rem futuram: neque enim habet cum existentia sequenti rei connexionem: futuritio autem debet esse quid antecedēns tempore rem futuram, sed connexum essentialiter cum existentia illius pro tempore sequenti.

6 Obijcies primò: non potest explicari, quid sit futuritio per conformitatem ad quam noster actus, qui affirmat rem futuram, constituitur verus. Respondeo huiusmodi futuritionem certū est dari, vt probat allatus discursus. Quid autem sit, non est vna omnium mens. Mihi placet illorum opinio, quam hic suppono probabiliorem ex Theologia, & non defendo, qui cum Perea, Esparsa, Rybadineyra docent huiusmodi futuritionem esse scientiam Dei, qua certò, & infallibiliter cognoscit peccatum Petri crastinum. Circa hanc scientiam quantum spectat ad præsens institutum notanda sunt nonnulla pro solutione difficultatum, quæ possunt in contrarium afferri.

7 Primò: hanc scientiam habere infallibilem connexionem cum peccato Petri crastino: neque enim potest Deus scire cras Petrum peccaturum, & defactò Petrum cras non peccare. Quare meus actus, quo affirmo, cras Petrum peccaturum, quia coexistit illi scientiæ, iam infallibiliter per eam connectitur cum peccato crastino Petri, ac proindè iam participat essentiam actus veri, & conformis obiecto: affirmat enim actum esse futurum, & re ipsa futurus est talis actus. Secundò, huiusmodi scientiam non esse futuritionem peccati Petri respectu Dei vel sui; re vera enim peccatum Petri non est futurum respectu Dei, aut scientiæ diuinæ, sed maximè præsens illi saltem inadæquatè, vt suppono cum multis Theologis, & communi Patrum sensu, qui negant Deo quidquam esse præteritum, vel futurum.

8 Erit igitur talis scientia futuritio peccati crastini Petri respectu nostrorum actuum, & reliquorum, quæ præcedunt existentiam peccati illius, sicuti est præteritio respectu illorum, quæ talem existentiam sequuntur. Cuius rei ratio est: quia ex vna parte peccatum non necessariò exigit coexistere cum omnibus illis, quæ præcedunt, & subsequuntur, imò duratio crastina peccati habet essentialem repugnantiam cum durationibus antecedentibus, & subsequentibus aliarum rerum. Ex alia verò res illæ cum suis durationibus præcedentibus, & subsequentibus, pro vt coniunguntur cum illa scientia, habent infallibilem connexionem cum peccato crastino, & eius duratione item crastina: ergo pro vt coniunguntur cum ea scientia verè respiciunt illud aliquę, vt futurum; aliquę, vt præteritum: quod enim respicit aliud vt verè futurum, vel vt verè præteritum debet connecti cum existentia, & aliqua duratione illius vel præcedente, vel sequente. Est igitur illa scientia futuritio peccati respectu mei actus, quia est forma, qua meus actus præcedens cum sua duratione connectitur infallibiliter cum peccato sequenti, & eius duratione: quamuis inter peccatum sequens, & meum actum antecedentem formaliter, & reduplicatiuè sumptos sit essentialis repugnantia ad simul coexistendum.

9 Dices: cur non dicimus futuritionem peccati esse duas durationes incompossibiles, alterā nostri actus præcedentem, alteram peccati sequentem? Respondeo primò: quia nunc habetur futuritio illius peccati; & tamen nunc non habetur illa duplex duratio: neque enim fingendū est veritatem, & futuritionem esse ex formis essentialiter fluentibus, quæ numquam sunt absolutè, sed tantùm secundum partem, vt est motus. Secundò duratio antecedens nostri actus respicit durationem sequentem actus peccaminosi, vt futuram: ergo habet aliquid per quod infallibiliter connectitur cum illa. Et quidem nunc: quia nunc respicit illam, vt futuram, & nunc datur hic respectus, quod profectò non potest esse duratio subsequens. *Quid sit futuritio.*

10 Obijcies secundò: hæc veritas determinata actus nostri circa futurum liberum destruit libertatem futuri: ergo non datur. Antecedens probatur; est aliquod antecedens ipsum futurum liberum necessariò, & infallibiliter conexum cum ipso futuro: ergo destruit eius libertatem. Nego antecedens. Ad cuius probationem, distinguo primam partem antecedentis: est aliquod antecedens natura futurum liberum tamquam causa illius necessariò requisita; nego: est aliquod antecedens tempore; subdistinguo: secundum illud, quod dicit de creato; concedo: secundū illud, quòd dicit de increato; subdistinguo *Quomodo scientia determinata futurorum liberorum cohæreat cum eorum libertate.*

guo

guo iterum: est aliquod antecedens tempore, & non si mul essentialiter præsens; nego, & simul essentialiter præsēs; subdistinguo tertiò, & inimpedibile à voluntate per actum oppositum; nego: & hoc modo impedibile; concedo primam, & distinguo secundam partem antecedentis; infallibiliter connexom cum futuro infallibilitate antecedente propria causæ; nego: comitante, & impedibili à voluntate, concedo antecedens, & nego consequentiam.

11 In hac igitur veritate duo habentur, & entitas nostri actus creati conformis diuinæ sciētiæ, & actus diuinæ scientiæ infallibilis: ceterer autem est causa peccati futuri. Quare illa veritas non antecedit natura, & causalitate peccatū ideoque peccatum quantum est ex hoc capite liberum est: quia nō procedit à causa determinata, sed indifferente, & potente oppositum. Cæterum noster actus tempore præcedit, nec necessariò est præsens peccato futuro: & licet veritas nostri actus, & scientia Dei connectatur infallibiliter cum illo peccato, non nocent libertati: quia non sunt suppositio aliqua, quæ natura præcedat actū, & sit inimpedibilis à volūtate creata, quæ sicuti poterit non peccare, ita poterit impedire, ne Deus sciat suum peccatum futurum, & ne sit ueritas nostri actus de tali peccato futuro, vt fusiùs dicam de scientia Dei.

12 Et hæc est illa impotentia, & necessitas, quam Theologi vocant consequentem, seu concomitantem, quam ex Sancto Anselmo homo facit, & cuius est suo modo ratio: ad distinctionem alterius necessitatis, quam non facit homo, sed aliundè profecta, trahit necessariò effectum: talis est necessitas ad standum, seu ad non deambulandum, quam habet homo ab alio vinculis adstrictus.

13 Neque in hoc datur absurda potentia ad præteritum: tum quia scientia Dei est essentialiter præsens, cum homo operatur: tum quia, cum dicitur: ad præteritum non datur potentia, sensus est, non potest ulla potentia fieri, vt facta suppositione, quod aliquod sit præteritum, fiat non præteritum: quod longè distat à dara doctrina. Quæ diximus de veritate absoluta nostrorū actuum absolutè affirmantium, uel negātium aliquod liberum futurum; proportionaliter accomodari possunt actibus conditionatè affirmantibus, uel negantibus futuritionem actus liberi; ut, si Petrus respicietur à Christo, flebit, & similes. Verum de his rebus fusius Theologi, ad quos me remitto, ne extra chorum saltans uidear importunus.

DISPVTATIO NONA.

In libros priorum analyticorum Aristotelis.

Finis horū librorum. 1 Libri Aristotelis, quos analyticos priores, & posteriores uocant, dirigunt tertiam intellectus operationem, & priores quidē, quos pre manibus habemus, agunt de syllogismo in commune, posteriores præcipuam eius speciem declarant, nempè demonstrationem. Nulla verò hic mentio fit de alijs syllogismorum speciebus; de syllogismo enim probabili fusè egerat in libris topicorum, de sophistico autem in elenchis.

2 Rectè autem inscribuntur hi libri, Analytici, idest resolutorij: quia in ijs præcipuè traditur modus, quo per quamdam veluti anathomiam syllogismum in partes, & principia ex quibus componitur, resoluamus, vt tandem illationis efficaciam, ac vim, totiusque syllogismi naturam deprehendere possimus. *Scopus eorumdem est resolutio syllogismi.*

3 Quoniam verò bonitas illationis, & consequenter syllogismi rectitudo, pendent tum à forma, ratione, cuius rectè infertur consequentia, tum à materia, quæ sunt principia, vnde deducitur veritas consequentis, ideò duplex datur resolutio, altera consequentiæ, in qua præcipuè attenditur dispositio propositionum, & extremorum, in recta figura, & modo iuxta regulas logicæ, de quibus fusè in summulis: altera consequentis, in qua præcipuè attenditur ueritas principiorum, vnde pendet veritas consequentis. Cū autem priùs uidendum sit: verū syllogismus constructus sit iuxta regulas logicas, deinde considerandā materia, principia videlicet, vnde deducitur consequens, hinc hi libri, in quibus agitur de figuris, & modis syllogismorum, analytici priores, sequentes autem, in quibus agitur de demōstratione, posteriores dicuntur. *duplex resolutio.*

SECTIO PRIMA.

De discursu, & syllogismo.

1 Discursus, qui propriè est motus ex vno ad aliud extremum, translatus est ad significandum motum intellectus ex uno in aliam cognitionem, & à S. Thoma 1. p. quæst. 38. art. 3. & 5. definitur: Processus ex notis ad ignota: quod fit dum ex clara cognitione unius obiecti transimus in cognitionem alterius nobis ignoti, uel non ita clarè cogniti. Discursus igitur necessariò supponit ignorantiam, uel cognitionem cōfusam alicuius rei, quam manifestat intellectui cognitione clara alterius. Cæterum ad discursū propriè dictum tria concurrunt plures cognitiones, ut una sequatur ex alia tamquam ex causa. *Quid sit discursus.*

2 Diuiditur discursus in formalem, & uirtualem, hic est, si unica cognitione attingitur unū obiectum ex ui alterius, ut dum Angelus eadem cognitione cognoscit ignem, & ex igne calorē. Formalis constat pluribus actibus, quorum unus realiter sequitur ex alio. *Alius formalis alius virtualis.*

3 Dices primò: si possibilis esset discursus uirtualis idem actus attingeret totum obiectum præmissarum, & conclusionis, ergo idem actus esset certus, & incertus, euidens, & inevidens, nam aliquando una præmissarum est euidens, ineuidens alia, una certa, altera incerta. Nego primam consequentiam: quia totum illud obiectum attingitur unico actu uel simpliciter euidente, & certo, uel simpliciter inevidente, & incerto: certitudo *In discursu virtuali non est repugnātia.*

ritudo enim, & euidentia sunt prædicata cognitionis, non obiecti; ideoque idem obiectum potest per diuersas cognitiones modò certè, & euidenter cognosci, modò ineuidenter, & incertè. Rursus nulla fortasse est repugnantia, quòd idem actus sit simul certus, & incertus, euidens, & ineuidens respectu diuersorum obiectorum, sed nolo id modò decidere.

4 Dices secundò: si vna præmissarum sit naturalis, altera supernaturalis non potest explicari verum syllogismus sit futurus naturalis, vel supernaturalis? Respondeo extrinsecè, & ex parte obiecti discursum illū futurum partim naturalē, partim supernaturalē. Intrinsecè autē futurū, vel supernaturalē, si respiciat motiuū supernaturalē, vel naturalem, si naturale. Certè quidem motiuū supernaturale videtur exigere actum supernaturalem, & influxū principiorum supernaturaliorū, vt suppono cum probabiliori sententia.

5 Dices tertiò: nonnunquam obiectum vnius præmissæ est verum, alterius falsum: ergo discursus virtualis imitans in affectu præmissas formalis, erit simul uerus, & falsus. Confirmatur, implicat actum, quo affirmatur aliquod mysterium fidei esse falsum: hoc autem sequitur admisso discursu virtuali: faciamus enim hunc discursum formalem: omnis substantia est homo, Christus Dominus est substantia, ergo est homo: in hoc discursu conclusio obiectiua est vera de fide: maior est falsa, tunc sic: discursus virtualis attingit omnia illa obiecta eo modo, quo attinguntur per discursum formalē: ergo discursus virtualis, cùm sit vnicus actus, affirmat Christū esse hominem, quod est mysterium fidei, & omnem substantiam esse hominem, quod est falsum; ergo iam actus versans circa mysterium fidei est falsus. Respondeo in consequenti fortasse nullū esse absurdum: supra enim pro- auimus posse eundem actum versantem circa plura obiecta esse simul verum, & falsum. Rursus ille actus potest dici absolutè falsus; quia licet respiciat plura obiecta; non respicit tamen illa diuisibiliter, sed indiuisibiliter affirmando præcipuè aliquod indiuisibile, quod aliter se habet, ac affirmetur. Hinc ad confirmationem, dico: nullum esse absurdum actum versantem circa mysterium fidei, & simul circa aliud obiectum esse falsum; non quia versatur circa mysterium fidei, sed quia versatur etiam circa aliud obiectum.

6 Dices quartò: si daretur huiusmodi discursus virtualis, generaret habitum facilitantem ad similes actus. Distinguo maiorem: generaret habitum facilitatem ad similes actus, si in exercitio actuum illorum est specialis difficultas superanda per habitum; concedo: sin minus; nego maiorem. Habitus enim dantur ad superandam difficultatem, quę aliter superari nequit.

7 Dices quintò: non videtur posse explicari, quo modo in vno actu inueniatur perfectio discursus: ergo discursus virtualis sunt termini repugnantes: antecedens probatur, discursus ex suo conceptu dicit, quod vnum cognoscatur dependenter ab alio: sed in vnico actu non potest saluari hæc dependentia: ergo neque ratio discursus. Minor probatur, in vnico actu non saluatur dependentia inter actus, cum idem non possit à se dependere: nec inter obiecta, cum sæpè numero obiectum præmissarum sit realiter idem cum obiecto conclusionis; vt apparet in hoc syllogismo: omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis.

8 Respondeo ad discursum virtualem (Qui vt verum fatear, non est rigorosè discursus, ly enim virtualis est additum distrahēs, & minuens veram rationem discursus: sicuti in distinctione minuit rationē verę distinctionis:) ad discursū, inquam virtualem sufficere, si vnum æquiualenter cognoscatur dependenter ab alio, quod euenit cum vnicus actus ferè præstat totum illud, quod in formali fit per plures actus: si videlicet vnico actu ita affirmatur vnus terminus de alio, vt simul eodem actu assignetur ratio, & motiuum, quare vnus terminus identificetur cū alio. Ad quod sufficit sola distinctio rationis inter terminos, & motiuum formaliter habita per præuias apprehensiones tum incomplexas, tum complexas, & comparatiuas, versantes non solum circa terminos, sed etiam circa motiuum iuxta supradicta.

Virtualis est minus rigorosè discursus.

9 Hinc nego antecedens: ad cuius probationem, loquendo de discursu, & dependentia minus rigorosis: nego minorem. Ad cuius probationem, dico in vnico actu discursus virtualis non inueniri formaliter dependentiam vnius actus ab alio, sed æquiualenter: quia vnicus ille actus iam explicatus equiualet pluribus realiter distinctis, quorū vnus realiter dependet ab alio, quod haberi non potest, nisi obiectum ratione distinguatur per præuias illas apprehensiones, vt facilè patet consideranti. Hoc totum explicari potest exemplo voluntatis attingētis finem propter se, & media propter finē, idque vnico actu.

In discursu virtuali est æquiualenter dependentia vnius ab alio.

10 Supra notaui ad discursum virtualem requiri præuias illas apprehensiones, quoties non est distinctio inter obiecta. quia si obiecta distinguantur, & vnum cognoscatur in alio, idque modo Angelico, nulla præuia apprehensione, sed simplici intuitu, putat Maurus illum esse discursum virtualem, de quo nolo hic contendere: solum obijci posset nō esse idem vnum in alio cognoscere, ac vnum ex alio; sed facilè respoderi posset: quamuis non omne, quod cognoscitur ex alio, possit dici, quòd in illo cognoscatur, quod ipsum videri posset alicui falsum; omne tamen, quod cognoscitur in alio, cognosci ex illo: quia cognosci ex alio, est cognosci dependenter ab alio cognito: sed quod cognoscitur in alio, cognoscitur dependenter ab alio cognito: ergo quod cognoscitur in alio, cognoscitur ex alio.

11 Dices sextò: non potest haberi discursus materialis ex vno loco in alium, nisi habeantur plures partes motus distinctæ, aliæ priores, aliæ posteriores: ergo nō potest haberi discursus intentionalis nisi plures cognitiones intercedat aliæ priores, posteriores aliæ; quin imò sicuti in di-

Non eodē modo discurrendū de discursu locali, ac de intentionali.

discursu materiali habentur diuersitas locorum, quæ successiuè acquiruntur; ita, & in intentionali deberet haberi diuersitas obiectorum, quæ successiuè cognoscantur. Nego consequentiā. Quamuis enim nomen discursus translatum sit à motu locali, ad motum intentionalem, non debet tamen inter hos motus seruari omnimoda proportio: aliter sicuti partes motus localis, quibus acquiruntur successiuè diuersæ partes loci, non coexistunt, sed sunt formaliter incompossibiles, ita cognitiones, quibus discurrendo cognoscimus vnum obiectum ex alio, essent inter se incompossibiles. Proportio igitur inter motum localem, & discursum intentionalem est, quod sicuti per motum localem ex vno loco transimus ad alium acquirendo semper nouum locum: ita per discursum intentionalem ex vna cognitione transimus ad aliam, idque vel formaliter, quod fit in discursu formali, vel æquiualenter, quod fit in discursu virtuali.

12 Iam verò discursus communiter diuiditur in quatuor illas species, syllogismum, enthimema, inductionem, & exemplum, de quibus plura Summulistæ. Nos hic pauca addamus de syllogismo præcipua specie discursus, & ad quā reducuntur omnes aliæ, vt benè in forma concludant.

Quid sit syllogismus.

13 Aristoteles igitur *l. 1. priorum c. 1.* syllogismum definit: *Oratio in qua quibusdam positis, aliud quidpiam sequi necesse est, eo quod hæc sint.* Dicitur primò: oratio loco generis; secundò: in qua quibusdam positis: quia oportet præcedere præmissas. tertiò dicitur: necesse est, sequi: quia benè dispositis præmissis, necessariò sequitur assensus conclusionis. quartò demum: aliud quidpiam: non quia semper in conclusione attingatur obiectū diuersū ab obiecto præmissarū. Solū igitur significatur diuersus actus, seu idē obiectum diuerso actu cognitum; & distinctio formalis inter obiecta præmissarum, & conclusionis.

Non quilibet discursus est syllogismus hic definitus

14 Vrgebis, hæc definitio conuenit omni discursui: ergo non est bona. Antecedens probatur: omnis enim discursus est oratio, in qua quibusdam positis, &c. Nego antecedens. Ad cuius probationem nego absolutè assumptū: nã si enim discursus sit syllogismus constans tribus propositionibus, duabus videlicet præmissis, & conclusione, rectè dispositis; non est oratio, in qua quibusdam positis ex vi formæ necesse sit aliud quidpiam sequi: quia in conclusione debet inferri terminus, qui non est in altera præmissa: ergo nisi hic terminus coniungatur cum medio in altera præmissa, nō potest vi formæ intellectus determinari ad inferendum potiùs vnum terminum, quàm alterum: sic ex hac propositione: homo est animal, quantum est ex vi formæ logicæ, non potest intellectus determinari ad affirmandum potiùs, ergo est viuens; quàm: ergo est lapis; nisi ostendatur per aliam propositionem connexio inter animal, & viuens, quæ connexio non intercedit inter animal, & lapidem. Dixi, ex vi formæ, quæ videlicet seruata in omni alia materia, necessariò trahat conclusionem: nam ratione materiæ, & specialis connexionis potest intellectus etiam ex vnica simplici propositione inferre consequens; ex homine v. g. risibilitatem. Hinc ex conditione connexa, & cognita, vt tali inferimus suo modo conditionatum, dum propositiones conditionatas formamus v. g. si sol est, dies est.

15 Vrgebis iterum: possumus per conuersionē vnum inferre, ex alio, idque ex vi formæ: sic ex ea propositione vniuersali affirmatiua: omnis homo est animal, rectè inferimus: ergo aliquod animal est homo. Tum sic: hæc operatio non est syllogismus, & tamen est oratio, in qua quibusdā positis, etiā ex vi formæ necesse est aliud quidpiam sequi. Nego secundam partem antecedentis: neque enim illa est oratio, in qua quibusdā positis, sed in qua aliquo vno posito. Præterea ibi subintelligitur alia tertia propositio, per quam exprimitur connexio inter conuertentē, & conuersam, præcisa enim ea connexione, quæ nō exprimitur neque per conuersam vniuersalē, neque per conuertentem particularem, nihil ex vi formæ inferri potest.

16 Vrgebis tertiò: nonnunquam per diuersas apprehensiones attingo præmissas, & conclusionem obiectiuam, & hanc dependenter ab illis, vt si apprehendam omne animal esse viuens, & per alium actum omnem hominem esse animal, vnde cogar ad tertiam operationem, omnis homo est viuens, nihil affirmando: in hoc casu habetur syllogismus, nec tamen habetur oratio, quæ essentialiter est enunciatio: ergo syllogismus malè definitur oratio, &c. Nego in eo casu haberi syllogismum perfectum, sed ad summum imperfectum: quia syllogismus euincit, & determinat intellectum ad alteram partem: ergo non potest perfectus syllogismus consistere in illis apprehensionibus.

17 Quæres hic primò: verum syllogismus fictus in rectâ forma dispositus, qui etiam solet appellari illatiuus, qualis est ille Aristotilis, omne B. est A, omne C. est B. ergo omne C. est A. qui constat omnibus propositionibus falsis, sed rectè dispositis; sit verè syllogismus hic definitus. Respondeo hic non definisse Aristotelē syllogismum vocalem, de quo solùm agitur in logica, quatenus est expressio, & externa imago syllogismi mentalis. Hoc posito. dicendum illum esse syllogismum vocalem exprimentem syllogismum mentalem, non qui verè existat in intellectu tamquam forma in suo subiecto, sed qui cognoscitur ab intellectu.

Omnes tres propositiones sunt partes constitutiuæ syllogismi.

18 Quæres secundò: verum syllogismus dicat ut partes sui intrinsecas nō solùm conclusionem, sed etiam præmissas. Sunt tres in hac re sententiæ apud Quiros *disp. 22. sect. 5. n. 3.* aliqui enim docent dicere solùm præmissas: alij solam conclusionem: Tertiò nonnulli docent syllogismum dicere vt partes constitutiuas sui, tum præmissas, tum conclusionem. Ego sequor hanc tertiam sententiam. Et quidem si conclusio, & præmissæ non sint tales ab intrinseco,

est

est mihi certum syllogismum dicere intrinsecè omnes illos actus, quorum quilibet seorsum sumptus ab alijs, sicuti non est conclusio, neque præmissa, sed talis constituitur per coexistentiam cũ alijs; ita non est syllogismus, sed talis constituitur per coexistentiã cum illis. Quod si, vt est mihi probabilius, illi actus sint tales ab intrinseco; sic aliundè probo meam responsionem.

19 Syllogismus est essentialiter oratio, in qua posita præmissis necessariò sequitur conclusio: ergo non minùs dicit intrinsecè præmissas, quàm conclusionem: ergo dicit intrinsecè præmissas, ac conclusionem. Confirmatur: quia syllogismus est quidam motus, ac progressio intentionalis: ergo non est ratio cur potiùs dicat præmissas, quæ se habent veluti principium huius motus, quàm conclusionem, quæ est veluti terminus: neque enim est ratio cur motus dicat potiùs vt partem intrinsecam terminum veluti à quo, quam terminum ad quem, vel è contra; legatur interim Arriaga *sect.* 2. à *n.* 10.

20 Quod si quæras: quid dicat in recto discursus præmissas, an conclusiones? Respondeo omnes dici in recto, quia neque præmissæ concipiuntur, vt adiacentes conclusioni, neque conclusio ut adiacens præmissis: sicuti quia non est fundamentum cur ex Petro, & Paulo constantibus hunc numerum binarium, potiùs vnus, quàm alter dicatur in recto ab illo numero, vterque absolutè dicitur ab illo in recto, ita quia in casu nostro nullum est fundamentum cur potiùs in conceptu syllogismi concipiatur in recto conclusio, quàm præmissa, vel è contra: ideo vtraque dicitur in recto à syllogismo.

21 Vrgebis primò: syllogismus, sicuti, & quilibet discursus est modus, & instrumentum sciendi: ergo quilibet syllogismus, & discursus non includit conclusionem, quæ est potius scientia, quàm modus, & instrumentum sciendi. Respondeo primò: syllogismum, & discursum dici modum, & instrumentum sciendi non ratione omnium partium, sed præmissarum: sicuti homo est materialis formaliter non ratione omnium partium, sed solius corporis. Secundò syllogismus formaliter, & adequatè sumptus est modus, & instrumentum sciendi, non quidem causale, sed formale: quia constituit hominem scientem: sic explicato antecedente nego consequentiam.

22 Vrgebis secundò: demonstratio generat scientiam: ergo distinguitur à scientia: ergo distinguitur à conclusione, quæ non est nisi ipsa scientia: ergo non includit vt partem intrinsecam conclusionem. Respondeo demonstrationem inadæquatè sumptam causare conclusionem, & scientiam; vel causare scientiam habitualem distinctam à conclusione, quam includit demonstratio: hinc nego primam consequentiam si loquatur de distinctione adæquata: inadæquatam enim vltra concedo.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum assensus præmissarum necessitet ad assensum conclusionis?

1 Syllogismum diximus esse orationem, in qua ex præmissis necessariò sequitur conclusio. Quare multa hic dicenda sunt de præmissis, & conclusione: non quidem, quæ spectant ad summulas, sed alia vtiliora, & fortè etiã difficiliora, sed antequam de his, videndum est vtrum necessariò, & qua necessitate ex præmissis sequatur conclusio. Notandum autem est duplicem dari necessitatem: alteram quo ad speciem actus: alteram quo ad exercitium; necessitas quo ad speciem actus est, quando potentia licet possit cessare ab actus exercitio, si tamen se exerceat, necessario debet producere hanc speciem actus potius, quàm oppositam, assensum potiùs, quàm dissensum. Necessitas quo ad exercitium est, cũ potentia non solùm, si se exercet, debet ponere hunc speciei actum, non illum; sed non potest non se exercere. Exemplum sit in potentia visiua, quæ apertis oculis non solùm non potest videre colorem oppositum illi, quem è regione habet, sed neque potest non videre hunc.

2 Dico primò: positis præmissis intellectus necessitatur ad conclusionem quoad speciem, ita vt non possit elicere quamlibet ex conclusionibus oppositis, sed necessitetur ad illam eliciendam, si operetur, ad quam determinant præmissæ. Probatur: ex supradictis intellectus non potest assentiri falso cognito, vt falso, sicuti non potest voluntas prosequi malum, vt malum: sed positis præmissis assensus in conclusionem oppositam est assensus in falsum cognitum, vt falsum: ergo positis præmissis nõ potest intellectus assentiri conclusioni oppositæ. Minor probatur: præmissæ iam positæ ostendunt veritatem conclusionis: & euidenter falsum apparet benè penetranti vim syllogisticam, & præmissas; has esse veras, & conclusionem falsam: ergo qui benè penetrans præmissas, & vi syllogistica, negat conclusionem: assentitur falso cognito, vt falso, nempè coniunctioni veritatis præmissarum, & falsitatis conclusionis, quæ coniunctio apparet euidenter falsa penetranti vim syllogisticam. Dixi penetranti vim syllogisticam, & præmissas: quia non curo de illo, qui oscitanter discurrit.

Præmissæ necessitant ad assensũ conclusionis: quoad speciem.

3 Dices 1 possunt in intellectu esse præmissæ probabiles ostendentes vtramlibet partem contradictionis: in quo casu eliciendo conclusionem aliquam intellectus assentiretur simul præmissis, & conclusioni oppositæ: nam qualibet ex conclusionibus opponitur contradictoria alteri, ad quam inclinant aliæ præmissæ: sed potest intellectus stantibus illis præmissis elicere alteruram, vel vtramque conclusionem: ergo potest intellectus simul assentiri præmissis, & conclusioni oppositæ: ergo ratio à nobis supra allata nulla est.

4 Nego suppositum, posse videlicet intel-

Iectum simul habere præmissas probabiles ostẽdentas vtramque partem contradictionis: sicuti non potest habere simul assensum, & dissensum circa idem obiectum, dummodo aduertat oppositionem, & repugnantiam obiectorum, vt supra notabam. Quando igitur quis, vt sæpè euenit, docet vtramlibet partem contradictionis esse probabilem, non format duo iudicia, vel etiam vnum, quo, quamuis probabiliter, affirmat vtramque partem contradictionis, aut affirmat, & negat idem obiectum; sed solùm per iudiciũ quoddam reflexum affirmat tum iudicium negatiuum secundum se, & rationes ad illud inducẽtes, tum affirmatiuum cum suis rationibus, esse probabilia.

Præmissæ benè dispositæ etiam quoad exercitium necessitant ad cõclusionẽ.

5 Dico secundò: benè dispositis præmissis intellectus necessitatur ad conclusionem etiam quo ad exercitium. Est communior opinio contra Quiros *disp.* 32. & alios, asserentes voluntatem posse per suum imperium prohibere intellectum ab assensu conclusionis etiã positis præmissis. Supponimus autem intellectum benè penetrare præmissas, & vim syllogisticam: si enim ab hoc præscindamus, potest intellectus non solùm non elicere conclusionem positis præmissis, sed etiam elicere conclusionem oppositam. hoc posito.

6 Probatur conclusio: non potest intellectus non assentiri obiecto, quod euidenter apparet verum: sed positis premissis obiectum conclusionis apparet euidenter verum: ergo positis præmissis non potest intellectus non assentiri obiecto conclusionis. Sicut è contra, non potest non dissentiri obiecto, quod apparet euidenter falsum: sed positis præmissis, & benè penetratis aliquando obiectum conclusionis apparet euidenter falsum, idque ex vi formę: ergo positis præmissis, & benè penetratis non potest intellectus aliquando non dissentiri conclusioni, seu non elicere conclusionem negatiuam. Maior probatur: quia nemo non videt, posita sufficienti terminorum apprehensione se cogi ad amplexum illarum veritatum, quatuor, & tria faciunt septem, dolor est quoddam malum: quodlibet est, vel non est. Et confirmatur, quia alioqui possemus impedire dictamen conscientiæ: & sic omnem obligationem, quæ non habetur sine dictamine ostendente hoc, vel illud esse faciendum, vel fugiendum. Rursus possemus suspendere iudicium de certitudine, vel probabilitate malorum imminentium, & sic nõ timere. Et damnatus ad suspendium posset suspendere iudicium de suspendio, & eius probabilitate, & sic non tristari: quæ omnia sunt contra experientiam. Confirmatur: quia non potest à voluntate intellectus cogi ad assentiendum falso, vt falso: ergo neque prohiberi ab assensu veri, vt veri. Minor principalis argumenti probatur: Et quidem si præmissæ sunt euidentes, iam euidens apparet veritas conclusionis: si autem præmissæ sint probabiles, tamen si benè penetrentur, & perseuerent, euidenter proponitur veritas conclusionis: euidens enim est penetranti rem ipsam, non posse duo identificari vni tertio, quin identificentur inter se, & identitas extremorum cum vno tertio euidenter continet, & benè penetranti proponit identitatem extremorum inter se: ergo si intellectus in premissis assentitur identitati extremorum cum medio, & impeditur ab assensu conclusionis, impeditur ab assensu obiecti, quod apparet euidenter verum. Discrimen igitur inter præmissas euidenes, & probabiles est, quòd euidentibus necessariò intellectus assentitur, & ne mediatè quidem illis stantibus potest impediri ab assensu conclusionis; at probabilibus assentitur dependenter ab imperio voluntatis; quare potest ab illarum assensu impediri, & consequenter mediatè etiam ab assensu conclusionis. Quod diximus de conclusione positiua, intelligi proportionaliter debet de negatiua.

8 Obijcies primò: positis præmissis assensus conclusionis potest apprehendi malus, & noxius: ergo potest impediri à voluntate. Nego consequentiam; sicuti apertis oculis visio coloris, vel alterius rei è regione positę, potest apprehendi mala; & tamen non potest impediri à voluntate, vt constat experientia.

9 Vrgebis: oculus non impeditus ad videndum ex alio capite, non potest præcisè impediri ab imperio voluntatis, & tamen intellectus aliundè non impeditus ab assensu in obiectum, quod probabiliter apparet verum, potest a voluntate impediri: ergo non currit paritas inter oculum, & intellectum in ordine ad operandũ dependenter ab imperio voluntatis. Concedo consequentiam, si loquamur de omnimoda paritate: neque enim vsus sum exemplo oculi ad probandam meam conclusionem, sed ad infringendam vim argumenti aduersariorum. Aliundè igitur probandum est actum subijci, vel non subijci imperio voluntatis. Nos autem supra positiuè probauimus à posteriori, & ex absurdo; assensum in obiectum, quod apparet euidenter verum, non subijci imperio voluntatis.

Ratio quare intellectus necessitetur ad assensum euidentem, non ad probabilem.

10 Ratio autem, quare intellectus necessitetur ad assensum veritatis euidenter propositæ; non autem ad assensum veritatis probabiliter apparentis, est: quia intellectus tamquam ad proprium finem factus à natura est ad veritatis consecutionem; ergo vbi veritas euidenter, & sine ullo periculo falsitatis apparet, est determinatus ad eius amplexum: quia nihil est, quod illum ab eo amplexu rationabiliter retardet. At cum veritas probabiliter proponitur, apparet periculum amplectendi falsitatem; ad quam non potest intellectus necessitari. Sed quia veritates euidentes sunt valdè raræ: probabiles autem non solùm frequentes, sed multæ valdè nobiles, & non raro veræ, & omninò vtiles ad commercium humanum; ideò debuit intellectus posse liberè, idest dependenter ab imperio voluntatis illas amplecti.

11 Obijcies secundò: potentia loco motiua in ordine ad omnes motus subijcitur imperio voluntatis: ergo etiam potentia intellectiua in

ordine

ordinè ad omnes actus. Nego absolutè consequētiam: quia supra iam probauimus potentiam intellectiuam in ordine ad aliquos actus non pendere ab imperio voluntatis. Cæterum antecedēs patitur multas difficultates: nam si loquamur de omni potentia loco motiua est absolutè falsum: motus enim arteriarum, pulmonis, & similes, nullo modo pendent à voluntate, & satis quidem congruè: sunt enim absolutè necessarij ad vitam hominis. Rursus vis motiua grauitatis, non pendet absolutè à voluntate quo ad suum exercitiū: neque verò si quis è turri decidat, potest per suam voluntatem impedire motum illum. Solùm igitur potentia progressiua subijcitur imperio voluntatis, quia, cum huiusmodi potentia data sit animalibus ad quærendum bonum, & fugiendum malum, ad quæ non necessitatur aliundè animal ex ipsa natura, & homini etiam ad inquisitionem veritas per accessum ad obiecta, vt melius illa consideret, certè debuit subordinari quoad suam operationem, voluntati, cuius est liberè fugere illa mala, & amplecti bona.

12 Obijcies tertiò: qui habet probabilitatē pro vtralibet parte, neque quoad speciem actus necessitatur: ergo qui habet euidentiam vnius partis non necessitatur quo ad exercitium. Nego consequentiam: quia stante probabilitate habetur duplex motiuum, alterum inclinans ad assensum, alterum ad dissensum: at stante duplici præmissa, rectè disposita, vel euidenti apprehensione, nullum habetur motiuum suadens actu partem oppositam, vel suspensionem assensus.

13 Obijcies quartò: conclusio deducta ex præmissis probabilibus non est euidens: ergo ad illam non necessitatur intellectus. Distinguo antecedens: non est euidens absolutè, & in se; côcedo: quoad continentiam suę veritatis in veritate præmissarum: nego, & distinguo consequēs: ergo ad illam non necessitatur intellectus absolutè; concedo: ex suppositione assensus præmissarum; nego consequentiam. Conclusio igitur illa absolutè est probabilis: quia deducitur ex præmissis probabilibus, á quorum assensu potest intellectus cessare: sicuti poterat illas non amplecti, & consequenter etiam potest cessare ab assensu conclusionis: quod non verificatur de conclusione euidente. Aduerto: si benè penetretur vnū contradictorium ex assensu ad illud, determinari intellectum ad dissensum ab alio, si hoc aliud proponatur, quia iam apparet euidenter falsum, nisi velis quòd videatur intellectus sufficienter reiecisse alterum contradictorium, dum alterum complectitur, quare opus non est, vt dissentiatur alteri. Si enim dico: lux est, iam dico tenebræ non sunt, si non esse tenebrarum apprehendam esse ipsam lucem, vt re vera est; idem dico de amore efficaci vnius oppositi, qui penetranti rē, vt est, necessitatem imponit odio habendi quodcumque illi oppositum, nisi homo velit cessare ab amore primò: idem dico de propositionibus conuersa, & conuertente: si enim penetretur vis conuersæ, necessariò determinabit intellectum ad conuertentem. Cæterum non eadem facilitate, & necessitate sequitur ex cōuersa conuertens, sicuti ex præmissis conclusio: quia non eadem euidentia apparet, quod conuertens contineatur in conuersa, ac quod conclusio in præmissis, ex euidentia magis obuia illius principij, quæ sunt eadem vni tertió, sunt eadem inter se.

14 Ob similem rationem positis præmissis, illicò necessitatur intellectus ad conclusionem immediatam, non mediatam: quia præmissæ non ita euidenter proponunt conclusionem mediatā, sicuti immediatam. Quare ex eo quòd omne animal rationale sit admiratiuum, & omnis homo sit animal rationale; necessitatur quidem intellectus ad dicendum: ergo omnis homo est admiratiuus, non autem ad dicendum: ergo Petrus est admiratiuus. Dixi sæpé benè penetratis præmissis, & vi syllogistica: si quis enim alio distractus formet præmissas, poterit non solum non elicere conclusionem, sed illam negare: quia tunc in præmissis non euidenter apparet contenta veritas conclusionis;

15 Obijcies quintò: intellectus acquirit habitum, quo facilitatur ad eliciendam conclusionem; ergo positis præmissis non necessitatur ad conclusionem: ad actū enim, qui necessariò sequitur ex aliqua causa, nō est necessarius, neq; vtilis habitus. Respondeo, habitum quo intellectus facilitatur ad conclusionem, non esse vtilem immediatè, nisi ad faciliùs assentiendum præmissis, & consequenter tantū mediatè concurrere ad faciliùs eliciendam conclusionem. Secundò quamuis positis præmissis intellectus necessitetur ad ponendam conclusionem; tamen per habitum adiuuatur vt cum minori conatu ponat cōclusionem, in quo sensu nego consequentiam, & quod assumitur in contrarium. Si enim dandi sunt habitus intellectuales, certè habitus non respicit tantùm actum liberum: actus enim intellectuales non sunt liberi. His adde habitum scientificum inseruire, vt intellectus iterum assumendo easdē præmissas, sine tanta illarum penetratione, ac labore iterum eliciat conclusionem. Et confirmatur, datur habitus primorum principiorum, quāuis intellectus benè apprehensis terminis non possit suspendere assensum. *Quomodo detur habitus conclusionis.*

16 Obijcies sextò: aliquando intellectus veluti consultat circa assensum cōclusionis. Respondeo id euenire, vel quia non adhuc assequutus est vim præmissarum, aut præmissæ non sunt rectè dispositę, vel adhuc est dubius verum debeat assentiri pręmissis, in quibus supposito quod sint veræ, euidenter apparet quod contineatur conclusio obiectiua; uel demū occurrentibus multis rationibus probabilibus nou dum se determinauit ad illarum aliquam.

17 Obijcies septimò: nullum bonum creatum potest cogere voluntatem ad amorem sui: ergo nulla veritas creata intellectum ad assensum. Nego consequentiam: quia nullum bonū creatum est purum bonum, sed admiscetur multis imperfectionibus repellentibus voluntatem à sui prosequutione: at multæ veritates creatæ ita proponuntur, vt nulla in illis appareat falsitas.

18 No-

18 Notandum autem hic primo est; hæreticum facta sibi sufficienti articuli propositione dissentientem, vel non credentem, peccare: quia adsont motiua euidenter declarantia obligationem credendi, & sufficientia ad certissimè credendum. At in hoc casu hæreticus non amplectitur motiuum, & reijcit mysterium, seu conclusionem, quod esse impossibile, patet ex nostra ratione; sed absolutè reijcit motiuum, & Dei authoritatem, vt suppono ex tract. de fide. Secundò, intellectum cognita repugnantia non posse simul affirmare duo contradictoria, vt dicebam. Tertiò, modos directos clariùs conuincere, quàm indirectos; quia clariùs proponunt veritatem consequentis contineri in veritate præmissarum. Quartò, identitatem medij cum extremis benè penetratam in se ipsa euidenter proponere identitatem extremorum inter se: sicuti veritas illorum principiorum, dici de omni, & dici de nullo, & idem non potest simul esse, & non esse, quæ facillimè elucet, facit vt benè penetratis præmissis non possit naturaliter impediri assensus conclusionis.

19 His addo primò, quod si Deus reuelaret non existere tres propositiones in intellectu; tunc positis illis duabus præmissis, quidquid Deus reuelat verum est: nunc reuelat non esse tres propositiones in intellectu; ne falsificetur diuina reuelatio, conclusionem miraculosè impediendam esse: neque connexionem inter præmissas, & conclusionem tantam esse dicimus, vt non possit à Deo superari. Præterea in eo casu posset vnico actu intellectus propter authoritatem Dei reuelantis amplecti rem reuelatã.

20 Addo secundò, si fingas intellectum duorum actuum dumtaxat capacem, positis præmissis non sequuturum tertium actum conclusionis ex incapacitate subiecti. Sed hic non est casus nostræ assertionis, in qua loquimur de intellectu potente elicere tertium actum: & quærimus, vtrum ad illum necessitetur positis præmissis, vel debeat per imperium voluntatis determinari. Cæterum ex allato casu posset quis inferre: quod posita sufficienti propositione terminorum, non necessitetur intellectus ad assensum primorum principiorum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum ad inferendam conclusionem debeat cognosci bonitas illationis?

1 Illatio duplex est: alia formalis inter actus intellectus, ratione cuius vnus actus sequitur ex alio. Alia obiectiua, & est connexio inter obiectum præmissarum, & conclusionis, ratione cuius cognitio vnius trahit cognitionem alterius: ea enim connexione præcisa nõ est ratio cur ex præmissis cogatur intellectus ad assensum conclusionis. Præter has datur tertia bonitas illationis, & est conformitas syllogismi, seu conclusionis, cum præceptis logicæ, quę appellari potest: bonitas illationis logica. Certum autem *Multiplex bonitas illationis.*

uidetur ad inferendam conlusionem non esse necessariam huius tertiæ bonitatis cognitionem: primi enim logicę præceptores discurrendo intulerunt præcepta logica etiam de syllogismo: ergo cum formabant illos syllogismos non poterant habere cognitionem reflexam de bonitate logica illationis, & illius conformitatis ad præcepta: nulla enim tunc præcesserant præcepta, quibus conformarent illos syllogismos.

2 Quæstio igitur præsens est de bonitate illationis formalis, & obiectiua, qua in re aliqui absolutè negant requiri ad construendum syllogismum, iudicium, aut apprehensionem vllius ex dictis bonitatibus. Aliqui requirunt indicium vtriusque bonitatis. Alij tantùm apprehensionẽ. Demum nonnulli dicunt requiri iudicium, vel apprehensionem alterutrius bonitatis, sed neutrius determinatè. Et ex his quidem aliqui hanc cognitionem bonitatis distinguunt à conclusione: aliqui verò cũ illa identificant. Ego in hac varietate.

3 Dico primò: in formatione syllogismi necessariò intercedit cognitio bonitatis illationis obiectiuæ. Probatur: motiuum debet cognosci ab intellectu eliciente conclusionem: sed bonitas illationis obiectiuæ, seu conexio iam explicata, est motiuum assensus conclusionis: ergo illa bonitas debet cognosci ab intellectu eliciente conclusionem. Minor probatur: motiuum non est obiectum præmissarum præcisa connexione: quia non nisi ab illa connexione habet obiectum vim mouẽdi: ergo formaliter motiuum est talis connexio. *Cognoscitur bonitas illationis obiectiuæ.*

4 Dico secundò: in quolibet syllogismo formali intercedit cognitio bonitatis illationis formalis: quia dum intellectus discorrit necessariò experitur se discurrere: aliter non posset recordari huius discursus: quia quando illum fecit, non cognouit, nec expertus illum est: non recordamur autem nisi rei antea cognitæ: sicuti ob eãdem rationem dum quis peccat experitur, & cognoscit se operari contra dictamen rationis: ergo experitur se inferre vnam cognitionem ex alia: id enim est discurrere: ergo cognoscit connexionem vnius cognitionis cum alia, quæ est bonitas illationis formalis: probo consequentiã: quia inferre vnam cognitionem ex alia, est vnã cognitionem ab alia dependere, & esse cum illa connexam: ergo dum hoc inferri cognoscitur per experientiam, iam per experientiam cognoscitur connexio vnius cognitionis cum alia, & bonitas illationis formalis. *Cognoscitur bonitas illationis formalis.*

5 Dico tertiò: huiusmodi cognitio bonitatis illationis formalis nõ distinguitur à præmissis, & conclusione: probatur: quia saltem de facto omnes actus intellectus, vt suppono ex libris de anima, sunt reflexiui supra se ipsos: ergo dum existunt certificant intellectum de sua existentia, & de modo tendendi sui in obiectũ: ergo dum existunt præmissæ, ostendunt suam existentiam, & modum tendendi in suum obiectum determinando intellectum ad actum sequentem: ergo ostendunt connexionem sui cum *Hæc cognitio non distinguitur à præmissis & conclusione formalibus*

actu

actu sequenti, & consequenter sui obiecti cum obiecto illius, aliter non possent ostendere connexionem sui cum actu sequenti: neque alio modo ostendunt hanc sui connexionem cum actu sequenti, nisi ostêdendo connexionē sui obiecti cū obiecto illius. Eodē modo consequens actus ostendit per se ipsum suam existentiam, & modum tendendi sui in obiectum; hoc est cum dependentia à præmissis: ergo se ipso certificat intellectum de hac sua dependentia, & consequēter de connexione sui cum antecedenti, & sui obiecti cum obiecto illius.

Et est expressio quedam experimētalis, & reflexa

6 Dico quartò, hæc cognitio bonitatis illationis tum formalis, tum obiectiuæ, non est iudicium compositiuum quo intellectus explicitè affirmet, actu dari illam bonitatem illationis, sed certitudo quędam experimentalis, certificans intellectum de illa bonitate, & quoad hoc æquiualens iudicio, & ideò dici potest iudicium virtuale, & formalis experientia excludens omne dubium in contrarium. Et quidem quòd dentur huiusmodi experientiæ, quæ se ipsis certificent intellectum de aliquo obiecto absque iudicio compositiuo, nemo est qui non in se experiatur. Quisque enim experitur se existere, redditurque de hoc certissimus, quamuis id non affirmet. Sunt igitur apprehensiones certissimæ, quę non trahunt iudicium, quod esset superfluum: illæ enim apprehensiones iā pręstant, quod prætandū esset per iudicium, nēpè determinare intellectū ad vnā partē, & excludere omne dubiū in oppositū: nisi velis esse iudicia quędam Angelicis similia. Quod autem nō intercedat in re nostra compositio, aut diuisio; patet experientia: nemo enim cum dicit; omnis homo est animal, Petrus est homo; necessitatur ad formandū hoc iudicium; aut illud in se experitur, scilicet hæ duę propositiones trahunt aliam post se: ergo non est dicta cognitio, nisi experientia iam explicata.

7 Obijcies primo, si præmissę ostenderent connexionem sui cum sequenti actu, non posset explicari illarum obiectum: ergo. Nego sequelam, & assigno obiectum: sunt enim præmissę obiectiuę, in quas tendunt tali modo, determinando videlicet ad actum sequentem, quod est ostendere connexionem illarum cum obiecto actus sequentis, & experimentaliter exprimere se esse determinationem ad actum sequentem. Quid sit autem determinatio ad actum sequentē est aliundè notum: ergo iam sine circulo explicatur essentia, & obiectum huius actus.

8 Obijcies secundò: ex allata doctrina sequitur: nos experimentaliter posse cognoscere nostros actus supernaturales, & iustificantes. Distinguo: vt supernaturales, & iustificantes; nego; sub alijs conceptibus; concedo; experimur enim nos amare Deum, & quidem ex hoc motiuo: nō experimur autem hoc motiuum esse supernaturale, & actum procedere à principio supernaturali: hæc enim non cadunt sub experientiam; & tamen talis experientia requireretur ad experiendos actus nostros, vt supernaturales.

9 Obijcies tertiò: ex allata doctrina sequitur, conclusionem reflectere supra præmissas, quòd videtur gratis dictum. Concessa sequela, nego id gratis dici; ratio autem iam supra assignata est, & fundatur in ipsa experientia: & sanè modus ille tendendi expressus per particulā; ergo, quem experimur in exercitio conclusionis, vt omnino diuersum à modo tendendi pręmissarum, ostendit conclusionem reflectere supra præmissas formales. Idem enim est, ergo, ac hinc infertur: hoc autem non est aliud quam hoc ita est; quia video per actus antecedentes, illud ita se habere: parum autem refert, quòd hanc reflexionem dicant aliqui se non experiri; si enim diligentius perscrutemur naturam, & modum tendendi illius actus, quem in nobis experimur, iam aduertimus esse reflexum.

Aliquando præcedit iudiciū distinctum de bonitate illationis.

10 Obijcies quartò: non solùm est possibilis, sed necessaria cognitio bonitatis illationis obiectiuæ distincta à præmissis, & conclusione: ergo, &c. Antecedens probatur: antequam homo eliciat conclusionem, debet videre præmissas esse aptas ad conclusionem inferendam: aliter imprudenter eligerentur potiùs hæ, quàm illæ præmissę ad conclusionem inferendam. Respondeo, hoc argumentum ad summum probare plerumque intercedere hoc iudicium distinctū: quia plerumque intendimus probare aliquam conclusionem, & inquirimus medium ad illam probandam, quod fieri nequit, nisi videndo proportionem, & connexionem huius medij, & cognitionis versantis circa illud ad inferendā conclusionem, quam intendimus. Verùm id non est omnino necessarium: potest enim intellectus veluti casu quodam, & non ex intentione conclusionis incidere in præmissas, quibus determinetur ad assensum conclusionis: in quo casu non temere iudicaret; nam ad assensum præmissarū induceretur à terminorum apprehensione: ad assensum autem conclusionis à præmissis.

Minor reflectit supra maiorem.

11 Obijcies quintò: si conclusio est modo dicto reflexa supra præmissas, & præmissæ supra conclusionem; ergo etiam minor erit reflexa supra maiorem. Probo consequentiam; quia ex suo modo tendendi expresso per particulam, sed videtur, quòd minor dicat: stante illo verum etiam est hoc. Et confirmatur; quia nisi minor reflectat supra maiorem, non est apta ad inferēdam conclusionem: quia nisi aliqua vna propositio ostendat connexionē vnius obiecti cum alio, non potest inferri conclusio: connexio enim, cum sit quidam terminus veluti indiuisibilis, non potest exprimi formaliter sub suo conceptu, nisi per actum indiuisibilem: sed actus exprimens huiusmodi connexionē nō potest esse, nisi minor reflectens supra maiorē: ergo re vera minor reflectit supra maiorem. Minor probatur: & quidē illa connexio non debet ostendi per maiorem, quæ ex se est incompletum principium illationis: esset autem completum si ostenderet illam connexionem: neque admittendus est alius tertius actus: ergo dicendum est, quòd illa connexio ostendatur per minorem. Quod autem mi-

nor

nor ostendens connexionem, reflectat supra maiorem, modo explicato; probatur: quia nõ ostendit illam connexionem præcisè, quia affirmat vnum de alio: potest enim aliquis actus affirmare; Petrum esse hominem, & non videre connexionem inter hoc, & esse risibile eiusdem: ergo ex eo quod ex suo modo tendendi simul cognoscit omnem hominem esse risibilem, quòd præstare nequit, nisi reflectat supra maiorem: non enim aliundè determinari intellectus potest ad dicendum simul cum hoc stat, quòd Petrus sit homo. Confirmatur: nisi reflectat supra maiorem, nulla est necessitas maioris: quia connexio antecedentis cum consequenti sufficienter declaratur per minorem. Confirmatur secundò: quia minor non per accidens se habet respectu maioris, sed verè cum illa connectitur; quę connexio non in alio videtur sita, quàm in reflexione iam explicata, ratione cuius illam supponit veluti in priori, quæ prioritas sufficienter explicatur tum per nomen ipsum maioris, tum per particulam coniunctiuam, sed, exprimentem connexionem inter primum, & secundum actum: & sanè hoc modo videtur satis ordinatè procedere intellectus. Ob has igitur rationes puto concedendam sequelam maioris, & negandam absurditatem consequentis. Illud addo minorem, & si reflectentem supra maiorem, non esse illationem, quia non infertur ex illa.

Quid affirmet minor. 12 Quod si quæras quid affirmet minor? Dico: affirmare directè, & immediatè identitatem, vel distinctionem inter prædicatum, & subiectũ; at simultatem sui cum maiore, non formaliter, sed virtualiter affirmat certificando intellectum de illa simultate, certitudine quadam experimẽtali, quam supra explicauimus. Eadem minor reflectendo supra obiectum maioris ostendit cõnexionem vtriusque obiecti cum obiecto conclusionis: dum enim reflectir supra obiectum maioris comparando cum illo suum obiectum; iam videt identitatem extremorum cum vno tertio, & connexionem totius obiecti cum obiecto cõclusionis: nisi enim hoc exprimat non est cur determinet ad assensum conclusionis; eã tamen connexionem non formaliter, sed virtualiter affirmat: minor enim non apparet esse, nisi simplex affirmatio vnius prædicati de vno subiecto. At illam connectionem ita exprimit, vt simul determinet intellectum ad assensum conclusionis.

13 Objicies sextò: qui format syllogismum non debet necessariò cognoscere, aut affirmare principium illud: quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: ergo non debet cognoscere bonitatem illationis obiectiuæ, quæ formaliter exprimi nequit, nisi exprimatur dictum principiũ. Distinguo antecedens: non debet explicitè, & sub illis terminis cognoscere principium illud; concedo: implicitè; nego: quia illicò vt intellectus benè penetrat identitatem extremorũ cum medio, determinatur ad videndum in illa identitatem extremorum inter se: ea enim est vis prioris identitatis, vt benè penetrata, ostendat connexionem sui cum secunda identitate, quæ connexio optimè dici potest identitas illius duplicis identitatis.

14 Hinc facilè intelligitur, cur aliquando positis ijsdem præmissis vnus assentitur, alter minimè; & in modis directis nunquam concessis præmissis, quis negat consequentiam, quod non euenit in modis indirectis: quia videlicet alter in premissis apprehendit connexionẽ cum consequenti, quam alter non clarè deprehendit, eadẽ est ratio de modis directis, & indirectis: neque penetratio præmissarum præcisa ea cognitione connexionis quidquam prodest ad illationem.

SECTIO QVARTA.

Vtrum conclusio attingat per se obiectum præmissarum.

1 Obiectum præmissarum attingi per se, & vt alij loquuntur, intrinsecè à conclusione: est conclusionem non solùm attingere suum predicatum, & subiectum, sed etiam motiuum ad affirmandum prædicatum de subiecto; quod motiuum est obiectũ per præmissas cognitum, & propositum ad inferẽdam conclusionem: v. g. conclusio affirmat: Petrum esse risibilem, motiuum in præmissis propositum est, esse admiratiuum: quia videlicet omne admiratiuum est risibile, & Petrus est admiratiuus: Quærimus igitur: vtrum illa conclusio: ergo Petrus est risibilis, attingat esse admiratiuum, ac veluti dicat, quia est admiratiuus, &c. Aliqui negant attingi, ita Lynceus, & Compronus. Alij docent: motiuum etiam affirmari in conclusione, ac in illa repeti assensum præmissarum. Alij docent: attingi quidem in conclusione obiectum præmissarum, sed non repeti illarum assensum.

2 Dico: conclusio attingit per se ipsã obiectum premissarum: probatur: conclusio non est actus vtcumque affirmans, vel negans vnum de alio; sed ex suis intrinsecis affirmat, uel negat propter præmissas, ut patet ex dictis, & experimur in ipso exercitio cõclusionis, ac docet particula, ergo, quæ est signum illationis: sed hoc necessario dicit, quòd ex suo modo tendendi conclusio non solùm attingit suum prædicatum, & subiectum, sed etiam præmissas, & earũ obiectum, quòd est motiuum: ergo conclusio ex suis intrinsecis attingit motiuum, & obiectum præmissarum.

3 Confirmatur ex actibus uoluntatis: nisi actus uoluntatis attingat suum motiuũ, non possemus reddere rationem nostri actus, neque iudicare: utrum ex bono, uel malò motiuo operati simus, quod est absurdum. Sequela probatur: nam potest quis cognoscere comestionem esse utilẽ ad sanitatem, & ad uoluptatem: rursus potest utrumque finem amare, & non moueri ad amandam comestionem ex utroque fine, sed uel ex alterutro, uel ex neutro pro sua libertate: iam appetat comestionem stante illo duplici fine: tũc non posset discerni, utrum ex fine honesto, uel

sub-

inhonesto elegerit comestionem: nam actus ille electionis non tendit per se in alterutrum finé, & uterque finis est cognitus, & intentus. Gratis autem fingitur, nisi tendat in eius obiectum, quòd electio potius prodeat ab vna, quàm ab alia intentione, & ad minùs non posset ea dependentia à nobis vitaliter percipi. Ratio autē à priori est: quia quilibet actus potētiæ cuiuscũque debet attingere per se suum obiectum formale: aliter nõ esset eius obiectum formale: quare cum obiectũ præmissarum sit obiectum formale conclusionis, hæc debet intrinsecè attingere obiectum præmissarum.

Conclusio non assentitur formaliter obiecto præmissarum.

4 Dico secundó: conclusio non assentitur formaliter obiecto præmissarum, sed tantùm virtualiter illi adhæret. Probatur: quia, cum quis ex præmissis elicit hanc conclusionem: ergo Petrus est homo, non experitur, se per eumdem actum affirmare omne animal rationale esse hominem, & Petrum esse animal rationale: ergo signum est, quòd hic non intercedat talis affirmatio: si enim intellectus claré, & formaliter id affirmaret; vtique dum elicimus conclusionem, & experimur eius modum tendendi, experiremur etiam illam affirmationem. Cuius rei ratio est: quia cum intellectus supponat iam affirmatum: omne animal rationale esse hominem, & Petrum simul esse animal rationale, non debet curare, vt iterum repetantur illi assensus, neque debuit ad id à natura institui; sed sufficit, si eliciat actum tertium ob motiuum propositum à quo determinatur: & quia actus elicitus ob illud motiuum, debet necessariò attingere tale motiuum, tanquam id, in quo elucet veritas sui obiecti; ideò est necessitas, vt virtualiter illi adhæreat, per modum videlicet tendendi talē, quo certificetur intellectus de dependentia huius actus à præmissis, & de connexione obiecti illarum cum obiecto conclusionis.

Conclusio intrinsecè differt à præmissis.

5 Ex dictis infero primò: conclusionem ex intrinsecis suis differre à præmissis, & ab omni actu, qui non sit conclusio. Probatur: quia præmissæ ex suis intrinsecis, & non merè fortuitò, trahunt conclusionem: ergo habent aliquod prædicatum intrinsecum, per quod distinguantur à conclusione; vim nimirum illam intrinsecam tractiuam illationis. Rursus præmissæ non trahunt quēcumque actum purè enunciatiuum, sed qui ex suo modo tendendi exprimat dependentiam sui à præmissis; ergo verè conclusio adequatè sũpta intrinsecè differt, & à præmissis, & à quocũque alio actu non illatiuo.

Conclusio illata non est discursus virtualis.

6 Infero secundó: conclusionem illatam in discursu formali non esse discursum virtualem; tum quia discursus virtualis non supponit, neque reflectit supra præmissas: tum quia discursus virtualis ex suo modo tendendi est formaliter iudicium de veritate motiui: est vnicus actus indiuisibiliter affirmans, Petrum esse risibilem, quia est homo.

7 Obijcies primò: actus conclusionis attingit obiectum præmissarum: ergo frustra præcedūt præmissæ. Nego consequentiam: imo cum ex suo modo tendendi reflectat conclusio supra præmissas, & motiuum, necessariò supponit præmissas. Obiter aduerto: posse quidem motiuum euidenter apprehensum immediatè determinare ad iudicium, vt euenit in assensu primorū principiorum; sed ex debilitate nostri intellectus, non sēper motiuum ita apprehenditur, vt aptum sit immediatè mouere ad assensum; sed opus est, vt termini variè combinentur, quo cognoscamus identitatem extremorum cum medio, & in ea identitate congruè apprehendamus connexionē illius cum identitate extremorum inter se; vndè determinemur ad assensum conclusionis, & in hoc fundatur necessitas discursus.

8 Obijcies secundò: obiectum conclusionis habet sufficientem virtutem terminandi se solo actum intellectus: ergo non est necesse, vt actus illud attingens, attingat etiam præmissas. Respondeo, hoc argumentum impugnare discursus formalis necessitatem. Distinguo antecedens: habet sufficientem virtutem terminandi se solo actum intellectus humani, & imperfecti; nego, alterius; concedo, & nego consequentiam: intellectus enim humanus ob suam imperfectionē non videt in ipsis terminis veritatem, quam inquirit, sed indiget alio, in quo illa appareat.

9 Obijcies tertiò: per assensum præmissarū excitatur perfectissima apprehensio identitatis extremorum: ergo potest intellectus illi assentiri non reflectendō supra medium. Distinguo antecedens: ita vt illa veritas eluceat in ipsis extremis; nego: in medio; concedo antecedens, & nego consequentiam.

10 Obijcies quartò: possumus nónunquam recordari conclusionis, & non obiecti præmissarum, seu motiui: quod tamen non eueniret; si actus conclusionis attingit motiuum. Nego minorem: quia vel non solùm relinquitur species actus, & obiecti repræsentans indiuisibiliter tum actum, tum obiectum, & motiuum, sed etiam plures species, quæ possunt excitari diuisibiliter vna independenter ab alia ad repræsentandum vnum obiectum sine alio, vel species illa completa ex circumstantijs determinatur ad exprimendum potiùs obiectum, quàm motiuum.

11 Obijcies quintò: in conclusione non debet esse medius terminus: ergo non debet attingi obiectum præmissarum. Distinguo antecedēs: non debet esse medius terminus, vt ratio assentiendi; nego: vt subiectum, aut prædicatum; concedo antecedens, & nego consequentiam: ex dictis patet, quod si positis præmissis intellectus eliciat assensum conclusionis, non attingendo motiuum; ille non erit assensus conclusionis formaliter, quia non attingit vnum propter aliud.

12 Obijcies sextò: ex falso potest sequi verum: ergo conclusio non attingit obiectū præmissarum, aliter si præmissæ essent falsæ, etiam conclusio esset falsa. Distinguo antecedens: verum idest potest inferri identitas aliqua, vel distinctio, quæ in se vera sit; concedo: verum, hoc est actus, qui sit ex omni parte verus, etiam prout est virtualis, & implicitus assensus in motiuum;

nego antecedens, & consequentiam. Regula enim Summulistarum intelligitur in primo, non in secundo sensu. Quare si quis ex aliqua præmissa falsa inferat in recta forma conclusionem obiectiuam, quæ alias sit reuelata; conclusio formalis præcisè prout versatur circa illā conclusionem obiectiuam, non est falsa; quamuis non sit actus fidei, & possit esse ex alio capite falsa.

17 Illud hic addo primò: actum temperantiæ imperatum à charitate, si non attingit motiuum charitatis; id esse: quia habet proprium motiuum distinctum à motiuo charitatis: quod non verificatur in conclusione respectu præmissarum. Rursus propositio causalis, quomodo differat, ab illatione colligi potest ex dictis supra de discrimine inter illationem, & discursum virtualem. Tertiò, nonnunquam contingere, vt intellectus post aliquem vsum assentiatur conclusioni obiectiuę sine explicita reflexione ad motiuum, ex quo antea assensus est: attamen in hoc casu vel habetur quædam confusa cognitio motiui, vel ipso vsu termini illius conclusionis ostendunt iam veritatem in se ipsis: quod euenire in actibus fidei non facilè concesserim: & hoc fortasse docuit Quiros asserens: destructis præmissis manere illarum confusum assensum.

SECTIO QVINTA.

Quomodo præmissæ præcedant conclusionem?

1 CErtum ex dictis apparet, præmissas esse aliquo modo priores conclusione. Nunc diligentiùs discutienda est dicta prioritas, & videndum: verum sit naturæ tantùm, an etiam temporis. Rursus verum præmissæ ita sint priores conclusione, vt physicè influant in illam, an solùm per modum dirigentiæ. Verum de hoc secundo puncto dicā in libris de anima.

2 Primò igitur certum est, præmissas esse in priori naturę ad assensum conclusionis: experimur enim conclusionem sequi ex præmissis, & illas ad sui existentiam prærequirere. Profectò omne, quod determinat per suam existentiam existentiam alterius, est in priori naturæ ad illud: sed præmissæ experimur, per suam existentiam determinare existentiam conclusionis: ergo, &c. his positis.

Præmissæ completæ sunt in eodem instāti reali cum cōclusione.

3 Dico: præmissas simul sumptas non præcedere tempore conclusionis assensum. Probatur: præmissæ simul sumptæ necessitant ad assensum conclusionis: ergo vt primò existunt, trahunt secum existentiam conclusionis. Nomine autem præmissarum, non intelligo vtcumque duas propositiones attingentes identitatem extremorum cum medio, sed benè penetrantes illud medium; aliter non habent propriè rationem præmissarum, quia non habent vim inferendi conclusionem.

4 Et in hoc sensu verum est, quod docuit S. Thomas, nimirùm procedentes à principiis ad conclusionem, non simul vtrumque considerant: quia non statim ac attinguntur principia, ostendunt connexionem sui cum consequenti; quare debent vlterius per nouos actus penetrari: & hi actu benè penetrantes principia sunt propriè præmissæ, neque separabiles tempore à conclusione.

5 Cum igitur intellectus humanus ad hanc penetrationem indigeat tempore; ideò vera mihi est sententia Pallauicini, & Mauri: quo illam ad discurrendum homo requirit temporis moram. Et vnusquisque in se experitur propositio aliquo nouo argumento, & quæstione, aliquantisper intellectum, quamuis velocissimum, hærere. Ceterum post aliquem vsum potest intellectus ex speciebus relictis, statim in primo instanti efficere syllogismum, & penetrare principia, vnde determinetur ad conclusionem.

6 Vrgebis: præmissæ quando primò existunt, non proponunt necessariam connexionem sui obiecti cum obiecto conclusionis: ergo non trahunt pro eodem instanti conclusionem. Antecedens probatur: quia si proponerent eam connexionem, essent assensus in illam, ac proindè essent conclusio. Nego antecedens. Ad cuius probationem, primò nego assumptum: quia ea propositio non necessariò est assensus in connexionem: potest enim esse mera apprehensio, efficax ad trahendum assensum. Secundò, etsi præmissæ sint assensus in illam connexionē; adhuc locus est conclusioni distinctæ sequenti, qua intellectus non immediatè affirmet illam connexionem, sed ex illa affirmet proprium prædicatum de proprio subiecto. Illud scire velim ab aduersario: verum pro tempore sequenti præmissæ habeant vim trahendi conclusionē; si affirmet: ergo debet concedere conclusionem non esse necessariam: quia iam præmissæ in tēpore sequenti affirmant connexionem; si negetur, vt debet; ergo nunquam præmissæ vim habent trahendi conclusionem, ac proindè non sunt præmissæ.

7 Instabis primò: conclusio statim sequitur præmissas: ergo in eodem instanti potest in cōclusione repræsentari aliquid quod displiceat voluntati; vnde etiam voluntati displiceant præmissæ, quas efficaciter imperauit. Multa hic dici possent ad solutionem, satis nunc est nullum esse absurdū, si inefficaciter displiceat, quod efficaciter eligitur, vt patet in proiectione mercium facta, dum vrget tempestas, ad vitandum naufragium; illa enim proiectio efficaciter eligitur, & inefficaciter displicet.

8 Instabis iterum: potest pro eo primo instanti elicita conclusio apparere in se falsa. Nego: nam sicuti præmissæ, & quilibet actus non potest pro eodem instanti, quo elicitur apparere falsus, ne dicamus intellectum amplecti falsum vt falsū; ita neque conclusio.

9 Instabis tertiò: voluntas, quę efficaciter intendit finem, non potest eodem actu non efficaciter eligere medium, quod videt necessarium ad talem finem: ergo si intellectus in præmissis attingit connexionem sui obiecti cum obiecto

con-

conclusionis; non potest non assentiri obiecto conclusionis. Nego consequentiam: ratio diuersitatis est: quia intentio finis non est propositio inclinans, vel determinans voluntatem ad electionem medij: id enim praestat actus intellectus praecedens: ergo si est determinatio ad illud medium, non est nisi electio illius. At praemissae in casu nostro marè proponunt connexionem illam, & veritatem consequentis, & ad illam inclinant, & determinant: ergo non sunt assensus in illam.

DISPVTATIO DECIMA.

In libros posteriorum Analyticorum Aristotelis; seu de demonstratione.

AGit in his libris Aristoteles, vt innuimus in proemio disputationis praecedentis, de demonstratione, praecipua specie syllogismi. Breuiter igitur hic eius naturam inuestigabimus.

SECTIO PRIMA.

De praecognitis ante demonstrationem.

1 QVae de demonstratione in hoc puncto dicuntur, communia sunt etiam alijs syllogismis: eadem enim in omnibus est ratio. Sed quia Aristoteles doctrinam de praecognitis tradit in libris posteriorum, in quibus agit de demonstratione; ideò titulum specialiter instituimus de praecognitis ante demonstrationem: Philosophus igitur 1. *post. c. 1. & 2.* docuit omnem doctrinam, & disciplinam ex praexistente fieri cognitione: ad acquisitionem enim alicuius veritatis per discursum, necesse est praecedere aliquas cognitiones, quae veluti viâ aperiant ad ipsum discursum, & vocantur, praecognitiones: obiecta verò per illas expressa, dicuntur praecognita. Quaestio igitur est, quae sint ante syllogismum cognoscenda. Loquimur autem non de ijs, quae remotè praecognosci debent, quales sunt modi, & figurae syllogismorum, omniaque precepta logicae; sed solùm de ijs, quae proximè: qualia sunt, termini, & principia.

2 Tres autem termini in quolibet syllogismo inueniuntur; duo scilicet extrema, & medium; ex quibus constantur tres propositiones, principia videlicet, quae sunt duae praemissae; & conclusio. Illud aduerto, propositionem, quam intendimus ostendere dici quaestionem, quatenus proponitur inuestiganda eius veritas: vt cùm quero, vtrum verecundia sit virtus: & conclusionem, quatenus infertur ex praemissis.

Praecognoscenda ante discursum & primo nomen.

3 Iam verò certum videtur ante syllogismum completum praecognoscendos esse terminos, & praemissas obiectiuas. Circa horum autem quodlibet tria possumus cognoscere primò nomen: secundò verum sit existens, vel possibile: tertiò, quid sit, per ordinem ad aliquas proprietates, & connotata extrinseca, praescindendo ab eo, quod sit possibile, vel existens.

4 Et quidem nominis notitia est saltem moraliter necessaria ad discursum humanum: semper enim rerum naturae, & proprietates medijs vocibus nobis innotescunt: his positis.

Secundo quid rei de extremis.

5 Dico primò: in omni syllogismo debeo praecognoscere saltem in confuso, quid rei, de extremis conclusionis, & de praemissis: probatur: si enim omninò ignorem, quid sit Petrus, quid animal, quid homo; ne quaestionem quidem possum instituere: vtrum Petrus sit animal, & multo minùs affirmare hominem esse animal, & Petrum esse hominem; & indè colligere Petrum esse animal.

Tertio non semper debet cognosci existentia subiecti.

6 Dico secundò: cognitionem circa an sit existens, vel possibile subiectum quaestionis, aliquando requiritur, aliquando verò non: quia si inquiratur de subiecto praedicatum accidentale, quod supponit eius existentiã, v. g. verum Petrus sit albus, debet praecognosci existentia Petri: aliter quaestio esset de subiecto non supponente. Si autem inquiratur de subiecto prima passio, non est necesse supponere eius existentiam, seu possibilitatem: vt cum inquiro: vtrum homo sit possibilis: quia tunc non agitur, nisi de connexione praedicatorum inter se, quae semper vera, vel falsa est, siue subiectum existat, & sit possibile, siue non. De praedicato autem solùm debemus cognoscere, quid sit, vt possimus videre verum conueniat, vel non conueniat subiecto.

7 De praemissis dico: sufficere assensum circa illas, quem supra explicauimus: quia per illum assensum sufficienter proponitur intellectui identitas extremorum conclusionis. Illud autem hic aduerto: quód quando probatur prima passio do subiecto, debet quidem praecognosci, quid sit illud praedicatum, de quo quaeritur: sed inadaequatè, videlicet esse principium huius, vel illius operationis; non autem adaequatè: neque enim cognosci debet, quod sit passio, & insit, vel non insit subiecto, quae sunt in quaestione.

QVAESTIO SECVNDA.

Quid sit demonstratio, & quotuplex?

Quid sit demonstratio.

1 DEmonstratio est syllogismus, in quo ex praemissis certis, & euidentibus sequitur euidenter euidens conclusio: ita communiter ex Aristotele, qui demonstrationem definiuit: syllogismum faciens scire. Syllogismus est genus, reliquae particulae explicant differentiam. Quid autem sit euidentia, quid certitudo, infra melius constabit. Ex his infertur: syllogismum theologicum constantem ambabus praemissis reuelatis, vel altera reuelata, altera euidente, non esse propriè demonstrationem, quam definimus hic, iuxta mentem Aristotelis; sed longè perfectiorem propter maiorem certitudinem, & nobilitatem principiorum, licet nõ euidentium.

Alia à priori, alia à posteriori.

2 Diuiditur primò: demonstratio in demonstrationem propter quid, & in demonstrationē; quia, prima est, in qua effectus demonstratur per causam, quę necessariò connectatur cum effectu; vt cum ex solis existentia, infero existentiam lucis. Secunda; quæ ab aliquibus dicitur à posteriori, sicuti prima á priori, est cum causa demonstratur per effectum, vel, vt melius dicam cum Arriaga, cum vnum demonstratur per aliud, quod non est eius causa: aliter si demonstratio, quia, esset tantùm illa, in qua ex effectu argumentamur causam, allata diuisio nō esset adæquata; multæ enim dantur demonstrationes, in quibus neque causa demonstratur per effectum, neque effectus per causam: vt cum ex definitione infero definitum; vel è contra: neutrum enim illorum est causa alterius.

Perfectior est demonstratio à priori.

3 Ex his demonstrationibus perfectior est demonstratio à priori; quia status intentionalis perfectius est, qui maximè imitatur esse reale: quare sicuti esse rei habetur à causis illius; ita esse intentionale rei perfectius est, cum habeatur per esse intentionale causæ: hinc curiositas est inueniendi causam, qua inuenta tandem quiescit appetitus.

Quæ nam demonstratio perfectissima.

4 Diuiditur secundò demonstratio in perfectissimam, & non ita perfectam: prima est in qua de subiecto per essentiam demonstratur prima passio. Non ita perfecta est illa, in qua non prima passio per essentiam, sed vel aliquid, aliud ex vel alio capite demonstratur.

5 Huius rei ratio esse potest: quia perfectior est cognitio, ac demonstratio, quæ magis assimilatur naturę rerum, & fundatur in principijs nobilioribus: natura autem ita comparatum est, vt in quolibet supposito, substantia, & essentia absolutè dicta sit, & nobilissimum quid, & radix immediata primę proprietatis; mediata aliorū: ergo qui ex essentia arguit ad primam proprietatem, sicuti arguit à principio nobilissimo; & modò omninò conformi rerum naturæ, ita perfectissimè demonstrat.

SECTIO TERTIA.

Quid sit certitudo actus intellectus?

Prædicata actus certi veritas infallibilis.

1 CErtitudo actus intellectus duo prædicata importat: primum quòd actus sit infallibiliter verus: actum enim, qui subijci potest falsitati, nemo dicet certum: nam infallibilitatē suę veritatis habet actus certus ex suo motiuo, in quod essentialiter tendit, & quod habet infallibilem connexionem cum obiecto, pro vt affirmatur, vel negatur ab actu, qui dicitur certus: nisi enim motiuum, in quod tendit actus, sit huiusmodi; non est cur infallibiliter, & necessariò actus ille sit ex genere suo verus, aut exigat procedere á pricipio determinato ad veritatē actus: in tantum enim principium est determinatum ad productionem actus veri; quia est determinatum ad actum procedentem a motiuo infallibiliter connexo cum obiecto pro vt affirmatur, vel negetur ab intellectu.

2 Secundum prædicatum certitudinis est firma adhæsio actus ad obiectum excludens formidinem in contrarium, ita vt stante illo actu intellectus non solùm non dubitet, sed neque dubitare possit de obiecto. Verum firma hæc adhæsio est alia purè affectiua, & ex parte subiecti; vt cum quis sine vlla sufficienti ratione, sed vel ex errore, vel ex pertinacia ita firmiter hærere suę opinioni, vt dimoueri ab illa se non sinat. Et hęc non sufficit ad certitudinem: aliter hæretici essent certi de suis erroribus, quibus ex pertinacia ita firmiter hærent, vt diuelli vix possint, & excludant omnem formidinem.

Et firma adhæsio ex motiuo.

3 Alia est firma adhæsio rationalis, & iuxta meritum obiecti: cum videlicet obiectū habet talem apparentiam veri ex suo motiuo, vt nullo intercedente errore, vel pertinacia mereatur, & fundet illam firmitatem assensus. Ex quo confirmatur vlterius actum certum debere esse infallibiliter verum ex suo motiuo: quia actus certus, vt certus tendit in motiuum ita proponens, & ostendens rem hoc modo esse, vel non esse, vt nullo intercedente errore, vel pertinacia adhuc mereatur iudicium ita firmum: sed actus tendēs in tale motiuum est essentialiter verus: quia est essentialiter connexus cum dicto motiuo; quòd ex veritate, & necessaria connexione sui cum obiecto actus, seclusa omni pertinacia, & errore meretur assensum firmum iam explicatum.

4 Ex his facilè definiri potest actus certus: iudicium videlicet ex suo motiuo firmum. Dixi primò, iudicium: quia firmitas iam explicata non conuenit nisi iudicio, & nemo forsasse dicet, appræhensionem esse certam, nisi tantùm radicaliter: quia potest trahere iudicium certum: hæc particula habet locum generis. Sequens, ex suo motiuo firmum, est differentia, quám supra explicauimus.

5 Dices primò: cur non adiecimus illam aliam particulam, infallibiliter verum? Respōdeo: quia neque sufficit, neque est necessaria: nō sufficit: quia multi actus sunt infallibiliter veri ex suo motiuo, quòd infallibiliter connectitur cum obiecto, pro vt ab ipsis iudicatur; nec tamen sunt certi: quia motiuum non apparet ita, vt nullo intercedente errore, vel pertinacia mereatur firmitatem explicatam; nimirum intellectus non dum assequitur plenè eius vim. Non est necessaria: quia iam includitur in ly firmum ex suo motiuo, vt patet ex dictis.

Infallibilitas metaphysica, physica, & moralis.

6 Dices secundo: si actus certus est dicto modo verus, & firmus: ergo omnis actus certus est metaphysicè certus, quod est contra communem sensum distinguentem certitudinem in physicam, metaphysicam, & moralem. Probo consequentiam: quia certitudo physica, & moralis possunt subesse falso; actus autem certus per nos non potest subesse falso: est enim ex suo motiuo infallibiliter connexus cum veritate.

7 Nego consequentiam: ad rationem in contrarium, dico: omnem actum certum esse infallibiliter connexum cum veritate, eo gradu infallibilitatis, quo est certus, & si est certus certitudine

titudine morali, infallibilitas est moralis, qua videlicet posita, non nisi difficillimè deficiat veritas, quamuis aliquando euenire possit, vt deficiat, etiam spectata serie causarum naturalium.

8 Si verò actus sit certus certitudine physica, habet ex suo motiuo connexionem cum veritate physicè infallibilem; talem videlicet, vt spectata causa naturali non possit deficere, licet possit impediri per absolutam Dei potentiam.

9 Demum si actus sit certus certitudine metaphysica, habet ex suo motiuo infallibilem connexionē cum veritate infallibilitate metaphysica, quàm videlicet Deus non potest impedire.

10 Ex his infero: actum moraliter certum posse physicè falsificari, non autem moraliter, quia ne metaphysicè quidem spoliari potest cōnexione illa moraliter infallibili, quàm habet cum veritate: eam enim connexionem habet ex suo motiuo, quod essentialiter respicit. Idem proportionaliter dico de actu physicè certo, qui licet possit metaphysicè falsificari; tamen ne de potentia quidem absoluta potest spoliari infallibilitate illa physica, quàm recipit à suo motiuo, quod essentialiter respicit. Ex quo vlterius patet, nè de potētia quidem absoluta posse actus certos esse falsos in eo genere, in quo sunt certi; licet possint absolutè falsificari falsitate quadam metaphysica, & esse absolutè difformes obiecto.

11 Infero secundò: actus physicè, vel moraliter certos non esse ex genere suo essentialiter veros, quia aliquis huiusmodi actus potest esse absolutè falsus.

Certitudo est prædicatum adæquatè intrinsecum actui.

12 Infero tertiò: certitudinem esse prædicatum adæquatè intrinsecum actui certo: quia certitudo dicit infallibilem connexionem actus cum veritate, & firmam adhæsionem ortam ex motiuo: sed vtrumque prędicatum est adæquatè intrinsecum actui certo; ergo, &c. Minor probatur: quia vtrumque prædicatum non est, nisi ordo actus ad illud motiuum; sed ordo actus ad suum motiuum est adæquatè intrinsecus actui: ergo. Actus igitur certus, vt sic habet illam firmam adhęsionem, & infallibilitatem, cum pręcisione à physica, morali, vel metaphysica: quilibet autem actus habet sibi identificatam suam certitudinem sibi proportionatam vel physicā, vel moralem.

Quænam certitudo sit maior, quænam minor:

13 Quæres hic: vtrum vna certitudo sit maior alia? Respondeo, & primò si comparemus certitudines diuersi generis inter se, v.g. moralem cum physica, & hanc cum metaphysica certum videtur, vnam esse alia maiorem; quis enim dubitet appellare maiorem certitudinem, cui etiam de potentia Dei repugnet subesse falsum, qualis est metaphysica, ea cui saltem supernaturaliter potest inesse falsitas, qualis est physica, & hanc maiorem ea, quæ licet difficillimè, potest tamen etiam naturaliter seiungi à veritate absolutè dicta? Solùm igitur cadit in quæstionē: vtrum certitudines ordinis eiusdem inter se cōparatæ possint suscipere magis, & minus, ita vt vna certitudo metaphysica possit esse maior alia item metaphysica, & vna moralis, alia item morali, ac demum vna physica præcedat aliam physicam.

Omnes certitudines eiusdem ordinis habent aliquā æqualitatem:

14 Dico igitur primò: omnes certitudines eiusdem ordinis, v. g. metaphysicę habent quādam æqualitatem veluti substantialem, qua videlicet si careat, aliquis actus non erit ea certitudine certus. Probatur: quia omnes certitudines eiusdem ordinis habent conuenire in prędicato, per quod constituuntur in illo ordine, quo prædicato si careant, iam careant ea certitudine: hoc autem prędicatum saltem secundum se consideratum non dicit aliquam inæqualitatem; sic omnes actus metaphysicè certi repugnant etiam de potentia absoluta falsificari. Certi autem certitudine physica, nequeunt physicè subesse falso. Demum certi certitudine morali excludunt moraliter falsitatem, & dubium.

Et possunt habere aliquam inæqualitate,

15 Dico secundò; vna certitudo potest esse saltem extensiuè maior, quàm alia eiusdem ordinis. Probatur: quia potest vnus actus esse metaphycè certus ex pluribus capitibus, quàm alius: ergo saltem extensiuè potest vnus actus esse certior alio eiusdem ordinis. Consequentia probatur: quia hoc ego in præsenti intelligo nomine certitudinis extensiuę maioris. Antecedens probatur, quia vnus actus potest ex pluribus capitibus connecti cum veritate, quā alius vt si simul respiciat plura motiua, quorum quodlibet sit infallibiliter connexum cum obiecto eo modo, quo repræsentatur ab actu.

Vna certitudo est appretiatiuè maior, quàm alia.

16 Dico tertiò: inter certitudines eiusdem ordinis potest esse quidam excessus veluti appretiatiuus, seu substantialis, & affectiuus, vt loquuntur nonnulli, in eo situs, quod si veritates actuum inter se pugnarent, intellectus paratus sit vnum alij præferre; ita vt in ea suppositione potius in vno, quàm in alio actu esset vis persistendi, & expellendi oppositum: probatur: quia communiter Theologi docent, fidei nostrę christianę certitudinem excedere certitudinem cuiuscumque scientię etiam metaphycā: quem excessum explicant modo dicto, quia actus nostrę fidei debet esse talis, vt ex vi illius paratus sit intellectus reijcere quamcumque rationem in oppositum, quamuis aliàs appareret euidēs. Igitur actus ille ex suo modo tendendi reddit inotidentes, & incertos alios quoscumque actus sibi oppositos, & si aliundè futuri essent euidentes, & etiam metaphisicè certi: ergo datur inter actus metaphysicę certos ille excessus. Et quidem actus fidei diuinę, & si non necessarius, tamen vitaliter exprimit suam veritatem ob excellentiam motiui; eiusque apparentiam pręferendam esse cuicumque alteri, & potius æstimandam esse fallacem quamcumque aliam euidentiam, quàm falli Deum, vel nos fallere, aut hic, & nunc nobis non loqui; hęc autem maior firmitas non est irrationalis, sed fundata in meritis obiecti.

17 Dices, adueniente actu euidente in oppositum necessitor ad illum: ergo tunc cessat fides: ergo in actu fidei non datur illa maior cer-

certitudo. Nego antecedens: actus enim fidei ostendit per se ipsum illum actum non esse euidentem, & apparentiam motiui in oppositum, quantumuis validam, & viuacem, esse fallacem: est enim actus, quo intellectus dicit, firmissimè teneo, & credo, vt patet ex verbis professionis fidei: ergo motiuũ fidei licet nõ necessitet, ostendit tamen fallaciam omnem apparentiam in contrarium, & actus ipse ita firmiter adheret suo obiecto ratione sui motiui, vt ostendat, saltem virtualiter, se esse preferendum alijs omnibus; ac ipso stante non posse saltem deliberatè admitti quidquam in oppositum, ita vt si offeratur, illicò appareat fallax. Verum de hac re fusiùs Theologi agentes de fide.

SECTIO QVARTA.

Explicatur euidentia intellectualis.

Euidentia duplex apprehensionis, & iudicij.

1 EVidentia deriuatur á video: & actus dicitur euidens: quia per euidentiam velut assimilatur visioni quoad claritatem, & modum reddendi intellectum certum de suo obiecto: quod enim euidenter cognoscimus ita se habere, ac si illud manibus palparemus, aut oculis videremus. Duplicem euidentiam possumus hic considerare: alteram apprehensionis, per quam videlicet, ita clarè proponitur veritas obiecti, vt nullum relinquat locum dubitandi in oppositum, ne imprudenter quidem: ac proindè sequatur necessariò actus iudicij conformis illi apprehensioni: alteram iudicij, & est assensus necessarius sequens illam apprehensionem, siue assensus, ad quem ex motiuo necessitatur intellectus. Quare euidentia assensus est ordo, seu connexio actus cum motiuo necessitante ad assensum. Euidentia autem apprehensionis est clara tendentia in motiuum nessitans ad assensum: siue demũ motiuũ illud sit distinctum à terminis iudicij sequentis, siue identificetur illis, de quo non curo.

2 Euidentiam explicaui per nessitatem ortam ex motiuo apprehenso: quia si quis extrinsecè ab imperio voluntatis, aut aliqua prædeterminatione necessitetur ad aliquem assensum, non erit talis assensus euidens.

3 Vrgebis: potest quis necessitari ad assensũ ex apprahensione fallaci, que talem obiecti apparentiam exhibeat, vt necessitet ad assensum: in quo casu nõ habebitur euidentia; & tamen habetur assensus necessarius ex ordine ad suũ motiuum: ergo euidentia assensus non sita est in illa necessitate orta ex motiuo: idem euenit si quis ex inaduertentia necessitetur ad assensum. Nego in eo casu haberi assensum necessarium ex ordine ad suum motiuum: quia licet motiuum illud necessitet hic, & nunc veluti per accidens ex defectu debitæ considerationis ad assensum; tamen absolutè stante eodem motiuo potest intellectus dimoueri ab illo assensu: quia potest meliùs penetrando motiuum animaduertere illius insufficientiam, in ordine ad fundandam necessitatem talis assensus. Quare assensus euidens est, ad quem ita necessitetur intellectus ex aliquo motiuo, vt si perfectius penetret idem motiuum, nequeat remoueri ab eodem assensu. Qui igitur paralogismum committens, putat se aliquid demonstrasse, non verè habet assensum euidentem: quia si meliùs penetrentur termini animaduertet suum errorem, & poterit ab illo assensu diuelli: ideoque viri prudentes amicos consulunt cum huiusmodi syllogismos conficiunt.

4 Ex dictis infero primò: euidentiam assensus includere certitudinem: quia si intellectus modo dicto ex motiuo necessitatur ad assensum, certè tale motiuum est infallibiliter connexum cum obiecto pro vt repræsentatur ab illo actu intellectus; aliter meliùs penetratum motiuum ostenderet suam insufficientiam ad inducendum assensum: ergo is in actus dicens ordinem ad motiuum est infallibiliter connexus cum obiecto pro ut á se repræsentatur, ac proindè cum veritate, quæ connexio est alterum prædicatum certitudinis. Rursus per actum euidentem, ita firmiter intellectus adheret obiecto, vt excludat omne dubium, quòd est alterum prædicatũ certitudinis. Et certè nemo dixerit me habere euidentiam de re, de qua dubito.

5 Infero secundò: euidentiam supra certitudinem addere firmam adhæsionem intellectus ad actum: quia videlicet intellectus non potest separari ab actu euidente, stante debita propositione obiecti. Tertiò saltem in ordine supernaturali non repugnare, quòd actus aliquis sit certus, & non euidens, & talem esse actum fidei iustificantis est certum apud Theologos, ex Scripturis, & Patribus.

Euidentia metaphysica, & moralis, & physica.

6 Infero quartò, proportionaliter ad ea quæ supra diximus, triplicem esse euidentiam; moralem, quæ affert necessitatem moralem assensus, & excludit moraliter, non solùm falsitatẽ, & dubium in contrarium; sed etiam facit ne stante tali apparentia motiui sit moraliter possibilis alius actus oppositus, aut cessatiò ab hoc: quia hæc res apparet probabilissima, & nulla, vel leuissima ratio apparet in contrarium; quare non nisi cum summa difficultate potest animus diuelli ab hoc obiecto: & non nisi imprudenter quis iudicaret oppositum.

7 Secunda est euidentia physica asserens necessitatem physicam assensus, quæ excludit physicè, non solùm ab actu falsitatem, & dubium; sed etiã possibilitatem actus oppositi, & cessationem ab hoc. Tertia demum est euidentia metaphysicè necessitans ad assensum metaphysicè verum, & certum, ita vt stante ea apparentia, ne per absolutam quidem Dei potentiam possit esse actus oppositus, nec possit ex vi motiui intellectus cessare ab hoc actu: quidquid sit, an aliundè possit impediri actus metaphysicè euidens, quia. v. g. Deus denegaret suum concursum, &c.

Euidentia adæquatè identificatur actui.

8 Quæres primò: vtrum euidentia sit prædicatum intrinsecum, & identificatum cum actu euidente. Respondeo affirmatiuè, & quidem si loqua-

loqua-

loquamur de euidentia, & claritate apprehensionis; nemo de hoc forraffe dubitabit. Et confirmatur, quia nec obiectum per se immediatè, neque species in homine determinant ad assensum necessarium, sed apprehensio ab illis speciebus orta: ergo vis hæc determinatiua est intrinseca apprehensioni, & non est nisi prædicatum illud claritatis. Si verò loquamur de assensu, hic profectò est euidens per ordinem, quem dicit ad motiu necessitans: sed hic ordo est adæquatè intrinsecus assensui: ergo euidentia est adæquatè intrinseca assensui. Maior probatur quia si præscindamus ab hoc ordine, non est vndè actus dicatur euidens. Minor etiam confirmatur: quia actus per suam entitatem respicit suum motiuum.

9 Confirmatur: quia hic ordo includitur in reflexione, qua ex supradictis assensus euidens reflectit supra præuiam euidentem apprehensionem: hæc autem reflexio, & intrinseca est actui, & diuersa in actu euidente, ac in non euidente; sicut diuersus est terminus reflexionis: nam euidens reflectit supra apprehensionem euidentem: quòd non conuenit ineuidenti; & si euidens apprehensio differt ab intrinseco à non euidenti; à fortiori debet id competere assensui euidenti longè perfectiori, quàm sit apprehensio. His adde assensum euidentē per seipsum formaliter asserere rem non posse aliter se habere excludēdo omne dubium in contrarium, ita vt stante eo assensu, vel nullum possit occurrere dubium, vel si quæ occurrat formido nullam faciat difficultatem; secus accidit in alijs actibus etiam fidei, vt patet in difficultate, quam patiuntur credētes, nec superant, nisi intercedente imperio voluntatis: hæc autem sufficiunt, vt actus euidens reputetur ex suo modo tendendi sibi intrinseco gaudere his omnibus prærogatiuis, & ab intrinseco differre à non euidente.

Vnus actus potest aliquo modo esse alio euidentior.

10 Quæres secundò: vtrum vnus actus possit esse euidentior alio. Respondeo, omnes actus euidentes eiusdem rationis v. g. omnes moraliter euidentes, habere quamdam æqualitatem veluti præcisiuam in prædicato euidentiæ moralis. Secundò, si comparemus euidentiam vnius ordinis cum euidentia alterius, vnam esse alia superiorem: quia enim dubitat euidentiam physicam superare moralem, & vtramque excedi à metaphysica? Quare solùm quæstio esse potest de actibus euidentibus eiusdem ordinis; vtrum videlicet actus vnus moraliter euidens excedere possit alium item moraliter euidentem, & eadem inæqualitas euidentiæ haberi possit si comparemus inter se actus metaphysicè euidentes.

11 Et quidem potest primò vnus actus esse euidentior alio eiusdem ordinis, excessu quodā veluti extensiuo: quia videlicet vnus actus potest procedere simul à pluribus motiuis, quorū quodlibet per suam apparentiam sufficiat determinare intellectum ad assensum: & sicuti si per plures actus euidentes intellectus assentiretur illi obiecto propter plura motiua, haberetur quādam euidentia extensiuè maior, quàm dum per vnum tantum assentitur ex vno motiuo; ita si ex pluribus motiuis dicto modo per vnicum actum assentiatur, hic erit saltem extensiuè euidentior aliò actu, quo intellectus eidem obiecto ex vno dumtaxat motiuo assentiretur.

12 Secundò, sicuti inter certitudines eiusdē ordinis datur excessus ille apprettiatiuus; ita vnus actus euidens potest apprettiatiuè esse euidentior alio actu euidente eiusdem ordinis, ita vt si vna euidentia repugnaret alij, ex excellentia motiui intellectus esset determinatus ad amplectendam vnam, & repudiandum aliam: quod nō alio modo euenire potest, nisi quia euidentia orta ex hoc motiuo reddit infirmas, & ineuidentes apparentias omnium aliorum motiuorum in contrarium: sic si quia Beatorum in Verbo euidenter videat possibilitatem infiniti, excellentia eius motiui tanta est, vt omnes aliæ apparentię aliorum motiuorum in contrarium, quantumuis intensissimæ reddantur infirma, & ineuidentes.

SECTIO QVINTA.

Vtrum præmissæ sint certiores, & euidentiores conclusione demonstrationis?

Præmissæ certiores, & euidentiores conclusione.

1 NON est sermo de veritate, quæ vt vidimus non suscipit magis, & minus, sed de certitudine, & euidentia.

2 Dico igitur: præmissę sunt certiores, & euidentiores conclusione demonstratiua. Et primo quidem quòd altera tantùm præmissa possit esse certior, & euidentior conclusione; patet quia altera præmissa aliquando est euidens, vel certa certitudine fidei, & conclusio tantùm probabilis: ergo altera præmissarum potest esse certior, & euidentior conclusione. Difficultas autem est in probando assensum vtriusque præmissæ esse certiorem, & euidentiorem assensu conclusionis.

Probatur maior certitudo.

3 Probatur: illi veritati firmius hæret intellectus, in qua quiescit, & veluti reperit suū finem: sed quiescit in veritate præmissarum, non in veritate conclusionis: ergo firmius hæret veritati præmissarum, quàm conclusionis. Minor probatur: quia intellectus non quiescit nisi in prima ratione, quæ ipsa per se apparet vera, qualis tantùm est veritas præmissarum: sicuti voluntas non quiescit nisi in bono per se, qualis est finis. Quare sicuti voluntas firmiùs hæret fini, quàm medijs, ita intellectus firmiùs hæret veritati pręmissarum, quàm conclusionis: hæc autem maior firmitas est procul dubio maior certitudo.

Probatur maior euidentia.

4 Quod autem habeatur maior euidentia, probatur: tum paritate certitudinis, & finis: tum quia assensus ad veritatem in se apparentem est magis necessarius, quàm ad veritatem, quæ apparet in alio, idque primo, quia intellectus magis necessitatur ad assensum, in quo quiescit, quàm ad alios: assensus autem, qui versantur circa veritatem in seipsa apparentem sunt in quibus quiescit intellectus, quia per illos reperit primas

mas rationes], in quas vltimò resoluitur omnis assensus. Secundò, veritas, quæ seipsa apparet talis, magis necessitat ad suum assensum, quàm quæ non apparet eo modo talis: nam quæ seipsa apparet talis necessitat absolutè per se, & nulla facta suppositione: veritas autem, quæ apparet in alio, non est huiusmodi: necessitas autem absoluta est maior necessitate ex suppositione.

5 Igitur si veritas conclusionis opponeretur veritati præmissarum, intellectus assentiretur premissis, in quarum obiecto inuenit immediatè veritatem, non conclusioni, in cuius obiecto nullam inueniret veritatem; neque præmissę tunc ostenderent veritatem conclusionis, quàm potiùs destruerent.

6 Dices idem est obiectum conclusionis, & premissarum: ergo implicat quòd intellectus firmiùs hęreat præmissis, quàm conclusionibus. Distinguo: idem est, & eodem modo ostendens veritatem: nego, & diuerso modo; concedo antecedens, & nego consequentiam. Obiectum premissarum, & motiuum non raró distinguitur realiter à conclusione, vt patet sexcentis exemplis. Quando autem motiuum non distinguitur à conclusione, tunc ad demonstrationem requiritur, vt saltem ratione differant, aliter non posset unum inferri ex alio: ergo saltem necessarium est, ut motiuũ habeat aliá apparentiá, ac habet obiectum conclusionis: quod euenit, quia apprehensio illa qua u. g. apprehendo hominem esse rationalem, ita id exprimit, ut immediaté determinet ad assensum illum, homo est rationalis: at ex sua imperfectione non determinat immediaté ad illum assensum: omnis homo est risibilis. Quare licet idem sit obiectum præmissarum, & conclusionis; quia tamen proponuntur diuersis apparentijs, & sub diuersis terminis, ideò sine vllo absurdo saluatur, quod intellectus quiescat in obiecto præmissarum, non in obiecto conclusionis, &c.

7 Dices secundò: etiam conclusio per nos attingit motiuum: ergo etiam conclusio quantũ est ex hoc capite, est æqué certa ac præmissæ; iam enim conclusio reperit immediaté veritaté in suo obiecto. Distinguo antecedens: attingit motiuum dependenter à præmissis; concedo: independenter; nego antecedens, & consequentiá: nam quamuis conclusio attingat obiectum premissarum, tamen eidem motiuo intellectus firmiùs hęret per præmissas, quàm per conclusionem: premissæ enim sunt actus quibus immediaté intellectus amplectitur verum, ac proinde quibus quiescit in suo fine, quòd non conuenit conclusioni, in qua non quiescit intellectus: hæc enim quamuis vt deducta ex præmissis attingat motiuum, & virtualiter approbet illud; supponit tamen intellectum inuenisse veritatem in præmissis, & solum sequitur ex illis tanquam effectus approbans illas, & reflectens supra easdé, deducit nouum quid. Quod si intellectus animaduerteret conclusionem repugnare præmissis, illicò resiliret à conclusione, in qua non inueniret veritatem, vt supra notabam.

8 Aduerto primò: me non defendere hic illud principiũ, quòd tribuunt communiter Aristoteli: propter quòd vnumquodque tale, & illud magis; neque ex illo principio me probare allatam doctrinam, quæ tamen habet etiam illud commodi, quod sit conformis menti Aristotelis iuxta sensum communem. Cæterum, vt Grattinus grecæ linguæ peritus notat, ex græco fonte ita sonat dictum Aristotelis: *semper propter, quod existit vnumquodque? illud magis existit*, & sensus est: quòd causa adęquata magis existit, quám effectus: hoc est cum maiori certitudine, & necessitate, ac minori dependentia; & ita hoc axioma verificatur non solùm de præmissis, respectu conclusionis, sed de quacumque alia causa.

9 Aduerto secundò: Deum non amare magis iustitiam, quàm iustum: quia in iusto est finis adęquatus ex fine cui, & fine qui; Amatur autem iustus propter iustitiam; quia iustitiá est complementum, & forma vltimò constituens hominem dignum amore amicitiæ.

10 Aduerto tertio: quamuis cognitio spiritualis humana pendeat à sensatione; non esse tamen minùs certam cognitione sensitiua: tum quia dependentia intellectionis á sensibus, est tantùm immediaté quo ad appræhensiones simplices, & ferè solùm quo ad terminos incomplexos: tum quia intellectiones sequentes ad illas operationes sensitiuas corrigunt fallacias illarum: tum quia intellectio adhæret formaliter veritati rei, cui nullo modo adhærent per affirmationem sensus. Hinc sensationes non determinant gradum certitudinis actus intellectus, sicuti præmissæ determinant gradum certitudinis conclusionis. Possunt fortasse sensationes dici clariores circa suum obiectum, ac sunt intellectiones ab illis precisè procedentes circa idem obiectum: quod non præiudicat doctrinæ traditæ, sed potiùs illam confirmat.

SECTIO SEXTA.

De requisitis ab Aristotele ad demonstrationis premissas.

1 QVæres primò. verum demonstratio constet ex præmissis per se? Respondeo assignasse Aristotelem quatuor modos per se: primus est modus prædicádi per se quidditatiuè, cum scilicet de subiecto prædicatur essentia vt animal, vel rationale de homine. Secundus est modus per se inhærendi, cum de subiecto prædicatur proprietas, quæ per se inest illi, vt cum dico homo est risibilis: à qua prædicatione excludũtur omnia accidẽtia cõmunia, vt homo est albus. Tertius modus est per se existendi independenter à subiecto, quod conuenit substantijs completis, & miraculosé nonnunquam communicatur accidentibus, vt euenit in Eucharistia. Dicuntur etiam accidentia in abstracto, vt albedo, per se existere, quia sic non significantur per modum adiacentis. Quartus demum est modus *Demonstratio constat pmissis per se si litẽ per fectissima.*

dus

dus per se causandi, vt quando de causa cum qua per se, & ratione sui connectitur effectus, prædicatur in concreto idem effectus, vt musicus canit. Quibus positis.

2 Dico, demonstrationem perfectam, in qua per essentiã demõstratur de subiecto prima proprietas, constare principijs per se in primo, & secundo modo: nam in vna præmissa de subiecto prædicatur essentia, qui est modus per se primus: in altera de essentia prædicatur prima proprietas, qui est modus per se secundus: vt patet in hoc syllogismo; omne animal rationale est admiratiuum: homo est animal rationale; ergo est admiratiuus. Non omnis igitur demonstratio constat principijs per se, vt patet in hoc syllogismo: Omne, quod currit mouetur: Petrus currit: ergo mouetur. Cuius minor ad nullum modum per se spectat, vt patet consideranti.

Et proprijs

3 Quæres secundò: vtrum demonstratio cõstet præmissis proprijs? Respondeo ambas præmissas simul esse proprias illius scientiæ, ad quã spectat conclusio: quia continent rationem formalem propriã illius scientiæ. Non negauerim in aliquo syllogismo aliquam ex præmissis posse aliquando esse communem pluribus scientijs. At demonstratio perfectissima, in qua de subiecto per essentiam demonstratur prima passio constat principijs incomplexis proprijs subiecto, nempè essentia, & proprietate. Principia item complexa sunt propria tum subiecti, tum scientiæ ad quam spectat illud subiectum.

4 Quæres tertiò: vtrum demonstratio constet præmissis primis immediatis, per se notis? Hi sunt termini synonimi, significant enim assensum esse immediatum, & primum excludentem alium priorem, à quo dependeat, & inferatur, quia videlicet ad illum immediatè determinatur intellectus ex ipsa terminorum apprehensione.

5 Notandum tamen primò est: aliquod obiectum posse esse per se notum, primo à priori: quia non habet causam se priorem, ex qua illud inferamus. Secundò à posteriori: quia nõ habet effectum posteriorem, ex quo possimus illius existentiam inferre. Et certè ne procedamus in infinitum, deueniendum est ad vltimum effectum per se. Cæterum obiectum per se notum hic significat, quod independenter à quacumque apparentia alterius ita per se apparet, vt immediatum iudicium de se fundet.

Obiectum per se notũ duplex.

6 Notandum rursus est: communiter Doctores admittere obiecta alia per se nota quo ad se, & alia per se nota quo ad nos. Primi generis est, quod non habet verè aliam causam priorem se, vnde probatur. Secundi generis sunt, quæ ita nobis apparent, vt independenter à quocumque alio medio trahant nostrum assensum, siue demum habeant causam se priorem, ex qua possent inferri, siue non. Vnde colligi potest aliqua esse per se nota tantùm quo ad se, alia tantùm quo ad nos, alia vtroque modo.

Rursus aliud per se notum in se aliud quó ad nos.

7 Notandum tertió est: ex propositionibus per se notis aliquas esse euidentes, aliquas probabiles, de primis nullus dubitat, de secundis confirmatur: quia conclusio probabilis debet resolui in aliquod primum principium probabile, aliter si resolueretur adæquatè in principia euidentia euidenter cum ipsa connexa, esset cõclusio euidens: quare debet saltem immediatè probabiliter affirmari, vel altera præmissa, vel virtualiter connexio motiui cum conclusione obiectiua. Demum ex præmissis euidentibus aliæ sunt dignitates, axiomata videlicet apud omnes scientias certissima: aliæ postulata, & sunt principia per se nota alicuius scientiæ, quæ si negẽtur, non est amplius arguendum ex principijs eiusdem scientiæ, sed recurrendum est ad alia vniuersaliora.

Quid sint dignitates assiomata, postulata.

8 Demonstratio igitur potissima, in qua per essentiam demonstratur prima passio, constat alia qua præmissa per se nota à priori: nã altera præmissa affirmat de subiecto essentiam: nulla autẽ datur causa huius connexionis: altera præmissa in qua de essentia affirmatur proprietas, non est nota per se à priori, ipsa enim essentia est causa cur proprietas sibi insit. Aliarum autem demonstrationum præmissæ nulla est necessitas cur debeant esse dicto modo primæ.

Demonstratio potissima constat aliqua propositione per se.

9 Quæres quartò: vtrum præmissæ debeant esse de omni secundum quòd ipsum? Propositiones secundum quod ipsum sunt, in quibus prædicatum conuenit subiecto, qua tale est, & dicitur cum illo ad conuertentiam, vt homo est risibilis: quare illa propositio homo est sensitiuus, non est secundum quod ipsum: neque enim homo ratione suæ differentiæ, & vt homo, est sensitiuus. Demonstratio igitur potissima constat præmissis secundum quod ipsum: homini enim qua homini conuenit esse rationale, & huic qua tali conuenit esse risibile.

Et vtraque secundum quod ipsum.

10 Quæres quintò: vtrum præmissæ demonstrationis debeant esse necessariæ, incorruptibiles, æternæ veritatis? Respondeo affirmatiuè, si loquamur de demonstratione potissima: necessariò enim subiecto conuenit sua essentia, & huic proprietas. Necessitas huius connexionis est fortasse ipsa diuina essentia, aut possibilitas æterna, & necessaria cuiuscumque rei, de quo puncto in metaphysica fusiùs. Aliæ demonstrationes non sunt huiusmodi: demonstrari enim de subiecto possunt plura accidentia per medium accidentale.

Præmissæ demonstrationis sunt necessariæ.

11 Quæres sextò: an omnes demonstrationes debeant esse vniuersales. Respondeo potissimã in qua de subiecto multiplicabili per essentiam demonstratur prima passio necessariò constare propositionibus vniuersalibus, vt patet consideranti. Non omnis tamen demonstratio est de vniuersalibus, multa enim demonstrari possunt de Deo, qui est terminus singularis: & syllogismus expositorius constans terminis purè singularibus est maximé efficax. Alias conditiones, quas requirit ad demonstrationem Aristotelis, discussimus sectione prima. Hinc patet illud Aristoteles: *Vnius rei est vnica demonstratio. 2. post. c. 5.* intelligendum esse de demõstratione propter quid.

Non omnis demonstratio vniuersalis.

12 Quæres septimò: verum vtilis sit regressus demonstratiuus, cum conclusio probata per aliquam præmissam assumitur ad probandam præmissam; vt si quis postquam ex rationalitate probauit risibilitatem, assumat hanc ad probandam rationalitatem. Breuiter dico esse vitiosũ, si conclusio assumatur ad probandam præmissam, vt nota tantùm ex vi præmissæ; secus si assumatur, vt aliundè cognita. Prima pars probatur: quia absurdum est dicere: A est, quia A est: sed hoc eueniret in primo regressu: nam dico rationale esse: quia est risibile: & risibile esse quia est rationale: ergo rationale est, quia est rationale: absurdum cessat, si aliundè probem consequens, quod assumo ad confirmationem antecedentis: sic enim non probo rationalitatem per rationalitatẽ; sed per aliud medium, quo probaui risibilitatem: neque idem vt cognitum per eandem cognitionem, & ex eodem medio est priùs, & posteriùs, notiùs, & ignotiùs respectu eiusdem. Quod si medicina amata propter sanitatem, non potest ita se habere, vt propter ipsã ametur sanitas, id est; quia in sanitate non est aliqua conducibilitas ad medicinam.

13 Vrgebis: si risibilitas clariùs cognoscitur ex terminis in primo syllogismo; cur demonstratur per alium syllogismum? Respondeo quia bonum est intellectui veritatem pluribus vijs assequi. Hic demum aduerto: præmissas continere causas conclusionis, quia in omni demonstratione formali præmissæ formales sunt causæ conclusionis, & in demonstratione a priori medium, quod est obiectum præmissarum, est causa consequentis.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De scientia actuali, & opinione

EFfectum demonstrationis supra innuimus esse scientiam, & id verificari tum de actuali, tum de habituali. Quare nõ immeritò post disputationem de demonstratione, agimus de scientia: & primò quidem de actuali, quæ vtpotè causa, est prior habituali. Quoniam verò præcipuè inuestiganda est oppositio inter scientiam, & opinionem: ideò non pauca de opinione dicemus: sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit scientia quid opinio?

Definitur scientia.

1 SCientia primò sumitur pro quacumque cognitione intellectuali, præsertim certa, & infallibili. In quo sensu, fides supernaturalis dici potest scientia. Secundò magis pressè pro cognitione euidente alicuius rei; siue discursiua, siue immediata. In quo sensu dicimus: Deum habere scientiam omnium rerum: quia habet cognitionem certissimam, & euidentem earum, licet non discurrat. Tertiò demum pro cognitione euidente, euidenter deducta ex principijs euidentibus: quæ definiri commodè poterit: cognitio discursiua certa, & euidens. Et quidem per ly discursiua, distinguitur scientia à principijs euidentibus, quę formaliter non sunt discursiua: per ly certa, ab opinione, quæ in suo conceptu nõ includit certitudinem: per ly euidens, distinguitur à fide, quæ ex suo conceptu non includit euidentiam. Ex quibus manifestè colligitur scientiam propriè non esse totam demonstrationem; sed tantùm conclusionem deductam cum prędictis prædicatis.

Explicatur conceptus opinionis.

2 Opinio strictè sumpta, vt contradistincta ab assensu erroneo, & improbabili; definiri potest assensus non firmus ex motiuo intrinseco prudente. Dicitur primò: assensus non firmus, vt distinguatur ab actibus scientiæ, & fidei supernaturalis, qui sunt firmi. Dicitur secundò: ex motiuo intrinseco, vt distinguatur à fide naturali, quæ non innititur motiuo intrinseco, sed extrinsecę authoritati dicentis. Dicitur demum: prudenti, vt distinguatur ab errore, & assensu improbabili, qui non nituntur motiuo prudenti: Dicitur motiuum prudens, quod ita apparet intellectui verum, & ostendit veritatem alterius, vt homo assentiendo non imprudenter se gerat: nec sit rationabiliter culpabilis.

Quomodo opinio est assensus prudens.

3 Cæterum dupliciter potest aliquod motiuum esse prudens; primo respectiuè, si videlicet, ita hic, & nunc apparet huic homini, vt assentiendo, ille non imprudenter operetur; sed alijs perspicacioribus non præbet similem apparentiam sui. Quare absolutè tale motiuum est imprudens, & fundat assensum absolutè improbabilem; & fortasse etiam erroneum, si sit falsus. Secundò potest motiuum esse prudens absolutè: quando videlicet tale est, vt etiam perspicacioribus appareat verum, & connexum cum re, quę deducenda est: quamuis nec omnibus debeat ita apparere; nec ea apparentia talis sit, vt cogat semper ad assensum sui, quia videlicet saltem, si melius res consideretur, possunt occurere rationes in contrarium, quæ non necessario conuincantur falsę ex ipsa apparentia motiui.

4 Iam verò ad opinionem, & assensum probabilem absolutè dictum non sufficit prima apparentia motiui, & quòd primò modo sit prudens: aliter vix vllus erit assensus, qui non sit absolutè opinio probabilis; & multi assensus communiter putantur improbabiles, & erronei, in quos tamen quis potest non imprudenter incidere ex apparentia, quàm hic, & nunc habet.

Assensus opinionis non est necessarius.

5 Ex quibus patet, assensum opinatiuum nõ esse necessarium: quia videlicet potest intellectus dependenter ab imperio voluntatis, vel nõ ponere illum, vel ab illo iam posito cessare: idque stante priori apparentia. Quia nimirum ea stante possunt occurrere rationes aliquæ in cõtrarium, quę vel illam ostendant fallacem, vel non euincantur ex illa fallaces. Quod confirmatur ex Aristotele, qui 1. posteriorũ tex. 195. de opinione: *Est inquit, acceptio propositionis immediatæ non necessariæ*, quod non est intelligendum

dum de necessitate obiecti: nam obiecta alioqui necessaria, cadunt sub opinionem; sed vt ostendatur intellectum non necessitari ad assensum opinatiuum. Notandum tamen est hic, Aristotelem non definijsse conclusionem opinatiuam, quæ non est acceptio, seu assensus immediatus: sed præmissas primas, vnde deducitur conclusio probabilis, quam tandem resolui debere in aliquem assensum immediatum probabilem supra satis innuimus.

Opinio est vel formaliter, vel radicaliter formidolosa.

6 Hinc deduco: actum opinionis non debere includere formidinem actualem. Quod vt clarius intelligatur; sciendum est: communiter distingui duas formidines, alteram actualem, radicalem alteram: prima est actuale dubium in contrarium. Secunda est, cum intellectus ita assentitur ex motiuo eiusque apparentia alicui obiecto, vt actu non dubitet in contrarium: quia nulla apparet ratio in contrarium. Cæterum ea apparentia non est talis ex se, vt excludat omnem apparentiam oppositam, vel ostendat illam fallacem. Quare stante priore apparentia, potest intellectus dubitare, & cessare ab actu. Hoc posito: probatur corollarium: quia ad opinionem sufficit si sit actus non firmus, nec necessarius: at ad huiusmodi actum non requiritur formido actualis, sed sufficit radicalis: hæc enim posita sicuti potest intellectus admittere apparentias in contrarium, quæ non illicò ex priori apparentia, vel ex aliqua obligatione appareant reijciendæ; ita potest dubitare, & cessare ab illo actu.

Nec necessario actu pendet ab imperio voluntatis.

7 Deduco secundò: opinionem, seu actum probabilem non necessariò pendere ab imperio voluntatis. Nam si hoc motiuum appareat in se verum, & conexum cum veritate alterius; ita vt nulla appareat ratio in contrarium, nec vllum insurgat dubium, & scrupulus, intellectus independenter ab imperio voluntatis necessitatur ad assensum tum motiui, tum conclusionis; & tamē hic assensus potest esse opinatiuus, vel probabilis: quia potest deinde ex occursu noui alicuius obiecti, aut meliore consideratione eiusdem, occurrere aliqua apparentia noua in contrarium, quæ ostendat priorem fallacem, vel quæ saltem non ostendatur fallax ex prima.

8 Deduco tertiò: Idem motiuum posse respectu diuersorum esse euidens, & probabile: quia in vno potest esse talis apparentia, vt ostendat fallaces omnes apparentias in contrarium; in alio autem apparentia potest non esse adeò efficax. Quartò demum syllogismum sophisticum esse apparenté, & falsum: quia videlicet eius falsitas facilè deprehendi potest; licet ab indoctis non ita facilè aduertatur.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum detur scientia actualis.

1 FVit in hac re primò Pirrhonis, & aliorum opinio, seu potiùs error docentium, nullam defactò dari scientiam actualem, sed omnia esse incerta. Secundò alij cum Platone, & Pythagora dixere: dari defactò scientiam: at non de nouo acquisitam, sed esse meram reminiscentiam, & recordationem: putabant enim animas nostras ante vnionē ad corpus creatas cū perfecta rerū omnium scientia, vnitas corpori obliuisci omnium, quæ priùs sciebant: adminiculo deindè sensuum paulatim illam recuperare.

Datur defacto scientia.

2 Dico primò: dari defactò scientiam, siue sumatur pro cognitione certa, & euidente primorum principiorum; siue pro conclusione item certa, & euidente. Probatur experientia: quia ex ipsa terminorum apprehensione euidentissimè assentimur primis illis principijs: totum est maius sua parte: quodlibet est, vel non est; non potest idem simul esse, & non esse: & ex illis euidentissimè per euidentem demonstrationem inferimus multas alias veritates: ergo defacto datur scientia actualis.

3 Huc spectat Aristoteles asserens: *Veteres potuisse quidem ore tenus dicere, quòd nil sciretur, nullo tamen modo potuerunt ita sentire. Nam inter ambulandum, si spontè non ruebant in puteum, putabant profectò non similiter esse bonum, & non bonum ruere. Sed determinatè sciebant esse bonum non ruere.* Confirmatur: innatum sciendi desiderium, quòd naturaliter nobis inest, est clarum argumentum, quòd detur scientia: non enim frustra est inditum.

Neque obstat fallacia sensuum.

4 Obijcies primò: cognitio pendens à principio fallibili, fallibilis est, & incerta: sed omnis nostra cognitio pendet à principio fallibili, nempè à sensibus, qui falluntur: ergo omnis nostra cognitio fallibilis est, & incerta. Distinguo antecedens: cognitio adæquatè pendens à principio fallibili, est fallibilis; transeat: si simul pendeat ab alio principio, quod possit corrigere fallaciam principij fallibilis: nego: iam enim ex hoc alio principio potest cognitio habere infallibilitatem, & certitudinem. Et distinguo minorem: omnis nostra cognitio pendet à principio fallibili, ita vt excludatur dependentia ab alio principio potente corrigere fallaciam prioris; nego: ita vt non excludatur, concedo minorem, & nego consequentiam. Ad rationem in contrarium dico omnem nostram cognitionem, & scientiā originari à sensibus: cæterum neque in omnibus sensus falluntur, & si quando falluntur error vnius potest tolli per alium: vel saltem intellectus vi sua naturali potest discurrendo errorem illum detegere, & inducere scientiam ex principijs euidentibus.

Neque variabilitas obiecti.

5 Obijcies secundò: de rebus variabilibus nō potest haberi cognitio certa, & inuariabilis: sed omnia sunt variabilia: ergo de nullo dari potest cognitio certa, & inuariabilis, qualis est scientifica. Nego primò minorem. Deus enim & diuina sunt inuariabilia. Secundò, res creatæ sunt variabiles quoad existentiam; non autem quoad connexionem prædicati cum subiecto: neque enim euenire potest, vt homo non sit animal rationale. Rursus falsa absolutè est maior: circa obiectum enim variabile potest dari cognitio omninò certa, & firma, vt patet in Deo, qui certissimè scit res

omnes creatas, & mutabiles. Nam quamuis res variabilis possit esse, & non esse; tamen facta suppositione, quod sit, non potest non esse: quod sufficit vt per actum omninò certum possit attingi. Quinimò de ipsa variabilitate, & rerum inconstantia possumus habere scientiã: Ex dictis facilè intelligitur illud Augustini l. 83. quæst. quæst. 9. ibi: *Non est expetenda sinceritas veritatis à sensibus corporis*, quia videlicet adhibẽdum est etiam lumen intellectus.

Scientia actualis nõ est reminiscentia.

6 Dico secundò: nostram scientiam non esse reminiscentiam. Probatur, quia error hic Platonis damnatur in Concilio Lateranensi sub Leone Decimo *sess.* 8. in quo definitur animas creari cum vnione ad corpus. Ratio est, quia anima est altera pars hominis, ex se ordinata ad faciendum vnum cum corpore: ergo non debuit creari extra corpus: aliter cum ex se ordinaretur ad talem vnionem, iã ordinaretur ad amittendam vnam ex præcipuis suis perfectionibus, qualis est scientia. Confirmatur: per reminiscentiam recordamur nos alias illud obiectum cognouisse; sed cum acquirimus sciẽtiam, non recordamur nos illud idem obiectum priùs cognouisse; ergo nostra scientia non est reminiscentia.

7 Quando igitur puer gradatim interrogatus benè respondet; id non accidit, quia recordatur oblitorum, sed quia ex alijs ad alias cognitiones affines gradatim ascendit propter affinitatem obiectorum: & ideò si non gradatim interrogetur, sed ab vno obiecto fiat transitus ad aliud disparatum; nullo modo sciet respondere. Non est ergo necesse, si interrogati de obiectis benè respondeamus, vt semper illa præcognouerimus.

Quomodo dependenter a magistro acquirantur scientiæ.

8 Illud hic noto, vt plurimum scientias acquiri medio præceptore, qui loquens producit species loquutionis in discipulis; at hæ species repræsentant non solum ipsam loquutionem, sed etiam rem expressam per illam: res verò expressæ pro varia sui apparentia causant assensus modo probabiles, modò euidentes. Magister igitur non est causa immediata scientiæ in discipulo, sed solum applicat obiectum, quod sua vi causat scientiam. Sicuti homo non causat immediatè combustionem, sed applicat ignem, qui est combustionis causa immediata.

SECTIO TERTIA.

Quomodo actus probabilis, & opinionis pendeat a voluntate?

1 EX dictis sect. prima non est necesse, vt omnis actus opinatiuus actu pendeat ab imperio voluntatis, nisi appareat aliqua ratio in contrarium. Solùm igitur difficultas est de modo, quo stante apparentia in contrarium non omninò fallaci, intellectus à voluntate determinetur ad amplexum potiús vnius partis, quàm alterius. Supponendum est, apparentias pro partibus oppositis posse esse æquales, vel inæquales: quæri igitur potest primò verũ stantibus apparẽtijs æqualibus possit intellectus dependẽter à voluntate potiùs sequi vnã, quàm aliam partem? Secundò: verum stantibus apparentijs inæqualibus; possit intellectus sequi partem, quæ minùs apparet probabilis? Tertiò demum: verum ad hoc vt determinetur intellectus, requiratur positiuum imperium voluntatis: an sufficiat, quòd voluntas purè negatiuè se habeat, quia potens impedire assensum non impedit.

Potest intellectus dependẽter à voluntate ex æqualibus apparentijs sequi potius vnã quã aliud.

2 Dico primò; potest intellectus dependenter à voluntate ex duobus apparẽtijs æqualibus, & opinionibus æquè probabilibus determinari ad sequendam potiùs vnam, quàm aliam. Probatur: potest intellectus ex opinionibus, quarum vna est alia probabilior, determinari à voluntate ad amplectendam minùs probabilem: ergo multò magis ad amplectendam alteram ex æquè probabilibus. Consequentiam nemo negauerit. Antecedens probatur. Si intellectus non possit sequi opinionem minùs probabilem, illa non esset opinio probabilis: sed hoc est falsum: ergo potest intellectus ex determinatione voluntatis sequi opinionem minùs probabilem: sequela probatur: non est probabilis veritas, & opinio, cui intellectus non potest præbere assensum probabilem, sicuti nõ est euidens veritas, cui intellectus non potest præbere assensum euidentem.

3 Dices: stante apparentia maiori pro altera parte, apparentiam minorem non reddere alteram partem probabilem. Sed contra: quia sic non sumus in casu de duplici opinione opposita, quarum altera alteram probabilitate excedit; sed negas absolutè casum, quod est contra communem sensum, & fortassè etiam experientiam: nos enim sæpè propositis motiuis pro vtralibet ex partibus oppositis decidimus vtrãlibet partem esse probabilem, sed vnam magis probabilem altera.

Non est cõtra naturã intellectus amplecti opinionem minus probabilem

4 Obijcies cum Palauicino: intellectus est essentialiter determinatus ad verum: ergo non est eius bonum posse à voluntate ad id, quod apparet minùs verum contra suam inclinationẽ moueri. Confirmatur: numquam quis in se experitur hunc actum: ego credo hoc, sed video oppositum esse veriùs. Confirmatur: non potest quis potiùs imperare sibi iudicium de paritate, quàm de imparitate siderum: quia non habet maiorem rationem pro vna, quam pro alia parte: res autem æquè probabilis pro vtralibet parte contradictionis est hoc modo dubia, & quo ad iudicandum æquiualet dubio negatiuo. Confirmatur tertiò: eidem intellectui non potest apparere probabilis vtraque pars contradictionis: probabile enim est, quod plerumque contingit: mutuus autem excessus duorum contradictoriorum in frequenti contingentia repugnat.

5 Nego consequentiam: quia quamuis intellectus determinatus sit ad amplexum veri,

vbi

vbi apparet determinatè veritas sine ullo rationabili dubio in contrarium; si tamen apparet rationabile dubium in contrarium; licet hęc apparentia non adęquet oppositam, non potest intellectus esse determinatus ad amplexum alterius: sic enim esset determinatus ad amplexum eius, quòd ita apparet verum, vt appareat rationabiliter, licet non æquè falsum: quòd videtur absurdum contra inclinationem innatam intellectus ad prosecutionem veri, & fugam falsi. Quare non est contra inclinationem intellectus, tunc determinari à voluntate potiùs ad amplexum vnius, quàm alterius: quia vbi bonũ alicuius potentiæ proponitur admixtum aliquo malo, si illa potentia aliundè subijcitur imperio voluntatis, pro suo libito potest voluntas talem potentiam determinare ad alterutram partem: ne dicamus potentiam non liberam ex natura sua determinari ad amplexum alicuius sui mali, licet minoris. Ad primam confirmationem; nego neminem experiri in se hunc actum: credo hoc, quamuis oppositum appareat magis verum, quòd etiam prudenter fieri potest, si talis actus conducat ad aliquem finem bonum. Ad secundam confirmationem; dico disparitatem esse, quia de paritate, vel imparitate siderum nulla habetur ratio positiua mouens ad amplexum alterutrius partis: quare mirum non est, si nequeat intellectus alterutram partẽ sequi, quod non militat quando vtraque pars apparet æquè probabilis, vel etiam in altera eluceat maior probabilitas. Ad tertiam confirmationem respondeo dictum illud: probabile est, quód plerumque accidit; solùm significare, quód probabilius sit, non autem, quòd oppositum non sit probabile, aliter probabilitas vnius extremi excluderet probabilitatem alterius, quod repugnat: sic enim illud extremum non esset probabile, sed purè certum, saltem quoad præsentem apparentiam. Et quamuis quo ad iudicium, probabilior pars debeat prudenter pręferri parti minùs probabili; in praxi tamen quoad operandum sufficit sequi opinionem probabilem.

6 Dices: voluntas non potest imperare potentijs minùs illarum bonum; aliter non esset instituta in bonum potentiarum, quas dirigit: ergo non potest imperare intellectui assensum minùs probabilem omisso probabiliori. Consequentia probatur. Assensus enim minùs probabilis, & minùs verus, est minùs bonus intellectui. Nego antecedens; si enim potest voluntas aliqua specie delusa imperare potentię motiuę precipitium; non est cur non possit intellectui imperare in bonum finem assensum minùs probabilem. Est autẽ voluntas instituta in bonum potentiarum, non quia semper debeat procurare effectiuè illarum bonum, sed quia, nisi aliud obstet, prudenter operando, debet procurare illarum bonum imperando (semper tamen cum respectu ad bonum totius) illarum operationes proficuas, & impediendo noxias. Confirmatur: quia sicuti potest voluntas eligere minùs bonum relicto maiori; ita poterit imperare intellectui actum minùs verum omisso probabiliori.

7 Dices iterum contra rationes supra allatas: minùs probabilem esse opinionem, quia, quamuis intellectus non possit assentiri illi stante apparentia magis probabili in contrarium; tamen seiuncta illa apparẽtia potest intellectus absolutè complecti motiuum, quod nunc apparet minùs probabile. Sed contra: quia hoc non facit probabilitatem, nisi merè apparentem, & fucatam, non nixam meritis obiecti, sed in carentia maioris apparentię in contrariũ. Quare illa opinio tunc absolutè non esset probabilis, neque posset quis se illi in praxi conformare, sed tantùm esset conditionatè probabilis, casu quo deficeret illa maior apparentia in contrarium.

8 Notandam tamen hic iudico, doctrinam, quam tradunt Pallauicinus, & Giattinus, qui negantes intellectum posse assentiri parti minùs probabili ob defectum motiui sufficientis, docent tamen in praxi, posse hominem prudenter se conformare opinioni minùs probabili: ad hoc enim sufficit me scire, quod plures Sapientes ita doceant, quos suppono benè rationes expendisse; sed difficilè mihi videtur, quòd, quia tutò possit omittere sacrum, si nullo modo valeat iudicare sacri omissionem non esse sibi illicitam.

9 Dices tertiò: non possum ex eodem motiuo idem simul affirmare, & negare; si enim duo fide digni asserant sidera esse paria; & ego præbeam illis assensum, non possem decem pari dignitate præditis negare fidem, si idem mihi asseuerent: quia quidquid me mouet ad assensum in primo casu, mouet etiam in secundo, & aliquid aliud. Sed in motiuo probabiliori est, quidquid connexionis cum veritate reperitur in motiuo minus probabili: ergo non possum assentiri motiuo minùs probabili, quin assentiam magis probabili. Data maiori; nego minorem: nam cum motiuum minùs probabile in casu nostro ostendat diuersam veritatem, ac magis probabile, non quidquid connexionis cum veritate est in motiuo minùs probabili, reperitur etiam in magis probabili. Solùm igitur verum est, quod in motiuo magis probabili apparet clariùs veritas: sicuti bonum finitum maiùs non continet, quidquid bonitatis est in bono finito minori.

10 Dico secundò: vt intellectus eligat alteram ex partibus probabilibus simul propositis, requiritur positiuum imperium voluntatis. Probatur: quia intellectus in ea suppositione non potest se determinare potius ad vnam, quã ad alteram partem: neque motiua ipsa ex se habent hanc vim determinandi: aliter assensus semper esset necessarius: ergo semper requiritur imperium voluntatis: si enim voluntas nihil determinet, non erit cur potiùs exeat vnus, quàm alius actus, & cur potiùs dicatur permittere vnum, quàm alium: permittere enim supponit

ponit in alia potentia virtutem se determinandi, & solùm dicit non impedire illam, cum possit impedire, quòd non habet locum in casu nostro.

SECTIO QVARTA.

Quanta sit oppositio inter opinionem, & scientiam actualem?

1 CErtum est, non repugnare, in eodem intellectu simul esse duos actus alterum opinatiuum circa vnũ obiectum, alterum euidentem circa aliud: quod patet cum ex altera præmissa euidente, altera probabili deducimus conclusionem. Quæstio igitur præsens est vtrum possint esse simul in eodem intellectu duo actus versantes circa idem obiectum, quorum actuum alter sit opinatiuus, alter scientificus.

Sciẽtia nõ potest componi cum formidine actuali.

2 Dico primo: non possunt simul componi duo actus versãtes circa idem obiectum materiale, vel formale, quorum alter si euidens, alter autem opinatiuus cum formidine actuali. Probatur communis conclusio: quia, vt vidimus, nõ possunt stare simul duo actus alter affirmans, alter negans eamdem rem: sed id eueniret si simul essent duo iudicia aliud euidens, aliud opinatiuum cũ formidine actuali circa idem obiectum: ergo non possunt circa idem obiectum siue materiale sit, siue formale, haberi duo actus, quorum alter sit iudicium euidens, alter opinatiuum cum formidine actuali. Minor probatur: nam iudicium euidens affirmat rem ita certò esse, nec aliter vllo modo se habere: iudicium autem opinatiuum cum formidine actuali, rem ita esse, sed fortè aliter se habere: ergo vnum iudicium negat rem fortè aliter se habere, alterum verò affirmat hoc ipsum; dum dicit, Fortè aliter se res habet: ergo vnum illorum iudiciorum negat, quod alterum affirmat.

3 Dices: hanc repugnantiam non habere locum, quando duo illi actus versantur circa idem obiectum materiale, sed ex diuerso motiuo: tunc enim non idem, quòd negat vnum iudicium, affirmat aliud: nam iudicium scientificum negat rem fortè aliter se habere ex vi motiui scientifici: actus autem actualiter formidolosus affirmat rem fortè aliter se habere ex vi motiui probabilis: hæc autem non est contradictio: sicuti non est contradictio affirmare, quod Petrus sit albus per albedinem, & non sit albus per quantitatem.

4 Sed contra: quia actus scientificus ex suo euidenti modo tendendi, negat rem fortè aliter se habere ex quocũque alio motiuo: aliter nõ plenè assequeretur veritatem, nec in ea quiesceret intellectus: ergo iam contradicit iudicio opinatiuo asserenti forte, aliter se rem habere. Confirmatur: rem forte aliter se habere, & nõ forte aliter se habere sunt contradictoria: quæ non mitigantur per hoc, quod primum verificatur ex vno motiuo, secundũ ex alio: sicuti sunt contradictoria aërem esse lucidum, & aërẽ non esse lucidum, quę non mitigantur per hoc, quòd proueniant à diuersa causa. Hinc patet ad rationem in contrarium: nam Petrum esse albũ ab albedine, & non à quantitate, non excludit albedinem à Petro, sed virtutem albificandi à quantitate.

5 Dices iterum: potest aliquis Angelus imperare sibi motum voluntate efficaci; & Deus impedire in eodem instanti talem motum: tum sic: pro eodem instanti Angelus affirmat se habere potentiam expeditam ad motum, aliter imprudenter sibi imperaret efficaciter motum; & quia videt motum non sequi in posteriori signo, affirmat pro eodem instanti in se certissimè non esse potentiam expeditam ad motum: ergo non repugnant saltem pro diuersis signis duo actus quorum alter affirmet illud idem, quod negat alter.

6 Distinguo primam partem antecedentis: Angelus iudicat in priori signo, se habere potentiam expeditam; iudicat, inquam, absolutè; nego: modaliter, & veluti præcisiuè; concedo: quia in primo signo Angelus nõ potest absolutè verè iudicare quod habeat potentiã expeditã, & nullo modo impeditam ad operandum: neque enim ad hoc iudicandum habet motiuum; sed solùm per quemdam actum reflexum potest euidenter iudicare, se ex vi illorum, quę sunt in priori signo ad actum, non videre in se potentiam impeditam ad operandum: hoc autem sufficit vt prudenter possit imperare sibi motum. In posteriori signo absolutè affirmat esse in se impedimentum, ne moueatur, sed extrinsecum ex decreto Dei nolentis concurrere. Hi autem actus, quorum alter dicat; absolutè est impedimentum in me; alter, non est impedimentum in me, consideratis tantum causis naturalibus, non sunt contradictorij. In hoc igitur sensu de formidine actuali accipiendus est Aristoteles, quando docuit, non posse simul esse opinionem, & scientiam.

Possunt in intellectui simul proponi duo motiua alterũ euidens alterum probabile.

7 Dico secundò: posse intellectui nostro simul occurrere duo motiua, quorum alterum euidenter ex sua apparentia persuadeat conclusionem, quia videlicet ex suâ apparentia necessitat tum ad assensum sui, tum ad assensum conclusionis excludendo independenter ab imperio voluntatis omnem formidinem, & rationem in contrarium: alterum ex sua apparentia probabilior suadeat conclusionem; quia ex sua apparentia non omninò necessitat ad assensum, sed potest componi cum formidine, & ratione in contrarium circa conclusionem, vel etiam circa se-ipsum: ratio est: quia vt constat experientia, cuicumque potentiæ cognoscitiuæ, & à fortiori intellectui, possunt simul proponi plura obiecta alia alijs nobiliora: ergo possunt intellectui simul proponi duo motiua, alterum modo dicto euidens, alterum probabile.

Id autem multipliciter potest excogita-

8 Sed notandum est: quòd stante motiuo illo euidente multipliciter excogitari potest, quòd simul proponatur motiuum probabile, & primò, ita vt motiuum probabile ex sua appa-

ren-

rentia actu afferat formidinem, & rationem, nó solùm contra suam veritatem, sed etiam contra veritatem conclusionis, & hæc compositio est falsa: quia motiuum euidens ax sua apparentia necessario excludit omnem formidinem, & rationem contra veritatem conclusionis. Secundò proponi simul potest motiuum probabile, ita ut actu nullam dicat formidinem, & rationem contra veritatem sui, & conclusionis; quę compositio non dicat vllam repugnantiam. Tertiò proponi potest motiuum probabile, ita vt non actu afferat formidinem, aut rationem in contrarium contra veritatem conclusionis, licet possit cum ea formidine, & ratione componi, & actu componatur cum formidine, & ratione contra veritatem sui. Et neque hoc motiuum probabile repugnat cum motiuo euidenti: quod tantùm excludit formidinem circa veritatem sui, & conclusionis; non autem circa veritatem alterius motiui, cuius veritatem nullo modo proponit motiuum euidens: neque cum illa necessarió connectitur his notatis.

Si motiuũ probabile nullam dicat formidinem actualem necessario sequitur una conclusio quæ necessario pendeat ab vtroque.

9 Dico tertiò: si motiuum euidens simul proponatur cum probabili, quòd nullam dicat actualem formidinem, necessarió sequitur vnus actus conclusionis indiuisibiliter dependens ab vtroque motiuo. Probatur: stante eo duplici motiuo, necessariò sequitur ab vtroque actus conclusionis: sed non sequitur duplex, ergo vnicus indiuisibiliter dependens ab vtroque motiuo. Consequentia patet: Probo igitur maiorem: nam quodlibet ex illis motiuis proponit veritatem conclusionis sine vlla specie falsitatis: intellectus autem non potest non amplecti veritatem propositam sine vlla specie falsitatis: factus enim est ad amplectendam veritatem, ad quam necessitatur, vtpotè ad bonum proprium, à quo nunc non repellitur à malo falsitatis oppositæ: ergo intellectus à quolibet ex illis motiuis necessitatur ad actum conclusionis: ergo stante illo duplici motiuo necessariò ex vtroque sequitur actus conclusionis.

10 Quod autem ille actus conclusionis sit vnus, non duplex; quæ est minor principalis argumenti; confirmatur: plura motiua simul proponentia eamdem veritatem obiectiuam conclusionis, non mouent, neque necessitant ad plures actus conclusionis, sed ad vnum: sed illa duo motiua, de quibus loquimur, simul proponunt, sine vlla specie falsitatis, eamdẽ veritatẽ obiectiuam conclusionis; ergo non mouent neque necessitant ad duos, sed ad vnum actum conclusionis. Maior in qua sita est difficultas, probatur: quia illa plura principia expedita, & necessitantia ad assensum conclusionis, simul existunt in eodem intellectu, & suadent eamdem veritatem obiectiuam: ergo verè sunt vnum principium vnius actus: vt enim plura principia obiectiua constituant vnum principium obiectiuum eiusdem actus, sufficere videntur supradicta. Sicuti duo ignes simul applicati eidem subiecto, sunt vnum principiũ effectiuum vnius formæ ignis: Et si subiectum est naturaliter incapax duplicis formæ ignis simul; non est cur in intellectu admittas capacitatem ad simul habendas duas conclusiones circa eamdem veritatem; & cur in duplici illo motiuo admittatur in illis circumstantijs vis producendi duos actus? Et quis dicat, quòd propositis pluribus reuelationibus eiusdem mysterij eliciantur plures actus fidei.

11 Confirmatur, & explicatur: motiua illa concurrunt vt simul existentia: & intellectus ipse experitur se à motiuis vt simul existentibus, moueri, & necessitari ad assensum conclusionis: motiua autem, quæ mouent vt simul existentia, non mouent nisi ad vnum actum: simultas enim illa, & est conceptus indiuisibilis sufficiens determinare ad vnum effectum; & facit, vt ex illis duobus motiuis conflectur vnum motiuum perfectius exigens, & determinans ad vnum actum conclusionis perfectiorem, sicuti plures testes contextes faciunt vnum perfectiùs testimonium sufficiens ad iudicium perfectiùs, & verum circa rem testificatam. Et quidem vel numquam plura motiua possunt vniri ad constituendum vnum, vel id concedi debet his motiuis in casu nostro; in quo ad sunt omnes fere causæ vnificandi illud motiuum, tum ex parte temporis, tum ex parte subiecti, tum ex parte vnicę veritatis obiectiuæ, ad quam persuadendam ordinantur.

Duo illa motiua cõstituunt vnum motiuum perfectius.

12 His adde: si plura media alias alijs efficaciora respicientia eumdem finem, simul ponantur, conflare omnia vnũ medium perfectiùs, & trahere non plures fines, sed vnum perfectiorem, si finis ille sit ex genere suo capax intensionis, & remissionis: sed duo illa motiua in casu nostro sunt veluti media vnum alio efficacius, & respiciunt eumdem finem nempé suadere eamdem veritatem obiectiuam: ergo dicendum est, quod constituant vnum medium efficacius, ac perfectiùs, & trahant vnicam suasionẽ perfectiorem eiusdem veritatis: & id quidem magis conducit tum ad finem intellectus, tum ipsorum motiuorum: finis enim intellectus est perfici veritate; magis autem perficitur intellectus vnica veritate vnius actus conclusionis longè perfectioris; quàm duplici veritate qualibet tepida, & remissa. Et quis vnquã expertus est se in huiusmodi casibus bis affirmare duplicẽ cõclusionem? Quin imo stante pluralitate motiuorum experimur nos firmiùs, & clariùs herere conclusioni: ergo signum est, quòd vnicus sit actus nobilior, clarior, firmior: multitudo enim actuum dissipat quidem animum, sed non reddit firmiorem. Hæ rationes probant etiam illam veritatem conducere ad finem motiuorũ; finis enim motiuorum est, perficere intellectum.

13 Confirmatur præterea: quia vel intellectus vnico actu amplectitur in eo casu duplex illud motiuum, vel duplici actu? Si primùm; iam est vnicum motiuum, vtpotè propositum indiuisibiliter vnico actu; si secundum; certé dum intellectus amplectitur vnum motiuum,

iam

iam aduertit adesse aliud motiuum, suadens eamdem veritatem, & nihil proponens contrarium priori motiuo: aliter apertis oculis nõ curaret periculum amplectendi duo motiua inter se contraria, & consequenter non curaret amplecti falsum; ergo quilibet actus amplectitur vtrumque motiuum: ergo quilibet actus sequẽs est ex vtroque motiuo, quia sequens ad motiuũ euidens, & ad eius assensum; necessariò supponit motiuum probabile, quòd necessariò attingitur per assensum in motiuum euidens; ergo supponit motiuum probabile; eadem est ratio de sequente ad motiuum probabile: ergo dicẽdum est vnicum esse actum conclusionis tendens in vtrumque motiuum: ne dicamus esse duos, quorum quilibet tendat in vtrumque motiuum. Vbi aduerto vtrumque actum primum tendere, veluti in recto, & directè in vtrumque motiuũ: nam tendens in motiuum euidens affirmat adesse hoc motiuum, & simul adesse aliud illi non contradicens, sed suadens eamdem veritatem. Hoc confirmatur non leuiter; quia vt diximus omnes illi actus sunt independentes à libertate; ex hoc enim capite clauditur aduersario locus asserendi, quòd duo illa motiua modò faciunt vnum, modò duo, pro vt applicantur à voluntate ad causandum vnum, vel duos actus. Quam fugam non habere locum etiam vbi actus dependent à voluntatis imperio, fusius fortasse infra probabo.

14 Dices primò: illa sunt duo motiua adæquata: ergo debent causare duos actus. Nego antecedens: nam quamuis si seorsum vnum proponatur sine alio, possit adæquatè independenter ab alio causare actum sibi correspondentẽ, vel opinionis, vel scientiæ; si tamen simul proponantur constituunt vnum motiuum, & causant vnum actum, vt patet ex dictis. Quare secundũ se sunt duo motiua adequata tantum remotè, & quodlibet constituitur proximè adequatum per carentiam alterius.

15 Instabis per coniunctionem cum motiuo probabili euidens nõ ammitit suam vim, & efficaciam: ergo adhuc est motiuum adequatũ. Nego consequentiam: quia per coniunctionem cum motiuo probabili illa efficacia perficitur in ordine ad actum conclusionis longè perfectiorem. Cæterum non debet reputari absurdum, quòd principium alias adæquatum, per coniũctionem ad aliud fiat inadæquatum sic, ignis A, qui est principium adequatum ignis, si coniungatur cum alio igne, non nisi inadæquatè causat ignem.

16 Dices secundò; vnicus ille actus conclusionis, est ne scientiæ vel opinionis? Respõdeo absolutè esse scientiæ, & nullo modo opinionis: scientiæ: quia necessariò sequitur ex apparentia sui motiui; & adest causa adæquata scientiæ videlicet motiuum illud euidens, quòd ex coniunctione cum probabili non impeditur, quò minus necessitet ad illam conclusionem, & excludat ab eo actu omnem formidinem in cõtrarium. Non opinionis; quia actus ille ex vi motiui scientifici habet non posse coniungi cum vlla formidine: opinio autem est formaliter formidolosa, vel radicaliter: quia potest coniungi cum aliqua formidine: quarè motiuum illud probabile coniunctum cum euidenti, non est sufficiens ad opinionem: impeditur enim ne transfundat in conclusionem aliquam formidinẽ, vel actualem, vel radicalem.

17 Instabis: ex ordine ad motiuum probabile ille actus non habet excludere formidinẽ: ergo est opinatiuus. Nego consequentiam: quia ad opinionem non satis est, si ex aliquo capite non excludat formidinem, sed requiritur, vt possit actus coniungi cum formidine; aliter dicam omnem actum scientiæ humanæ esse etiam opinionis: quia ex aliquo capite non excludit formidinem: neque enim excludit formidinem ex eo quod procedit ab intellectu humano. Actus igitur, qui ex eo, quod procedit ab aliquo principio, non excludit formidinem, præscindit ab opinione. Et si quidem ex aliquo motiuo excludat formidinem propter euidentiam illius motiui, est scientia; secus est opinio.

18 Instabis iterum: ex altera præmissa euidente, altera probabili, sequitur conclusio opinatiua: ergo si adsint duo motiua, alterum euidens, alterũ probabile actus sequens erit opinionis. Nego consequentiam: ratio diuersitatis est, quia si altera præmissa sit euidens, altera probabilis; sola præmissa euidens non necessitat ad actum sequentis conclusionis, sicuti non continet adæquatum medium: accedens autem altera præmissa probabilis; quamuis simul cum euidenti necessitet ad assensum conclusionis: non tamen ipsa est necessaria, & euidens, cui necessariò assentitur intellectus: quare conclusio non est absolutè euidens; hoc est necessariò sequens ex principijs necessarijs, vt requiritur ad scientiam. At motiuum euidens, de quo loquimur, & est necessarium, necessariò trahens actum sequentem conclusionis, ac determinans alia principia non ita determinata ad illam conclusionem, siue demum illa principia sint intellectus, siue aliud motiuum. Sicuti prædeterminatio physica, & ipsa est determinata ad causandum actum, & determinat, ac necessitas alias concausas indifferentes ad causandum eumdem actum.

19 Hinc patet: motiuum illud probabile in re nostra augere potiùs euidentiam: veritas enim cõclusionis clariùs elucet in vtroque motiuo, quàm in altero tantùm. Præterea contra allatam doctrinam nullam vim habent argumẽta, quæ fieri solent contra actus quosdã mixtos scientiæ, & opinionis: quia videlicet essent in duplici specie, & haberent duas vltimas differentias; & idem actus esset certus, & incertus, euidens, & ineuidens; nullam vim habent, inquàm, quia ego non admitto illos actus mixtos: neque fortasse vrgent dictos actus mixtos. Sed nolo in hoc immorari, solùm addo: aliud esse, quòd actus scientiæ non habeat euidentiã, & certitudinem, ex motiuo probabili, & ex

pote-

potentia intellectiua; aliud, quòd ex illis capitibus habeat incertitudinem positiuam, & ineuidentiam: & secundum quidem est omnino falsum; primum verum, & sine preiudicio doctrinę conceditur.

20 Dices tertiò: actus tendens in motiuum probabile, est opinionis: sed actus, de quo loquimur, tendit in motiuum probabile: ergo est opinionis. Distinguo maiorem: tendens in motiuum probabile, si non simul tendat in motiuū euidens; concedo: si tendat simul in motiuum euidens; nego maiorem: & eadem distinctione applicata ad minorem, nego consequentiam.

21 Dices quartò: proposito duplici motiuo adæquato ad volendum aliquid, v. g. deambulationem, tum ob sanitatem, tum animi gratia, potest voluntas eligere deambulationem tum ex alterutro motiuo, tum ex vtroque, per vnum, vel duos actus: ergo proposito duplici motiuo altero euidente, altero probabili potest intellectus elicere vnam cōclusionem ex vtroque; vel duas, aliam probabilem ex motiuo probabili, aliam euidentem ex motiuo euidente. Antecedens quo ad secundam partem, quòd possit tunc voluntas per duos actus eligere deambulationem per alterum ex vno motiuo, per alterum ex altero, est mihi falsum, & ex dictis facilè probatur illa duo motiua, si simul adhibeantur liberè à voluntate, concurrere, vt vnū motiuum, ad vnum actum perfectiorem: quia dum vult simul moueri à duplici illo motiuo, iam vult moueri à simultate illorum, per quam simultatem satia constituuntur vnum motiuum, principium vnius actus.

22 Sed permisso antecedente: nego consequentiam: quia contrarium consequentis satis supra probauimus. Contrarium autem antecedentis non probatur: aliter falso assumitur ab aduersario, quę est disparitas satis ad solutionem argumenti sufficiens. His adde, voluntatem non cogi ad sequendum illud duplex motiuum; sed posse vel vtrumque sequi, vel vtrumque reijcere, vel alterum reijcere, alterum amplecti: ergo non est necessitas, vt vtrumque illud motiuum propositum cōeat in vnum motiuum; sicuti est necessitas in casu nostro.

23 Dices quintò: idem motiuum potest cōcurrere ad actum modo, vt causa adæquata, & motiuum vnicum, modo vt causa inadæquata; ergo illa duo motiua possunt modò concurrere ad duos actus, vt duo motiua adæquata; modò ad vnum, vt duo motiua inadæquata. Respondeo etiam in casu nostro posse duo illa motiua concurrere, vt duas causas adæquatas, si seorsim concurrant: at si simul concurrant; necessariò conficere vnum motiuum perfectiùs adæquatum; satis iam probatum est. Et si quidem attendantur, quæ supradiximus, solui possunt omnes paritates, & exempla, quibus abūdant aduersarij, præsertim Ripelda.

24 Dico quartò: si motiuum probabile ita simul cum euidente proponantur, vt; quia non apparet purè verum, sed habere potiùs videatur admixtum aliquid falsitatis; propterea non necessitat intellectū ad assensum sui; non potest motiuum euidens necessitare ad assensum conclusionis in priori ad imperium voluntatis, quo determinatur intellectus ad amplectendum motiuum probabile, vel ad illud reijciendum. Probatur: quia stante illa apparentia motiui probabilis, non est motiuum euidens causa motiua adæquata in ordine ad assensum conclusionis: quia non est adæquatum motiuum, quoad assensum conclusionis, qui respicit vtrumque motiuum: vt patet: quia non dum intelligitur motiuum probabile intentionaliter existere cū aptitudine ad mouendum: non enim aptum est mouere intellectum motiuum, quód intellectus non dum amplexus est: at si motiuum non mouet, non potest respici à conclusione.

Si motiuū probabile simul propositum nō apparet pure verū opus est imperio voluntatis.

25 Sed neque est motiuum adæquatum quoad assensum conclusionis, qui purè respiciat ipsum motiuum euidens: quia in eo priori non intelligitur potens se solo mouere: enim verò in eo priori elucet motiuum probabile, quod si approbetur, debet simul pro eodem instanti cōcurrere cum motiuo euidente ad vnum actum conclusionis respicientis vtrumque motiuum: ergo expectandum est imperium voluntatis, & approbatio, vel reprobatio motiui probabilis. Et si quidem approbetur tunc ob rationes iam supra positas, constituetur ex duobus vnum motiuum adęquatum mouens ad actum conclusionis perfectiorem: sicuti, si ab initio intellectus ante imperium voluntatis amplectatur vtrumque motiuum, ex vtroque necessariò mouetur ad vnum assensum conclusionis. Quod indè etiā confirmatur: quia motiuum probabile, quamuis possit repudiari, si tamen per præmissas in recta forma disponatur, & intellectus illud amplectatur; necessitat ad assensum conclusionis.

26 Quòd si intellectus repudiet motiuum illud probabile; perindè est, ac si non adesset in ordine ad mouendum: ergo motiuum euidens se solo tunc concurret ad actum conclusionis, euidentem quidem, sed imperfectiorem: sicuti si duo ignes, A, & B, simul applicentur eidem ligno, & ignis, A, non sit potens concurrere ad conbustionem, vtique comburet solus ignis B.

27 Dices primò: motiuum euidens in eo priori habet vim adęquatam concurrendi ad actum, qui purè respiciat ipsum, sicuti per nos se solo concurret ad illum actum si in posteriori motiuum probabile reprobetur ab intellectu. Nego absolutè antecedens: quia quamuis non deficiant vires ad illum actum, deficit tamen determinatio: nā in eo priori est veluti indifferens ad actum vel imperfectum, qui respiciat ipsum solùm, vel perfectum, qui respiciat vtrumque: ideoque est absolutè impotens vtrumlibet actū causare.

28 Dices secundò: motiuum euidens necessitat ad assensum conclusionis, & est causa necessaria illius. Causa autem necessaria operatur independenter ab imperio volūtatis. Distinguo maiorem: necessitat, si se solo moueat, vel adsit

motiuum probabile iam approbatum ab intellectu; concedo: necessitat, si proponatur motiuum probabile non dum approbatũ ab intellectu; subdistinguo; necessitat determinatè ad actũ, qui respiciat vtrumque motiuum, vel determinatè ad actum, qui respiciat solùm motiuum euidens; nego: sub disiunctione ad alterutrum; concedo. In eo priori est indifferens motiuum euidens, vt trahat determinatè alterum ex dictis actibus; sed affert necessitatem vt alterum sit: quàm necessitatem non affert probabile. In hoc igitur vltimo casu vt trahat potiùs hanc, quàm illam partem determinatam, expectandum est imperium voluntatis iam explicatum. Noto hic motiuum euidens sicuti inueniens intellectum ex se indifferentem illum trahit, & determinat ad assensum; ita si inueniret motiuũ probabile iam ab intellectu approbatum, sed indifferens ad assensum conclusionis, illud determinaret.

Repugnat actus qui sit scientiæ, & opinionis.

29 Ex dictis infero primò solutionem illius quæstionis: verum idem actus conclusionis possit esse scientiæ simul, & opinionis. Et Respondeo negatiuè quia, vt supra probauimus: actus procedens à motiuo scientifico, & probabili caret omni formidine, tum actuali, tum radicali.

Sicuti, & duo actus alter opinionis alter scientiæ.

30 Infero secundò, solutionem alterius quæstionis: verum de eodem obiecto materiali possit haberi actus scientiæ ex motiuo scientifico, & simul alter actus opinionis, ex motiuo probabili? Et respondeo item negatiuè: quia, vt vidimus, illa duo motiua in illo casu constituũt vnum motiuum, & vnum principium vnius actus.

31 Dices: possumus dicere, quòd occurrente illo duplici motiuo possit intellectus illis vti ad causandos vel duos actus, vel vnum. Sed contra: quia supra probauimus necessitatem, vt illa duo motiua faciant vnum. Secundò: si voluntas potest vti illis motiuis ad causandos duos actus: ergo verè in illis circunstantijs est in quolibet motiuo vis adequata causandi suum actũ: ergo non possunt non applicari ad causandos effectus distinctos: ergo non possunt applicari ad causandum eumdem effectum: prima consequentia probatur: vbi causæ sunt ex se adequatè potentes producere effectus distinctos, non est in facultate voluntatis illos applicare ad producendum eumdem effectum, vt patet firma inductione: nam quamuis sit in potestate hominis applicare calorem, & siccitatem ignis ad causandum; quia tamen siccitas, & calor sunt ex se duę virtutes adæquatè potentes producere suos effectus distinctos; non possunt applicari ad causandum eumdem, vel tertium mixtũ. Idem accidit in alijs causis: vbi noto duos ignes applicatos eidem subiecto esse impotentes causare duos effectus similes.

32 Ratio autem est: quia si quælibet ex illis causis est se sola independenter ab alia virtus adequata in ordine ad suum effectum, iam independenter ab alia causa, si applicetur prodibit in suum effectum. Confirmatur: quia si motiuũ euidens est causa adequata actus purè scientifici, etiam stante motiuo probabili, statim independenter ab imperio voluntatis debet tanquã causa necessaria adæquata, & applicata per sui apparentiam subiecto capaci, nempè intellectui, causare illum actum: neque, quoad hoc potest impediri á voluntate: sicuti apertus oculus, qui speciem recipit, non potest impediri à voluntate, ne videat: ergo vel motiuum probabile nihil causabit, vel necessariò causabit actũ distinctum. Igitur aduersarij primò gratis admittunt eam facultatem in voluntate. Gratis secundò similem in motiuis. Cęterum argumentum non ferit meam sententiam: quia præsente motiuo probabili non admitto in motiuo euidenti vim adæquatè causatiuam conclusionis purè scientificæ. Et quidem si benè penetrentur, quæ diximus; facilè solues exempla, quæ afferunt in contrarium aduersarij cum Ripalda: numquam enim inuenient duas causas, quæ cęteris inuariatis nunc causant duos effectus, nunc vnum, præcisè quia voluntas vult illas modò concurrere ad vnum, modò ad duos. Ratio est quia voluntatis imperium supponit causas iam in se constitutas, & consequenter, vel plures adequatas, vel vnam adæquatam ex pluribus; neque videtur esse in potestate voluntatis, vt modò sint plures causæ adæquatę, modò vna. Attamen: quia veritas meæ doctrinæ non necessariò pendet ab hac ratione Patris Suarij; non multùm in illa laboro.

Non eluet repugnantia cur id de potentia absoluta fieri nequeat.

33 Quòd si quæras: vtrum de potentia absoluta possit Deus facere, vt simul in eodem intellectu componantur circa eamdem conclusionem obiectiuam, seu obiectum materiale duo actus alter scientiæ, alter opinionis, primus procedens tantùm á motiuo euidente, secundus tantùm à probabili? Respondeo difficilè huius rei assignari posse repugnantiam. Rationes enim quę cõmuniter adducuntur contra hanc compositionem sunt leuioris momenti, & passim cum aptis responsionibus occurrunt apud Authores, & ad summum feriunt potentiam ordinariam. Solum addo, in eo casu intellectum futurum absolutè certum, & euidentem ex vi actus scientifici; non autem positiuè incertum, & ineuidentem ex vi actus opinionis, sed solùm præcisiuè: quia videlicet certitudinem, & euidentiam non hebet ab actu opinionis, quem supponimus tantum radicaliter formidolosum. Et hęc sine absurdo dicuntur sicuti sine absurdo dicitur, quòd homo sit albus ab albedine, & non à quantitate.

34 Instabis tamen primò, actus scientificus supponit rem non posse aliter se habere; opinatiuus supponit rem posse aliter se habera: ergo pugnant inter se etiam quoad potantiam absolutam. Nego antecedens: quia, & de rebus contigentibus possumus habere scientiam, ac in Deo quidem est perfectissima; & de necessarijs opinionem. Differentia inter hos actus iam supra data est: neque stante scientia actus opinionis erit superfluus cum attingat eamdẽ quidem veri-

veritatem, sed diuerso modo, & ex diuerso motiuo: neque scientia continet omnem perfectionem opinionis.

35 Instabis iterum, spes non potest coniungi cum possessione rei: ergo neque scientia cum opinione. Nego consequentiam: quia spes est affectus inquisitiuus, & sollicitus; at possessio excludit omnem sollicitudinem, & inquisitionem rei, & affert gaudium, qui sunt affectus, & effectus repugnantes: quæ ratio non militat in scientia, & opinione.

36 Quæres secundò: potest ne idem motiuum apprehendi, vel iudicari duplici actu altero euidente, altero probabili? Respondeo iuxta supradicta negatiuè: nam species illæ diuersæ, quæ seorsim sufficiunt ad duas apprehensiones alteram euidentem, alteram probabilem: si tamen simul vniantur in eodem intellectu, sicuti ordinantur ad exprimendum simul vnum obiectum, ita, & ad vnam eius expressionem: & eadem est ratio de vnico iudicio sequente ad hanc vnicam apprehensionem. Illud autem iudicium, & illa apprehensio essent absolutè euidentia, & scientifica, & nullo modo opinatiua: quia excluderent omnem formidinem etiam radicalem.

37 Quæres tertiò: verum idem actus possit proponere motiuum euidens, & probabile? Respondeo affirmatiuè: quia motiuum euidens habet cohærentiam cum probabili, aliquam conuenientiam, & aliquam dissimilitudinem: ergo potest aliquis actus attingere illam cohærentiam, &c. Sed qui attingit illam cohærentiam non potest non attingere verumque motiuum, vt patet: quin imò attingendo illam cohærentiam, & dissimilitudinem poterit fortassè actu dubitare de veritate motiui probabilis: illud enim dubium non repugnat certitudini motiui euidentis: cum obiecta sint diuersa.

38 Quæres quartò: quid dicendum de motiuo, & actu fidei comparato cum motiuo, & actu scientifico, & opinatiuo? Respondeo, hoc esse negotium theologicum, à quo nunc præscindo.

39 Quæres quintò: qui habitus concurrat ad actum illum, qui indiuisibiliter respicit motiuum euidens, & probabile? Respondeo, posse ad illum concurrere habitum scientiæ, & opinionis ad quem spectant illa motiua: sicuti enim motiua illa constituunt vnum principium dicti actus; ita possunt determinare suos habitus ad concurrendum per modum vnius principij ad illum actum. Dici etiam probabiliter potest: illum actum sua frequentia generare habitum specialem sibi correspondentem: si tamen sit aliqua specialis difficultas superanda in exercitio talis actus. Quæ facilè confirmantur ex ijs, quæ communiter dicuntur in materia de habitibus. De qua re iam incipio disputare.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De scientia habituali.

POst scientiam actualem aggredimur explicandum præcipuum eius effectum, qui est scientia habitualis: experientia enim constat ex frequentatis scientiæ actibus acquiri facilitatem quamdam ad alios similes producendos, quam facilitatem habitum scientiæ vocant Doctores; quoniam verò non solùm ex frequentatis actibus scientiæ, sed etiam ex alijs acquiritur similis facilitas, & difficultates sunt communes; ideò, ne eadem repetere inutiliter cogar, exactam de habitibus disputationem hic apponam.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit habitus.

1 REctè habitum cum Quiroa definies: qualitas permanens per se relicta ex repetitione actuum, ordinata ad minuendum conatum potentiæ in productione similium actuum: seu, quòd idem est, ad facilitandam potentiam in productione similium actuum. Explicatur: & primò quidem dicitur: qualitas, quia non videtur ad quod aliud genus spectet. Secundò: permanens, quia post frequentatos actus, & aliquam ab illis cessationem, si iterum similes actus ponamus, experimur in eodem exercitio facilitatem; profectam sanè ab habitu prius acquisito, qui adhuc perseuerat.

2 Dicitur tertiò: per se relicta ex repetitione actuum: ex nullo enim alio capite cognoscimus essentiam, & existentiam huius qualitatis, nisi quia experimur ex frequentatis actibus in nobis illam facilitatem: ergo signum euidens est, hoc prædicatum, quod sit per se relictus ex repetitione actuum antecedentium, esse de essentia habitus. Quartò demum dicitur: ordinata ad minuendum conatum potentiæ in productione similium: quod prædicatum inesse habitui eadem experientia magistra docemur.

3 Probatur allata definitio: tum quia tradita est per genus, & differentiam; primæ enim duæ particulæ sunt prædicata generica: esse enim qualitatem permanentem, conuenit pluribus alijs rebus. Reliquæ verò sunt differentiæ: distinguunt enim habitum ab omni alia qualitate. Tum quia traditur veluti à priori per quatuor causarum genera: nam primò explicatur eius forma, quòd videlicet sit qualitas permanens, &c. Secundò, subiectum, nempe potentia intentionalis, vt infra probabo. Quartò, causa efficiens, nempe actus frequentati. Quintò demum finalis: minuere videlicet conatum potentiæ. Confirmatur, quia conuenit omni, & soli habitui: ergo, &c.

4 Dices primò: cur non apposuimus in definitione, quod sit qualitas non solùm facili-

tans, sed etiam inclinans potentiam? Respondeo, quia facilitas illa est quædam inclinatio, & omnis alia Inclinatio, quæ non includitur in illa facilitate, non est necessaria ad conceptum habitus. Et primò, quòd illa facilitas sit aliqua inclinatio; probatur, quia non solùm sita est in eo, quod actus de facto producatur cum minori conatu; hoc enim potest oriri ex alijs capitibus; sed etiam in eo quod potentia antecedenter ad actum sit permanenter benè disposita ad illum: hæc autem permanens dispositio est quædam inclinatio, & exigentia: ratione cuius sit aliquo modo potentia magis connexa cum hoc actu, quàm cum opposito. Secundò, quòd nulla alia inclinatio sit necessaria ad habitum; probatur, quia inclinatio, quam admittunt alij, qua per modum suasionis inclinetur potentia; primò non conuenit habitui, sed actui intellectus, cuius proprium est rationes proponere, & suadere. Secundò, huiusmodi suasiones non habent locum, vt fatentur aduersarij, nisi in ordine ad inclinandam voluntatem: ergo solùm explicatur inclinatio habitus voluntatis, & non aliorū; cum tamen nō sit certum non dari alios habitus, & opposita sententia sit communior, & fortassè verior.

Quid sit habitum facilitare potētiam.

5 Dices secundò: non potest explicari, quid sit, habitum minuere conatum, & facilitare potentiam ad actum: ergo adhuc remanet inexplicata essentia habitus. Respondeo, quid sit actum exerceri cum minori conatu, esse satis notum ipsa experientia, qua post longum vsum actuum similium aduertimus nos exercere actus sequentes cum minori labore, ac difficultate, & cum quadam delectatione.

6 Vt autem res clariùs percipiatur, sciendum est: operari cum conatu esse propriū agentium cognoscitiuorum: nemo enim dicet conari ignem; cùm ad producendam formam ignis in alio subiecto priùs exiccat illud, & calefacit. Idem euenit in agentibus viuentibus; sed non cognoscitiuis. Agentia igitur cognoscitiua conantur; quia ex vna parte habent posse agere cum maiori, vel minori applicatione virium internarum, & cum maiori, vel minori consideratione effectus, in quem tendunt, & mediorum vtilium. Ex alia verò apprehendunt difficultatem in opere faciendo ortam vel ex magnitudine ipsa operis, vel ex motiuis retrahentibus, vel ex ipsamet potentia operatiua, quæ flexibilis est in oppositum. Conari igitur est agens cognoscitiuum agere cum maiori applicatione virium, & cum maiori consideratione necessaria ad superandam difficultatem ortam ex aliquo dictorum capitum inclinantium ad operationem oppositam. Et quidem in animalibus illa virium applicatio dicit applicatione plurium spirituum, qui ad superandam difficultatem aduocantur liberè, vel necessariò ad partem, in qua exercenda est operatio. Et hinc oritur, vt dum quis intensè studet, frigescant illius extremitates, & accendatur caput: quia spiritus concurrunt ad caput, & relinquunt alia membra. Ob eundem spirituum concursum nonnunquam frangitur vena, vel arteria, quia vas illud non est capax spirituum in tanta copia; & quia spiritus huiusmodi insumuntur, operando, indè oritur lassitudo, & fatigatio: in Angelis autem, & animabus separatis totus conatus est in consideratione maiori necessaria ad vincendas difficultates in oppositum.

7 Habitus igitur facilitat potentiam ad opus, & minuit conatum: quia per illum ita disponitur potentia, vt ad faciendum opus subsequens simile precedentibus, non indigeat potētia, vt superat difficultates, tanta virium applicatione, & tot reflexionibus; & cum opus alioqui sit congruum potentię, superata per habitū difficultate, fit, vt cum quadam delectione exerceatur. Hoc totum confirmari potest experientia. Tyrones enim dum conficiunt primos syllogismos indigent, ne errent, multa consideratione, ac labore: post aliquem vsum vix reflectentes ad terminos, & motiuum optimos syllogismos conficiunt.

Duplex difficultas antecedens, et comitans & duplex facilitas.

8 Duplex igitur in exercitio operum vitalium intercedit difficultas: alia precedens opus, & veluti in actu primo, & consistit in capitibus supra allatis: alia comitans opus, & veluti in actu secundo, & est exercitium operis factum cum illis reflexionibus, & virium applicatione: negari enim non potest quin, hoc modo operari, sit aliquid suo modo molestum, dum animus totus hæret circa vnum obiectum, cum impotentia simul exercendi alia opera. Huic duplici difficultati duplex correspondet facilitas procedens ab habitu: alia in actu primo, & in genere causę formalis: habitus enim inhærens potentię illam disponit, ac reddit habilem ad opera similia præstanda sine illa consideratione, & virium applicatione. Secunda in genere causæ efficientis, dum concurrendo cum potentia ad actum; facit vt actus exerceatur sine illa applicatione, & consideratione: quæ appellari potest facilitas in actu secundo. Vnde oritur, vt animus possit exercendo opus æquè perfectum, ac præcedentia, attendere ad alia opera, vel etiam otiari, ac veluti cessare.

Quid sit operari cū conatu.

9 Ex quibus patet: operari cum conatu nō esse, vtcumque operari vincendo resistentiam: nam saggitta volans vincit aëris resistentiam, nec tamen conatur: neque esse vtcumque operari cum molestia; qui enim stomacho laborant, cū molestia operantur; & non nisi cum molestia quis videt mortem amici, nec ideò operantur cum conatu. Est igitur operari cum conatu vincere dicto modo difficultates.

Diuiditur habitus.

10 Diuiditur primò habitus: in practicum, & speculatiuum; primus facilitat potentiam ad ad praxim, ad actum videlicet, qui non est mera obiecti speculatio, sed extenditur etiam ad productionem illius. Speculatiuus inclinat potentiam ad actum, qui ex se non ordinatur ad sui obiecti productionem, sed de hac diuisione fusiùs infra.

11 Diuiditur secundò: in habitum intellectus,

ctus, & voluntatis, primus inclinat potentiam intellectiuam, secundus volitiuam ad suos actus.

12 Diuiditur tertiò: in virtutem, & non virtutem: virtus ex Aristotele est dispositio perfecti ad optimum. hoc est ad actum, quo potentia euadit simpliciter perfectior in suo genere, quod non conuenit non virtuti.

13 Diuiditur quartò in infusum, & acquisitum: primus est potiùs potentia, quàm habitus, neque acquiritur per frequentatos actus tamquã per causas physicas, sed infunditur primò à Deo, & ab eodem augetur physicè, & actus supernaturales ab homine iusto eliciti solùm merentur de condigno, & causant moraliter tale augmentũ. Duplex autem habitus infusus admitti potest, alter per se infusus, qui videlicet non potest nisi à Deo infundi, & solùm dependenter ab actibus modo dicto augeri: alter per accidens infusus, & hic potest acquiri per actus; sed à Deo hic, & nunc ex sua libertate infunditur antecedenter ad omne actuum exercitium. Acquisitus est habitus, quem allata definitione explicauimus: ex quibus patet habitum infusum non comprehendi sub allata definitione, neque spectare per se ad pręsentem tractatum.

14 Iam verò dari huiusmodi habitus acquisitos patet experientia: neque de hoc quisquam prudenter dubitauerit. Difficultas est prima, in qua potentia resideant? secunda distinguantur ne à speciebus? Tertia quomodo corrumpantur, & generentur, & similes, quas sectionibus sequentibus examinabimus.

SECTIO SECVNDA.

In quibus potentijs resideant habitus?

1 DVo hic possumus inquirere, primò: Quæ potentiæ sint capaces facilitatis ortæ ex habitibus, ita vt dici absolutè possint operari ex habitu? secundò: in quo subiecto physico, velut forme, inhęreant huiusmodi habitus pro solutione: sciendum est, potentias alias esse non vitales, quarum actus non sunt vitales, inter quas mihi probabile est numerandam esse potentiam loco motiuam etiam animalium. Aliæ vitales: quarum actus sunt vitales: hæ sunt in triplici classe, aut enim spectant ad animam vegetatiuã, quales sunt potentia generatiua, nutritiua, & augmẽtatiua: aut ad animam sensitiuam, quales sunt omnes sensus interni, externi, ac appetitus sensitiuus communes hominibus cum brutis, aut ad animam rationalem, quales sunt intellectus, & voluntas.

Potentię incapaces actuũ oppositorum nõ sunt capaces habitus

2 Dico: potentias incapaces actuum oppositorum, non posse operari ex habitu. Probatur: habitus institutus est à natura ad minuendã difficultatem, & conatum potentię in exercendis actibus: ergo potentiæ, quæ non possunt operari cum illo conatu, non sunt capaces operandi ex habitu: sed potentiæ incapaces actuũ oppositorum, non possunt operari cum illo conatu: ergo potentię incapaces actuum oppositorum nõ possunt operari ex habitu: minor subsumpta probatur: conatus non adhibetur nisi ad superandam difficultatem, quæ occurrit in exercitio actuum: huiusmodi autem difficultas non oritur, nisi quia potentia est capax actus oppositi: ergo verè conatus non adhibetur, nisi cum potentia est capax actus oppositi: ergo potentiæ incapaces actuum oppositorum non operantur cum conatu; minor probatur: quia difficultas in operando est quędã veluti impotentia; vnde, quę valdè difficilia nobis sunt, solemus dicere nobis impossibilia: quod non est intelligendum de impotentia absoluta, sed secundum quid, ratione cuius videlicet adhibendus est maior conatus, & applicatio ad opus faciendum: hoc autem totum non oritur, nisi ex capacitate actus oppositi: illa enim capacitas facit, vt potentia possit incidere in actum oppositum: maior autem conatus, & applicatio requiritur ad ponendum opus, quando potentia, non solùm supponitur antecedenter priuata illo opere; sed etiam cum capacitate ad actum oppositum, ac quando non habetur illa capacitas: illa enim capacitas est aliqua potentia, & inclinatio in actum oppositum suo modo impeditiua, ac retardatiua huius actus. Appello hic actus oppositos eos, qui inter se comparati habent specialem repugnantiam ne sint simul in eodem subiecto, vt assensus, & dissensus, amor, & odium, & similes alij.

3 Dices: potentia capax actuum oppositorũ vel antecedenter ad exercitium actus est completa ad illum ponendum, vel non? si primum nulla est difficultas superanda, si sit potentia necessaria: potentia enim necessaria completa ad operandum non potest impediri ab opere: ergo posito illo complemento non est superanda difficultas, sed iam superata est. Quare quantum est ex hoc capite solùm in potentia libera ponendi essent habitus: si secundum; ergo nulla superanda est difficultas; cum non posito complemento sit impotentia operandi, non difficultas.

4 Respondeo: difficultatem identificari cum ipsa potentia capaci actuum oppositorum: ex hoc enim principia, quæ alioqui sufficerent ad ponendum opus, non sunt sufficientia; sed adhibendus præterea est conatus, & applicandę vires maiores, & maior adhibenda consideratio, quæ simul adiuuent potentiam ad positionem actus. Quare potentia necessaria ante illum conatum præcedentem exercitium non est absolutè potens ponere actum, sed talis absolutè constituitur per illum: quia verò esset valdè violentum, & minimè durabile ponere semper actus cum illo conatu, ideò natura constituit vt actus ipsi producant qualitates quasdam permanentes, quę supplentes illum conatum antecedentẽ faciant, vt similes actus sequentes producantur sine illo conatu. In forma igitur dico: potentiam necessariam ante exercitium esse completam, sed per conatum, quo superatur difficultas, vel per habitum. Quare etiam potentię necessariæ, capaces tamen actuum oppositorum, sunt quantum est ex hoc capite capaces habituum.

Explicatur quo modo potẽtiæ necessariæ sint capaces habitus.

5 Vr-

5 Vrgebis: potentia necessaria non est capax habitus retrahentis ab actu: ergo neque inclinantis. Distinguo antecedens retrahentis, qui videlicet afferat specialem difficultatem ad actũ oppositum, ideoque requiratur maior conatus; nego: in alio sensu, concedo antecedens, & eodem modo distincto consequenti; nego consequentiam. Hinc patet quod etiam voluntas sit capax habitus, quoad actus necessarios.

6 Dixi, potentiam necessariam, simile quid dici potest de potentia libera, quę ad vincendam difficultatem ortam ex capacitate sui respectu actus oppositi, & ex motiuo ad illum inclinante; debet adhibere maiorem considerationem, vel aliunde adiuuari à qualitate relicta per similes actus antecedentes. Cęterum sine illo conatu potest voluntas elicere actum: neque enim putandum est, quòd non adhibito illo conatu, vel non possit operari, vel necessitetur ad actum oppositum: vtrumque enim videtur obstare perfectę eius libertati. Verum ille actus erit valdè tenuis, & vix durabilis, nec absolutè superans inclinationem motiui oppositi. Quare nisi adhibeatur ille conatus in ipsomet exercitio actus, experietur voluntas magnam inclinationem in actum oppositum.

7 Aduerto autem hic: agentia necessaria posse ab extrinseco determinari ad ponendum conatum, qui necessarius est, vt aliqua illorũ potentia capax actus oppositi producat potiùs hunc, quàm illum, vt euenit cum docentur equi motus quosdam regulares; vrgentur enim ad illam applicationem à stimulis, & verbere.

Tantum potentiæ capaces actuum oppositorum, & per se immanentium sunt capaces habitus.

8 Dico secundò, ex potentijs capacibus actuum oppositorum eas tantùm esse capaces operandi ex habitu, quarum actus sunt per se immanentes, hoc est exigentes saltem naturaliter, procedere ab illa eadem potentia, in qua recipiuntur, ita vt neque hi, qui defactò eliciuntur ab hac potentia, nec alij illis similes, possint à principio extrinseco, saltem naturaliter produci: idque non veluti per accidens ratione aliquarum circumstantiarum, sed per se, ratione termini producti, qui per se exigit emanare, & recipi in illo eodem principio. Probatur, tantùm operatio per se immanens supponit capacitatem habitus in principio suo intrinseco: ergo tantùm potentia, quæ est principium huius operationis est capax habitus: neque enim fingendum, esse capacem habitus potentiam, cuius operatio non supponit in illa talem capacitatem.

Quibus potentijs cõpetat conari.

Antecedens probatur: tantùm operatio per se immanens potest per se loquendo exerceri à suo principio cum conatu: ergo tantùm operatio per se immanens supponit in principio capacitatem habitus, qui ordinatur à natura ad minuendum conatum agentis. Antecedens probatur: operatio per se immanens non potest procedere a principio extrinseco, & ordinatur ex genere suo ad perficiendum suum principium: ergo operatio per se immanens debuit posse exerceri cum conatu à principio, quod perficit; ne deficiente potentia ad conatum necessarium pro superanda difficultate principium illud priuaretur sua perfectione, quam, vt potè operationem immanentem non potest ab extrinseco recipere: in ordine autem ad operationes non per se immanentes, non militat hęc ratio: ergo tantùm operatio per se immanẽs potest à suo principio exerceri cum conatu. Igitur illæ tantùm potentiæ sunt capaces habitus, quæ sunt principium physicum operationum defectibilium, & oppositarum, ac per se immanentium.

9 Dices primò: operatio per se immanẽs, quamuis non possit adæquatè; potest tamen inadæquatè procedere à principio extrinseco: ergo non est necesse, vt ad ponendas has actiones immanentes possit principium intrinsecum conari, sed sufficit, si difficultas superetur à principio extrinseco. Nego consequentiam, quia poni actum illum, est maius bonum principij immanentis, quod perficitur, quã principij extrinseci: ergo superare difficultatem, quæ occurrit, magis spectat ad principium intrinsecum, quàm ad extrinsecum. Rursus difficultas, de qua loquimur, oritur ex intrinseca capacitate potentiæ ad oppositum: ergo debuit natura eidem potentiæ concedere vim intrinsecam superandi illam difficultatem: quo videlicet actus ille immanens sit magis ab intrinseco, & potentia sit magis disposita ad bonum sibi proprium.

10 Dices secundò: actus immanentes, sed non per se tales, sunt perfectiones potentiæ: ergo in ordine ad illos debuit potentiæ concedi vis conandi. Et confirmatur: quia sicuti quamuis non sint per se immanentes, tamen conceditur subiecto vis effectiua illorum; ita & vis conandi ad illos, tanquam ad propriam perfectionem. Nego consequentiam, quia non sunt ita strictè perfectiones, & debiti potentiæ, & agenti, sicuti actus per se immanentes: ergo non eodem modo debet potentia posse ponere illos, ac potest actus per se immanentes: ergo non debet in ordine ad illos poni vis conandi, & superandi difficultatem ortam ex capacitate actus oppositi, quæ totaliter à principio extrinseco superari non potest. Ad confirmationẽ, dico: concessam esse in ordine ad illos actus virtutem actiuam: quia nonnunquam necessarij sunt illi actus, & abest principium extrinsecũ: non idcò tamen concedi debuit potentijs in ordine ad tales actus vis conandi.

Cur potentia loco motiua non sit capax habitus.

11 Dices tertiò: potentia loco motiua animalis, qua progressiuè mouetur, non est capax habitus, & tamen est capax actuum immanentium, & oppositorum: ergo vt potentia sit capax habitus non sufficit illa capacitas. Distinguo antecedens; est capax actuum per se immanentium; nego: non per se immanentium; concedo antecedens; & nego consequentiam. Actus potentiæ progressiuæ est productio huius, vel illius vbicationis, quę æquè benè potest procedere à principio extrinseco, & ab illo naturaliter impediri, etiam positis omnibus conditionibus ad agendum ex parte ipsius mobilis.

12 Io-

12 Instabis: motus progressiuus, quem homo saltando producit, exercetur initio cum aliqua difficultate, & conatu, vt patet experientia: ergo vel non omnia potentia, quę exercet suum actum cum conatu est capax habitus, vel potentia progressiua hominis est capax habitus. Respondeo: potentiam loco motiuam hominis, & reliquorum animalium, quę progressiuè mouentur sitam adæquatè esse in grauitate animalis, & spiritibus, quos animales vocant, ordinatis à natura ad hos motus edendos: illa enim eleuatio, & similes motus pedum, & reliquorum membrorum, rectè adæquatè attribui possunt grauitati animalis, & efficaciæ spirituum. Cæterum cum hi motus non semper sint necessarij animalis, sed aliquando pro varietate circumstantiarum, in quibus modo apparent vtiles ad aliquem finem v.g. ad prosecutionem boni, vel ad fugam alicuius mali: aliquando verò minime; ideo subiecti sunt à natura quoad suum exercitium, potentię cognoscitiuæ, & appetitiuæ, ita vt tales motus produci nequeant ab animali saltem regulariter loquendo, nisi dependenter ab actibus talis potentię, per quandam sympathiam, vel imperium auocantis hosce spiritus modò ad productionem huius motus, modò ad productionem alterius.

13 Iam verò huiusmodi motus aliquando exercentur sine vlla difficultate, præter illā, quæ oritur, vel ab aliquo contrario extrinseco, vel ex defectu spirituū: vndè sequitur defatigatio; & talis est motus progressiuus, qui nō fit ex arte, & est simpliciter necessariùs animali ad prosecutionē boni, & ad fugā mali: & ad tales actus exercēdos nulla est necessitas habitus; sed sufficit proportionata mollities, durities, & grauitas membrorum, & abundantia spirituum procedentium à virtute nutritiua animalis illorum effectrice. Aliquando autem exercentur cum difficultate distincta à supradicta: vt euenit in motibus ex arte productis: & tunc difficultas nō oritur propriè ex potentia progressiua; sed ex parte potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ non potentis facilè ponere cognitiones, & appetitiones necessarias, vt spiritus applicentur ad hos, vel illos motus. Quare totus conatus debet esse in ponendis illis actibus potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ, non in producendo motu positis illis actibus: in potentia igitur progressiua nullus est necessarius conatus: sicuti nulla est difficultas superanda orta specialiter ab ipsa potentia progressiua. Quod si quis putet actus potentiæ appetitiuæ, & cognoscitiuę concurrere etiam immediatè ad tales motus: dico, solùm necessarios esse habitus ad ponendam causam talis motus, non ad ponendum motum ipsum.

14 Hinc distinguo antecedens: exercentur cum aliquo conatu necessariò ad superandam difficultatem ortam ex ipsa potentia loco motiua; nego: ortam ex potentia cognoscitiua, & appetitiua; concedo antecedens, & nego consequentiam. Illa igitur potentia est capax habitus, cuius actus exercentur cum conatu necessario ad superandam difficultatem ortam immediatè ex ipsa potentia vtpotè capaci actus oppositi per se immanentis: non autem illa, cuius actus exercētur cum conatu agentis necessario ad superandā difficultatem ortam non à capacitate ipsius potentię, sed ex capacitate alterius, cui necessariò per se subordinantur potentiæ à natura, quæ saltem defactò non respiciant actus per se immanentes.

15 Hinc patet: motus locales editos à dormientibus, si sint regulari, procedere ab illis actibus potentię cognoscitiuæ, & appetitiuæ: si sint irregulari, nullam in ordine ad illos superandam esse difficultatem, sed immediatè facillimè procedere à spiritibus, & proportionata grauitate.

16 Patet secundò: potentias animæ vegetatiuæ, nempè nutritiuam, & augmentatiuam, non esse capaces habitus: tum quia propriè non respiciunt actus dicto modo per se immanentes; tum quia non habent ex suis intrinsecis capacitatem ad actus oppositos; & difficultas, si quæ est, tota oritur ab aliquo extrinseco; neque superanda est aliquo conatu.

17 Patet tertiò: nullam potentiam non vitalem capacem esse habitus, quia nulla operatur cum dicto conatu: instrumenta autem artis fiunt vsu ipso habiliora, non quia acquirant facilitatem propriam habitus; sed quia dum agendo repatiantur, amittunt aliquas partes, quæ afferebant aliquod impedimentum. Idem euenit in membris corporis: quia accursu spirituum magis exiccantur nerui, & ipso vsu insumuntur aliquæ partes crassiores, quę erant impedimento motui. Cæterum tum instrumenta artis, tum membra longo vsu tandem deficiunt à prima habilitate.

18 Patet quartò: sensus externos non esse capaces habituum: quia non sunt propriè capaces actuum oppositorū: neque enim visio vnius coloris opponitur cū visione alterius, aut tactus vnius qualitatis cum tactu alterius; licet colores, & qualitates tangibiles inter se opponantur, neque in tangenda vna qualitate experimur difficultatem, quam non possumus superare, nisi per conatum, quamuis tactus alicuius qualitatis sit nobis molestus, non ratione sui præcisè; sed quia cum tactu simul producitur in nobis aliqua qualitas noxia.

19 Patet quintò: intellectum, & voluntatem esse capaces habitus; verè enim sunt capaces actuum per se immanentium, & oppositorum, qui cum conatu exercentur: nec difficultas, quæ in illorum exercitio miscetur superari potest; nisi per conatum ab intrinseco procedentem, vel per habitum acquisitum exercitio actuum. Et sanè cum hę potentiæ sint á natura ordinatæ, ad inquisitionem, & possessionem boni maximè conuenientis naturę rationali, quod est contemplatio veri, & gaudium de illo, in quibus sita est naturalis hominis fælicitas; & ad illud bonum, ac media ad eius acquisitionem necessaria non habeat natura rationalis ex se determina-

minationem ob capacitatem mali oppositi; debuit posse contra omnem inclinationem in oppositum, conari ad talem finem, idque tum, vt finis acquisitus possit tribui maiori laudi, tum vt pluris fiat, & non contemnatur. Non debuit autem semper operari cum illo conatu: aliter non possent nisi cum summa difficultate, & molestia frequenter exerceri actus illi: ergo debuit post aliquem laborem acquirere facilitatem, & quidem permanentem respectu similium actuum: cū igitur contemplatio spectet ad intellectum, & gaudium ad voluntatem; debent huiusmodi potentiæ esse capaces habitus. Neque vrget in contrarium, quòd intellectus sit incapax libertatis, ac proinde non possit inclinari per habitum: inclinatio enim habitus, non debet esse per modum suasionis, sed dispositionis. Vndè Aristoteles habitum virtutis definiuit *dispositio perfecti ad optimum*.

20 Patet sextò, appetitum sensitiuum hominis, & sensum internum esse capaces habitus: quia ex vno capite sunt capaces actuum per se immanentium, & oppositorum, & appetitus quidem amoris, & odij, gaudij, & tristitiæ, &c. Sensus autem internus apprehensionum, & fortasse etiam iudiciorum, licet imperfectorum incompossibilium, & ad quæ formanda, vel excludenda opus est agenti non paruo conatu. Et sanè pugna appetitus sensitiui contra rationem debuit posse mitigari per aliquod intrinsecum ipsi appetitui, quod non potest esse, nisi habitus inclinans appetitum ad actus conformes rationi, & auertens ab oppositis: aliter nō benè prouisum esset naturæ rationali, si semper deberet operari cum illa repugnantia adeo magna partis inferioris. Eadem militat ratio de actibus potentiæ cognoscitiuæ inclinantibus, vel auertentibus ab aliquibus obiectis: è contra, exercitiū actuum malorum adeo effrenem reddit appetitum sensitiuum, & facilem in malum, vt vix possit à voluntate cohiberi. Ex his.

21 Patet septimò: etiam in brutis appetitū sensitiuum, & sensum internum capaces esse habitus: tum quia etiam in brutis sunt capaces actuum oppositorum, & per se immanentium. Tum quia bruta conantur ad formandas illas apprehensiones, & appetitiones, ex quibus nascūtur motus aliqui regulati, & artificiales, vt euenit in equis, & similibus. Et post aliquod tempus motus, quos priùs cum magna difficultate edebant, formant faciliùs, imo cum delectatione.

22 Patet demum: habituum capaces etiam esse intellectum, & voluntatem Angelorum saltem in ordine ad obiecta cognitu, & appetitu difficilia: rationes enim allatæ militant etiam respectu illorum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum habitus distinguantur à speciebus.

1 Celebris in hac re est opinio Cardinalis De Lugo, quem cum Ouiedo sequuntur plures Recentiores, asserentes non dari habitus, quæ sint qualitates permanentes distinctæ à speciebus impressis. Vt autem horum Authorum mens percipiatur, distinguendæ sunt duæ specierum classes: aliæ enim species sunt veluti directæ ordinatæ ad repræsentandum obiectum extra animam positum, & non supponentes alias species: aliæ sunt reflexæ, & rememoratiuæ, ordinatæ ad repræsentandum per actum memoriæ, cognitiones præteritas, & obiecta priùs cognita. Inter obiecta priùs cognita non solùm numerantur obiectā posita extra animam; sed etiam actus immanentes omnium potentiarum, vt sunt volitiones, & appetitionis etiam sensitiuæ.

2 Hi igitur Doctores asserunt: species relictas in intellectu à primò discursu elicito circa cælum v. g. excitatas, adiuuare intellectum ad faciliùs, & cum minori conatu, eliciendum aliū discursum similem priori. Simili modo, species relictæ ab actibus voluntatis iam elicitis, si excitentur, causant viuaciorem repræsentationem obiecti priùs amati, vel odio habiti, ideoque vehementiùs inclinant ad actus amoris, & odij similes præcedentibus: cum præsertim non solùm ostendant bonitatem, & malitiam obiecti; sed etiam delectationem, vel molestiam, quam quis expertus est in exercitio actuum præteritorum.

3 Sed quamuis hęc sententia non sit improbabilis, mihique olim arriserit; puto tamen cū communi, admittendos esse habitus tum intellectus, tum voluntatis, tum aliarum potentiarum, quas capaces habituum supra definiuimus, distinctos à speciebus probatur: quando aduersarius negat habitus distinctos ab his speciebus, vel putat in conceptu essentiali speciei rememoratiuæ, & similium includi conceptum habitus: ita, vt repugnet ex genere suo huiusmodi speciebus non conuenire conceptum habitus, vel docet defacto in his speciebus rememoratiuis non solùm inueniri prædicata specierum rememoratiuarum, sed etiam habitus veluti per accidens identificata, cum alioqui possint inueniri separata? primum est apertè falsum: quia sicuti de conceptu speciei directæ est non facilitare, & minuere conatum, sed producere obiectiuè repræsentationem directam obiecti; ita de ratione speciei rememoratiuæ solùm est obiectiuè concurrere ad actum memoriæ, quo cognoscimus nos priùs cognouisse idem obiectū. Confirmatur quamuis primò accipiamus speciem perfectissimam alicuius obiecti, à qua determinamur ad cognitionem perfectissimam illius; non tamen dicimur operari ex habitu; ita quamuis habeamus species perfectissimas rememoratiuas, quibus determinemur ad actum perfectissimum memoriæ de cognitione præterita; non ideo, illum actum operabimur ex habitu. *Dantur habitus distincti à speciebus.*

4 Cuius rei ratio à priori est: quia species tum directæ, tum reflexæ datæ sunt à natura ad complendam potentiam: ex se impotentem sine concursu obiecti exercere suos actus; non autem ad minuendam difficultatem ortam ex capacita-te,

te, quam habet potentia, actuum oppositorum: habitus autem datus est à natura ad minuendum dictum conatum: quos esse conceptus formaliter diuersos, nemo non videt: ergo in conceptu speciei non includitur formaliter conceptus habitus.

5 Dices: species memoratiua cum excitatur, ex suis intrinsecis producit cognitionem reflexam, quæ repræsentat cognitionem præteritā directam: ergo ex suis intrinsecis concurrit ad cognitionem obiecti cogniti per cognitionem directam: hæc enim cognosci nequit, quin cognoscatur eius obiectum: ergo est ex suis intrinsecis, & essentialibus causa, vt cognitio subsequens obiecti priùs cogniti eliciatur faciliùs, & cũ minori conatu. Secũda cõsequẽtia, probatur: quia iam cognitio illa subsequens obiecti priùs cogniti procedit tum á specie directa, quæ primò produxit actum, tum á specie ramemoratiua: quò autem causæ sunt plures, eò effectus elicitur à potentia cæteris paribus cum minori conatu.

6 Sed contra, duplicem cognitionem obiecti priùs cogniti possumus hic considerare; altera est indirecta, & dissimilis priori cognitioni: cum videlicet cognoscimus formaliter, & veluti in recto, priorem cognitionem: & quia illa est espressio sui obiecti; indirectè secundario, & veluti materialiter in ea tamquam in medio cognoscimus illud ipsum obiectum. Altera directa similis priori, quia repręsentat iterum idem obiectum non obliquè, & materialiter, sed formaliter, & in recto. Iam veró species rememoratiua ex suo conceptu tantum formaliter habet causare primam cognitionem: ergo non habet formaliter multiplicare causas secundę cognitionis directæ, & consequẽter vt volũt aduersarij minuere conatum ad productionem illius, quod formaliter præstatur per habitum. Hinc in forma ad argumentum, nego secundam consequentiam. Ad rationem in contrarium, nego maiorem: nam ad cognitionem rememoratiuam sufficit sola species rememoratiua.

7 Dices secundò: species rememoratiua habet vim quamdam producendi repręsentationē etiam obiecti: ergo potest simul cum specie directa facilitare potentiam ad actus directé versantes circa obiectum directum. Distinguo antecedens: habet vim producendi repræsentationē obiecti directi terminatam directè ad illud; nego: obliquè terminatam; concedo: primæ virtutis essentialiter inclusę in conceptu speciei rememoratiuæ nullum habemus indicium, cum sufficienter omnia saluentur per virtutem purè producendi cognitionem memoratiuam. Tum nego consequentiam.

8 Dices tertiò: species directæ confirmatę, & intensę, ex se habent minuere conatum potētię circa actus sequentes directos similes præcedentibus: ergo species directæ intensæ, & cōfirmatę sunt habitus. Confirmatur: huiusmodi species directæ augentur exercitio actuum similium, & facilitant ad actus similes sequentes: ergo verè participant ex essentia sua rationem habitus. Respondeo: speciei munus esse obiectiuè in actu secundo concurrere ad actus potētiæ cognoscitiuæ, quàm complet, & reddit absolutè potentem producere actum, quem alias, quamtumuis conaretur, non posset producere. Quod verificatur tum de specie directa, tum de reflexa; quæ solùm differunt, quia prima est causa actus directi, secunda reflexi: ergo species siue directa, siue reflexa, quamtumuis intendatur, & confirmetur; solùm essentialiter habet reddere principium cognoscitiuum absoluté potens producere actus perfectiores, quos alias nō posset, quamtumuis conaretur: omne enim aliud munus est extra conceptum speciei, & si confirmatæ, & intensæ: ergo non habent huiusmodi species minuere conatum potentiæ. Quare: nego absolutè antecedens. Ad confirmationem; nego per exercitium actuum acquiri, aut intendi species directas: actus enim solùm producunt speciem sui, non obiecti directè cogniti. Et si ex reflexione, & conatu, quem adhibemus faciliùs recordamur rei antea cognitæ; id est: quia elicimus plures, & intentiores actus reflectentes supra idem obiectum, qui actus relinquunt perfectiores species, quæ, & faciliùs excitantur, & producunt actus memoriæ viuaciores, per quos negari non potest cognosci, quamuis in obliquo clariùs, & viuaciùs idem obiectum. Cæterum vel adhibendus est idem conatus, ac priús, vel dimnutio conatus formaliter non procedit à speciebus.

9 Quod si aduersariùs eligat secundam partem, videlicet species siue directas siue reflexas, quamuis confirmatas, & intensas, non habere ex essentia sua includere prædicatum habitus; actuales tamen species identificare sibi illud prædicatum, ne multiplicemus entitates rerum sine necessitate; impugnatur: quia si ex sua essentia species non includunt prædicatum habitus; sine vlla prorsus ratione asseris species, quæ defactò dantur identificare sibi illud prædicatum. Neque multiplicantur entia sine necessitate: quia species, quæ defactò dantur non ostendunt in se tale prædicatum: & aliunde constat dari qualitatem minuentem difficultatem: ergo concedi debent habitus distincti à speciebus. Confirmatur: quia nonnunquam elicimus actus internos, & valdè perfectos, sed cum magno conatu; aliquando verò sine tali conatu: ergo diminutio conatus non potest oriri ex intentione, & perfectione specierum: quia etiam quando elicimus actus perfectos cum magno conatu ad sunt cum sua perfectione species directæ, quæ non augentur per exercitium actus, vt vidimus: ergo si post exercitium actus elicitur actus sequens similis cum minori conatu, id non prouenit á speciebus directis immediaté concurrentibus ad illum actum, neque ex reflexis, quas gratis fingis cōcurrere ad actus similes pręcedentibus, & directos, cum tantum sint datæ á natura pro actibus rememoratiuis; ergo prouenit á qualitate realiter distincta.

10 Confirmatur: quia species sunt necessa-

riȩ ad cxercitium actus non minùs ac potentia: ergo ſicuti potentia non aequiritur, ac augetur exercitio actuum; ita neque ſpecies: ergo non poſſunt participare ratioñe habitus. Conſequẽtia prima cõfirmatur, & explicatur: quia ſpecies institutæ ſunt à natura, vt ſuppleant defectum obiecti, vel abſentis, vel incapacis per ſe immediaté concurrendi ad actum: ſicuti igitur tota perfectio motiua obiecti ſupponitur, & non augetur per actus; ita tota perfectio ſpecierum ſupponitur, non augetur per actus. Confirmatur demum, quod ex genere ſuo eſt ſimpliciter neceſſarium ad exercitium actuum, non augetur phyſicè, neque perficitur exercitio actuum, vt patet exemplo potētiæ, & virtutis motiuȩ obiecti, ac habitus infuſi: ſed ſpecies impreſſæ ſunt ex genere ſuo ſimpliciter neceſſariæ ad actus productionem, & quidem reflexæ ad productionem actus rememoratiui; directȩ ad productionem actus directi: ergo non perficiuntur exercitio actuum: ergo non habent realiter rationem habitus.

11 Dices primò: ſi ſpecies non augentur exercitio actuum, à quo igitur principio augetur illarum perfectio? Reſpondeo ab illa ipſa prima cauſa, quȩ independenter ab actu produxit primam ſpeciem: illa enim cauſa, vel melius applicata, vel magis perfecta auget perfectionẽ ſpecierum. Quȩnam autem ea ſit dicemus in libris de anima.

Dantur habitus volũtatis diſtincti à ſpeciebus, & cognitionibus.

12 Dices hȩ rationes nullo modo probant admittendos habitus voluntatis diſtinctos ab habitibus intellectus: tota enim illa facilitas, quã poſt aliquem vſum experimur in exercitio actuum voluntatis poteſt refundi in cognitiones illas viuaciores prauias faciliùs excitatas tum per ſpecies relictas actuum antecedentium, tum per habitus intellectuales: ergo nulla eſt neceſſitas admittendi in voluntate habitus proprios.

13 Reſpondeo: quãuis allatæ rationes directè non probent neceſſitatem habitus voluntatis diſtincti; indirectè tamen id probant: quia iam probauimus eſſe in actibus intellectus vim cauſandi qualitatem minuentem difficultatem, & inclinantem per modum diſpoſitionis ad actus ſimiles ſequentes: ergo etiam in actibus voluntatis eſt ſimilis vis. Prӕterea facilitas habitus eſt non quӕcumque, ſed orta per ſe ab exercitio actuum eiuſdem potentiӕ: ſed facilitas proueniens à cognitione viuaciore, non prouenit per ſe ab exercitio actuum eiuſdem potentiæ; poteſt enim illa inclinatio oriri à viuaciſſima cognitione bonitatis actus prӕcedente omne exercitium actuum, quin imò ab actibus tùm prӕſentibus, tum prӕteritis appetitus ſenſitiui, quorum recordatur tunc intellectus: quamuis voluntas numquam liberè poſuerit actus, ad quos inclinatur. His adde, qui habet habitum temperantiӕ, & non intemperantiæ; poſſe per cognitionem boni delectabilis, vehementiſſimè impelli ad intemperatè viuendum; ergo non poſſunt huiuſmodi habitus voluntatis conſiſtere in dictis ſpeciebus, & viuaci cognitione.

14 14 Confirmatur: quia aſſuetus temperatè comedere, quamuis bonitas temperantiӕ valdè exiliter eluceat; non ideo experitur difficultatem in eius exercitio, ſed magnam facilitatem: ideoque non opus nobis eſt multis rationibus, vt inclinemus illum ad vitam temperatam, ſed quӕlibet leuis ratio illum alias per habitum benè diſpoſitum mouebit. Facilitas igitur propria habitus non eſt inclinatio illa orta ex viuaciore cognitione bonitatis tum obiecti, tum actus exercendi, ſed alia diuerſa. Quare illa inclinatio proueniens ab actu intellectus tantùm inclinat voluntatem ad actum exercendum cum maiori intentione, & citiùs.

15 His adde ex Ariſtotele *3. Ethic. c. 8.* habitum cognoſci ex repentinis: quod non verificatur, ſi habitus ſitus ſit in illis ſpeciebus inducẽtibus cognitiones quaſdã viuaciores: quia in repentinis, cum velut dormimus, non niſi ſemimortuӕ cogitationes excitantur: & ſignum habitus eſt cum ſine vlla ferè conſideratione veluti trahimur pondere quodam quaſi naturali, ad actus prӕcedentibus ſimiles. Hinc aſſuetudo in moribus dicitur conuerti in naturam: quia ſicuti opera naturalia fiunt ſine vlla conſideratione operantis, vt patet in nutritione, & ſimilibus; ita ſtante habitu acquiſito ſine vlla quaſi conſideratione in opus ſimile prӕcedentibus inclinamur.

16 Demum ſpecies experimentales relictӕ ab actibus antecedentibus, ſunt eiuſdem rationis cum non experimentalibus reprӕſentantibus eoſdem actus, & eorum delectabilitatem: ſed ſpecies non experimentales non ſunt habitus: ergo neque experimentales: maior probatur: quia informant eamdem potentiam, & reprӕſentant eoſdem actus. Et ſanè ſi experimentales aliquid addunt ſupra non experimentales; hoc non poteſt eſſe viuacitas reprӕſentationis? nam ſpecies Chriſti, quibus cognoſcit perfectiſſimè obiectũ aliquod turpe, viuaciſſimè repreſentant Chriſto Domino totam eius delectabilitatem; & tamen non habent reſpectu illius rationem ſpecierum experimentalium. Erit igitur illud ſuperadditum ratio habitus.

17 Ex his colligitur primò. Beatos, quĩ olim viatores peccarunt, non habere in cӕlo habitum vitioſum; quamuis ſatis viuidè cognoſcãt actus ſuos prӕteritos, eorum obiecta, ac delectabilitatem: quia videlicet non ſunt per qualitatem intrinſecam inclinati ad ſimilia opera. Secundò: non eſſe habitum auxilium actuale, quo à Deo adiuuamur ad opera bona: quia non acquiritur phyſicè per exercitium actuum. Tertiò: in ſenſu communi, & appetitu ſenſitiuo dari habitus diſtinctos à ſpeciebus, quod probant allatӕ rationes;

18 Obijcies primò, cognitio illa viuida orta ex ſpeciebus experimentalibus, negari non poteſt, quin inclinet potentiam volitiuam ad ſimiles actus: ergo nulla eſt neceſſitas alicuius alterius inclinationis. Nego conſequentiam: neceſſitatem enim ſupra probauimus, & rationibus,

bus, & experientia: His adde viros pios cogitationes turpes à dœmone ingestas, quamuis alioqui viuacissimas facilé deludere ex assuetudine, qua similes prius deuicerunt. Facilitas autem vtendi speciebus, easque combinandi ad nouas veritates inueniendas, quàm experimur in intellectu, non video, quo modo adscribi possit speciebus.

19 Obijcies secundò: si facilitas ad secundum actum, oritur à qualitate relicta per primum actum semper voluntas per secundum actum auidiùs appeteret idem obiectum, ac per primũ: quod est contra experientiam. Sequela probatur: quia secundus actus procedit etiam à qualitate relicta per primum. Distinguo maiorem: auidiùs ferretur in obiectũ per secundum, quàm per primum actum, si cætera sint paria; concedo: sin minùs; nego maiorem: & concessa minori in sensu negato; nego consequentiam: nam aliquando in ipso exercitio actus experitur homo aliquem eius defectum, sicuti etiam obiecti; quem defectum antea non aduertebat. Quare non nego cogitiones prouenientes ex speciebus relictis inclinare potentiam volitiuam ad actum sequentem, vel illam retardare; sed pręter hanc inclinationem obiectiuam propriam specierum admittendam esse aliam se tenentem ex parte potentiæ propriam habitus satis ostendunt allatę rationes.

SECTIO QVARTA.

De causa productiua, & corruptiua habitus acquisiti, & de eius effectibus.

Habitus acquisiti causantur physicè per actus.

1 DIco primò: habitus causantur physicè per actus. Probatur: quia certum est habitus causari tantùm ad præsentiam actus, quo deficiẽtẽ nunquam causantur habitus: neque vlla est improportio in actu ad causandum habitum; cum prętertim actus non sit requisitus tanquam applicatiuus agentis ad passum: nullum enim hic intercedit agens applicandum per actum passo distinctu: ergo re vera habitus physicè causatur ab actu: neque enim alio modo probatur virtus causatiua in rebus creatis. Verum autem simul cum actu concurrat ad productionem habitus potentia vitalis; est mihi valdè dubium: quia ex vna parte per multos intellectus determinatus à phantasmate in homine, producit actiuè species intelligibiles: ergo non videtur esse improportionatus ad producendum habitum saltem simul cum actu. Ex alia verò, potentia videtur tantùm ordinata ad productionem actus, & specierum, quas non potest producere obiectum: ergo non est cur illi concedamus virtutem etiam productiuam habitus: & ve verum fatear, non elucent mihi principia decidendi hoc dubium, nisi velis distinctos effectus procedere à causis distinctis, quoties habemus plures causas, in quarum nulla videmus defectum virtutis in ordine ad suum effectum: tunc enim gratis concederetur vni causæ vis productiua illius effectus; cum in alia sit sufficiens virtus: in casu autem nostro est sufficiens virtus in actibus, quo ad producendos habitus, sicuti in obiecto quoad producendas species ergo non est cur dicamus ad illorum productionem concurrere potentiam.

Potest effectus augere perfectionẽ suæ causæ.

2 Tria hic aduerto: primum, non esse absurdum, quòd actus productus causet aliquam perfectionem suæ causæ. Secundum: deficiente actu habitum conseruari efficienter non à voluntate, sed à Deo ad exigentiam eiusdem habitus; qui exigit saltem ad aliquod tempus conseruari. Tertium est: habitum produci per quemlibet actum: sed á primis actibus productum, vtporè valdè debilem, saltem regulariter loquendo non dici absolutè habitum: quia non nimis facilitat: sicuti qui habet exilem calorem non dicitur absolutè calidus: quia parum pro nihilo reputatur.

Actus augent habitũ inclinãtem ad similes actus

3 Sed dubium est: vtrum omnis actus augeat habitum inclinantem ad similes actus sequentes: difficultas autem est de actu remisso; vtrum videlicet quilibet actus licet remissus augeat habitum inclinantem ad similes actus. Distinguit Quiros duplicem intensionem habitus: aliam, qua inclinat, & facilitat ad actus intensos; aliam, qua intensiùs facilitat, sed ad actus remissos: & docet actus remissos augere habitum intensum secundi generis: non autem primi generis. Confirmat: quia qui tepidè sæpè operatur, quó plures huiusmodi actus exercet, eò maiorẽ facilitatem experitur in exercendis similibus actibus tepidis, sed numquam experitur facilitatem ad actus feruentes, & intensos, nisi post exercitium actuum feruentium: ergo signum est huiusmodi actus remissos augere habitum præcedentẽ, & intensè facilitantem ad similes actus remissos: non autem habitum facilitatem ad actus intensos, qui nõ augetur nisi per actus intensos. Cuius rei ratio à priori esse potest, quia habitus non facilitat nisi ad actus similes, & quilibet actus ex illis remissis potest producere particulam aliquam habitus illius, quæ particula non est, cur non faciat habitum intensiorem cum præcedentibus, & magis inclinantem ad actus similes remissos.

4 Hanc doctrinam puto veram, si addantur duæ limitationes: prima est, habitum acquisitum per actus remissos facilitare saltem inchoatiuè, & imperfectè ad actus intensos: cum enim actus intensus sit eiusdem speciei cum actu remisso, & versetur circa idem obiectum; patitur similes difficultates: quare non est cur habitus facilitans ad actus remissos, non possit saltem imperfectè facilitare ad actus intensos; ita vt cęteris paribus, faciliùs exerceatur actus intensus ab eo, qui habet facilitatem ad actus remissos, quàm ab illo, qui huiusmodi etiam facilitate caret. Solum igitur verum est, habitum acquisitum per actus remissos, quolibet augmento accepto, non posse adæquatè auferre difficultatem actus intensi, sicuti aufert adæquatè difficultatem actus remissi: quin imò veluti per accidens est causa impeditiua actus intensi. Cum enim natura abhorreat á labore, & inueniat se inclinatam, &

adæquatè facilitatam ad actus remissos; facillimè illos amplectitur omissis intensis.

Sed cum limitatione ex capacitate subiecti.

5 Secunda est: huiusmodi actus non augeri sine fine per nouos, & nouos actus remissos; sed vsque ad certum terminum: tum quia difficultas superanda est finita: ergo potest totaliter post exercitium actuum finitorum superari: ergo non est cur sequentes actus nunc augeant habitū præcedentem. Tum quia subiectum est capacitatis limitatę; ergo postquam habitus peruenit ad terminum magnitudinis intrinsecum; actus sequentes non debent augere illum. Sicuti, si ignis calidus vt octo, applicetur subiecto calido, vt octo; nihil caloris in illo producet: quia inuenit expletam totam capacitatem caloris, quam habet subiectum.

6 Non est eadem ratio de habitu infuso, quia infusus causatur meritoriè ab actu supernaturali: opus enim supernaturale hominis iusti liberum meretur à Deo præmium gratiæ, & gloriæ: cum augmento autem gratiæ, semper coniungitur augmentum aliorum habituum, vt suppono: quare actus supernaturales non causant habitum dumtaxat facilitantem ad actus similes sequentes, sicuti causant actus naturales.

7 De effectibus habitus certum est, actus causari ab habitu: ad hunc enim finem institutus a natura est, vt faciliter potentiam ad productionem actus, quod intelligi nequit sine aliqua causalitate habitus in actum. Solùm difficultas est de modo, quo habitus concurrat ad actus: non enim desunt, qui docent habitum non concurrere actiuè ad actum, sed veluti dispositiuè, & in genere causę formalis auferendo aliquod impedimentum antecedens, & magis, vt ita dicam, determinando potentiam, quæ deinde se sola producit actum. Alij verò dant habitui concursum actiuum in actum. Et demum alij vtrumque illi concedunt.

8 Dico habitum vtrumque præstare, & in priori inclinare potentiam, ac veluti disponere ad productionem actus, & simul cum illa producere actum. Et prima dici potest facilitas in actu primo. Secunda, in actu secundo. Eo modo, quo virtus impressa in actu primo inclinat ad motum, & in actu secundo concurrit ad illū, ideoque cum quis immotus sustinet humeris saxum, experitur in se quamdam vim, quę ipsum inclinat ad motum deorsum, quæ vis non est, nisi impulsus á lapide productus: probatur: cum vir improbus exercet aliquem actum virtutis, seu resistit alicui tentationi; experitur in se magnam luctam, & propensionem ad actum malum, quem vult vitare, quam propensionem non experiuntur, qui non ita vitijs informati sunt: hæc autem propensio oritur ab habitu valdè intenso: ergo habitus, quamuis actu non concurrat, adhuc inclinat subiectum ad actum.

9 Dices: habitus semper est in homine: ergo semper inclinat: id enim præstat per se ipsum: quod est contra experientiam. Nego consequentiam: quia habitus non inclinat potentiam, nisi cum potentia alioqui posita est producere actū, vel per species excitatas obiecti, quod debet cognosci, vel per cognitionem boni, in cuius amorem inclinat habitus: cum enim potentia est incompleta, superfluè inclinaret habitus: non semper autem adsunt hę circumstantię complentes potentiam.

10 Vrgebis: vel habitus inclinat positis illis circumstantijs per se ipsum tantùm, ita vt inclinatio actualis adæquatè identificetur cum habitu; vel per aliquid aliud? si primum; ergo semper habitus inclinat. Secundum non potest explicari quid sit. Respondeo: habitum inclinare statim, vt proponitur obiectum, circa quod versatur actus, ad quem facilitat: inclinat autem non formaliter per se, sed per motum quemdam intentionalem ab illo productum; qui est vel actus intellectus, si habitus sit intellectualis, vel actus voluntatis, si sit habitus voluntatis, & sunt veluti quidam actus inchoati aliquo modo similes actibus perfectis, ad quos inclinat, & motus illi indeliberati, ex quibus docet Aristoteles cognosci habitum. Igitur habitus causaliter in priori ad actum per hos motus inclinat.

11 Quod autem habitus actiuè etiam concurrat ad actum cum potentia; probatur: quia habitus habet vim productiuam actus, ad quem inclinat: ergo non est cur simul cum potentia non concurrat ad actum: Antecedens probatur: habitus proposito obiecto statim est causa, vt producantur in potentia, vt vidimus actus, quidam inchoati inclinantes ad actus perfectos, & similes illis: ergo iam est in habitibus vis productiua actuum, ad quos inclinat.

12 Dices primò, non potest explicari verum habitus faciliter producendo substantiam actus, vel modum superadditum, vt actus intensionē. Respondeo, facilitare concurrendo cum potentia ad actum: hoc enim modo facias, ne agens debeat adhibere tantum virium, quantum adhiberet, si non adesset habitus: & hæc de facilitate in actu secundo: nam facilitas in actu primo iam explicata est.

Quomodo habitus nō est necessarius ad productionem actus.

13 Dices secundò: habitus acquisitus non est absolutè necessarius ad productionem actus; sed tantùm vt actus ponatur cum minori conatu: ergo non concurrit ad substantiam actus: aliter esset simpliciter necessarius ad substantiā actus, quæ per se ipsam immediatè dependet à suis principijs: ac proinde non potest esse sine illis: inter principia autem est habitus: ergo hic actus necessariò dependet ab habitu, sine quo esse nullo modo potest. Respondeo: si supponamus actus vitales produci per actionem distinctam; dico: habitum non esse necessarium ad productionem actus: quia non concurrente habitu haberetur hic actus; quamuis non esset eadē actio. Quod si actus vitales se ipsis dependeant à suis causis; dico; habitum esse absolutè necessarium ad productionem huius actus, qui de facto dependenter ab illo cum minori conatu producitur: dicitur tamen habitus acquisitus non esse necessarius ad productionem actus; quia alius

actus

actus huic omninò ex alijs capitibus similis, posset ab eadem potentia procedere sine concursu habitus, sed cum maiori conatu. Quare distinguo antecedens; habitus non est absolutè necessarius ad productionem actus, qui à se de facto procedit; nego: ad productionem cuiuscumque alterius actus similis; concedo. Et per hoc differt à potentia, quæ simpliciter necessaria est ad omnes actus similes.

Habitus acquisitus potest pati violentiam

24 Ex dictis infero, habitum pati suo modo violentiam, si completa iam potentia, impediatur à productione actus, ad quem inclinat: quia verè exigit talem productionem, ideoque viri pij initio conuersionis maiori conatu indigent ad superandum, & vim inferendam propriæ inclinationi ex habitu profectæ.

25 Infero secundò: naturaliter saltem repugnare potentiam præsente habitu, operari cū eodem conatu, ac illo absente; quia licet potentia libera possit impedire, ne habitus producat actum perfectum; non potest tamen impedire, ne ponat illam inclinationem antecedentem, & ne, si producitur actus, ad illum non concurrat: sicuti neque potest impedire, ne actus oppositus ponatur cum maiori conatu contra vim, & inclinationem habitus.

Dupliciter corrūpitur habitus.

26 Circa modum, quo habitus corrumpuntur, experientia constat habitus corrumpi dupliciter: primò per desuetudinem: si quis enim longo tempore cesset à producendis actibus, quos frequentissimè prius, & facillimè producebat; & deinde velit similes actus producere, non illos sine magna difficultate producet. Secundò, per exercitium actuum oppositorum. Si enim quis temperatè viuendo acquisiuit habitum temperantiæ, quo facillimè exercebat actus, quamuis perfectos eiusdem virtutis; si deindè labatur frequenter in actus intemperantiæ, non solùm acquiret facilitatem ad exercendos similes actus intemperantiæ, sed, si velit exercere actus temperantiæ, non leuem patietur difficultatem.

17 Ex quibus infero primò; habitus inclinantes ad actus oppositos, & incompossibiles, esse inter se incompossibiles, & oppositos, eo ferè modo, quo incompossibiles sunt calor, & frigus in gradu intenso: probatur ex dictis: videmus enim per exercitium actuum intemperantiæ acquiri facilitatem ad actus intemperantiæ, & amitti priorem facilitatem ad actus temperantiæ: ergo habitus illi temperantiæ, & intemperantiæ sunt qualitates non minus oppositæ, quàm calor, & frigus; ideoque huiusmodi habitus corrumpi possunt per aduentum contrarij: sicuti frigus corrumpitur per aduentum caloris. Quare sicuti calor remissus potest componi cum frigore remisso, & debili, & si in subiecto esset calor debilis, & nullum esset frigus, per aduentum frigoris debilis nō deberet corrumpi prior calor: corrumpendus autē esset, si uel præcessisset frigus, vel de nouo adueniret frigus maximum; ita habitus remissus potest componi cum opposito item remisso, non autem cum intenso, ideoque potest quis esse simul imperfectè inclinatus ad actiones temperatas, & intemperatas, non autem perfectè: & aduenicnte habitu imperfecto temperantiæ potest nihil deperdi de habitu item imperfecto intemperantiæ præcedente; secus si adueniat perfectus.

18 Dices primò: nulla est necessitas admittendi hanc oppositionem inter habitus inclinantes ad actus oppositos. Nego assumptum: nemo enim dixerit posse aliquem simul esse summè temperantem, & summè intemperantem.

Quando destruatur habitus?

19 Dices secundò: si per aduentum habitus intemperantiæ corrumperetur habitus temperantiæ, vel corrumperetur in primo instanti, in quo elicitur actus intemperantiæ; vel in sequentibus: neutrum dici potest. ergo. Minor probatur: non potest dici primum: quia in primo instanti quo elicitur actus intemperantiæ supponitur in priori naturæ voluntas facilè potens producere actum temperantiæ: producit enim actum intemperantiæ cum magna inclinatione in actum oppositum: ergo in primo instanti non corrumpitur per actum intemperantiæ habitus oppositus temperantiæ. Neque in secundo; nam si in primo ille actus non est potens producere habitum intemperantiæ, & corrumpere habitum temperantiæ; non est cur in sequenti instanti id possit.

20 Nego minorem: ad probationem; eligo secundam partem: prior enim satis ostensa est absurda in obiectione: ad rationem, quæ adducitur in contrarium; dico, actum intemperantiæ non posse pro primo instanti corrumpere habitum temperantiæ; quia supponit talem habitum in priori naturæ ad suam primam productionem; at potest in sequenti tempore: neque enim debet actus intemperantiæ, qui cum magna difficultate elicitus est, cum eadem difficultate conseruari: in secundo igitur instanti potest actus intemperantiæ producere habitum intemperantiæ, & per illum corrumpere habitum oppositum: vnde patet: actus supponentes habitus oppositos, non posse producere habitum, nisi durent ad aliquod tempus post primam productionem. Quod si non supponant in priori habitus oppositos, non est cur non possint pro eodem primo instanti suæ productionis producere habitum.

Possunt habitus cessare per desitionem.

21 Infero secundò, posse habitus tum inclinantes ad actus oppositos, tum præsertim non inclinantes in huiusmodi actus, corrumpi per quamdam veluti desitionem: quia videlicet exigunt durare ad determinatū tempus, quo elapso, Deus desinit illos conseruare: probatur: quia, vt corrumpatur habitus, non est necesse, vt adueniat habitus contrarius: potest enim habitus corrumpi per meram desuetudinem, vt supra innuimus: in hoc autem casu non videtur, ex quo alio capite debeat habitus deficere: ergo verè cessat dicto modo, sicuti cessat in multorum sententia sonus, virtus impressa, & species intellectualis memoratiua. Vbi aduerto; habitum dicto modo natura sua non exigere corruptionem

rionem

tionem sui post elapsum illud tempus, sed tantum verificari, quòd eius exigentia solùm extēdatur ad tantum tempus: quare: nisi reparetur per nouos actus, tandem corrumpitur. Alij modi corruptionis habituum, qui afferri possunt, non sunt fortasse improbabiles, sed nolo illos examinare. Cum præsertim non sint vniuersales, & fortasse extendi nequeant ad habitus Angelorum.

22 Quin imo probabile est, habitus non per se corrumpi nisi ex aduentu oppositi: per accidens autem posse corrumpi per defectum subiecti, vt colligitur ex 1. 2. quæst. 53.

SECTIO QVINTA.

Quomodo differant habitus practicus, & speculatiuus.

1 Diuisimus sectione prima habitus in practicos, & speculatiuos: de quibus nonnulla diximus disp. 1. inquirentes: verum logica sit scientia practica; nũc ad pleniorem rei notitiam addenda sunt non pauca.

Quid sit habitus, & cognitio practica quid speculatiua.

2 Habitus igitur intellectus practicus est, qui acquiritur per actus practicos, & ad similes inclinat. Speculatiuus, qui acquiritur per actus speculatiuos; & ad similes inclinat. Tota igitur difficultas est in explicando, quid sit actus practicus, quid speculatiuus. Breuiter dico, cognitionem practicam esse, quæ potest causare suum obiectum: & ideò dicitur versari circa praxim, quia versatur circa obiectum à se causabile: praxis enim est opus factibile. Speculatiua autē cognitio est, quę non habet vim causatiuam sui obiecti: probatur: quia præcise per hoc, quòd aliqua cognitio habeat virtutem causandi suum obiectum sufficienter distinguitur à cognitione speculatiua, quæ est mera contemplatio obiecti.

3 Dices: non potest explicari, quid sit cognitionem habere vim causatiuam sui obiecti. Respondeo: vim hanc causatiuam sitam esse in eo, quòd cognitio aliqua sit necessaria, vel iuuet ad hoc vt principium cognoscens possit causare, per imperium obiectum illius. Probatur: quia per hoc præcisè illa cognitio non est mera speculatio sui obiecti; sed verè est ratio, cur ponatur tale obiectum: ergo per hoc præcisè illa cognitio est practica, & respicit obiectũ factibile ab illo eodem supposito, cuius est exercitium.

cognitio practica ab intrinseco differt à speculatiua.

4 Ex quo infero: cognitionem practicam ex suis intrinsecis differre á speculatiua: practica enim ex suis intrinsecis dicit essentialem ordinem ad principium operatiuum obiecti, cuius principij est actuale exercitium, & est operatio per se eidem essentialiter immanens: rursus ex suis intrinsecis respicit obiectum factibile ab eadem potentia: ergo ex suis intrinsecis differt ab actu speculatiuo, qui caret vtroque illo respectu intrinseco.

5 Infero secundó, cognitionem falsam ostēdentem intellectui aliquod opus tanquam factibile ab ipso, quod re vera tale non est, vtpote chimericum, quamuis ostendat bonum, vtileque esse opus illud imperare; non esse practicam; quia non est nec esse potest causa sui obiecti, neque tendit in rem operabilem, modo operabili.

Quid requiratur ad cognitionem practicam.

6 Infero tertiò, non requiri ad rationem cognitionis practicæ, vt ostendat obiectum esse factibile á principio cognoscente, & multò minus, vtile, ac conueniens esse, vt tale opus imperetur ab illo: quia si præcise aliqua cognitio sit necessaria ad hoc, vt principium cognoscens per imperium prudens, ponat illius obiectum: iam est practica: sed cognitio, quamuis non ostendat vtile, & conueniens esse tale opus imperari; adhuc potest esse necessaria, vt principium cognoscitiuum possit per imperium prudens causare illius obiectum: ergo quamuis cognitio aliqua id non ostendat; adhuc est practica. Maior iam supra probata est. Minor confirmatur: quia cognitio dictans syllogismum constare tribus propositionibus hoc modo dispositis, non explicitè dictat, bonum, ac vtile esse syllogismum construere, aut illum esse ab eodem cognoscente factibilem; & tamen est necessaria, vt intellectus sibi imperet prudenter effectionem syllogismi.

7 Illud hic diligenter notandum, aliquas cognitiones esse practicas non ex suo modo speciali tendendi, sed quia præcisè sunt necessariæ, & iuuant, vt cognoscens possit per imperium prudens causare illarum obiectum: alias esse practicas etiam ex suo modo tendendi: quia nō solùm sunt dicto modo necessariæ; sed quia inclinant cognoscentem ad operis effectionem ostendendo obiectum illud esse factibile: quin imo conueniens, vtileque esse illud ponere: & cognitiones huius secundę classis negari non potest, quin sint magis proximè practicæ, tum quia magis inclinant principium cognitiuum ad effectionem operis; tum quia magis proximè faciunt ad prudenter imperandum executionem obiecti.

Iudicium de imperio voluntatis est actus practicus.

8 Inter has cognitiones practicas Maurus enumerat iudicium, & imperium rationis, quod sequitur ad imperium voluntatis, & illud declarat: & iure quidem: nam, & homo exequens imperium voluntatis cognoscit: & ea cognitio iuuat imo est necessaria ad executionem operis: nemo enim potest obedire, & exequi imperiũ, quòd ignorat: ac demum eadem cognitio proponens imperium non potest, non dirigere ad rei imperatæ positionem: est igitur ea cognitio practica. Huc spectat sensus dicentium, quod ad executionem operis proximè determinetur agēs intellectuale non per imperium voluntatis, vel superioris, sed per imperium intellectus, quo intimatur imperium superioris. Ex quibus patet non omnem cognitionem practicam præcedere electionem voluntatis, cum aliqua sequatur.

9 Dices: cur non asserimus, cognitionem practicam esse omnem cognitionem, quia necessaria est, vel iuuat, vt principium cognoscitiuũ dependenter ab imperio causet obiectum eiusdem cognitionis. Respondeo: quia cognitio non est

est practica, nisi quia est necessaria, vel iuuat cognoscentem ad ponendam rem cognitam: cognoscens autem intellectiuum non ponit rem cognitam; nisi volendo illam: ergo cognitio est practica vel, quia dirigit, & iuuat principium cognoscitiuum ad eligendam, & imperandam rei executionem; vel quia iuuat ad executionem rei imperatæ, quale est iudicium sequens imperium iuxta supradicta. Requiritur autem, vt hoc imperium sit non absolutè prudens, cùm ab aliqua cognitione possit dirigi agens intellectuale ad positionem rei malæ, & ad imperium absolutè imprudens: satis igitur est si sit secundum quid prudens, hoc est, de re absolutè possibili, & quę appareat bona.

Quid sit proponere rem factibilem modo factibili

10 Dices: cognitio practica debet proponere rem factibilem modo factibili: sed hoc non conuenit cognitioni omni necessariæ, vt principium idem cognoscitiuum dependenter ab imperio exequatur opus: ergo maior communiter admittitur. *Minor* probatur: quia proponere rem factibilem modo factibili est ostendere possibilitatem rei, & congruentiam, vt fiat: hoc autem non conuenit cuicumque cognitioni necessariæ: nam cognitio quę cognoscit obiectum ponendum, & eius conditiones, ac proprietates; est necessaria, vt ponatur opus, nec tamen proponit rem factibilem modo factibili. Nego minorem ad probationem, distinguo maiorem: proponere signatè rem factibilem modo factibili, est ostendere possibilitatem rei, &c. concedo: Proponere exercitè: nego; nam ad proponendam exercitè rem factibilem modo factibili; sufficit, si cognitio attingat rem factibilem à principio cognoscente, & sit necessaria, vt principium cognoscens ponat rem illam: sit, inquam, necessaria, non quocumque modo, sed vt directiua: neque alio modo videtur esse necessaria aliqua cognitio ad positionem operis, nisi per modum dirigentis.

Ad actum practicum nõ requir vt obiecti spectet ad aliam potentiam.

11 Ex his colligo primó, non requiri ad cognitionem practicam, vt volebat Scotus; vt obiecti executio spectet ad diuersam potentiam à cognoscitiua: sufficit enim, si dicto modo dirigat principium cognoscitiuum, à quo procedit, ad positionem sui obiecti: quod verificatur, quamuis obiectum illud sit actus eiusdem potentiæ cognoscitiuę. Quod si S. Thom. 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. *ad* 2. docuit, habitum practicum respicere opus exterius; est quia respicit, vt obiectum, opus alterius habitus: non quia, non possit respicere actus internos: aliter actus voluntatis non posset esse praxis.

12 Colligo secundó: ad cognitionem practicam non requiri potentiam errandi in productione effectus: nam cognitio Diuina est maximè practica; neque tamen Deus est potens errare in productione effectus: ratio est: quia seclusa libertate, & potentia errandi, sicuti saluatur dependentia imperij à cognitione; ita, & obiecti imperati ab eadem cognitione. Dirigitur igitur principium cognoscitiuum ad opus, non quia sit liberum, aut possit errare; sed quia nequit imperare executionem operis, nisi dependenter à cognitione eiusdem. Quare cognitio hoc modo necessaria ad imperium, adhuc erit practica, quamuis principium cognoscitiuũ aliundè ab extrinseco determinetur ad tale imperium.

Ad cognitionem practicam neque libertas, neque capacitas errandi est necessaria.

13 Colligo quartò, nullam cognitionem fore per se practicam, nisi respectu obiecti, quod pendet à voluntate: quia cognitio non alio modo causat suum obiectum, nisi dirigendo principium cognoscitiuum ad positionem operis: non potest autem dirigi principium cognoscitiuum, nisi ad opus, quod pendet ab eius voluntate. Sed quid; si detur, vt putant aliqui possibile, intellectiuum non volitiuum? careret ne omni cognitione practica? affirmatiuè respondet Quiros; qui addit, quòd si præcaueret errorem, & amplecteretur veritatem: hoc non esset ex directione scientiæ ostendentis hanc esse veritatem amplectendam; sed ex influxu obiecti.

15 Duo hic aduerto: primum est non omnes cognitiones practicas esse proximè tales; sed alias esse etiam remoté tales, iuxta ea, quæ diximus disp. 1. Secundũ: Aristotelem docuisse intellectum speculatiuum versari circa vniuersalia, practicum circa particularia: quia speculatiuus, inquit, habet pro fine scientiam, quæ proprie versatur circa vniuersalia, quę sunt magis scibilia à *creatura*; quam particularia: at practicus habet pro fine actionem, quæ attingit particularia. Cum quo bené cohæret cognitiones practicas saltem aliquas posse esse vniuersales: quia etiam hæ vniuersales possunt simul cum alijs attingere illam actionem particularem, & ad eius positionem dirigere.

16 His adde primó: quamuis in Deo vna, & indiuisibilis cognitio sit practica, & simul speculatiua, ac summè perfecta; in creatis tamen speculatiua est ex se perfectior practica: tum quia est radix practicæ; tum quia speculatiua habet rationem finis, & propter se amatur, at practica formaliter, & si vtilis, habet rationem medij: finis autem ex genere præcellit medio. Secundó nonnullum fortasse admittere in brutis cognitionem imperfectè practicam; sicuti aliqui admittunt in illis imperfectè operari propter finem. Verum hic id attigisse sit satis.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Specificatione, Vnitate, & Multiplicitate scientiarum.

EGimus postremis duabus disputationibus de scientia tum actuali, tum habituali; nunc agendum est de illarum specificatione, vnitate, & multiplicitate.



SE-

SECTIO PRIMA.

A quo specificatur actus scientiarum, & vniuersaliter assignantur specificatiuum actum intentionalem.

Quid sit specificare, & specificari.

1 SPecificare est dare speciem: specificari est speciem recipere. Quare specificatiuum actus est, quod dat actui speciem; & consequenter est ratio cur actus sit potius in hac determinata specie, quàm in alia. Duplex est specificatiuum; alterum intrinsecum: & sunt prædicata essentialia rei constituentia illam in tali determinata specie: quia tamen id, per quod res magis proprie constituitur in sua determinata specie; est eius vltima differentia specifica; ideo specificatiuum intrinsecum proprium, & magis rigorosum cuiusque rei est eius vltima differentia specifica: & in hoc sensu actus intentionales intrinseceè specificantur per suam vltimam differentiam specificam.

2 Alterum est specificatiuum extrinsecum, quod solùm habet locum in rebus creatis. Specificatiuum enim extrinsecum est, quod causando rem determinat eius prædicata essentialia, & est causa, vt ponatur hæc res huius speciei cum suis prędicatis essentialibus, & quia res constituitur in tali determinata specie magis principaliter per prædicatum specificum; ideo causa exigens, vt ponatur in effectu hoc prædicatum specificum, est magis rigorosé specificatiuum, quàm illæ causæ, quę tribuunt effectui rationes genericas assimilantes sibi illum in prędicatis communibus: hinc quamuis ad productionem hominis concurrat sol, & homo: quia tamen homo concurrens, non sol, determinat prædicatũ specificum effectus; ideo homo, non sol, est specificatiuum effectus, quantùm est ex hoc capite: & quia, quòd est priùs est magis principale, eo quòd est posterius, ideo specificatiuum extrinsecum, vtpotè priús, est magis principale specificatiuum, quàm intrinsecum, quod est posterius, & causatum.

3 Iam verò præter specificatiuum extrinsecum explicatum, quod aliqui appellant à priori, cognoscunt nonnulli aliud specificatiuum, quod nominant à posteriori: quod videlicet non est causa actus, sed purus terminus alicuius ordinis transcendentalis actui intrinseci.

Quid sit proprium, & rigorosum specificatiuum.

4 Specificatiuum hoc modo explicatum, est commune omnibus effectibus: quilibet enim effectus cum sit in determinata specie, & non habeat esse à se, debet habere causam determinatam, à qua recipiat suum prędicatum specificum. Cæterum hoc non sufficit, vt effectus absolutè dicatur specificari ab illa causa: neque enim homo genitus dicitur specificari à generante, quamuis generans sit causa, vt ponatur hoc ens, cum his prædicatis specificis: contra verò actus dicuntur specificari ab obiectis; ideoque mihi placet explicatio, quam tradit Maurus quæst. 3. Specificatiuum videlicet à priori esse: quod ita dat speciem alicui enti; vt hoc nec definiri, nec cognosci possit, sine illo, à quo specificatur: specificatiuum igitur rigorosè sumptum est: quod, & dat speciem rei, & ingreditur, vt terminus obliquus in explicationem eiusdem.

5 Quod confirmari potest: calceus à pede, non pes à calceo; vestimenta, & arma à membris, non hæc ab illis specificantur: quia nemo potest benè percipere essentiam calcei, vestimentorum, & armorum; nisi priùs intellecta essentia pedis, & membrorum. At benè potest intelligi essentia pedis, non intellecta essentia calcei, & membrorum non cognita natura vestium. Ob eamdem rationem instrumenta artis specificantur ab opere, non hoc ab illis: & imago ab exemplari, non exemplar ab imagine: accidentia à substantia, non substantia ab accidentibus: actus ab obiectis, non obiecta ab actibus: potentia, & habitus ab actibus, non actus á potentijs. Et quæ hoc modo specificantur, & definiuntur, docuit Scotus, definiri per additamentum: hoc est, per prædicatum extrinsecum rei definitæ: quod intellige de definitione naturali, & directa: nam innaturali quodã, & imperfecto modo homo definiri potest per operationes discurrendi: & substantia per accidentia tamquam per id, quod adaptatur rei definita, non tamquam per id, cui adaptatur res definita. His positis.

6 Dico: actus creatos intentionales specificari tantùm à suo obiecto formali: probatur: specificatiuum, vt vidimus, est, quod influendo in actum, determinat eius speciem, & ingreditur in eiusdem definitionem: sed solùm obiectum formale respectu actus intentionalis est huiusmodi: ergo solùm obiectum formale respectu actus intentionalis est specificatiuum. Maior patet ex dictis. Minor confirmatur: quia nullum aliud potest assignari, à quo determinetur modo dicto species actus. *Actus specificantur ab obiecto formali.*

7 Dices primó: determinari à potentia. Sed contra: quia potentia ex se non est determinata ad hanc speciem actus: potest enim producere plures actus specie diuersos.

8 Vrgebis, etiam obiectum formale idem potest producere plures actus specie diuersos. Nego assumptum. Instabis si obiecta materialia sint specie diuersa, quamuis obiectum formale sit eiusdem prorsus speciei; adhuc producentur actus specie diuersi: sic, si quis velit elargiri, ad subleuandam alienam miseriam, frumentum; eliciet actum specie diuersum, ab eo actu, quo ex eodem motiuo vellet elargiri pecuniam, & tamen habet idem obiectum formale. Nego assumptum: ad rationem in contrarium dico: illos actus, vel non esse specie diuersos, vel si sunt specie diuersi; respicere etiam obiecta formalia specie diuersa: obiectũ enim formale mouens me, & determinans ad elargiendam eleemosynam, non est pura subleuatio alienæ miseriæ, veluti in genere, quæ nullo modo potest me mouere, sed etiam capacitas in miseria, vt subleuetur per eleemosynã, & potentia subleuandi per eleemosynam: quæ

capa-

capacitas, & potentia verè constituunt diuersum obiectum formale, & motiuum.

9 Instabis iterum: ergo elargitio eleemosynæ non est obiectum materiale. Nego consequentiam: quia non ipsa elargitio mouet me ad ponendam elargitionem, sed subleuatio alienæ miseriæ facienda per elargitionem, & consequenter capacitas miseriæ, & elargitionis ad talem effectum.

10 Instabis tertiò, illud est obiectum formale, quod per se immediatè intenditur: sed intenditur tantùm per se subleuatio alienæ miseriæ: ergo tantùm subleuatio alienæ miseriæ est obiectum formale. Distinguo maiorem: illud est obiectum formale intentionis, quod per se intenditur; concedo: electionis; nego: & data minori, distinguo consequens: ergo tantùm subleuatio alienæ miseriæ est obiectum formale intentionis, concedo: electionis; nego: obiectum enim formale electionis, est omne, quod obiectiuè me mouet ad electionem, & executionem. Breuiter nomine obiecti formalis, intelligo omne illud, quod me mouet, & inclinat, vel per se ipsum, vel per sui speciem, & cognitionem ad ponendum hunc specie actum. Non negamus tamen, quòd per se intenditur, esse etiam respectu actuum electionis, obiectum formale veluti radicaliter adæquatum: quia capacitas illa eleemosynę ad subleuandam alienam miseriam constituitur potens mouere ad actum electionis, quia respicit tanquàm terminum ipsam subleuationem.

Obiectum formale electionis non sẽper est adęquatẽ idẽ cum obiecto formali intentionis

11 Instabis quartò: illud est obiectum formale, quod amatur propter se: sed capacitas illa eleemosinę non amatur propter se: ideo enim amo illam capacitatem, quia amo subleuationem alienę miseriæ: ergo obiectum formale tantùm est subleuatio alienę miserię; capacitas autem eleemosynæ est obiectum materiale. Nego minorem, & distinguo rationem in contrarium, si ly quia significat aliquam veram causalitatem: nego: si solùm significat aliquam prioritatem logicam; concedo. Breuiter amando efficaciter subleuationem alienæ miseriæ, amo, saltem sub disiunctione, & veluti in confuso, omnes subleuationes, inter quas vna est eleemosyna, propter suam capacitatem: quare tunc amo per se eleemosynam saltem sub disiunctione. Igitur illa capacitas est per se amabilis, quamuis non includat omnem, & adęquatam amabilitatem subleuationis, & ideo explicitè non debeat amari per intentionem subleuandi alienam miseriam, sed cognita, per se amatur a [illegible] electiuo, ad quem inclinat, & quo eligitur potiùs ipsa, quàm alia subleuatio. Et sanè quandò priùs elicuit voluntas actum intentionis non habebat motiuum, & causam adæquatam actus electionis huius, qui de facto ponitur: aliter illicò potuisset ab initio elicere hunc actum electionis: quod non est vniuersaliter verum.

12 Instabis: ergo nullum est in casu nostro obiectum materiale, quòd non sit etiam formale, & per se amatum. Nego absolutè consequentiam, si loquamur in sensu formali: nam amatur in hoc casu motus ille manus, & diminutio propriæ substãtiæ, nõ præcisè propter se, sed propter capacitatem, quę est in aliena miseria, & in me vt per illos subleuem alienam miseriam.

13 Dices secundò: non minùs obiectum formale, v. g. albedo, est potens mouere ad cognitionem sui visualem, & ad intellectualem specie, quin, & genere differentes, quàm potentia visiua est potens causare visiones diuersas: ergo non minùs actus specificatur ab obiecto, quàm à potentia. Nego antecedens: albedo enim formaliter, vt albedo, non est motiua, nisi ad visionem sui: quia vt albedo, non potest mouere per sui speciem, nisi ad illum actum: vt ens autẽ potest intelligi ab intellectu, sed per species aliundè causatas.

14 Dices tertiò: possunt actus specificari ex diuerso modo tendẽdi: ergo non est recurrẽdum ad obiectum formale. Nego antecedens: nam modus ille tendendi non est, nisi ipsa intrinseca entitas actus: ergo adhuc assignanda est causa, cur potiùs prodeat in lucem, hic actus cum suo modo tendendi, quàm alius: hæc autẽ causa non potest esse potentia ex se indifferens: erit ergo procul dubio obiectum formale. Obiter aduerto modos illos tendendi diuersos, quos experimur in amore, desiderio, spe, gaudio, & similibus actibus, versantibus circa idem obiectum, habere diuersa obiecta formalia, vt suppono cum satis probabili opinione.

Actus non specificantur ex modo tendendi.

15 Dices quartò: qualibet cognitio dicit transcendentalem ordinem ad suum obiectum materiale: ergo specificatur ab illo, & mutato specie obiecto materiali iam mutatur specie actus. Distinguo antecedens: dicit transcendentalem ordinem ad suum obiectum materiale, tamquam ad causam determinatiuam suæ speciei; nego: tamquam ad terminum purum suæ tendentiæ specificæ, aliundè determinatæ; concedo antecedens, & nego consequentiam. Sicuti etiã nego mutandum esse specie actum ex pura mutatione obiecti materialis: quia purè mutato obiecto materiali, non mutatur causa determinans prædicata specifica. Suppono hic actum naturalem, & supernaturalem differre ex diuerso obiecto formali. His circa actus in particulari definitis.

Neque ex obiecto materiali.

16 Dico secundò: scientiam totalem actualem v. g. physicam, quæ est collectio omnium demonstrationum physicarum, specificari ab omnibus obiectis formalibus, quæ attinguntur per illos actus: quia sicuti quilibet actus specificatur à suo obiecto formali; ita collectio actuum specificatur à tota collectione obiectorum formalium: ideóque cum actus physicę cum obiecta formalia sint plura, & specie diuersa: & sanè conclusio physice probans ex motu circulari rotunditatem cæli, physicè differt ab illa conclusione, in qua probatur ex generationibus, & corruptionibus naturalibus existentia materiæ, & sicuti conclusiones obiectiuæ inter se specie differunt; ita principia, & præmissæ adæquatæ

Specificatiuum scientiæ

Ee de-

debent saltem partialiter differre. Neque ex eodem principio vniuersali possunt inferri conclusiones specie diuersæ, nisi diuersificetur specie alia præmissa.

17 Vrgebis præmissæ à conclusione, & quidē specie differūt; nō tamen ex obiecto formali; idē enim est obiectum formale præmissarum, & conclusionis. Nego illos actus non habere obiectum formale diuersum, saltem vt quo: quia ad assensum præmissarum mouent à terminis, vt apprehensis; ad assensum autem conclusionis, mouetur ab identitate extremorū inter se, vt proposita, per præmissas in identitate extremorum cum medio.

SECTIO SECVNDA.

De Specificatione Potentiarum intentionalium.

1 NON quia actus inter se specie differunt, supponunt necessariò potentias, à quibus procedunt, specie diuersas: eadem enim potentia volitiua, & intellectiua, potest producere actus, non solùm specie diuersos, & disparatos, sed etiam oppositos. Vndè igitur colligemus, hoc genus actuum complectens sub se actus adeo diuersos, spectare ad vnam specie potentiam, & illud ad aliam? Illud certum mihi est, si dentur actus specie diuersi determinatè procedentes à potentijs distinctis, illas potentias futuras specie diuersas.

2 Ante solutionem aduerto, non eodem modo discurrendum esse de actibus comparatis ad sua obiecta, ac de potentijs comparatis ad actus: quia actus causantur ab obiectis: quare bonè possunt determinari quo ad sua prædicata specifica ab obiectis: potentiæ autem non causantur ab actibus sed illos causant: quare independenter ab ipsis habent causam actibus prædicata specifica determinantem.

3 Dico igitur primò: potentias non habere rigorosè specificatiuum: probatur, quia specificatiuum rigorosè est, quod facit speciem rei, illam causando, ac præterea debet ingredi, vt terminus, in definitionem eiusdem: sed nihil præstat speciem: respectu potentiæ: ergo nullum est, quod respectu potentiæ sit rigorosè specificatiuum. Minor probatur: essentia potentiæ explicatur per actum, & obiectum tantum: sed neque actus, neque obiectum dat simul potentiæ speciem, causando illam: ergo nihil est, quod respectu potentiæ habeat illa duo prædicata.

Potentiæ non habent specificatiuum rigorosum.

4 Dico secundò: potentiæ intentionales specificatiuum minus rigorosè à subiecto, cuius est potentia. Probatur: quia essentia subiectiua est causa determinata huius potentiæ, vel saltem existens in idea, & cognitione Diuina, exigit habere sibi identificatas has, & tot potentias versantes circa hæc, & tot obiecta; neque enim datur alia causa determinans potentias subiecti, & prædicata illarum, præter ipsum subiectum, vel in se existens, vel existens idealiter in mente Dei;

Habent minus rigorosum.

vel demum finis eiusdem subiecti intentionaliter existens in mente summi Artificis. Quare specificatiuum potentiarum, vndè colligenda est natura, & distinctio illarum, est essentia subiecti existens in aliquo statu.

5 Et quidem, qui benè penetraret essentiam hominis, & finis ad quam est à Deo ordinatus, apertè videret in illo determinationem ad potentiam vnam intellectiuam, cuius munus sit nō solùm apprehendere, sed etiam iudicare, & discurrere circa quodcumque intelligibile: nam eius finis est acquisitio fælicitatis, quæ vel totaliter, vel saltē principaliter sita est in contēplatione veritatis, sed dependenter à sensibus: ergo debuit in illo dari vna potentia, quæ respiceret, vt obiectum formale, verum, & ad eius inquisitionem maximè inclinaret. Quia verò ab homine non potest dependenter à sensibus acquiri veritas, nisi multa apprehendēdo, iudicando, & discurrendo, ideo debuit dari vna potentia, quę simul esset iudicatiua, apprehensiua, & discursiua circa omne verum: quæ potentia etiam debet posse versari circa falsum, saltem vt illud fugiat. Idem discursus facilè deriuari potest ad potentiam volitiuam, & ad alias sensitiuas. Quare si quis benè penetraret naturam animalis perfecti, videret in illo exigentiam quinque potentiarum sensitiuarum versantium circa quinque sensibilia, & alius potentiæ versantis circa omnia sensibilia, ac præterea appetitiua sensitiua.

6 Ex quibus, dici potest satis probabiliter, regulam vndè nobis innotescat potentiarum distinctio esse obiectum formale diuersum, sed ita vt non quæcumque diuersitas obiecti formalis sit sufficiens diuersificare specie potentias; aliter alia specie esset potentia visiua albi à potentia visiua nigri. Ea igitur collectio obiectorū formalium determinat sibi specialem potentiam distinctam, à potentia versante circa alia obiecta formalia, quorum obiectorum quodlibet aptum est excitare actum, ac modum tendendi, quo cognito formatur conceptus vniuersalis tum actus, tum obiecti conueniens tum omnibus, & solis actibus versantibus circa illa obiecta; tum omnibus, & solis obiectis contentis in illa collectione: sic quia visa albedine illico intellectus format conceptus visionis applicabilē cuicumque, & soli visioni; & conceptum coloris applicabilem cuicumque, & soli colori; ideo concipimus potentiam visiuam, vt distinctam ab alijs. Cuius rei ratio est, quia sicut omnes colores, & visiones valent excitare communem illum conceptum iam explicatum; ita videntur habere communem potentiam.

Signum diuersitatis potentiarum.

7 Ex hoc videtur exigere essentia subiecti limitata, vt nimirum nec omnia vnica potentia attingat, sicut nec vnico actu; neque vt potentiæ multiplicentur pro multiplicitate obiectorum, vt vidimus. Quare videtur exigere, vt tot sint potentiæ in se; quot sunt classes, & collectiones obiectorum formalium contentorum sub illis conceptibus vniuersalibus iam explicatis. Præterea conceptus illo generico, tum actus,

tum obiectorum, qui excitetur per quemlibet actum, videtur sibi vindicare propriam potentiam versantē circa omnia illa obiecta, & actus aliter non esset, cur omnes exercitarent eoocepeus illos genericos conuenientes tantùm his actibus, & his obiectis.

SECTIO TERTIA.

De Specificatiuo habituum.

1 IN habitu duos ordines considero, alterum ad actum á quo prodicitur, alterum ad potentiam, in qua recipitur. Certum autem est habitus spectantes ad diuersas specie potentias, specie inter se differre: habitus enim cum sint adminiculum potentiæ, valdè illis assimilantur in modo procedendi. Non omnes tamen habitus spectantes ad eamdem potentiam sunt eiusdem speciei. Debemus igitur assignare caput, vndè possimus distinguere specie habitus, quamuis spectantes ad eamdem potentiam.

Habitus specificantur per actus, & obiecta formalia.

2 Et quidem habitus determinatè producti ab his actibus, & inclinantes ad similes actus, certum est differe specie ab habitibus determinatè procedentibus ab alijs specie actibus, & inclinantibus ad similes actus sequentes: cum enim habitus sit quoddam vestigium actus per quem causatus est; habitus plures determinatè respicientes actus specie diuersos debent inter se specie differre. Et in hoc sensu verificatur, habitus specificari per actus, à quibus producuntur: & quia actus specificātur ab obiectis formalibus, verificatur etiam habitus saltem mediatè per obiecta formalia specificari.

Quomodo multiplicā di habitus.

3 Cæterum non omnes actus specie diuersi debent fundare habitus specie diuersos: tum quia plus æquò multiplicarentur habitus: tum quia finis, ad quem instituti à natura sunt habitus, est minuere, & auferre difficultatem potentiæ in exercitio actuum: ergo tot multiplicandi sunt habitus, quot sunt necessarij ad talem effectum: ad talem autem effectum non est necesse, vt singuli actus specie diuersi fundent habitus singulos, & specie diuersos: nam plures actus quamuis specie diuersi; eam tamen habent affinitatem in materia, obiecto formali, & modo tendendi; vt imminuta difficultate per exercitium vnius speciei circa actus eiosdem, iam intelligatur imminuta difficultas circa alias species affines. Cuius rei ratio est: quia difficultas in exercitio potest oriri non ex rationibus specialibus illorum actuum, sed ex ratione aliqua communi; in qua conueniunt omnes actus. Igitur tot multiplicandi sunt specie habitus, quot sunt collectiones specierum actuum participantium eamdem difficultatem: sic quia eadem est difficultas in elargienda pecunia, ac in elargiendo frumento ad subleuandam alicuam miseriam: ideo idem habitus sufficit ad omnes hos actus, quamuis specie diuersos.

4 Vrgebis primò, non est vnde colligamus, has diuersas difficultates sufficientes ad fundandos actus specie diuersos. Respondeo id sufficiēter colligi posse inspecta natura potentiæ, & obiecti tum formalis, tum materialis: quia cum habitus debeat minuere potentiæ difficultatem circa actus attingentes hæc obiecta materialia, & formalia potest aliquando difficultas specialia oriri ex parte potentiæ, aliquando ex parte obiecti. Quare nihil certi hic definiri potest. Solùm addo, quando obiecta, licet specie diuersa, sunt tamen inter se valdè affinia, vel considerantur sub aliqua ratione valdè simili, & omnibus communi; tunc superata difficultate circa vnum, videri etiam superatam circa reliqua, & per exercitium actuum circa reliqua non produci nouum habitum specie diuersum, sed augeri perfectionem prioris, quem suppono non attigisse summum sue perfectionis.

5 Vrgebis secundò: actus vnius speciei non continet formaliter, vel virtualiter perfectionem actus alterius speciei: ergo non potest producere habitum facilitantem ad illum actum. Distinguo antecedens: non continet adæquatè; concedo: inadæquatè; nego antecedens, & consequētiam: sufficit enim si habitus productus tendat ad minuendam talem difficultatem, cuius similem participat alius actus, licet diuersæ speciei: ad hoc autem non requiritur, vt actus vnius speciei contineat adæquatè perfectionem actus alterius speciei, sed sufficit si inadæquatè illam contineat.

6 Ex dictis infero: aliquem habitum dari posse, qui præcipuè ordinetur ad tollendam difficultatem, quę est in combinandis principijs necessarijs, ad inferendam conclusionem: & hunc habitum facilitare etiam ad eliciendam conclusionem: quare quantum est ex hoc capite, nullus est admittendus habitus conclusionis distinctus ab habitu pręmissarum: sed quia nonnumquam illa propositio, quæ infertur, assumenda est, vt certa independenter à præmissis, & in hoc potest intercedere specialis difficultas; ideo admitti potest habitus conclusionis distinctus ab habitu præmissarum in ordine ad hunc effectum. Hinc non est necesse, vt habitus inclinet ad actus omniò similes præcedentibus. nam actus præcedens in nostro casu dicit actualem dependentiā á præmissis, actus subsequens non dicit talem dependentiam, sed sufficit si tendat in actum inadequatè similem versantem nimirū circa idem prædicatum, & subiectum, & cum simili ferè certitudine.

SECTIO QVARTA.

De Vnitate, & diuisione scientiæ tum actualis, tum habitualis.

1 PHilosophiam rectè definies cum S. Damasceno apud Conymbricenses *cognitio rerum, vt sunt*, hoc est per causas, si eas habuerint. Sicuti enim res habent esse à causis, ita

Ee 2 tunc

tunc dicuntur cognosci, vt sunt, cum earum causas cognoscimus. Confirmatur, quia ex admiratione orta ex notitia effectuum, & ignoratione causarum, cæperunt homines philosophari. Par igitur est eum philosophum appellare, qui causarum cognitionem sit assecutus.

2 Hanc philosophiam communiter diuiserunt authores in naturalem, moralem, & dialecticam, cuius diuisionis eam rationem assignant Conymbricenses ex Augustino *lib. 9. de ciuit. cap. 1.* Philosphandi causa nulla est homini, nisi vt Beatus sit. Humana autem felicitas partim in actione virtuti consentanea, partim in contemplatione veritatis sita est: ergo necesse est dari scientiam, quæ honesti rationem ostendat, & ad virtutem, morumque probitatem erudiat, & hęc est moralis: aliam item quæ naturę arcana scrutetur, & hæc est naturalis. Sed quia hæ sciētiæ differendo adipiscuntur, qua in re non raró fallimur; statuenda fuit tertia scientia cuius munus sit modum præscribere rectè discurrendi, qualis est Dialectica. Confirmatur: quia nulla est ex scientijs puro lumine naturali acquisitis, quæ ad aliquam ex dictis reduci commodé non possit: ergo allata diuisio est satis commoda.

3 Iam verò philosophia naturalis communiter diuiditur in tria illa membra in phisicam, mathematicam, & metaphysicam. Est autem difficultas primó: quomodo quęlibet ex dictis sciēsija sit vna? secundò: verum rectè constituta sit prædicta diuisio? Pro solutione.

4 Sciendum est, scientias, actus, & habitus secundum diuisionem naturalem, esse planè innumerabiles, & actus quidem tot, quot sunt obiecta, imo plures, propter varias combinationes, quas potest intellectus facere eorumdem obiectorum: habitus autem tot, quot sunt difficultates: vt facilè colligi potest ex dictis. Et saeè cum casu possint occurrere priùs hæc, quam illa obiecta; ex natura rei non solùm cognitiones sunt ita multiplices, sed nullus etiam est inter illas ordo naturalis.

Scientia nō est vna vnitate simplicitatis.

5 Ex his apertè colligitur: scientiā, v.g. physicā siue actualē, siue habitualē nō esse vnā vnitate simplicitatis: quia actualis, est collectio omniū cognitionum, quę hanc physicam, quæ defacto traditur, constant, & sunt penè innumera: habitualis est collectio omnium illorum habituum, qui facilitant ad hos tot, & adeo diuersos actus. Certè quidem, qui habet facilitatem discurrendi de mixtione elementorum, non ideo facilè disputabit de infinito, vel compositione continui. Idem dico de alijs scientijs.

Sed ordinis ad vnum obiectum formale incomplexum

6 Quare in his scientijs non agnosco aliam vnitatem, quàm ordinis ad vnum obiectum formale incomplexum, videlicet ad rationem aliquam quæ, & sit terminus vniuersalis, ac simplex, vtporè terminus primæ apprehensionis simplicis; & sit veluti primum principium per se notum: quia videlicet vt intelligatur non indigemus vlteriore explicatione, sed statim dependenter ab aliqua cognitione experimentali cognoscimus, quid illud sit: vt cum dependenter à visione oculari formamus conceptum satis clarum visionis, & coloris, ac lucis, quem si explicare tentes, implicabis potiùs. Hoc igitur obiectū est veluti primū principium: quia est veluti radix omnium cognitionum spectantium ad aliquam scientiam: nam benè penetratum, ac diligenter discussum; priùs ostendit sub se contineri plures species, deindè ostendit illarum specierum proprietates, & alia pręedicata, quæ attentè considerata excitant naturale hominis desiderium ad mouenda plura dubia, & quæstiones: & eadem variè inter se combinata præbent principia, vndè dissolui possint dictæ quæstiones, & deduci conclusiones scientificæ. Verum de hoc principio, & obiecto formali incomplexu plura dixi *disp. 1.*

7 Scientia igitur siue habitualis siue actualis, est vna vnitate ordinis: quia licet includat plures partes valdè inter se discrepantes; omnes tamen dicunt respectum ad illud principium incomplexum, quod omnes attingunt: & si versentur circa obiecta valdé diuersa, illa tamen non attingunt nisi quatenus substāt, & participāt rationem formalem illius principij: Hāc vnitatem agnoscunt in scientijs Hurtadus, & Quiros. Nec fortasse discrepant alij, qui vnitatem desumendam putant, vel ab vnitate subiecti, vel ab vnitate obiecti formalis, vel demum ab vnitate rationis formalis: re vera enim hęc omnia non differunt a principio, & obiecto formali incomplexo, quòd tamen debet esse terminus vniuersalis: quia scientiæ humanæ ob suam imperfectionem non versantur nisi circa obiecta vniuersalia. Et hæc quidem quo ad primam difficultatem: quo ad secundam autem.

8 Suppono in homine dari tres pręcipuè potentias: sensitiuam, imaginatiuam, & intellectiuam: prima versatur circa obiecta sensibilia, & inseruit intellectui ad cognoscendam rerum sensibilium naturam, & ex illa facultate eruit intellectus principia ad benè discurrendum de his rebus sensibilibus; ideoque quò quis plus valet sensu pręcipuè interno, eò facilius de illis discurrit. *Ratio diuisionis scientiarum.*

9 Secunda potentia est imaginatio, quæ inseruit intellectui ad cognoscendas rerum figuras, lineas, superficies, puncta, magnitudinem, numerum, & similia: qui enim imaginatione pollent faciliùs de his discurrunt, & ex imaginatione eruit intellectus principia ad concludendum de his obiectis: & maiorem, & minorem difficultatem in illis experimur pro maiori, vel minori perfectione imaginationis:

1u Tertia demum potentia, est intellectus, quæ inseruit homini ad cognoscendas res secundum rationem vniuersalem entis cum præcisione à sensibilitate, mole, & magnitudine. Atque ex illa eruit principia vniuersalissima, & prima, vt quodlibet est, vel non est, & similia, in quo inest difficultas non vulgaris.

11 Iuxta igitur hanc triplicem potentiam, assignarunt Authores tres facultates, & scientias ordinatas ad superandam illam triplicem distinctam

tam difficultatem:& quæ extenderentur ad omne obiectum lumine naturali scibile. Et quidem omnes actus,qui versãtur circa res naturales,& sensibiles,vocarunt physicam, & constituerunt vnam scientiam. Nec incongruè quidem: quia omnes illi actus conueniunt in attingendo res sensibiles, & ordinantur ad superandam difficultatem, quæ inuenitur in veritate rerum sensibilium consequenda. Eas verò cognitiones, quæ in eo conueniunt, vt considerent figuram, magnitudinem molis, rerum dimensiones, numerum, & similia, & maximè pendent ab imaginatione, ac ordinantur ad superandam difficultatem, inde ortam; constituunt vnam aliam scientiam, quam vocant Mathematicam. Demum illos actus,qui rationes abstractas entis considerant cum suis proprietatibus, &c. & præcipuè quoad veritatem pendent à perfectione, & lumine ipsius intellectus constituunt vnam tertiam scientiam ab alijs distinctam, quam dicunt Metaphisicam.

12 Iam verò præter has scientias directas, debuit admitti alia reflexa, quæ illas veluti dirigeret, ne errarent inquirendo veritatem, & vt euitarent lapsus, qui in discurrendo circa sua obiecta possent irrepere,& hæc est logica, quæ habet suam specialem difficultatem, & vtilitatem, de qua fusiùs egimus disp. 1.

13 Ex quibus deduco: Thomistas diuidentes scientias naturales in tres classes iuxta triplicem abstractionem,non multum distare à tradita doctrina: re vera enim qualibet ex allatis scientijs supponit suum obiectum esse rationem aliquam communem constitutam per cognitionem abstractiuam: nam physica versatur circa mobile sensibile præscindendo à singularibus, & ideò dicitur præscindere à materia signata, & esse immersa in materia sensibili, Mathematica versatur circa figuras, & numeros præscindendo à sensibilitate, & ideò dicitur abstrahere à materia sensibili. Metaphysica abstrahit etiam à materia intelligibili; quia considerat rationes entis, spiritus, & similes, quæ præscindunt intentionaliter, vel etiam realiter, ab omni materia. Quare vel scientiæ non supponunt illas abstractiones, sed constituunt, vel si supponunt suum obiectum iam præcisum; non considerant formaliter præcisionem, sed obiectum illius.

14 Illud autem mihi displicet cum Hurtado, Arriaga, & Ouiedo; si velint Thomistæ hanc triplicem abstractionem esse regulam fixã à natura ad distinguendas scientias inter se: potuissent enim primi Parentes scientiam in plura membra diuidere,& constituere plures scientias pro multiplici possibilitate abstractionum,& rationum vniuersalium habentium specialem difficultatem; cur enim non posset dari vna scientia, cuius munus esset perfecta cognitio corporis animati, & superare difficultates, quæ sunt in inueniendis veritatibus circa idem corpus, & alia, quæ consideraret præcipuè corpus incorruptibile, &c. Quare allata diuisio iuxta triplicem abstractionem, & difficultatem ortam ex triplici supradicta potentia, est satis congrua, sed non omninò necessaria, vt patet consideranti. Nec facilè conuinci possit, qui cum Pico Mirandolano afferret: vnam tantùm dari scientiam, habentem tamen sub se plures partes integrales, & inter se specie differentes.

15. Necessarium tamen fuit, vt quæ naturaliter sunt multiplicia,& inordinata,artificialiter diuiderentur:sicuti cõgrua, & necessaria fuit diuisio aliqua orbis terræ in plures partes, regna, prouincias: quamuis, quæ facta est, sit omninò voluntaria: potuisset enim alio modo satis congruè diuidi. Neque quia ea diuisio vltimò à natura determinata non fuit; ideò defuit natura in necessarijs: nam tribuit homini intellectum, & prouidentiam, qua posset illi defectui occurrere, vt patet in vestibus, & armis, quibus natura ornauit belluas, non homines.

16 Dices: vnicus datur intellectus: ergo vnica scientia. Nego consequentiã: quia intellectus licet vnicus; potest tamen fieri omnia, per omnium rerum cognitiones, quæ cognitiones satis congruè naturis rerum distributę sunt in classes supradictas; præcipuè vt in tradendis, & acquirendis scientijs, aliquis ordo seruaretur. Quamuis autem sensus sint plures, non tamen singulis illorum debet correspondere sua scientia: quia intellectus immediatè vitur ministerio tantùm sensus interni. Allatæ rationes probantes necessitatem distinguendi in hominibus plures scientias, nõ militent in Deo, & Angelis;ideò in illis non debemus distinguere tot scientias, quot in hominibus. Et in Deo quidem vnica datur scientia, nempè Theologia, perfectissima.

17 Obiecta aliarum facultatum contineantur tamquam partes subiectiuæ in obiecto metaphysicę, quod est vniuersalissimum genus entis; sed fundant diuersum modum tendendi, & habent specialem difficultatem ortam ex distinctis potentijs, vt vidimus, ad quam superandam non extenditur metaphysica; & ideò authores requisiunt diuersas scientias: neque est vniuersaliter verum scientiam, quæ attingit rationem aliquã genericam, debere se etiam extendere ad illius species earumque proprietates considerandas, sed tantùm quando nulla est noua difficultas: ad summum ergo potest illa scientia generis attingere illas species, cum diuidit suum obiectum in species.

SECTIO QVINTA.

Assignantur dictis scientijs obiecta.

1 DE logica plura diximus disp. 1. Sed ex illis, quæ ibi fusè disputauimus, decidemus nunc reliquarum trium obiectum. Suppono nunc dari illas scientias, quarum qualibet habet aliquos discursus demonstratiuos. Quare sit.

SVB-

SVBSECTIO PRIMA.

De obiecto Physicæ.

Subiectum intentionale physicæ est ens sensibiliter mobile, idem obiectum formale incomplexum.

1 DIco primò: obiectum formale incomplexum physicæ est ens sẽsibiliter mobile, seu quod idem est ens naturale. Probatur: quia hic est conceptus quidam genericus, per se notus, ex quo bene penetrato eruit physica principia, ex quibus probet suas conclusiones: cum enim physica sit scientia, maximè pendens ab experientia sensuum, habita per rerum mutationes, ad eam præcipuè spectat considerare ens sensibiliter mobile, & ex eius sensibilitate, & mobilitate deducere principia, ex quibus de eodem probet passiones, causas, &c. Et qui benè attendit ad libros physicorum Aristotelis, & modo, quo proceditur in physica, animaduertet verum esse, quod diximus.

3 Dico secundò: subiectum intentionale præcipuum, de quo physica probat in suis conclusionibus proprietates; est ens item sensibiliter mobile: ratio verò formalis est mobilitas sensibilis: probatur, quia de ente sensibiliter mobili, quatenus tali, probat physica, & inquirit passiones proprietates, &c. & de alijs agit, quatenus directè, vel indirectè aliquo modo participant illam sensibilem mobilitatem, vt sunt carentiæ, Angeli, Deus; ergo verè subiectum primarium adæquatum physicæ est ens sensibiliter mobile, seu ens naturale, quod in idem recidit; ratio verò formalis est sensibilis eius mobilitas.

4 Dico tertiò, obiectum formale complexum physicæ sunt præmissæ obiectiuæ, ex quibus deducit suas conclusiones, quarum videlicet subiectum est ens sensibiliter mobile; & quodcumque participat illam mobilitatem: dictæ verò conclusiones obiectiuæ sunt obiectum materiale, patet conclusio ex dictis disp. 1. de obiecto logicæ.

Obiectum attributionis corpus substantiale completum sensibile.

5 Dico quartò: obiectum attributionis physicæ est corpus substantiale completum, ac sensibile, seu substantia completa sensibiliter mobilis: probatur: quia ex dictis disputatione 1. subiectum attributionis idem est, ac obiectum formale incomplexum; ergo subiectum attributionis in casu nostro est ens sensibiliter mobile. Sola autem substantia sensibilis completa est ens sensibiliter mobile: partes enim illius non sunt ens, sed partes entis: sicuti non sunt absolutè entia, sed entis entia accidentia sensibilia. Hinc Aristotelis primum, de quo agit in physica, est tale corpus sensibile mobile, inquirendo eius principia, &c. Et confirmatur; quia primum sensibile est dictum corpus.

6 Non negauerim autem multa in physica probari de accidentibus, de carentijs, &c. Ex quo solùm sequitur, hoc etiam esse subiectum huius scientiæ: at cum his benè stat, quòd subiectum primarium, & attributionis, sit corpus substantiale completum sensibiliter mobile. Hinc benè quis definiet physicam. Cognitio perfecta corporis sensibilis, &c. Verùm si ea cognitio est perfecta, vtique includet cognitionem omnium, quæ ad corpus illud spectant.

7 Dices: cognitio dicti corporis ordinatur ad cognitionem compositi accidentalis, quod est quid perfectiùs, & respicit corpus substantiale, vt suam partem. Nego antecedens: ad cuius probationem; concedo compositum accidentale esse quid perfectius, quàm corpus substantiale, sed includere duo, quorum alterum est finis, cui intimus adæquatus, nempè corpus substantiale, alterum est illius perfectio, nempè accidens, neque ex accidente, & corpore fit nouus finis, cui intimus. Sicuti igitur omnia etiam ipsum compositum accidentale ordinatur ad perfectionem corporis substantialis; ita satis congruè etiã cognitio compositi accidentalis ordinatur ad perficiendam, vt ita dicam, cognitionem substantiæ sensibilis.

SVBSECTIO SECVNDA.

De obiecto Mathematicæ.

Obiectum formale mathematicæ quantum.

8 CVM hæc facultas tota sit circa obiectum imaginationis ad vincendas difficultates, quę occurrunt in consecutione veritatum rerum mensurabilium; ideò eius obiectũ formale incomplexum est quantum formaliter, vt quantum, seu mensurabile, quod idem erit subiectum conclusionum talis scientiæ. Ipsa mensurabilitas erit ratio formalis. Principia complexa, & præmissæ obiectiuæ, ex quibus deducit suas conclusiones obiectiuas, quarum videlicet subiectum est ens mensurabile; sunt obiectum formale complexum, obiectum demũ materiale sunt dictæ conclusiones obiectiuę, quæ omnia facilè patent ex dictis.

9 Dices: Mathematica, si vera est doctrina allata, versatur etiam circa numerum rerum spiritualium, non minùs, ac materialium: ergo abstrahit etiam à materia intelligibili, quòd est absurdum contra communem sententiam. Distinguo antecedens: versatur circa numerum rerum spiritualium dependenter à principijs acceptis ab imaginatione rerum materialium, & superando prorsus similem in vtrisque difficultatem; concedo: alio modo; nego antecedens, & consequentiam: ad hoc enim, vt dum mathematica agit de numero rerum spiritualium, non abstrahat à materia intelligibili; sufficit si principia dependenter à quibus agit de numero rerum spiritualium, sint eadem, & eadem etiam difficultas, ac de rerum materialium numero, & cum dependentia ab eadem imaginatiua item materiali.

10 Demum obiectum attributionis huius scientię erit, ens mensurabile, ad cuius perfectiorem cognitionem videntur ordinari aliæ omnes cognitiones, quę in hac scientia exercentur.

SVB-

SVBSECTIO TERTIA.

De Obiecto Metaphysicæ.

Ratio entis est obiectū formale attributionis et subiectū logicū metaphysicæ.

11 Hæc versatur circa rationes abstractas ab omni materia. Quare non immeritò eius obiectum formale incomplexum est ratio entia satis nota. Eadem erit subiectum, cuius proprietates hic inquiruntur, & ratio formalis: quia de ente, quatenus ens est, agit hæc facilitas. Præmissæ autem obiectiuæ sunt obiectum eiusdē formale complexum, & conclusiones obiectiuæ modo supra explicato de reliquis scientijs; sunt obiectum materiale. Demum obiectum attributionis, vt colligi potest ex dictis, est ipsa ratio entis. Verùm á fusiori disputatione de obiectis volens lubensque abstineo; tum quia videntur sufficere supradicta, tum quia huiusmodi quæstiones videntur mihi potius de nomine, quám de re.

SECTIO SECVNDA.

De subalternatione Scientiarum.

Quid requiratur ad scientiā subalternatam.

1 AD scientiam subalternatam primò omnes requirunt, vt sumat principia, vndè deducat suas conclusiones, à subalternante, & quidem si subalternans est discursiua nemine discrepante subalternatæ principia sunt conclusiones subalternantis. Caietanus contra reliquos fere omnes docet: quod si subalternans non est discursius; principia subalternatę sumuntur á subalternante, sed non sunt conclusiones subalternantis. Attamen, vel non datur huiusmodi subalternatio, vel saltem subalternatæ principia sunt ęquiualenter conclusio subalternantis.

2 Secundò: subiectum subalternatę, est idem saltem inadæquatè cum subiecto subalternantis; sed addit aliquod prædicatum veluti accidentale, quod tamen non considerat independenter à prædicato considerato per subalternantem: sic musica subalternatur arithmeticę: quia habet idē subiectum, ac illa, nempè numerum; sed considerat aliquod prædicatum accidentale, nempè rationem sonori, quod non considerat independenter á numero. Et perspectiua subordinatur geometricæ: quia considerat lineā, quæ est obiectum geometricæ, sed eam illo prædicato accidentali, visualis: & in hoc putat Ouiedus, fitam essentiam scientiæ subalternatæ, & saltem ab omnibus, vno, vel altero excepto cognoscitur ea, vt conditio necessaria ad rationem scientię subalternatę.

3 Tertiò alij requirunt, vt subalternata ruditer consideret obiectum, quod diligenter contemplatur subalternans: sic nautica ruditer considerat cursum stellarum, quem studiosé scrutatur astrologia, cui subordinatur nautica.

4 Demum Durandus *quæst.* 7. prolixè docet, scientiam subalternantem, & subalternatam habere obiecta omninó diuersa; subalternatæ tamen finem ordinari ad finem subalternantis, quæ ideò subministrat illi principia: in quo sensu frænefactoria subordinatur equestri: quia finis illius, nempè frænum, ordinatur ad bonam equitationem, qui est finis equestris, & ideo regula boni fręni est bona equitatio: eodem modo militatis subordinatur politicæ: quia victoria, qui est finis militaris, ordinatur ad pacem ciuilem, qui est finis politicæ, & dat regulam victoriæ.

5 Ex his conditionibus difficilè est vnam definitionem construere, quæ conueniat omni subalternatę. Ego ex allatis regulis hanc conficio descriptionem: subalternata est, quæ habet pro principijs conclusiones alterius scientiæ, cuius obiectum diuerso modo considerat. Et quidem, quòd habeat principia, quę sint conclusiones subalternantis; patet ex numero primo. Quod respiciat idem obiectum; patet ex numero secundo. Quòd demum diuerso modo; patet ex numero secundo, tertio, & quarto: nam vel considerat idem obiectum, sed ruditer, vel addit prædicatum accidentale, vel habet illud pro fine extrinseco, vt volebat Durandus: quodcumque autem videtur sufficere, dummodò constent duę priores conditiones.

6 Notandum autem est primò: non sufficere ad subalternationem, si principia vnius demonstrationis sint conclusiones alterius: aliter posteriores demonstrationes Euclidis subalternarentur prioribus. Secundò: principia subalternatę, quæ sunt conclusiones subalternantis, debere esse euidentes construenti syllogismum: aliter conclusio, indé deducta, non esset scientifica, neque euidens. Tertio syllogismum, qui constat præmissis subalternantis, & conclusione subalternatæ, propriè non spectare neque ad subalternatam, neque ad subalternantem, sed esse communem vtrique ratione diuersarum partiū, quod videtur proprium scientiæ subalternatæ ob suam imperfectionem, vt sola non possit construere suas demonstrationes, sed indigeat alieno lumine.

7 Quęnā autē ex scientijs defactò existentibus subalternentur; facilè colligi potest ex dictis, & primò quidem physica nō subordinatur metaphysicæ: quia habet propria principia collecta ab experientia per sensum habita: neque obiectum physicæ addit obiecto metaphysicę prædicatum accidentale, sed differentiam essentialem. Secundò mathematica non subordinatur physicæ: habet enim principia sua propria, in quæ tandé resoluat suas demonstrationes, eruta dependenter ab imaginatione. Idem dico de logica respectu animasticæ.

IN OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS.

Quid significet physica?

1 PHilosophiam naturalem in tres illas partes Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam diuidebam disputatione ac vltima Logicæ: aggredior nunc ad explicandam primam illius diuisionis partem, quæ Physica dicitur á verbo græco, φύσις, quod naturam latinè sonat: quia proprium eius munus est, res naturales dependenter á principijs illis vestigare, quę à sensuum experientia eruuntur.

Diuisio physicæ.

2 Iam vero suam physicam in quinque partes distribuit Aristoteles; & in primis octo libris physicorũ corpus naturale in communi, eiusque principia, causas, ac proprietates inuestigat; in reliquis ad illius species descendit. Secundo igitur in libris de cęlo agit de corpore incorruptibili, nonnulla intexens de structura mundi, eiusque partibus. Tertio loco in libris de ortu, & interitu disputat de corpore corruptibili, & generabili in communi; & de corporibus simplicibus, nempè de elementis. Tum quarto loco in libris Metheorologicorum considerat mixta inanimata, quæ in sublimi generantur, vt sunt cometæ, grandines, pluuiæ, mel, & similia; sicuti in libris de metallis ea, quæ in terræ visceribus producuntur, qualia sunt mineralia. Quinto demum de corpore animato differit in libris de anima, de historia, partibus, generatione, motu, & incessu animalium, quibus accedunt libri, qui parua naturalia dicuntur, de somno, & vigilia: de insomnijs, de diuinatione per somnia, de longitudine, & breuitate vitæ, de sensu, & sensibili, de memoria, & reminiscentia, de iuuentute, & senectute, ac de respiratione.

Aristoteles ab vniuersalibus ad particularia progreditur.

3 Ex his patet Aristotelem in sua physica ab vniuersalibus ad particularia processisse: quã doctrinæ methodum laudat hic *lib. 1. cap. 1. tex. 4. ex vniuersalibus*, inquit, *ad singularia proficiscamur oportet*: quod inde confirmat: quia *Necesse est, vt à facilioribus, & apud nos notioribus incipiamus: totum autem est secundum sensum notius, & vniuersale est totum quoddam cõprehendens multas partes*: in quo discursu assumitur, vniuersalia esse nobis notiora, quam singularia, & absolutè primo cognitum dependenter à sensibus esse vniuersale; quod tamen aliquid difficultatis patitur.

Cognitum absolutè primum est aliquod singulare.

4 In hac igitur controuersia, primo mihi certum est, posse nostrum intellectum cognoscere aliquod singulare etiam in singulari, & conceptu ita claro, vt non sit alij applicabilis; quilibet enim nostrum ita se experitur, & cognoscit, vt ea cognitio non possit alij applicari; neque possit sub eo conceptu alius comprehendi. Quin imo cum nostrum esse sit maxime nobis proximum, & aptum excitare in nobis sui notitiam, respectu cuiusque cognitum absolutè primum est aliquod singulare, suum nempè proprium esse.

5 Secundo possumus cognoscere aliquam collectionem accidentium, quæ nulli alteri cõpetat, nisi huic determinato indiuiduo: ergo verè possumus cognoscere singularia: & cum sensus non versentur nisi circa singularia; primæ intellectiones, quę sunt magis proximæ sensationibus, erunt de obiecto singulari; in quo sensu singularia sunt notiora: cum enim omnis nostra cognitio dependeat à sensu, ea procul dubio sunt nobis notiora, quæ sunt sensui magis subiecta, qualia sunt singularia. Absolutè igitur loquendo cognitum ordine generationis primum, est aliquod singulare.

6 Attamen ob imperfectionem sensuum, & specierum, dependenter á quibus operamur, non formamus conceptus singularium, nisi imperfectos, & valdè confusos, quibus præsentibus sæpè non valemus distinguere obiectum cognitum à quocumque alio; & postquam præterierint; cognitiones rememoratiuę per species ab illis primis conceptibus relictas, ita imperfectè excitantur, vt si loco prioris obiecti proponatur aliud simile, non possimus distinguere verum sit diuersum à primo obiecto, vt si successiuè ostendantur duo oua; & pueri quamuis primam cognitionem patris habuerint de aliquo indiuiduo particulari; quia tamen ea cognitio est imperfecta; ideò quemlibet virum occurentem initio patrem appellant.

Ex obiectis extra nos positis primum vtiliter ad sciẽtias cognitum sunt gradus vniuersales.

7 In hoc igitur sensu benè dici potest, ex obiectis extra nos existentibus, de quibus loquitur Aristoteles, & quæ sunt obiecta scientiarum, primum nobis vtiliter cognitum in ordine ad easdem scientias acquirendas, esse gradus vniuersales: quia, quamuis intellectus per primas cognitiones attingat obiecta singularia; nihilominus illæ cognitiones non certificant de singularitate adęquata, & vltima; benè autem de gradu aliquo vniuersali entis, substantię, accidentium, & similium; vndè formamus conceptus quosdam per se notos, ex quibus variè cõbinatis eruuntur prima principia vniuersalia: hæc autem benè dici possunt prima cognita in ordine ad scientias acquirendas. Huc spectat Philosophus asserens, quoad nos notiora ea, quę sunt in se minus nota: quia in se sunt magis nota singularia, à quibus proficiscitur omnis cognitio; sed nos cognoscendo singularia, regulariter non certificamur, nisi de gradibus vniuersalibus.

Benè igitur ab vniuersalibus proceditur ad particularia.

8 Ex quibus patet benè procedere discursum Aristotelis probantis, ab vniuersalibus procedendum esse ad singularia, quia debemus procedere ab ijs, quæ sunt nobis faciliora, & certiora.

tiora, qualia sunt vniuersalia; quę penetrata diuidenda priùs sunt in suas species, vt ita tandem ad perfectiorem particularium cognitionem deuenire possimus. Legatur Philosophus 1. *met. cap.* 2. cuius, vt constat, confirmauit iam dicta, satis laudabilis est methodus in tradenda physica.

Physica est scientia speculatiua. 9 Quam esse scientiam est communis ferè omnium sensus: multa enim euidenter concludit ex principijs saltem physicè euidentibus, quod sufficit, vt absolutè dicatur scientia, quamuis permulta sint, de quibus non nisi probabiliter discurrit.

10 Communis item sensus est, esse speculatiuam: neque enim dirigit hominem ad effectionem sui obiecti. Nihilominus Oniedus dat illi nonnullas cognitiones practicas de applicatione agentis ad passum. Verum in re leuis momẽti nolo diutius morari.

Cur hi libri dicãtur physici, cur de physico auditu, seu ausculatorij. 11 Quæres cur tantum hi primi octo libri appellentur absolutè physici, cur item de physico auditu, & ausculatorij? Respondeo ad primum hos tantum libros appellari absolutè physicos, non quia ipsi tantum ad physicum spectent; sed quia aditum ad totam physicam aperiunt; qua ratione Aristoteles eos, in libris de cęlo, vocat primos sermones. Ad secundum dico, eos vocari de physico auditu, quia illorum doctrinam ob magnas difficultates, non nisi viua doctoris voce adiuti consequi possent discentes. Quod non obscurè indicauit Aristoteles ipse, dum rescribens Alexandro expostulanti, cur libros ausculatorios euulgasset? *Ausculatorias* inquit, *disputationes, quas editas quereris, indicans debuisse in arcanis seruari, scito neque editas esse, neque non editas; ab ijs enim solum qui nos audierint, intelligi poterunt.*

IN LIBRVM PRIMVM

Physicorum Aristotelis.

SCopus Aristotelis in hoc libro est, explicare principia corporis naturalis; & quia non vna omnium fuit de principijs opinio; primis quatuor capitibus totus est in explodendis veterum erroribus à cap. 5. suam sententiam proponit. Nos omissis veterum opinionibus, quas, cui arriserit, videre poterit apud expositores, præsertim Conymbricenses, quid sentiendum sit, proponemus, ac confirmabimus: obiter tamen nonnulla de illis opinionibus dicemus.

DISPVTATIO PRIMA.

De principijs corporis naturalis in communi.

TRadita principiorum definitione, ac definito eorum numero, nonnulla de illorum conuenientia attingemus.

SECTIO PRIMA.

Definiuntur principia corporis naturalis.

1 PRincipium vniuersalissimè sumitur pro omni eo, quod alind præcedit vt illius initium, vt punctum respectu lineæ, vnitas respectu numeri, instans respectu temporis. Secundò sumitur pressiùs pro prima radice, & origine alicuius ordinis; in quo sensu à Cicerone 1. Tusculanarum quæstionum definitur: *Principij nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex nullo nasci potest*, accipit Aristoteles 5. de generatione animalium cap. 7. vbi *De ratione*, inquit, *principij est, vt ipsum causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.* Iuxta hanc acceptionem Adam est principium hominum, quia & ipse à nullo homine originem duxit, & reliqui omnes ab ipso descendunt: sed meus pater non est meum principium, nam & si me genuerit, genitus tamen ipse est ab alio priore homine. Hoc modo acceptum principium, & causa comparantur, vt mutuo excedens, & excessum: nam neque omne principium est causa, cum Pater æternus sit in diuinis principium, non causa Filij: neque omnis causa est principium; sic ignis, A, est causa ignis, B, non eius principium, cum fuerit ab alio igne productus. *Principiũ vniuersalissimè sumptum. Variæ principij acceptiones.*

Principij prima definitio: primum vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. 3 Tertiò sumitur principium pro eo, quod natura sua aliquid præcedit: sic forma primam productionem præcedit priuatio: & ab Aristotele 5. *met. cap.* 1. definitur principium est: *Primũ vnde aliquid aut est, aut fit, aut agnoscitur.* Dicitur primũ: quia principium debet rẽ, cuius est principium, præcedere; vel simpliciter, & sine vlla limitatione, vt Deus Optimus Maximus respectu omnium creaturarum, vel in aliquo determinato genere, aut specie, vt Adã respectu generis humani; vel demum in ordine tantum ad aliquem determinatum effectum, vt ignis, A, producens respectu ignis, B, à se producti. Dicitur secundò, vnde, vt significetur nexus inter principium, & eius terminum: licet enim Romulus Augustum præcesserit, non est eius principium, quia nullus nexus est inter illos, propter quem Augustus intelligatur esse à Romulo. Dicitur demum, aliquod aut est, aut fit, aut cognoscitur; quæ verba potiùs explicant tres principiandi modos, & tres principiorum species, quam aliquod prædicatum principio secundum se essentiale. Et profectò omne principium vel principiat in cognoscẽdo, quomodo præmissæ principiant conclusionem; vel in essendo, communicando alicui esse; quo modo Pater æternus est principium Verbi; vel in fieri, quomodo causæ producendo effectum per influxum defectibilem, illum principiant.

2 In hac igitur acceptione principium latiùs patet, quàm causa: omnis enim causa est principium, sed non omne principium est causa: nam Pater in diuinis est principium, non

causa

causa Filij. Quod si Patres Græci aliquando dicunt Patrem causā Filij, latiùs accipiunt nomen causæ, quàm Latini: apud hos enim causę correspondet tamquam terminus effectus defectibilis; apud illos procedens, cui non repugnat indefectibilitas. Abstinendum tamen est à modo loquendi Græcorum: tum quia posset errandi causam præbere rudioribus: tum quia nomen causæ iam apud Latinos indicat defectum in termino. Quando autem S. Augustinus *7. de Trinitate* docet, Deum suę sapientię causam esse, & S. Hieronymus *cap. 3. epist. ad Ephes. Patrem sui originem esse, suæque causam substantiæ*: intelligendi sunt negatiuè: quia videlicet Deus non habet extra se principium, & causam suæ substantiæ, & sapientiæ; neque enim extra Deum quærenda est ratio, cur existat, & sit sapiens.

4 Dices primò, allata definitio non est adęquata, neque enim explicat principium in ordine ad amorem, cum tamen nōn minùs dentur principia amoris, quàm cognitionis. Respondeo, essentiam principij, vt indicabam, satis explicari per illa verba, primum vnde aliquid; in sequentibus afferri in exemplum præcipuas principiorum species; non est autem necesse, vt qui affert exemplum enumeret omnes species. Ceterum intentum Aristotelis fuit diuidere principium in ordine ad status, in quibus res esse possunt; hic autem status triplex est, aut realis, veluti permanens, in quo res sit; aut realis, veluti in fieri, in quo res fit; aut demū intentionalis, in quo res cognoscitur: dum autem res amatur non acquirit aliquem statum à reali, & intentionali distinctum; neque enim res sicuti est in cognoscente, ita est formaliter in amante, cum potius per amorem amans transeat in amatum, in eoque viuat.

5 Dices secundo: in diuinis Pater est Filij principium, nec est prior Filio. Respondeo, esse priorem prioritate originis excludente omnem imperfectionem, de qua prioritate fusius Theologi.

6 Dices tertiò: Aristoteles *4. met. cap. 3.* docet. *Ens, & vnum se inuicem sequi, sicuti principium, & causa; & 5. met. cap. 2.* dum refert varias acceptiones huius vocis, principij, docet, eas conuenire causæ. Respondeo, Aristotelem in primo loco vsum voce, causa, in latiori significatione pro omni eo, à quo aliquid quocumque modo fit. Secundus locus solùm docet omnes acceptiones, & prędicata principij positiuè conuenire causæ, cum quo benè stat, non omne principium esse causam; sicuti quamuis omnia prædicata animalis conueniant homini, non tamen omne animal est homo. Verum hæc expositio est forrasse durinscula. Satius est non multum hic laborare de mente Aristotelis, qui non cognouit mysterium Trinitatis, ex quo nobis constat distinctio principij positiuè à causa.

7 Iam vero principia alia sunt extrinseca, quia sunt extra conceptum rei, quam principiant, neque illi intrinsecè vniuntur; talis est Deus respectu creaturarum, quas causat: alia sunt intrinseca, quia sunt intra rem, quam principiant; & hęc sunt in duplici differentia: nam vel sunt perfectè intrinseca, & partes constituētes rem principiatam; vt anima respectu hominis: vel sunt imperfectè intrinseca, quæ intrinsecè vniuntur rei principiatæ; sed illam non cōponunt: talis est materia respectu formæ materialis: materia enim ita causat illam formam, vt eidem intrinsecè vniatur ad faciendum vnum per se, sed non sit eius pars constitutiua. His de principijs in communi definitis, accedamus ad principia compositi naturalia.

Principia alia intrinseca, alia extrinseca.

8 Aristoteles hic *tex: 42.* prima principia compositi naturalis definit. *Quæ neque ex se, neque ex alijs, sed omnia ex ipsis sunt:* omissis aliorum explicationibus, quę videri possunt apud Giattinum hic *quæst. 1. art. 2:* allatam definitionem sic breuiter explico: principia non fiunt ex se se, quia vnum principium in eo genere, quo principiat, non fit, neque principiatur ab alio principio: v. g. materia non fit à forma tāquam à subiecto, & causa materiali, in quo genere ipsa principiat; neque forma à materia tāquam á causa formali; potest tamen vnum principium fieri ex alio in diuerso genere; sic forma, quę principiat in genere causæ formalis, principiatur á materia in genere causæ materialis. Pręterea principia non fiunt ex alterutris, idest ex alijs principijs eiusdem rationis; neque enim materia fit ex alia materia, vel forma ex alia forma. Sed omnia fiunt ex ipsis: quod intelligēdum est cum distributione accomoda: collectio enim omnium compositorum fit ex omnibus principijs; & quodlibet compositum fit ex suis determinatis principijs. Hoc videlicet ex hac determinata materia, & forma, illud ex illa.

Definiūtur prima principia compositi naturalis.

9 Aduerto hic ab Aristotele definiri tantum prima principia intrinseca, & per se compositi substantialis, non extrinseca; quales sunt causæ, efficiens, finalis, & materialis quoad aliquos effectus: de his enim agit *lib. 2.* Hinc iuxta mentem Aristotelis particula, ex, in allata definitione solùm dicit habitudinem causę componentis: quidquid sit, verum spectata eius significatione, posset etiam extendi ad causas imperfectè intrinsecas, vel etiam extrinsecas. Sensus igitur est omnia composita substantialia fieri ex primis principijs modo explicato, tamquam ex partibus componentibus; ipsa verò principia prima non fieri ex alijs, tamquam ex partibus componentibus, saltem in eo genere, quo principiant: secus, vt benè arguit idem Philosophus in eo genere non essent prima, sed alia priora supponerent.

Particula ex in allata definitione tantum dicit habitudinē causæ componentis.

10 Obijcies primò: materia est principium formæ, nec tamen est eius pars: ergo ratio principij non importat habitudinem partis. Distinguo antecedens; est principium perfectè intrinsecum formæ, nego: imperfectè intrinsecū, cōcedo: tum data secunda parte antecedentis, distinguo consequens; ergo ratio principij, de quo hic loquimur, non importat habitudinem par-

 tis,

tis, nego: ratio principij communissimè sumpti, concedo.

Quomodo priuatio est primum principiū.

11 Obijcies secundò: priuatio est per Aristotelem principium compositi substantialis in fieri, nec est pars componens, sed purus terminus à quo: ergo de ratione principij non est esse partem componentem. Nego secundam partem antecedentis: priuatio est pars intrinseca compositi in fieri, & purus terminus à quo respectu formæ nouæ; sed de hoc fusiùs infra. Aduerto tamen priuationē omnē antecedentem esse partem intrinsecam formæ primo existentis, & è contra formam antecedentem esse partem intrinsecam suæ priuationis, vt primo suo modo positæ: verum hinc malè infertur, prima principia principiari; quia principium formæ vt primo positę est vel priuatio secundum se, vel priuatio immediatè præcedens, seu potiùs, vt infra dicam, præcedentia priuationis, quæ non principiatur à forma: similiter priuatio, vt suo modo primo posita componitur ex forma præcedente, vel à præcedentia formæ, quàm priuatio sequens non componit.

Discrimen inter partem essentialem, & integralē.

12 Obijcies tertiò: materia constat ex pluribus partibus integralibus: ergo principium intrinsecè principiatur. Nego consequentiam, si loquamur de principiatione in eodem genere: nam principiat materia, vt pars essentialis; principiatur à suis tanquam à partibus integralibus. Sed nota discrimen inter partem essentialem, & integralem esse; quia ablata essentiali perit essentia rei; neque quod remanet, potest eodem nomine, aut definitione explicari: talis est anima in homine, qua recedente non perseuerat homo: at deperdita parte integrali, perit integritas rei, non essentia, & abscissa manu perseuerat homo eodem nomine, & eadem ac priùs definitione explicabilis. Hinc pars integralis de nouo addita facit maius quid, non absolutè quid diuersum; si enim primo palmo ligni addatur secundus, fit maius lignum, non vero aqua, vel terra: at per accessum partis essentialis fit de nouo non solùm quid maius, sed etiam diuersum.

Quomodo omnia fiūt ex primis principijs.

13 Obijcies quartò, non potest explicari quo modo omnia fiant ex primis principijs: nec que vero compositum substantiale in facto esse constat ex priuatione, quę tamen est vnum ex primis principijs. Respondeo omnia fieri ex primis principijs, sed non est necesse, vt omnia fiant ex omnibus primis principijs: quare, licet non omnia fiant ex priuatione, adhuc priuatio habet rationem primi principij; principij quidem, quia multa fiunt ex priuatione; primi vero, quia in eodem genere a nullo alio principiatur. Quod si hine inferas partem integralem, in quam vltimo resoluitur continuum, esse primum principium integrale, non multum contendo.

Elementa non sunt prima principia.

14 Sed malè inferes, elementa esse prima principia mixtorum; quia elementa per me non manent formaliter in mixtis; quod si supponas manere; poterit concedi elementa esse prima principia mixtorum; & ut talia definiuntur ab Aristotele in libris de generatione, vbi appellat ea prima miscibilia. His adde non omnia composita substantialia constare ex elementis: Aristoteles autem hic quærit prima principia omnis compositi substantialis, cuius existentiam supponit. Confirmatur, quia compositio ex elementis non est prima, sed supponit aliam ex materia, & forma: ergo non possunt elementa esse prima principia componentia.

15 Illud demum aduerto cum auctore summæ philosophiæ triumphantis *lib. 2. dist. 2. cap. 2.* quod licet Aristoteles tradat definitionē primorum principiorum in ordine ad corporis naturalis exactam cognitionem; definitio tamen quantum est ex se, potest aptari omnibus primis principijs intrinsecè componentibus: ex allata igitur definitione habemus regulam, ex qua, supposita existentia compositorum substantialiū naturalium, colligamus, quænam sint eorum prima principia tum in fieri, tum in facto esse; illa videlicet, quæ participant dictas conditiones.

SECTIO SECVNDA.

Quęnam sint principia prima compositi naturalis?

Compositū naturale aliud in facto esse, aliud in fieri.

1 DVpliciter sumi potest compositum naturale, seu sensibiliter mobile, & in primo fieri, & in facto esse; in primo fieri est entitas substantialis compositi, vt primo producta; in facto esse, est eadem entitas compositi substantialis secundum se, præscindendo à denominatione primo producti, vel conseruati: quare etiā in primo instanti, quo res existit, habetur compositum in facto esse, quia etiam pro illo instanti habetur entitas compositi substantialis; suppono nunc dari huiusmodi compositum; cū enim sit primum subiectum huius scientiæ, non debet ab illa probari, sed assumi, tamquam terminus per se notus; cuius perfectam notitiam inquirimus, inuestigando eius principia, causas, proprietates, &c.

Quid differt pars à connotato.

2 Vt autem præsens quæstio, in qua de primis principijs componentibus dictum compositum disputamus, ritè soluatur; sciendum est partem intrinsecam, & connotatum in eo conuenire, vt ipsis deficientibus necessariò deficiat res, cuius sunt pars, aut connotatum essentiale: sic necessariò deficit homo, siue deficiat anima rationalis, quæ est eius pars, siue deficiat omnis eius causa efficiens, quæ est hominis connotatū, non pars: differre autem, quia pars per se formaliter, & immediatè requiritur ad esse rei, at cōnotatum essentiale nō ratione sui formaliter requiritur ad esse rei, sed ratione alterius, seu vt terminus alterius, quod ratione sui requiritur ad esse rei, quia vel est causa, vel effectus, vel aliquid simile, cum quo essentialiter connectitur illud, quod ratione sui requiritur. Quid autē sit aliquod spectare ad esse rei immediatè, & formaliter ratione sui, & quid ratione alterius, sunt termini satis per se noti, & fortasse clariùs non expli-

explicabiles. Ratio discriminis est, quia pars est partialiter ipsa res, cuius est pars; ergo debet immediatè, & formaliter ratione sui requiri ad esse rei. At purũ connotatũ est extra conceptum rei, vt est cõmunis sensus: ergo quãuis necessariò requiratur ad esse rei, non tamen immediatè, & formaliter ratione sui, sed ratione alterius, quod cum ipso essentialiter connectitur, & quod ratione sui immediatè spectat ad esse rei.

3 Hinc fit primò, vt connotatum sit purus terminus alicuius ordinis, qui ordo primo, & immediatè spectet ad esse rei. Secundò, vt deficiente parte, immediatè deficiat res, etiam si nullus alius intercedat defectus; at non formaliter, & immediatè deficiat deficiente connotato, quia connotatum non est ipsa res, sed debet deficere aliquid aliud: sic defectus causæ non est defectus effectus, sed illum defectum trahit; at defectus animæ est formalis defectus hominis. Tertiò, ex dictis colligi potest discrimen inter partem, & constitutiuum adæquatum esse; quód pars licet ratione sui formaliter requiratur ad esse, & denominationem, non tamen sufficit, sicuti sufficit constitutiuum adæquatum, quod est ipsissima res.

4 Hæc omnia non leuitèr confirmantur, quia colliguntur ex ipso primo conceptu licet confuso, quem omnes formamus de parte, & connotato, constitutiuo adæquato, vel inadæquato: id quod diligenter, & necessariò seruari debet in huiusmodi explicationibus, seu definitionibus; quæ tamquam necessarium fundamentum supponunt, rem esse cognitam primo quodam conceptu vulgari, omnibus ferè communi, licet confuso: tum accedens intellectus, nec recedens ab illo conceptu communi (aliter non explicaret rem communiter conceptam, cuius explicatio quæritur, sed aliud omninó diuersum) adhibitis magnis reflexionibus illũ conceptum meliùs penetrat, eoque modo ex illo conceptu confuso eruit multa rei prædicata, quibus meliùs declaratur, & excluditur quoad potest, periculum errandi, & sumendi vnam rem pro alia; quod facilè eueniret, non clariùs explicatis illis conceptibus confusis.

Vnde cognosces aliquid esse rem, vel partem.

5 Dices, vnde possumus colligere aliquod ad esse rei requiri, ratione sui formaliter, & nõ vt purum terminum? Respondeo, ex circumstantijs, & ex ipso conceptu essentiali, ac veluti metaphysico rei, de qua quærimus, qui est omnibus notus, saltem illis, qui de ea re agũt. Hi enim conceptus primi, & si imperfecti; vt iam dicebam; debent supponi cogniti saltem in confuso tamquam fundamentum quæstionis, & solutionis. Si igitur huiusmodi conceptus, & reliquæ circumstantiæ declarent illud, de quo agitur, & sine quo conceptus ille non subsistit, immediatè ratione sui spectare ad esse rei, ita vt eo deficiente formaliter res deficiat, indicandum est illud esse rei partem; secus esse connotatum.

Explicatio Arriagæ, & Ouiedi.

6 Huc reuocari potest explicatio Arriagæ, Ouiedi, & aliorum recentiorum asserentium, partem esse, qua deficiente, & si perseuerent reliqua, res desinit; at connotato deficiente, si reliqua perseuerent, rem perseueraturam. Sed primò vnde sciam, quod deficiente hoc, & si alia perseuerent, sit defectura res, nisi ex allatis numero præcedente? Secundò, cur deficiente anima, & si reliqua perseuerent, homo deficiet; nisi quia anima est pars hominis, & per se formaliter spectat ad esse hominis? ergo hæc explicatio & si vera, non est prima, & immediata, neque aliquid luminis specialis affert, cum vlterius explicanda sit per partem, & per id, quod formaliter ratione sui spectat ad esse rei.

Explicatio Pallauicin.

7 Huc etiam spectat explicatio Pallauicini nimirùm partem esse, quæ immediatè affirmatur; dum affirmatur esse rei; connotatum, quod, affirmata re, mediatè tantùm affirmatur; quia affirmatur aliquis ordo, qui non potest esse sine illo: sic albedo est pars albi; quia qui affirmat album, affirmat immediatè albedinem, & non purum ordinem ad albedinem. At color est connotatum hominis videntis: quia affirmato homine vidente, non affirmatur color, sed ordo ad colorem. At profectò cur non affirmatur immediatè color, nisi quia per se formaliter non spectat ad esse videntis? Idem esto iudicium, si cum eodem Pallauicino dicas, partem esse, quæ necessariò amatur amata re, cum é contra, connotatum possit, amata re, odio haberi: sic amata contritione odio habetur peccatum, essentialiter suppositum à contritione. Hanc explicationem Pallauicinus ipse putat minùs dignam, vtpotè à posteriori.

Aliorum explicatio.

8 Verùm etiam asserunt, qui docent, partem esse vel rectum concreti, vel rectum abstracti: sic albedo est pars albi, quia & si non sit rectum concreti, est rectum abstracti; connotatum autem esse purum obliquum. Et hoc quidem est; ni fallor, bonum signum ad dignoscendum vtrum hoc, vel illud spectet ratione sui formaliter ad esse rei; attamen si petam, cur rectum abstracti sit pars intrinseca concreti? non poteris respondere, nisi quia ratione sui immediatè spectat ad esse rei.

Terminus relationis non necessariò est intrinsecus relationi.

9 Demum hic aduerto, terminum relationis non debere ex suo conceptu esse partem relationis: quia & si relatio nequeat esse, vel intelligi sine termino, adhuc potest terminus non ratione sui formaliter spectare ad relationem immediatè. His positis.

10 Quærimus quænam sint prima principia perfectè intrinseca compositi naturalis tum in fieri, tum in facto esse: quod idem est, ac quærere quænam sint partes, quæ cum aliqua prioritate componunt huiusmodi substantiã; & in eo genere, in quo componunt, nõ componantur ab alio: suppono autem ex infra dicendis, corpora naturalia saltem sublunaria, quæ per continua actionem, & passionem transmutantur, habere in se materiam, & formam.

11 Dico primò: compositi naturalis substãtialis, ac sublunaris prima principia perfectè

intrin-

Principia prima compositi substantialis in facto esse sunt tantum materia, & forma.

intrinseca in facto esse, sunt tantum duo, materia videlicet: Et forma, & quidem est certum apud omnes, qui huiusmodi composita admittunt, illa includere, vt partes intrinsecas materiam, & formam; est enim communis horum sensus, deficiente materia, vel forma substantiali, immediatè, ac formaliter defectura illa composita. Rursus habent respectu illorum compositorum aliquam prioritatem, saltem indifferentiæ, ratione cuius benè intelligi possunt, esse sine composito, vt patet in corpore, & anima hominis, quæ etiam naturaliter possunt existere sine homine, quem constituunt; simile quid potest saltem supernaturaliter accidere, vt est communior sensus, respectu aliorum compositorum: ergo non solùm sunt partes, sed etiam principia perfectè intrinseca horum compositorum, & quidem prima, quia in eo genere, in quo principiant, non principiantur ab alio: neque enim vel materia componitur ex alia materia, vel forma substantialis ex alia forma substantiali. Sunt autem hęc duo tantum prima principia, quia nullum aliud datur primum principium saltem, vt quod huiusmodi compositorum. Cæterum nomine compositi hic non intelligimus suppositum, sed naturam constantem multis partibus.

Priuatio nō est principium compositi in facto esse.

12 Obijcies primò: etiam priuatio est principium compositi in facto esse. Nego: nam nullum est prædicatum in homine, v.g. ratione cuius debeat includere intrinsecè vel priuationē præcedentem formæ præsentis, vel priuationes præsentes formarum absentium: præcisis enim his priuationibus si purè intelligamus animam rationalem vnitam corpori, intelligimus animal rationale, & principium harum operationū: quare si dentur huiusmodi priuationes, & sint necessariæ, erunt purus terminus alicuius ordinis. Neque dicas hęc composita formaliter, vt generabilia & corruptibilia includere priuationes formarum absentium, quia præcisè per capacitatem subiecti ad aliam formam, & per defectibilitatem vnionis formæ præsentis, sufficienter intelligitur hoc compositum corruptibile, illa autem capacitas, & defectibilitas non est formaliter priuatio formæ absentis.

Vnio non est principium, vt quod compositi in facto esse.

13 Obijcies secundò: etiam vnio est principium compositi in facto esse: requiritur enim ad esse compositi ratione sui, & non vt terminus alicuius ordinis. Nego assumptum: ad rationem in contrarium dico: illam ad summum probare vnionem esse partem intrinsecam compositi, quod sine præiudicio doctrinæ concedo; non autem esse principium: ratio est, quia vnio nullam habet respectu compositi prioritatem, quam esse de ratione principij supra diximus, neque enim concipitur cum aliqua indifferentia ad constituendum compositum, sed est vltima determinatio formalis, qua reliquæ partes determinantur ad constitutionem totius: quare potius est principiatio, quàm principium, vt quod: sicuti forma, qua vltimò determinatur agens ad agendum, est actio, non principium actiuum.

14 Instabis priuatio, quæ est primum principium, opponitur alicui primo principio; prima enim principia ex Aristotele sunt prima contraria; sed vnio est, cui apponitur priuatio, quæ est principium; ergo vnio est primum principium vt quod, sicuti est priuatio. Distinguo maiorē opponitur alicui primo principio cōpositi in facto esse; nego: cōpositi in primo fieri, concedo: tum data minore, distinguo consequēs; vnio est principium, vt quod compositi primo existentis; concedo: compositi in facto esse, nego. Aristoteles asserens prima principia esse prima contraria, loquitur de principijs compositi in fieri, respectu cuius vnio habet rationē principij, vt quod, quia vtpote indifferens ad constituendum compositum primo existens habet respectu illius prioritatem, quam non habet respectu compositi in facto esse, vt probauimus. Vbi obiter aduerto, omne principium debere esse prius re principiata, idque nō necessario, quia est ad illā indifferens; sed quia vel est indifferens, vel tempore præcedit, vel dat esse toti, vel alicui eius parti per physicum influxum: Iam verò principia perfectè intrinseca non possunt esse priora, quia dicto modo influunt, cum formaliter, vt talia, nihil efficiant; sed tantum quia sunt indifferentia, vel tempore præcedunt, & ex ea indifferentia, & præcedentia intelliguntur esse in priori ad existentiam compositi; quod non potest verificari de vnione, vt vidimus.

15 Obijcies Tertiò præter duo iam assignata sunt principia compositi in facto esse multæ carentiæ: quia materia, & forma principiant, vt distinctæ realiter; aliter non constituerent compositum physicum, sed vt distincta dicunt formaliter carentias superadditas, quibus distinguuntur: ergo, &c. Nego assumptum; ad rationem in contrarium; nego minorem; vt enim dicebam in logicis, res positiuę creatæ distinguuntur non per carentias superadditas, sed formaliter per suum esse limitatum.

Aliqua carentia est principiū intrinsecū compositi primo existentis.

16 Dico secundò: compositum, vt primo existens præter materiam, & formam nunc existentes, & vnitas includit etiam carentiam aliquam immediatè præcedentem (quicquid demum sit hæc carentia, de quo puncto nunc non disputo) probatur, compositum nunc esse, immediatè antea nō fuisse includit formaliter præter entitates materiæ, & formæ, & vnionis nunc existentes, aliquam carentiam immediatè præcedentem, propter quam verificetur, compositum immediatè ante non fuisse: ergo compositum vt primo existens præter entitates materiæ, & formę vnitas, & nunc existentes includit formaliter aliquam carentium immediatè pręcedentem, quę quia tempore præcedit tum illum compartem, tum ipsam denominationem complexè sumptam, erit etiam principium, vt quod.

Ea est carētia vnionis immediatè precedens.

17 Dico Tertiò: carentia, quæ est pars intrinseca compositi primo existentis, est carentia vnionis immediatè præcedens: probatur, illa carentia præcedens est pars intrinseca compositi primo existentis, quæ necessaria est ad eam denominationem: certum enim est, non esse partes

quæ

quæ non necessarió requiritur ad denominationem: sed sola carentia præcedena vnionis est necessaria formaliter ad eam denominationem; ergo sola carentia precedens vnionis est pars intrinseca enmpositi primo existentis: minor probatur, si præcedat vnio non verificatur formaliter compositum immediaté ante non fuisse, sed potiùs, quod fuerit; vnio enim præcedens necessariò trahit secum compositum: ergo vt verificetur compositum immediatè ante non fuisse, ac proindè nunc primo existere, necessaria est precedens vnionis carentia: carentia autem materiæ, & formæ non debent immediatè præcedere: quia materia, & forma, vtpotè quę ex conceptu suo non sunt actualis compositio, benè possunt intelligi præcedentes sine composito: ergo etiam si precedant materia, & forma, & non præcedat illarum carentia, potest intelligi, quod compositum nunc primo existat: ergo ad hanc denominationem non est necessaria carentia præcedens materiæ, & formæ, sed solius vnionis.

18 Dices, si per impossibile præcederet vnio sine materia, & forma, & immediatè post materia, & forma existerent, & vnirentur illa vnione, haberetur nunc compositum primo existens, & tamen non præcederet immediatè carentia vnionis: ergo carentia præcedens vnionis non est necessaria ad compositũ primo existens. Distinguo antecedens; haberetur compositum primo existens possibile, de quo loquimur; nego: impossibile constans vnione impossibili; concedo antecedens; & distinguo consequens, carentia præcedena vnionis non est necessaria ad compositum primo existens reale, de quo loquimur; nego: chimaricum, concedo consequentiam: non est autem absurdum, quod principia compositi realis, & chimærici sint diuersa.

19 Ex dictis infero, compositum primo existens esse concretum quoddam constans subiecto, quod denominatur primo existens, & hoc est tota realitas positiua compositi; & forma denominante, quæ est primitas existendi. Hæc primitas duo dicit, nunc, seu durationem præsentem compositi, & antecedentem eiusdem carentiam; seu antecedenter non fuisse compositum. Nunc seu duratio pręsens compositi dicit tres durationes materię, formæ, & vnionis, sicuti esse compositi dicit tres illas entitates materię, formæ, & vnionis: sicuti autem esse solius vnionis non est esse totius compositi; ita ly nunc solius vnionis non est absolutè nunc compositi. At non antecedenter fuisse compositum, dicit necessariò carentiam vnionis præcedentem, & satis in ea saluatur. Hinc patet, cur si præcedant tres carentię, sola carentia vnionis sit pars, quia videlicet hæc tantùm est necessaria ad hanc denominationem. quòd si consideres denominationem primo existentis adæquatè secundum omnes partes, quilibet videt ad eam denominationem necessarias tres carentias immediatè pręcedentes, tum materiæ, tum formæ, tum vnionis.

Explicatur carentia præcedens vnionis, quæ est pars compositi primo rxistentis.

20 SCiendum est, nonnullos illius rei, quę aliquando existit, admittere duas carentias, aliam oppositam immediatè ipsi rei, veluti absolutam, & indifferentem, vt vel semper sit, vel aliquando: aliam immediatè oppositam durationi rei addictam tempori, & essentialiter fluentem, sicuti est duratio opposita. At alij & si admittant duas classes carentiarum, quarum nimirum aliquæ sint absolutæ, vt ita dicam, & immediatè opponantur rebus; aliæ modales, & immediatè opponantur durationi; nihilominùs asserunt earum rerum, quę aliquádo existunt tempore antecedente, & subsequente noo dari duas carentias, alteram oppositam rei, alteram oppositam durationi rei; sed vnam, quę immediatè tantùm excludit durationem rei, non rem ipsam. Hoc posito quærimus, quęnam ex illis duabus carentijs iuxta primam sententiam (nam iuxta secundam non habet locum quæstio) sit pars intrinseca compositi primo existentis?

21 Dico quartò, sola durationis vnionis carentia immediatè præcedens est pars compositi primo existentis. Probatur, quia hęc sola carentia verificat antecedentèr non fuisse compositum, & est ad id necessaria: ergo ipsa sola est pars intrinseca compositi primo existentis. Antecedens probatur, quia ipsa sola verificat antecedentèr non fuisse vnionem, & est ad id necessaria: ergo ipsa sola verificat antecedenter non fuisse compositum, & est ad id necessaria. compositum enim antecedenter non fuisse necessariò dicit, & sufficientèr saluatur per hoc, quòd vnio antecedenter non fuerit. Antecedens probatur, vnionem antecedenter esse, est vnionem, & durationem illius antecedenter esse: ergo sola carentia durationis vnionis immediatè præcedens verificat vnionem antecedenter non fuisse, & est ad id necessaria: consequentia probatur, quia ex vna parte ad defectum conflati satis est, vt deficiat aliqua eius pars: ergo si vnio antecedens dicit tum entitatem vnionis, tum durationis antecedentis, vt deficiat ea vnio antecedens, satis est carentia, & defectus durationis. Ex alia verò vnio non debet quocumque modo deficere, sed immediaté ante: debet enim verificari immediatè ante non fuisse: hoc autem non potest præstare carentia vnionis secundum se indifferens ad omnia tempora; benè autem carentia durationis immediatè antecedentis addicta tempori antecedenti, vt suppono; ergo hæc carentia est etiã necessaria, vt verificetur, vnionem immediatè ante non fuisse. Vbi notandum est, quod licet hoc concretum, vnio immediatè ante existens, possit formaliter deficere tum per defectum vnionis, tum per defectum durationis, tamen nõ potest immediatè ante deficere, nisi per defectũ immediatè antecedentem durationis eiusdem vnionis; debet autem in re nostra verificari vnio-

Sola carẽtia duratio nis vnienis immediatè præcedens est principiũ intrinsecũ compositi prime existentis.

nem

num immediatè ante non fuisse. Hinc si per impossibile stante duratione antecedente durationis haberetur vnionis carentia, deficeret quidē illud concretum, vnio immediatè pręcedens; sed talis defectus non immediatè præcederet, sed potiùs intelligeretur esse, & non in tempore.

22 Dices si præcederet vnio sine duratione, non haberetur in sequenti instanti compositum primo existens: ergo ad constituendum compositum primo existens non sufficit carentia præcedens durationis dictæ. Distinguo antecedens, non haberetur, & simul haberetur compositum primo existens, concedo, solùm non haberetur, nego antecedens, & consequentiam; quia si pręcederet vnio sine duratione, præcederet, & non præcederet vnio; pręcederet, vt supponis; non præcederet, quia non haberetur duratio præcedens, per quàm formaliter vnio constituitur pręcedens; ergo tunc haberetur, & non haberetur compositum. Igitur ex ea carentia durationis formaliter pendet, quod habeatur, vel non habeatur compositum primo existens.

23 Quod si dicas præcedere vnionem fundamentaliter, non formaliter; vrgeo; ergo formaliter habetur compositum primo existens; ad hoc enim sufficit, si formaliter immediatè ante non fuerit vnio, & compositum. Non suffragatur autem aduersarijs dicere, illud instans antecedens non esse terminum exclusum, sed signum exclusionis vnionis; nam vel loquuntur de instanti extrinseco temporis, & hoc non facit ad rem, si non excludatur; sufficit enim si in illo sit carentia præcedens durationis dictæ; vel de intrinseco, quę est ipsa duratio, & hanc debere formaliter excludi, vt verificetur compositum primo esse, eamque exclusionem pręcedentem necessariam esse ad constituendam illam denominationem; neque ad id sufficere, aut iuuare carentiam vnionis secundum se, iam satis probatum est.

Explicantur prima principia, & partes compositi primo producti.

Principia intrinseca compositi primo producti.

24 DIco quintò: compositum, vt primo productum, seu causatum dicit vt partes intrinsecas materiam, & formam vnitas, atque actionem causatiuam, qua formaliter constituitur productum; hæc omnia sunt subiectum huius denominationis, quæ præterea includit tanquā formam intrinsecam primitatem, quid profecto diuersum ab esse simpliciter causato: nunc enim ego sum causatus, sed non primo causatus. Primitas igitur in hoc concreto, compositum primo productum, duo dicit, durationem videlicet pręsentem compositi, & productionis, quæ sunt quatuor durationes, materię, formæ, vnionis, & causalitatis; sicuti enim compositum esse productum, dicit quatuor illas entitates, ita duratio, seu nunc compositi causati, dicit durationem omnium illarum quatuor. Secundo dicit immediatè ante non fuisse compositum productum, quod saluatur per carentiam pręcedentem durationis omnis productionis. Ratio est, quia per hęc, quę diximus, satis intelligitur constituta illa veritas, nunc est compositum productum, immediatè ante non erat productum: contra vero quocumque ex illis pręciso, non habetur formaliter dicta veritas: ergo per illa sufficienter, & necessario constituitur compositum primo productum: ergo illa omnia tantum sunt partes huius denominationis, omnia facilè confirmantur ex dictis.

Sola carentia præcedens durationis omnis productionis est pars intrinseca huius denominationis.

25 Reliqua igitur, quæ in hoc negotio intercedunt sunt connotata extrinseca: ex carentijs autem sola carentia pręcedens durationis omnis causalitatis est pars intrinseca, quia denominatio primo producti, seu causati est formaliter à prima productione; quare si intelligantur reliqua pręcedere, si non præcedat productio, sed nunc primo habeatur productio, verificatur rem nunc esse primo productam: ergo attendi debet primitas productionis, quę immediatè ante non fuisse productionem verificet. Attamen non omnis actio de nouo posita est prima productio; si enim ignis, qui fuit productus ab igne in prima hora, in secunda à solo Deo conseruetur, habetur in secunda hora noua actio, non prima productio: prima igitur productio ita de nouo ponitur, vt supponat immediatè pręcessisse carentiā omnis actionis causatiuę termini, qui primo producitur; qui est sensus communis: non curo autem, vtrum hęc carentia sit vna, vel multiplex. Cæterum iuxta supradicta asserendum est, compositum primo productum includere quidē intrinsecè non solùm productionem vnionis, sed materiæ, & formę (de quo puncto neque sum nimis sollicitus) at nō includere carentias immediatè pręcedentes harum productionum, sed solius actionis, qua producitur vnio: quia hæc solum immediatè necessariò pręcedit; vt facilè colligi potest ex dictis.

26 Iam vero respectu compositi primo producti sunt non solùm partes, sed etiam prima principia perfectè intrinseca, ipsum compositū cum suis partibus, quia ita constituunt eam denominationem, vt habeant respectu illius aliquā prioritatem saltem indifferentię; & singulę quidem partes intrinsecę compositi in eo genere, in quo principiant, non principiantur: ipsum vero compositum, quod principiat, vt subiectum primum substantiale adęquatum denominationis illius, in eo genere non principiatur ab alio. Ob eamdem rationem respectu compositi primo existentis habeo rationem primi principij perfectè intrinseci tum singulę partes, materia videlicet, forma, & vnio, tum ipsum compositum. Actiones vero, & durationes, si sint indifferētes ad eam denominationem constituendam, habent etiam rationem principij perfectè intrinseci; secus puræ partis: vtrum autem gaudeant ea indifferentia, pendet ab alijs principijs.

Principia transmutationis.

27 Sciendum præterea est, compositum dupliciter posse primo produci: primo per transmutationem subiecti, quod de vno extremo

tran-

transit ad aliud, vt cū ex ligno fit ignis; & in hoc casu sunt principia perfectè intrinseca ignis primo producti, præter alia iuxta supradicta, carētia antecedens omnis productionis, quæ carentia habeat rationem priuationis, quia videlicet præcessit in subiecto capaci, nēpè materie, quæ prius erat sub non esse productionis ignis, & nunc est sub productione ignis: & hoc communiter doctores cum Aristotele appellant compositum in fieri, cuius, asserunt, tria illa esse principia, materiam, quæ transit ex non igne ad ignem, formam, & priuationem. Huic doctrinæ non contradicunt, quę supra diximus: verè enim admittimus principia huius compositi esse materiam, quæ transit, & formam, ad quam illa transit; sed nomine formæ intelligimus quidquid eius naturam participat, nempè formam substantialem, vnionem, productionem cum suis præsentijs, ac demum admittimus priuationem, nempè carentiam præcedentem in subiecto capaci. Quæ intellige de transmutatione, vt ita dicam, negatiua, qua videlicet subiectum transit formaliter de non esse ignis ad ignem; quod si sermo sit de positiua, qua subiectum formaliter transit ex vna forma positiua ad aliam, v. g. à forma ligni ad formam ignis; hæc profectò debet aliquid aliud includere, vel ipsam formam præteritam, vel aliquem ordinem ad illam: de qua re non curo: loquimur enim de composito in primo fieri respectu cuius impertinenter se habet, quod præcesserit, vel non praecesserit in subiecto forma opposita; in vtroque enim casu æquè verificatur, quod compositum nunc primo fiat dependenter à subiecto capaci, & præexistente.

Vtrum duratio antecedēs subiecti sit pars intrinseca cōpositi in trāsmutari

28 Sed quæres verum duratio antecedens subiecti sit para intrinseca huius compositi in primo fieri per trasmutationem producti? Respondeo si carentia antecedens, de qua diximus, non est pura carentia, vt puto satis probabile, sed modus quidam relatiuus essentialiter connexus cum ea duratione, dictam durationem nō esse partem intrinsecam, sed purum connotatum; quia præcisa ea duratione intelligitur compositum primo esse ex subiecto præexistente; sicuti intelligitur quis esse à Deo, quamuis non includat Deum, sed ordinem essentialem ad illum: neque aliquod prædicatum essentiale est in ea denominatione, quod formaliter sit, vel includat eam durationem. At si neque illa carentia, sit modus cum dicta duratione connexus, neque in reliquis partibus huius denomnationis aliquid inueniatur gaudens dicta connextione; dicendum est, eam durationem esse partem intrinsecam compositi primo producti per transmutationem præcedentia subiecti; quia præcisa ea duratione non potest in ea suppositione verificari dicta denomitatio.

29 Secundo potest compositum primo produci, & non per transmutationem subiecti, & tunc precedet quidem carentia, sed quę non sit priuatio in subiecto capaci præcedente.

Soluuntur obiectiones.

Quo modo principia sunt tria.

30 OBijcies primo, ex allata doctrina sequitur principia compositi in fieri esse longè plura, quàm tria; quod est contra mentem Aristotelis. Respondeo, Aristotelem docuisse principia esse tria non quidem simplicia, sed per reductionem omnium ad tres classes: nam iuxta mentem Philosophi aliud est principium, quod in transmutatione substantiali ex vno contrario transit ad aliud, & hoc Aristoteles vocat materiam: aliud se habet per modum termini ad quem, & hoc comprehenditur sub nomine formæ; & continet totum id, quod de nouo acquiritur in eo transitu, & est formaliter necessarium ad dictam denominationem: aliud per modum termini à quo; & dicitur ab Aristotele priuatio, iuxta ea, quę supra explicaui.

Quo modo principia sunt plura

31 Obijcies secundò, ex allata doctrina sequitur, aliquod compositum habere tantùm vnum principium perfectè intrinsecum; talis est Angelus intelligens, si illi immediatè per se ipsam vniatur intellectio: hæc enim vtpotè nullā habens prioritatem, aut indifferentiam respectu illius compositi, non potest respectu eiusdem habere rationem principij: hoc autem est contra Aristotelem asserentem, principium, & vnum repugnare. Respondeo, id non esse contra Aristotelem, qui argumentabatur contra veteres asserentes, vnum esse principium rerum omniū: ideoque excludendam esse compositionem ex pluribus partibus. Contra hos Aristoteles benè assumit, principium, & vnum repugnare: si enim est principium perfectè intrinsecum, est vtique pars necessariò supponens compartem, ac proindè connexum cum pluralitate, ac pugnans cū vnitate, & simplicitate. Non est igitur necesse, vt in quolibet toto principia perfectè intrinseca sint plura.

De oppositione principiorum.

32 Obijcies tertiò, illa carentia est principium compositi in fieri, quæ opponitur formæ: sed priuatio vnionis non opponitur formæ: ergo priuatio vnionis non est principium compositi in fieri: maior probatur: quia prima principia sunt prima contraria: cum igitur forma sit primum principium compositi in fieri, priuatio illa erit principium, quæ contrariatur formæ. Nego minorem: nam etiam vnio est quædam forma; quare priuatio opposita vnioni, est cōtraria formæ: nō est autem necesse, vt omnia prima principia inter se comparata sint immediatè opposita, vt patet si comparemus materiam cum forma. Et confirmatur, quia Aristoteles nomine formæ intellexit, quod de nouo acquiritur, qualis est forma vnita; formæ autem vt vnitæ opponitur carentia vnionis.

33 Obijcies quarto, rea primò fit non solùm ex sui non esse, sed etiam ex forma opposita, v. g. ignis ex ligno; ergo non solùm priuatio, sed etiam forma opposita est principium rei in fieri. Distinguo antecedens quoad secundam partem; sed etiam ex forma opposita per

non immediatè ante non fuisse. Hinc si per impossibile stante duratione antecedente durationis haberetur vnionis carentia, deficeret quidē illud concretum, voio immediatè præcedens; sed talis defectus non immediatè præcederet, sed potiùs intelligeretur esse, & non in tempore.

22 Dices si præcederet vnio sine duratione, non haberetur in sequenti instanti compositum primo existens. ergo ad constituendum compositum primo existens non sufficit carentia præcedens durationis dicta. Distinguo antecedens, non haberetur, & simul haberetur compositum primo existens, concedo, solùm non haberetur, nego antecedens, & consequentiam; quia si præcederet vnio sine duratione, præcederet, & non præcederet vnio; præcederet, vt supponis; non præcederet, quia non haberetur duratio præcedens, per quàm formaliter vnio constituitur præcedens; ergo tunc haberetur, & non haberetur compositum. Igitur ex ea carentia durationis formaliter pendet, quod habeatur, vel non habeatur compositum primo existens.

23 Quod si dicas præcedere vnionem fundamentaliter, non formaliter; vrgeo; ergo formaliter habetur compositum primo existens; ad hoc enim sufficit, si formaliter immediatè ante non fuerit vnio, & compositum. Non sufficit autem aduersarijs dicere, illud instans antecedens non esse terminum exclusum, sed signum exclusionis vnionis; nam vel loquuntur de instanti extrinseco temporis, & hoc non facit ad rem, si non excludatur; sufficit enim si in illo sit carentia præcedens durationis dicta; vel de intrinseco, quę est ipsa duratio, & hanc debere formaliter excludi, vt verificetur compositum primo esse, eamque exclusionem præcedentem necessariam esse ad constituendam illam denominationem; neque ad id sufficere, aut iuuare carentiam vnionis secundum se, iam satis probatum est.

Explicantur prima principia, & partes compositi primo producti.

Principia intrinseca compositi primo producti.

24 Dico quintò: compositum, vt primo productum, seu causatum dicit vt partes intrinsecas materiam, & formam vnitas, atque actionem causatiuam, qua formaliter constituitur productum; hæc omnia sunt subiectum huius denominationis, quæ præterea includit tamquā formam intrinsecam primitatem, quid profectò diuersum ab esse simpliciter causato: nunc enim ego sum causatus, sed non primo causatus. Primitas igitur in hoc concreto, compositum primo productum, duo dicit, durationem videlicet præsentem compositi, & productionis, quæ sunt quatuor durationes, materię, formæ, vnionis, & causalitatis; sicuti enim compositum esse productum, dicit quatuor illas entitates, ita duratio, seu nunc compositi causati, dicit durationem omnium illarum quatuor. Secundo dicit immediatè ante non fuisse compositum productum, quod saluatur per carentiam precedentem durationis omnis productionis. Ratio est, quia per hęc, quę diximus, satis intelligitur constituta illa veritas, nunc est compositum productum, immediatè ante non erat productum: contra vero quocumque ex illis præciso, non habetur formaliter dicta veritas: ergo per illa sufficienter, & necessario constituitur compositum primo productum: ergo illa omnia tantum sunt partes huius denominationis, omnia facilè confirmantur ex dictis.

Sola carentia præcedens durationis omnis productionis est pars intrinseca huius denominationis.

25 Reliqua igitur, quæ in hoc negotio intercedunt sunt connotata extrinseca: ex carentijs autem sola carentia pręcedens durationis omnis causalitatis est pars intrinseca, quia denominatio primo producti, seu causati est formaliter à prima productione; quare si intelligantur reliqua pręcedere, si non præcedat productio, sed nunc primo habeatur productio, verificatur rem nunc esse primo productam: ergo attendi debet primitas productionis, quę immediatè ante non fuisse productionem verificet. Attamen non omnis actio de nouo posita est prima productio; si enim ignis, qui fuit productus ab igne in prima hora, in secunda à solo Deo conseruetur, habetur in secunda hora noua actio, non prima productio: prima igitur productio ita de nouo ponitur, vt supponat immediatè precessisse carentiā omnis actionis causatiuę termini, qui primo producitur; qui est sensus communis: non curo autem, vtrum hęc carentia sit vna, vel multiplex. Cæterum iuxta supradicta asserendum est, compositum primo productum includere quidē intrinsecè non solùm productionem vnionis, sed materiæ, & formę (de quo nunc non sum nimis sollicitus) at nō includere carentias immediatè pręcedentes harum productionum, sed solius actionis, qua producitur vnio: quia hæc solum immediatè necessariò pręcedit; vt facilè colligi potest ex dictis.

26 Iam vero respectu compositi primo producti sunt non solùm partes, sed etiam prima principia perfectè intrinseca, ipsum compositū cum suis partibus, quia ita constituunt eam denominationem, vt habeant respectu illius aliquā prioritatem saltem indifferentię; & singulę quidem partes intrinsecę compositi in eo genere, in quo principiant, non principiantur: ipsum vero compositum, quod principiat, vt subiectum primum substantiale adęquatum denominationis illius, in eo genere non principiatur ab alio. Ob eamdem rationem respectu compositi primo existentis habent rationem primi principij perfectè intrinseci tum singulę partes, materia videlicet, forma, & vnio, tum ipsum compositum. Actiones vero, & durationes, si sint indifferētes ad eam denominationem constituendam, habent etiam rationem principij perfectè intrinseci; secus puræ partis: verum autem gaudeant ea indifferentia, pendet ab alijs principijs.

Principia transmutationis.

27 Sciendum præterea est, compositum dupliciter posse primo produci: primo per transmutationem subiecti, quod de vno extremo

trans-

transit ad aliud, vt cùm ex ligno fit ignis; & in hoc casu sunt principia perfectè intrinseca ignis primo producti, præter alia iuxta supradicta, carentia antecedens omnis productionis, quæ carentia habeat rationem priuationis, quia videlicet præcessit in subiecto capaci, nempè materie, quæ prius erat sub non esse productionis ignis, & nunc est sub productione ignis: & hoc communiter doctores cum Aristotele appellant compositum in fieri, cuius, asserunt, tria illa esse principia, materiam, quæ transit ex non igne ad ignem, formam, & priuationem. Huic doctrinæ non contradicunt, quę supra diximus: verè enim admittimus principia huius compositi esse materiam, quæ transit, & formam, ad quam illa transit; sed nomine formæ intelligimus quidquid eius naturam participat, nempè formam substantialem, vnionem, productionem cum suis præsentijs, ac demum admittimus priuationem, nempè carentiam præcedentem in subiecto capaci. Quæ intellige de transmutatione, vt ita dicam, negatiua, qua videlicet subiectum transit formaliter de non esse ignis ad ignem; quod si sermo sit de positiua, qua subiectum formaliter transit ex vna forma positiua ad aliam, v. g. à forma ligni ad formam ignis; hæc profectò debet aliquid aliud includere, vel ipsam formam præteritam, vel aliquem ordinem ad illam: de qua re non curo: loquimur enim de composito in primo fieri respectu cuius impertinenter se habet, quod præcesserit, vel non præcesserit in subiecto forma opposita; in vtroque enim casu æquè verificatur, quod compositum nunc primo fiat dependenter à subiecto capaci, & præexistente.

28 Sed quæres vtrum duratio antecedens subiecti sit pars intrinseca huius compositi in primo fieri per trasmutationem producti? Respondeo si carentia antecedens, de qua diximus, non est pura carentia, vt puto satis probabile, sed modus quidam relatiuus essentialiter connexus cum ea duratione, dictam durationem nō esse partem intrinsecam, sed purum connotatum; quia præcisa ea duratione intelligitur compositum primo esse ex subiecto præexistente; sicuti intelligitur quis esse à Deo, quamuis non includat Deum, sed ordinem essentialem ad illum: neque aliquod prædicatum essentiale est in ea denominatione, quod formaliter sit, vel includat eam durationem. At si neque illa carentia sit modus cum dicta duratione connexus, neque in reliquis partibus huius denominationis aliquid inueniatur gaudens dicta connexione; dicendum est, eam durationem esse partem intrinsecam compositi primo producti per transmutationem præcedentis subiecti; quia præcisa ea duratione non potest in ea suppositione verificari dicta denominatio.

Vtrum duratio antecedēs subiecti sit pars intrinseca cōpositi in trāsmutari

29 Secundo potest compositum primo produci, & non per transmutationem subiecti, & tunc præcedet quidem carentia, sed quę non sit priuatio in subiecto capaci præcedente.

Soluuntur obiectiones.

30 OBijcies primo, ex allata doctrina sequitur principia compositi in fieri esse longè plura, quàm tria; quod est contra mentem Aristotelis. Respondeo, Aristotelem docuisse principia esse tria non quidem simpliciter, sed per reductionem omnium ad tres classes: nam iuxta mentem Philosophi aliud est principium, quod in transmutatione substantiali ex vno contrario transit ad aliud, & hoc Aristoteles vocat materiam: aliud se habet per modum termini ad quem, & hoc comprehenditur sub nomine formæ; & continet totum id, quod de nouo acquiritur in eo transitu, & est formaliter necessarium ad dictam denominationem: aliud per modum termini à quo; & dicitur ab Aristotele priuatio, iuxta ea, quę supra explicaui.

Quo modo principia sunt tria.

31 Obijcies secundò, ex allata doctrina sequitur, aliquod compositum habere tantùm vnum principium perfectè intrinsecum; talis est Angelus intelligens, si illi immediatè per se ipsam vniatur intellectio: hæc enim vtpotè nullā habens prioritatem, aut indifferentiam respectu illius compositi, non potest respectu eiusdem habere rationem principij: hoc autem est contra Aristotelem asserentem, principium, & vnum repugnare. Respondeo, id non esse contra Aristotelem, qui argumentabatur contra veteres asserentes, vnum esse principium rerum omniū: ideoque excludendam esse compositionem ex pluribus partibus. Contra hos Aristoteles benè assumit, principium, & vnum repugnare: si enim est principium perfectè intrinsecum, est vtique pars necessariò supponens compartem, ac proindè connexum cum pluralitate, ac pugnans cū vnitate, & simplicitate. Non est igitur necesse, vt in quolibet toto principia perfectè intrinseca sint plura.

Quo modo principia sunt plura

32 Obijcies tertiò, illa carentia est principium compositi in fieri, quæ opponitur formæ: sed priuatio vnionis non opponitur formæ: ergo priuatio vnionis non est principium compositi in fieri: maior probatur: quia prima principia sunt prima contraria; cum igitur forma sit primum principium compositi in fieri, priuatio illa erit principium, quæ contrariatur formæ. Nego minorem; nam etiam vnio est quædam forma; quare priuatio opposita vnioni, est cōtraria formæ: nō est autem necesse, vt omnia prima principia inter se comparata sint immediatè opposita, vt patet si comparemus materiam cum forma. Et confirmatur, quia Aristoteles nomine formæ intellexit, quod de nouo acquiritur, qualis est forma vnita; formæ autem vt vnitæ opponitur carentia vnionis.

De oppositione principiorum.

33 Obijcies quartò, res primò fit non solùm ex sui non esse, sed etiam ex forma opposita, v. g. ignis ex ligno; ergo non solùm priuatio, sed etiam forma opposita est principium rei in fieri. Distinguo antecedens quoad secundam partem; sed etiam ex forma opposita per

se, nego; per accidens, concedo antecedens, & nego consequentiam. Principium est per se requisitum ad denominationem; ad compositum autem in primo fieri omninò per accidens est, quod præcedat, vel non præcedat forma opposita. Quando autem Aristoteles docuit album fieri ex non albo, non quolibet, sed nigro: locutus est de nigro potentialiter sumpto, quia videlicet album per transmutationem debet fieri ex subiecto præcedente, & capace tum albedinis, tum formæ oppositæ: neque enim album fieri potest ex Angelo.

34 Obijcies quintò: carentia est non esse ergo non potest principiare compositum in primo fieri. Nego nunc consequentiam: quia compositum in primo fieri est quoddam fluens constans ex esse, & non esse, & quod numquam absolutè est.

35 Instabis, possumus dicere, quod carentia præcedens sit purum connotatum, & quod compositum primo productum constituatur per productionem, vel vnionem essentialiter connexam cum illa præuia carentia. Nego assumptum; non quia putem falsas illas connexiones: sed quia debet verificari antecedenter non fuisse, quod formaliter non præstat illa connexio, benè autem carentia præcedens: sicuti homo non satis constituitur per materiam vnitam animæ; quia debet saluari, quod homo formaliter sit principium discurrendi; quod non præstat materia vnita animæ, sed cum præcisione ab anima.

Quando principiat priuatio.

36 Obijcies Sextò: priuatio, vel principiat quando est, vel quando non est: non primum, quia tunc non est compositum principiatum; non secundum, quia nihil principiat, vel causat quando non est. Respondeo, principiare quando est, sed inadæquatè. Ratio est, quia principiatum in casu nostro numquam adæquatè est, sed successiuè, & inadæquatè, pro vt successiuè sunt eius partes; ergo sicuti inadequatè est, quando successiuè sunt singulæ eius partes ita inadequatè ab illis principiatur, quando singulæ sunt: sicuti partes motus component inadequatè motum, quando singulæ sunt per sui exhibitionem, & præsentiam. Ex quo quis fortasse benè inferet, priuationem, quando suo modo est, semper inadæquatè principiare compositum in primo fieri, sicuti inadæquatè tunc est compositum in primo fieri formaliter per ipsam priuationem, quæ non principiat in actu secundò per aliquam vnionem cum suis comparitibus, sed præcisè per sui præsentiam præcedentem. Ac omnis difficultas in hac re cessabit, si dicatur iuxta opinionem mihi probabiliorem, carentiam illam præuiam, quę hic, & nunc est principium huius compositi in fieri, esse modum relatiuum essentialiter connexum cum existentia sequenti compositi: nam hoc modo non est periculum, vt carentia præcedens actu inadæquatè principiet; & quod non sequatur res, quæ denominatur principiata.

36 Malè autem quis ex eadem doctrina inferet, quod anima rationalis actu principiet hominem, quando est separata à corpore; quia anima non principiat actu præcisè per sui præsentiam, sed per vnionem cum corpore, quæ tunc deest.

37 Vrgebis, priuatio principiat, quia est de conceptu rei naturalis in fieri: sed ad hoc, vt concipiamus rem naturalem in fieri, debemus concipere priuationem immediatè ante fuisse; ergo priuatio principiat quando non est: tunc enim solùm intelligi debet, vt intelligatur res naturalis in fieri. Nego vltimam consequentiam, quæ vt subsistat, debet assumi ea propositio, tunc res principiat, quando intelligi debet, vt intelligatur res principiata, quæ propositio est falsa: quia res non constituitur physicè principians per eam cognitionem, sed per se ipsam, quatenus suo modo dat esse rei, illamque constituit. Quin imo illa cognitio expresse declarat priuationē debuisse præcedere, vt principiaret; ergo expresse declarat illā principiare per sui præcedentiam, quando videlicet est: & sanè quando ipsa non est, non ipsa principiat, sed forma opposita.

Quomodo priuatio est principiũ compositi accidẽtalis in fieri

38 Obijcies septimò, potest compositum accidentale de nouo fieri, & non præcedere priuatio formæ nouæ: ergo vt subiectum mutetur, & habeatur compositum in primo fieri, non requiritur essentialiter, vt præcedat priuatio. Antecedens probatur, quando Petrus ex non durante hodie, fit durans hodie, habetur hoc concretum accidentale, Petrus hodie durans, primo positum, & quidem per transmutationem subiecti, & tamen non præcessit priuatio formæ præsentis: quia non præcessit priuatio durationis hodiernæ: nam heri non erat in Petro priuatio durationis hodiernæ: enimverò ea priuatio vel excludit durationem hodiernam secundum se, & hoc est falsum; quia sic excluderet ipsam ab hodie; duratio enim hodierna secundum se, est ipsum hodie: vel excludit durationem hodiernam ab heri; & hoc modo excludit terminum impossibilem, nempè coniunctionem durationis hodiernæ cum heri, qui est terminus impossibilis; exclusio autem termini impossibilis est negatio, non priuatio.

39 Multa hic dici possent de huiusmodi durationibus, & exclusiuis, sed quod spectat ad rem præsentem, dico primo, sermonem nunc esse de composito substātiali in primo fieri, quare possem sine præiudicio doctrinæ non curare de composito aliquo accidentali. Secundo dico, etiam in casu aduersarij, posse saluari proportionaliter doctrinam Aristotelis de priuatione, sed nomine priuationis intelligi formam aliquam contingentem incompossibilem cū forma sequenti, & supponentem in subiecto capacitatem ad formam sequentem secundum se; quod totum verificatur in casu allato: nam præcedit duratio externa secundum se contingens incompossibilis cum duratione hodierna, & supponens in Petro capacitatem ad durationem hodiernam secundum se; quæ capacitas identificata cum Petro, semper existit, existente Petro. Non est igitur necesse vt priuatio, quæ est prin-

cipium

cipium, excludat contingenter suum terminũ; sed satis est, si sit illi modo dicto incompossibilia. Ex his facilè est respondere in forma argumento proposito.

40 Obijcies octauo, carentia est terminus à quo; ergo non est pars componens. Nego cõsequentiam, nam in rebus fluentibus terminus à quo est pars intrinseca; & in motu locali non solùm partes sequentes, quæ habent rationem termini ad quem, sed etiam antecedentes, quæ habent rationem termini à quo, sunt partes componentes.

51 Obijcies nono, per Aristotelem ea priuatio est principium, quæ est idem numero cum materia, & machinatur malum composito: sed talis tantùm est priuatio formæ absentis: ergo, Nego minorem; Aristoteles voluit priuationẽ, quæ est principium, præcedere in materia, ac proindè esse vnum numero cum illa; ac opponi composito sequenti, ideoque machinari illi malum.

SECTIO TERTIA.

De principijs mutationis.

1 LOcuti sumus de composito in fieri, veluti in concreto; quærimus nunc partes intrinsecas, & principia ipsius fieri, seu mutationis in abstracto.

Quid sit mutatio. 2 Sciendum autem est primas productiones alias esse mutationes, alias minimè: per mutationes subiectum aliter se habet, ac priùs, dum transit ex vno ad aliud oppositum, vt cum ex ligno fit ignis: in quo casu subiectum, quod erat sub priuatione ignis, acquirens formam ignis, aliter se habet ac prius. Vbi deficiat ea alietas, & transitus, prima productio non est mutatio; vt si Deus primo producat simul materiam, formã, & vnionem.

3 Præterea mutatio non est essentialiter prima productio; si enim ignis, qui causatus fuit ab igne, conseruetur à solo Deo, mutatur subiectum, dum in ipso incipit noua causalitas conseruatiua ignis, nec tamen habetur prima productio.

quotuplex est mutatio 4 Tertiò, mutatio alia est positiua, alia negatiua; per positiuam subiectum ex carentia transit ad formam: vt si ex non igne fiat ignis: per negatiuam ex forma ignis, v.g. transit subiectum ad non esse ignis. Alia conuersiua, qua subiectum transit ex vna forma positiua ad aliã, de qua fusè dicam *in libris de ortu, & interitu.* Alia est substantialis terminata ad substantiam; alia accidentalis ad accidens; in quibus omnibus semper verificatur subiectum aliter se habere, ac priùs: mutatio igitur essentialiter est transitus, & alietas subiecti. His positis.

Principia perfectè intrinseca primæ productionis. 5 Dico primo: prima productio dicit tamquam principia perfectè intrinseca entitatem actionis, quam ex communi suppono esse accidens essentialiter simplex, eiusdem durationem præsentem, & præcedentem carentiam omnis productionis termini. Probatur, prima productio est concretum constans ex productione, & primitate: ergo dicit intrinsecè tamquam subiectum ipsam productionem, & veluti formam prioritatem. Primitas autem est, nunc esse hanc actionem, antecedenter nullam fuisse actionem causatiuam eiusdem termini, vt patet ex communi sensu: ergo dicit durationem præsentem huius actionis, & carentiam præcedentem non solùm huius, sed etiã cuiuscũque actionis, qua causaretur hic terminus. Hæc omnia facilè intelliguntur ex dictis: & quidem cum singula habeãt aliquam prioritatem respectu totius; erunt non solùm partes intrinsecæ, sed etiam principia perfectè intrinseca: reliqua quæ intercedunt, vt subiectum, forma, & similia erunt connotata extrinseca, & purus terminus alicuius ordinis.

Principia perfectè intrinseca mutationis quæ est prima productio. 6 Dico secundo, mutatio, quæ est prima productio, dicit vt partes intrinsecas actionem eductiuam, durationem præsentem eiusdem, & carentiam præcedentem omnis actionis circa eumdem terminum; & quidem requiritur essentialiter actio eductiua, quia mutatio non est quæcumque productio, sed immediatè intrinseca subiecto, & ab illa dependens, quæ sunt prædicata eductionis; de qua fusiùs alibi: præterea mutatio est alietas subiecti; ergo necessariò dicit suam durationem, per quam nunc sit, & præcessisse in subiecto suum non esse, & priuationem, vt autem sit prima productio debet necessariò supponere præcedentem carentiam omnis productionis eiusdem termini: reliqua, quæ essentialiter, vel connaturaliter requiruntur ad mutationem, puto esse connotata extrinseca; quia illis præcisis iam intelligitur alietas supra explicata: quod extendo etiam ad durationem antecedentem subiecti capacis, si, vt est mihi probabiliùs, vel ipsa carentia antecedens iam dicta, vel actio subsequens sit modus essentialiter connexus cum ea duratione: præcisa autem tali connexione cogor admittere durationem antecedentem subiecti, vt partem intrinsecam mutationis: alietas enim dicta necessariò dicit subiectum præcessisse; quare si nihil includat, quod cum illa præcedentia connectatur, debet illam intrinsecè includere.

Principia perfectè intrinseca mutationis secundũ se. 6 Ex his infertur, conceptum mutationis, quæ non sit prima productio, dicere actionem eductiuam nunc præsentem, eius priuationem præcedentem, & præcessisse aliquam productionem eiusdem termini; conceptum verò mutationis in communi, esse actionem præsentem, & eius præcedentem priuationem in subiecto, siue demum præcesserint, siue non præcesserint aliæ actiones: & quia hic conceptus conuenit non solùm actioni, qua ex subiecto præcedente educitur vnio, sed etiam qua educuntur plures alij termini; ideò omnes hæ actiones participant cõceptum verè mutationis.

8 Opposito modo, sed proportionaliter ad supradicta, discurrendum est de mutatione negatiua, quæ constituitur per præcedentem actionem eductiuam, & sequentem eius priuationem

in subiecto capaci: hæc enim & sufficiunt, & necessaria sunt, vt habeatur transitus, & alietas negatiua, ac verificetur, nunc non est eductio, immediatè ante fuit, ex quo necessariò subiectū aliter se habet, ac prius. Et quia ea mutatio est absoluta destructio termini, debet dicere sequentem carentiam omnis actionis causatiuæ illius termini.

9 Dices ad constituendam mutationem negatiuam videtur sufficere duratio antecedens alicuius termini; & subsequens priuatio eiusdem: illud enim constitutum est alietas subiecti, ergo non requiritur intrinsecè actio. Idem argumentum fit de mutatione positiua. Nego antecedens, nam mutatio, de qua loquimur, non est quæcūque alietas, & transitus subiecti, sed spectans ad compositum in fieri, vel eius destructionem: est igitur alietas, vel transitus, quo subiectum incipiat, vel desinat se exercere circa compositum: illud autem exercitium necessariò dicit eductionem. Profectò hic nos non loquimur de quacūque mutatione, sed de illa, quæ habet rationem motus physici, & essentialiter est acquisitio termini, ac dicit influxum subiecti, si loquamur de positiua: negatiua autem opposito modo se habet.

10 Obijcies primò, alietas subiecti necessariò dicit successionem partium: ergo præter supradicta includit aliud constitutiuum. Nego cōsequentiam: successio enim partium non est quid diuersum à partibus assignatis, quæ essentialiter sunt incompossibiles, & vna immediatè est post aliam. Vbi aduerto hanc successionem esse contingentem, & posse deficere, si vel altera pars non præcedat, vel altera non sequatur; necessitas autem, vt si illæ partes sint, non sint simul, & consequenter illarum incompossibilitas est conceptus necessarius identificatus cum Deo, & formaliter excludens chimericam compossibilitatem, & simultatem.

11 Obijcies secundò: contra supradicta cū Mauro, *quæst. 1. physic.* docere, quod principia in fieri sunt, quæ componunt ipsum fieri, & quod tria sunt, quæ componunt ipsum fieri; est mera explicatio vocis: incredibile autem videtur, Aristotelem celeberrimā de principijs quæstionem resoluisse vocabuli explicatione. Nego maiorem; quamuis enim in hac quæstione, sicuti & in qualibet alia, multæ voces explicentur: attamen non est vocis explicatio definire quot principia, & partes includat compositum; & quod hæc potius, quam illa respectu compositi participent rationem partis, sicuti non merè explicat hoc nomen, homo, qui post diligentem inquisitionem concludit, hominem dicere, vt partes constitutiuas corpus, animam, & vnionē, & hęc respectu illius habere veram rationem, & prædicatum partis. Confirmatur, quia non decidit quæstionem de nomine, qui contra antiquos cum Aristotele probat, principia non esse neque infinita, vt volebant nonnulli, neque vnum, vt asserebant alij; ergo neque qui definit esse tria hæc.

12 Sed notandum est, nos hic inquirere principia per se compositi, & mutationis essentialiter, ac veluti metaphysicè considerata: nam si loquamur de mutatione naturaliter facta, & inquiramus principia illius, vt naturaliter factæ, erunt profectò multo plura: omne enim quod essentialiter requiritur, vt sit mutatio naturalis, erit eius ita consideratæ principium, seu pars intrinseca.

13 Quæres, vtrum priuatio formæ præsentis possit dici principium per accidens compositi in facto esse? Respondeo, rigorosè loquendo, non posse: quia principium per accidens est, quod coniungitur cum principio per se; sic musica est principium per accidens ædificij, quia inuenitur in ædificatore, qui est causa per se ædificij: sed priuatio formæ præsentis non coniungitur cum principio per se, principiante cōpositum in facto esse: quia quando materia, & forma principiant illud compositum, non potest adesse priuatio contradictoriè opposita formæ. Quin imò in hoc sensu potiùs priuatio formæ absentis est principium per accidens dicti compositi: nam coniungitur cum materia, quando hæc principiat. *Priuatio formæ præsentis rigorose non est princ.p.ū per accidēs compositi in facto esse.*

14 Valdè tamen impropriè priuatio formæ præsentis potest dici principium per accidens compositi in facto esse: primò, quia capacitas subiecti, quæ est principium per se illius compositi, est vel pars, vel connotatum priuationis. Secundò, quia materia supponitur fuisse sub illa priuatione. Tertiò, quia priuatio ex Aristotele est idem numero cum materia: cum vel nihil, vel parum superaddat materiæ; & ita videtur aliquo modo perseuerare in materia: vnde dici potest, quod ratione materiæ per accidens principiet. Et in hoc sensu minùs rigoroso accipiendus est Philosophus, qui ad declinandam inuidiā veterum vnanimi consensu asserentium omnia constare ex primis contrarijs, non semel docuisse videtur, priuationem esse principium per accidens compositi in facto esse.

15 Quæres secundò: vtrum compositum accidentale constet primis principijs? Respondeo affirmatiuè, quia constat forma accidentali, quæ in eo genere non principiatur ab alia forma, quamuis non sit prima forma in concreto accidentali, sed supponat aliam formam nempè substantialem, quod tamen benè componi potest cum hoc, quod illa forma accidentalis respectu compositi accidentalis sit primum principium formale: constat præterea compositum accidentale subiecto, quod si sit materia prima, absolutè est primum principium: si verò sit totum substantiale est maior difficultas; quia compositum supponit aliud prius subiectum: ergo non potest principiare vt primum subiectum; neque in eo genere esse primum principium, cum fiat ex alio subiecto; cæterum adhuc saluatur, quod cōpositum accidentale constet immediatè primo aliquo subiecto, nempè materia inclusa in subiecto adæquato, quod est totum. Neque hinc contra supra dicta inferas respectu compositi *Compositū accidentale constat primis principijs.*

primo

primo producti ipsum compositum non esse primum principium, quia supponit aliud subiectũ, nempè materiam, ex qua componitur: contra enim est, nam materia supposita non est subiectũ illius denominationis primo producti, neque enim, cum primo producitur compositum, debet supponi materia primò producta, vt adæquatum subiectum denominationis: quare principiare, vt subiectum adæquatum denominationis primo producti, ita conuenit toti composito, vt in eo genere ipsum non principietur ab alio.

SECTIO QVARTA.

De conuenientia principiorum.

1 DIximus principium esse id primum vnde: quærimus nunc vtrum ratio expressa in allata definitione, quatenus dicitur de omnibus principijs, quæ sub illa continentur, siue sint intrinseca, siue extrinseca; sit vniuoca, & perfectè vna.

Ratio principij est vniuoca.

2 Dico esse vniuocam, ac proindè perfectè vnam. Probatur: conceptus expressus vnico nomine, communis pluribus, & non distinguens inter illa, est vniuocus: hoc enim significatur in definitione vniuocorum, videlicet *quorum nomen est idem, ratio verò substantiæ significata per nomen omninò eadem*; & conceptus quidem animalis est vniuocus, quia dicto modo exprimitur vnico nomine, est communis pluribus, nec distinguit inter illa: sed conceptus principij exprimitur vnico nomine, nẽpè principium: est communis pluribus: plura enim sunt principia, de quibus ipse, eiusque definitio inuariata prædicatur, vel prædicari potest; nec exprimit illorum pluralitatem: neque enim per hoc nomen, eiusque conceptum, & definitionem exprimitur ratio termini à quo, vel ad quem, ratio subiecti, vel formę, ratio principij intrinseci, vel extrinseci, quæ sunt eius differentię: ergo ratio principij est vniuoca.

3 Obijcies primò, principium est vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur; in qua definitione apparet diuersitas, & diuersus modus principiandi. Respondeo, vt supra indicabam, in maiori non contineri puram principij definitionem, sed addi ad maiorem claritatem præcipuam eius diuisionem. Ratio igitur principij sufficienter saluatur per hoc, quod sit id primum vnde aliquid: in quo conceptu nulla exprimitur diuersitas principiorum.

Datur ratio vniuoca cõmunis enti, & nõ enti.

4 Obijcies secundò, non potest dari aliqua ratio communis enti, & non enti; ergo neque principijs, quæ partim sunt entia, partim non entia; antecedens probatur; quia ens, & non ens sunt vniuersalissima: ergo non potest dari aliqua ratio illis communis, & vniuersalior. Primò, per me priuatio non est pura carentia, & non ens. Sed dato, quod sit pura carentia; Nego antecedens: cum autem dicitur, quod illi sunt conceptus vniuersalissimi, sermo est de conceptibus nobis obuijs, inter quos vniuersalissimi sunt dicti conceptus, qui nobis primò occurrunt. Cum hoc autem benè cohæret, quod detur aliqua ratio superior, & vniuersalior, & talem aliqui putant esse conceptum realitatis.

Ratio principij intrinseca omnibus principijs.

5 Obijcies tertiò, non potest explicari vtrũ hæc ratio principij sit intrinseca omnibus principijs. Nego, & dico esse omnibus principijs intrinsecam, sicuti ratio animalis omnibus animalibus: quodlibet enim principium habet in se vim principiandi.

6 Obijcies quartò: ergo non tota ratio formæ est ens, neque tota ratio priuationis est non ens. Distinguo consequens, realiter, & intrinsecè, nego: extrinsecè, & per intellectum, concedo: realiter totum, quod est in forma, est realiter ens; totum, quod in priuatione realiter est non ens; totus etiam vtriusque conceptus intrinsecè est principium; sed intellectus potest illa confundere, & exprimere sub conceptu principij, qui non est conceptus formalis entis, & non entis, quod sufficit, vt extrinsecè tota ratio formæ non sit ens, neque tota ratio priuationis non ens; sicuti ob similem rationem totus conceptus hominis realiter est rationalis, sed extrinsecè non totus est rationalis.

7 Instabis, nihil est in ente, quod non opponatur cum non ente: ergo in nullo conueniunt. Distinguo, quod non opponatur realiter, concedo; per intellectum, & extrinsecè; nego antecedens; & distinguo consequens, in nullo conueniunt realiter, & intrinsecè, concedo; extrinsecè, nego: ad hoc autem, vt extrinsecè, & per intellectum fiant vnum, satis est si habeant aliquam similitudinem realem, quæ sit fundamentum, vt vnico conceptu apprehendantur, & vnica definitione definiantur: non est autem necessarium, vt conueniant in aliquo vno vtrique intrinseco. Simile quid accidit in homine, & equo.

8 Obijcies quintò, omnia à nobis concipiuntur ad modum entis: ergo nullus conceptus potest esse communis enti, & non enti: quod enim concipitur ad modum entis, non potest esse commune non enti. Nego consequentiam, & rationem in contrarium allatam: sicuti quamuis à nobis omnia concipiantur ad modum corporis, possumus formare conceptum vniuocum substantię communem corpori, & spiritui.

Quod sit cõtradictorium principij.

9 Obijcies sextò, da mihi contradictorium rationis principij præcisę. Respondeo in ratione principij præcisa, non includi, & præcisionem de formali, & de materiali collectionem omnium principiorum: præcisioni, seu rationi illi, vt præcisę, opponitur contradictoriè carentia præcisionis: at collectio principiorum includit plura, quorum quodlibet suum habet contradictorium: quare illi collectioni non debet assignari vnum contradictorium; sed formę opponitur contradictoriè priuatio, priuationi forma, materię eius carentia, &c. dici etiam potest, quod rationi principij contradicat hic alius conceptus obiectiuus, non principium, siue demum hic conceptus sit realis, siue chimæricus;

sed

sed profectò neque formaliter est eos, neque non ens. Verùm prima responsio est expeditior, & seqoeuda. Neque verò multitudo debet habere vnicom, & indiuisibile exelusiuum reale adæquatum.

Quomodo ratio principij neque sit, neque non sit.

10 Obijcies septimo, quodlibet vel est, vel non est: ergo illa ratio communis vel est ens, vel non ens. Si ens, non conueoit priuationi; si non ens, non conuenit formæ. Distinguo antecedens, quodlibet indiuiduum reale, vel est ens, vel oon eos, cooeedo. Quodlibet, idest quilibet conceptus intentionalis, vel est conceptus entis, vel noo entis; oego antecedens, & coosequentiam. Io consequenti enim oon est sermo de aliqoo iodiuidno, sed de ratione communi, quæ præscindit ab esse, & oon esse: sicuti quamuis realiter quodlibet indiuiduum sit homo, vel non homo; conceptus tamen communis animalis formaliter neque est homo, neque noo homo. Attamen illa ratio præcisa & si formaliter neque sit ens, oeque non ens; oihilominus prędicatur tum de ente, tum de non ente, vti euenit in omoibus ratiooibus commuoibus. Quod si vlterius ioferas illam rationem esse quid medium inter coutradictoria; Respoodeo, non esse absurdum mediom ioter duo coorradictoria, quod oeutrom illorum sit; Petrus eoim neque lux est, neque carentia lucis: sicuti neque absurdum est medium, quod per præcisionem extrinsecam neutrum illorum formaliter includat; animal enim præcisum formaliter, neque rationale est, neque ooo rationale; & hoc modo ratio, de qua loquimur, est medium inter coo-tradictoria. Medium igitur absurdum inter cōtradictoria est, quod iodiuisibiliter sibi identificat duo cootradictoria; vel quod realiter neque identificatur cum aliqoo, neque ab illo distinguitur; vt si fingas Petrum oeque distingui à luce, oeque cum illa identificari: sic enim verificator, Petrus est lux, Petrus non est lux. Neutrum aotem horum conueoit nostrę rationi pręcisę.

Quomodo ratio principij est medium inter duo contradictoria.

11 Obijcies octauò, voluntatis obiectum est boonm, vel malum, & non ratio ab illis præcisa; ergo nequo ratio præcisa ab ente, & non ente est obiectom intellectus. Nego consequentiā, quia io ratione præcisa ab ente, & ooo ente iouenit iotellectus veritatem, & cognoscibilitatem, quæ est eius obiectum; at voluntas non inueoit suum obiectum, & rationem formalem in ratione præcisa à bono, & malo: aliter nego antecedens.

12 Obijcies nonò, ratio illa præcisa inuoluit ens, & oon ens: ergo repugnat. Distinguo antecedens; inuoluit eos, & non ens ideotificata, aut simul existeotia, oego, simul confusè cogoita, concedo antecedeos, & oego coosequentiam.

Ratio contradictorij communis.

13 Quæres hic obiter verom possit dari ratio contradictorij in communi abstracta ab omnibus contradictorijs? Respondoo nomioe cootradictorij nos posse intelligere conceptum aliquem simplicem, qui seipso sit formale exclusiuum alterius; & in hoc seosu puto probabilem rationem contradictorij io commuoi; videlicet, formale exclosiuum alterios, qui cooceptus cum non exprimat dioersitatem exclusiuorum, videtur esse perfectè vnos, & præcisus.

14 Secondò nomioe coorradictorij possumus intelligere esse, & non esse, qood similiter coocipi potest sub disiooctiooe expressa per illud principium, qoodlibet est, vel non est. Secundo, veluti copulatiuè concipieodo simul posita esse, & non esse, & in vtroque casu puto dari posse ratiooem cootradictorij io commuoi: qui enim coocipit illud principium, quodlibet est, vel non est, exprimit contradictorium in commuoi, neque declarat hoc, vel illud cootradictorium, aut dioersitatem ioter ipsa binaria contradictoria, & disiuncta: oce vero per illum actum necesse est me clarè exprimere; Petrom esse, vel oon esse. Quod autem tunc intellectus videat deuersitatem ioter partes disiuncti, esse videlicet, & non esse, id ooo officit rationi communi, quia non apparet diuersitas io ipsa ratione communi, dum ooa distinguo inter eius ioferiora, videlicet inter vnum, & aliud disiuoctum; sed ad summum ioter partes veluti physicas disiūctiuè compooentes illam veritatem, qoodlibet est, vel non est. Idem proportionaliter esto iudicium, si concipiam simul posita esse, & non esse. Confirmatur, quia qui concipit compositū humanum in commuoi, format conceptum voiooeum, & perfectè præcisum; oam ita distinguit in ipso composito plures partes, quibus constat, vt noo distioguat inter vnum, & aliud compositum humanum.

Ratio contradictoriè opposita contradictorio in communi.

15 Dices, quęnam ratio contradictoriè opponitur contradictorio in communi? Respondeo proportiooaliter ad supradicta, contradictorio in communi, vt præciso, opponi contradictoriè carentiam præcisionis; qood enim contradicit parti, contradicit toti. At si loquamur de contradictorio secuudum suum esse intrinsecū; dico esse plura cootradictoria cum soa incompossibilitate, per quam formaliter constituuntur cootradictoria, quæ incompossibilitas formaliter explicatur particula disiunctiua, vel, Petrus, vel non Petrus, esse, vel non esse, quibus opponuntur contradictoriè illæ chimæræ, Petrus, & non Petrus, esse, & ooo esse; in quibus explicatur compositio extremorum simplicium, quæ formaliter contradicit oecessitati veritatis illius, Petrus, vel non Petrus, esse, vel nō esse. Deinum termioo simplici incompossibili, v.g. Petro oppooitur contradictoriè alius terminus simplex ab illo exelusus nempè non Petrus.

16 Quæres iterum, vtrum ratio priocipij expressa in definitione Aristotelis, quę neque ex sese, neque ex alijs, &c. sit perfectè vna. Respondeo, ibi Aristotelem definire principia in plurali, ac proindè explicare illorum pluralitatem: quare ratio principij prout subiacet illi definitioni, & conceptui, qui eidem definitiooi correspondet, ooo est vniuoca: iam enim attingit plura, vt plura. Quod si primum clemé-

tum

rum compoſiti, ſeu primum principium perfectè intrinſecum hoc alio modo definieris: *Id ex quo primò in ſuo genere aliquid conſtitutiuè eſt.* ea definitio videtur bona; nam eius ſenſus eſt, primum principium perfectè intrinſecũ eſt conſtitutiuum rei cum abſoluta prioritate in ſuo genere, quia in eo genere à nullo alio principiatur: ac præterea in eo conceptu non elucet diuerſitas, vel pluralitas principiorum, quę officiat vnitati.

17 Inſtabis, ratio principij in communi eſt ratio partis, ſed de ratione partis eſt, dicere ordinem ad compartem, ergo de ratione principij eſt, dicere ordinem ad compartem: ergo in ipſa ratione principij elucet pluralitas, quæ obſtat vniuocationi. Nego maiorem, etiam ſi loquaris de principio perfectè intrinſeco; quia de ratione principij perfectè intrinſeci eſt, eſſe conſtitutiuum rei non ſufficiens, in quo non exprimitur ratio partis, vel multitudo principiorum. Quod ſi clariùs explicetur ratio principij intrinſeci, ſeu partis, negari non poteſt, quin elucear aliqua pluralitas aliquo modo minuens perfectionem vnitatis, & vniuocationis. Cæterum hęc pluralitas primò non explicatur in recto rationis principij, & partis, ſed in eius obliquo. Secundò, non clarè elucet in ipſa definitione partis, videlicet conſtitutiuum inſufficiens. Tertiò, non aufert abſolutè vniuocationem; quia non inducit aliquam analogiam, vel proportionis; non enim datur vna aliqua pars, per ſimilitudinem ad quam reliqua participent rationem partis: vel attributionis; neque verò datur aliqua pars, quę ſit principaliùs analogatum, cui per ſe intrinſecè, ac abſolutè conueniat ratio partis, reliquis verò per ordinem, quem dicunt ad illam.

DISPVTATIO SECVNDA.

De primo principio corporis naturalis, ſeu de materia prima.

EXplicato principiorum numero ſingula conſideranda propono; iure autem materia primum ſibi locum vendicat, cum ſit primum ſubiectum, quod ſub contrarietate in pugna perſeuerat.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex eſt materia prima?

1 DVas materię definitiones apud Ariſtotelem inuenio; alteram negatiuam, 7. *metaph.* ex Platone in Thimæo, qua potiùs explicat quid non ſit, quàm quid ſit materia: videlicet: *Materia non eſt quid, neque quale, neque quantum, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Horum Philoſophorum veſtigijs inhærens S. Auguſtinus *lib.* 12. *conf. cap.* 3. *&* 6. *Materia*, inquit, *non eſt color, non figura, non corpus, non ſpiritus, non tamen omninò nihil*: ſenſus autem eſt, materiam primam non eſſe compoſitum, neque formam, quę exprimuntur per quid, neque qualitatem, quantitatem, aut aliud ex decem prędicamentis, quæ ſunt veluti ſpecies determinatiuæ entis.

2 Secundam idem Philoſophus tradidit hic *cap.* 9. *fine*, illis verbis: *Dico enim materiam, quod rei cuiuſque ſubiectum eſt primum, ex quo inſito, non ex accidente oritur aliquid, & in quod, ſi quidpiam interit, vltimũ abeat.* Ex quibus verbis hanc definitionem concinnant Conimbricenſes *lib.* 1. *cap.* 9. *quæſt.* 2. *Materia eſt id, ex quo tamquam ex primo ſubiecto aliquid fit, non per accidens, ſed per ſe.* Particula prima, ex quo fit aliquid, obtinet locum generis; conuenit enim etiam alijs principijs. Secunda particula, tamquam ex primo ſubiecto, explicat differentiam: eſſe enim primum ſubiectum; ita conuenit materiæ, vt nulli alij conueniat: nam, & ſi ex compoſito ſubſtantiali tamquam ex ſubiecto, vt volunt nonnulli, & forma accidentali reſultet totum accidentale; tamen compoſitum ſubſtantiale ſupponit aliud prius ſubiectum; quo ipſum conſtituitur; & ideò non participat rationem primi ſubiecti; proprietates item formarum ſubſtantialiũ ſunt in formis ſubſtantialibus tamquam in ſubiecto, ſed non primo; cum ipſamet formę ſubſtantiales recipiantur in alio priori ſubiecto. Demum additur non per accidens, ſed per ſe, vt magis explicetur munus proprium, & proprius, ac primarius finis primi ſubiecti, nempè conſtituere compoſitum ſubſtantiale, non accidentale, quod tantùm per accidens intenditur à natura. Hæc igitur particula, non explicat aliquod nouum prædicatum in materia; ſed magis declarat id, quod eſſentialiter includitur in ratione primi ſubiecti compoſiti naturalis, cuius principia perfectè intrinſeca inquirit hic Ariſtoteles Ex quibus ſequitur, particulam illam, ex quo tamquam ex primo ſubiecto, apud Ariſtotelem non ſignificare habitudinem cauſæ materialis ſuſtentantis formam: cum præſertim, vt infra dicam, potentia ſuſtentatiua non ſit de primario conceptu materię primæ; ſed ſignificare habitudinem ſubiecti componentis totum ſubſtantiale, quod indicant verba illa Philoſophi, *ex quo cum inſit*, neque enim materia ineſt formæ, ſed toti.

3 Sequitur præterea, addita etiam eſſe ad maiorem declarationem, quæ vltimo loco poſuit Ariſtoteles, *& in quod, ſi quidpiam interit, abibit vltimum:* ſi enim eſt primum ſubiectum, eſt vtique incorruptibile, & conſequenter debet in mutatione perſeuerare, tamquam vltimum, ſeu potius primum fundamentum, quod poſt ruinam non interit.

4 Et incorruptibilitas quidem materię, & primi ſubiecti confirmatur; quia, quod non pendet ab agente creato, nec habet contrarium, non poteſt naturaliter corrumpi: ſed primum ſubiectum non pendet ab agente creato, quia non pendet ab alio ſubiecto, aliter non eſſet primum ſubiectum: omne autem, quod pendet ab

agen-

agente creato, pendet a subiecto, saltem naturaliter, vt suppono. Rursus primum subiectum nō habet contrarium: contrarietas enim inter duo est in ordine ad subiectum, à quo pendent, & à quo se mutuo expellunt: primum autem subiectum non habet aliud subiectum prius sibi commune cum alijs rebus: ergo non potest naturaliter corrumpi. Est igitur materia primum subiectum incorruptibile, & ingenerabile. Ex dictis autem sic formari potest definitio: materia est primum subiectum compositi naturalis.

5 Sed contra incorruptibilitatem materię dices primo: materia dependet à posteriori à forma substantiali: ergo si spoliatur forma omni substantiali, naturaliter desinit. Nego consequētiam: materiam dependere à posteriori à forma est materiam spoliatam omni forma substantiali non posse conseruari. Sed non potest naturaliter spoliari omni forma substantiali, vt probabo.

6 Dices: secundo materia exigit ad determinatum tempus conseruari; sicuti sonus, & species intentionales: ergo elapso eo tempore debet naturaliter desinere. Neque verè assumitur, quod non pendet ab agente creato, neque habet contrarium; non posse naturaliter desinere. Nego antecedens, quod, & gratis assumitur ab aduersario, & probatur falsum: nam materia constituta est à Deo, vt subiectum, dependenter à quo agentia naturalia presertim corruptibilia propagent suam speciem per generationem similis. Huiusmodi autem subiectum sicuti ex natura sua ordinatur ad seruiendum inclinationi agētium ad dictam propagationem: ita debet esse proportionatum dictę inclinationi, & ea prędicata habere, quibus ex natura sua sit aptum dicto fini: ergo debet ex natura sua esse ęternum, & ab intrinseco exigere semper durare: probo consequentiam, quia si presciudamus ab hac perpetuitate, non esset ex natura sua proportionatū dicto fini: agentia enim naturalia inclinata ad propagationem speciei exigunt subiectum ęternum: est enim in illis exigentia naturalis ad propagandam speciem sine fine; si enim ignis, A, exigit propagare speciem, etiam ignis, B, productus exigit propagare, speciem, & sic in infinitum, omnes enim ignes posteriores, & posteriores sunt eiusdem virtutis, & exigentiæ: huic autem exigentię non est proportionatum subiectū temporale: cum præsertim, vtpotè suppositum ad omnem generationem, non possit ab agente naturali post defectum vnius generari aliud simile.

7 Hæc, vel similis ratio non militat pro sono, specie intentionali, & similibus; & si aliqui negent has qualitates dicto modo desinere.

8 Dices tertiò, materia constat ex minimis physicis, quorum partes diuisæ debent destrui: ergo si partes minimi materiæ diuidantur, naturaliter destruuntur partes illius minimi: quę tamen participant essentiam materiæ. Nego cōsequentiam: quia partes minimi non possunt naturaliter diuidi.

9 Dices quartò, possibilis est saltem in alia rerum serie forma spiritualis rationalis, quæ possit separari à materia, etiamsi non expellatur à forma contraria; in eo casu materia spoliata omni forma naturaliter deberet destrui. Respondeo, data eius formę possibilitate, de qua nolo controuertere. Dico indè non lædi meam doctrinam, qui loquor de materia actuali, in qua non est capacitas ad eam formam. Præterea materia in eo etiam casu non deberet necessariò destrui; non enim necessariò tunc dependeret à posteriori á forma.

10 Dices quintò, vnio partium materiæ corrumpitur, & generatur ab agente naturali, dum sua actione illas diuidit, vel vnit: ergo materia est generabilis, & corruptibilis. Nego consequentiam; ex antecedente enim solùm sequitur totum integrale conflatum ex partibus materiæ esse generabile, & corruptibile: sicuti ex eo quod sit generabilis, & corruptibilis vnio inter animam, & corpus, solùm sequitur hominem esse generabilem, & corruptibilem, non autem materiam, & animam rationalem. Quemadmodum autem, licet vnio spectet ad constitutionem hominis, non tamen participat conceptum corporis, vel animæ; ita & si vnio continuatiua partium materiæ spectet ad constitutionem continui, quod ex illis resultat, non tamen participat naturam materiæ. Hec responsio locum habet in sententia tum Aristotelis, tum Zenonis.

11 Infero ex dictis primò; materiam primam esse substantiam: primum enim subiectum debet esse substantia, vtpoté nulli intimo priori accidens; & quamuis non sit finis, cui primus intimus adæquatus, quod est tantùm substantia completa in quolibet indiuiduo: est tamen pars illius.

12 Infero consequenter secundò, esse substantiam incōpletā: quia est primum subiectum, ex quo, cum inest, fit aliquid: ergo absolutè non est aliquid, sed pars alicuius, cui videlicet inest.

13 Hinc infero tertiò, esse essentialiter simplicem: quia & si constet pluribus partibus omninò homogeneis, constituentibus continuum; non constat tamen materia, & forma: aliter non esset primum subiectum. Igitur materia prima, seu primum subiectum compositi naturalis corruptibilis, est substantia incompleta, naturaliter æterna, constitutiua compositi naturalis corruptibilis, perseuerans in pugna, & transiens in mutationibus naturalibus de vno ad aliud extremum, de vna ad aliam formam. Hoc profectò intelligimus nomine materię primę.

14 Hæc igitur materia alia est, ex qua fit compositum tamquam ex parte, alia circa quā operatur agens. Hac diuisione potiùs assignantur diuersa munera eiusdem materiæ, quam ipsa diuidatur in suas species inter se oppositas. Secundò, materia alia est transiens, alia permanēs. Nonnulli hanc diuisionem confundunt cum diuisione materię in primam, & secundam, ita vt tran-

transiens sit secunda, prima permanens. Alij dicunt materiam transeuntem esse compositum preteritum, ex quo fit nouum, v. g. lignum, ex quo fit ignis; permanentem autem esse subiectũ, quod sub vtroque perseuerat. Cæterum materia, quam dicunt primam, est subiectum, de quo supra locuti sumus, secundum se consideratum. Secunda est idem subiectum, prout affectum quibusdam accidentibus, quibus disponitur ad aliquam formam, vt si per calorem, & siccitatem disponatur ad formam ignis. Metaphysica materia realiter indistincta à sua forma, videlicet à differentia, nõ est presentis instituti.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum de facto detur materia prima, quam definiuimus?

1 DIxi, quã supra definiuimus: sunt enim nonnulli, qui nomine tenus admittẽtes materiam primam, dicunt illam esse corpuscula quædam ingenerabilia, & incorruptibilia, substantialiter completa, & essentialiter simplicia, quę variè aggregata, & disgregata constituunt varias rerum sensibilium mutationes. Alij absolutè negant materiam primam, & asserunt in trasmutatione sensibili ligni in ignem, nihil substantiale commune manere sub igne, quod fuerit sub ligno; sed totam substantiam ligni corrumpi, & totam substantiam ignis de nouo produci. Vtrique igitur excludunt existentiam compositi substantialis; quamuis oppositis vijs in id conuenerint. Communissimus sensus, cui adhæreo cum Aristotile, astruit existentiam actualẽ materiæ primæ, quam supra definiuimus, & existentiam actualem compositi naturalis.

Dãtur mutationes substantiales. 2 Dico igitur primò, dari mutationes substantiales rerum sensibilium, ita vt vna substantia corporea producatur de nouo secundum esse substantiale, alia etiam secundum esse substantiale desinat. Probatur: certum est de facto dari substantias corporeas distinctas ab accidentibus, aliter hæc accidentia sublunaria corporea non essent accidentia: de essentia enim accidentis est, esse entis ens, & ordinari ad perfectionem intrinsecam substantiæ: tum sic, per mutationes, quas dependenter à sensibus euidenter cognoscimus, non solùm producuntur, & corrumpuntur accidentia, & alia entia secundaria, sed etiam ipsæ substantia, & entia primaria; nec solùm lignum ex frigido, & humido fit calidum, & siccum, sed etiam aliquando desinit esse lignum, & incipit esse ignis; ergo præter accidentales, dantur substantiales mutationes.

Mutationes, quas experimur nõ possunt saluari per aggregationẽ, & disgregationẽ corpusculorum. 3 Respondent, nunc non corrumpi, aut produci aliquam substantiam; sed desinit lignum, quia per aduẽtum corpusculorum igneorum dissecantur corpuscula lignea, & dispurguntur, vnde desinit in eo loco apparere, & esse lignum; & incipit ibi apparere, & esse ignis: quia athomi, seu corpuscula ignea, quæ aberant, & erant dispersa, in eo loco congregantur: quare nihil substantiale de nouo ponitur, aut corrumpitur; sed merus motus localis corpusculorum, & aggregatio, vel disgregatio inde sequens. Ignis igitur, qui de nouo apparet, non est nisi corpuscula ignea, quæ antea vndiquè dispersa, & distantia delitescebant, hic aggregata, & condensata incipiunt habere hanc, vel illam figurã. Hæc aggregatio procedit ab igne agente, qui applicatus ligno virtute quadam sympathica, ac veluti magnetica trahit ad locum sibi proximum corpuscula ignea.

Hæc corpuscula aliqui dicũt omnia esse eiusdem speciei. 4 Verùm, vt clariùs procedamus; sciendum est, nonnullos Athomistarum putasse huiusmodi corpuscula omnia esse eiusdem speciei; hi profectò tenẽtur dicere inter corpora naturalia nullam esse diuersitatem substantialem specificam, sed merè accidentalem quoad dispositionem localem, & maiorem, vel minorem condensationem; ita vt corpuscula habentia hanc figuram, & ita, vel ita condensata, vel rarefacta constituant corpus, quod nos vocamus ignem habentem qualitates siccitatis, & caloris: habentia autem aliam condensationem constituunt aliud corpus, & alias qualitates: nam etiam qualitates hi auctores identificant cum corpusculis hoc, vel illo modo condensatis. Quod si aliquando perseuerante eodem corpore, nempè ligno, mutantur qualitates, idest, quia non quęcumque mutatio figuræ, & densitatis est sufficiens, vt dicamus illud non esse lignum, sicuti est sufficiens, vt dicamus illud non esse calidum, vt erat priùs.

Alij diuersę speciei 5 Alij Athomistarum defendunt, non esse eiusdem speciei omnia corpuscula, sed corpuscula, quibus constat ignis, differre specie á corpusculis, quibus constat aqua; ac proindè corpora ipsa naturalia non omnia esse eiusdem speciei substantialis, sed aliqua inter se substantialiter specie differre. Quando autem lignum perseuerans ex calido fit frigidum, vel è contra, id euenire potest, quia poris ligni modo admiscentur corpuscula extranea, calida, modo frigida.

Impugnãtur corpuscula. 6 Contra hos dicendi modos multa congerunt Auctores, & in primis Pallauicinus *lib. de Sacramentis*, & Maurus *quæst. 4. physica*. Ego primo contra vtrumque dicendi modum vrgeo: quia hæc omnia nullo nisa solido fundamento, videntur concinnata ad perturbandam veritatis lucem, ea potissimum ratione: quia nulla apparet in hoc discurrendi modo repugnantia; nulla eo posito necessitas admittendi mutationes substantiales, composita naturalia, & materiam; quæ ratio in re tanti momenti, & vbi agitur de euertenda Aristotelis doctrina, & vniuersa ferè philosophia, eiusque, vt ita dicam, principijs, quæ tot seculis altas in hominum mentibus egerant radices, apparet viro philosopho indigna. Argumentum enim negatiuum, vtpotè fundatum in carentia luminis, quia videlicet non videmus repugnantiam, nobis non apparet necessitas, vel nihil prorsus probat pro alterutra parte contradictionis, vt ego puto verum, vel satis parum, vt etiam fatentur eius patroni. Indignum igitur

videtur, vt propter illud vir cordatus relinquat Aristotelis doctrinam, tot sæculorum plausu laudatam, & communi sapientissimorum sensu probatam. Et planè hoc videtur primum, & maximum Athomistarum priuilegium, vt sua placita cum vel absolutè non probent, vel satis leuitèr; nihilominus nisi argumento negatiuo velint, vt Aristotelici suam doctrinam euidentissimis argumentis, & experientijs confirment.

Reijcitur secundo ex præuia dispositione, quam experimur necessariã ad excitãdum ignem.

7 Secundò, vtrosque impugno: quia experientia constat antequam accendatur ignis, debere lignum exsiccari, & calefieri; hoc autem vanum est, si ignis accenditur per aggregationem corpusculorum, quæ ignis applicatus virtute sympathica attrahit: satis enim est, si corpuscula ignea accedant, suaque aggregatione, & condensatione expellant loco corpuscula lignea frigida, & humida; cur enim si hęc corpuscula lignea dissecantur, & disperguntur, non debent secum ferre suum natiuum frigus, & humiditatem?

Frigus, calor, & similia nõ sunt corpuscula

8 Quod si dicas frigus, & humiditatem esse corpuscula priùs expellenda per calorem, & siccitatem, sic vrgeo: in igne agente est non solùm ignis, sed etiam calor, & siccitas: ergo sicuti per calorem, & siccitatem attrahit corpuscula calida, & sicca ab initio applicationis, ita & ab initio debet attrahere corpuscula ignea. Si verò replices, ipsa corpuscula ignea esse calida, & sicca, sed ab initio paulatim attracta calefacere, & exsiccare, non autem ignefacere, nisi post aliquod tempus, quando iam sunt in magna copia, & magis condensata; sic vrgeo: corpuscula illa sunt ignea, calida, & sicca: ergo sicuti ab initio paulatim attracta statim sensibiliter calefaciunt, & exsiccant, ita deberent statim sensibiliter ignefacere; & sicuti paulatim crescit calor, & siccitas, quia adueniunt noua corpuscula calida, & sicca, & magis condensantur; ita deberet, & ignis paulatim crescere, etiam quoad intensionem; quæ omnia sunt contra experientiam.

9 Dices tertiò: frigus, & humiditatem ligni esse eius qualitates, quibus persistentibus lignum resistit dispersioni, & sectioni: quare, vt ignea corpuscula, accedentia possint desecare lignum, & eius corpuscu'a dispergere, debet prius lignum amittere humiditatem, & frigus; producto calore, & siccitate. Sed contra est primo: ergo iam admittis qualitates distinctas à subiecto communi; distinctas igitur à dispersione, congregatione, motu locali, condensatione, & rarefactione, quę qualitates de nouo producantur, & corrumpantur: cur igitur non admittis substantias corporeas ab his omnibus distinctas, quæ de nouo generentur, & corrumpantur, quo videlicet faciliùs, & expeditiùs salues mutationes substantiales, quas omnes agnoscunt, & experientia ipsa docet, dum non solùm ex calido fit frigidum, sed etiam ex ligno fit ignis? Cur enim sine euidenti fundamento recurram ad virtutes has sympathicas, & magneticas, vt ad placitum communi sensui contradicam?

10 Contra est secundo: congruentius est, vt corpuscula lignea disgregata secum ferant suas naturales qualitates, quam, vt illas amittant resistendo disgregationi: nam cum illa corpuscula sint ingenerabilia, & incorruptibilia, ac entia in se essentialiter completa, non est cur resistant suę disgregationi, quæ non est illis mala; & cur vt resistant debeant qualitates amittere; satius esset, si statim cederent, & secum ferrent integras suas qualitates. Ex his patet, cum difficultate in hac sententia explicari, verum calor, & frigus sint corpuscula substantialia ingenerabilia, & incorruptibilia, vel qualitates substantiæ superadditæ. Et si quidem dicas, esse corpuscula, erunt vtique distincta ab igne, & aqua: ergo neque ignis erit in se calidus, neque aqua in se frigida; sed cum dispergentur alibi erunt corpuscula ignea, alibi calida, alibi aquea, alibi frigida, quin imò longe inter se dissita: cur igitur quando ignis vi sympathica attrahit corpuscula, non attrahit illa separata à calidis? Et si dicas, quia ignis attrahens, est etiam calidus, cur quæso te simul cum calidis ab initio non trahit ignea, vt supra dicebam?

Impugnãtur etiam corpuscula ex morte hominis.

11 Arguo tertio contra vtrumque dicendi modum: quia in morte hominis certum est, animam perseuerare, nec dissolui in corpuscula essentialiter completa, & simplicia: cum præsertim anima rationalis sit eius essentialiter incompletum, ordinatum ad constituendum vnum substantiale cum corpore. Præterea corpus, quod ante vniebatur cum anima, non dissoluitur in corpuscula simplicia; aliter anima in homine esset entitas ex natura sua sicuti accedēs ad corpus iam organizatum, ita supponens substantiam completam, ac proindè esset accidens. Quęro rursus vtrum cadauer, quod post mortem perseuerat, sit saltem secundum aliquid sui illud idē, quod erat sub anima, vel de nouo generetur? Si primum, ergo sub cadauere perseuerat substantia aliqua, & subiectum commune, quod fuit sub anima: à quo abhorrent Athomistæ. Si secundū, ergo adest causa extrinseca adducans corpuscula ossea, carnea, & alia, quæ componant neruos, cartilagines, & similia disgregata, & longè dissita, ex quibus consurgat totum illud, quod pōst mortem hominis experimur in eo cadauere. Hęc autem sunt adeò à veritate aliena, vt si narrentur etiam vulgo, habebuntur prorsus tamquam fabulæ, longè incredibiliores, ac risu magis dignæ, quam Pytagoreorum somnia de animarum transmigratione. Profectò sensus communis hominum omnium est, aliquod maximè spectans ad hominem esse sub eius cadauere; vndè ortum duxere exequiarum honores, & veneratio, qua Sanctorum reliquias prosequimur. Quid, quęso in illorum reliquijs iure, vt suo modo sacrum, veneramur, si nihil ad illorum substantiā spectans ibi reperitur? Demum si cadauer illud constat ex corpusculis osseis per sympathicam virtutem aggregatis, cur aliquando, etiam si non præcesserit homo, non aggregantur in magna copia hęc corpuscula ossea ad constituendum, pręgrande

grande os, aggregantur, inquam, ab alijs corpusculis osseis per sympathicam virtutem agentibus? Ex quo profectò eueniet, vt aliquando etiam si non præcesserit homo, consurgat integrum, & gygantæum cadauer. Hinc

Impugnantur specialiter corpuscula diuersæ speciei.

12 Quarto, principaliter arguo contra illos, qui huiusmodi athomos specie diuersas admittunt; quia nulla existente causa extrinseca deberet hic statim consurgere ignis, & comburi lignum, quod tamen putatur magnum miraculum: & ratio est: quia athomus ignita hic existens deberet ad se virtute sympathica aggregare alias athomos ignitas, & longè dissitæ deberent accurrere, vt condensentur ad constituendum ignẽ, quem experimur: quia, vt docent aduersarij, ad eam aggregationem, & condensationem illa corpuscula maximè inclinant; & si tu admittis in magna quantitate athomorum vim attrahendi magnam quantitatem similium athomorum, quæ aggregatæ augeant ignem, cur non admittis in vna athomo vim attrahendi aliam? Et si in parua scintilla, quamuis contempta, agnoscis vim attrahendi immensam athomorum copiam, vt patet, si illa applicetur maximæ alicui pulueris tormentarij quantitati, cur non agnoscis in vna athomo vim attrahendi aliam? Ex his autem apertè sequitur, ad ignem excitandum neque necessariam esse materiam ignibilem præcedentem, neque causam aliquam extrinsecam. Quin imo neque deberet lignum præcedens comburi, & destrui ad productionem ignis, sed satis esset si loco cederet: nam ad productionem ignis sufficeret, si corpuscula ignita accedentia ex latere ob impedimentum ligni aggregentur, & condensentur propè ignem præcedentem; & loco pellant lignum. Profectò hic modus producendi esset longè facilior, quàm ille aduersariorum per aggregationem, disgregationem, ac dissectionem corporis obsistentis. Et confirmatur: quia tota pugna inter corpora per aduersarios est localis, & quoad locum; ad hanc autem pugnam satis est, si corpus obsistens pellatur loco, vt constat experientia: corpus igitur obsistens non deberet corrumpi, & dissecari: cum præsertim natura non per se intendat corruptionem, vtpotè in se absolutè malam, sed per accidens, quatenus necessaria est ad productionem alterius corporis: neque inter corpora afferenda est inimicitia adeò magna, quæ neque necessaria, neque vtilis sit. Quare iuxta aduersariorũ principia ea pugna, & contrarietas deberet esse inter ignẽ, & stupam, quæ est inter lapidem, & lapidem.

Impugnantur eiusdẽ speciei.

13 Demum contra illos, qui admittunt athomos eiusdem speciei vrgeo specialiter: quia ignis habet virtutem productiuam ignis, quàm non habet aqua: ergo aqua, & ignis differunt specie secundum substantiam; aliter non esset cur ignis habeat determinatè virtutem productiuam ignis, non autem aqua. Quod si dicas eadẽ corpuscula habentia figuram ignis esse productiua ignis, habentia autem figuram aquæ esse productiua aquæ; dicam ego corpuscula habentia figuram adamantis esse productiua adamantis, habentia figuram domus esse productiua domus. At si replices figuram adamantis non esse fecundam, neque figuram domus, sicuti est fecunda figura ignis: vrgeo, quia iam præter corpuscula omnia eiusdem speciei admittis diuersas specie figuras, quæ sunt veluti radices diuersorum speciei accidentium, & effectuum; si enim petam, cur, ignis sit calidus, & siccus, aqua frigida, & humida, non potes aliud respondere nisi, quia ignis ratione suæ figuræ, densitatis, &c. est fundamentũ horum accidentium, & effectuũ; aqua verò illorum: ergo illa, quam tu appellas figuram, est vera forma substantialis, vtpotè determinata radix accidentium in aliqua determinata specie; & corpuscula sunt materia indifferens, quæ est ipsissima Aristotelis sententia. Quæro præterea, cur hæc corpuscula, quæ constituunt ignem, habeant hanc determinatam figuram? si dicas, quia illam exigunt; ergo iam corpuscula ignea, quæ habent eam determinatam exigentiam huius figuræ, sunt diuersæ speciei ab aqueis, quæ dicta exigentia carent. Et quidem videmus nonnunquam corpus antecedens alteratum aquæ, v. g. calefactæ recuperare, discedente contrario, amissa accidentia, aliquando non recuperare, sed corpus ipsum non amplius apparere: cuius rei ratio satis commoda est, quia aliquando corrumpitur substantia, quæ est determinata radix, & principium illorum accidentium, & tunc non possunt illa accidentia recuperari; aliquando perseuerat ea substantia, & tunc recuperari possunt illa accidentia, hæc autem ratio supponit substantias esse diuersæ speciei, & participare determinatè proprias, & diuersas exigentias. Quæ omnia clariùs apparent in opere nutritionis, & augmentationis: planta enim habet vt sibi propriam vim attrahendi humorem vtilem, repellendi noxium, reparandi partes amissas, acquirendi nouum augmentum, efformando alias partes in radices, alias in fibras, alias in medullam, alias in corticem: corpuscula autem variè disposita, si supponantur eiusdem speciei non habent hanc vim: cur enim corpuscula lapidis non habent vim attrahendi cibum, conuertendi illos in substantiam lapidis, & faciendi similes alias operationes: ergo præter corpuscula, admittenda est in plantis alia substantia, nempè anima, quæ omnia illa munera præstet.

Quam malè negetur, quod sub sensu experientiã non cadit

14 Dices, nos non experimur sensibus diuersitatem specificam substantiarum, sicuti neque ipsas substantias: ergo non est admittenda ea diuersitas. Nego consequentiam, quæ si vim haberet, neque Deum, neque Angelos, neque ipsas substantias deberemus admittere, & multò minus identitatem specificam, quam admittunt aduersarij: nullum enim horum sensibus experimur. Igitur omnis nostra cognitio à sensuum experientia ortum ducit: sed ea est vis nostræ mentis, vt à sensibilibus ad intelligibilia ascendens, tantam horum concipiat certitudinem, & euidentiam, vt omnem euidentiam in contrarium facilè, vt ludicram, & fallacem repellat. Intellectus igitur benè dispositus ex hac euidentia,

quàm sensibus experitur, adeò certum, & clarum conceptum de mutationibus substantialibus, & substantiarum specifica diuersitate format, vt omnem apparentiam in contrarium facilè repellat, tamquam fallacem, quod sufficit ad euidentiam præsertim physicam, de qua loquimur: sicuti euidens mihi est dari nunc lucem in nostro hæmisphærio; idque, quia ex apparentia, quam nunc de luce habeo, quamuis possit insurgere dubium, vtrum dormiam, & veri imagine fallar, facilè id contemnam, vt fallax, & ineptum.

15 Hinc benè notat Pallauicinus proprium aduersariorum sententiæ esse, cogere intellectum, ne assurgat supra imaginationem, cuius obiectū est res localiter extensa, quod viam parat ad negandam Dei, & Angelorum existentiam. Quinimò ex aduersariorū principijs posset quis contra fidei dogma inferre in Eucharistia perseuerare substantiam panis, & vini, quæ per aduersarios ab illa apparentia, quæ sensibus percipitur, & perseuerat in Eucharistia, non distinguitur. Verùm hoc, & multa alia satis efficacia, quæ addi possent, vt breuitati consulam, lubens omitto: quæ enim diximus, sufficiunt; sed intellectui benè disposito, & veritatis non contentionis amico. Obiter hic addo insipientem dici hanc mundi pulcherrimam machinam ex casuali athomorum concursu coaluisse; sicuti insipientię nota, & risu dignus esset, qui assereret palatium ex lapidum casuali concursu constructum fuisse, aut Virgilij pòëma, non ita mirabile, vt est vniuersum, ex fortuita litterarum locatione inopinato consurrexisse.

Aduersarij ex præsentia causæ necessariæ inferūt non adesse effectum distinctum.

16 Obijcies primò, substantiæ non producuntur, neque corrumpuntur, nisi intercedente aliquo motu locali, teste etiam Aristotele, quia in omni mutatione intercedit aliqua rarefactio, aut condensatio cum accessu grauitatis, vel leuitatis, quæ sunt causa motus localis: ergo omnia saluari possunt per motum aggregationis, & disgregationis corpusculorum. Nego consequentiam, cuius infirmitas inde colligitur: quia sicuti aliud est ambulare pedibus, aliud quod ipsum ambulare sit habere pedes; ita aliud est motum localem semper interuenire in mutationibus substantialibus, aliud motum esse substantialem mutationem. Eodē modo aliud est, quod quando tangimus quædam corpora, impellant, moueant, ac titillent sensorium, & quod attactu plumæ excitentur variæ sensationes: aliud quod illæ sensationes variæ non sint, nisi varij attactus, & motus. Aliud item est secari, comburi, titillari, moueri; aliud hæc omnia sentire.

17 Instabis, vnde probas sentire esse aliud à motu, & combinatione corpusculorum? Respondeo, me nunc, vt supra indicabam, tantùm agere de mutationibus substantialibus, & non curare de sensationibus, speciebus, & similibus. Et quidem meam conclusionem positiuè probaui; neque nunc sum sollicitus, verum illæ rationes extendantur etiam ad sensationes, & similia: neque enim id assumpsi in solutione argumenti; sed ostendebam inefficaciam argumenti ad id probandum.

Sensationes nō sūt corpusculorum combinatio.

18 Cæterum non posse sensationes consistere in combinatione corpusculorum; probo primò: quia iam probauimus substantias naturales defacto existentes non esse corpuscula aggregata: sed de nouo produci, ac corrumpi, & habere suas determinatas exigentias, & proprietates, ac effectus; inter has autem substantias dantur substantiæ sensitiuæ, quæ simul cum obiectis sunt causa sensationum, ad quarum productionem à natura ordinantur, & quidem vt sint principium illarum intrinsecum, ita videlicet, vt actiones illæ procedant ab intrinseca inclinatione taliū substantiarū, & in eisdē immaneāt; per hoc enim viuētia differunt à nō viuentibus, vt viuentia se ab intrinseco in diuersa moueant, quod non competit non viuentibus; viuere enim in actu secundo, est vitam exercere, & aliquid operari: non enim viuit, qui mortuo modo nihil omninò agit; ergo non possunt huiusmodi operationes, & sensationes esse aggregatio corpusculorum: cum enim ea aggregatio, quamuis vicina substantiæ viuenti, non tamen formaliter sit in illa, non potest formaliter reddere illam viuentem, & se ab intrinseco mouentem.

19 Secundò, si visio, & aliæ sensationes fiunt aggregatione corpusculorum; quando quis aperit oculos, & videt aliquod obiectum, sicuti introducuntur in sensorium corpuscula constituētia visionem; ita, ne sequatur corpusculorum penetratio, deberent expelli corpuscula, quæ prius occupabant vacuitatem oculorum; rursus cum iterum claudit oculos, deberent excludi corpuscula constituentia visionem, & accedere iterum corpuscula iam expulsa, idque ad explendam sensorij vacuitatem. Hæc autem omnia, & gratis assumuntur, & contra rationem: cum nulla experientia doceat, quod quando clauduntur oculi, ingrediantur corpuscula opposita visioni, & egrediantur, quando oculi aperiuntur; imò sensus communis, fundatus in experientia est, clausis oculis præter cessationem à videndo non fieri in oculo aliam mutationem. Deinde non est ratio, quare post visionem clausis oculis debeant expelli corpuscula constituentia visionem: cum nulla sit causa aggregans alia corpuscula opposita corpusculis, quæ constituunt visionem. Præterea corpuscula constituentia visionem, vel aggregantur in oculo ab ipsa potentia visiua, & substantia oculi, vel immittuntur ab obiecto? si primum, ergo noctu, saltem dum oculi sunt aperti, deberet potentia visiua aggregare illa corpuscula, & videre: quia nullum esset impedimentum, cur oculus non attraheret illa corpuscula: si secundum, ergo illa corpuscula semel immissa, & formata in visionem deberent etiā absente obiecto conseruari in oculo; ac proinde oculus etiā post recessū obiecti deberet illud videre: quia iuxta principia aduersariorū corpuscula visionem constituentia semel aggregata, & condensata non possunt disgregari,

ri, & expelli, nisi per accessum aliorum corpusculorum: in casu autem nostro non accederent alia corpuscula, neque enim adest causa trahens, vel immittens illa corpuscula.

20 Quod si dicas illa corpuscula constituētia visionem semper esse in oculo, sed non semper constituere visionem: quia non semper habeot eam dispositionem localem, quæ necessaria est ad visionis constitutionem; ea enim dispositio pendet ab obiecto, quod imprimendo impulsum est causa illius situs; contra est: quia etiam recedente obiecto deberet perseuerare ille situs: nam in sententia aduersariorum corpuscula prius cooglobata non amittunt situm, nisi per aduentum aliorum corpusculorum dissecantium, & disgregantium antecedens corpus: sed in casu nostro non adueniunt noua corpuscula; cum nulla adsit causa huius aduentus; non obiectum, quod iam est remotum; non potentia visiua, quæ non videtur posse per se directè operari ad destructionem visionis, qua perficitur. Quin imò illa corpuscula ex natura sua tamquam ad proprium commodum ordinata ad constituendam visionem, si semel habent eam dispositionē, qua constituitur visio; exigunt non disgregari: sicuti corpuscula ignea, aut lignea exigunt non disgregari, si sint aggregata, nec nisi violenter, & contra propriam inclinationem disgregantur, per accessum videlicet corpusculorum validiorum dissecantium: ergo etiam recedente obiecto deberent iuxta propriam exigentiam conseruare illum situm, ac proindè deberet conseruari visio, donec accederent alia corpuscula contraria validiora. Omitto multa, quę possēt hic addi; solúm aduerto, in sententia Aristotelis remoto obiecto cessare visionem, quia destruitur species transmissa ab obiecto, & ab eius præsentia pendens. Eadem est ratio si claudantur oculi; impeditur enim conseruatio speciei, à qua pendet visio.

Ex somnijs non benè probantur corpuscula

21 Dices secundò: dormientes dum somniant, vident, audiunt, cęterasque sensationes efficiunt, quæ non possunt esse nisi corpuscula variè mota; exercentur enim clausis oculis, & obiectis distantibus: ergo corpuscula variè mota sunt varię sensationes. Respondeo, eas dormientium operationes esse actus imaginationis, quibus attinguntur non res ipsę, sed rerum imagines: cum enim sensu externo capti somnientes non possint huiusmodi insomnia procedere à sensu externo, sed ab interno, & imaginatione, cuius munus est attingere immediatè rerum imagines; quę, si præsertim sint vehementiores, excitant sui internam sensationem, cum non impediantur ab obiectis externis. Non valemus in sōno discernere inter res, & earū imagines, quia propter ligamētū somni imaginatio est imbecillis ad discurrendum: vndè est, vt quilibet credat sensationibus præteritis, non pręteritis somnijs. Nego tamē illas imagines, & sēsationes esse aduersariorum corpuscula variè mota ab obiectis, cum obiecta non adsint: ergo aliquid aliud est illa imago, relictum in homine, & perseuerans.

Cur dum funis ignitus citissimē rotatur apparet circulus igneus.

22 Dices tertiò: cum funis ignitus citissimè mouetur, apparet circulus igneus; quæ sensatio non potest esse nisi corpuscula variè impulsa, & commota. Nego secundam partem: apparet igneus circulus, quia citissimus motus non dat locum distinguendi successionem partium motus illius ignis, ideoque illæ partes apparent, ac si simul coexisterent. Vel dicas cum Pallauicino, species illius motus durare simul ad aliquod tēpus breue, & simul causare visionem omnium illarum partium successiuarum; ob quam causā si post visum solem claudamus oculos, adhuc videmur videre solem; sed fortasse ea non est visio sensus externi, sed opus internæ imaginationis.

23 Obijcies secundò, omnes motiones corporales fiunt eisdem lineis, & impediuntur eisdem obstaculis, quibus fit, & impeditur motus localis; ergo omnes mutationes sunt motus localis. Nego consequentiam; omnes motiones corporales vniformiter fiunt eisdem lineis, & vniformiter impediuntur eisdem obstaculis, vt huius rei certi possimus ab actionibus corporum nos defendere, & cum opus fuerit easdem impedire. Hinc autem malè inferes omnem huiusmodi mutationem esse motum localem; vt satis constat ex dictis. Profectò non videtur quomodo in instanti per motum localem sol statim ac oritur, diffundat per totum hæmisphęrium lucem? & cum hęc totum peruadat aerem, non apparet quomodo lux sit corpus aliquod impenetrabile?

Vnde fumus thure incenso.

24 Obijcies tertiò, cum thus incenditur, indè ortus fumus dilatatur per aerem; non nisi quia transmittuntur corpuscula. Nego secundā partem: nam videtur apertè falsum, quod in paruo thure includantur tot corpuscula, quot requiruntur ad constituendum fumum, qui spatium adeò magnum occupat. Igitur ex incenso thure oritur fumus: quia & aliquæ partes thuris euaporant conuersæ in fumum, & multæ item partes aeris conuertuntur in fumum: & multæ qualitates fumeæ de nouo productæ in aere reddunt magnam aliquam illius partem fumo similem.

qualitates primæ ab Aristotele describuntur per effectus, qui sunt diuersi motus locales:

25 Obijcies quartò, Aristoteles *lib. 2. de generatione*, explicauit primas qualitates per motum localem aggregationis, & disgregationis, terminationis termino alieno, vel proprio; ergo mutatio etiam per Aristotelem non est nisi motus localis. Nego consequentiam: Aristoteles enim qualitates primas, aliunde per experientiam notissimas, satis vtiliter vlterius explicauit per effectus: quinimò non est improbabile mutationem secundum locum, esse principium, & terminum omnis alterationis: omnis enim alteratio incipit ex aliquo motu locali, & à mutatione aliqua situs, & terminatur ad nouū aliquem situm, & localem dispositionem. Ex quo capite fortassè Aristoteles naturam corporis, vt sic, explicauit per principium motus, & quietis localis. Et confirmatur: quia corpora maximè alterantia immittunt plures partes per-

uadentes

nadentes paſſim. At malè quis hinc inferet omnem mutationem eſſe localem, vt patet in illuminatione, & operatione magnetica diffuſa per medium.

Signũ vnde dignoſcas mutationem ſubſtantialem

26 Et confirmatur, ſi ſupponamus res eſſe ſecundum ſubſtantiam corruptibiles, & generabiles, non tantùm ſecundum accidentia, & velimus quærere modum, quo dependentèr à ſenſibus aliquam ſigno indubitato cognoſcamus, quando nam res perſeuerat, & ſi fuerit ſecundum accidentia mutata; quando verò abſolutè interit; non aliud magis proportionatum inuenire poſſumus, quam tunc mutationem eſſe accidentalem, quando, quod mutatum eſt, redit ad priſtinum ſtatum, ſaltem remoto contrario; quod ſi ea remotione facta nequeat priſtinum ſtatum recuperare, argumentum eſſe, quod interierit; aliter cur non recuperat amiſſum ſtatum? ſed defacto hoc accidit fatentibus aduerſarijs: ergo habemus defacto inditium indubitatum cognoſcendi dependentèr à ſenſibus, quod nunc aliquando habetur mutatio ſubſtantialis, aliquãdo accidentalis. Ex quo ſic argumentor: apparentia ſenſibilis, quæ defacto habetur, eſt ſufficiens argumentum, vt quiuis prudens ſine dubio afferat, aliquando interijſſe rem, aliquando ſolùm mutatam eſſe accidentalitèr; & ſi quidem veſtis comburatur, omnes etiam rudes ductu naturæ dicunt, perijſſe veſtem, ſecus verò ſi frigefiat: ergo dantur defacto non ſolùm mutationes accidentales, & quoad locum; ſed etiam ſubſtantiales, & quoad res ipſas; ne dicamus in natura eſſe argumenta indubitata, ſed fallacia.

Quomodo verificatur quod ſequi debemus ſenſum.

27 Obijcies quintò, in phyſicis debemus ſequi ſenſum: ſed per ſenſum non attingimus, niſi corpuſcula, & diſpoſitiones. Reſpondeo, ſequi ſenſum, non eſſe, quod non attingamus, niſi quæ attinguntur per ſenſum; nam in hoc ſenſu maior eſt apertè falſa; aliter non poſſemus intelligere Deum, & Angelos, neque ipſas ſubſtantias corporales, quæ non ſunt obiectum immediatum ſenſuum, ſi ſecundum ſe conſiderentur. Sequi igitur ſenſus, eſt omnem noſtram cognitionem originem ducere ab aliqua ſenſatione: id autem non facit, ne poſſimus multa alia intelligére, quæ per ſenſus immediatè non attinguntur; & vt docet Apoſtolus per ea, quæ facta ſunt, inuiſibilia Dei intelligere: & in hoc ſenſu falſa eſt minor.

28 Obijcies ſextò, eodem modo fiunt opera naturalia, quo artificialia, & eodem modo operatur natura, quo ars: ſed ars purè operatur per motum localem benè diſponendo partes, vt patet experientia: ergo natura tantùm operatur per motum localem. Nego maiorem; quia ars purè ſiſtit ex ſua imperfectione in actione externa diſpoſitionis partium; at natura ad intima rerum pertingit: ideoque quamuis opera artis multa ſint & mirabilia, in his ipſis tamen magis dominatur natura, quam ars: cum natura præbeat totam rei ſubſtantiam, & omnia ſubſtãtijs connaturalia, & debita accidentia; ars autẽ purè diſponat partes à natura præparatas.

Quomodo ex nihilo nihil fiat?

29 Obijcies ſeptimò, ex nihilo nihil fit: ergo non generantur de nouo ſubſtantiæ: aliter fierent ex nihilo. Hoc argumento vtebantur veteres athomorum patroni, à quibus peto vtrum motus, ac apparentia, quæ de nouo fiunt, fiant ex nihilo? Breuiter quod fit, & generatur in productione ſubſtantiæ, eſt compoſitum ſubſtantiale, quod non fit ex nihilo, ſed ex præcedente alia ſubſtantia, & perſeuerante communi ſubiecto ſub vtroque compoſito. Neque forma ſubſtantialis fit ex nihilo: tum quia fit ex præcedente compoſito; tum quia, ſi loquamur de forma materiali, præcontinetur tamquam in aliqua fæcunda matre, in materia; ſicuti fruges, & plantę præcontinentur in fæcunditate terrę.

In generatione, & corruptione ſubſtantiali aliquid ſubſtantiale perſeuerat in genito, quod fuit in corrupto.

30 Dico ſecundò, in productione, & corruptione ſubſtantiæ, vt cum ex ligno fit ignis, non perit integra vna ſubſtantia, ſed aliquod ſubſtantiale perſeuerat in genito, quod fuit in corrupto. Probatur: ignis non fit, niſi ex aliquo ignibili, & animal non generatur, niſi ex aliquo animabili: neque enim pullus fit, niſi ex ouo, quod aptum eſt animari; neque viuentia nutriuntur, niſi ex aliquo præcedente, quod aptum eſt fieri viuens: ideoque non nutrimur immediatè aere, vel lapillis, quia hæc non ſunt apta fieri animata; ſed quod eſt aptũ fieri ignis, viuens, &c. non debet totaliter deſtrui, quando fit ignis, viuens, &c: aliter non eſſet aptum ignefieri; ſicuti non eſt apta figurari materia, quæ adueniente figura deſtruatur: ergo verè in genito aliquid perſeuerat, quod fuit in corrupto; hoc autem non poteſt eſſe purum accidens: ergo erit aliquod ſubſtantiale: ergo neque tota ſubſtantia noua generatur, neque tota vetus corrumpitur.

Aduerſariorum reſponſio.

31 Dices aliquod dici ignefactibile, v.g. lignum, ſtupam, &c. non quia quando ex illo producitur ignis aliquid illius perſeuerat ſub igne; ſed quia ignis non poteſt ab igne produci, niſi per eamdem actionem deſtruatur aliud corpus: cum enim corpora de nouo producta debeant occupare locum diſtinctum à loco reliquorũm, ac condenſatio corporum præcedentium tanta, quanta ſufficit, vt corpora de nouo producta inueniant locum ſibi proportionatum, non ſit poſſibilis; cum corpora ab initio mundi vſque ad præſentem diem producta, valdè etiam quoad molem excedant corpora ab initio producta; ideò debuit ad productionem vnius corporis deſinere aliud: & quia ad productionem ignis non poteſt quodcumque corpus deſinere, ſed tantùm illud, quod per actionem ignis agentis poteſt deſtrui; ideò non quodcumque corpus dicitur ignibile, aut alimentum animalis, ſed illud ſolùm, quod poteſt deſtrui per actionem ignis, & animalis agentis.

Cur ad aduentum vnius ſubſtãtiæ debet alia deſtrui

32 Sed contra, ſi pugna corporum eſſet tantùm quoad locum, & non quoad commune ſubiectum, hæc vniuerſitas rerum deberet ſemper creſcere, & nihil deſtrui: ad aduentum enim nouæ ſubſtantiæ ſufficeret, ſi prior ſubſtantia loco cederet: neque ignis producturus ignem deberet prius diſponere materiam aptam, ſed illicò pro-

productio igne pellere loco quodcumque aliud corpus. Et quidem iuxta aduersariorum principia cessaret ratio, quare mundus non cresceret; ratio enim est, quia ad aduentum nouę substantiæ debet destrui vetus, quod non est necessariū, negata necessitate communis subiecti.

33 His adde hinc sequi, minimum animal in vacuo positum, etiam deficiente quocumque alimento peruenturum ad debitam magnitudinem; quin imó ignis exiguus supra cœlū positus producturus esset immensum ferè incendium, neque vacuum esset contra exigentiam causarum naturalium, sed potius iuxta; quia in illo possent liberius agere. Rursus in pleno posset animal per puram destructionem corporis vicini, nullo intus sumpto alimento peruenire ad debitam magnitudinem. Præterea cum pugna corporum quoad locum sit omnibus corporibus cōmunis, & quodlibet corpus possit à quolibet pelli; ac à tenuissimo aere nonnumquam pellantur immanes montes; iam quodlibet corpus posset in aliud agere illud destruendo; sicuti potest & illi repugnare quoad locum; cum per aduersarios tota pugna, & ratio cur vnum corpus destruat aliud sit incompossibilitas quoad locum: quæ communis est omnibus corporibus: ideoque in quolibet corpore esset vis destruendi quodcumque aliud corpus.

34 Demum etiam, data necessitate, ne mundus in suppositione aduersariorum cresceret, adhuc non semper ad positionem noui corporis deberet destrui aliud præcedens, sed tunc solū, quando illa corpora antecedentia non possent condensari sine penetratione; & cum non sit intentionis naturæ rerum destructio, esset conformiùs naturæ fini, negato communi subiecto, vt adueniente noua substantia, vel augeatur mundus, vel præcedentia corpora condensentur, vt dent locum nouæ substantię, & non destruantur.

Quod perseuerat nō est accidēs commune.

35 Dices illud, quod perseuerat esse accidens commune corrupto, & genito. Contra, hoc commune, quod dicis accidens, est verissima substantia: habet enim in re corporea rationem primi entis, & in illo veluti in prima intima radice præsupposita fundantur reliqua, quæ spectant ad constitutionem substantię corporeæ: ergo non est accidens; quod vtpotè entis ens non potest habere rationem primi. Hinc si dixeris, quod transit, esse quantitatem; ego dicam, vel id, quod tu appellas quantitatem esse primam substantiam, vel quantitatem radicari in aliquo priori.

36 Quod si hinc sequi, inferas, accidens non posse transire de subiecto in subiectum. Respōdeo, ex hoc etiam capite maximè confirmari prædictam veritatem; dum per illam communitur commune axioma Philosophorum, videlicet accidens non posse transire de subiecto adęquato, ad subiectum adæquatum: sed adde me non ex hoc axiomate, sed aliundè probasse doctrinam peripateticam.

Datur de facto materia prima.

37 Dico tertiò: materia prima supra definita de facto datur: quia de facto datur aliqua substantia, quę transit á substantia corrupta ad substantiam genitam: sed hæc est materia prima, primum videlicet subiectum, quod perseuerat sub vtroque extremo: nam quod hoc modo trāsit non est substantia completa; aliter nihil de nouo substantiale generaretur, vel corrumperetur: ergo est pars substantiæ corruptæ, & pars substantiæ genitæ vtrique communis: neque supponit in illis substantijs aliam substantiam priorem; nam, ne abeamus in infinitum, deueniendū est ad aliquam substantiam partialem primā, & quæ perseuerans transit ab vno composito ad aliud: partialis autem substantia prima, quæ trāsit ex vno composito ad aliud, est vtrique primum subiectum, & materia prima: primum quidem, quia non supponit aliud intimum ante se; subiectum verò, quia est pars transiens, & seruans respectu compartis aliquam prioritatem, quod sufficit ad rationem subiecti, de quo fusius infra: neque profecto aliud hic intelligimus nomine materię primę, & primi subiecti: ergo datur de facto materia prima à nobis definita.

Dantur de facto substantię sublunares compositæ corruptibiles, & generabiles.

38 Ex dictis infero dari de facto substantias sublunares compositas, corruptibiles, & generabiles: quia in igne de nouo genito est aliquod substantiale de nouo productum; & aliquod substantiale, quod antecedenter etiam existebat: similiter substantia ligni præcedens, nec totaliter perseuerat, nec totaliter corrumpitur, vt patet ex dictis; ergo tum substantia, quæ corrumpitur, constat ex pluribus semisubstantijs, altera, quæ corrumpitur, altera, quæ perseuerat; tum substantia, quæ de nouo gignitur, dicit similiter duas semisubstantias, alteram, quę de nouo incipit, alteram, quæ præexistebat in corrupto, neque dici potest, quod sub genito igne sint duæ substantiæ completæ; aliter in eodem loco penetrarentur duo corpora. Ex dictis etiam quis inferet existentiam formæ substantialis verum de hac re infra fusiùs.

39 Obijcies primò: Aristoteles 7. *met. tex.* 56. docet, BA, non esse B, & A, sed aliquid aliud. Respondeo, id ita esse: quia BA, præter litteras illas dicit etiam vnionem quamdam localem, & sonum illi liberè tributum ab hominibus; cum quo cohæret illius syllabę compositio: eodem modo ignis compositus non tantùm est materia, & forma, sed includit illarum vnionem.

Cur flores resoluūtur in liquorē, & fæcem.

40 Obijcies secundo: flores virtute ignis ita resoluuntur in liquorem, vt fæces maneant in fundo vasis. Respondeo, id ita esse: non quia aliqua pars florum totaliter desinens transeat in liquorem, alia perseueret; sed quia vel non intercedit mutatio substantialis, sed mera resolutio in substantias, quæ prius agglutinabantur, vt si ex tela humida exprimas aquam; vel quia pars florum conuertitur in humorem, vtpotè tenuior, pars crassior in illam fęcem.

Cur homo sit absolutè vnum vnū.

41 Obijcies tertiò, ergo homo non est absolutè vnus, sed fasciculus plurium. Distinguo, non est vnus vnitate simplicitatis, concedo: compositionis, nego: si enim lignum palmare, qua- uis

uis constet innumeris partibus; quia tamen illæ vniuntur, est absolutè vnum lignum; á fortiori homo constans anima, & corpore substantialiter intrinsecè vnitis erit. absolutè vnum ens, sed compositum. Est autem vnum vnitate simplicitatis, quod excludit omnem partium multitudinē, & compositionē partium: at fasciculus continet plura absolutè in se completa, sed aliquo extrinseco vinculo colligata.

42 Obijcies quartò: si datur causa creata potest dependenter á materia causare alteram partem compositi sublunaris, quæ est forma: ergo poterit causare materiam, quæ est altera pars. Nego consequentiam: quia minus requiritur ad causandam formam concurrente subiecto, quam ad causandam materiam nullo concurrente subiecto: ergo quamuis causa creata imperfecta possit causare formam materialem, non propterea poterit causare ipsam materiam.

43 Demum hęc veritas de compositione corporum sublunarium confirmatur ex mysterio Incarnationis, & Eucharistiæ. Certum enim ex fide est, Verbum diuinum assumpsisse non solùm corpus, sed etiam animam, & facta per veram mortem separatione animæ à corpore, idem corpus remansisse in cruce, & postea in sepulchro vnitum Verbo: animam item vnitam similiter Verbo descendisse in inferiores partes terræ. In mysterio item Eucharistiæ fide diuina credimus iuxta doctrinam. Tridentini, totam substantiam panis conuerti in totam substantiam corporis Christi, & præter substantiam corporis, quæ venit formaliter ex vi verborum, etiam animam Christi venire sub speciebus panis: quæ omnia clarè ostendunt: Humanitatem Christi esse cōpositam tamquam ex partibus substantialibus ex anima, & corpore. Quod de omnibus hominibus, vt indubitatum assumit S. Athanasius in symbolo, ibi: *nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita, &c.*

SECTIO TERTIA.

Corollaria ex dictis.

Materia prima non est vnum ex quatuor elementis.

1 Colligo primo, materiam primam non esse aliquod ex quatuor elementis: contra nonnullos ex antiquis, asserentes materiam esse vnum ex elementis, ex quo variè condensato, & rarefacto fierent omnia: mouebantur quia vnum est omnium principium. Verùm pluralitatem principij intrinseci supra ostendimus: nunc probo corollarium: materia est primum subiectum, ex quo fiunt omnia, & perseuerat in pugna sub vtroque extremo: hoc autem non conuenit alicui elemento: quodlibet enim elementum potest destrui, & conuerti in aliam substantiam.

Neque omnia corpora constituuntur per diuersum gradum raritatis, et densitatis.

2 Falsum autem omninò est, omnia constitui in sua specie per diuersum gradum densitatis, & raritatis: nam præter supradicta, vis intrinseca, qua aliquid mouetur ad aliquem terminum, in quo quiescat, distinguitur à dicto termino: sed quatuor elementa habent vim intrinsecam se mouendi ad certum gradum densitatis, & raritatis, in quo quiescant: ergo in dictis elementis ea vis distinguitur realiter ab illo certo gradu raritatis, & densitatis; per dictā aut præcedentem virtutem iam elementa sunt constituta in sua specie: ergo independenter à certo illo gradu densitatis, & raritatis elementa sunt constituta in sua specie. Quare, & si diuersitas, quam sensu experimur, sit apparentia exterior constituta saltem partialiter per raritatem, & densitatem, ea tamen non est absolutè prima in his corporibus diuersitas.

Materia prima actualis est eiusdē speciei in omnibus corporibus sublunaribus.

3 Colligo secundo, materiam primam, quę de facto datur, esse eiusdem speciei in omnibus corporibus sublunaribus: aliter ignis factus ex ligno differret specie à facto ex stupa; haberet enim materias specie diuersas, quod ad diuersificanda specie composita sufficit. Præterea lignū non posset conuerti in ignem: quia materia ligni non esset apta componere ignem exigentem subiectum specie diuersum. Nullum autem putari debet absurdum, quod homo, & equus physicé non adæquatè differant specie, sicuti non essent adæquatè duo Petrus, & Paulus, si conuenirent in eadem numero materia.

4 Quando autem Aristoteles 2. *physicorum tex. 26. ait, ad aliam formam aliam esse materiam: & 12. met. tex. 10. omnia, quæ mutantur habere materiam diuersam;* loquitur de materia non prima, sed secunda, quatenus dicit varias accidentium combinationes. At dum 2. *de anima tex. 7. & 7. met. tex. 49.* docet, omnem vnitatem, & diuersitatem prouenire à forma; loquitur de vnitate, & distinctione specifica compositi substantialis. Cæterum materia sicuti est hoc ens substantiale incompletum, ita est in hac determinata specie entis incompleti.

SECTIO QVARTA.

Explicatur ratio subiecti in communi.

1 Verba illa definitionis materię, primum subiectum, excitarunt celeberrimam quæstionem de conceptu subiecti in communi: quid videlicet sit subiectum, non quidem intentionale, ex quo, & forma intentionali resultant illæ denominationes intentionales cogniti, subiecti, prædicati, & similes; sed physicum, ex quo, & forma physica resultat totum physicum. Difficultas autem in eo versatur, vt inueniamus conceptum aliquem, qui ita conueniat omni subiecto, vt illud distinguat à reliquis, præsertim á forma in quo negotio operosè laborarunt recentiores, & in varias abiere sententias. Ego primo meum sensum aperiam, tum aliorum sententias, quarum notitia ad me peruenerit, expendam.

2 Dico, subiectum physicum esse illud ens incompletum, quod comparatum suę comparti determinatæ, cui intrinsecé per penetrationem, & admodum partis essentialis vnitur, habet re-

specta

ſpectu illius rationem ſpecialis requiſiti ad exiſtendum, quod non conuenit comparti, ratione cuius ſpecialitatis minus indiget ſua comparte, quam compars indigeat ipſo: ex quo oritur, vt aliquo modo ipſum poſſit intelligi exiſtens ſine ſua comparte; eodem autem modo compars nō poſſit intelligi exiſtens ſine ipſo; ideoque hæc ratio ſpecialis requiſiti eſt inconuertentia, & prioritas ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam: quia ratione illius poteſt intelligi aliquo modo exiſtēs ſubiectum abſque ſua hac comparte; nō autem è contra. Præterea requiro, quod habeat rationem partis eſſentialis, non integralis; & ideò, quamuis primus gradus caloris habeat reſpectu ſecundi prioritatem à nobis poſitam, vt volunt nonnulli; non propterea erit eius ſubiectum: quia comparantur inter ſe, vt partes compoſiti integralis. Quid ſit compoſitum eſſentiale, quid integrale, eſt alterius conſiderationis. Suppono tamen ſubiectum, & formam eſſe entitates incompletas, & perfectibiles, ac intrinſecè vniri ad faciendum vnum perfectius, vtralibet illarum.

Probatur.

3 Concluſio hoc modo explicata probatur: hic conceptus conuenit omni ſubiecto, de quo conſtat: ſufficienter illud diſtinguit à forma, neq; aptior modus explicandi hanc diuerſitatē allatus eſt, vt patebit ex dicendis: ergo reuera hic modus amplectendus eſt. Quod ſi quis meliora afferat, lubens me illi ſubſcribam.

Confirmatur exēplis & quomodo allata explicatio verificetur in homine.

4 Ad maiorem huius dicti firmitatem afferam nonnulla exempla, in quibus videtur maior difficultas: & oſtendā in illis etiam verificari allatam à nobis regulam: & primo quidem verificatur in materia, & forma hominis: nam quamuis anima rationalis poſſit aliquando eſſe ſine hac, vel vlla alia materia huic ſimili, tamen pro aliquo inſtanti, ſaltem primo, indiget naturaliter hac materia, vel aliqua illi ſimili; at hæc materia, vt naturaliter fit, pro nullo inſtanti indiget hac anima rationali, vel alia huic ſimili. Imo defacto hæc numero materia, cum qua actu vnitur anima rationalis, & præceſſit tempore animam hanc rationalem, & numquam fuit dependens ab illa; ſicuti anima pro vno ſaltem inſtanti dependet ab hac materia, tamquam à cōditione: ſaluatur igitur, quod anima, quę eſt forma hominis, magis indigeat, materia, cum qua vnitur, quam eadem materia indigeat ipſa anima rationali.

At etiam ſi materia non poſſit ſpoliari omni forma ſubſtantiali.

5 Secundo, quamuis ex nonnullorū ſententia, nō poſſit materia exiſtere ſine aliqua forma ſubſtantiali; eſt tamen in priori naturæ ad illam formam, cum qua vnitur, tamquam eius cauſa, vel conditio: ideoque, & poteſt intelligi iam exiſtens, etiam non intellecta exiſtentia formæ, & habet reſpectu illius rationē ſpecialis requiſiti; imò poteſt naturaliter eſſe ſine illa, & tranſire ad aliam formam; quod non conuenit formæ, cum qua vnitur, ſi præſertim ſit materialis.

Et in hoc concreto Angelus creatus.

6 Tertiò, in hoc concreto Angelus creatus, ſi creatio eſt modus diſtinctus, Angelus eſt ſubiectum, creatio vero forma: quia licet Angelus non poſſit intelligi exiſtens ſine aliqua creatione, poteſt tamen benè exiſtere ſine hac determinata, per quam defacto creatur: at hæc determinata creatio nullo modo poteſt intelligi, aut eſſe ſine hoc Angelo; plus igitur hæc creatio indiget hoc Angelo, quàm hic Angelus hac creatione: eadem eſt ratio de ſimilibus modis.

Et de eſſentia reſpectu proprietatum.

7 Quartò, eſſentia eſt ſubiectum proprietatū, quas phyſicè cauſat: quia licet nec proprietates poſſint eſſe ſine eſſentia, nec eſſentia ſine proprietatibus; tamen cum eſſentia ſit cauſa proprietatum, poteſt pro aliquo priori intelligi exiſtens eſſentia, & pro eodem priori nō intelligi exiſtentes proprietates: vt enim intelligatur exiſtere aliquis conceptus, ſatis eſt, ſi intelligantur exiſtere eius cauſæ; quales nō ſunt proprietates reſpectu eſſentiæ: plus igitur proprietates indigent eſſentia, quam reſpiciunt, vt ſuā cauſam, quàm eſſentia proprietatibus, quas reſpicit, vt puros terminos ſuę fœcunditatis.

Confirmatur ex prędicatis quæ authores tribuunt materiæ.

8 Confirmatur præterea noſtra concluſio ex prædicatis, quæ communiter philoſophi tribuunt materię: docent enim materiam eſſe quid informe, imperfectum; perficiendum, & formandum per actum: quod benè ſaluatur per dictam inconuertentiam, & prioritatem, quia dum in dicto priori intelligitur eſſe ſine forma, concipitur, vt quid informe, & imperfectum perficiendum per actum ſequentem.

9 Vrgebis primò, prior eſt actio, quàm terminus productus, & creatio, quàm Angelus: ergo forma eſt prior ſubiecto. Antecedens eſt mihi falſum; quia cauſa eſt prior: actio eſt prioritas, & abſolutè poſterior cauſa. Deindè illud diſtinguo, prior prioritate afferente inconuertentiam à nobis poſitam, nego; illam non afferente, cōcedo: omnia patent ex dictis in exemplo Angeli cum ſua creatione comparati. Semper autem loquor de termino comparato cum hac determinata actione; reſpectu cuius eſt ſubiectum, & non de comparato cum collectione omnium actionum.

Quid ſi vbicatio & duratio ſit res.

10 Vrgebis ſecundò, ſupponamus cum Arriaga, quod multi alij putant probabile, durationem, & vbicationem non eſſe modos, ſed res, ac preterea rem non poſſe etiam diuinitùs ſpoliari omni duratione, & vbicatione: in his ſuppoſitionibus æquè benè poteſt intelligi exiſtēs hæc duratio, & vbicatio, ſine hoc ente durante, & vbicato, ac ens ipſum vbicatum, & durans ſine hac vbicatione, & duratione: præterea ſicuti res vbicata poteſt eſſe ſine hac vbicatione nō verò ſine aliqua; ita hæc vbicatio, quę eſt res poteſt eſſe ſine hoc vbicato, imò abſolutè ſine vllo.

11 Reſpondeo primò, ſuppoſitionem eſſe falſam; puto enim non minùs vbicationem, & durationem eſſe modum, quàm actionem, & vnionem. At ea ſuppoſitione permiſſa, adhuc inter rem durantem, & vbicatam ex vna parte, & vbicationem, & durationem ex alia, eſt inconuertentia explicata: quia non eodem modo eſt indifferens hoc ſubiectum ad hanc vbicatio-

nem, ac hæc vbicatio ad ipsum subiectum: de facto enim hoc subiectum non solùm miraculosè, sed etiam naturalitèr potest intelligi sine hac vbicatione, & duratione, non tantùm in hoc loco, & tempore, sed præcipuè in alijs. at hæc vbicatio, & duratio non potest intelligi naturaliter sine hoc subiecto, quod semel afficit; idque etiam respectu huius loci, & temporis; in alio autem loco, & tempore, nè diuinitus quidem potest intelligi sine hoc subiecto existena; ergo subiectum, vt magis indifferens ad vbicationem hanc, quam sit vbicatio hæc ad ipsum subiectum, habet respectu vbicationis prioritatem, & inconuertentiam supra explicatam, quanta sufficit ad præsens institutum.

12 Quod si supponas, rem esse addictam huic loco, & tempori, in quibus tamen ponatur per vbicationem, & durationem distinctam. Respondeo adhuc haberi inconuertentiam sufficientem ad nostrum intentum: nam distinctio vbicationis, & durationis non in alio fundari potest, nisi quia vel causantur à subiecto, & hoc modo habetur prioritas causalitatis, sufficiēs ad rem nostram; vel quia subiectum etiam in eo casu sit indifferens ad hanc, vel illam vbicationem ex possibilibus, per quas potest formaliter poni in eo loco; & hoc etiam modo plus indifferentiæ est in subiecto ad vbicationem hanc, quám sit in vbicatione hac ad illud subiectum, vt facilè intelligi potest ex dictis: quare etiam in nostro hoc casu saluatur, quod subiectum respectu formæ suæ determinatæ habeat rationē specialis præquisiti. Quod si fingas duas partes ita inter se vniri, vt nulla sit inter illas differētia quoad indigentiam, & rationem specialis requisiti explicatam; dicam tales partes non seruare inter se ordinem subiecti, & formæ.

Partes materiæ, & quantitatis inter se cōparatæ non habent rationē subiecti, & formæ:

13 Ex dictis infero duas partes quantitatis, & materiæ inter se vnitas non participare rationem subiecti, & formæ: tum quia neque intimè penetrantur, neque sunt partes totius essentialis; tum, quia neque est inter illas quoad hoc, vt intelligantur existentes, inconuertibilitas. Hoc modo explicata nostra sententia non leuiter confirmatur impugnatione aliarum, quæ communiter circumferuntur.

Ratio subiecti non est potētia sustentatiua.

14 Primò igitur nonnulli docent in composito essentiali illud habere rationē subiecti, quod ita est eos incompletum, potens componere totum, vt habeat vim causatiuam per sustentationem. His fauet Alphonsus *disp. 3. physicę sect. 5.* asserens illam partem esse subiectum, quę habet vim sustentandi formam, vel vnionem ad illam: cui autem ea vis non inest, esse formam; mouetur: quia materia ordinatur ad generationem totius, vt eius principiū, sed generatio formaliter est sustentatio vnionis, vel formæ; ergo materia ordinatur per se ad sustentationem formæ, vel vnionis; ergo essentialiter est sustentatiua. Sed contra, quia vt infra probabo, præcisa potentia sustentatiua saluatur adæquatè conceptus materiæ, & subiecti. Ratio in contrarium allata primo non probat de omni subiecto, de quo nunc est quęstio, sed ad summū de materia actuali subluna: secundò falso assumit, quod materia actualis primo per se ordinetur ad generationē compositi, sed primò ordinatur ad constituendum totū per modum partis materialis, quod esse quid diuersum á potentia sustentatiua infra probabo.

Ratio subiecti non saluatur in ratione perfectibilis.

15 Secundo alij putant, in cōposito essentiali subiectum esse, quod est perfectibile, formam, quod est perfectiuum; perfectiuum est, quod cōmunicat suæ comparti prædicata perfectiora, quam ab illa recipiat. Perficitur autem vna pars ab alia sibi vnita, non quia per vnionem amittat sua prædicata, & assumat prędicata suæ compartis: hoc enim modo subiectum non perficeretur, sed desineret esse, & transiret ad aliud esse. Perficitur igitur vna pars, nēpè subiectum ab alia, nempè à forma: quia cū vtraque pars communicet toti, quod constituit, sua prædicata: altera, nempè forma, perficiens cōmunicat illi prædicata perfectiora, altera, nēpè subiectum perfectum communicat toti prædicata minus perfecta: ratio est, quia vbi nihil obstat, omnia prædicata, quæ à parte vna communicantur toti, communicantur etiam cōparti; nam quando dicimus homo est rationalis, ly rationalis prędicatur de aliquo alio ab anima distincto; aliter idem esset, homo est rationalis, ac anima est rationalis: hoc autem diuersum nō est, nisi corpus, & materia: ergo ubi nihil obstat, dum una pars tribuit sua prædicata toti, tribuit etiam comparti; ergo per se loquendo, quæ tribuit prędicata perfectiora toti, tribuit etiam, & alteri comparti eadem perfectiora prędicata. Illud igitur est subiectum, quod modo dicto recipit á sua comparte prædicata perfectiora.

16 Contra hunc dicendi modum facit primo; quia accidens est uera forma, nec tamen tribuit toti prædicata perfectiora, quis enim dixerit perfectiùs quid esse ubicationē Angeli, quàm substantia Angelica? Neque dicas te non explicasse rationē subiecti uniuersalissimè sumpti, sed subiecti compositi substantialis; ne id, inquā, dicas; nam primo personalitas creata comparatur cum natura, tamquam forma cū subiecto physico, vt ex illis resultet persona creata substantialis, & tamen non tribuit naturæ prædicata perfectiora modo explicato; neque enim personalitas creata est perfectior natura. Secundo, non soluis quæstionem; inquirimus enim rationem subiecti in communi, tu assignas rationem subiecti particularis.

17 Replicabis formam in communi esse partem essentialem totius physici perfectiuam subiecti, quia uel communicat modo dicto prędicata perfectiora, uel quia primariò ordinatur ad perfectionē subiecti, ut euenit in formis accidentalibus. Sed contra: quia falsò asseritur formas substantiales tribuere subiecto prædicata nobiliora, & perfectiora: nam personalitas creata, & unio, quæ sunt formę substantiales, non tribuunt subiecto prædicata perfectiora.

Præ-

Præterea iuxta hanc responsionem, non datur vnicus conceptus subiecti, & perfectibilis, ac formæ & perfectiui, nisi tantùm secundum vocem: si enim quæram quid sit perfectiuum, quid perfectibile; non poteris id explicare vnica definitione, quæ inuariata conueniat cuilibet perfectiuo, & perfectibili. Neque potes hanc rationem retorquere contra meam explicationē: nā primo habere rationem specialis requisiti, & minus indigere sua cōparte est conceptus quidā per se notus. Secundo, potest applicari sine variatione terminorum cuicumque subiecto. Non negauerim tamen fundamenta, ex quibus in casibus particularibus colligimus hoc, vel illud comparatum cum sua comparte habere rationē specialis requisiti, & minus indigentis, esse plura, & diuersa: verum hoc non officit vnitati illius conceptus, in quo non exprimitur talis diuersitas.

18 Confirmatur præterea, quia præciso à forma substantiali hoc prædicato, afferre videlicet prædicata perfectiora, adhuc est forma substantialis; quia illud est prædicatum specificum huius formæ: ergo eo præciso adhuc forma substantialis retinet prædicatum genericū formę, quidquid tandem sit illud prædicatum: retineret etiam prædicatum substantiæ, quia non præscinditur ratio substantiæ, sed hoc, quod est afferre prædicata perfectiora, quod nō includitur essentialiter in conceptu substantiæ: ergo adhuc esset forma substantialis. Confirmatur, & explicatur, quia si prædicato generico formæ addatur prædicatum substantiæ, iam est forma substātialis, & tamen per additionem prædicati substantiæ nō intelligitur esse pars perfectior: neque enim substantia est ex suo conceptu pars perfectior.

Reijcitur Lynceus asserens esse partē perfectiuam, quæ se habet per modum recipientis.

19 Lynceus *lib. 5. phy. trac. 2. cap. 5.* docet, illam partem in composito habere rationē perfectibilis, quę ad constitutionem totius concurrit modo imperfectiore, quæ vero perfectiore, habere rationem perfectiui: illa concurrit modo perfectiori, quæ se habet per modum dātis, quæ vero per modum accipientis concurrit modo imperfectiori: ad hoc autem impertinenter se habet, quod vna pars sit perfectior alia: nam habitus est imperfectior cognitione, & tamen concurrit ad actum voluntatis perfectiori modo videlicet, vt causa efficiens, quam concurrat cognitio, quæ est pura conditio.

20 Sed cōtra quia debes adhuc explicare, quid sit cōcurrere per modū dantis, quid per modū accipiētis, & cur in homine potiùs anima, quā corpus det, cum mutuo vniātur, nec minùs corpus, quàm anima cōmunicet toti sua prædicata.

Subiectum nō est pars recipiens denominationem, neque forma pars dans denominationem.

21 Tertiò doctissimus Magister meus Requesenius in *selectis ad 1. 2. S. Thomæ disp. 5. sect. 4. §. 5. à num. 179.* docet ex duabus partibus illam esse formā, quæ tribuit alteri denominationem, seu effectum formalem à se immediatè procedentem; illam materiam, quæ denominationem recipit. Numero autem 181. addit illam partem denominare alteram, quę tribuit illi suam perfectionem per tale nomē significatam; talis vero perfectio tribuitur ab ea parte, quæ illam in se perfectionem habet: nemo enim dat, quod nō habet: sic denominatio albi proficiscitur ab albedine, quæ in se continet perfectionem, vnde oritur ea denominatio. Aliud etiam indicium addit, ex quo colligi potest, quæ pars denominationē tribuat, & est separatio realis, vel intētionalis: quia si pars ab altera separata retinet nomen, & perfectionē, qua spoliatur alia, erit forma denominans, & tribuens effectum formalem.

22 Verum hæc, quamuis ingeniosissimè dicta, vrgeri tamen possunt: quia vel loquimur de denominationibus, quæ à partibus deriuantur in totum, vel de illis, quæ ab vna in aliam: primū est falsum, quia non minùs materia, quàm forma denominat totum. homo enim non minùs dicitur animatus ab anima, quàm materialis à materia. Contra secundū facit: quia æquè benè dicitur nix alba, ac albor niueus: ergo non solùm forma denominat subiectum, sed etiam aliquādo subiectum denominat formā; ergo hoc quod est denominare compartem, non competit tantum formę; & confirmatur, quia nō minùs dicitur albedo quanta, ac quātitas alba, nec minus primum concretum constituitur in sua specie à quantitate, quàm secundum ab albedine: neque tamen quis dixerit, quod quantitas, & albedo mutuò se subiectent, & informent: ergo absolutè non est vniuersaliter verū, quod in toto subiectum recipiat denominationem, & non det; & quod forma det, & non recipiat: sicuti neque verum est, quod totum recipiat suam specificā denominationem à forma, & non à subiecto. Ex eo igitur, quod vna pars denominet, & alia denominetur, non possumus colligere rationem subiecti, & formæ physicę, sed ad summum logicę.

23 Posset quis ex eo etiam capite vrgere contra hanc sententiam: quia si media vnione materia denominatur ab anima animata, cur media eadem vnione non poterit anima denominari materiata, à materia, & subiectata à subiecto? cur item forma denominatur subiectata nō à materia, & subiecto, sed ab vnione, & materia nō denominetur animata, & informata nō ab anima, sed ab vnione: cum vnio æquè sit subiectatio, ac animatio? Quod vltimum claudit viā responsioni, quæ afferri posset.

24 Confirmatur, quia in homine nō solùm materia denominatur animata ab anima, sed etiā anima denominatur à materia potens operari dependenter à phantasmate sensibili, non quācumque operationem, sed maximè propriam hominis, nempè intellectionem, & discursum. In quo notandum est, neque materiam separatam esse animatā, neque animam separatam esse potentem operari dependenter à phātasmate; sed tum materiam dependenter ab vnione ad animam constitui animatam, tum animā dependenter ab vnione ad materiā constitui potentē operari depēdenter à phantasmate.

Non benè explicatur subiectum per hoc, quod recipiat effectu formam, forma verò per hoc, quod illum tribuat.

25 Neque dicas cum Hurtado, illam partem esse formam, quæ tribuit effectum formalem: contra enim est; nam effectus formalis vel est denominatio, & redeunt argumenta supra facta; vel est totum, & nihil proficis, cum enim vtraque pars constituat totum, vtraque tribuit effectum formalem: neque est ratio, cur potiùs vna, quàm alia dicatur forma, vel subiectum.

26 Quod si addas eam partem tribuere effectum formalem, & denominare, quæ est ratio, quare compositum sit in hac specie athoma substantiæ, vel accidentis, cur, v.g. homo sit homo, & album sit album; contra est: quia hæc responsio supponit subiectum indifferens ad tribuendam hanc, vel illam denominationem, & ad constituendum hoc, vel illud totum, quod resultat ex ipsa, & suis proprietatibus; formam verò determinatam tantùm ad ad constituendum hoc totum: quod est falsum, quia primo essentia non est indifferens ad constituendum totum, quod resultat ex ipsa, & suis proprietatibus rigorosis. Secundò, quantitas est potens cōstituere nō solū hoc cōpositū materia quantaꝫ, sed etiamsi in ipsa recipiantur reliqua accidentia, potest cum albedine constituere hoc concretum, quantitatem albam, cum calore, quantitatem calidam; sicuti materia potest constituere hominem, equum, &c. cur igitur potiùs materia est subiectum respectu quantitatis: quam è contra? Ad auferendas autem omnes æquiuocationes, sciendum est: compositum constitui adæquatè in sua specie athoma tum per subiectum, tum per formam; quolibet enim horum non intellecto, non intelligitur species athoma compositi; intercedit tamen in hoc aliqua varietas: quia aliquando materia est indifferens ad constituendum, vel non constituendum hoc speciei compositum; aliquando est determinata, vt patet in essentia respectu proprietatum, & si sit vnica proprietas non solùm est determinata ad constituendū compositum, quod ex ipsa, & illa proprietate resultat, sed etiam accidere fortasse potest, vt non valeat constituere aliud compositum. Similiter forma aliquando est potēs plura speciei composita constituere, vt patet in quantitate, aliquando verò est omninò determinata ad vnum tantùm constituendum: Quando igitur vtraque pars est vel omninò determinata ad constituendum hoc compositum, vel vtraque indifferens; non est ratio cur compositum dicatur constitutum in sua specie athoma potiùs ratione vnius, quàm alterius partis: ergo tunc iuxta principia aduersariorum non est, cur vna potiùs, quàm alia sit forma, vel subiectum. Demum addo hæc, quæ ultimo loco dicuntur, non discrepare à nostra sententia, quia facilè reuocari possunt ad rationem specialis requisiti supra explicatam.

Quid de illorū sententia, qui dicunt formā, nō materiā esse, vnde desumitur abstractum concreti.

27 Hinc reijcio illos, qui dicunt formam esse unde desumitur abstractum concreti, subiectum eam partem, ex qua non desumitur abstractum concreti. Reijcio, inquam, quia abstractum huius concreti, proximè potens operari dependenter à phantasmate sensibili, est potentia ita operandi, & tamen dicit materiā. Deindè dicitur & nix candida, & candor niueus; & primi quidem concreti abstractum candor est; secundi, nix; attamen in utroque subiectum est nix. Aduersarij igitur potius explicant formam logicam, & in prædicando, quàm physicam, & in essendo. Et licet demus aduersarijs, ipsos posse aliquo modo soluere hoc argumentum, si dicant, impropriè dici candorem niueum; cum non possit dici, nix candoris; propriè uerò niuem candidam, sicuti propriè dicitur candor niuis, ideoque abstractum illius concreti propriè esse candorem; urgeri nihilominùs possunt: cur videlicet dici benè possit candor niuis, non nix candoris? certè non poterunt aliud assignare, nisi quia nix est subiectum, & candor forma: ergo illorum explicatio, & si det signum aliquod veluti à posteriori dignoscendi subiectum, & formam; de quo nunc non curo; non assignant prædicatum primarium subiecti, sed aliquod, à quo supponitur tale prædicatum. Videmur igitur meliùs nos procedere, dum assignamus rationem specialis requisiti iam explicatam; in qua benè fundari possunt, quæ dicunt aduersarij.

Impugnatur sētētia Quiros.

28 Eisdem oppugnationibus subiacet sententia Quiros: qui formam definit partem totius, quę seipsa adæquatè determinat compartem ad aliquod esse à se indistinctum. Contra enim est primo, & peto: quodnam est illud esse indistinctum à forma, ad quod determinat suam compartem? certè non est nisi esse eiusdem formæ; at non uideo, cur etiam materia eo modo nō determinet ad esse indistinctū formam. Si autem dicas hoc esse indistinctum esse compositum: primo non est compositum quid omninò indistinctum à forma. Secundo non est cur dicas, formam non determinari etiam à materia ad compositum, sicuti ipsa determinat materiam ad idem compositum. Quod si recurras ad denominationem, iam supra abundè impugnatus es.

Quid de forma intentionali.

29 Dices in concretis intentionalibus, quæ constituuntur per formam extrinsecam, habet denominationem formæ, quod determinat suā compartem ad aliquod esse: sic quod determinat subiectum ad denominationem prædicati, cogniti, subiecti, & similes, nempè cognitio est forma, licet extrinseca: neque aliundè desumi potest ratio formę extrinsecæ: ergo si, quod determinat compartem ad aliquod esse, intrinsece illi vniatur, iam est forma intrinseca: ergo conceptus formæ saluatur per hoc, quod per se ipsam determinet compartem ad aliquod esse à se indistinctum. Absurdum totè putari debet, quod non detur conceptus genericus formæ, communis tum intrinsecæ, tum extrinsecæ. Hinc positiuè quis impugnabit nostram explicationem: quia præcisā illa ratione spe-

specialia requisiti iam habeo in forma extrinseca rationem formæ, vt patet in cognitione practica comparata cum suo subiecto: neque enim illud obiectum, quod est subiectum denominatum, habet rationem specialis requisiti respectu cognitionis, quæ, utpote causa sui obiecti, potius participat respectu illius rationem specialis requisiti: & tamen ea cognitio est forma extrinseca illius concreti: ergo ratio formæ, & subiecti saluatur independenter á nostra explicatione in aliquo alio prædicato.

30 Respondeo me, vt initio dicebam, loqui de concretis physicis constantibus ex forma, & subiecto physico: non de intentionalibus, quæ constant subiecto, & forma intentionali, quæ propriè non sunt subiectum, & forma; sicuti concretum intentionale constitutum per formam extrinsecam nõ est absolutè compositum, neque absolutè vnum: quod militat etiam in omnibus concretis constitutis per formam extrinsecam subiecto. Non debet autem putari absurdum, quod non detur conceptus genericus communis formæ, quæ est vera forma, & formæ, quæ non est verè talis; sed per quamdam analogiam ad veram formam, quia videlicet tribuit subiecto, quod supponit alias constitutum, aliquam denominationem.

31 Quod si velis in his concretis intentionalibus seruari traditam á nobis regulam; poteris dicere, obiectum etiam respectu cognitionis practicæ creatæ habere rationem specialis requisiti: quia licet cognitio practica sit suo modo causa respectu sui obiecti, ad cuius effectionem dirigit operantem: tamen ipsum idem obiectum, vt informatum suo modo obiecto formali, quod mouet, & determinat ad ipsam cognitionem, est absolutè priùs cognitione practica, & in priori aliquo signo existens, antequam intelligatur existere cognitio practica; at numquam cognitio practica potest intelligi existens, nisi præsupponat existentiã obiecti formalis, & in eo existens, etiam suo modo obiectum materiale.

Quid de subiecto, quod sit pars perfectibilis forma pars perfectiua.

32 Ex dictis etiam reiicio sententiam, quã sibi quondam placuisse innuit doctissimus quidam recentior; subiectum videlicet esse partẽ perfectibilem, formam perfectiuam: perfectibile autem esse, à quo compositum vt tale in specie minùs habet: perfectiuum, à quo compositum plus habet. Exemplũ sit in albo, quod vt album plus habet ab albedine, quàm à subiecto. Reiicio, inquam; quæro enim, quid est quod compositum plus recipiat ab vna parte, quàm ab alia. Et vt clariùs procedam, sumo hoc album, quod quatenus est tale in specie, dicit non minùs omnia prædicata specifica albedinis, quàm parietis subiecti: non minùs enim desinit esse hoc specie album ablato quolibet prædicato specifico parietis, ac ablato quolibet prędicato specifico albedinis; quomodo igitur hoc album recipit plus ab albedine, quàm à pariete? neque enim fingere licet plura esse prædicata specifica albedinis, quàm parietis. Dices albedo non potest facere nisi album, at paries potest modo esse albus, modo niger. Sed contra, quia hoc non est album plus recipere ab albedine, quàm à pariete, sed subiectum, non formam posse facere plura specie composita: quod tandem reuocatur in maiorem indifferentiam, minorem indigentiã, & rationem specialis requisiti. Quid, quod nonnulla subiecta sunt addicta suis formis, vt sunt respectu proprietatum essentiæ.

Subiectum nõ est, quod est indifferẽs ad plura specie composita.

33 Quarto Cardinalis de Lugo *disp. 12. de Incarn. sec. 6. n. 75.* docet cum non paucis, eam partem in composito esse subiectum, quæ indifferens est ad plura specie composita, formam, quę est determinata ad vnum specie compositum. Sicuti differentia, quæ comparatur formæ, est conceptus determinatus ad vnam speciem; at genus, quod comparatur materiæ, indifferens est ad plures species, & quidem nõ aliunde dicitur forma, nisi quia format compositum, & materiam: formare autem non est nisi dare speciem: ergo verè forma dat speciem composito.

34 Sed contra primo: quia etiam aliqua forma est ex conceptu suo indifferens ad constituenda plura specie composita: gratia enim vnita Angelo constituit Angelum gratum, vnita animæ rationali, constituit animam rationalem gratam: quæ composita differre specie, patet; quia subiecta illorum specie differunt: neque est ratio cur compositum dicens essentialiter, tum subiectum, tum formam, specie varietur ad differentiam specificam formæ, non autẽ ad differentiam specificam materiæ? Præterea essentiæ, quamuis sint subiectum suarum passionum, non habent vllam indifferentiam ad constituendum cum illis compositum.

35 Ad rationem in contrarium dico: genus dici materiam logicam per comparationem ad materiam physicam actualem corporum sublunarium, non per comparationem ad subiectum in communi: forma autem dicitur formare subiectum, quia supponit illud in aliquo priori existens, illique accedens addit perfectionem, & formositatem.

Subiectum nõ est, quod virtute agentis naturalis potest de vna in aliã formã trãsire.

36 Ad hanc sententiam accedere videtur Giattinus, *quæst. 3. phys. art. 1.* docens subiectum ita esse indifferens ad plures formas, vt possit virtute agentis naturalis idem transire de vna in aliam formam: sed contra: primo multi putant formas accidentales posse etiam naturaliter mutare subiectum quamuis adæquatum. Secundo substantia animæ, posita distinctione illius à suis potentijs, est subiectum physicum intellectus; nec potest virtute agentis naturalis hunc intellectum relinquere, & alium acquirere. Tertio multi ex philosophis, & Astronomis putant materiam cœli esse ita addictam formæ cœli, vt non possit virtute agentis naturalis trãsire ad aliam formam.

Subiectum nõ est principiũ passiuum operationum cõpositi.

37 Nonnulli quinto loco putant, subiectũ esse partem illam, quę est principium passiuum ope-

operationum compositi, formam verò actiuum. Sed contra, quia, vt dicam, materia, seu subiectum non est essentialiter potentia passiua, seu sustentatiua. Secundò, anima rationalis, quæ est forma hominis, & non corpus est principium passiuum intellectionis, & volitionis, quę sunt operationes hominis; nō solùm enim anima, sed etiam homo vult, & intelligit: ergo forma aliquando est principium passiuum operationum compositi: ergo hoc non est prædicatū essentiale, & proprium materiæ, seu subiecti.

Subiectum non est, quod sustentat.

38 Sextò, Franciscus Bonæspei putat subiectum informationis, & denominationis esse idem: cum igitur in composito partes se mutuo denominent, nō minùs vna, quā alia est alterius forma, & subiectum informationis. Subiectum autem sustentationis est pars, quæ compartem materialiter causat. Sed contra, quia iuxta hanc sententiam in homine non magis anima rationalis, est forma corporis, quàm corpus est forma animæ rationalis; nam mutuo se denominant, nec altera ab altera sustentatur; quod est contra Patres, & Concilia, qui animæ rationali tamquam prædicatum proprium attribuunt esse formam, & actum corporis.

39 Septimò, recentiores nonnulli secuti Arriagam docent subiectum esse illam partem, à qua à priori, vel tamquam à causa, vel tamquam à conditione pendet altera cōpars; ideoque potentiam sustentatiuam non esse de essentia subiecti: satis enim est, si subiectum sit respectu formæ, cui vnitur, conditio in priori naturæ supposita; in hoc sensu saluatur in homine corpus esse subiectum, quia est conditio in priori naturæ naturaliter requisita ad productionem animæ. Hæc sententia est ferè eadem, ac mea: solùm patitur difficultatem, quia Angelus est subiectum physicum actionis, qua á Deo creatur, sicuti est suæ vbicationis, durationis, &c. neque vero illius accidentis est aliud subiectum; & tamen non est in priori, vel vt causa, vel vt conditio ad illam creationem, vt suppono.

Reijciuntur, qui negant rationem vniuocam subiecti.

40 Ob tantam opinionum varietatem, & difficultates, quibus illarum quęlibet premitur, putauerit quis non dari rationem vniuocam subiecti communem omnibus subiectis; sicuti nō datur vna ratio canis communis omnibus canibus: ideoque totū illud, quod exprimitur hoc nomine, subiectum, iuxta regulas logicę de æquiuocis, prius diuidendum esse in certas classes subiectorum, & deinde quamlibet classem definiendam sua peculiari definitione. Verum si possumus rationem aliquam subiecti vnam, & communem omnibus subiectis assignare, debemus vtique illam amplecti: posse autem huiusmodi rationem assignari, patet ex ijs, quæ pro nostra sententia diximus.

41 Vrgebis non repugnat subiectum, cui non conueniat illa ratio specialis requisiti; ergo illud non est prædicatum essentiale commune omni subiecto. Nego antecedens, si sistamus in sententijs supra allatis, nam si quis meliora afferat, vt dicebam, non contradico. Ratio repugnantiæ est: quia illud esset, & non esset subiectum: esset, vt supponimus, non esset, quia si præscindamus á ratione specialis requisiti supra explicata, sistentes intra limites impugnatarum sententiarum, non participat rationem subiecti veri, quia nulla ex dictis opinionibus explicat veram rationem subiecti communem omnibus subiectis.

SECTIO QVARTA.

Vtrum aliqua potentia sit de essentia materiæ?

1 DVO sunt præcipua materię munera, alterum constituere per modum subiecti totum simul cum forma, alterum sustentare, seu causare materialiter formas: quare duæ in illa, quoad rem nostram spectat, considerantur potentię, altera vnitiua, seu compositiua totius per modum subiecti, altera sustentatiua, seu causatiua formæ in genere causæ materialis, quam aliqui appellant cum Ouiedo receptiuā, alij eductiuam. De his igitur potentijs multa quæri possunt, vtrum videlicet hæ potentiæ, vel aliqua illarum sit de essentia physica materiæ, ac cum illa identificetur? Vtrum sit de conceptu, & essentia metaphysica? Et quæstio esse potest tum de materia actuali, tum de possibili, tum de potentia ad formas substantiales, tum ad accidentales. Quare non immerito quæstio adeo multiplex per plures subsectiones deciditur. Suppono autem nomine materię hic venire substantiam corpoream incompletam ex natura sua ordinatam, vt per modum subiecti constituat vnum substantiale cum forma substātiali.

SVBSECTIO PRIMA.

Vtrum aliqua Potentia sit de essentia etiam metaphysica materiæ in communi?

1 EST de essentia metaphysica illud prædicatum, quod non solùm identificatur cū re, sed etiam spectat ad primum eius conceptū tamquam genus, vel differentia inclusum in illius definitione essentiali.

3 Dixi materiæ in communi: nam quamuis aliqui cum Giattino putent, nec fanè improbabiliter, nō esse possibilem materiam corpoream diuersæ speciei ab hac sublunari, quæ defacto datur, plures tamen, & communiter recentiores asserunt oppositum; possibilem videlicet esse dictam materiam, quæ vel solùm respiciat formas materiales, vel solùm spirituales: mouentur vnice argumento negatiuo, quia nulla apparet in his materijs repugnantia: sed si res attente consideretur multis, nec planè leuibus difficultatibus scatet possibilitas harum materiarum, præsertim illius, quæ esset addicta formis spiritualibus; de quo puncto fortasse infra; nunc supposita ea possibilitate, quæro

vtrum

verum aliqua potentia ad formam sit de essentia materiæ in communi, quatenus includit tum hanc, quæ de facto datur, tum illas, quas quis excogitauerit possibiles? Respondeo, &c.

Materia essentialiter est potentia.

4 Dico primo, aliqua potentia est de essentia etiam metaphysica materiæ in communi: probatur, subiectum, ex quo aliquid fit, est essentialiter potentia: sed omnis materia etiam metaphysicè est subiectum, ex quo aliquid fit: ergo omnis materia etiam metaphysicè, & essentialiter est potentia. Minor est definitio materiæ. Maior probatur; pars quæ essentialiter habet, posse constituere totum, est essentialiter potentia ad compositionem totius; sicuti quodlibet essentialiter, & per se potens videre, est essentialiter potentia ad videndum: sed subiectum, ex quo aliquid fit, est essentialiter pars, quæ habet essentialiter constituere posse totum; ergo subiectum, ex quo aliquid fit, essentialiter est potentia ad cōpositionem totius. Minor probatur, & quidem quod subiectum, ex quo aliquid fit, sit essentialiter pars; est indubitatum; quod autem sit essentialiter potens componere; probatur, quia de essentia metaphysica cuiusque partis est, non actu constituere totum cū sua cōparte, vt patet in anima rationali separata, quæ est pars, quamuis actu non constituat totum, sed posse constituere totum.

Non solùm radicaliter vt vult Arriaga.

5 Dices cum Arriaga *disp. 2. sect. 3. subs. 2. à num. 37.* de essentia metaphysica materiæ, & subiecti in commune esse, vt sit potentia radicalis, non formalis; sicuti de essentia animæ rationalis est, non potentia discursiua, sed radix potentiæ discursiuæ, & de essentia hominis non risibilitas, sed radix risibilitatis.

6 Sed cōtra, quia pars formaliter, qua pars, est formaliter, non radicaliter potentia potens constituere totum: sed materia, & subiectum est formaliter pars; ergo materia, & subiectū est formaliter, non tantùm radicaliter potentia potens constituere totum. Maior probatur, quia totum compositum immediatè, & formaliter constituitur per partes; ergo partes immediatè, & formaliter per se ipsas constituunt totum, quando vniuntur: ergo præcisa vnione pars est formaliter per se ipsam potentia potens componere totum. Confirmatur, quia si tantùm radicaliter potest componere; ergo tantùm radicaliter est pars, & potius potentia illa superaddita erit pars formaliter, ex qua immediatè vnita formæ resultat immediatè totum.

Materia est formaliter potētia.

7 Igitur nō possumus rationabiliter in materia, & subiecto formaliter distinguere radicē potentiæ, & potentiam; sed potentia est prædicatum nō radicatum in alio priori, & essentiali materiæ prædicato: ratio est, quia præcisa potētia non habetur conceptus partis: ergo neque conceptus proprius materiæ, in quo radicetur conceptus potentiæ. Hinc patet, quod materia cōstituta per radicem potentiæ, sit materia chimærica, non distincta ab omni non materia reali; quia non distinguitur à seipsa, quæ est chimærica: quare, esse radicem potentiæ non distinguit materiam realem ab omni non ipsa; quia non distinguit materiam realem à chimærica. Ad paritatem ex anima rationali, dico: in anima rationali non militare allata, vel similia argumenta: aliter nego animam rationalem essentialiter non includere potentiam discursiuam. Quæ diximus à fortiori probant, omnem materiam identificare sibi aliquam potentiam. Vnde

Impossibile est materiā tantum esse radicem potentiæ.

8 Dico secundò, impossibilē esse materiā, in qua realiter distinguantur duo illa, nēpe esse radicē potentiæ, & potentiam, ita videlicet vt materia entitatiuè, & intrinsecè tantū sit radix potentiæ: si enim, vt probauimus quæcūque materia est essentialiter formalis potentia; ergo repugnat aliqua materia, quæ tantum intrinsecè sit radix potentiæ. Secundò, potentia superaddita non est substantia, neque accidens; ergo repugnat. Antecedens quoad primam partem, confirmatur: quia radicatur determinatè in aliqua priori radice, cui inseruit; ergo absolutè est accidens, & entis ens, nō absolutè ens. Deindè vel vnitur immediatè cū sua radice, vel nō? si primum, ergo ex illa radice, & hac potentia resultat totum substantiale completum constans ex materia, & forma substantiali; nam illa radix haberet respectu potentiæ prioritatem sufficientem ad rationem subiecti, vt colligi potest ex dictis *sect. 2.* ergo sequens forma esset accidentalis. Præterea ergo illam, quam appellas radicem, debes fateri esse formaliter potentiam potentem immediatè vniri, & defacto immediatè vnitam potentiæ superadditæ; nisi velis cum periculo abeundi in infinitum, dare aliam potentiam, qua media radix illa vniatur primæ potentiæ. Tertio vel vtraque, tum radix, tū potentia vnitur immediatè formæ ignis, v. g. vel altera tantum; si primum, ergo vtraque est formaliter potentia vnitiua sui cum forma; quare nulla est necessitas admittendi potētiam distinctam; cum totum satis resultet ex illa, quam appellas radicem, & forma immediatè vnitis: Si secundum, illa tantùm quæ immediatè vnitur, est subiectum; altera vel est radicata in subiecto, vel est radix subiecti: & non immediatè, & per se subiectum, sed tantùm radicaliter, & remotè.

Potentia superaddita non potest esse substantia.

9 Quinimò ad constituendum ignem tantùm erit necessaria formaliter illa, quæ immediatè vnitur formæ; altera erit extra conceptū ignis; quare neque rationem materiæ, neque formæ obtinebit in igne: qui satis constituitur ex partibus immediatè vnitis. Hinc iam facilè impugnatur, qui eligat radicem, & illam potentiam non vniri inter se: quia adhuc hic debet explicare verum vtraque immediatè vniatur formæ? quodcumque autem eligat, iam supra impugnatus est.

Neque potest esse accidens.

10 Secunda pars antecedentis, quod videlicet illa potentia superaddita non sit accidens; confirmatur: quia si est accidens, vel immedia-

tè

tè vnitur formæ substantiali, vel non: si primũ, ergo quæ immediatè vniuntur, non omnia sunt substantialia: ergo totum resultans ex illis partibus immediatè vnitis includit aliquod accidens; ergo non est substantiale; quod, vt suppono, non resultat nisi ex partibus immediatè vnitis, & omnibus substantialibus. Si eligas secundum videlicet illam potentiam non immediatè vniri cum forma; ergo quod immediatè vnitur cum forma est tantùm radix illius potẽtiæ: ergo radix illius potentiæ est formaliter potentia, & non potentia illa superaddita, quã fingis.

Reijciuntur, qui dicunt materiã vniri, vt quod, potentiam distinctam, vt quo.

11 Dices, radicem vniri immediatè vt quod, potentiam immediatè vt quo. Sed contra, quia potentia non est vnio, sed res vnita: ergo vnitur vt quod. Deindè quod vnitur vt quo, vel spectat immediatè ad constitutionem totius, & iam compositum est accidentale, vtpotè constitutum per aliquod accidens: vel non spectat ad constitutionem totius, & hoc modo præcisa illa potentia, iam compositum immediatè tantùm constituitur ex illa, quam appellas radicem, & ex forma: cuius igitur vsus est ea potentia? Hinc patet discrimen inter causam principalem efficientem, & subiectum: nam de causa principali efficiente non probatur, quòd debeat immediatè causare, ideoque benè potest admittere instrumenta media: at subiectum debet immediatè per se constituere; aliter esset extra essentiam compositi. Falsò igitur assumit aduersarius radicem vniri immediatè vt quod; & potentiam vt quo. Ex dictis autem facilè impugnari possunt, qui admittũt de possibili potentiolam quamdam mediam inter materiam, & formam.

SVBSECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiectiones.

Materia est essentialiter ad aliud.

12 OBijcies primò prius est esse, quã posse, agere, & pati: ergo potentia materiæ est quid consequens ad eius essentiam. Antecedens probatur: res priùs constituitur in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud. Et quidem in re nostra prædicatum illud relatiuum potentiæ debet fundari in aliquo absoluto, per quod explicetur, & quod sit vel fundamentum, vel terminus relationis. Distinguo priùs est esse, quàm posse in iis, quorum essentia est posse, nego: in alijs, concedo: conceptus enim formalis, & primus potentiæ est posse: ad probationem distinguo antecedens, res absolutè priùs constituitur in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud, concedo: relatiuè, nego: conceptus enim partis, & potentiæ est relatiuus. Ad confirmationem nego prædicatũ illud materiæ debere fundari in aliquo prædicato absoluto specifico eiusdem materiæ. Ad rationẽ in contrarium concedo omne relatiuum fundari in aliquo absoluto, & per illud explicari debere: satis tamen ei est, illud absolutum trahat illa prædicata relatiua, quãuis non sit fundamentum relatum; debet tamen illius absoluti essentia explicari independenter á termino relatiuo: & in casu quidem nostro ratio substantiæ completæ, qui est finis in intentione præsuppositus, & terminus absolutus per se notus, est veluti fundamentum, in quo fundantur prædicata relatiua materiæ, & formæ: nisi enim inuoluerent illa prædicata relatiua non essent apta componere vnum substantiale completũ. Quamuis autem per materiam, & formam compositum non ordinetur ad aliud, ex hoc tamen malè infert Maurus materiam, & formam non esse ens relatiuum: quia adhuc vna per se ipsam refertur ad aliam.

Hæc relatio fundatur in esse absoluto cõpositi præcõcepti, & præintẽti.

Potentia materiæ est positiua.

13 Obijcies secundò: hæc potentia materiæ ad formas substantiales vel est negatiua; videlicet non repugnantia materiæ ad illas formas, vel positiua, inclinans ad illas: neutrum dici potest, ergo &c. Respondeo esse positiuã; formæ enim substantiales sunt perfectiones materiæ, eiusque bonum, ad quod inclinat, vt tãdem obtineat suum finem, nempè compositum substantiale.

Est intrinsecè vna.

14 Obijcies tertiò: materia est vna, eius potentia ad formas substantiales est multiplex: ergo materia distinguitur à potentia: antecedens quoad secundam partem probatur, quia relatio debet multiplicari ad multiplicationẽ terminorum; sed potentia materię est relatio, ad formas substantiales, & multiplices, ergo est multiplex. Nego antecedens quoad secundam partem, ad probationem, nego absolutè maiorem, si præsertim relatio sit transcendentalis: vt patet ex dictis in logica; sicut enim potest eadem cognitio respicere inuariabiliter plura obiecta; ita eadem relatio plures terminos: solùm falsum apparet eamdem relationẽ inuariatam modo respicere vnum terminum, modo alium.

Potentia materiæ nõ perit etiam corrupta forma.

15 Obijcies quartò: perit potentia, & remanet materia: ergo materia distinguitur à potentia. Antecedens probatur primo, quando materia vnitur alicui formæ, remanet materia, & perit potentia ad illam formam; neque enim dici potest, quod materia sit in potentia ad illam formam. Secundo pereunte forma ignis, perit potentia naturalis ad illam, & remanet entitas materiæ: ergo potentia ad eam formam distinguitur à materia. Antecedens probatur, quia si non periret potentia naturalis, posset forma corrupta naturaliter reproduci, quia remanet virtus naturaliter causatiua illius: hoc autem est absurdum: commune enim Philosophorum assertum est, à priuatione ad habitum non dari regressum. Et confirmatur: quia si res posset naturaliter reproduci, non esset cur resurrectio mortuorum diceretur miraculosa.

16 Nego primam partem antecedentis: ad probationem in contrarium distinguo illam propositionem perit potentia priuata, concedo, secundum se, nego. Quando aduenit noua forma, tunc maximè exercetur potentia circa il-

illam; ergo tunc maximè existit potentia materiæ; sed quia recedit priuatio formę, ideò perit potentia priuata; quod sufficit, ne materia dicatur esse in potentia ad formam; hic enim modus dicendi significat materiam sub priuatione formæ.

Explicatur cur impossibilis naturaliter sit reproductio.

Reproductio nō est purè ab extrinseco impossibilis.

17 SEcunda probatio exigit, vt aliquid hic dicamus de reproductione formarum corruptarum: omnes docent illam esse naturaliter impossibilem: difficultas est in assignanda huius impossibilitatis ratione; quam Hurtadus *disp. 2. sect. 8.* Oviedus *contr. 2. pun. 6. & contr. 12. pun. 5.* secuti Suarium reuocant in liberam Dei voluntatem, qui nolit rem semel corruptam iterum reproduci, idque ad ostendendas diuitias suæ potentiæ. Sed contra est primo auctoritas omnium Philosophorum, qui nulla facta mentione libertatis Dei absolutè docuerunt reproductionem esse impossibilem. Secundo nos loquimur de impossibilitate naturali reproductionis: decretum autem Dei vel nullam affert impossibilitatem rei, quam non vult existere; vel affert impossibilitatem quoad potentiam absolutam: implicat enim poni, quod Deus absolutè vult non poni. Confirmatur, ergo eodem modo est impossibilis reproductio rei corruptæ, quo impossibilis est productio hominis, quem Deus decreuit non producere; quod nescio verum concedant aduersarij. Ratio esse potest, quia supernaturalitas, & naturalitas rerum supponitur à Decreto Dei, qui vult illas producere eo modo, quo sunt producibiles.

Ratio cur naturaliter repugnat reproductio.

18. Communem igitur sententiam probo, quia existere in tempore a, & in tempore c distanti, & non in tempore medio, est contra leges naturæ: sed reproductio dicit, quod res existat in duplici tempore a, & c, distanti, & nō in medio b, vt est certum, ergo reproductio est contra leges naturæ. Maior probatur, existere in loco a, & c distanti, & non in medio b, est contra leges naturæ; ergo etiam existere in duplici tempore distanti, & non in medio. Ratio autem vniuersalis est, quia illæ duæ vbicationes a, & c, & illæ durationes distantes sūt ex natura sua necessariò mediatæ, & distantes; ergo ex natura sua, si existunt, exigunt mediam durationem, & mediam vbicationem: aliter si naturaliter possent atque benè existere sine, ac cum media illa duratione, & vbicatione; non esset ratio cur potius essent mediatæ, quàm immediatæ; sed potiùs essent ad id indifferentes. Est igitur necessitas in natura, vt res nunc existens, vel numquam antecedenter extiterit, vel vt extiterit immediatè ante: idem esto iudicium de loco.

19. Concedo igitur Hurtado, & Oviedo cum in agente, tum in passo remanere virtutē naturalem, & suo modo adæquatam, respectu formę corruptę; quia forma est eiusdem perfectionis ante, ac post corruptionem: sed non propterea potest absolutè dici effectus corruptus esse naturaliter producibilis: quia naturalitas actionis non solùm pendet à naturalitate virtutis actiuæ, & passiuæ, sed etiam aliarum circumstantiarum. Illa igitur virtus naturalis remanet impedita ex defectu conditionis; sicuti si subiectum sit absens, virtus naturalis ignis remanet impedita, ne comburat. Quę quidem intelliguntur de virtute naturali materię, & agentis comparata cum forma corrupta secundum se: nam inter virtutem naturalem passi, & agentis, & entitatem illius formæ secundum se semper est sufficiens proportio, & connaturalitas. Sed non intelliguntur de eadem virtute naturali comparata cum forma corrupta, vt reproducēda, quia in ordine ad reproductionem, & illam discontinuatam durationem, neque passum, neque agens creatum habent virtutem naturalem, aut habere possunt; verum autem habeant obedientialem, non est huius loci.

In ordine ad reproductionē, & discontinuatā durationem neq; passū, neq; agens habent virtutem naturalem.

20 Hinc ad secundam probationem antecedentis allatam in quarto argumento; nego corrupta forma perire aliquam potentiam passiuā materię: nam & perseuerat potentia naturalis ad formam secundum se, & non perit potentia naturalis ad reproductionem, quia hæc potentia numquam fuit, aut esse potuit in materia.

21 Instabis primò, nunc non est duratio antecedens formæ: ergo non potest iuuare actionem agentis naturalis. Distinguo consequens, non potest iuuare secundum se, & per suum esse reale, concedo; vt intentionaliter existēs, nego: illud, quod realiter non est, non potest nunc per suum esse reale iuuare actionem: at si intentionaliter existat, idest cognoscatur, poterit vtique per suum esse intentionale, ac per illam cognitionem actioni prodesse: iam verò duratio præcedens nunc non est, at nunc cognoscitur perfectissimè à Deo, & intentionaliter in Deo existit: ergo licet non possit iuuare actionem agentis per suum esse reale, benè poterit iuuare per suum esse intentionale, & vt terminus diuinæ cognitionis. Et quidem duratio Petri sequens intentionaliter existens in mente Dei exigit, vt non ponatur, nisi vel numquam antecedenter fuerit Petrus, vel immediatè ante extiterit.

22 Instabis secundò, si in materia, & agente est naturalis potentia ad formam corruptam; ergo reproductio formæ, & recuperatio visus non est miraculosa, quod sapit impietatem. Distinguo, si est naturalis potentia ad formam corruptam secundum se, nego consequentiam; quia adhuc deficit potentia naturalis ad reproductionem; si est naturalis potentia ad reproductionem, & ad illam discretam durationem, concedo consequentiam. Sed falsum est adesse eam potentiam naturalem ad reproductionem. Breuiter miraculosum in re nostra formaliter est non entitas formæ, sed reproductio, ad quam nulla esse potest naturalis potentia. Illud hic

obijcer nota, quod actio reproductiua est per se essentialiter diuersa à non reproductiua propter essentialem ordinem ad diuersum Dei decretum iuxta infra dicenda.

23 Instabis tertio carentiæ, quæ semel fuerunt, redeunt sine miraculo: ergo poterunt formæ, quæ semel fuerunt, iterum naturaliter reproduci. Nego antecedens, cuius falsitas patebit ex dicendis de carentijs: quæ vel absolutè non sunt, vel sunt modi aliqui relatiui, qui non redeunt iidem.

24 Instabis quarto, probando reproductionem esse naturalem: quia si omnes formæ essent corruptæ, adhuc materia appeteret formam vtique reproducendam; ergo naturaliter apperteret reproductionem. Respondeo appetitum materiæ tunc futurū inefficacē, quia ad terminū ex suppositione impossibili impossibilem. Quin imò tunc deberet materia illa naturaliter destrui, vt constabit ex dicendis cum de dependentia materiæ à forma. Falsum autem, supponit esse, quod assumit Lyncæus *lib. 2. tract. 4. cap. 4. & 5.* esse videlicet in natura appetitum naturalem ad formam supernaturalem. Neque verum est, res naturales appetere efficaciter sui conseruationem perpetuam naturaliter impossibilem; ad summum enim appetunt non destrui, donec accedat validiùs contrarium: Cæcus autem appetitu elicito appetit recuperationem visus miraculosam: nec mirum cum appetitus elicitus possit etiam ad impossibilia se extendere: appetitus autem innatus est ad visum secundum se, non ad eius recuperationem. Quod si anima priùs annihilata iterum à Deo crearetur, & materiæ vniretur; vtique materia gauderet illa noua vnione; non gauderet de recuperatione: ex quo solùm quis inferet appetitum præcedentem esse ad formam secundū se, non ad recuperationem formæ corruptæ. Demum supernaturale, etsi possit esse bonum subiecto; est nihilominùs supra exigentiam, supra appetitum naturæ.

25 Cum his autem benè cohæret, quod notat Compton *disp. 8.* posse nimirùm eamdē materiam naturaliter iterū vniri eidem formæ: vt si pars brachij humani recisa priùs conuertatur in piscem; hic autem decursu temporis conuertatur in substantiam eiusdem hominis. Verùm hic nulla intercedit reproductio termini corrupti.

SVBSECTIO TERTIA.

Quæ potentia sit de essentia materiæ in communi?

Potentia vnitiua per modum subiecti est de essentia materiæ in communi.

26 Dico primò potentia vnitiua, quâ materia per modum subiecti potest vniri cum forma substantiali, est de essentia materiæ substantialis in communi. Probatur; posse componere totum substantiale per modum subiecti est de essentia materiæ in communi; vt patet ex dictis; sed potentia vnitiua, qua dum subiecti materia potest vniri cum forma substantiali est posse componere totum substantiale per modum subiecti; ergo potentia vnitiua, qua materia potest vniri cum forma substantiali, est de essentia materiæ substantialis in communi. Minor probatur, quia sicuti actu vniri cum forma substantiali per modum subiecti est actu componere totum per modum subiecti; ita posse vniri per modum subiecti cum forma substantiali, est posse per modum subiecti componere totum.

Potentia sustentatiua nō est de essentia materiæ in communi.

27 Dico secundo, si materia potest materialiter causare formam substantialem, causalitate sibi propria, eam potentiam, quam nonnulli sustentatiuam appellant, non esse de essentia metaphysica materiæ in communi, materiæ, inquam, substantialis, idest ordinatæ ad faciendum vnum substantiale. Probatur; posse per modum subiecti componere totum substantiale non includit essentialiter potentiam sustentatiuam iam explicatam: sed conceptus essentialis materiæ substantialis in communi tantùm dicit posse componere totum substantiale per modum subiecti; ergo conceptus essentialis materiæ substantialis in communi non includit potentiam sustentatiuam explicatam. Minor probatur; quia finis primarius materiæ est componere totum substantiale: ergo primarius, & essentialis eius conceptus, qui primò debet in illa relucere, est posse componere totum substantiale per modum subiecti; & est quidem conceptus ille adæquatus, quo materia distinguitur ab omni alio: neque enim posse eo modo componere competit formæ, aut alicui alij: ergo conceptus essentialis materiæ substantialis in communi tantùm dicit posse eo modo componere: & nunc aliud contra rationem includitur in eo conceptu. Maior principalis argumenti confirmatur; actu componere totum substantiale per modum subiecti, non est formaliter actu sustentare formam substantialem: nam potest materia eo modo actu componere, & nō actu sustentare formam substantialem, vt patet in homine: ergo posse eo modo componere, non est posse sustentare. Profectò si componere per modum subiecti, non est sustentare; quamuis hic actus componendi supponat potentiam vnitiuam, non debet supponere potentiam sustentatiuam: ac proinde potentia ista vnitiua per modum subiecti non essentialiter includit potentiam sustentatiuam.

28 Dices repugnat materia, quæ non sit sustentatiua formæ, vel vnionis substantialis; ergo via hæc sustentatiua est de essentia materiæ substantialis in communi. Dato antecedente, de quo fortasse infra; nego consequentiam: neque enim omne prædicatum, cum quo res necessariò connectitur, est de essentia, satis enim esse sit proprietas necessariò sequens ad essentiam. Cum igitur probauerimus in conceptu essentiali materiæ in communi non includi potentiam sustentatiuam, si materia necessariò omnis connectatur

tur cum potentia sustentatiua; vtique hæc erit proprietas necessaria materiæ in communi.

Neque potentia vnitiua, neque sustentatiua formarũ accidentalium est de essentia metaphysica materiæ in communi.

29 Dico tertiò: neque potentiam vnitiuã, neque sustentatiuam formarum accidentalium esse de conceptu metaphysico, & essentiali materiæ in communi, de qua loquimur: probatur ex dictis, posse per modum subiecti componere totum substantiale, non includit essentialiter potentiam vnitiuam, aut sustentatiuam accidentium; sed conceptus essentialis materiæ in communi tantum dicit posse componere totum substantiale per modum subiecti: ergo conceptus metaphysicus, & essentialis materiæ in communi non includit essentialiter potentiam vnitiuã, aut sustentatiuam accidentium. Minor patet ex dictis; maior ex dictis etiam confirmatur, quia actu componere totum substantiale, non est formaliter actu vnire sibi, vel sustentare accidentia: loquor de accidentibus proprijs compositorum, & formarum, non de communibus, vt sunt duratio, vbicatio, & similia, respectu quorum est in quolibet ente creato potentia, quæ vel sit de essentia illius, vel proprietas.

30 Dices repugnat materia, quæ possit cõponere totum substantiale, & nequeat recipere, vel sustentare accidentia propria illius totius: ergo potentia vnitiua, & sustentatiua horum accidentium est de essentia materiæ in communi. Nego consequentiam, cuius infirmitas patet ex dictis.

31 Vrgebis, ea potentia ad formas accidentales est proprietas materiæ in communi: ergo debet in cõceptu materiæ in communi dari prædicatum, quod sit radix illius potentiæ; quodnã autem illud est? Respondeo cum essentia materiæ in communi sita sit in potentia constitutiua totius substantialis per modum subiecti, ac præterea quælibet materia possibilis necessariò dicat potentiam ad formas accidentales; dicẽdum proculdubio est radicem huius potentiæ ad formas accidentales, esse potentiam constituendi compositum substantiale; & iure quidem: quia sicuti accidens radicatur in substantia, propter quam intenditur; ita, & potentia ad formas accidentales satis congruè dicitur radicata in potentia ad formas substantiales.

De ratione subiecti in communi non est potentia vnitiua, & sustentatiua formarum substantialium.

32 Ex dictis infero de ratione essẽtiali subiecti vniuersalissimè sumpti, prout præscindit à substantiali, & ordinato ad faciẽdum vnum substantiale, & ab accidentali, & ordinato ad faciẽdum vnum accidentale, non esse potentiam vnitiuam, & sustentatiuam formarum substantialiũ: probatur, quia multi dicunt quantitatem vniri, & sustentare multa accidentia, & nemo dixit, quod quantitas sit subiectum formarum substantialium. Et Angelus est subiectum suorum accidentium, neque ideo est subiectum formarum: ergo de ratione subiecti vniuersalissimè sumpti non est posse recipere, & sustentare formas substantiales. De ratione igitur subiecti in communi est posse componere aliquod totum per modũ partis essentialis, quæ à sua cõparte perfici, possit & aliquo modo illam perficere cũ ratione specialis requisiti supra dicta: sub hoc autem genere possunt plures excogitari species, vt facilè quiuis intelliget.

SVBSECTIO QVARTA.

Quænam potentia sit de essentia physica materiæ actualis sublunaris?

33 NOmine materiæ actualis sublunaris intelligo ens incompletum substantiale actu existens, ex quo tamquam ex subiecto cõstant omnia composita substantialia, quæ virtute agentium naturaliũ possunt defacto corrumpi, & generari: sub hac igitur materia non continetur materia corporum cœlestium ingenerabilium, & incorruptibilium. Iam verò ex dictis certum videtur hanc materiam sibi identificare, imò essentialiter etiam dicere potentiam per modum subiecti simul cum forma supradicta, composita naturalia constituendi; sicuti de essentia materiæ in communi est, posse per modum subiecti simul cum forma constituere compositũ substantiale; sicuti autem hæc materia sublunaris facta videtur, vt tanquam subiectum inseruiat his agentibus naturalibus ad generationem, & corruptionem corporum naturalium; ita non apparet, quod debeat sibi identificare, nisi potentiam constitutiuam horum corporum, & respicientem tamquam terminos, cum quibus vniatur, tantum formas siue materiales, siue spirituales, quæ constituere possunt dicta composita, & ponuntur cum aliqua dependentia ab his agentibus naturalibus. Ratio esse potest, quia potentia restrictior videtur insufficiens ad finẽ intentum à natura, vt inseruiat actioni horum omnium agentium naturalium; amplior autem; quæ extenderetur vltra dictum finem. Hoc posito.

Materia actualis sibi identificat potentiã per modũ subiecti simul cum formis constituendi hæc composita substãtialia actualia.

34 Dico primò, si agentia naturalia producunt formas substantiales corporeas concurrente subiecto; materia actualis habet sibi identificatam potentiã sustentatiuã, seu materialiter causatiuam talium formarum: probatur, supposito, quod detur potentia sustentatiua, ab eo debet sustentari forma, cum quo vnitur ad faciendum vnum: sed forma vnitur ad faciendum vnum cum entitate materiæ, vt constat: ergo ab eadẽ entitate materiæ debet sustentari, ergo vis sustentatiua, si datur, non est distincta ab entitate materiæ huius, de qua loquimur. Maior probatur, sustentari dicit necessariò effectum penetrari cum causa sustentante: ergo ab eo debet sustentari forma, cum quo, vel in primis exigit penetrari: cum eo autem exigit, vel in primis penetrari, cum quo debet facere vnum substantiale. Totus hic discursus fundatur in natura causæ sustentantis, quæ debet in se recipere effectum sustentatum; neque potest esse illi extrinseca, sicuti est causa efficiens: quare præter potentiam, cui vnitur, & cum qua forma facit vnũ per se, non est admittẽda realitèr alia potentia, cui, & vnitatur, & à qua sustentetur.

Materia actualis identificat sibi potentiã sustentatiuã formarum materialium actualiũ.

Aliqua potentia sustentatiua accidentis identificatur cũ hac materia.

35 Dico secundo, aliqua potentia ad aliquam formam accidentalem identificatur cum hac materia: probatur, quia multa accidentia, saltem illa, quibus disponitur ad nouam formam, vniuntur materiæ actuali, aliter quo modo illam disponunt? ergo vel vniuntur immediatè ipsi materiæ, & habeo intentum: quia iam in ipsa entitate materiæ est vis, qua possit per modum subiecti immediatè vniri accidentibus, vel mediatè, & quidem media alia potentia vtique accidentali, vt per multos est quantitas, ne autem in infinitum procedamus, debemus tandem deuenire ad aliquod accidẽs, quod immediatè vniatur, & vt colligi potest ex supradictis etiam immediatè sustenetur ab entitate huius materiæ.

Causa efficiẽs est nobilior causa sustentante.

36 Dices primo, ergo materia vt potẽ potens causare materialiter tot composita, & formas etiam genere diuersa, est perfectior causa efficiente, quę sæpè non potest efficere nisi vnum specie effectum. Nego consequentiam, longè enim perfectius est posse efficienter causare vnum effectum, quàm sustentare innumeros: ratio est, quia ex genere suo efficere, est dare esse ex quadam abundantia, ideoque nullam dicit ex se imperfectionem, & Deo competit: at sustentare est quidem causare, sed potius ex indigentia, & vt ipsa causa ab effectu intrinsecè perficiatur, ad quem finem ordinatur sustentatio; indè est, quod causa materialis non debet præcontinere effectum.

37 Dices secundo, omnis potentia est qualitas: ergo malè identificatur cum substantia, & entitate materiæ. Antecedens probatur, quia Aristoteles *c. de qual.* numerat potentias in prædicamento qualitatis. Nego antecedens, ad probationem dico, Aristotelem locutum de potentijs distinctis à substantia. Cæterum non poterat Aristoteles negare potentias substantiales tum effectiuas, tum passiuas, ad quas tandem deueniendum est, ne procedamus in infinitum. Prima enim causa efficiens, & primum subiectum necessario sunt substantia. Similiter quando idem Philosophus *lib. de sensu & sensili* docuit, substantias non agere, neque pati nisi vt contrarias; non est sensus, quod vis actiua, & passiua sint qualitates, quæ propriè sunt contrariæ; sed loquitur de actione alteratiua, quæ formaliter exercetur inter qualitates contrarias, quarum vna producitur, altera corrumpitur.

38 Dices tertio, causa substantialis efficiens creata non immediatè agit, sed medijs instrumentis accidentalibus: ergo causa materialis non immediatè sustentat, sed media potentia superaddita. Antecedens est absolutè falsum de omnibus effectibus substantiæ, nam saltem aliqua accidentia debent immediatè procedere à substantia. Deindè nego consequentiam: quia ratio, quam attulimus pro contradictorio consequentis, non militat pro antecedente, vt debent supponere aduersarij; quod si ex speciali ratione accidentia reliqua recipiuntur, & sustentantur à quantitate, ea ratio non probat etiã formas substantiales, quæ debent immediatè vniri materiæ, sustentari à quantitate.

39 Dices quarto ex Aristotele 12. *Met. tex. 22. & 26.* actus, & potentia sunt in eodem genere, ergo si forma est accidentalis, potentia debet esse accidentalis. Respondeo nomine actus aliquos intelligere rem actualem, nomine potentiæ possibilem; quæ sunt non solùm genere, sed etiam indiuiduo idem. Alij dicunt Aristotelem loqui de actu, & potentia ordinata ad constituendum ens absolutè dictum; quę debent esse in eodem genere substantiæ. Tertiò alij dicunt potentiam reductiuè spectare ad genus actus; si enim subiectum informetur quantitate, sicuti constituitur quantum, ita spectat ad genus quantitatis; idem esto iudicium si informetur qualitate.

SVBSECTIO QVINTA.

Quęnam potentia sit de essentia metaphysica materiæ actualis?

Nulla potẽtia sustentatiua est de essentia metaphysica materiæ actualis.

40 DIco primò, nulla potentia sustentatiua formarum substantialium, vel accidentalium est de essentia materiæ actualis. Probatur; materia actualis sufficienter constituitur vltimo in sua essentia per potentiam, qua potest vt subiectum constituere cõposita actualia, quæ generari, & corrumpi possunt virtute horum agentium naturalium; sed præcisa potentia sustentatiua intelligitur potentia potens componere per modum subiecti dicta cõposita: ergo præcisa potentia sustentatiua intelligitur materia actualis vltimo in sua essentia constituta. Maior probatur, quia finis, ad quem primariò ordinatur materia hæc, est constituere per modum subiecti hæc composita; ergo per hoc, quod possit constituere per modum subiecti hæc composita, sicuti intelligitur adæquatè apta suo fini, ita intelligitur vltimo in sua essentia constituta. Et propterea per dictam potentiam benè distinguitur materia actualis ab omni alio. Minor principalis argumenti confirmatur: posse per modum subiecti constituere dicta cõposita est posse per modum subiecti vniri cum formis substantialibus possibilibus ab his agentibus naturalibus; posse autem vniri his formis non includit potentiam sustẽtatiuam harum formarum, vel accidentium; ergo posse per modum subiecti constituere hæc composita non includit essentialiter potentiam sustentatiuam. Secunda propositio probatur, vniri per modum subiecti cum his formis non est illas sustentare; neque enim vnio est formaliter sustentatio: nam etsi materia per modum subiecti vniatur animæ rationali, non sustentat illã; quod adeo verum est, vt multi, & quidem satis probabiliter putent, vnionem materiæ etiam cum forma materiali distingui realiter à sustentatione.

41 Dices materia hæc, & potentia vnitiua respicit formas materiales existentes, quæ sunt sustentabiles: ergo est essentialiter sustentatiua.

Nego

Nego consequentiam; nam ex eo quod respiciat formas sustentabiles, sequitur quidē, quod sit sustentatiua, at inde malè infertur, quod essentialiter includat dictam potentiam. Neque verò materia essentialiter considerata respicit has formas formaliter vt sustentabiles, sicuti non respicit formaliter exercitium sustentationis, sed vnionis.

42 Dices secundò, non repugnat materia, quæ respiciat has formas, & has vniones, quas respicit nostra materia, & tamen nequeat illas formas, & vniones sustentare: ab ea materia non distingueretur hæc nostra, nisi per potentiam sustentatiuam: ergo verè potentia sustentatiua harum vnionum, & formarum est de essentia materiæ actualis. Nego primam partem antecedentis; repugnat enim vniones, quæ sunt actuale exercitium huius materiæ, easdem, vel alias eiusdem speciei respici ab alia materia possibili diuersæ speciei, & esse illius actuale exercitium; aliter ex suo conceptu non tam essent actuale exercitium huius materię, & eius actuatio, quàm formæ indifferentes ad hanc, vel illam materiam. Igitur sicuti hæ vniones, vt tales, non sunt formaliter sustentationes, sed exigunt sustentari, ita in materia, quam actuant, non supponunt formaliter potentiam sustentatiuam, sed vnitiuam, talem, quę nimirùm sit radix potentiæ sustentatiuæ; quod non competeret materiæ, quam fingunt possibilem aduersarij.

Potentia vnitiua in hac materia est radix sustentatiuę.

43 Dices tertiò, gratis fingis in hac materia prædicatum radicis potentiæ sustentatiuæ; neque enim datur in hac materia prędicatum aliquod veluti antecedens, & proprium illius, quod trahat potentiam sustentatiuam: ergo potentia sustentatiua non est proprietas huius materiæ radicata in eius essentia, sed prima differentia essentialis. Nego antecedens, & rationē in contrarium assumptam; nam in hac materia datur primarium illud prędicatum, nempè posse per modum subiecti constituere cum his formis substantialibus hæc corpora naturalia; & quia ad id est necessaria potentia sustentatiua, qua sustententur ab hac materia vniones ad dictas formas, & ipsæ etiam formæ, excepta anima rationali; ideò illa primaria potentia constituendi totum suipsa exigit, & est radix potentiæ sustentatiuę.

Potentia sustentatiua nō constituit hāc materiam subiectum.

44 Dices quartò esse respectu formæ speciale requisitum, est, vt vidimus, de essentia subiecti: sed respectu huius subiecti, & materiæ, ratio specialis requisiti est potentia sustentatiua: ergo potentia sustentatiua est de essentia huius materiæ. Distinguo minorem, est vnicè potentia sustentatiua, nego; non vnicè, concedo. Potentia sustentatiua constituit quidem materiam speciale requisitum respectu formarum materialium, & vnionum; at non vnicè; quia hæc materia in priori ad potentiam sustentatiuam, est radix dictæ potentiæ, & magis indifferens ad formas, & vniones, quam sint formæ, & vniones respectu ipsius. Ergo in priori ad potentiam sustentatiuam habet rationem specialis requisiti sufficientem ad constitutionem subiecti; ergo in priori ad potentiam sustentatiuam est subiectum: quare potentia sustentatiua non accedit ad constituendum subiectum, sed est mera proprietas huius materiæ; neque verò omne, quod potest constituere subiectum speciale requisitū, est de essentia subiecti, sed quod primo tribuit illi hoc prædicatum, qualis est dicta indifferentia, & radix potentiæ sustentatiuæ.

45 Dices tertiò, potentia vnitiua, non radix potentiæ vnitiuæ est de essentia materię in communi: ergo potentia sustentatiua non radix potentię sustentatiuæ est de essentia materiæ actualis: aliter cur non saluatur essentia huius materiæ per radicem radicis. Nego consequentiam; quia positiuè probauimus aliquam potētiam formalem esse de essentia materiæ in communi; at positiuè etiam probauimus potentiam sustentatiuam non esse de essentia huius materiæ. Radix autem radicis sine fundamento fingitur in materia actuali cum periculo procedendi in infinitum in radicum radicibus.

46 Dices sextò, duo sunt connotata materiæ actualis, videlicet vnio, & sustentatio: ergo duo sunt eius prædicata potentia videlicet vnitiua, & sustentatiua; ergo prędicatum illud radicis gratis asseritur. Distinguo antecedens, duo sunt connotata materiæ actualis, vnio quæcumque, nego, talis, concedo: & distinguo primum consequens, duo sunt prædicata huius materiæ, potentia vnitiua qualiscumque, nego, talis, concedo primam, & nego absolutè secundam consequentiam: potentia vnitiua, quæ est de essentia huius materiæ, est talis potentia vnitiua, nempè respiciens has vniones, quæ licet non sint sustentatio, exigunt sustentari: ergo illa potentia vnitiua, etsi formaliter non sit sustentatiua, est tamen radix exigens sustentatiuam. Quare esse radicem potentiæ sustentatiuę, non est prædicatum diuersum ab hac potētia vnitiua; sicuti in homine esse radicem risibilitatis, non est prædicatum diuersum à rationalitate hac. Si igitur bene attendamus connotata materiæ satis proportionatè correspondent in nostra sententia prædicatis eiusdem, & exercitia potentijs.

47 Dices septimò, potentia vnitiua, & sustentatiua huius materiæ habent idem specificatiuum, nempè formam, vt perfectiuam subiecti: ergo sunt formaliter vna potentia. Nego antecedens, & negationis ratio patet ex dictis; nam potētia vnitiua specificatur à forma vt vnibili, at sustentatiua à forma vt sustentabili: essentia tamen materiæ est ad formam formaliter vt vnibilem, non vt sustentabilem; quia formaliter respicit, vt proprium exercitium vnionem cum formis, non sustentationem.

Nulla potētia ad formas accidētales est de essentia metaphysica materiæ.

48 Dico secundò, nulla potentia ad formas accidentales, quæ sunt dispositio ad formā substantialem, est de essentia materiæ actualis. Ratio facilè colligitur ex dictis, quia satis hac

ma-

materia in sua essentia constituitur per potentiam vnitiuam iam explicatam; quare potentiæ, ad formas accidentales dictas, ad quas secundariò ordinatur hæc materia, erunt eius proprietates radicatæ in dicta potentia vnitiua. Quod si fingas possibilem materiam, quæ respiciat has formas, sed non vt disponenda ad illas per accidentia; ea profectò distinguetur à præsenti materia, quia hæc respicit has vniones ad easdem formas, quæ vniones tamen ex natura sua exigunt subiectum prauiè dispositum per accidentia; ac proindè supponunt in hac materia potentiam vnitiuam, quæ exigat potentiam ad formas illas accidentales, quod nō competit materiæ illi possibili. Quod si rursus fingas possibilem materiam, quæ habeat potentiam tantùm vnitiuam formarum substantialiū, sed accidentalium etiam sustentatiuam; neque respectu huius materiæ esset prædicatum essentiale potentia ad accidentia propter allatas rationes. Locutus sum de accidentibus, quæ disponunt: nam de accidentibus, quę omnibus sunt communia, qualis est duratio, vbicatio, & similes, est quæstio vniuersalior, nec huius loci, quamuis ex dictis facilè colligi possit potentiam passiuam ad hęc accidentia esse in omnibus creaturis prædicatum secundarium.

49 Obijcies cum Gratino potentia ad finē essentialiter includit potentiam mediorum: sed forma substantialis est finis, accidentia sunt media: ergo potentia materiæ ad formas accidentales essentialiter includitur in potentia ad formas substantiales: ergo si materia est essentialiter potentia ad formas substantiales, est etiam essentialiter potentia ad formas accidentales. Maior probatur, intentio efficax finis est essentialiter volitio efficax mediorum, aliter non esset cur illa intentio deberet supponere possibilitatem mediorum: ergo potentia finis essentialiter includit potentiam mediorum. Nego maiorem; nam media sunt potentia, & causa finis, neque tamen sunt potentia causatiua sui. Ad probationem in contrarium permisso antecedente, nego consequentiam: quia intentio efficax comparatur ad finem, vt causa intentionalis adæquata, aliter non esset absolutè efficax: ergo debet esse volitio non solùm finis, sed etiam causarum, quæ sunt ad finis consecutionem necessariæ. At in casu nostro non considero potentiam omninò adæquatam finis, sed veluti inadæquatam, potentiam videlicet cui immediatè vnitur forma, non autem omnia ea, quæ mediatè, ac indirectè requiruntur ad illam vnionem: & de hac potentia dico, & quod sit essentialis materiæ, & quod non includat formaliter potentiam ad accidentia, seu media.

50 Obijcies iterum radix potentię ad accidentia non est de essentia compositi actualis: ergo neque actualis materię. Nego antecedēs, nam sicuti compositum substantiale actuale est radix accidentium, & aliorum; ita radix potentiæ ad accidentia est de essentia huius compositi substantialis: radix autem hæc est potentia ad has vniones.

SECTIO QVINTA.

De appetitu materiæ ad formas.

1 APpetitus propriè est actus, quo viuēs intellectuale, vel sensitiuum fertur in bonum sibi per cognitionem propositum; transfertur autem ad significandum propensionem illam, qua res etiam insensatæ, veluti quodam naturali pondere feruntur in bonum sibi proportionatum: talis est inclinatio lapidis ad quiescendum in centro, à quo si remoueatur, & vim patitur, & vim infert impedientibus motum deorsum, & dictam quietem: vt patet in eo, qui lapidi extra centrum posito humeros supponit. Hic dicitur appetitus innatus, quia simul cum re nascitur, ad distinctionem eliciti, qui est actus procedens à voluntate, & ab illa separabilis.

Quid, & quotuplex sit appetitus.

Alius elicitus, alius innatus.

2 Dari defactò huiusmodi appetitum benè, præter experientiam, probat Lynceus multis authoritatibus *tract. 4. cap. 1.* nobis sufficiat illud Psalm. 103. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi*, & infra; *Omnia à te expectant, vt des illis escam*: bruta autem à Deo, quem non cognoscunt, non possunt aliquid expectare appetitu elicito; restat ergo vt expectent, & exspectant appetitu innato, ac naturali ab Artifice sapientia directo, quem rugitu indicant catuli leonum. Necessarius est hic appetitus ad rerum conseruationem, vt debita sibi bona appetentes, dum illa obtinent, detineantur in esse.

Datur appetitus innatus.

3 Iam verò appetitus alius primò est actiuus in causa efficiente ad aliquid faciendum; alius passiuus in subiecto ad aliquid sibi vniendum, vel sustentandum. Et vterque secundò alius est inefficax, & remotus, entitas videlicet rei cum inclinatione ad aliquid; sed destituta circumstantijs ad illius consecutionem necessarijs, hoc modo lapis violenter funibus detentus in aere, habet appetitum innatum remotum ad quietem in centro. Cæterum hic appetitus non exigit coniunctionem effectus cum illis impedimentis; sed effectum secundum se, & ne sint illa impedimenta; neque lapis exigit descensum ad centrum coniunctum cum violenta detentione, sed quietem in centro, & liberationem à vinculis. Ratio est: quia illa coniunctio est impossibilis; ac proindè non potest esse terminus appetitus ordinati, qualis est innatus. Alius est efficax, seu proximus, entitas videlicet rei cum inclinatione, & reliquis circumstantijs requisitis ad consecutionem finis appetiti; vt, si lapis expediatur vinculis, quibus detinebatur. Et ad hunc appetitum, si efficacia sit completa, & absoluta, sequitur necessariò effectus.

Appetitus alius actiuus, alius passiuus: alius efficax, alius inefficax.

4 Tertiò diuiditur in appetitum per modū simplicis amoris, desiderij, & complacentiæ, seu gaudij; quę diuisio propriè cadit supra appetitum

Appetitus per modum simplicis amoris, desiderij, & complacentiæ, seu gaudij

petitum elicitum; accommodari autem potest etiam innato: simplex amor, est actus, quo voluntas approbat bonum propositum; sed præscindit ab eius præsentia, vel absentia; ideoque formaliter non tendit in eius acquisitionem, neque supponit illud acquisitum: huic correspondet in appetitu innato inclinatio in bonum proportionatum secundum se considerata. Desiderium, est actus, quo volūtas tendit in boni propositi consecutionem; cui appetitui potest correspondere in innato inclinatio completa. Demum complacentia est actus, quo voluntas approbando bonum iam possessum in illo quiescit. Huic nihil simile correspondet in appetitu innato; neque enim postquam causa naturalis acquisiuit finem internum, elicit aliquem actum positiuum, quo de illo veluti gaudeat, sed ad summum negatiuè in illo quiescit, dum aliud non quærit. His positis.

5 Quærimus vtrum materia actualis habeat aliquem appetitum, & cuiusmodi ille sit.

Materia appetit vnionem ad formā substantialem

6 Dico primo, materiam appetere vnionem ad formam substantialem, & consequenter ipsam formam substantialem. Probatur: hæc vnio cum suo termino est bonum proportionatum materiæ; ergo materia illam appetit.

Et secundū suum esse vnionem ad omnes formas possibiles.

7 Dico secundo, materia considerata secundum suum esse intrinsecum appetit vnionem ad omnes formas possibiles, cum quibus potest facere vnum; idque simul, & determinatè; non quia appetit habere simul omnes illas vniones, & formas substantiales; nam ea simultas, vtpotè impossibilis, non potest esse terminus appetitus naturalis; sed quia cum appetitu ad vnam formam stat appetitus ad aliam. Sicuti quamuis amor, & odium non possint componi, potentia tamen ad odium benè componitur cum potentia ad amorem. Probatur: materia secundum se considerata appetit formam, & vnionem ad illam: sed non appetit potius vnam, quàm aliam; neque enim est ratio maior de vna, quàm de alia: ergo simul modo dicto determinatè appetit omnes, simultate videlicet, & determinatione se tenente ex parte ipsius appetitus, non ex parte terminorum. Et quia hic appetitus est identificatus cum materiæ entitate, materia, etiam dum est sub vna forma, appetit modo dicto reliquas: est autem huiusmodi appetitus per modum simplicis amoris, quia est ad formas secundum se sine vlla determinatione ad habendum potius vnam, quàm aliam. Ex dictis autem iam patet falsam esse illā propositionem, *Materia appetit determinatè formam ignis, si non habeat, vel non possit habere alias*, quia, vt vidimus, etiam si habeat alias, determinatè appetit formam ignis.

8 Hinc reijcio illos, qui distinguunt inter exigentiam, & potentiam, & asserunt materiā per potentiam determinatè respicere omnes formas, non autem illas determinatè exigere. Reijcio, inquam, quia sicuti potentia huius formæ coniungitur cum potentia ad alias, sed non est potentia simultatis illarum; ita exigentia huius formæ coniungitur cum exigentia aliarum, sed non est exigentia simultatis. Sicuti autem potentia actu expletur per vnam tantùm formam, ita & exigentia. Vbi notandum est benè stare, quod appetitus non sit ex se determinatus ad vnam partem earum, neque ad omnes simul habendas, & nihilominus non sit conditionatus: Deus enim connectitur cum luce, vel non luce, neque connectitur cum non luce, ex suppositione, quod nō sit lux; id enim supponit non lucem esse conditionem præcedentem ad non lucem; eodem modo voluntas connectitur indeterminatè cum amore, vel odio; non ideò amat ex suppositione, quod non oderit, sed absolutè amat, cum possit non amare, & posse odisse.

Appetitus materiæ nō est infinitè perfectus.

9 Obijcies primo, materia determinatè appetens omnes formas, appetit infinitas; ergo est infinitè perfecta, consequentia probatur, quia maior est perfectio materiæ appetentis tres, quàm vnam formam, & maior appetentis 100. quàm 50. ergo quæ appetit infinitas, habet infinitam perfectionem. Nego consequētiam: ad probationem, nego item consequentiam, quæ si benè procederet, probaret animam rationalem esse infinitam in perfectione, quia potest sine termino nouas, & nouas intellectiones exercere, ac exigit sine fine durare. Ex hac igitur calculatione non potest inferri infinita perfectio; quia etsi perfectio ex allato capite crescat, illud autem augmentum semper includit intrinsecam limitationem, ratione cuius maior incomparabiliter est perfectio, qua res caret, quàm sit illa, qua gaudet. Ex quo benè communiter docent Auctores, augmentū illud non inferre, nisi quandam superioritatem ordinis ex sua essentiali ratione inadæquabilem á finitis in infinitum ordinis inferioris; semper tamen ille ordo, quantumuis superior erit finitæ perfectionis, vtporè infinitè recedens ab infinita Dei perfectione. His adde per modum subiecti vniri formis esse potiùs imperfectionē, quàm perfectionem.

Angelus cōprehendens materiam, quo modo cognoscat infinitas formas.

10 Obijcies tertio, ergo Angelus comprehendens materiam cognoscit infinitas formas. Primo, formæ possibiles non sunt infinitæ, sed finitæ in infinitum. Secundo, non est necesse, vt cognoscat distinctè infinitas formas possibiles, sed satis est si confusè illas attingat: neque verò necesse est, vt Angelus perfectissimè comprehendat materiam, sed satis est, si sua cognitione adæquet cognoscibilitatem veluti actiuam illius per cognitionem, quæ sit perfectissima omnium, quas potest obiectum per se ipsum, vel per species à se immissas, vel per alias causas supplentes vicem obiecti, excitare; vt fusiùs dicam tractatu de Deo.

11 Obijcies quarto, ergo materia dum est sub forma ignis machinatur illi malum appetendo alias formas. Respondeo, non machinari efficaciter, quia non efficaciter appetit alias formas; quod autem ea capacitas, & appetitus sit aliquo modo noxius formæ præsenti sine absurdo conceditur.

Dico

12 Dico secundo, si effectus indiuiduatio determinatur à complexo circumstantiarum, materia vltimo disposita ad formam ignis appetit appetitu desiderij efficaci hanc determinatam formam ignis, quia determinata est ad illam habendam. At si indiuiduationis determinatio sit à Deo, materia determinatè appetit omnes formas ignis determinatione se tenente ex parte appetitus, quia non est ratio cur potius appetat hanc, quam illam: sed non determinatione ex parte termini, quia non appetit, vt omnes determinatè, ac simul ponantur. Hic appetitus est per modum desiderij efficacis, efficacis quidem quia coniungetur cum effectu; desiderij autem, quia est de re non dum habita. Sicuti efficacis desiderij appetitus est; quo materia in priori naturæ ad conseruationem, appetit determinatè conseruare formam, quam habet: quia in eo priori non intelligitur conseruare illam, sed determinata ad conseruationem in sequenti signo ponendum.

Materia non magis appetit formas nobiliores.

13 Quares primò: vtrum materia secundū se considerata magis appetat formas nobiliores? Respondeo negatiuè; alioquin dum est sub forma ignobiliori, esset in statu quodam violento; quia non dum adæquatè satisfactum est eius exigentiæ: ideoque appeteret expulsionem formæ præsentis, vt introduceretur nobilior. Finis igitur materiæ est componere totum substantiale, quod æquè bene obtinet per formam minus, quàm magis nobilem.

14 Vrgebis, quod est perfectius est magis appetibile: ergo materia magis appetit formas perfectiores. Distinguo antecedens, est magis appetibile in se, transeat à causa, quæ æquè obtinet suum finem per magis, ac minùs perfectum, nego. Ille enim excessus esset inanis: res autem in casu nostro secundo modo se habet. Quod si fingas in materia appetitum veluti rationalem directum à cognitione; futurum, in ea suppositione esset, vt appetere posset magis formas perfectiores, quàm imperfectiores: non enim frustra tunc proponeretur materiæ per cognitionem maior perfectio vnius formæ supra aliam, si non posset ea cognitione media magis inclinari ad amandam perfectiorem, quæ ratio non militat in appetitu innato, qui non directus à cognitione magis, vel minus inclinante, æquè appetit quod est sibi æquè bonum quoad suum finem.

15 Quares secundò: vtrum materia appetat formas etiam secundum gradum indiuidualem? Respondeo affirmatiuè, quia intendit facere totum aliquod non solùm in genere, & specie, sed etiam indiuiduū; cum omne aliud repugnet.

16 Quares tertio: vtrum possibilitas formæ sit pars appetitus materiæ? Respondeo, si possibilitas formæ est quid distinctum à causa formæ, eam possibilitatem non esse partem appetitus, qui adæquatè identificatur cum ipsa entitate materiæ, qua seipsa potest facere totum; si verò possibilitas completa sit causa completa effectus, & materia sit formæ causa; possibilitas incompleta formæ est ipsissima materia, ipsissimus eius appetitus, vt patet consideranti.

SECTIO SEXTA.

Vtrum possibilis sit materia corporea addicta formis spiritualibus?

Rationes probantes repugnare materiem corpoream addictam formis spiritualibus

1 SErmo est de materia, quæ ex natura sua solùm habet posse vniri formis spiritualibus ad constituendum vnum cum illis. Partem negatiuam multis mussitantibus olim secutus sum. Nunc proponam rationes, quibus mouebar ad negandam illam possibilitatem; decisionem relinquo iudicio lectoris. Vrgebam igitur: illa materia non potest respicere formas spirituales, quæ defacto dantur, quia hæ formæ sunt ex natura sua institutæ, vt creentur quidem à Deo, sed in materia disposita virtute agentis naturalis, ad constituendum compositum, primo generatum ex præcedente aliquo composito cōstante forma materiali; secundò corruptibile per aduentum formæ item materialis: ergo formæ spirituales, quæ defacto dantur sunt ineptæ constituere vnum cum materia illa possibili, de qua loquimur, & esset incapax recipiendi formas materiales.

2 Neque potest illa materia recipere formas alias spirituales diuersæ speciei ab his, quæ defacto dantur; nam, præter quam quod non ita facilè præsumenda est possibilitas illarum formarum; vel illæ formæ possent existere separatæ ab illa materia corporea, vel non; si secundū gratis assumuntur, & asseruntur spirituales, & absolutè penetrabiles; cum ex natura sua exigerent semper vniri materiæ, & constituere substantiam corpoream; certè non essent magis spirituales, ac est forma ignis; cum æquè exigerent vnionem cum materia, ac forma ignis, & æquè ab illa dependerent, vt clarius patebit ex ijs, quæ dicam de causa materiali; si dicatur primū, vrgeo, quia non potest explicari quomodo possint naturaliter separari ab illa; nam vel possunt virtute agentis naturalis inducentis formam oppositam materialem? & hoc est falsum, quia illa materia non est naturaliter capax formæ materialis, vel virtute agentis naturalis inducentis aliam formam spiritualem oppositam: & hoc etiam videtur falsum; quia non videtur quomodo agens constans forma spirituali possit per suam actionem inducere suā formam in passum, quod item constet forma spirituali; neque enim potest fieri per cibus sumptionē, quasi verò agēs vtatur tamquam cibo dicto passo, illudque vel eius partes conuertat in suam substantiam; primo quia cibus si sit viuens, debet ante sumptionem concidi in partes, occidi, ac deindè conuerti in substantiam agentis: eo igitur medio tēpore ante nutritionem illa materia esset spoliata forma spirituali antiqua, & non dum recepisset nouam spiritualem; quare, vel remaneret contra propriam exigentiam spoliata omni forma substantiali, vel esset sub aliqua materiali; Secundo

cundo, si illa duo essent entia intellectualia, & veluti duæ species hominis, iam quilibet haberet ius occidendi alium, vt inde nutriretur; quod videri debet cuique absurdum. Neque dicas illa viuentia posse nutriri alijs corporibus; nam & id falsum est, vt infra dicam: & iam agens illud non posset nutriri illo passo, & introducendo suam formam, expellere antiquam spiritualem.

4 Neque dici potest, quod agens materiale constans forma spirituali opposita possit destruere illud passum constans item forma spirituali per iuxta positionem; eo modo, quo ignis positus iuxta stupam, illam comburit, & in se conuertit: quia illa duo entia vtpotè constantia forma spirituali essent intellectualia; suppono enim substantiam spiritualem necessariò esse intellectiuam; ergo ex institutione naturæ vnum ens intellectuale ad propagandam suam speciem ordinaretur ad destructionem alterius, ac proindè posset illud vtpotè à natura subiectum suæ actioni ad dictum finem licitè occidere; quod nescio vtrum quis concesserit.

5 Demum non potest dici, quod illa forma spiritualis posset naturaliter separari à materia, quia exigit illi vniri ad determinatum tempus, v. g. ad decennium, quo elapso exigat naturaliter separari, & esse extra materiã; quia cum forma illa spiritualis, vtpotè substantia incompleta, respiciat materiam vt suum bonum, & substantiale complementum, non est cur illud bonum exigat ad tantum tempus, & non maius; eoque elapso exigat non expulsa separari. Hæc profectò sine ratione finguntur naturaliter euentura contra conceptum modi naturaliter procedendi, quem experientia, & ratione ducti formamus.

6 Preterea illæ formæ deberent esse intellectuales; ac proindè vnitæ materiæ deberent constituere viuens sensitiuum aptum augeri, & nutriri, vt constat ex anima rationali; pero ergo quo cibo nutrirentur illa viuentia, non alijs corporibus constantibus diuersa specie materia; quia, vt constat inductione, & ratio docet, ad constituendum vnum viuens debet materia nutrimenti continuari cum materia nutriti; materiæ autem diuersæ speciei non possunt continuari. Neque possent nutriri corporibus, quę constant materia eiusdem speciei, propter supra indicatum absurdum: quia illa corpora essent entia intellectualia.

7 Dices primo, si formæ illæ spirituales ponantur non intellectiuæ, iam cessant argumenta facta. Sed contra, si formæ illæ substãtiales spirituales non essent intellectiuæ, quid quæso te separatæ agerent? essent prorsus otiosæ? proprium enim munus substantiæ spiritualis, est intelligere, & velle.

8 Dices secundo, materiam illam habituram determinatum tempus suæ durationis, quo elapso destrueretur; & forma spiritualis remaneret soluta vinculis corporis. Sed contra, quia substantiæ præsertim completę, qualia essent illa composita, habent in natura rationem finis, qui ex natura sua debet esse stabilis; aliter irrationabiliter in eo quiesceret intentio agentis; ergo absurdum putari potest, & debet, quod illa composita, & eorum materia exigant ad tempus determinatum durare.

9 Dices tertio, potest dici, quod illæ formę exigant post aliquod tempus separari à materia, quę deindè perseueret spoliata omni forma. Sed contra, quia iam substantia completa ratione formæ ex suis intrinsecis exigeret desitionem sui, quod probauimus esse falsum. Secundo quid præstaret materia illa separata cum impotentia ad constituendum deinceps aliquod totum?

10 Dices quarto, formas illas spirituales semel in materia creatas non posse naturaliter ab illa separari; at separatæ possent naturaliter conseruari, quod sufficit ne dicantur materiales. Sed contra, quia natura ipsa rerum exigit, vt semel productæ illæ formæ non separentur à materia, & illi vniantur per totam æternitatem: contra hanc autem exigentiã est, quod conseruentur extra materiam; ergo illarum conseruatio extra materiam non potest iuxta hanc responsionem esse naturalis. Hæc, quæ pro impossibilitate huius materiæ diximus, fundantur in conceptibus nutritionis, separationis naturalis, & similium; quos ex inductione, & experientia, ductu luminis naturalis formamus; & quibus præcisis nihil certi possumus de rebus non solùm actualibus, sed etiam possibilibus decidere.

11 Quia verò hæ rationes non militant in materia addicta formis materialibus, fortassè non repugnat dicta materia; quæ tamen non posset vniri formis materialibus, quæ defacto dantur; neque his accidentibus disponi quia videlicet hæ formæ, & hæc accidentia ordinantur ad disponendam, & informandam materiam aptam vnioni cum forma spirituali.

SECTIO SEPTIMA.

De causis materiæ primæ.

1 LOquimur de materia actuali, quam existere supra probauimus, & cuius essentiam iam explicauimus. Certum autem est eius causam efficientem esse solum Deum, vt colligi potest ex dictis, & ab eo creatam initio mundi subiectamque, tamquam commune adminiculum, actionibus agentium naturalium. Certum item est nullam esse eius causam materialem, aliter non esset primum subiectũ, sed supponeret aliud ante se. Causa autem eius finalis est compositum substantiale, generabile, & corruptibile. Demum si strictè loqui velimus, nullam habet causam formalem; est enim ens essentialiter physicè simplex, licet admittat compositionem integralem. Solùm igitur quæri potest de causa formali constitutiua illius, non in ratione essentiæ, sed existentis. Vt autem clariùs procedamus, sit

SVBSECTIO PRIMA.

Quæ existentia constituat materiam formaliter existentem.

2 THomistæ sequuti Gaetanum docent materiam non habere propriam existentiam, qua formaliter reddatur existens, sed talem formaliter fieri ab existentia formæ, ita videlicet, vt per formam ignis, v.g. non solùm materia constituatur ignita, sed etiam existens. Supponūt autem necessariò essentiam distinctā ab existentia; si enim identificantur, sicut materia habet propriam essentiam, ita necessariò deberet habere existentiam distinctam ab existentia formæ. Essentia sunt ipsa prædicata essentialia rei; existentia verò est forma ea, ratione cuius absoluté verificatur rem esse. Contrariam opinionem docent Scotistæ, quos communiter vno, vel altero excepto sequuntur Auctores nostræ Societatis; cum his igitur

Materia habet propriam existentiā distinctā ab existentia formę.

3 Dico materiam actualem habere propriam existentiam distinctam ab existētia formæ. Probatur, quod tantum ratione sui est formaliter, & immediatè possibile, non potest existere nisi per existentiam propriam: sed data distinctione essentiæ ab existentia adhuc materia tantùm ratione sui est formaliter; & immediatè possibilis, sicuti tantum ratione sui formaliter non est chimæra, & formaliter, ac immediatè habet suam essentiam: ergo data distinctione essentię ab existentia, materia non potest existere nisi per existentiam propriam. Maior probatur, quod tantum ratione sui, immediatè, & formaliter est potens existere; nō potest existere nisi per propriam existentiam: sed quod tantum ratione sui est formaliter, & immediatè possibile, tantum ratione sui est formaliter, & immediatè potens existere; posse enim existere, & esse possibile sunt vnus cōceptus: ergo quod tantum ratione sui est formaliter, & immediatè possibile, non potest existere nisi per propriam existentiam. Maior probatur: si aliquod potest existere aliena existentia, non tantùm ratione sui, est immediatè, & formaliter potens existere, sed ab alio habet posse existere; sicuti, quod potest aliena intellectione intelligere, non tantum ratione sui habet immediatè, & formaliter posse intelligere, sed ratione alterius, seu medio alio. Confirmatur, & explicatur: quod potest aliena existentia existere constituitur formaliter possibile, seu potens existere per possibilitatem alienam: ergo non tantum ratione sui, est formaliter, & immediatè possibile, & potens existere: antecedens probatur, aliena existentia est actus proprius, & immediatus alienæ possibilitatis non proprie, aliter potius esset propria, quàm aliena existentia: ergo quod existit aliena existentia, non habet respectu talis existentiæ immediatam, & formalem possibilitatem: ergo quod existit aliena existentia, non est tātum ratione sui formaliter, & immediatè possibile: sed materia tantum ratione sui est immediatè, & formaliter possibilis: ergo, &c.

4 Vt autem vis huius argumenti facilius percipiatur; habendum primò præ oculis est, supposita distinctione essentiæ ab existentia, prædicata essentialia cuiusque rei creatę per se formaliter esse possibilia, & quamlibet rem sicuti habet suam essentiam, & prædicata essentialia distincta à prædicatis essentialibus aliarum rerum, ita se ipsa formaliter habere suam possibilitatem distinctam à possibilitate cuiusque alterius rei: secundò idem formaliter esse, rem esse possibilē, & posse realiter existere; ex quo infero, quod sicuti quęlibet res habet ex se suam possibilitatem, qua immediatè, & formaliter constituitur potens existere; ita cuilibet debet respondere actus proprius, & non alienus, quod sit immediatum exercitium illius capacitatis, & potentiæ: profectò aliud non est rem esse ratione sui immediatè, & formaliter possibilem, quam posse actuari per existentiam, quæ sit eius immediatum exercitium; neque aliud existentiam esse propriam alicuius possibilitatis, quàm esse immediatum illius exercitium.

5 Dices materiam habere capacitatem existendi mediatè, mediante videlicet alia re. Sed contra: quia hoc est non habere immediatam capacitatem existendi, sed mediatam; sicuti autem quęlibet res est per se immediatè formaliter ens; ita debet per se immediatè posse existere, & defacto existere: & sanè nullum video efficacius argumentum inferendi distinctas rerum existentias, quam distinctionem essentiarum.

6 Ex dictis infero primò: quolibet ens possibile essentialiter habere, posse existere per existentiam propriam, sicuti formaliter per se habet, esse possibile. Et confirmatur quod non potest á se efficienter habere existentiam, non est efficienter possibile á se, sed ab alio: ergo, quod formaliter nō habet ratione sui posse existere per proprium actum, non est formaliter, & ratione sui possibile.

De essentia formę non est esse actum entitatiuū, si existentia distinguitur ab essentia.

7 Secundò, de ratione essentiæ formæ nō esse existentiam, seu actum entitatiuum supposita distinctione: quia ea distinctione posita in statu essentiali, vt ita dicam, forma habet suā essentiam, non tamen existentiam: quare si de essentia materiæ est esse potentiam, de essentia formę esse actum, non indè infertur existere esse proprium formæ, non materiæ; actus igitur, qui est de essentia formæ, non est actus entitatiuus, & existentię, seu metaphysicus, vt aliqui loquuntur; sed alius supra explicatus, cum assignauimus discrimen inter formam, & subiectum, & hanc rationem actus formalis, seu physici excludit potentia, quæ est essentia materiæ.

Repugnat aliquod existere per alienā existentiam.

8 Tertiò infero, repugnare, quod aliquod ens existat per alienam existentiam: probatur possibilitas vnius rei nō potest formaliter reddere possibilem aliam rem, sed quælibet for-

mali-

maliter est possibilis per suam propriam possibilitatem, & essentiam, supposita distinctione: ergo existentia vnius non potest reddere formaliter existentem aliam rem, sed quelibet redditur formaliter existens per propria existentiam. Et ratio à priori est, quia quælibet possibilitas est ex intrinsecis suis determinata ad propriam existentiam, cuius per se ipsam formaliter est capax, & per quam formaliter veluti exercetur: ergo non potest reddi existẽs per alienam, respectu cuius nullam habet capacitatem, neque potest per illam immediatè actuari; sicuti enim nullum principium potest immediatè reddi formaliter producens per actionem alienam, & non sibi propriam, & nullum immediatè, & ratione sui cognoscitiuum reddi formaliter cognoscens per alienam cognitionem, nec immediatè volitiuum reddi formaliter volens per alienam volitionem, ita nullum immediatè, & ratione sui possibile, seu potens existere reddi formaliter existens, nisi per propriam existentiam; neque enim minùs est exercitium potentiæ productiuæ, cognoscitiuæ, & volitiuæ, productio, cognitio, & volitio, ac possibilitatis existentia. Et sanè aliud non est ratione sui esse immediatè, & formaliter possibile, quam posse actuari per existentiam, quæ sit eius immediatum exercitium; neque aliud existentiam esse propriã alicuius possibilitatis, quam esse immediatè illius exercitium.

Sicuti & duo per eã dem existẽtiam.

9 Infero 4. probabiliter repugnare duo realiter distincta existere per eandem existentiam: probatur duo realiter distincta nequeunt habere eamdem essentiam, & possibilitatem: ergo nequeunt habere eandem existentiam; aliter illorum neutrum haberet tantum ratione sui posse formaliter existere; & esse ens possibile, sed etiam ratione alterius.

10 Confirmantur omnia supradicta, etiam admissa distinctione debemus de existẽtijs rerũ discurrere cum proportione, quã possumus maxima ad essentias, & possibilitates; sunt enim existentiæ primus actus essentiarum maximè illis bonus: quare benè essentiæ, & possibilitates sumi possunt pro regula veluti a priori determinante prædicata existentiarum; cum præsertim ens absolutè dictum includat non minus essentiam, quàm existentiam: ergo dum nihil obstat, debemus dicere diuersas essentias esse fundamentum essentiale diuersarum existentiarum: neque eamdem rem esse indifferentem ad diuersas existentias: ne dicamus, quod Angelus modo sit hoc ens, modo illud: sed in casu nostro nihil obstat, vt patebit ex solutione argumentorum, ergo, &c.

11 Vrgebis, possunt duo termini modo produci per duas actiones, modo per vnam: & duo principia, modo concurrere ad vnum effectum, modo ad duos per duas actiones; ergo poterunt duæ essentiæ existere, modo per duas existentias, modo per vnam. Nego consequentiam, quia non spectat ad constitutionẽ entis absolutè dicti actio productiua, sicuti spectat existentia: quare stante identitate actionis, adhuc illi termini sunt absolutè duo entia, non autem stante identitate existentiæ. Rursus sicuti quælibet res habet formaliter posse esse per suam essentiam, & non per aliud, ita habet formaliter existere à suo actu proprio suæ ipsius essentiæ, & non per actum alienum, vel communem. At principium non habet per seipsum formaliter posse adæquatè producere; quare mirum non est, si possit actione communi simul cum alio principio concurrere ad productionem eiusdem, vel plurium terminorum. Sunt alia, nec pauca, nec lenia argumenta, quibus probari posset propria existentia materiæ, verum quia illa passim occurrunt apud Auctores, ad eos temporis angustijs pressus lectorem remitto.

SVBSECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primo, materia est pura potentia, ergo nullum habet actum. Aliter non esset pura potentia, vt communi plausu affirmant Philosophi: sed existentia est aliquis actus; ergo materia nullam habet existentiam.

2 Distinguo antecedens, materia est pura potentia essentialiter, concedo; radicaliter, nego antecedens: & distinguo consequens: excludit omnem actum á constitutione suæ essentiæ, concedo; simpliciter, & absolutè, nego consequentiam, & data minori, distinguo secundũ consequens: non habet existentiam sibi essentialem, concedo; absolutè nullam; nego consequentiam: data distinctione essentiæ ab existentia, quam supponunt aduersarij, materia in suis prædicatis essentialibus nullum includit actum, neque formalem, neque entitatiuum, quare essentialiter est pura potentia: radicaliter autem habet actum: quia exigit existere per existentiam propriam distinctam ab existentia formæ, vt probauimus; potentia igitur essentialiter pura non inficitur nisi per actum, qui sit de essentia rei: sicuti homo est essentialiter pura substantia, quamuis habeat multa accidentia, quæ non spectant ad eius constitutionem; & Deus est ens simpliciter necessarium, quamuis habeat plures actus liberos, qui poterant non esse.

Materia essentialiter, & formaliter est pura potẽtia.

3 Quod si non distinguas essentiã ab existẽtia, adhuc materia est pura potentia, quia nullam habet rationem formæ, neque enim datur aliud subiectum prius, respectu cuius materia prima sit forma.

4 Obijcies secundo, materia prima ex se non est in aliqua determinata specie entis: ergo nullum habet actum; aliter per hunc constitueretur in determinata specie: antecedens probatur, si materia esset in specie determinata, esset ens completum. Nego antecedens, *Quomodo materia sit in determinata specie*

& eius probationem; materia enim est in determinata specie entis incompleti; sicut anima rationalis, & quælibet forma substantialis.

Quomodo materia sit infimum entium.

5 Obijcies tertiò: materia actualis est infimum in genere entis; ergo ita est potentialis, vt excludat omnem actum proprium: aliter excogitari potest aliud ens inferius spoliatum, videlicet omni actu proprio. Nego antecedēs; materia enim est substantia: ergo superat omnia accidentia; est ens reale: ergo superat perfectionem omnium modorum etiam substantialium: est ens ingenerabile, & incorruptibile, in quo excedit omnes formas corporeas, etiam substantiales, & sanè maiorem connexionem cum existentia habet ens æternum ingenerabile, & incorruptibile, quam caducū, & temporale: ergo ex hoc titulo existere potiori iure est proprium materiæ, quàm formæ.

6 Est igitur materia ens infimum ad summum, vel quia inter substantias actuales obtinet vltimum locum, vel quia sicuti fundamenta sunt infima pars domus, non quod sint ignobiliora, cum ex S. Paulo nos simus super ædificati supra fundamentum Prophetarum, & Apostolorum, quis autem audeat se perfectiorem Apostolis profiteri? sed quod fundamentis innititur totum ædificium; ita materia dicitur infimum inter entia naturalia, quia cæteris substat. Deindè dato antecedenti, nego consequentiam: eos enim infimum sicuti habet propriam essentiam, & est per se possibile; ita, & propriam existentiam, quam falsò autumāt aduersarij esse vltimum actum participabilem, post quē non sequatur alius; anima enim rationalis iam existens est vlterius perfectibilis, & actuabilis per noua accidētia, & operationes. quin immò, vt colligi potest ex dictis primus actus magis proximus, & immediatus essentię, & possibilitati est existentia.

Subiectum absolutè dictū est materia existens.

7 Obijcies quartò: si essentia distinguitur ab existentia, materia vnitur propriæ existentiæ, per quam existit: ergo antecedenter ad existentiam formæ ex essentia, & existentia materiæ consurgit vnum per se completum ex actu, & potentia; essentia enim materiæ comparatur ad suam existentiam, vt potentia ad suum actum: ergo essentia, & existentia formæ aduenientis sunt extra conceptum vnius per se completi, quod supponunt constitutum: ergo forma est accidens, quod enim aduenit enti substantiali completo est accidens.

8 Nego consequentiam; ratio negotiationis est: quia essentia materię præcisa existentia absolutè non est ens incompletum, sed cum addito diminuente, videlicet ens incompletum secundum quid. Existentia igitur ordinatur non ad constituendam illam ens completum, sed ad auferendam additum diminuēs, & ad constituendam materiam absolutè ens incompletum: sicuti existentia animæ rationalis non constituit cum essentia illius ens completum etiam quando anima est separata, quia non ordinata est ad tollēdum incomplementū, sed additum diminuens; & ad constituendum cum anima rationali absolutè ens: quare sicuti ex essentia materiæ, & formæ vnitis resultat vnum essentialiter completum, quod tamen præcisa existentia absolutè non sit ens, neque substantia, sed ens diminutum, &c. Ita ex existentijs materiæ, & formæ vnitis fit vna existentia adæquata, & ordinata ad tollendū ex illo cōposito rationem entis diminuti, & ad cōstituendū illud ens completū substantiale absolutè dictum.

9 Hinc ad rationem in contrarium distinguo illam propositionem: essentia materiæ comparatur ad existentiam tamquam potentia ad actum, per quem ex non ente absolutè dicto fiat tale, concedo; per quem ex incompleta fit completa, nego: aliquis enim actus, qualis est metaphysicus, & existentiæ respiciens potentiam metaphysicam, & essentiam ordinatur ad reddendum absolutè ens illud, quod ipso præciso non est absolutè tale: quare nō affert formaliter rationem completi, vel incompleti; sed rationem entis absolutè dicti, aliquis verò, qualis est forma, ordinatur ad auferendum incomplementum.

10 Ex quibus patet, in homine non dari absolutè duo composita substantialia, aliud constatum ex duplici essentia, aliud ex duplici existentia: illud enim compositum ex duplici essentia absolutè non datur, aut est; sed talis constituitur per duas existentias vnitas. Vndè vlterius deduco existentias in composito substantiali esse substantiales; faciunt enim ad constitutionē entis substātialis cōpleté, & absolutè dicti: sanè substantia, vt substantia debet absolutè esse; ergo vt substantia dicit existentiam: ergo existentia substantiæ est substātia: aliter substantia formaliter, vt substantia non absolutè esset, quia formaliter, vt substantia non diceret existentiam; cum, etiā, accidens formaliter, vt accidens sit absolutè, quod non est facilè concedendum.

11 Hinc si quis petat, cur forma substantialis adueniens materiæ existenti sit substantia, quantitas verò sit accidens? Respondeo rationem esse, quia quantitas non spectat ad constitutionem entis absolutè dicti, quod habeat rationem primæ radicis; immò intenditur propter aliud, vt fusiùs dicam eum de distinctione accidentis á substantia.

12 Obijcies quintò: existentia formæ, vel vnitur, & sustentatur ab essentia materiæ, vel ab existentia eiusdem: at nullum ex his dici commodè potest, ergo, &c. Respondeo existentiam formæ vniri, & causari materialiter, si forma sit corporea, á materia existente, ita vt essentia materiæ sit potentia vnitiua, & sustentatiua, existentia verò sit esse talis potentiæ: ratio est, quia sicuti materia præcisa existentia absolutè non est ens, sed cum addito, nempè diminutum, ita præcisa existentia non est nisi diminutè subiectum, & causa; materia igitur

Cui vniatur essentia formæ?

tur, vt existẽs habet respectu existentiæ formæ rationẽ specialis requisiti: tũ quia illa causatum quia est magis indifferens. quamuis autẽ eadem existentia immediatè vnitur essentię formæ, quam reddit existentem, non tamen respicit illam essentiam, vt subiectum physicum, à quo causetur, & quod absolutè compleat; sed ad summum, vt metaphysicum, quod constituat absolutè ens. Si qua autem absurda hinc sequuntur, feriunt distinctionem essentiæ ab existentia suppositam, non conclusionem.

13 Obijcies sexto, existentia formæ volitur essentiæ, & existentiæ materiæ, ergo denominat illas existentes; si enim materia est capax formæ, nempè existentię, cur non est capax denominationis? sicuti si Angelus posset naturaliter vniri albedini, vtique posset denominari albus. Nego consequentiam: en instantiam: materia non est capax vt fiat intellectiua, quæ est denominatio proueniens ab anima rationali, & tamen potest cum illa vniri. Sufficit igitur si denominatio tribuatur toti; vt euenit in casu nostro. Nam totum resultans ex materia, & forma vnitis denominatur existens etiam ab existentia formæ. Materia igitur est incapax talis denominationis ab illa forma; iam enim materia supponitur existens per propriam existentiam, &, vt vidimus, essentia sicuti est possibilitas sui esse, & non alterius, ita est capax sui esse, ac existentiæ, & non alterius. Quod si materia reciperet decem vbicationes, per omnes vbicaretur, quia est capax denominationis ortæ à singulis: ergo si omnibus simul afficiatur, non est cur nõ denominetur ab õnibus: at essentia materiæ iam supponitur determinata ad propriam existentiam: quia est possibilitas sui esse, & non alterius; aliter non tam esset essentia materiæ, quàm alterius rei. Notato obiter hic non dari in composito substantiali tres actus formales, seu tres formas, & vnam potentiam, sed vnam potentiam physicam absolutè dictam conflatam ex essentia, & existentia materiæ, & vnam formam conflatam ex essentia, & existentia formæ; quamuis deindè essentia, & existentia eiusdem rei inter se comparatæ seruent rationem actus, & potentiæ, veluti metaphysicè.

14 Obijcies septimò, omne esse est propter operari: materia nullam habet operationem, ergo nullum esse. Benè, ergo est nihilum: data igitur maiore, nego minorem, quia saltem passiuè materia producit plures formas, & actiuè fortasse concurrit ad suas operationes, & proprietates. Quando autem Aristoteles docuit priuationem esse vnum numero cum materia, vt supra innuimus, solùm voluit priuationem, & materiam non esse duo absolutè dicta.

15 Obijcies octauò, materia est entitas simplex: ergo vel tota est actus, vel tota est potentia: Respondeo data distinctione; materiam essentialiter esse totam potentiam, quia in sua essentia non includit actum. Admissa autem identitate, materiam totam esse potentiam, seu subiectum physicum, & totam esse actum entitatiuum, in quo nullum est absurdũ; sicuti neque quod Deus totus sit actus purus, & totus sit potentia productiua creaturarum. Aduerto hic Aristotelem 7. *metaph. tex.* 49. docentem, actum esse, qui distinguit vnam rem ab alia, loquutum esse de distinctione specifica compositorum substantialium, quæ defacto dantur, quorum materia cum sit in omnibus eiusdem speciei, certè non possunt specie differre, nisi per formas specie differẽtes.

16 Obijcies nono: datur actus purissimus, nempè Deus excludens omnem potentialitatem, ergo dari debet pura potentia excludẽs omnem actualitatem; vbi enim datur vnum contrarium, debet dari aliud Vide inefficaciam argumenti; datur actus purissimus excludens à se omnem potentialitatem intrinsecam tum propriam, tum alienam: ergo debet dari pura potentia excludens omnem actum tum proprium, tum alienum. Deindè, ergo putas materiam esse contrariam Deo, quomodo ergo simul naturaliter existunt? tertio non valet: datur summa perfectio includens formaliter, vel eminenter omnem perfectionem: ergo debet dari summa imperfectio nullam dicẽs perfectionem; quæ si concipi potest, erit profectò negatio Dei. Nego igitur consequentiam, quia nulla est necessitas admittendi illam puram potentiam, quam argumenta supra facta satis probabiliter ostendunt repugnare; at summa est necessitas admittendi actum purum.

17 Aduerto hic primo, in alteratione fieri calidum, v. g. quia totum accidentale productum vt quod, est calidum, non calor: at in generatione fit ignis substantiuè, non ignitum adiectiuè, quia partes compositi substantialis omnes possunt ad modum per se stantis significari, non quod tantùm detur simplex existentia formæ. Aduerto secundo, materiam primam esse quidem ens primum per se stans, fundamentale, nec in alio receptum; sed incompletum, non completum: quia præcisa forma non est hoc aliquod designabile, & prima radix completa omnium operationum, & proprietatum in aliqua determinata specie.

18 Aduerto tertio, ens à se nempè Deum non posse conflari per aliquod, quod sit ab alio, tum quia est simplicissimum excludens omnem compositionem: tum quia esse à se, & ab alio directè opponuntur: at ens per se, qualis est forma, benè potest inhærere alicui subiecto, cum quo constituat primam radicem operationum, & proprietatum in aliqua determinata specie. Demum aduerto aliquod incompletum in aliquo genere posse vlterius cõpleri in eodem genere: sic anima incompleta in genere substantiæ, in eodem genere completur per corpus: quare materia prima, licet per proprium actum entitatiuum actuetur: quia tamen per talem actum non omninó completur in genere substantiæ, ideò est in genere

co-

materia in sua essentia constituitur per potentiam vnitiuam iam explicatam; quare potentiæ ad formas accidentales dictas, ad quas secundariò ordinatur hæc materia, erunt eius proprietates radicatæ in dicta potentia vnitiua. Quod si fingas possibilem materiam, quæ respiciat has formas, sed non vt disponenda ad illas per accidentia; ea profectò distinguetur à præsenti materia, quia hæc respicit has vnionea ad easdem formas, quæ vniones tamen ex natura sua exigunt subiectum præuiè dispositum per accidentia; ac proindè supponunt in hac materia potentiam vnitiuam; quæ exigat potentiam ad formas illas accidentales, quod nō competit materiæ illi possibili; Quod si rursus fingas possibilem materiam, quæ habeat potentiam tantùm vnitiuam formarum substantialiū, sed accidentalium etiam sustentatiuam; neque respectu huius materiæ esset prædicatum essentiale potentia ad accidentia propter allatas rationes. Locutus sum de accidentibus, quæ disponunt: nam de accidentibus, quę omnibus sunt communia, qualis est duratio, vbicatio, & similes, est quæstio vniuersalior, nec huius loci, quamuis ex dictis facilè colligi possit potentiam passiuam ad hęc accidentia esse in omnibus creaturis prædicatum secundarium.

49 Obijcies cum Grattino potentia ad finē essentialiter includit potentiam mediorum: sed forma substantialis est finis, accidentia sunt media: ergo potentia materiæ ad formas accidentales essentialiter includitur in potentia ad formas substantiales: ergo si materia est essentialiter potentia ad formas substantiales, est etiam essentialiter potentia ad formas accidentales. Maior probatur, intentio efficax finis est essentialiter volitio efficax mediorum, aliter non esset cur illa intentio deberet supponere possibilitatem mediorum: ergo potentia finis essentialiter includit potentiam mediorum. Nego maiorem; nam media sunt potentia, & causa finis, neque tamen sunt potentia causatiua sui. Ad probationem in contrarium permisso antecedente, nego consequentiam: quia intentio efficax comparatur ad finem, vt causa intentionalis adæquata, aliter non esset absolutè efficax: ergo debet esse volitio non solùm finis, sed etiam causarum, quæ sunt ad finis consecutionem necessariæ. At in casu nostro non considero potentiam omninò adæquatam finis, sed veluti inadæquatam, potentiam videlicet cui immediatè vnitur forma, non autem omnia ea, quæ mediatè, ac indirectè requiruntur ad illam vnionem: & de hac potentia dico, & quod sit essentialis materiæ, & quod non includat formaliter potentiam ad accidentia, seu media.

50 Obijcies iterum radix potentię ad accidentia non est de essentia compositi actualis: ergo neque actualis materię. Nego antecedēs, nam sicuti compositum substantiale actuale est radix accidentium, & aliorum; ita radix potentiæ ad accidentia est de essentia huius compositi substantialis: radix autem hæc est potentia ad has vniones.

SECTIO QVINTA.

De appetitu materiæ ad formas.

Quid, & quotuplex sit appetitus.

1 APpetitus propriè est actus, quo viuēs intellectuale, vel sensitiuum fertur in bonum sibi per cognitionem propositum; transfertur autem ad significandum propensionem illam, qua res etiam insensatæ, veluti quodam naturali pondere feruntur in bonum sibi proportionatum: talis est inclinatio lapidis ad quiescendum in centro, à quo si remoueatur, & vim patitur, & vim infert impedientibus motum deorsum, & dictam quietem: vt patet in eo, qui lapidi extra centrum posito humeros supponit. Hic dicitur appetitus innatus, quia simul cum re nascitur, ad distinctionem eliciti, qui est actus procedens à voluntate, & ab illa separabilis.

Alius elicitus, alius innatus.

2 Dari de facto huiusmodi appetitum benè, præter experientiam, probat Lynceus multis authoritatibus *tract. 4. cap. 1.* nobis sufficiat illud Psalm. 103. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi*, & infra: *Omnia à te expectant, vt des illis escam*: bruta autem à Deo, quem non cognoscunt, non possunt aliquid expectare appetitu elicito; restat ergo vt expectent, & expetant appetitu innato, ac naturali ab Artifice sapientia directo, quem rugitu indicant catuli leonum. Necessarius est hic appetitus ad rerum conseruationem, vt debita sibi bona appetentes, dum illa obtinent, detineantur in esse.

Datur appetitus innatus.

3 Iam verò appetitus alius primò est actiuus in causa efficiente ad aliquid faciendum; alius passiuus in subiecto ad aliquid sibi vniendum, vel sustentandum. Et vterque secundò alius est inefficax, & remotus, entitas videlicet rei cum inclinatione ad aliquid, sed destituta circumstantijs ad illius consecutionem necessarijs, hoc modo lapis violenter funibus detentus in aere, habet appetitum innatum remotum ad quietem in centro. Cæterum hic appetitus non exigit coniunctionem effectus cum illis impedimentis; sed effectum secundum se, & ne sint illa impedimenta; neque lapis exigit descensum ad centrum coniunctum cum violenta detentione, sed quietem in centro, & liberationem à vinculis. Ratio est: quia illa coniunctio est impossibilis; ac proindè non potest esse terminus appetitus ordinati, qualis est innatus. Alius est efficax, seu proximus, entitas videlicet rei cum inclinatione, & reliquis circumstantijs requisitis ad consecutionem finis appetiti; vt si lapis expediatur vinculis, quibus detinebatur. Et ad hunc appetitum, si efficacia sit completa, & absoluta, sequitur necessariò effectus.

Appetitus alius actiuus, alius passiuus: alius efficax, alius inefficax.

4 Tertiò diuiditur in appetitum per modū simplicis amoris, desiderij, & complacentiæ, seu gaudij; quę diuisio propriè cadit supra appetitum

Appetitus per modum simplicis amoris, desiderij, & complacentiæ, seu gaudij.

petitum elicitum ; accommodari autem potest etiam innato : simplex amor, est actus, quo voluntas approbat bonum propositum ; sed præscindit ab eius præsentia, vel absentia ; ideoque formaliter non tendit in eius acquisitionem, neque supponit illud acquisitum : huic correspondet in appetitu innato inclinatio in bonum proportionatum secundum se considerata. Desiderium, est actus, quo volūtas tendit in boni propositi consecutionem ; cui appetitui potest correspondere in innato inclinatio completa. Demum complacentia est actus, quo voluntas approbando bonum iam possessum in illo quiescit. Huic nihil simile correspondet in appetitu innato ; neque enim postquam causa naturalis acquisiuit finem intentum, elicit aliquem actum positiuum, quo de illo veluti gaudeat, sed ad summum negatiuè in illo quiescit, dum aliud non quærit. His positis.

5 Quærimus verum materia actualis habeat aliquem appetitum, & cuiusmodi ille sit?

Materia appetit vnionem ad formā substantialem

6 Dico primo, materiam appetere vnionem ad formam substantialem, & consequenter ipsam formam substantialem. Probatur : hæc vnio cum suo termino est bonum proportionatum materiæ ; ergo materia illam appetit.

Et secundū suum esse vnionem ad omnes formas possibiles.

7 Dico secundo, materia considerata secundum suum esse intrinsecum appetit vnionem ad omnes formas possibiles, cum quibus potest facere vnum ; idque simul, & determinatè ; non quia appetit habere simul omnes illas vniones, & formas substantiales ; nam ea simultas, vtpotè impossibilis, non potest esse terminus appetitus naturalis : sed quia cum appetitu ad vnam formam stat appetitus ad aliam. Sicuti quamuis amor, & odium non possint componi, potentia tamen ad odium benè componitur cum potentia ad amorem. Probatur : materia secundum se considerata appetit formam, & vnionem ad illam : sed non appetit potius vnam, quàm aliam ; neque enim est ratio maior de vna, quàm de alia : ergo simul modo dicto determinatè appetit omnes, simultate videlicet, & determinatione se tenente ex parte ipsius appetitus, non ex parte terminorum. Et quia hic appetitus est identificatus cum materiæ entitate, materia, etiam dum est sub vna forma, appetit modo dicto reliquas : est autem huiusmodi appetitus per modum simplicis amoris, quia est ad formas secundum se sine vlla determinatione ad habendum potius vnam, quàm aliam. Ex dictis autem iam patet falsam esse illā propositionem, *Materia appetit determinatè formam ignis, si non habeat, vel non possit habere alias*, quia, vt vidimus, etiam si habeat alias, determinatè appetit formam ignis.

8 Hinc reijcio illos, qui distinguunt inter exigentiam, & potentiam, & affirmant materiā per potentiam determinatè respicere omnes formas, non autem illas determinatè exigere. Reijcio, inquam, quia sicuti potentia huius formæ coniungitur cum potentia ad alias, sed non est potentia simultatis illarum ; ita exigentia huius formæ coniungitur cum exigentia aliarum, sed non est exigentia simultatis. Sicuti autem potentia actu expletur per vnam tantùm formam, ita & exigentia. Vbi notandum est benè stare, quod appetitus non sit ex se determinatus ad vnam partem tantum, neque ad omnes simul habendas, & nihilominus non sit conditionatus : Deus enim connectitur cum luce, vel non luce, neque connectitur cum non luce, ex suppositione, quod nō sit lux ; id enim supponit non lucem esse conditionem præcedentem ad non lucem ; eodem modo voluntas connectitur indeterminatè cum amore, vel odio ; non ideò amat ex suppositione, quod non oderit, sed absolutè amat, cum possit non amare, & possit odisse.

Appetitus materiæ nō est infinitè perfectus.

9 Obijcies primo, materia determinatè appetens omnes formas, appetit infinitas ; ergo est infinitè perfecta, consequentia probatur, quia maior est perfectio materiæ appetentis tres, quàm vnam formam, & maior appetentis 100. quàm 50. ergo quæ appetit infinitas, habet infinitam perfectionem. Nego consequētiam : ad probationem, nego item consequentiam, quæ si benè procederet, probaret animam rationalem esse infinitam in perfectione, quia potest sine termino nouas, & nouas intellectiones exercere, ac exigit sine fine durare. Ex hac igitur calculatione non potest inferri infinita perfectio ; quia etsi perfectio ex allato capite crescat, illud autem augmentum semper includit intrinsecam limitationem, ratione cuius maior incomparabiliter est perfectio, qua res caret, quàm sit illa, qua gaudet. Ex quo benè communiter docent Auctores, augmentū illud non inferre, nisi quandam superioritatem ordinis ex sua essentiali ratione inadequabilem à finitis in infinitum ordinis inferioris : semper tamen ille ordo, quantumuis superior erit finitæ perfectionis, vtpotè infinitè recedens ab infinita Dei perfectione. His adde per modum subiecti vniri formis esse potiùs imperfectionē, quàm perfectionem.

Angelus cōprehendens materiam, quo modo cognoscat infinitas formas.

10 Obijcies tertio, ergo Angelus comprehendens materiam cognoscit infinitas formas. Primo, formæ possibiles non sunt infinitæ, sed finitæ in infinitum. Secundo, non est necesse, vt cognoscat distinctè infinitas formas possibiles, sed satis est si confusè illas attingat : neque verò necesse est, vt Angelus perfectissimè comprehendat materiam, sed satis est, si sua cognitione adequet cognoscibilitatem veluti actiuam illius per cognitionem, quæ sit perfectissima omnium, quas potest obiectum per se ipsum, vel per species à se immissas, vel per alias causas supplentes vicem obiecti, excitare ; vt fusiùs dicam tractatu de Deo.

11 Obijcies quarto, ergo materia dum est sub forma ignis machinatur illi malum appetendo alias formas. Respondeo, non machinari efficaciter, quia non efficaciter appetit alias formas ; quod autem ea capacitas, & appetitus sit aliquo modo noxius formæ præsenti sine absurdo conceditur.

Dico

12 Dico secundo, si effectus indiuiduatio determinatur á complexo circumstantiarum, materia vltimo disposita ad formam ignis appetit appetitu desiderij efficaci hanc determinatam formam ignis, quia determinata est ad illam habendam. At si indiuiduationis determinatio sit á Deo, materia determinatè appetit omnes formas ignis determinatione se tenente ex parte appetitus, quia non est ratio cur potius appetat hanc, quam illam: sed non determinatione ex parte termini, quia non appetit, vt omnes determinatè, ac simul ponantur. Hic appetitus est per modum desiderij efficacis, efficacis quidem quia coniungetur cum effectu; desiderij autem, quia est de re non dum habita. Sicuti efficacis desiderij appetitus est; quo materia in priori naturæ ad conseruationem, appetit determinatè conseruare formam, quam habet: quia in eo priori non intelligitur conseruare illam, sed determinata ad conseruationem in sequenti signo ponendum.

Materia non magis appetit formas nobiliores.

13 Quares primò: vtrum materia secundū se considerata magis appetat formas nobiliores? Respondeo negatiuè; aliter dum est sub forma ignobiliori, esset in statu quodam violento; quia non dum adæquatè satisfactum est eius exigentiæ: ideoque appeteret expulsionem formæ præsentis, ut introduceretur nobilior. Finis igitur materiæ est componere totum substantiale, quod æquè bene obtinet per formam minus, quàm magis nobilem.

14 Vrgebis, quod est perfectius est magis appetibile; ergo materia magis appetit formas perfectiores. Distinguo antecedens, est magis appetibile in se, transeat; à causa, quæ æquè obtinet suum finem per magis, ac minùs perfectum, nego. Ille enim excessus esset inanis; res autem in casu nostro secundo modo se habet. Quod si fingas in materia appetitum veluti rationalem directum à cognitione; futurum, in ea suppositione esset, vt appetere posset magis formas perfectiores, quàm imperfectiores: non enim frustra tunc proponeretur materiæ per cognitionem maior perfectio vnius formæ supra aliam, si non posset ea cognitione media magis inclinari ad amandam perfectiorem, quæ ratio non militat in appetitu innato, qui non directus à cognitione magis, vel minus inclinante, æquè appetit quod est sibi æquè bonum quoad suum finem.

15 Quæres secundò: vtrum materia appetet formas etiam secundum gradum indiuidualem? Respondeo affirmatiuè, quia intendit facere totum aliquod non solùm in genere, & specie, sed etiam indiuiduū; cum omne aliud repugnet.

16 Quæres tertiò: vtrum possibilitas formæ sit pars appetitus materiæ? Respondeo, si possibilitas formæ est quid distinctum à causa formæ, eam possibilitatem non esse partem appetitus, qui adæquatè identificatur cum ipsa entitate materiæ, quæ seipsa potest facere totum; si verò possibilitas completa sit causa completa effectus, & materia sit formæ causa; possibilitas incompleta formæ est ipsissima materia, ipsissimus eius appetitus, vt patet consideranti.

SECTIO SEXTA.

Vtrum possibilis sit materia corporea addicta formis spiritualibus?

Rationes probantes repugnare materiem corpoream addictam formis spiritualibus

1 SErmo est de materia, quæ ex natura sua solùm habet posse vniri formis spiritualibus ad constituendum vnum cum illis. Partem negatiuam multis mussitantibus olim secutus sum. Nunc proponam rationes, quibus mouebar ad negandam illam possibilitatem; decisionem relinquo iudicio lectoris. Vrgebam igitur, illa materia non potest respicere formas spirituales, quæ defacto dantur, quia hæ formę sunt ex natura sua institutæ, vt creentur quidem à Deo, sed in materia disposita virtute agentis naturalis, ad constituendum compositum, primo generatum ex præcedente aliquo composito cōseante forma materiali; secundò corruptibile per aduentum formæ item materialis: ergo formæ spirituales, quæ defacto dantur suot ineptæ constituere vnum cum materia illa possibili, de qua loquimur, & esset incapax recipiendi formas materiales.

2 Neque potest illa materia recipere formas alias spirituales diuersæ speciei ab his, quæ defacto dantur; nam, præter quam quod non ita facilè præsumenda est possibilitas illarum formarum; vel illæ formæ possent existere separatę ab illa materia corporea, vel non; si secundū gratis assumuntur, & asseruntur spirituales, & absolutè penetrabiles; cum ex natura sua exigerent semper vniri materiæ, & constituere substantiam corpoream; certé non essent magis spirituales, ac est forma ignis; cum æquè exigerent vnionem cum materia, ac forma ignis, & æquè ab illa dependerent, vt clarius patebit ex ijs, quę dicam de causa materiali; si dicatur primū, vrgeo, quia non potest explicari quomodo possint naturaliter separari ab illa; nam vel possunt virtute agentis naturalis inducentis formam oppositam materialem? & hoc est falsum, quia illa materia non est naturaliter capax formæ materialis, vel virtute, agentis naturalis inducentis aliam formam spiritualem oppositam: & hoc etiam videtur falsum; quia non videtur quomodo agens constans forma spirituali posit per suam actionem inducere suā formam in passum, quod item constet forma spirituali: neque enim potest fieri per intus sumptionē, quasi verò agēs vtatur tamquam cibo dicto passo, illudque vel eius partes conuertat in suam substantiam; primo quia cibus si sit viuens debet ante sumptionem concidi in partes, occidi, ac deindè conuerti in substantiam agentis: eo igitur medio tēpore ante nutritionem illa materia esset spoliata forma spirituali antiqua, & non dum recepisset nouam spiritualem; quare, vel remaneret contra propriam exigentiam spoliata omni forma substantiali, vel esset sub aliqua materiali; Secundo

cundo, si illa duo essent entia intellectualia, & veluti duæ species hominis, iam quilibet haberet ius occidendi alium, vt inde nutriretur, quod videri debet cuique absurdum. Neque dicas illa viuentia posse nutriri alijs corporibus; nam & id falsum est, vt infra dicam: & iam agens illud non posset nutriri illo passo, & introducendo suam formam, expellere antiquam spiritualem.

4 Neque dici potest, quod agens materiale constans forma spirituali opposita possit destruere illud passum constans item forma spirituali per iuxta positionem; eo modo, quo ignis positus iuxta stupam, illam comburit, & in se conuertit: quia illa duo entia vtpotè constantia forma spirituali essent intellectualia; suppono enim substantiam spiritualem necessarió esse intellectiuam; ergo ex institutione naturæ vnum ens intellectuale ad propagandam suam speciem ordinaretur ad destructionem alterius, ac proindè posset illud vtpotè à natura subiectum suæ actioni ad dictum finem licitè occidere; quod nescio verum quis concesserit.

5 Demum non potest dici, quod illa forma spiritualis posset naturaliter separari à materia, quia exigit illi vniri ad determinatum tempus, v. g. ad decennium, quo elapso exigat naturaliter separari, & esse extra materiam; quia cum forma illa spiritualis, vtpotè substantia incompleta, respiciat materiam vt suum bonum, & substantiale complementum, non est cur illud bonum exigat ad tantum tempus, & non maius; eoque elapso exigat non expulsa separari. Hæc profecto sine ratione finguntur naturaliter euentura contra conceptum modi naturaliter procedendi, quem experientia, & ratione ducti formamus.

6 Præterea illæ formæ deberent esse intellectuales; ac proindè vnitæ materiæ deberent constituere viuens sensitiuum aptum augeri, & nutriri, vt constat ex anima rationali; peto ergo quo cibo nutrirentur illa viuentia, non alijs corporibus constantibus diuersa specie materia; quia, vt constat inductione, & ratio docet, ad constituendum vnum viuens debet materia nutrimenti continuari cum materia nutriti; materiæ autem diuersæ speciei non possunt continuari. Neque possent nutriri corporibus, quę constant materia eiusdem speciei, propter supra indicatum absurdum: quia illa corpora essent entia intellectualia.

7 Dices primo, si formæ illæ spirituales ponantur non intellectiuæ, iam cessant argumenta facta. Sed contra, si formæ illæ substantiales spirituales non essent intellectiuæ, quid quæso te separatæ agerent? essent prorsus otiosæ? proprium enim munus substantiæ spiritualis, est intelligere, & velle.

8 Dices secundo, materiam illam habituram determinatum tempus suæ durationis, quo elapso destrueretur; & forma spiritualis remaneret soluta vinculis corporis. Sed contra, quia substantiæ præsertim completę, qualia essent illa composita, habent in natura rationem finis, qui ex natura sua debet esse stabilis; aliter irrationabiliter in eo quiesceret intentio agentis; ergo absurdum putari potest, & debet, quod illa composita, & eorum materia exigant ad tempus determinatum durare.

9 Dices tertio, potest dici, quod illæ formę exigant post aliquod tempus separari à materia, quę deindè perseueret spoliata omni forma. Sed contra, quia iam substantia completa ratione formæ ex suis intrinsecis exigeret desitionem sui, quod probauimus esse falsum. Secundo quid præstaret materia illa separata cum impotentia ad constituendum deinceps aliquod totum?

10 Dices quarto, formas illas spirituales semel in materia creatas non posse naturaliter ab illa separari; at separatæ possent naturaliter conseruari, quod sufficit ne dicantur materiales. Sed contra, quia natura ipsa rerum exigit, vt semel productæ illæ formæ non separentur à materia, & illi vniantur per totam æternitatem: contra hanc autem exigentiā est, quod conseruentur extra materiam; ergo illarum conseruatio extra materiam non potest iuxta hanc responsionem esse naturalis. Hæc, quæ pro impossibilitate huius materiæ diximus, fundantur in conceptibus nutritionis, separationis naturalis, & similium; quos ex inductione, & experientia, ductu luminis naturalis formamus; & quibus præcisis nihil certi possumus de rebus non solùm actualibus, sed etiam possibilibus decidere.

11 Quia verò hæ rationes non militant in materia addicta formis materialibus, fortasse non repugnat dicta materia; quæ tamen non posset vniri formis materialibus, quæ defacto dantur; neque his accidentibus disponi quia videlicet hæ formæ, & hæc accidentia ordinantur ad disponendam, & informandam materiam aptam vnioni cum forma spirituali.

SECTIO SEPTIMA.

De causis materiæ primæ.

1 LOquimur de materia actuali, quam existere supra probauimus, & cuius essentiam iam explicauimus. Certum autem est eius causam efficientem esse solum Deum, vt colligi potest ex dictis, & ab eo creatam initio mundi subiectamque, tamquam commune adminiculum, actionibus agentium naturalium. Certum item est nullam esse eius causam materialem, aliter non esset primum subiectū, sed supponeret aliud ante se. Causa autem eius finalis est compositum substantiale, generabile, & corruptibile. Demum si strictè loqui velimus, nullam habet causam formalem; est enim ens essentialiter physicè simplex, licet admittat compositionem integralem. Solùm igitur quæri potest de causa formali constitutiua illius, non in ratione essentiæ, sed existentiæ. Vt autem clariùs procedamus, sit

SVBSECTIO PRIMA.

Quæ existentia constituat materiam formaliter existentem.

2 THomistæ sequuti Caetanum docent, materiam non habere propriam existentiam, qua formaliter reddatur existens, sed talem formaliter fieri ab existentia formæ, ita videlicet, vt per formam ignis, v.g. non solùm materia constituatur ignita, sed etiam existens. Supponũt autem necessariò essentiam distinctã ab existentia; si enim identificantur, sicut materia habet propriam essentiam, ita necessariò deberet habere existentiam distinctam ab existentia formæ. Essentia sunt ipsa prædicata essentialia rei; existentia verò est forma ea, ratione cuius absolutè verificatur rem esse. Contrariam opinionem docent Scotistæ, quos communiter vno, vel altero excepto sequuntur Auctores nostræ Societatis; cum his igitur

Materia habet propriam existentiã distinctã ab existentia formę.

3 Dico materiam actualem habere propriam existentiam distinctam ab existẽtia formæ. Probatur, quod tantum ratione sui est formaliter, & immediatè possibile, non potest existere nisi per existentiam propriam: sed data distinctione essentiæ ab existentia adhuc materia tantùm ratione sui est formaliter; & immediatè possibilis, sicuti tantum ratione sui formaliter non est chimæra, & formaliter, ac immediatè habet suam essentiam: ergo data distinctione essentię ab existentia, materia non potest existere nisi per existentiam propriam. Maior probatur, quod tantum ratione sui, immediatè, & formaliter est potens existere; nõ potest existere nisi per propriam existentiam: sed quod tantum ratione sui est formaliter, & immediatè possibile, tantum ratione sui est formaliter, & immediatè potens existere; posse enim existere, & esse possibile sunt vnus cõceptus: ergo quod tantum ratione sui est formaliter, & immediatè possibile, non potest existere nisi per propriam existentiam. Maior probatur: si aliquod potest existere aliena existentia, non tantùm ratione sui, est immediatè, & formaliter potens existere, sed ab alio habet posse existere; sicuti, quod potest aliena intellectione intelligere, non tantum ratione sui habet immediatè, & formaliter posse intelligere, sed ratione alterius, seu medio alio. Confirmatur, & explicatur: quod potest aliena existentia existere constituitur formaliter possibile, seu potens existere per possibilitatem alienam: ergo non tantùm ratione sui, est formaliter, & immediatè possibile, & potens existere: antecedens probatur, aliena existentia est actus proprius, & immediatus alienæ possibilitatis non propriæ, aliter potius esset propria, quam aliena existentia: ergo quod existit aliena existentia, non habet respectu talis existentiæ immediatam, & formalem possibilitatem: ergo quod existit aliena existentia, non est tãtum ratione sui formaliter, & immediatè possibile: sed materia tantum ratione sui est immediatè, & formaliter possibilis: ergo, &c.

4 Vt autem vis huius argumenti facilius percipiatur; habendum primò præ oculis est, supposita distinctione essentiæ ab existentia prædicata essentialia cuiusque rei ereare per se formaliter esse possibilia, & quamlibet rem sicuti habet suam essentiam, & prædicata essentialia distincta à prædicatis essentialibus aliarum rerum, ita se ipsa formaliter habere suam possibilitatem distinctam à possibilitate cuiusque alterius rei: secundò idem formaliter esse, rem esse possibilẽ, & posse realiter existere; ex quo infero, quod sicuti quælibet res habet ex se suam possibilitatem, qua immediatè, & formaliter constituitur potens existere; ita cuilibet debet respondere actus proprius, & non alienus, quod sit immediatum exercitium illius capacitatis, & potentiæ: profectò aliud non est rem esse ratione sui immediatè, & formaliter possibilem, quam posse actuari per existentiam, quæ sit eius immediatum exercitium; neque aliud existentiam esse propriam alicuius possibilitatis, quàm esse immediatum illius exercitium.

5 Dices materiam habere capacitatem existendi mediatè, mediante videlicet alia re. Sed contra: quia hoc est non habere immediatam capacitatem existendi, sed mediatam: sicuti autem quælibet res est per se immediatè formaliter ens; ita debet per se immediatè posse existere, & defacto existere: & sanè nullum video efficacius argumentum inferendi distinctas rerum existentias, quam distinctionem essentiarum.

6 Ex dictis infero primò: quodlibet ens possibile essentialiter habere, posse existere per existentiam propriam, sicuti formaliter per se habet, esse possibile. Et confirmatur quod non potest á se efficienter habere existentiam, non est efficienter possibile á se, sed ab alio: ergo, quod formaliter nõ habet ratione sui posse existere per proprium actum, non est formaliter, & ratione sui possibile.

7 Secundo, de ratione essentiali formæ nõ esse existentiam, seu actum entitatiuum supposita distinctione: quia ea distinctione posita in statu essentiali, vt ita dicam, forma habet suã essentiam, non tamen existentiam: quare si de essentia materiæ est esse potentiam, de essentia formę esse actum, non indè infertur existere esse proprium formæ, non materiæ; actus igitur, qui est de essentia formæ, non est actus entitatiuus, & existentię, seu metaphysicus, vt aliqui loquuntur; sed alius supra explicatus, cum assignauimus discrimen inter formam, & subiectum, & hanc rationem actus formalis, seu physici excludit potentia, quæ est essentia materiæ.

De essentia formę non est esse actum entitatiuũ, si existentia distinguitur ab essentia.

8 Tertiò infero, repugnare, quod aliquod ens existat per alienam existentiam: probatur, possibilitas vnius rei nõ potest formaliter reddere possibilem aliam rem, sed quælibet formali-

Repugnat aliquod existere per alienã existentiam.

maliter est possibilis per suam propriam possibilitatem, & essentiam, supposita distinctione: ergo existentia vnius non potest reddere formaliter existentem aliam rem, sed quælibet redditur formaliter existens per propria existentiam. Et ratio à priori est. quia qualibet possibilitas est ex intrinsecis suis determinata ad propriam existentiam, cuius per se ipsam formaliter est capax, & per quam formaliter veluti exercetur: ergo non potest reddi existés per alienam, respectu cuius nullam habet capacitatem, neque potest per illam immediatè actuari; sicuti enim nullum principium potest immediatè reddi formaliter producens per actionem alienam, & non sibi propriam, & nullum immediaté, & ratione sui cognoscitiuum reddi formaliter cognoscens per alienam cognitionem, nec immediatè volitiuum reddi formaliter volens per alienam volitionem, ita nullum immediatè, & ratione sui possibile, seu potens existere reddi formaliter existens, nisi per propriam existentiam; neque enim minùs est exercitium potentiæ productiuę, cognoscitiuę, & volitiuæ, productio, cognitio, & volitio, ac possibilitatis existentia. Et sanè aliud non est ratione sui esse immediaté, & formaliter possibile, quam posse actuari per existentiam, quæ sit eius immediatum exercitium; neque aliud existentiam esse propriã alicuius possibilitatis, quam esse immediatè illius exercitium.

Sicuti & duo per eã dem existẽtiam.

9 Infero 4. probabiliter repugnare duo realiter distincta existere per eandem existentiam: probatur duo realiter distincta nequeunt habere eamdem essentiam, & possibilitatem: ergo nequeunt habere eandem existentiam; aliter illorum neutrum haberet tantum ratione sui posse formaliter existere; & esse ens possibile, sed etiam ratione alterius.

10 Confirmantur omnia supradicta, etiam admissa distinctione debemus de existẽtijs rerũ discurrere cum proportione, quã possumus maxima ad essentias, & possibilitates; sunt enim existentiæ primus actus essentiarum maximè illis bonus: quare bené essentiæ, & possibilitates sumi possunt pro regula veluti à priori determinante prædicata existentiarum; cum præsertim ens absolutè dictum includat non minus essentiam, quàm existentiam: ergo dum nihil obstat, debemus dicere diuersas essentias esse fundamentum essentiale diuersarum existentiarum: neque eamdem rem esse indifferentem ad diuersas existentias: ne dicamus, quod Angelus modo sit hoc ens, modo illud: sed in casu nostro nihil obstat, vt patebit ex solutione argumentorum, ergo, &c.

11 Vrgebis, possunt duo termini modo produci per duas actiones, modo per vnam: & duo principia, modo concurrere ad vnum effectum, modo ad duos per duas actiones; ergo poterunt duæ essentiæ existere, modo per duas existentias, modo per vnam. Nego consequentiam, quia non spectat ad constitutioné entis absolutè dicti actio productiua, sicuti spectat existentia: quare stante identitate actionis, adhuc illi termini sunt absolutè duo entia, non autem stante identitate existentiæ. Rursus sicuti qualibet res habet formaliter posse esse per suam essentiam, & non per aliud, ita habet formaliter existere à suo actu proprio suæ ipsius essentiæ, & non per actum alienum, vel communem. At principium non habet per seipsum formaliter posse adæquatè producere; quare mirum non est, si possit actione communi simul cum alio principio concurrere ad productionem eiusdem, vel plurium terminorum. Sunt alia, nec pauca, nec leuia argumenta, quibus probari posset propria existentia materiæ, verum quia illa passim occurrunt apud Auctores, ad eos temporis angustijs pressus lectorem remitto.

SVBSECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primo, materia est pura potentia, ergo nullum habet actum. Aliter non esset pura potentia, vt communi plausu affirmant Philosophi: sed existentia est aliquis actus; ergo materia nullam habet existentiam.

2 Distinguo antecedens, materia est pura potentia essentialiter, concedo; radicaliter, nego antecedens: & distinguo consequens: excludit omnem actum á constitutione suæ essentiæ, concedo; simpliciter, & absolutè, nego consequentiam, & data minori, distinguo secundũ consequens: non habet existentiam sibi essentialem, concedo; absolutè nullam; nego consequentiam: data distinctione essentiæ ab existentia, quam supponunt aduersarij, materia in suis prædicatis essentialibus nullum includit actum, neque formalem, neque entitatiuum; quare essentialiter est pura potentia: radicaliter autem habet actum: quia exigit existere per existentiam propriam distinctam ab existentia formæ, vt probauimus; potentia igitur essentialiter pura non inficitur nisi per actum, qui sit de essentia rei: sicuti homo est essentialiter pura substantia, quamuis habeat multa accidentia, quæ non spectant ad eius constitutionem; & Deus est ens simpliciter necessarium, quamuis habeat plures actus liberos, qui poterant non esse. *Materia essentialiter, & formaliter est pura potẽtia.*

3 Quod si non distinguas essentiã ab existẽtia, adhuc materia est pura potentia, quia nullam habet rationem formæ, neque enim datur aliud subiectum priùs, respectu cuius materia prima sit forma.

4 Obijcies secundo, materia prima ex se non est in aliqua determinata specie entis: ergo nullum habet actum; aliter per hunc constitueretur in determinata specie: antecedens probatur, si materia esset in specie determinata, esset ens completum. Nego antecedens, *Quomodo materia sit in determinata specie*

& eius probationem; materia enim est in determinata specie entis incompleti; sicut anima rationalis, & quælibet forma substantialis.

Quomodo materia sit infimum entium.

5 Objicies tertiò: materia actualis est infimum in genere entis; ergo ita est potentialis, vt excludat omnem actum proprium: aliter excogitari potest aliud ens inferius spoliatum, videlicet omni actu proprio. Nego antecedēs; materia enim est substantia: ergo superat omnia accidentia; est ens reale: ergo superat perfectionem omnium modorum etiam substantialium: est ens ingenerabile, & incorruptibile, in quo excedit omnes formas corporeas, etiam substantiales, & sanè maiorem connexionem cum existentia habet ens æternum ingenerabile, & incorruptibile, quam caducū, & temporale: ergo ex hoc titulo existere potiori iure est proprium materiæ, quàm formæ.

6 Est igitur materia ens infimum ad summum, vel quia inter substantias actuales obtinet vltimum locum, vel quia sicuti fundamenta sunt infima pars domus, non quod sint ignobiliora, cum ex S. Paulo nos simus super ędificati supra fundamentum Prophetarum, & Apostolorum, quis autem audeat se perfectiorem Apostolis profiteri? sed quod fundamentis innititur totum ædificium; ita materia dicitur infimum inter entia naturalia, quia cœteris substat. Deindè dato antecedenti, nego cōsequentiam: ens enim infimum sicuti habet propriam essentiam, & est per se possibile; ita, & propriam existentiam, quam falsò autumāt aduersarij esse vltimum actum participabilem, post quē non sequatur alius; anima enim rationalis iam existens est vlterius perfectibilis, & actuabilis per noua accidētia, & operationes: quin immò, vt colligi potest ex dictis primus actus magis proximus, & immediatus essentię, & possibilitati est existentia.

Subiectum absolutè dictu est materia existens.

7 Objicies quartò: si essentia distinguitur ab existentia, materia vnitur propriæ existentiæ, per quam existit: ergo antecedenter ad existentiam formæ ex essentia, & existentia materiæ consurgit vnum per se completum ex actu, & potentia; essentia enim materiæ comparatur ad suam existentiam, vt potentia ad suum actum: ergo essentia, & existentia formæ aduenientis sunt extra conceptum vnius per se completi, quod supponunt constitutum: ergo forma est accidens, quod enim aduenit enti substantiali completo est accidens.

8 Nego consequentiam: ratio negotiationis est: quia essentia materię præcisa existentia absolutè non est ens incompletum, sed cum addito diminuente, videlicet ens incompletum secundum quid. Existentia igitur ordinatur non ad constituendam illam ens completum, sed ad auferendam additum diminuēs, & ad constituendam materiam absolutè ens incompletum: sicuti existentia animæ rationalis non constituit cum essentia illius ens completum etiam quando anima est separata, quia non ordinata est ad tollēdum incomplementū; sed additum diminuens; & ad constituendum cum anima rationali absolutè ens: quare sicuti ex essentia materiæ, & formæ vnitis resultat vnum essentialiter completum, quod tamen præcisa existentia absolutè non sit ens, neque substantia, sed ens diminutum, &c. Ita ex existentijs materiæ, & formæ vnitis sit vna existentia adæquata, & ordinata ad tollendū ex illo cōposito rationem entis diminuti, & ad cōstituendū illud ens completū substantiale absolutè dictum.

9 Hinc ad rationem in contrarium distinguo illam propositionem: essentia materiæ comparatur ad existentiam tamquam potentia ad actum, per quem ex non ente absolutè dicto fiat tale, concedo; per quem ex incompleta fit completa, nego: aliquis enim actus, qualis est metaphysicus, & existentiæ respiciens potentiam metaphysicam, & essentiam ordinatur ad reddendum absolutę ens illud, quod ipso pręciso non est absolutè tale: quare nō affert formaliter rationem completi, vel incompleti; sed rationem entis absolutè dicti, aliquis verò, qualis est forma, ordinatur ad auferendum incomplementum.

10 Ex quibus patet, in homine non dari absolutè duo composita substantialia, aliud constatum ex duplici essentia, aliud ex duplici existentia: illud enim compositum ex duplici essentia absolutè non datur, aut est; sed talis constituitur per duas existentias vnitas. Vndè vlterius deduco existentias in composito substantiali esse substantiales; faciunt enim ad constitutionē entis substātialis cōpleté, & absoluté dicti: sanè substantia, vt substantia debet absolutè esse; ergo vt substantia dicit existentiam: ergo existentia substantiæ est substātia: aliter substantia formaliter, vt substantia non absolutè esset, quia formaliter, vt substantia non diceret existentiam; eum, etiā, accidens formaliter, vt accidens sit absolutè, quod non est facilè concedendum.

11 Hinc si quis petat, eur forma substantialis adueniens materiæ existenti sit substantia, quantitas verò sit accidens? Respondeo rationem esse, quia quantitas non spectat ad constitutionem entis absolutè dicti, quod habeat rationem primæ radicis; immò intenditur propter aliud, vt fusiùs dicam cum de distinctione accidentis á substantia.

Cui vniatur essentia formę?

12 Objicies quintò: existentia formæ, vel vnitur, & sustentatur ab essentia materiæ, vel ab existentia eiusdem: at nullum ex his dici commodè potest, ergo, &c. Respondeo existentiam formæ vniri, & causari materialiter, si forma sit corporea, á materia existente, ita vt essentia materiæ sit potentia vnitiua, & sustentatiua, existentia verò sit esse talis potentiæ: ratio est, quia sicuti materia præcisa existentia absoluté non est ens, sed cum addito, nempè diminutum, ita præcisa existentia non est nisi diminutè subiectum, & causa; materia igi-

tur

tur, vt existēs habet respectu existentiæ formæ rationē specialis requisiti: tū quia illā causat: tum quia est magis indifferens. quamuis autē eadem existentia immediatè vnitur essentię formæ, quam reddit existentem, non tamen respicit illam essentiam, vt subiectum physicum, à quo causetur, & quod absoluté compleat; sed ad summum, vt metaphysicum, quod constituat absolutè ens. Si qua autem absurda hinc sequuntur, feriunt distinctionem essentiæ ab existentia suppositam, non conclusionem.

13 Objicies sexto, existentia formæ vnitur essentiæ, & existentiæ materiæ, ergo denominat illas existentes; si enim materia est capax formæ, nemoè existentię, cur non est capax denominationis? sicuti si Angelus posset naturaliter vniri albedini, vtique posset denominari albus. Nego consequentiam: en instantiam: materia non est capax vt fiat intellectiua, quæ est denominatio proueniens ab anima rationali, & tamen potest cum illa vniri. Sufficit igitur si denominatio tribuatur toti; vt euenit in casu nostro. Nam totum resultans ex materia, & forma vnitis denominatur existens etiam ab existentia formæ. Materia igitur est incapax talis denominationis ab illa forma; iam enim materia supponitur existens per propriam existentiam, &, vt vidimus, essentia sicuti est possibilitas sui esse, & non alterius, ita est capax sui esse, ac existentiæ, & non alterius. Quod si materia reciperet decem vbicationes, per omnes vbicaretur, quia est capax denominationis ortæ à singulis: ergo si omnibus simul afficiatur, non est cur nō denominetur ab ōnibus: at essentia materiæ iam supponitur determinata ad propriam existentiam: quia est possibilitas sui esse, & non alterius; aliter non tam esset essentia materiæ, quàm alterius rei. Notato obiter hic non dari in composito substantiali tres actus formales, seu tres formas, & vnam potentiam, sed vnam potentiam physicam absoluté dictam conflatam ex essentia, & existentia materiæ, & vnam formam conflatam ex essentia, & existentia formæ; quamuis deindè essentia, & existentia eiusdem rei inter se comparatæ seruent rationem actus, & potentiæ, veluti metaphysicé.

14 Objicies septimò, omne esse est propter operari: materia nullam habet operationem, ergo nullum esse. Benè, ergo est nihilum: data igitur maiore, nego minorem, quia saltem passiuè materia producit plures formas, & actiuè fortasse concurrit ad suas operationes, & proprietates. Quando autem Aristoteles docuit priuationem esse vnum numero cum materia, vt supra innuimus, solúm voluit priuationem, & materiam non esse duo absolutè dicta.

15 Objicies octauó, materia est entitas simplex: ergo vel tota est actus, vel tota est potentia: Respondeo data distinctione; materiam essentialiter esse totam potentiam, quia in sua essentia non includit actum. Admissa autem identitate, materiam totam esse potentiam, seu subiectum physicum, & totam esse actum entitatiuum, in quo nullum est absurdū; sicuti neque quod Deus totus sit actus purus, & tota sit potentia productiua creaturarum. Aduerto hic Aristotelem 7. *metaph. tex.* 49. docentem, actum esse, qui distinguit vnam rem ab alia, loquutum esse de distinctione specifica compositorum substantialium, quæ defacto dantur, quorum materia cum sit in omnibus eiusdem speciei, certè non possunt specie differre, nisi per formas specie differētes.

16 Objicies nono: datur actus purissimus, nempè Deus excludens omnem potentialitatem, ergo dari debet pura potentia excludēs omnem actualitatem; vbi enim datur vnum contrarium, debet dari aliud. Vide inefficaciam argumenti; datur actus purissimus excludens à se omnem potentialitatem intrinsecam tum propriam, tum alienam: ergo debet dari pura potentia excludens omnem actum tum proprium, tum alienum. Deindè, ergo putas materiam esse contrariam Deo, quomodo ergo simul naturaliter existunt? tertio non valet: datur summa perfectio includens formaliter, vel eminenter omnem perfectionem: ergo debet dari summa imperfectio nullam dicēs perfectionem; quæ si concipi potest, erit profecto negatio Dei. Nego igitur consequentiam, quia nulla est necessitas admittendi illam puram potentiam, quam argumenta supra facta satis probabiliter ostendunt repugnare; at summa est necessitas admittendi actum purum.

17 Aduerto hic primo, in alteratione fieri calidum, v. g. quia totum accidentale productum vt quod, est calidum, non calor: at in generatione fit ignis substantiuè, non ignitum adiectiuè, quia partes compositi substantialis omnes possunt ad modum per se stantis significari, non quod tantùm detur simplex existentia formæ. Aduerto secundo, materiam primam esse quidem ens primum per se stans, fundamentale, nec in alio receptum; sed incompletum, non completum: quia præcisa forma non est hoc aliquod designabile, & prima radix completa omnium operationum, & proprietatum in aliqua determinata specie.

18 Aduerto tertio, ens à se nempè Deum non posse conflari per aliquod, quod sit ab alio, tum quia est simplicissimum excludens omnem compositionem: tum quia esse à se, & ab alio directé opponuntur: at ens per se, qualis est forma, benè potest inhærere alicui subiecto, cum quo constituat primam radicem operationum, & proprietatum in aliqua determinata specie. Demum aduerto aliquod incompletum in aliquo genere posse vlterius cōpleri in eodem genere: sic anima incompleta in genere substantiæ, in eodem genere completur per corpus: quare materia prima, licet per proprium actum entitatiuum actuetur: quia tamen per talem actum non omninó completur in genere substantiæ, ideò est in genere

co:

eodem vlterius complebilis, & actuabilis per formam substantialem.

SVBSECTIO TERTIA.

Vtrum materia dependeat à forma?

Duplex dependentia, alia à priori, alia à posteriori.

18 Duplex dependentia excogitari potest: alia à priori, tamquam à causa, quæ ex suo conceptu est prior effectu; alia à posteriori tamquam ab effectu, qui ex communi sensu est posterior sua causa: dependere igitur à posteriori est dependere ab effectu, non quia effectus sit causa suæ causæ, quod spectat ad aliam quæstionem: sed quia est terminus ita necessariò exactus à sua causa, vt sine illo saltem naturaliter nequeat causa existere. Quærimus igitur in præsenti, vtrum materia prima actualis pendeat à priori, vel à posteriori á forma? vt autem clarius procedamus.

Forma nō est causa materiæ.

19 Dico primo, materia non causatur physicè à forma: probatur; non causatur à forma in genere causæ formalis, neque enim constituitur in sua essentia per formam; nam quamuis dent Thomistis materiam existere per existentiam formæ, non tamen in sua essentia constituitur per formam, vel eius existentiam, licet vt existens constituatur per illam existentiam, quæ ad summum erit causa formalis huius concreti, materia existens; neque forma potest dici causa extrinseca, aut efficiens illius concreti, cum non causet aut essentiam materiæ, aut suam existentiam. Ideoque neque secundo forma est causa efficiens materiæ, quæ solùm dependet efficienter à Deo.

20 Dixi, physicè, quia fortasse non est improbabile formam in genere causæ finalis, & vt intentionaliter existentē causare materiam; de quo infra.

[illegible] miraculosè existere spoliata omni forma substantiali.

21 Dico secundo, materia actualis potest saltem miraculosè existere spoliata omni forma substantiali: probatur entia incompleta defacto existentia non ita connectuntur cum suis complementis, vt non possint miraculosè conseruari sine illis: accidentia enim quamuis incompleta, & indigentia subiecto, tamen conseruantur in Eucharistia sine subiecto: ergo quamuis materia sit ens incompletum, adhuc poterit miraculosè conseruari sine forma substantiali. Circa mentem D. Thomæ P. Arriaga concedit illum Thomistis; sed Quiros docet S. Thomam, si aliquando aliquod in oppositum docuisse videtur, loquutum esse de forma in tota sua latitudine; quatenus dicit actum non solùm physicum, sed etiam entitatiuum, & existentiæ, sine quo certum est materiam non posse esse.

22 Objicies primo, nihil substantiale potest spoliari omni subsistentia; sed materia spoliata omni forma substantiali, caret omni subsistentia. Multi non improbabiliter negant maiorem; minor etiam claudicat: materia enim spoliata omni forma posset etiam subsistere vel subsistentia propria, & partiali, vel diuina, vt euenit in Christo Domino.

Materia potest spoliari omni forma, & si careat propria existentia.

23 Objicies secundò, quantitas non potest miraculosè spoliari omni figura; ergo neque materia omni forma. Nego antecedens, potest enim quantitas reduci in punctum, quod caret omni figura: quod si hanc reductionem neges, nego tibi consequentiam; quantitas enim non redacta in punctum, sed extensa est necessariò figurata; at nihil probat materiam non posse spoliari forma. Illud hic aduerto hæc vera esse, quamuis supponas materiam existere per existentiam formæ; nam spoliata omni forma adhuc posset existere per existentiam alterius rei, vel etiam diuinam, vt docent Thomistæ de materia Christi Domini, in quo casu Deus non suppleret munus causæ formalis; neque enim faceret, vt haberetur effectus formalis sine forma.

Materia actualis nū quā extitit spoliata omni forma substātiali.

24 Dico tertiò; materia, quæ defacto datur, numquam fuit spoliata omni forma substantiali, probatur nullum habemus argumentum huius spoliationis miraculosę, & contra exigentiam materiæ; ergo non debet admitti probo consequentiam; non debet admitti sine argumento, quod est contra exigentiam naturæ: ipsa enim exigentia dictat, non esse admittendum. Quod si *Genesis primo* dicitur: terra autem erat inanis, & vacua; nomine terræ nō venit materia prima, vt volunt nonnulli; sed vnum ex elementis constans materia, & forma; dicitur autem fuisse inanis, & vacua: quia carebat ornatu florum, arborum, &c.

25 Vrgebis in triduo sepulturæ materia Christi Domini extitit sine vlla forma. Nego assumptum; habuit enim formam cadauericam, neque hinc inferas corpus Christi fuisse corruptum, cum non resolutum fuerit in vermes, & cineres: nulla verò ratio suadet fuisse illam formam cadauericam hypostaticè vnitam Verbo diuino, licet nonnulli non vereantur id concedere: verū circa hanc rem Lectorē ad Theologos remitto.

26 Demum aduerto hic, cum quis gladio percussus repente moritur, eius corpus non manere spoliatum omni forma substantiali; illud enim agens, & dispositiones, quæ exigūt, & causant expulsionem animæ rationalis, causant etiam formam cadauericam, quæcumque tandem sit talis forma, & causa.

Materia non potest naturaliter spoliari omni forma substātiali.

27 Dico quartò; materia non potest naturaliter spoliari omni forma substantiali; probatur materia iuxta leges naturæ non potest amittere vnam formam, nisi acquirat aliam; ergo non potest iuxta leges naturæ spoliari omni forma. Antecedens probatur ex communi proloquio; corruptio vnius est generatio alterius; & è contra, generatio vnius est corruptio alterius. Et confirmatur, nisi introducatur noua forma, non est causa naturaliter exigens expulsionem antiquæ: ergo iuxta leges naturæ non potest à materia expelli vna firma, nisi introducatur alia: lex enim naturæ est, vt nihil

de nouo fiat, aut corrumpatur non præſente cauſa talis productionis, & corruptionis. Antecedens probatur expulſio formæ antiquæ nō poteſt poni, quia deficit eius formę cauſa: nam cauſæ ſunt Deus, & materia, quæ non deficiunt: ergo ponitur, quia illa expulſio exigitur à forma noua.

Deſtructis diſpoſitionibus, ad primā formam, non dum introductis ad ſecundā, non debet deſtrui prima.

28 Obijcies primò: poſſunt deſtrui diſpoſitiones requiſitę ad formam pręſentem, quin introducantur diſpoſitiones ad formam nouam: ergo poteſt materia ſpoliari omni forma. Antecedens probatur, quia primò nulla eſt neceſſaria connexio inter carentiam diſpoſitionum ad formam pręſentem, & diſpoſitiones ad formam nouam. Secundò id euenire autumant in formatione fętus; dum enim in parte materiæ minori ea, quæ ſufficit, vt informetur anima, introducuntur diſpoſitiones ſufficientes, vt illa pars materię informetur anima; iam expulſæ ſunt diſpoſitiones requiſitæ ad formam antiquam, nec tamen ex defectu quantitatis, & extenſionis illa materia eſt abſolutè potens vniri animæ. Nego conſequentiam, & ni fallor, aduerſarius videtur ſupponere in argumēto, formam dependere in conſeruari à diſpoſitionibus, cuius oppoſitū eſt mihi eſt probabilius; quare corruptis diſpoſitionibus ad primā formam, nec introductis ad nouam ſufficientibus, non debet expelli vetus.

29 Aduerto hic, Deum dum miraculum patrat, ſemper compenſare, vt ſuppono, cum Perea, & Eſparza, alijſque Theologis non infimæ notæ, damnū, quod creatura patitur alio bono, vel ęquali, vel abſolutè maiori; in quo vel maximè oſtendit perfectionem ſuæ virtutis, & ſapientiæ, dum deordinationem inferioris ordinis compenſat pulchritudine quadam, & ordine ſuperioris ordinis, quæ cum illa deordinatione connectuntur; ſic damnū, quod patiuntur accidentia panis, & vini ſeparata à ſubſtātia propria, cum exceſſu compenſatur, dum aſſumuntur ad inſeruiendum altiſſimo fini tum gloriæ diuinę, tum vtilitatis noſtre, quæ in myſterio Euchariſtiæ elucent; non eſt tamen neceſſe, vt bonum illud ſit intrinſecum creaturæ, quæ per miraculum detrimentum patitur, ſed ſufficit, ſi in rerum natura ponatur ad conſtituendum ordinem, & pulchritudinem vniuerſi vel ęqualem, vel longè ſuperiorem: igitur materia ſeparata ab omni forma detrimentum quidem aliquod pateretur, ſed poſſet cōpenſari bono longè meliori, vel ſaltem æquali neceſſariò connexo cum tali detrimento: quod autem ſit tale bonum, non eſt neceſſe, vt à nobis determinatè cognoſcatur; ſufficit enim ſi probetur non implicare, quod iam præſtitimus exemplo præſertim accidentium Euchariſticorum.

Materia pēdet à poſteriori ab vnione ad aliquam formam.

30 Dico quintò: probabile ſatis eſſe, materiam naturaliter deſtruendam deſtructa vnione ad omnem formam ſubſtantialem, ideoque veluti à poſteriore dependere à tali vnione: probatur nulla res poteſt naturaliter exiſtere ſine fine à ſe naturaliter, & principaliter intento: ſed finis principaliter, & naturaliter intentus à materia eſt compoſitum ſubſtantiale: ergo materia non poteſt naturaliter exiſtere ſine compoſito ſubſtantiali à ſe conſtituto; ſed ſine illa vnione iam exiſteret ſine compoſito ſubſtantiali: ergo, &c. Maior, in qua ſita eſt difficultas: probatur nulla res poteſt exiſtere naturaliter ſine cauſa efficiēte, & materiali naturaliter productiuis illius: ergo neque ſine cauſa finali naturali, & ſanè ſicuti datur reſpectu cuiuſcūque entis naturalis cauſa efficiens, & materialis naturalis, ſine qua eſſe nequeat; ita debet dari cauſa finalis item naturalis omninò neceſſaria ad eiuſdem exiſtentiam: cum non minor ſit, neceſſitas cauſæ efficientis, & materialis, quàm finalis; quin immò hęc videtur cæteris præeminere, & eſſe veluti primū mouens inclinans cauſam efficientem antecedenter etiam ad omnem illius operationem.

Quę cauſa materię deficiat deſiciente forma.

31 Obijcies primò: perſeuerante cauſa efficiente proximè potente cauſare effectum, debet naturaliter perſeuerare effectus: ſed deficiente forma perſeuerat cauſa efficiens proximè, & completè potens cauſare materiam; ergo deficiente forma adhuc naturaliter perſeuerat materia: maior probatur; cauſa efficiens completè potens operari, debet habere effectū: aliter non eſſet completè potens. Minor probatur, forma non eſt cauſa efficiens, aut complementum illius reſpectu materiæ, & quamuis ſit cauſa finalis; nemo tamen dixerit, cauſam finalem complere principia phyſica productiua rei: ergo deficiente forma adhuc perſeuerant principia omnia phyſica, quæ requiruntur ad naturalem poſitionem materiæ.

32 Nego minorem: ad probationem; nego conſequentiam: quamuis enim forma non ſit cauſa efficiens, neque ſpectet ad complementum proximum illius; tamen deficiente forma deficit principium efficiens completū, ac naturale materiæ, non quidem formaliter, cum tale principium non compleatur per formam, ſed arguitiuè: quia videlicet deficit aliquid aliud, quod complet principium phyſicum: & in caſu noſtro deficit decretum Dei applicatiuum omnipotentię ad conſeruationē materiæ: poſita enim ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus videt in ſua eſſentia, tamquam in prima ratione, & idea, ac perfectiſſimo exemplari omnium rerum eſſentias, proprietates, & fines, ad quos naturaliter ordinantur, & ex cuius intentione debent produci, ſi naturaliter producenda ſunt; non poteſt decreto connaturali exigentię materiæ intentionaliter exiſtentis in idea diuina, velle efficaciter materiam exiſtere, quin efficaciter velit exiſtentiam compoſiti, quod intentionaliter exiſtens mouet ſuo modo vt cauſa finalis diuinam voluntatem, ne materia ponatur ſine compoſito, & forma: quare licet forma, & compoſitum ſumpta ſecundum eſſe reale ſint in poſteriori ſigno ad materiam, tamen intentionaliter acce-

cepta,

cepta, sunt aliquo modo priora: quia immò ipsa essentia materiæ intentionaliter existens in mente summi Artificis exigit,ne impediatur à consequutione sui finis,quod est compositum, & forma:& hæc Dei sũma perfectio est lex naturæ fundans omnes exigentias: materia igitur existens sine forma esset primo contra exigentiam sui intentionaliter existentis:secundò cõtra exigentiam vniuersi petentis res poni iuxta modum connaturalem illis à diuina sapientia præscriptum.

Cur anima rationalis potest separata naturaliter existere.

3 Obijcies secundo, non minùs materia, quàm anima rationalis est eos incompletum, ordinatum ad faciendum vnum cum sua comparte: ergo non minùs compositum est finis materiæ, quàm animæ rationalis: ergo si anima rationalis post mortem hominis naturaliter conseruatur sine composito, poterit etiam & materia. Nego primam conseq. maiorem, enim connexionem cum composito habet materia, quàm anima rationalis; nam materia ex suis intrinsecis, vtpotè subiectum primum actionum agensium naturalium non potest spoliari vna forma, quin acquirat aliam: ergo ex suis intrinsecis videtur tamquam ad principalem, & vltimum finem, quin imò suo modo adæquatum ordinata ad compositũ substantiale: at anima rationalis virtute agentium naturalium potest naturaliter separari ab omni materia: ergo signum est eius finem non esse compositum, sed quod potius ipsa habeat rationem finis respectu compositi; naturaliter enim exigit primo produci in materia,& constituere totum,vt dependenter ab organo corporeo possit acquirere rerum species, & scientiã, in qua præcipuè sita est eius felicitas. Præcipuus igitur finis animæ rationalis non est, componere totum, sed contemplatio summi boni, & felicitas, quem finem etiam separata, imo perfectiori modo, nisi propria culpa impediatur, obtinet; licet non sine dependentia, & respectu ad vnionem habitam cum materia. Loquor de felicitate naturali.

Quomodo cõseruatur ignis approximatus impeditus à combustione.

34 Obijcies tertio, ignis si approximatus miraculosè impeditur ab ignesctione,vt euenit in igne babylonico,non miraculosè cõseruatur,nec debet naturaliter destrui: ergo quãuis materia miraculosè spolietur omni forma, nõ ideo debet destrui. Nego primò antecedẽs, cum summa triumphantis phylosophiæ *lib. 2. dist. 3. num. 8.* docente solem impeditum ab illuminatione, & ignem applicatum à combustione, miraculose conseruari. Secundo distinguo antecedens, & quidem si causa efficiens ita sit connexa cum existentia effectus vt à nulla causa creata possit impediri à tali effectu, dico talem causam impedito effectu non posse naturaliter conseruari, & nego antecedens: videtur enim respicere illum, vt finem omninò sibi necessarium: si verò possit naturaliter impediri, vel quia potest impediri applicatio ad passum extrinsecum, vel quia validius agens producens in subiecto effectum oppositum, est causa, ne hoc agens producat suum; dico tunc talem causam impeditam naturaliter perseueraturam, & concedo antecedens; neque enim habet necessariam, & connaturalem connexionem cum tali effectu, tamquam cum fine, vel proprietate. Tum nego consequentiam:materia enim comparata cum forma, & composito se habet vt causa primi ordinis: constat enim à posteriori materiam virtute nullius agentis naturalis posse spoliari omni forma substantiali, & quãuis possit naturaliter poni nouum ens, non tamen rationabiliter dici potest,quod valeat naturaliter spoliari effectu, ac sine illo existere causa, quę numquam extitit sine illo, nec ab illo potest virtute agentium naturalium separari.

35 Dices quamuis ignis secundum suam substantiam possit naturaliter separari à combustione,tamen ignis approximatus non comburens deberet destrui. Respondeo ignem approximatum posse impediri à validiore agente ne comburat: quod si absit validius agens, tunc impedita miraculose combustione, non debet naturaliter destrui ignis: quia hic non ratione sui habet connexionem cum illo effectu, sed debet destrui, vel approximatio,vel carẽtia validioris agẽtis:approximatio enim ignis cũ illa carentia habent necessariam connexionem cum combustione.

36 Obijcies quartò: finis materiæ naturalis est etiam, vt impediat vacuum, & transmittat influxus cęlestes: ergo spoliata omni forma substantiali potest naturaliter conseruari ob hosce omnes fines. Nego consequentiam: quia adhuc deficeret finis primarius, propter quem conseruaretur: solùm igitur infertur, quod spoliata omni forma non esset omninò frustra.

37 Obijcies 5. tunc solùm debet cessare medium, & res, quando finis cessat per se, non quando cessat per accidens. Sed cõtra; cessante causa efficiente siue per se, siue per accidens semper cessat effectus:ergo siue per se, siue per accidens cessat finis primarius, semper etiam cessare debet res ipsa.

38 Obijcies sextò: non potest explicari verum actio conseruatiua materiæ separatæ ab omni forma, sit eadem cum actione, qua conseruatur materia sub forma? Respondeo futurã diuersam ex diuersitate decreti; sicuti diuersa est causalitas, qua defacto causatur homo eleuatus ad statum supernaturalẽ, ac fuisset actio, qua conseruandus fuisset in puris naturalibus; de quo punctò infra fusiùs dicam.

39 Ex dictis infero:non repugnare dependentiam à posteriori, quam supra explicauimus; & sanè quæ dicta sunt de materia spoliata omni forma,satis probabiliter ostendunt talis dependentiæ possibilitatem.

40 Illud hic aduerto,Aristotelem non docuisse, omnia priora posse esse sine posterioribus; sed solùm dixisse, *quęcumque contingunt sine alijs, ea esse priora:* vnde quamuis materia non possit esse sine forma, adhuc potest esse

prior

prior illa. Praeterea aduerto actionem illam, qua materia conseruaretur spoliata omni forma futuram secundum substantiam naturalem, quia respiceret terminum substantialiter, & intrinsecè naturalem.

SECTIO SEPTIMA.

Percurruntur reliqua, quæ spectant ad materiam.

Materia actualis nõ est omnium ens imperfectissimum

QVæres primo, vtrum materia, quæ de facto datur, sit omuium entium imperfectissima? Respondeo negatiuè: est enim materia ens substantiale, & incorruptibile: erit igitur perfectior multis accidentibus; quin immò non improbabiliter quis affirmauerit esse perfectiorem aliqua forma substãtiali etiã actuali; prædicata enim alicuius formæ, vt formæ cineria, v. g. nullius ferè sunt aestiuitatis, nec habent aliquam specialem pulchritudinem, per quam videantur posse compensare prædicata illa materiæ.

Argumẽtũ Antonij Perez probantis materiam esse infimã omnium substantiarum possibilium

2 Vrgebis primo ex Antonio Perez, quem qui cognouere omnes ferè mirabilis Theologi titulo cohonestant. Materia est infimum omnium entium saltem substantialium, quæ de facto dantur; ergo non est possibilis alia materia, aut ens substantiale imperfectius hac materia. Probatur consequentia: si esset possibilis illa substantia imperfectior materia, de facto daretur; quia Deus ita de facto res dispofuit, vt in ordine perfectionis non detur vacuitas, sicut non datur vacuum in natura quoad locum; sed incipiendo à nihilo qualibet habet sibi coexistentem immediatè à se excessam: aliter frustra dedisset Deus singulis naturis eminentibus virtutem manifestandi suã eminentiam, & inclinationem ad talem manifestationem; quæ videlicet ita manifestetur integrè, & quantum possunt Dei perfectionem, & eminentiam supra omnia. Et confirmatur; si materia haberet perfectionem minorem perfectione alicuius alterius substantiæ possibilis, quæri iure posset se iniuria factam esse candam mundi.

3 Hic tamen philosophandi modus licet viri acutissimi, mihi absolutè non probatur; quia primo in rebus non intellectualibus non est ponendus ille appetitus excellentiæ, & superioritatis, sed tantum exigentia, quã habent causæ, à quibus producuntur, & effectus, ad quos producendos inclinant, neque aliud præter hæc existere debet ad ostentationem perfectionem rei; omnis enim alia ostentatio est iuxta exigentiam, & naturam illius. Ratio autem est, quia sicuti non habent naturalem connexionem cum suis causis, & effectibus; ita non vllam naturalem amorem propriæ excellentiæ ostensionem, quam possunt dicto principio causari; neque signa debent res inter se istiusmodi virtutem, quam habent ad effectus miraculosos.

4 Hinc nego consequentiam, ad cuius probationem, nego sequelam, ad rationem in contrarium dico, Deum in ordine perfectionis non fecisse vacuum, quia nullus gradus perfectionis exactus ab hac rerum serie non existit. Cæterum vnde probat aduersarius esse gradum perfectionis exactum ab hac rerum serie, dari omnia entia inferiora quolibet ex entibus existentibus.

5 Aduerto hic primo, licet materia actualis sit prior qualiber forma actuali; non esse tamen qualibet imperfectiorem: naturam autem regulariter procedere ab imperfectis ad perfecta; sed si quæ præcedunt, habeant rationem finis cui; ad cuius perfectionem ordinentur sequentia, non debent præcedentia esse minus perfecta. Et sanè nemo dixerit substantiã intellectiuam, quam sequuntur operationes spirituales esse minus perfectam talibus operationibus.

In quo sẽsu materia dicitur nihil, nõ ens, &c.

6 Aduerto secundo, materiam à Platonicis dici nihil, non ens, &c. in sensu causali, quia videlicet vtpotè subiectum commune capax formarum oppositarum est causa, quare per aduentum nouæ formæ vetus redeat ad suũ nihilum, & non ens.

7 Vrgebis secũdo, forma ex genere suo est perfectior materia: ergo omnis forma est perfectior materia; prædicatum enim genericum descendit in singulas species. Antecedens probatur, inter formas est anima rationalis, ad cuius perfectionem nulla materia potest attingere. Distinguo antecedens: ita vt esse perfectiorem materia sit prædicatum genericum essentiale cuique formæ, nego: quia videlicet aliqua forma sub illo genere continetur, ad cuius perfectionem nulla materia valet attingere; concedo antecedens; & nego consequentiam: quia adhuc verificatur aliquam formam posse esse imperfectiorem materia.

8 Quæres secundo, verum posse recipere plures formas sit maior perfectio materiæ. Respondeo, rem esse dubiam, quia ex vna parte posse recipere formam est imperfectio; ergò posse plures, est maior imperfectio. Ex alia verò negari nequit capacitatem recipiẽdi perfectionem, licet admisceatur imperfectioni, esse aliquam perfectionem; est enim habilitas ad bonum, sicuti perfectio quædam intellectus est, esse capacem scientiarum; & maior perfectio, esse capacem plurium, quàm pauciorum. Quæ ratio me magis inclinat in partem affirmatiuam; verum quilibet sequatur, quod magis verum iudicauerit.

DISPVTATIO TERTIA.

De secundo principio compositi substantialis forma videlicet substantiali.

ORdo doctrinæ postulare videtur, vt post materiam, quæ est primum mutationis subiectum, de secundo compositi naturalis

principio, de forma videlicet agamus: non defuere autem inter veteres, quos magna ex parte latuerit non solùm essentia, & quidditas, sed etiā existentia formæ, vt ex *c. 1. metaphys. t. 3.* & ex Laertio *in vitis Philosoph. cap. 7.* referunt Conimbricenses *art. 1. quæst. 9. in c. 9. huius libri*. Primum inter antiquos, qui formā agnouerint, fuisse Pythagoram testantur ijdem Conimbricenses, cui adhærens Thimæus Locrensis materiam aliquādo subesse formis substantialibus affirmabat, idque quibusdam similitudinibus declarabat apud Platonem: ipse verò Plato duo formarum genera agnoscebat; alias separatas, quas ideas appellabat; alias materiæ addictas, quas formæ nomine indignas reputans, vmbras, seu imagines formarum dicebat: eo fortasse, quia ideas separatas imitantes, illarum imaginem referre viderentur. Omnium autem primus clarissimè formas substantiales adstruxit Aristoteles, cuius sententiæ paucis ex Platonis schola exceptis, omnes ferè posteri subscripsere.

SECTIO PRIMA.

Quid, & an sit forma substantialis?

Essentia formæ substantialis.

1 FOrma, ex dictis disputatione præcedenti est altera pars compositi essentialis intrinsecè perfectibilis, quæ supponit in comparte respectu sui rationem specialis requisiti à nobis explicatam. Non negauerim definitam ab Aristotele fuisse: *Quod quid erat esse rei*; hoc est ratio essentialis rei. Verum Aristoteles locutus est non de forma in communi, sed de substantiali, quæ de facto datur; hæc enim cum sit determinatiuum materiæ ad hanc potius speciem entis, quàm illam, non immeritò dicitur *Quod quid erat esse rei*. In mea etiam sententia cum forma intelligatur aduenire suo modo subiecto; est suo modo determinatiuum compositi, & consequenter etiam suo modo dici poterit *quod quid erat esse rei*.

Existit forma substātialis.

2 Iam verò certum est apud omnes ferè dari de facto formas substantiales; quam veritatem satis confirmant omnia, quæ diximus *disp. præced. sect. 2.* præcipuè dicto primo.

Probatur in homine.

Confirmatur primo ex homine, in quo sanctum fide est, animam rationalem esse formam informantem; & ratio est; quia homo habet aliquas operationes sibi proprias, & peculiares, vt discurrere, velle, & similes; hæ autem operationes debent radicari in aliquo principio substantiali, non enim casu, neque à quocumque fiunt; quod principium non potest esse materia actualis, quæ vtpotè subiectū commune de se indifferens est ad has, vel illas operationes: ergo erit forma, & quidem substantialis: quæ sit velut determinata radix illarum operationum in ea specie. Confirmatur, quando intensè speculamur, neque videmus, neque audimus multa, quæ cæteroqui & videremus, & audiremus; cuius rei ratio alia non est, nisi quia potentia visiua, & auditiua subordinantur alicui principio superiori, nempè animæ, quæ dum tota versatur circa speculationes, inepta redditur ad exercitia aliarum potentiarum. Neque dicas hoc prouenire à spiritibus vitalibus, qui relinquunt vnam potentiam, dum confluunt in aliam; quia hic cōcursus spirituum, qui antea inseruiebant omnibus potentijs, potiùs ad vnam partem, quàm ad aliam, non potest prouenire nisi ab aliqua forma superiori, quæ pro suo libitu, vel per naturalem sympathiam auocat spiritus modo ad vnam, modo ad aliam partem.

Probatur in alijs cōpositis.

3 Ex homine facilè est argumentari formā substantialem in brutis, plantis, & reliquis corporibus sublunaribus: in quibus debet aquè dari prima aliqua radix proprietatum, & operationum: cum enim quodlibet horum habeat plura imò opposita accidentia, debet dari aliquod permanens, quod illa omnia in officio contineat; & sit accidentium perditorum recuperatiuum, & præcipuè inuigilet in bonum totius. Confirmatur, quia aliquando corpus alteratum remoto contrario recuperat priùs temperamentum sibi connaturale, aliquando verò non recuperat: sic aqua calefacta remoto igne recuperat calorem sibi natiuum, lignum autem combustum non redit ad priora accidētia; hoc autem non aliundè oritur, nisi quia in primo casu remanet in aqua principium radicale illorum accidentium intrinsecum subiecto, quod principium non perseuerat in secundo casu: hoc autem principium radicale non est nisi forma substantialis: ergo verè datur forma substantialis.

Cur in homine sit vna forma substantialis?

4 Dices primo, quamuis in homine in diuersis partibus dentur diuersa accidentia, non ideò vna pars hominis differt substantialiter ab alia: ergo quamuis in corporibus videamus hanc accidentium diuersitatem, non ideò possumus colligere dari diuersas formas substantiales. Nego consequentiam; quia omnia accidentia hominis ordinantur ad conseruationem, & bonam constitutionem alicuius entis, quod sit simpliciter vnum: ergo benè possunt subijci vnico principio intrinseco radicali, cuius sit procurare bonum illius entis: at accidentia adeò diuersa corporum inferiorum non sunt temperamentum entis, quod sit simpliciter vnum; cum hoc vniuersum non sit vnum, nisi per aggregationem; quare mirum non est, si non supponant vnum principium radicale, sed multiplex; verum hac de re fusiùs in libris de anima.

5 Dices secundo, aqua calefacta recuperare pristinum frigus, quia in quibusdā aquæ calefactæ partibus remanet internum frigus, à quo deindè aliæ partes frigesiunt. Sed hoc est contra experientiam: peto enim: quænam partes frigidæ, & solidæ remanent in metallo feruente, & liquefacto? Præterea quænam est ratio cur potius vna, quàm alia pars perseueret

ret

ret frigida, & calida? Rursus quo modo partes solidæ, & frigidæ, quæ non possent esse nisi admodum paucę, possunt frigefacere, & addensare partes calidas, & liquidas; adeò multas; potiùs oppositum euenire deberet.

Qualitas nō recuperatur virtute alterius qualitatis.

6 Dices tertio, recuperari frigus vi alicuius qualitatis, quæ cum sit ordinis superioris, virtute contineat primas qualitates, sitque illarum principium. Sed contra, quia hoc, quod appellas qualitatem, potius esset substātia vtpotè determinata radix operationum, & accidentium. Deindè si talis qualitas est accidens, cui debetur, & accidit? certè omne accidens debetur alicui substantiæ, non materiæ ex se indifferenti ad omnia accidentia: ergo alicui alteri principio radicali; quod non videtur aliud esse, quàm forma.

Cur hostia calefacta remoto igne recuperat prius frigus.

7 Dices quartò: hostia consecrata calefacta remoto igne recuperat prius frigus debitū substantiæ panis: & tamen ibi non est substantia panis: ergo talis recuperatio non benè infert substantiam, & existentiam formæ substantialis. Distinguo antecedens; recuperat prius frigus naturaliter, nego; miraculosè, concedo antecedens. Deus enim ad maiorem fidei nostræ præstantiam, & meritum voluit hoc mysterium nullo signo patere sensibus, ideoque in ordine ad recuperationem, & productionē accidentium, voluit negotium eodem modo procedere, ac si adesset substantia panis; aliter manifestaretur saltem ex parte mysterium, nēpe defectus substantiæ panis.

Innuitur discrimen inter accidens, & substantiā.

8 Dices quintò: nulla substantia est in subiecto: sed omnis forma est in subiecto: ergo nulla forma est substantia. Maior probatur, quia esse in subiecto est proprium accidentium. Distinguo maiorem; nulla substantia est in subiecto; quod sit prima, & adæquata radix operationum in aliqua determinata specie concedo; quod non sit tale, nego; & distinguo minorem, sed omnis forma est in subiecto, quod sit prima, & adæquata radix operationum in aliqua determinata specie: nego, quod non sit tale, concedo minorem, & nego consequentiam; per hoc differt substantia ab accidente, quod substantia non accidens sit ens primum, & per se intentum à natura: ac proinde sit prima radix, cui debeantur omnia accidentia, & ornamenta in aliqua determinata specie: substantia igitur erit dicta prima radix, & quidquid spectat ad eius constitutionem; accidens autem erit cutis ens in alio radicatum, & non per se intentum: Item verò aliquæ formę, quamuis sint in subiecto, adhuc spectant constitutioné ad hanc primam radicem: prima enim radix in aliqua determinata specie non est sola materia, vt vidimus, ergo aliquę formę, quamuis sint in subiecto, erunt adhuc substantiales.



SECTIO SECVNDA.

Quotuplex sit forma substantialis in quolibet composito?

NON loquimur de formis adæquatis non subordinatis; neque quærimus vtrum materia possit simul habere duas, vel plures formas substantiales, quarum quælibet sufficiens sit independenter ab alia constituere totum; de hoc enim agemus sectione sequenti. Sēsus igitur quęstionis, est verū de facto in materia dentur duę, vel plures formę substātiales inadęquatæ, & subordinatæ ad componendum idem totum; ita vt quælibet seorsim ab alia nō sufficiat totum constituere.

2 Sunt primò nonnulli, qui iuxta quatuor substantiarum gradus distinguunt quatuor formas substantiales; sicuti enim ex substantijs alia est inanimata, alia vegetatiua, alia sensitiua, alia rationalis, ita iuxta hanc opinionem substantia inanimata constat vnica tantum forma. Vegetabilis, duabus: sensitiua tribus: rationalis quatuor: secundo alij docēt in diuersis partibus æthereogeneis, & dissimilibus viuentium existere præter formam totius diuersas formas substantiales, quas vocant partiales, ita vt caput substantialiter differat a pede, & caro ab ossibus. Verum quia hęc varietas non habet locū, nisi in corpore animato; ideo de his formis partialibus disputatio congruentius in libros de anima reuocatur. Tertio, ex medicis non pauci docent, in quolibet mixto dari formas substantiales elementorum. Verum de hoc agam in libris de ortu, & interitu. Quarto nonnulli tot admittunt formas realiter distinctas in quolibet composito, quot sunt in eodem gradus methaphysici, & prædicata essentialia formaliter distincta. Scotus demum in quolibet viuente agnoscit præter formam substantialem propriam, formam etiam corporeitatis, quam solum in homine admittendam arbitratur Henricus: nostra quæstio solùm procedit in primo, quarto, & vltimo sensu; cum in secundo, & tertio spectet ad alia loca.

3 Dico primo: formas in composito non esse multiplicandas pro multiplicitate prædicatorum essentialium probatur: quia prędicata essentialia eiusdem indiuidui inter se non distinguuntur realiter, vt vidimus in logica: ergo eadem forma, quæ formaliter confert vnum prædicatum, confert aliud; aliter prædicata realiter inter se distinguerentur.

4 Vrgebis Aristoteles 7. *met. cap.* 10. docet partibus definitionis correspondere partes rei; *& lib.* 2. *met. cap.* 2. in formis substantialibus non dari processum in infinitum, quia nō datur in conceptibus quidditatiuis. Respondeo ad primum, partibus definitionis correspondere partes rei definitæ, vel realiter distinctas, si definitio sit tradita per prædicata physica, vel solùm metaphysicè diuersas, si definitio sit tradita per prædicata metaphysica. Ad secun-

Mm 2 dum

dum dico rectè intulisse Aristotelem, conceptus obiectiui non sunt infiniti; ergo neque formæ; quia si formę essent infinitæ funderent velque conceptus obiectiuos infinitos; at multiplicatio conceptus obiectiui non necessariò infert multiplicitatem formarum, cum vna forma possit formare plures conceptus obiectiuos.

Non datur forma corporeitatis.

5 Dico secundò: ne in homine quidem dari formam corporeitatis. Suppono autem materiam, sicuti est ens substantiale materiale incompletum, ita esse etiam ex se ens incompleté corporeum; neque per hoc differt à forma, quod materia sit corporea, forma verò incorporea. Probatur forma hæc corporeitatis si daretur, vel haberet aliquem ordinem, & connexionem cum forma particulari cuiuslibet compositi, vel non? si secundum, ergo in composito essent duæ formæ substantiales omninò disparatæ, quod videtur absurdum: quia vel ambæ essent totales? & sic altera esset naturaliter saltem superflua, vel ambę partiales? & sic nō fieret ex illis tribus saltem naturaliter aliquod substantiale absolutè vnum; nam quamuis vtraque forma partialis vniretur materię, vna tamen non vniretur alteri: ergo quamuis ex materia, & qualibet forma resultaret aliquod substantiale absolutè vnum, non tamen ex materia, & vtraque forma: sicuti quamuis subiectum habens albedinem, & calorem faciat absolutè aliquod vnum cum qualibet ex illis qualitatibus; ex subiectis tamē, & duabus qualitatibus, seu ex vtraque qualitate simul cum subiecto non fit vnum absolutè dictum; quia illæ qualitates sunt omninò inter se disparatæ, nec vllo modo vniuntur ad faciendum vnum.

6 Si dicas primum, quod videlicet ista forma corporeitatis dicat ordinem, & sit connexa cum forma particulari totius? Iterum peto; vel vtraque forma est totalis? & sic altera est superflua: vel altera totalis, altera partialis? & ita partialis superfluit; vel demum vtraque est partialis? & vlterius insto; cum hæ formæ sint inter se rationis omninò diuersę, & vna, nempè forma corporeitatis, sit in priori signo ad formam totius, transiens ex vna in aliam formam, non videntur primo posse inter se comparari, vt duæ formæ partiales constantes vnam totalem, sed potius forma corporeitatis erit materia, & subiectum respectu formæ totius, cum qua vnitur; vt colligi potest ex ijs, quæ de materiæ, & subiecti essentia diximus: ergo nulla est ratio ponendi hanc formam corporeitatis distinctam á materia, immò est potissima ratio illam non admittendi. Rursus hęc forma corporeitatis vnita materiæ faceret vnū substantiale completum cum illa: ergo forma totius adueniens esset accidens: antecedens probatur, qui id assereret non posset impugnari fundatus in illo principio, ex potentia, & actu substantiali fit vnum per se completū, neque facilè coinceres illam formam corporeitatis non esse adæquatam.

7 Obijcies primo cum Scoto, anima est actus corporis physici organici: ergo anima supponit corpus organicum; ergo supponit materiam primam cum forma corporeitatis; materia enim prima non est ex se corpus organicum. Nego secundam consequentiam; quia materia organizata est materia prima affecta accidentibus, quæ sufficiunt ad functiones vitæ. Nullum autem est absurdum, quod anima dicatur actus huius materiæ. Sicuti nullum est absurdum, quod forma ignis dicatur actus materiæ calidæ.

Forma cadauerica adstruitur.

8 Obijcies secundo, in morte hominis expellitur anima, nec aduenit noua forma; ergo ne dicamus, materiam tunc expoliari omni forma, dicendum est dari formam corporeitatis. Antecedens probatur, si introduceretur noua forma, esset diuersa in vno, ac in alio animali etiam eiusdem speciei pro diuersitate dispositionum, quæ succedunt dispositionibus formæ viuentis, quod est contra experientiam, qua ducti iudicamus idem esse cadauer ex quacumque causa sequatur mors. Arriaga putat, tunc materiam spoliari omni forma.

9 Nego tamen antecedens: succedit enim forma cadauerica, quæ est forma subsequēs animam; non est autem necesse, vt omnes formæ subsequentes sint eiusdem speciei, sed potius consequens est, pro varietate dispositionū variari etiam formas; cum hac autem varietate non pugnat similitudo accidentium externorum: cum illa enim similitudine potest stare tanta dissimilitudo, vt exigat formas diuersas. Addunt nonnulli in corpore eiusdem animalis diuersas posse esse formas cadauericas, in diuersis partibus, quia possunt in his partibus inueniri accidentia adeo diuersa, vt exigant diuersas formas.

10 Verum autem Verbum in triduo sepulturæ assumpserit formam cadauericam; & quomodo fuerit idem Corpus Christi sepultum, & natum ex Virgine, & similia, quæ hic moueri solent; & sunt facilis solutionis, & spectant ad Theologos.

11 Instabis non potest assignari causa huius formæ cadauericæ. Nego assumptum: causa enim vel sunt ipsæ dispositiones, vel Deus, aut aliæ causę vniuersales, ad exigentiam illarum, iuxta varios philosophandi modos.

Vtrum forma cadauerica hominis sit eiusdem speciei in omnibus.

12 Vrgebis, dispositiones hę diuersæ videntur exigere diuersam formam; ergo diuersa est forma cadauerica, si homo moritur ex frigore v.g. ac si moritur ex calore. Respondeo nullum esse in consequenti inconueniens. Cæterū eadem forma cadauerica potest produci siue homo moriatur ex frigore, siue ex calore: forma enim cadauerica non oritur immediatè ex frigore, vel calore, sed ex temperamento aliarum qualitatum, quod potest esse omninò simile, quamuis modo oriatur ex calore, modo ex frigore; sicuti idem est temperamentū proximum requisitum ad formam aceti, licet vinum

num modo acrescat ex nimio frigore, modo ex nimio calore.

Caro mortua non est substantialiter eadē, ac viua.

13 Instabis quinto, caro mortua, & viua est substantialiter eadem: ergo habent eandem formam substantialem: non animam, quæ non est in mortua; ergo eandem formam corporeitatis. Antecedens probatur, si non esset eadē, qui comederat carnem mortuam, non frangerat ieiunium. Nego antecedens, ad probationem nego assumptum; frangitur enim ieiuniū, dum comeditur caro mortua, cuius comestionem prohibuit Ecclesia, minimè curans de forma corporeitatis, sed tantùm attendens ad delectationem, & vires, quæ indè proficiscuntur.

14 Objicias tertio, homo est ens corporeum: ergo debet habere formam corporis, quæ non est anima spiritualis; erit igitur forma corporeitatis. Respond. hominem dici corporeum à sola materia, non à forma.

15 Instabis ergo homo non est adæquatè, sed partialiter corporeus. Distinguo consequens, formaliter, concedo; denominatiuè, nego; totus homo denominatur corporeus à materia, sicuti denominatur intellectiuus ab intellectu.

Cur homo dicitur & est corporeus potius quā spiritualis?

16 Instabis iterum in homine est materia corporea, & forma spiritualis; vnio autem est per multos duplex; alia materialis, alia spiritualis; ergo non est ratio cur potius dicatur materialis, quàm spiritualis. Nego consequentiam, ratio est, quia totum conflatum ex anima, & corpore non est penetrabile, sed impenetrabile: ergo debet dici absolutè materiale, non spirituale.

17 Instabis sexto, animata constant corpore, & anima; inanimata non constant corpore, & forma: ergo signum est in viuentibus præter animam, & materiam dari formam substantialem corporeitatis. Nego consequentiā, animata dicuntur constare corpore, & anima: quia altera illorum pars debet esse diuersis accidentibus, & organis disposita ad diuersas vitæ functiones, quod non verificatur de materia aliorum corporum. Illud hic aduerto hoc nomen corpus, esse æquiuocum, & aliquando significare solam materiam, aliquando materiam organizatam, aliquando totum substantiale, quare non est, cur ex hoc nomine aliquid contra nos inferant aduersarij.

Vnde grauitas in corpore.

18 Objicies quarto, grauitas in animali non prouenit ex anima, neque à materia indifferenti ad grauitatem, & leuitatem: ergo à forma corporeitatis. Antecedens quoad primam partem probatur, anima est principium motus progressiui; qui opponitur motui deorsum: ergo anima non potest esse principium motus deorsum; nulla enim res potest esse principium motuum contrariorum; ergo anima non est principium grauitatis inclinantis ad motum deorsum. Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; neque enim vllum est absurdum, quod idem principium inclinet in diuersis circumstantijs ad motus contrarios; dummodó non inclinet ad ponendos illos simul. Principium igitur motus deorsum est grauitas totius exacta ab anima; principium autem motus progressiui est eodē modo anima adiuta à spiritibus animalibus, & grauitate, vt notabam in logica agens de habitibus.

Quomodo in homine augetur grauitas.

19 Vrgebis aucta materia in homine, augetur grauitas, & non augetur anima: ergo grauitas non prouenit ab anima. Nego consequentiam; sicut enim aucta materia augetur tēperamentum exactum ab anima, quamuis anima non augeatur; ita aucta materia augetur grauitas, quamuis non augeatur anima. Ratio autem est: quia ipsa anima exigit, vt in pluribus partibus materiæ à se informatæ sint plures partes grauitatis.

Quomodo dū ex lapsu equus deorsū mouetur eius anima seipsam interimat.

20 Vrgebis iterum, si grauitas est ab anima, ergo ipsa anima se interimit, dum cadens ab alto animal in medio moritur ex motu deorsum per grauitatem producto. Distinguo cōsequens, se interimit directè, nego, indirectè, concedo consequentiam. In hoc autem nullum est absurdum, sicuti nullum est absurdum, quod ignis absumendo pabulum indirectè causet suum interitum. Grauitas igitur à natura, & ab anima intenditur ad hunc finem, vt iuuat motum progressiuum, & alios motus mixtos valdè vtiles, & necessarios animali; per accidēs autem est, quod in aliquo casu per accidens, in quo non subditur imperio animæ, & spiritibus animalibus, causet motum rectum deorsum; & sit causa mortis; ad illos autem motus nullo modo concurrit anima, sed grauitas ab illa procedens.

21 Vrgebis tertiò, animal cadens ex turri, si moriatur in medio, pergit descendere cum eadem velocitate, qua prius: ergo ille motus, & grauitas non prouenit ab anima. Nego consequentiam quoad grauitatem; quamuis enim tunc motus sequens sit æquè velox, ac præcedens; tamen non est necesse, vt perseueret vel eadem grauitas, vel quod grauitas procedat ab anima; sufficit enim, si vel conseruetur eadem grauitas, sed ab alia causa; vel motus procedat à grauitate simili præcedenti.

22 Dices anima hominis est perfectior anima equi; ergo debet magis grauitare. Nego consequentiam, cuius oppositum debuisset potiùs inferri. Illud hic aduerto, hominem esse corpus completum, non quia non dicat nisi partes corporeas: sed quia habet materiam, quæ sufficiens est ad tribuendam denominationem corporis, & completur per animam; neque absurdum putari debet si spiritus tribuat denominationem corporis completi, non quidem tribuendo rationem corporis, sed complementum. Aduerto præterea rationem corporis completi in homine non distingui à prædicato rationali; quia corpus completum in homine dicit hanc materiam, hanc formam, hanc vnionem, in quibus adæquatissimè etiam

situs

eodem vlterius complebilis, & actuabilis per formam substantialem.

SVBSECTIO TERTIA.

Vtrum materia dependeat à forma?

Duplex dependentia, alia à priori, alia à posteriori.

18 DVplex dependentia excogitari potest: alia à priori, tamquam à causa, quæ ex suo conceptu est prior effectu; alia à posteriori tamquam ab effectu, qui ex communi sensu est posterior sua causa: dependere igitur à posteriori est dependere ab effectu, non quia effectus sit causa suæ causæ, quod spectat ad aliam quæstionem: sed quia est terminus ita necessariò exactus à sua causa, vt sine illo saltem naturaliter nequeat causa existere. Quærimus igitur in præsenti, vtrum materia prima actualis pendeat à priori, vel à posteriori á forma? vt autem clarius procedamus.

Forma nō est causa materiæ.

19 Dico primo, materia non causatur physicè à forma: probatur; non causatur à forma in genere causæ formalis, neque enim constituitur in sua essentia per formam: nam quamuis dem Thomistis materiam existere per existentiam formæ, non tamen in sua essentia constituitur per formam, vel eius existentiam, licet vt existens constituatur per illam existentiam, quæ ad summum erit causa formalis huius concreti, materia existens; neque forma potest dici causa extrinseca, aut efficiens illius concreti, cum non causet aut essentiam materiæ, aut suam existentiam. Ideoque neque secundo forma est causa efficiens materiæ, quæ solùm dependet efficienter à Deo.

20 Dixi, physicè, quia fortasse non est improbabile formam in genere causæ finalis, & vt intentionaliter existentē causare materiam; de quo infra.

[illegible] miraculosè existere spoliata omni forma substantiali.

21 Dico secundo, materia actualis potest saltem miraculosè existere spoliata omni forma substantiali: probatur entia incompleta defacto existentia non ita connectuntur cum suis complementis, vt non possint miraculosè conseruari sine illis: accidentia enim quamuis incompleta, & indigentia subiecto; tamen conseruantur in Eucharistia sine subiecto: ergo quamuis materia sit ens incompletum, adhuc poterit miraculosè conseruari sine forma substantiali. Circa mentem D. Thomæ P. Arriaga concedit illum Thomistis; sed Quiros docet, S. Thomam, si aliquando aliquod in oppositum docuisse videtur, loquutum esse de forma in tota sua latitudine; quatenus dicit actum non solùm physicum, sed etiam entitatiuum, & existentiæ; sine quo certum est materiam non posse esse.

22 Obijcies primo, nihil substantiale potest spoliari omni subsistentia; sed materia spoliata omni forma substantiali, caret omni subsistentia. Multi non improbabiliter negant maiorem; minor etiam claudicat; materia enim spoliata omni forma posset etiam subsistere vel subsistentia propria, & partiali, vel diuina, vt euenit in Christo Domioo.

Materia potest spoliari omni forma, & si careat propria existentia.

23 Obijcies secundò, quantitas non potest miraculosè spoliari omni figura; ergo neque materia omoi forma. Nego antecedens, potest enim quantitas reduci in punctum, quod caret omni figura: quod si hanc reductionem neges, nego tibi consequentiam; quantitas enim non redacta in punctum, sed extensa est necessariò figurata; at nihil probat materiam non posse spoliari forma. Illud hic aduerto hac vera esse, quamuis supponas materiam existere per existentiam formæ; nam spoliata omni forma adhuc posset existere per existentiam alterius rei, vel etiam diuinam, vt docent Thomistæ de materia Christi Domini, in quo casu Deus non suppleret munus causæ formalis: neque enim faceret, vt haberetur effectus formalis sine forma.

Materia actualis nūquā extitit spoliata omni forma substātiali.

24 Dico tertiò; materia, quæ defacto datur, numquam fuit spoliata omni forma substantiali, probatur nullum habemus argumentum huius spoliationis miraculosæ, & contra exigentiam materiæ; ergo non debet admitti probo consequentiam; non debet admitti sine argumento, quod est contra exigentiam naturæ: ipsa enim exigentia dictat, non esse admittendum. Quod si *Genesis primo* dicitur: terra autem erat inanis, & vacua; nomine terræ nō venit materia prima, vt volunt nonnulli; sed vnum ex elementis constans materia, & forma; dicitur autem fuisse inanis, & vacua: quia carebat ornatu florum, arborum, &c.

25 Vrgebis in triduo sepulturæ materia Christi Domini extitit sine vlla forma. Nego assumptum; habuit enim formam cadauericam, neque hinc inferas corpus Christi fuisse corruptum, cum non resolutum fuerit in vermes, & cineres: nulla verò ratio suadet fuisse illam formam cadauericam hypostaticè vnitam Verbo diuino, licet nonnulli non vereantur id cōcedere: verū circa hanc rem Lectorē ad Theologos remitto.

26 Demum aduerto hic, cum quis gladio percussus repente moritur, eius corpus non manere spoliatum omni forma substantiali; illud enim agens, & dispositiones, quæ exigūt, & causant expulsionem animæ rationalis, causant etiam formam cadauericam, quæcumque tandem sit talis forma, & causa.

Materia non potest naturaliter spoliari omni forma substātiali.

27 Dico quartò: materia non potest naturaliter spoliari omni forma substantiali; probatur materia iuxta leges naturæ non potest amittere vnam formam, nisi acquirat aliam; ergo non potest iuxta leges naturæ spoliari omni forma. Antecedens probatur ex communi proloquio; corruptio vnius est generatio alterius; & è contra, generatio vnius est corruptio alterius. Et confirmatur, nisi introducatur noua forma, non est causa naturaliter exigens expulsionem antiquæ: ergo iuxta leges naturæ non potest á materia expelli vna firma, nisi introducatur alia: lex enim naturæ est, vt nihil

de

de nouo fiat, aut corrumpatur non præsente causa talis productionis, & corruptionis. Antecedens probatur expulsio formæ antiquæ nõ potest poni, quia deficit eius formę causa: nam causæ sunt Deus, & materia, quæ non deficiunt: ergo ponitur, quia illa expulsio exigitur à forma noua.

Destructis dispositionibus, ad primã formam, non dum introductis ad secundã, non debet destrui prima

28 Obijcies primò: possunt destrui dispositiones requisitę ad formam pręsentem, quin introducantur dispositiones ad formam nouam: ergo potest materia spoliari omni forma. Antecedens probatur, quia primò nulla est necessaria connexio inter carentiam dispositionum ad formam pręsentem, & dispositiones ad formam nouam. Secundò id euenire autumant in formatione fetus; dum enim in parte materiæ minori ea, quæ sufficit, vt informetur anima, introducuntur dispositiones sufficientes, vt illa pars materię informetur anima; iam expulsæ sunt dispositiones requisitæ ad formam antiquam, nec tamen ex defectu quantitatis, & extensionis illa materia est absolutè potens vniri animæ. Nego consequentiam, & ni fallor, aduersarius videtur supponere in argumento, formam dependere in conseruari à dispositionibus, cuius oppositũ est mihi est probabilius; quare corruptis dispositionibus ad primã formam, nec introductis ad nouam sufficientibus, non debet expelli verus.

29 Aduerto hic, Deum dum miraculum patrat, semper compensare, vt suppono, cum Perea, & Esparza, alijsque Theologis non infimæ notæ, damnũ, quod creatura patitur alio bono, vel ęquali, vel absolutè maiori; in quo vel maximè ostendit perfectionem suæ virtutis, & sapientiæ, dum deordinationem inferioris ordinis compensat pulchritudine quadam, & ordine superioris ordinis, quæ cum illa deordinatione connectuntur; sic damnũ, quod patiuntur accidentia panis, & vini separata à substãtia propria, cum excessu compensatur, dum assumuntur ad inseruiendum altissimo fini tum gloriæ diuinę, tum vtilitatis nostræ, quæ in mysterio Eucharistiæ elucent; non est tamen necesse, vt bonum illud sit intrinsecum creaturæ, quæ per miraculum detrimentum patitur, sed sufficit, si in rerum natura ponatur ad constituendum ordinem, & pulchritudinem vniuersi vel ęqualem, vel longè superiorem; igitur materia separata ab omni forma detrimentum quidem aliquod pateretur, sed posset cõpensari bono longè meliori, vel saltem æquali necessariò connexo cum tali detrimento: quod autem sit tale bonum, non est necesse, vt à nobis determinatè cognoscatur: sufficit enim si probetur non implicare, quod iam præstitimus exemplo præsertim accidentium Eucharisticorum.

Materia pẽdet à posteriori ab vnione ad aliquam formam.

30 Dico quintò: probabile satis esse, materiam naturaliter destruendam destructa vnione ad omnem formam substantialem, ideoque veluti à posteriore dependere à tali vnione: probatur nulla res potest naturaliter existere sine fine à se naturaliter, & principaliter intento: sed finis principaliter, & naturaliter intentus à materia est compositum substantiale: ergo materia non potest naturaliter existere sine composito substantiali à se constituto; sed sine illa vnione iam existeret sine composito substantiali: ergo, &c. Maior, in qua sita est difficultas: probatur nulla res potest existere naturaliter sine causa efficiẽte, & materiali naturaliter productiuis illius: ergo neque sine causa finali naturali, & sanè sicuti datur respectu cuiuscũque entis naturalis causa efficiens, & materialis naturalis, sine qua esse nequeat; ita debet dari causa finalis item naturalis omnino necessaria ad eiusdem existentiam: cum non minor sit necessitas causæ efficientis, & materialis, quàm finalis: quin immò hęc videtur cæteris præeminere, & esse veluti primũ mouens inclinans causam efficientem antecedenter etiam ad omnem illius operationem.

Quę causa materię deficiat deficiente forma.

31 Obijcies primò: perseuerante causa efficiente proximè potente causare effectum, debet naturaliter perseuerare effectus: sed deficiente forma perseuerat causa efficiens proximè, & completè potens causare materiam; ergo deficiente forma adhuc naturaliter perseuerat materia: maior probatur; causa efficiens completè potens operari, debet habere effectũ: aliter non esset completè potens. Minor probatur, forma non est causa efficiens, aut complementum illius respectu materiæ, & quamuis sit causa finalis; nemo tamen dixerit, causam finalem complere principia physica productiua rei: ergo deficiente forma adhuc perseuerant principia omnia physica, quæ requiruntur ad naturalem positionem materiæ.

32 Nego minorem: ad probationem; nego consequentiam: quamuis enim forma non sit causa efficiens, neque spectet ad complementum proximum illius; tamen deficiente forma deficit principium efficiens completũ, ac naturale materiæ, non quidem formaliter, cum tale principium non compleatur per formam, sed argutiue: quia videlicet deficit aliquid aliud, quod complet principium physicum: & in casu nostro deficit decretum Dei applicatiuum omnipotentię ad conseruationẽ materiæ: posita enim scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus videt in sua essentia, tamquam in prima ratione, & idea, ac perfectissimo exemplari omnium rerum essentias, proprietates, & fines, ad quos naturaliter ordinantur, & ex cuius intentione debent produci, si naturaliter producenda sunt; non potest decreto connaturali exigentię materiæ intentionaliter existentis in idea diuina, velle efficaciter materiam existere, quin efficaciter velit existentiam compositi, quod intentionaliter existens mouet suo modo vt causa finalis diuinam voluntatem, ne materia ponatur sine composito, & forma: quare licet forma, & compositum sumpta secundum esse reale sint in posteriori signo ad materiam, tamen intentionaliter accepta,

cepta,

cepta, sunt aliquo modo priora: quin immò ipsa essentia materiæ intentionaliter existens in mente summi Artificis exigit,ne impediatur à consequutione sui finis,quod est compositum, & forma:& hæc Dei sũma perfectio est lex naturæ fundans omnes exigentias: materia igitur existens sine forma esset primo contra exigentiam sui intentionaliter existentis:secundò cõtra exigentiam vniuersi petentis res poni iuxta modum connaturalem illis à diuina sapientia præscriptum.

Cur anima rationalis potest separata naturaliter existere.

3 Obijcies secundo, non minùs materia, quàm anima rationalis est ens incompletum ordinatum ad faciendum vnum cum sua comparte; ergo non minùs compositum est finis materiæ, quàm animæ rationalis; ergo si anima rationalis post mortem hominis naturaliter conseruatur sine composito, poterit etiam & materia. Nego primam conseq. maiorem enim connexionem cum composito habet materia, quàm anima rationalis; nam materia ex suis intrinsecis, vtpotè subiectum primum actionum agentium naturalium non potest spoliari vna forma, quin acquirat aliam: ergo ex suis intrinsecis videtur tamquam ad principalem, & vltimum finem, quin imò suo modo adæquatum ordinata ad compositũ substantiale: at anima rationalis virtute agentium naturalium potest naturaliter separari ab omni materia: ergo signum est eius finem non esse compositum, sed quod potius ipsa habeat rationem finis respectu compositi; naturaliter enim exigit primo produci in materia,& constituere totum,vt dependenter ab organo corporeo possit acquirere rerum species, & scientiã, in qua præcipuè sita est eius felicitas. Præcipuus igitur finis animæ rationalis non est, componere totum, sed contemplatio summi boni, & felicitas, quem finem etiam separata, imo perfectiori modo, nisi propria culpa impediatur, obtinet; licet non sine dependentia, & respectu ad vnionem habitam cum materia. Loquor de felicitate naturali.

Quomodo cõseruatur ignis approximatus impeditus à combustione.

34 Obijcies tertio, ignis si approximatus miraculosè impediatur ab ignefactione, vt euenit in igne babylonico,non miraculosè cõseruatur,nec debet naturaliter destrui: ergo quãuis materia miraculosè spolietur omni forma, nõ ideo debet destrui. Nego primò antecedẽs, cum summa triumphantis phylosophiæ *lib.* 2. *dist.* 3. *num.* 8. docente solem impeditum ab illuminatione, & ignem applicatum á combustione, miraculosè conseruari. Secundo distinguo antecedens, & quidem si causa efficiens ita sit connexa cum existentia effectus vt à nulla causa creata possit impediri à tali effectu, dico talem causam impedito effectu non posse naturaliter conseruari, & nego antecedens: videtur enim respicere illum, vt finem omninò sibi necessarium: si verò possit naturaliter impediri, vel quia potest impediri applicatio ad passum extrinsecum, vel quia validius agens producens in subiecto effectum oppositum, est causa, ne hoc agens producat suum; dico tunc talem causam impeditam naturaliter perseueraturam, & concedo antecedens; neque enim habet necessariam, & connaturalem connexionem cum tali effectu, tamquam cum fine, vel proprietate. Tum nego consequentiam: materia enim comparata cum forma, & composito se habet vt causa primi ordinis: constat enim à posteriori materiam virtute nullius agentis naturalis posse spoliari omni forma substantiali, & quãuis possit naturaliter poni nouum ens, non tamen rationabiliter dici potest,quod valeat naturaliter spoliari effectu, ac sine illo existere causa, quæ numquam extitit sine illo, nec ab illo potest virtute agentium naturalium separari.

35 Dices quamuis ignis secundum suam substantiam possit naturaliter separari à combustione, tamen ignis approximatus non comburens deberet destrui. Respondeo ignem approximatum posse impediri à validiore agente ne comburat: quod si absit validius agens, tunc impedita miraculosè combustione, non debet naturaliter destrui ignis: quia hic non ratione sui habet connexionem cum illo effectu, sed debet destrui, vel approximatio,vel carẽtia validioris agẽtis:approximatio enim ignis, cũ illa carentia habent necessariam connexionem cum combustione.

36 Obijcies quartò: finis materiæ naturalis est etiam, vt impediat vacuum, & transmittat influxus cęlestes: ergo spoliata omni forma substantiali potest naturaliter conseruari ob hosce omnes fines. Nego consequentiam: quia adhuc deficeret finis primarius, propter quem conseruaretur: solùm igitur infertur, quod spoliata omni forma non esset omninò frustra.

37 Obijcies 5. tunc solùm debet cessare medium, & res, quando finis cessat per se, non quando cessat per accidens. Sed cõtra; cessante causa efficiente siue per se, siue per accidens semper cessat effectus:ergo siue per se, siue per accidens cessat finis primarius, semper etiam cessare debet res ipsa.

38 Obijcies sextò: non potest explicari vtrum actio conseruatiua materiæ separatæ ab omni forma, sit eadem cum actione, qua conseruatur materia sub forma? Respondeo futurã diuersam ex diuersitate decreti; sicuti diuersa est causalitas, qua defacto causatur homo eleuatus ad statum supernaturalẽ, ac fuisset actio, qua conseruandus fuisset in puris naturalibus; de quo puncto infra fusiùs dicam.

39 Ex dictis infero:non repugnare dependentiam à posteriori, quam supra explicauimus; & sanè quæ dicta sunt de materia spoliata omni forma,satis probabiliter ostendunt talis dependentiæ possibilitatem.

40 Illud hic aduerto,Aristotelem non docuisse, omnia priora posse esse sine posterioribus; sed solùm dixisse, *quæcumque contingunt sine alijs, ea esse priora:* vnde quamuis materia non possit esse sine forma, adhuc potest esse prior

prior illa. Præterea aduerto actionem illam, qua materia conseruaretur spoliata omni forma futuram secundum substantiam naturalem, quia respiceret terminum substantialiter, & intrinsecè naturalem.

SECTIO SEPTIMA.

Percurruntur reliqua, quæ spectant ad materiam.

Materia actualis nō est omnium ens imperfectissimum

QVæres primo, vtrum materia, quæ de facto datur, sit omnium entium imperfectissima? Respondeo negatiuè: est enim materia ens substantiale, & incorruptibile: erit igitur perfectior multis accidentibus; quin immò non improbabiliter quis affirmauerit esse perfectiorem aliqua forma substantiali ens actuali; prædicata enim alicuius formæ, vt formæ cineris, v. g. nullius ferè sunt actiuitatis, nec habent aliquam specialem pulchritudinem, per quam videantur posse compensare prædicata illa materiæ.

Argumētū Antonij Perez probantis materiam esse infimā omnium substantiarum possibilium

2 Vrgel is primo ex Antonio Perez, quem qui cognouere omnes ferè mirabilis Theologi titulo cohonestant. Materia est infimum omnium entium saltem substantialium, quæ de facto dantur; ergo non est possibilis alia materia, aut ens substantiale imperfectius hac materia. Probatur consequentia: si esset possibilis illa substantia imperfectior materia, de facto daretur; quia Deus ita de facto rer dispoSuit, vt in ordine perfectionis non detur vacuitas, sicuti non datur vacuum in natura quoad locum; sed incipiendo à nihilo qualibet habet sibi coexistentem immediatè à se excessam: aliter frustra dedisset Deus singulis naturis eminentibus virtutem manifestandi suā eminentiam, & inclinationem ad talem manifestationem; quo videlicer ita manifestent integrè, & quantum possunt Dei perfectionem, & eminentiam supra omnia. Et confirmatur; si materia haberet perfectionem minorem perfectione alicuius alterius substantiæ possibilis, queri iure posset se iniuria factam esse caudam mundi.

3 Hic tamen philosophandi modus licet viri acutissimi, mihi absolutè non probatur; quia primo in rebus non intellectualibus non est ponendus ille appetitus excellentiæ, & superioritatis, sed tantùm exigentia, vt existant causæ, à quibus producuntur; & effectus, ad quos producendos inclinant, neque aliud præter hæc existere debet ad ostentationem perfectionem rei; omnis enim alia ostentatio est fixea exigentiam, & naturam illius. Ratio autem est, quia sicuti non habent vllam naturalē connexionem, nisi cum suis causis, & effectibus; ita non exigunt naturaliter amorē propriæ excellentiæ ostensionem, quam possunt dicta principia causare, neque hinc debent res vniuersaliter vt à sideo virtutibus, quam habent ad effectus in miraculoses

4 Hinc nego consequentiam, ad cuius probationem, nego sequelam, ad rationem in contrarium dico, Deum in ordine perfectionis non fecisse vacuum, quia nullus gradus perfectionis exactus ab hac rerum serie non existit. Cæterum vnde probat aduersarius esse gradum perfectionis exactum ab hac rerum serie, dari omnia entia inferiora quolibet ex entibus existentibus.

5 Aduerto hic primo, licet materia actualis sit peior qualibet forma actuali; non esse tamen qualibet imperfectiorem: naturam autem regulariter procedere ab imperfectis ad perfecta; sed si quæ præcedunt, habeant rationem finis cui; ad cuius perfectionem ordinentur sequentia, non debent præcedentia esse minus perfecta. Et sanè nemo dixerit substantiā intellectiuam, quam sequuntur operationes spirituales esse minus perfectam talibus operationibus.

In quo sēsu materia diritur nihil, nō ens, &c.

6 Aduerto secundo, materiam à Platonicis diei nihil, non ens, &c. in sensu causali, quia videlicet vtpotè subiectum commune capax formarum oppositarum est causa, quare per aduentum nouæ formæ vetus redeat ad suū nihilum, & non ens.

7 Vrgebis secūdo, forma ex genere suo est perfectior materia; ergo omnis forma est perfectior materia; prædicatum enim genericum descendit in singulas species. Antecedens probatur, inter formas est anima rationalis, ad cuius perfectionem nulla materia potest attingere. Distinguo antecedens: ita vt esse perfectiorem materia sit prædicatum genericum essentiale cuique formæ, nego: quia videlicet aliqua forma sub illo genere continetur, ad cuius perfectionem nulla materia valet attingere, concedo antecedens; & nego consequentiam; quia adhuc verificatur aliquam formam posse esse imperfectiorem materia.

8 Quæres secundo, verum posse recipere plures formas sit maior perfectio materiæ. Respondeo, rem esse dubiam, quia ex vna parte posse recipere formam est imperfectio; ergo posse plures, est maior imperfectio. Ex alia verò negari nequit capacitatem recipiēdi perfectionem, licet admisceatur imperfectioni, esse aliquam perfectionem; est enim habilitas ad bonum, sicuti perfectio quædam intellectus est, esse capacem scientiarum; & maior perfectio, esse capacem plurium, quàm pauciorum. Quæ ratio me magis inclinat in partem affirmatiuam, verum quilibet sequatur, quod magis verum iudicauerit.

DISPVTATIO TERTIA.

De secundo principio compositi substantialis forma videlicet substantiali.

ORdo doctrinæ postulare videtur, vt post materiam, quæ est primum mutationis subiectum, de secundo compositi naturalis

principio, de forma videlicet agamus: non defuere autem inter veteres, quos magna ex parte latuerit non solùm essentia, & quidditas, sed etiã existentia formæ, vt ex c. 1. *metaphys. t. 9.* & ex Laertio *in vitis Philosoph. cap. 7.* referunt Conimbricenses *art. 1. quæst. 9. in c. 9. huius libri*. Primum inter antiquos, qui formã agnouerint, fuisse Pythagoram testantur ijdem Conimbricenses, cui adhærens Thimæus Locrensis materiam aliquãdo subesse formis substantialibus affirmabat, idque quibusdam similitudinibus declarabat apud Platonem: ipse verò Plato duo formarum genera agnoscebat; alias separatas, quas ideas appellabat; alias materiæ addictas, quas formæ nomine indignas reputans, vmbras, seu imagines formarum dicebat; eo fortasse, quia ideas separatas imitantes, illarum imaginem referre viderentur. Omnium autem primus clarissimè formas substantiales adstruxit Aristoteles, cuius sententiæ paucis ex Platonis schola exceptis, omnes ferè posteri subscripsere.

SECTIO PRIMA.

Quid, & an sit forma substantialis?

Essentia formæ substantialis.

1 FOrma, ex dictis disputatione præcedenti est altera pars compositi essentialis intrinsecè perfectibilis, quæ supponit in comparte respectu sui rationem specialis requisiti à nobis explicatam. Non negauerim definitam ab Aristotele fuisse: *Quod quid erat esse rei*; hoc est ratio essentialis rei. Verum Aristoteles locutus est non de forma in communi, sed de substantiali, quæ de facto datur; hæc enim cum sit determinatiuum materiæ ad hanc potius speciem entis, quam illam, non immeritò dicitur *Quod quid erat esse rei*. In mea etiam sententia cum forma intelligatur aduenire suo modo subiecto; est suo modo determinatiuum compositi, & consequenter etiam suo modo dici poterit *quod quid erat esse rei*.

Existit forma substãtialis.

2 Iam verò certum est apud omnes ferè dari de facto formas substantiales; quam veritatem satis confirmant omnia, quæ diximus *disp. præced. sect. 2.* præcipuè dicto primo. Confirmatur primo ex homine, in quo sanctum fide est, animam rationalem esse formam informantem; & ratio est; quia homo habet aliquas operationes sibi proprias, & peculiares, vt discurrere, velle, & similes; hæ autem operationes debent radicari in aliquo principio substantiali, non enim casu, neque à quocumque fiunt; quod principium non potest esse materia actualis, quæ vtpotè subiectũ commune de se indifferens est ad has vel illas operationes: ergo erit forma, & quidem substantialis: quæ sit velut determinata radix illarum operationum in ea specie. Confirmatur, quando intensè speculamur, neque videmus, neque audimus multa, quæ cæteroqui & videremus, & audiremus; cuius rei ratio alia non est, nisi quia potentia visiua, & auditiua subordinantur alicui principio superiori, nempè animæ, quæ dum tota versatur circa speculationes, inepta redditur ad exercitia aliarum potentiarum. Neque dicas hoc prouenire à spiritibus vitalibus, qui relinquunt vnam potentiam, dum confluunt in aliam; quia hic cõcursus spirituum, qui antea inseruiebant omnibus potentijs, potiùs ad vnam partem, quàm ad aliam, non potest prouenire nisi ab aliqua forma superiori, quæ pro suo libitu, vel per naturalem sympathiam auocat spiritus modo ad vnam, modo ad aliam partem.

Probatur in homine.

Probatur in alijs cõpositis.

3 Ex homine facilè est argumentari formã substantialem in brutis, plantis, & reliquis corporibus sublunaribus; in quibus debet æquè dari prima aliqua radix proprietatum, & operationum: cum enim quodlibet horum habeat plura imò opposita accidentia, debet dari aliquod permanens, quod illa omnia in officio contineat; & sit accidentium perditorum recuperatiuum, & præcipuè inuigilet in bonum totius. Confirmatur, quia aliquando corpus alteratum remoto contrario recuperat priùs temperamentum sibi connaturale, aliquando verò non recuperat: sic aqua calefacta remoto igne recuperat calorem sibi natiuum, lignum autem combustum non redit ad priora accidẽtia; hoc autem non aliundè oritur, nisi quia in primo casu remanet in aqua principium radicale illorum accidentium intrinsecum subiecto, quod principium non perseuerat in secundo casu: hoc autem principium radicale non est nisi forma substantialis: ergo verè datur forma substantialis.

Cur in homine sit vna forma substantialis?

4 Dices primo, quamuis in homine in diuersis partibus dentur diuersa accidentia, non ideò vna pars hominis differt substantialiter ab alia: ergo quamuis in corporibus videamus hanc accidentium diuersitatem, non ideò possumus colligere dari diuersas formas substantiales. Nego consequentiam; quia omnia accidentia hominis ordinantur ad conseruationem, & bonam constitutionem alicuius entis, quod sit simpliciter vnum: ergo benè possunt subijci vnico principio intrinseco radicali, cuius sit procurare bonum illius entis: at accidentia adeò diuersa corporum inferiorum non sunt temperamentum entis, quod sit simpliciter vnum; cum hoc vniuersum non sit vnum, nisi per aggregationem; quare mirum non est, si non supponant vnum principium radicale, sed multiplex; verum hac de re fusiùs in libris de anima.

5 Dices secundo, aqua calefacta recuperare pristinum frigus, quia in quibusdã aquæ calefactæ partibus remanet internum frigus, à quo deindè aliæ partes frigefiunt. Sed hoc est contra experientiam: peto enim; quanam partes frigidæ, & solidæ remanent in metallo feruente, & liquefacto? Præterea quanam est ratio cur potius vna, quàm alia pars perseue-

ret frigida, & calida? Rursus qum modo partes solidæ, & frigidæ, quæ non possint esse nisi admodum paucæ, possunt frigefacere, & addensare partes calidas, & liquidas; adeò multas; potiùs oppositum euenire deberet.

Qualitas nō recuperatur virtute alterius qualitatis.

6 Dices tertio, recuperari frigus vi alicuius qualitatis, quæ cum sit ordinis superioris, virtute contineat primas qualitates, sitque illarum principium. Sed contra, quia hoc, quod appellas qualitatem, potius esset substātia vtpotè determinata radix operationum, & accidentium. Deindè si talis qualitas est accidens, cui debetur, & accidit? certè omne accidens debetur alicui substantiæ, non materiæ ex se indifferenti ad omnia accidentia: ergo alicui alteri principio radicali; quod non videtur aliud esse, quàm forma.

Cur hostia calefacta remoto igne recuperat prius frigus.

7 Dices quartò: hostia consecrata calefacta remoto igne recuperat prius frigus debitū substantiæ panis: & tamen ibi non est substantia panis: ergo talis recuperatio non benè infert substantiam, & existentiam formæ substantialis. Distinguo antecedens; recuperat prius frigus naturaliter, nego; miraculosè, concedo antecedens. Deus enim ad maiorem fidei nostræ præstantiam, & meritum voluit hoc mysterium nullo signo patere sensibus, ideòque in ordine ad recuperationem, & productionē accidentium, voluit negotium eodem modo procedere, ac si adesset substantia panis; aliter manifestaretur saltem ex parte mysterium, nēpe defectus substantiæ panis.

Innuitur discrimen inter accidens, & substantiā.

8 Dices quintò: nulla substantia est in subiecto: sed omnis forma est in subiecto: ergo nulla forma est substantia. Maior probatur, quia esse in subiecto est proprium accidentium. Distinguo maiorem; nulla substantia est in subiecto; quod sit prima, & adæquata radix operationum in aliqua determinata specie concedo; quod non sit tale, nego; & distinguo minorem, sed omnis forma est in subiecto, quod sit prima, & adæquata radix operationum in aliqua determinata specie; nego, quod non sit tale, concedo minorem, & nego consequentiam; per hoc differt substantia ab accidente, quod substantia non accidens sit ens primum, & per se intentum à natura: ac proinde sit prima radix, cui debeantur omnia accidentia, & ornamenta in aliqua determinata specie: substantia igitur erit dicta prima radix, & quidquid spectat ad eius constitutionem; accidens autem erit entis ens in alio radicatum, & non per se intentum. Iam vero aliquæ formæ, quamuis sint in subiecto, adhuc spectant constitutiuè ad hanc primam radicem: prima enim radix in aliqua determinata specie non est sola materia, vt vidimus, ergo aliquæ formæ, quamuis sint in subiecto, erunt adhuc substantiales.

SECTIO SECVNDA.

Quotuplex sit forma substantialis in quolibet composito?

NON loquimur de formis adæquatis non subordinatis; neque quærimus verum materia possit simul habere duas, vel plures formas substantiales, quarum quælibet sufficiens sit independenter ab alia constituere totum; de hoc enim agemus sectione sequenti. Sēsus igitur quęstionis, est verū defacto in materia dentur duę, vel plures formæ substātiales inadęquatæ, & subordinatæ ad componendum idem totum; ita vt quælibet seorsim ab alia nō sufficiat totum constituere.

2 Sunt primò nonnulli, qui iuxta quatuor substantiarum gradus distinguunt quatuor formas substantiales; sicuti enim ex substantijs alia est inanimata, alia vegetatiua, alia sensitiua, alia rationalis, ita iuxta hanc opinionem substantia inanimata constat vnica tantum forma. Vegetabilis, duabus: sensitiua tribus: rationalis quatuor. Secundo alij docēt in diuersis partibus ætherogeneis, & dissimilibus viuentium existere præter formam totius diuersas formas substantiales, quas vocant partiales, ita vt caput substantialiter differat a pede, & caro ab ossibus. Verum quia hęc varietas non habet locū, nisi in corpore animato; ideo de his formis partialibus disputatio congruentius in libros de anima reuocatur. Tertio, ex medicis non pauci docent, in quolibet mixto dari formas substantiales elementorum. Verum de hoc agam in libris de ortu, & interitu. Quarto nonnulli tot admittunt formas realiter distinctas in quolibet composito, quot sunt in eodem gradus methaphysici, & prædicata essentialia formaliter distincta. Scotus demum in quolibet viuente agnoscit præter formam substantialem propriam, formam etiam corporeitatis, quam solum in homine admittendam arbitratur Henricus: nostra quæstio solùm procedit in primo, quarto, & vltimo sensu; cum in secundo, & tertio spectet ad alia loca.

3 Dico primo: formas in composito non esse multiplicandas pro multiplicitate prædicatorum essentialium probatur: quia prędicata essentialia eiusdem indiuidui inter se non distinguntur realiter, vt vidimus in logica: ergo eadem forma, quæ formaliter confert vnum prædicatum, confert aliud; aliter prædicata realiter inter se distinguerentur.

4 Vrgebis Aristoteles 7. *met. cap.* 10. docet partibus definitionis correspondere partes rei; & *lib.* 2. *met. cap.* 2. in formis substantialibus non dari processum in infinitum, quia nō datur in conceptibus quidditatiuis. Respondeo ad primum, partibus definitionis correspondere partes rei definitæ, vel realiter distinctas, si definitio sit tradita per prædicata physica, vel solùm metaphysicè diuersas, si definitio sit tradita per prædicata metaphysica. Ad secun-

dum dico rectè intellexisse Aristotelem, conceptus obiectiui non sunt infiniti: ergo neque formæ; quia si formę essent infinitæ fundarent velque conceptus obiectiuos infinitos; at multiplicatio conceptus obiectiui non necessariò infert multiplicitatem formarum, cum vna forma possit formare plures conceptus obiectiuos.

Non datur forma corporeitatis.

5 Dico secundò: ne in homine quidem dari formam corporeitatis. Suppono autem materiam, sicuti est ens substantiale materiale incompletum, ita esse etiam ex se ens incompletè corporeum; neque per hoc differt à forma, quod materia sit corporea, forma verò incorporea. Probatur forma hæc corporeitatis si daretur, vel haberet aliquem ordinem, & connexionem cum forma particulari cuiuslibet compositi, vel non? si secundum, ergo in composito essent duæ formæ substantiales omninò disparatæ, quod videtur absurdum: quia vel ambæ essent totales? & sic altera esset naturaliter saltem superflua, vel ambę partiales? & sic nō fieret ex illis tribus saltem naturaliter aliquod substantiale absolutè vnum; nam quamuis vtraque forma partialis vniretur materię, vna tamen non vniretur alteri: ergo quamuis ex materia, & qualibet forma resultaret aliquod substantiale absolutè vnum, non tamen ex materia, & vtraque forma: sicuti quamuis subiectum habens albedinem, & calorem faciat absolutè aliquod vnum cum qualibet ex illis qualitatibus; ex subiecto tamē, & duabus qualitatibus, seu ex vtraque qualitate simul cum subiecto non fit vnum absolutè dictum; quia illæ qualitates sunt omninò inter se disparatæ, nec vllo modo vniuntur ad faciendum vnum.

6 Si dicas primum, quod videlicet ista forma corporeitatis dicat ordinem, & sit connexa cum forma particulari totius? Iterum peto; vel vtraque forma est totalis? & sic altera est superflua: vel altera totalis, altera partialis? & ita partialis superfluit; vel demum vtraque est partialis? & vlterius insto; cum hæ formæ sint inter se rationis omninò diuersę, & vna, nempè forma corporeitatis, sit in priori signo ad formam totius, transiens ex vna in aliam formam, non videntur primo posse inter se comparari, vt duæ formæ partiales constantes vnam totalem, sed potius forma corporeitatis erit materia, & subiectum respectu formæ totius, cum qua vnitur; vt colligi potest ex ijs, quæ de materiæ, & subiecti essentia diximus: ergo nulla est ratio ponendi hanc formam corporeitatis distinctam á materia, immò est positiua ratio illam non admittendi. Rursus hęc forma corporeitatis vnita materiæ faceret vnū substantiale completum cum illa: ergo forma totius adueniens esset accidens: antecedens probatur, qui id assereret non posset impugnari fundatus in illo principio, ex potentia, & actu substantiali fit vnum per se completū, neque facilè euinceres illam formam corporeitatis non esse adæquatam.

7 Obijcies primo cum Scoto, anima est actus corporis physici organici: ergo anima supponit corpus organicum; ergo supponit materiam primam cum forma corporeitatis; materia enim prima non est ex se corpus organicum. Nego secundam consequentiam; quia materia organizata est materia prima affecta accidentibus, quæ sufficiunt ad functiones vitæ. Nullum autem est absurdum, quod anima dicatur actus huius materiæ. Sicuti nullum est absurdum, quod forma ignis dicatur actus materiæ calidæ.

Forma cadauerica adstruitur.

8 Obijcies secundo: in morte hominis expellitur anima, nec aduenit noua forma; ergo ne dicamus, materiam tunc expoliari omni forma, dicendum est dari formam corporeitatis. Antecedens probatur; si introduceretur noua forma, esset diuersa in vno, ac in alio animali etiam eiusdem speciei pro diuersitate dispositionum, quæ succedunt dispositionibus formæ viuentis, quod est contra experientiam; qua ducti iudicamus idem esse cadauer ex quacumque causa sequatur mors. Arriaga putat, tunc materiam spoliari omni forma.

9 Nego tamen antecedens: succedit enim forma cadaueris, quæ est forma subsequēs animam; non est autem necesse, vt omnes formæ subsequentes sint eiusdem speciei, sed potius consequens est, pro varietate dispositionū variari etiam formas; cum hac autem varietate non pugnat similitudo accidentium externorum: cum illa enim similitudine potest stare tanta dissimilitudo, vt exigat formas diuersas. Addunt nonnulli in corpore eiusdem animalis diuersas posse esse formas cadauericas, in diuersis partibus, quia possunt in his partibus inueniri accidentia adeo diuersa, vt exigant diuersas formas.

10 Vtrum autem Verbum in triduo sepulturæ assumpserit formam cadauericam; & quomodo fuerit idem Corpus Christi sepultum, & natum ex Virgine, & similia, quæ hic moueri solent; & sunt facilis solutionis, & spectant ad Theologos.

11 Instabis non potest assignari causa huius formæ cadauericæ. Nego assumptum: causa enim vel sunt ipsæ dispositiones, vel Deus, aut aliæ causę vniuersales, ad exigentiam illarum, iuxta varios philosophandi modos.

Vtrum forma cadauerica hominis sit eiusdem speciei in omnibus.

12 Vrgebis, dispositiones hę diuersæ videntur exigere diuersam formam; ergo diuersa est forma cadaueris, si homo moritur ex frigore v.g. ac si moritur ex calore. Respondeo nullum esse in consequenti inconueniens. Cæterū eadem forma cadauerica potest produci siue homo moriatur ex frigore, siue ex calore: forma enim cadauerica non oritur immediatè ex frigore, vel calore, sed ex temperamento aliarum qualitatum, quod potest esse omninò simile, quamuis modo oriatur ex calore, modo ex frigore; sicuti idem est temperamentū proximum requisitum ad formam aceti, licet vinum

pum modo acrescat ex nimio frigore, modo ex nimio calore.

Caro mortua non est substantialiter eadē, ac viua.

13 Instabis quinto, caro mortua, & viua est substantialiter eadem: ergo habent eamdem formam substantialem: non animam, quæ non est in mortua; ergo eandem formam corporeitatis. Antecedens probatur, si non esset eadē, qui comederet carnem mortuam, non frangeret ieiunium. Nego antecedens, ad probationem nego assumptum; frangitur enim ieiuniū, dum comeditur caro mortua, cuius comestionem prohibuit Ecclesia, minimè curans de forma corporeitatis, sed tantùm attendens ad delectationem, & vires, quæ indè proficiscuntur.

14 Obijcies tertio, homo est ens corporeum: ergo debet habere formam corporis, quæ non est anima spiritualis; erit igitur forma corporeitatis. Respond. hominem dici corporeum à sola materia, non à forma.

15 Instabis ergo homo non est adæquatè, sed partialiter corporeus. Distinguo consequens, formaliter, concedo; denominatiuè, nego; totus homo denominatur corporeus à materia, sicuti denominatur intellectiuus ab intellectu.

Cur homo dicitur & est corporeus potius quā spiritualis?

16 Instabis iterum in homine est materia corporea, & forma spiritualis; vnio autem est per multos duplex; alia materialis, alia spiritualis; ergo non est ratio cur potius dicatur materialis, quàm spiritualis. Nego consequentiam, ratio est, quia totum conflatum ex anima, & corpore non est penetrabile, sed impenetrabile: ergo debet dici absolutè materiale, non spirituale.

17 Instabis sexto, animata constant corpore, & anima, inanimata non constant corpore, & forma: ergo signum est in viuentibus præter animam, & materiam dari formam substantialem corporeitatis. Nego consequentiā, animata dicuntur constare corpore, & anima: quia altera illorum pars debet esse diuersis accidentibus, & organis disposita ad diuersas vitæ functiones, quod non verificatur de materia aliorum corporum. Illud hic aduerto hoc nomen corpus, esse æquiuocum, & aliquando significare solam materiam, aliquando materiam organizatam, aliquando totum substantiale, quare non est, cur ex hoc nomine aliquid contra nos inferant aduersarij.

Vnde grauitas in corpore.

18 Obijcies quarto, grauitas in animali non prouenit ex anima, neque à materia indifferenti ad grauitatem, & leuitatem: ergo à forma corporeitatis. Antecedens quoad primam partem probatur, anima est principium motus progressiui, qui opponitur motui deorsum: ergo anima non potest esse principium motus deorsum; nulla enim res potest esse principium motuum contrariorum: ergo anima non est principium grauitatis inclinantis ad motum deorsum. Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; neque enim vllum est absurdum, quod idem principium inclinet in diuersis circumstantijs ad motus contrarios; dummodò non inclinet ad ponendos illos simul. Principium igitur motus deorsum est grauitas totius exacta ab anima; principium autem motus progressiui est eodē modo anima adiuta à spiritibus animalibus, & grauitate, vt notabam in logica agens de habitibus.

Quomodo in homine augetur grauitas.

19 Vrgebis aucta materia in homine, augetur grauitas, & non augetur anima: ergo grauitas non prouenit ab anima. Nego consequentiam; sicut enim aucta materia augetur temperamentum exactum ab anima, quamuis anima non augeatur; ita aucta materia augetur grauitas, quamuis non augeatur anima. Ratio autem est: quia ipsa anima exigit, vt in pluribus partibus materiæ à se informatæ sint plures partes grauitatis.

Quomodo dū ex lapsu equus deorsū mouetur eius anima seipsam interimat.

20 Vrgebis iterum, si grauitas est ab anima, ergo ipsa anima se interimit, dum cadens ab alto animal in medio moritur ex motu deorsum per grauitatem producto. Distinguo cōsequens, se interimit directè, nego, indirectè, concedo consequentiam. In hoc autem nullum est absurdum, sicuti nullum est absurdum, quod ignis absumendo pabulum indirectè causet suum interitum. Grauitas igitur à natura, & ab anima intenditur ad hunc finem, vt iuuet motum progressiuum, & alios motus mixtos valdè vtiles, & necessarios animali; per accidēs autem est, quod in aliquo casu per accidens, in quo non subditur imperio animæ, & spiritibus animalibus, causet motum rectum deorsum; & sit causa mortis; ad illos autem motus nullo modo concurrit anima, sed grauitas ab illa procedens.

21 Vrgebis tertiò, animal cadens ex turri, si moriatur in medio, pergit descendere cum eadem velocitate, qua prius: ergo ille motus, & grauitas non prouenit ab anima. Nego consequentiam quoad grauitatem; quamuis enim tunc motus sequens sit æquè velox, ac præcedens; tamen non est necesse, vt perseueret vel eadem grauitas, vel quod grauitas procedat ab anima; sufficit enim, si vel conseruetur eadem grauitas, sed ab alia causa; vel motus procedat à grauitate simili præcedenti.

22 Dices anima hominis est perfectior anima equi; ergo debet magis grauitare. Nego consequentiam, cuius oppositum debuisset potiùs inferri. Illud hic aduerto, hominem esse corpus completum, non quia non dicat nisi partes corporeas: sed quia habet materiam, quæ sufficiens est ad tribuendam denominationem corporis, & completur per animam; neque absurdum putari debet si spiritus tribuat denominationem corporis completi, non quidem tribuendo rationem corporis, sed complementum. Aduerto præterea rationem corporis completi in homine non distingui à prædicato rationalis; quia corpus completum in homine dicit hanc materiam, hanc formam, hanc vnionem, in quibus adæquatissimè etiam

situs

ctus est conceptus rationalis obiectiuus.

Terminus ad quem conuersionis Eucharistiæ est substantia.

23 Obijcies 5. si corpus prout distinguitur ab anima, non diceret præter materiam aliquod substantiale, per quod constitueretur in ratione corporis, terminus ad quem conuersionis Eucharistiæ esset accidēs, consequens est falsum, & contra Tridentinum, quod eam conuersionē vocat transubstantiationem: ergo, & antecedens. sequela probatur, terminus conuersionis Eucharistiæ est corpus Christi, quod non dicit solam materiam, sed etiam aliquod accidēs, si non datur forma corporeitatis. Respondeo corpus, vt distinctum ab anima dicere materiam organizatam, & affectam accidentibus, non formam corporeitatis, de qua ne cogitarunt quidem primi linguæ parentes; sed inuenta primo fuit à Scoto. Nego igitur sequelam, quia ex Tridentino tota substantia panis transit in substantiam corporis Christi, quidquid tandem sit illa substantia; ideoque talis conuersio dicitur transubstantiatio, quia est conuersio totius integræ substantiæ in aliam substantiam; huic autem rei nihil officit, quod ex vi verborum ponantur aliqua accidentia.

24 Instabis, quod ponitur ex vi verborum consecrationis est terminus conuersionis; sed aliquod accidens ponitur sub speciebus ex vi verborum: ergo aliquod accidens est terminus conuersionis, & consequenter conuersio non est substantialis, saltem ex parte termini ad quem inadæquati. Vasquez *ter. par. disp.* 187. *cap.* 3. *n.* 16. *&* 18. quem sequitur Arriaga hic *disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 52. *&* 53. docet terminum ad quem in conuersione Eucharistica esse partim substantiam, partim accidens, sed primario substantiam, secundario accidens; hoc autem non officere substantialitati conuersionis; ad quam sufficit, si terminus a quo, & ad quem primarius sint puræ substantiæ; de quo puncto fusius dicam *ter. par.* cum de Eucharistia.

Quid dicat corpus in homine.

25 Obijcies sextò; corpus, vt corpus est de essentia hominis; ergo, vt corpus dicit formam aliquam substantialem. Respondeo corpus in homine duo dicere, vnum in recto, scilicet materiam, alterum in obliquo, scilicet organizationem, & accidentia, ex quibus tantum materia intrinsece includitur in constitutione hominis. Hinc nego consequentiam.

Ex identitate aliquorum accidentiū non benè infertur identitas formæ.

26 Obijcies septimo: omnia accidentia, quæ sunt in embrione, manent in viuente, & plura, quæ sunt in viuente manent in cadauere: ergo signum est, quod detur forma aliqua communis embrioni, viuenti, & cadaueri exigens illam collectionem accidentium; omnis enim collectio accidentium alicui formæ debetur. Respondeo non omnia accidentia, quæ sunt in embrione esse propria formæ embrionis; sed aliqua introduci ab agente, vt materia disponatur ad animam, quæ accidentia simul cum forma embrionis conseruantur in materia, donec compleantur dispositiones ad animam, quibus positis simul introducitur anima, & expellitur forma embrionis. Mortuo autem animali perseuerant accidentia viuentis, quæ vel sunt communia, vtrique formæ nouæ, & antiquæ, vel sunt compossibiles cum formæ nouæ dispositionibus. Et hæc durant ad breue spatium, vt patet experientia. Sic explicato antecedente, nego consequentiam: ad rationē in contrarium dico, omnem collectionem accidentium completam deberi alicui determinatæ formæ: collectio autem accidentium incompleta non debetur alicui formæ determinatæ, sed potest esse communis pluribus; aliter in homine deberemus longè plures formas distinguere; quia possumus in illo combinare plures collectiones accidentium, quarum cuilibet deberetur sua forma; & certè aliqua collectio accidentium est in homine, quæ est similis alicui collectioni accidentium, quæ inuenitur in equo, & non illi collectioni, quæ inuenitur in lapide, neque tamen in homine, & equo debet admitti forma aliqua vtrique communis distincta à propria, & à forma corporeitatis etiam communi lapidi.

In viuentibus non tot animæ quot gradus vitæ.

27 Dico tertio, in viuentibus non dantur tot formæ realiter distinctæ, quot sunt gradus vitæ; probatur, quia vltimus gradus vitæ v.g. in equo est talis, vt ad suam operationem exercendam ipsi debeantur accidentia, quæ ordinantur ad operationes aliorum graduum vitæ sicuti illi debentur ijdem alij gradus. Profectò vt viuens exerceat vltimum actum vitæ correspondentem gradui vitæ sibi proprio, quod est v.g. in equo hinnire, debet supponere in se dispositionem ad vegetandum, & sentiendum; aliter non esset cur non posset esse hinnibile, non vegetatiuum, neque sensitiuum. Ergo re vera omnes illæ dispositiones sunt debitæ vltimæ differentiæ equi v.g.

Eadem anima est principium oppositorum motuum.

28 Vrgebis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo datur duplex anima in homine, quæ sit principiū harum operationum oppositarum. Nego consequentiam: eadem enim anima est illarum principium: nam concupiscentia carnis, seu actus appetitus sensitiui, qui fertur in obiectum delectabile, & sæpè contra rectam rationem, nascitur ab anima, vt ad ipsum inclinata per sensationem internam, quæ obiectum illud delectabile proponit, & allicit voluntatem, seu animam ad eius prosecutionem; eadem anima lumine rationis, & auxilijs gratiæ suffulta fertur appetitu rationali in obiecta rationi conformia, quæ non raro opponuntur illis, in quæ fertur appetitus sensitiuus.

Duo motus verè oppositi nō sunt simul ab anima.

29 Instabis aliquando in homine habentur duo motus contrarij, quorum altero inclinatur in obiectum delectabile, altero ab illo fugit: ergo non possunt prouenire ab eadem anima: antecedens patet experientia, & confirmatur authoritate scripturæ, *Video*, inquit S. Paulus, *aliā legem in mēbris meis repugnantē legi mentis meæ*. Respondeo hos actus non esse propriè cōtrarios, licet enim ferantur in obiecta contraria,

naris, vel etiam in idem obiectum materiale modo veluti contrario, alter prosequendo, alter fugiendo, non tamen illud attingunt ob idē motiuum; inclinatur enim anima in obiectum propositum à sensu propter delectabilitatem: fugit verò ab eodem propter inhonestatem: sicuti possum ego tristari de medicina propter amaritiem, & delectari propter sanitatem: rursus illi actus fugæ, & prosecutionis, cum non sint ambo efficaces, nullam habent oppositionē, sicuti nullo modo in mercatore proijciente merces ob salutem opponuntur, voluntas efficax proijciendi merces, & fuga ab eadem projectione inefficax. Voluntates igitur dicto modo tendentes in idē obiectū, sicuti sunt apprehensiones, quæ, quamuis versentur circa obiecta omninò opposita, possunt tamen benè componi: si autem ambæ essent efficaces, essent sicuti iudicia contradictoria, quæ componi nequeunt.

Anima vegetatiua non est ex conceptu suo materialis.

30 Vrgebis iterū anima vegetatiua, & sensitiua sunt materiales, rationalis est spiritualis: ergo realiter distinguuntur. Respondeo, animam vegetatiuam, & sensitiuam secundum quod dicunt in recto præscindere à spiritualitate, & materialitate: & in homine quidem esse spirituales, in reliquis materiales.

SECTIO III.

Vtrum saltem diuinitus possit aliqua materia simul habere duas formas substantiales adæquatas.

Forma adæquata alia exigentiæ, alia capacitati subiecti.

1 Dupliciter potest intelligi, quod aliqua forma sit adæquata, primo quo ad exigentiam subiecti, secundo quo ad capacitatem, prima explet exigentiam subiecti, quia vltra illam subiectum non exigit aliam formam, licet sit capax alterius: sic hæc determinata combinatio primarum qualitatum est adæquata exigentiæ aeris, quia ita explet illius exigentiam, vt præter illas sit etiam capax lucis, qua potest carere sine vlla violentia: secunda explet capacitatem subiecti, ita vt subiectum non sit simul capax alterius formæ: quam adæquationem esse diuersam à prima, nemo non videt.

2 His addi potest tertia adæquatio constitutionis, cum videlicet forma aliqua sufficiens est constituere aliquod totum substantiale. Et de hac adæquatione videtur procedere nostra controuersia: quærimus enim verum in eodem subiecto vel actuali, vel possibili possint esse duæ formæ substantiales adæquatæ, hoc est sufficientes constituere duo composita specie, vel numero diuersa; multa tamen dicenda sunt de duabus primis adæquationibus.

3 Illud autem mihi certum est, duas formas adæquatas capacitati subiecti nō posse esse simul saltem naturaliter in illo subiecto: aliter non essent adæquatæ: omne enim adæquatum debet aliquo modo excludere aliud: & forma, quæ adæquatè constituit hoc totum, non admittit consortium alterius ad constituendum idem totum. His positis.

Materia actualis non habet simul duas formas substantiales completas.

4 Sunt apud Arriagam, qui docent etiam defacto inueniri in eadem materia duas formas substantiales adæquatas; idque euenire in ferro candente: quod si ab igne remoueatur, illicò assumit pristinas qualitates ferri: ergo sub illa materia perseuerabat forma cōpleta ferri; aliter nō esset ratio, cur remoto igne redeāt accidentia propria ferri, neque item facilè assignabis causam, quę tunc de nouo producat illam formam ferri. Præterea ferrum candens comburit stupam; ergo habet formam ignis: neque recurras ad aliquas particulas aeris delitescentes in poris ferri, quæ conuersæ in ignem, stupam comburant: quia ferrum non est porosum, sed valdè densum: ergo in eius poris non potest tanta vis aeris delitescere, quæ ignita faciat effectus, quos experimur procedere à ferro candente: quacumque enim ex parte comburit; quare si in carbone verè est ignis, à potiori erit in ferro candente, quod vehementius vrit, quam carbo: cum præsertim æquè ferrū illud, ac carbo luceant: lux autem non oritur, nisi ab ignis substantia, quæ luminosa est.

5 Pro contraria sententia cui adhæret, Arriaga *disp. 6. phys. sect. 6. subsect.* 5. affert has rationes: si ibi esset forma ignis ferrum candēs cineribus coopertum duraret ad tres, quatuorque dies, vt euenit in carbonibus: deindè, quia forma ignis est in carbone, si accedant noui, & noui carbones ignescunt, & fouent priorem ignem; cum igitur si accedat aliud, & aliud ferrum ferro ignito, illa non ignescant; neque foueatur ignis in priori ferro; signum est ferrū ignitum non esse substantialiter ignitum. Neque dicas ferro deesse pabulum; adest enim aliud ferrum, quod per se est materia combustibilis, & consequenter pabulum.

6 Ad rationem igitur in contrarium dico, combustionem illam stupæ causari à calore, & alijs accidentibus, quæ tunc sunt in ferro: quia quamuis calor ille ferri, & alia accidentia ferri non sint dispositiones completę ad formam ignis; quia v. g. deficit raritas requisita, vel siccitas: tamen producendo in stupa calorem valdè intensum complent in illa dispositiones ad formam ignis, quia supponunt aliundè in stupa reliquas dispositiones.

7 His adde non posse negari in ferro poros valdè frequentes, in quibus inclusus aer ignefactus comburet stupam: quod si plus comburit ferrum ignitum, quam carbo; id est, quia ferrum est densius, & densitas acuit actionem. Ad id, quod additur de luce, dico illam oriri posse à partibus ignitis ferri: & sanè quod aliquæ partes ferri conuertantur in ignem, patet, quia post excandescentiam inuenitur ferrum habere minus ponderis, quam ante. Dici præterea posset, illam non esse propriè lucem, sed calorem quemdam aureum commixtum splendori orto ex particulis ignitis, & ex dispositionibus,

ctus est conceptus rationalis obiectiuus.

Terminus ad quem conuersionis Eucharistiæ est substantia.

23 Obijcies 5. si corpus prout distinguitur ab anima, non diceret præter materiam aliquod substantiale, per quod constitueretur in ratione corporis, terminus ad quem conuersionis Eucharistiæ esset accidẽs, consequens est falsum, & contra Tridentinum, quod eam conuersionẽ vocat transubstantiationem; ergo, & antecedens. sequela probatur, terminus conuersionis Eucharistiæ est corpus Christi, quod non dicit solam materiam, sed etiam aliquod accidẽs, si non datur forma corporeitatis. Respondeo corpus, vt distinctum ab anima dicere materiam organizatam, & affectam accidentibus, non formam corporeitatis, de qua ne cogitarunt quidem primi linguæ patores; sed inuenta primo fuit à Scoto. Nego igitur sequelam, quia ex Tridentino tota substantia panis transit in substantiam corporis Christi, quidquid tandem sit illa substantia; ideoque talis conuersio dicitur transubstantiatio, quia est conuersio totius integræ substantiæ in aliam substantiam; huic autem rei nihil officit, quod ex vi verborum ponantur aliqua accidentia.

24 Instabis, quod ponitur ex vi verborum consecrationis est terminus conuersionis: sed aliquod accidens ponitur sub speciebus ex vi verborum: ergo aliquod accidens est terminus conuersionis, & consequenter conuersio non est substantialis, saltem ex parte termini ad quem inadæquati. Vasquez *ter. par. disp.* 187. *cap.* 3. *n.* 16. *&* 18. quem sequitur Arriaga *hic disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 52. *&* 53. docet terminum ad quem in conuersione Eucharistica esse partim substantiam, partim accidens, sed primario substantiam, secundario accidens; hoc autem non officere substantialitati conuersionis, ad quam sufficit, si terminus a quo, & ad quem primarius sint puræ substantiæ; de quo puncto fusius dicam *ter. par.* cum de Eucharistia.

Quid dicat corpus in homine.

25 Obijcies sextò: corpus, vt corpus est de essentia hominis; ergo, vt corpus dicit formam aliquam substantialem. Respondeo corpus in homine duo dicere, vnum in recto, scilicet materiam, alterum in obliquo, scilicet organizationem, & accidentia, ex quibus tantum materia intrinsecè includitur in constitutione hominis. Hinc nego consequentiam.

Ex identitate aliquorum accidentiũ non benè infertur identitas formæ.

26 Obijcies septimo: omnia accidentia, quæ sunt in embrione, manent in viuente, & plura, quæ sunt in viuente manent in cadauere: ergo signum est, quod detur forma aliqua communis embrioni, viuenti, & cadaueri exigens illam collectionem accidentium; omnis enim collectio accidentium alicui formæ debetur. Respondeo non omnia accidentia, quæ sunt in embrione esse propria formæ embrionis; sed aliqua introduci ab agente, vt materia disponatur ad animam, quæ accidentia simul cum forma embrionis conseruantur in materia, donec compleantur dispositiones ad animam, quibus positis simul introducitur anima, & expellitur forma embrionis. Mortuo autem animali perseuerant accidentia viuentis, quæ vel sunt communia, vtrique formæ nouæ, & antiquæ, vel sunt compossibiles cum formæ nouæ dispositionibus, & hæc durant ad breue spatium, vt patet experientia. Sic explicato antecedente, nego consequentiam: ad rationẽ in contrarium dico, omnem collectionem accidentium completam deberi alicui determinatæ formæ: collectio autem accidentium incompleta non debetur alicui formæ determinatæ, sed potest esse communis pluribus; aliter in homine deberemus longè plures formas distinguere, quia possumus in illo combinare plures collectiones accidentium, quarum cuilibet deberetur sua forma; & certè aliqua collectio accidentium est in homine, quæ est similis alicui collectioni accidentium, quæ inuenitur in equo, & non illi collectioni, quæ inuenitur in lapide, neque tamen in homine, & equo debet admitti forma aliqua vtrique communis distincta a propria, & à forma corporeitatis etiam communi lapidi.

In viuentibus non tot animæ quot gradus vitæ.

27 Dico tertio, in viuentibus non dantur tot formæ realiter distinctæ, quot sunt gradus vitæ; probatur, quia vltimus gradus vitæ v.g. in equo est talis, vt ad suam operationem exercendam ipsi debeantur accidentia, quæ ordinantur ad operationes aliorum graduum vitæ sicuti illi debentur ijdem alij gradus. Profectò vt viuens exerceat vltimum actum vitæ correspondentem gradui vitæ sibi proprio, quod est v.g. in equo hinnire, debet supponere in se dispositionem ad vegetandum, & sentiendum; aliter non esset aut non posset esse hinnibile, non vegetatiuum, neque sensitiuum. Ergo re vera omnes illæ dispositiones sunt debitæ vltimæ differentiæ equi v.g.

Eadem anima est principium oppositorum motuum.

28 Vrgebis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo datur duplex anima in homine, quæ sit principiũ harum operationum oppositarum. Nego consequentiam: eadem enim anima est illarum principium: nam concupiscentia carnis, seu actus appetitus sensitiui qui fertur in obiectum delectabile, & sæpè contra rectam rationem, nascitur ab anima, vt ad ipsum inclinata per sensationem internam, quæ obiectum illud delectabile proponit, & allicit voluntatem, seu animam ad eius prosecutionem; eadem anima lumine rationis, & auxilijs gratiæ suffulta fertur appetitu rationali in obiecta rationi conformia, quæ non raro opponuntur illis, in quæ fertur appetitus sensitiuus.

Duo motus verè oppositi nõ sunt simul ab anima.

29 Instabis aliquando in homine habentur duo motus contrarij, quorum altero inclinatur in obiectum delectabile, altero ab illo fugit; ergo non possunt prouenire ab eadem anima: antecedens patet experientia, & confirmatur authoritate scripturæ, *Video*, inquit S. Paulus, *aliã legem in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ*. Respondeo hos actus non esse propriè cõtrarios, licet enim ferantur in obiecta contraria,

naria, vel etiam in idem obiectum materiale modo veluti contrario, alter prosequendo, alter fugiendo, non tamen illud attingunt ob idē motiuum; inclinatur enim anima in obiectum propositum à sensu propter delectabilitatem: fugit verò ab eodem propter inhonestatem: sicuti possum ego tristari de medicina propter amaritiem, & delectari propter sanitatem: rursus illi actus fugæ, & prosecutionis, cum non sint ambo efficaces, nullam habent oppositionē, sicuti nullo modo in mercatore proijciente merces ob salutem opponuntur, voluntas efficax proijciendi merces, & fuga ab eadem proiectione inefficax. Voluntates igitur dicto modo tendentes in idē obiectū, sicuti sunt apprehensiones, quæ, quamuis versentur circa obiecta omninò opposita, possunt tamen benè componi: si autem ambæ essent efficaces, essent sicuti iudicia contradictoria, quæ componi nequeunt.

Anima vegetatiua non est ex cōceptu suo materialis.

30 Vrgebis iterū anima vegetatiua, & sensitiua sunt materiales, rationalis est spiritualis: ergo realiter distinguuntur. Respondeo, animam vegetatiuam, & sensitiuam secundum quod dicunt in recto præscindere a spiritualitate, & materialitate: & in homine quidem esse spirituales, in reliquis materiales.

SECTIO III.

Vtrum saltem diuinitus possit aliqua materia simul habere duas formas substantiales adæquatas.

Forma adæquata alia exigentiæ, alia capacitati subiecti.

1 DVpliciter potest intelligi, quod aliqua forma sit adæquata: primo quo ad exigentiam subiecti, secundo quo ad capacitatem, prima explet exigentiam subiecti, quia vltra illam subiectum non exigit aliam formam, licet sit capax alterius: sic hæc determinata combinatio primarum qualitatum est adæquata exigentiæ aeris, quia ita explet illius exigentiam, vt præter illas sit etiam capax lucis, qua potest carere sine vlla violentia: secunda explet capacitatem subiecti, ità vt subiectum non sit simul capax alterius formæ: quam adæquationem esse diuersam à prima, nemo non videt.

2 His addi potest tertia adæquatio constitutionis, cum videlicet forma aliqua sufficiens est constituere aliquod totum substantiale: Et de hac adæquatione videtur procedere nostra controuersia: quærimus enim verum in eodem subiecto vel actuali, vel possibili possint esse duæ formæ substantiales adæquatæ, hoc est sufficientes constituere duo composita specie, vel numero diuersa; multa tamen dicenda sunt de duabus primis adæquationibus.

3 Illud autem mihi certum est, duas formas adæquatas capacitati subiecti nō posse esse simul saltem naturaliter in illo subiecto: aliter non essent adæquatæ: omne enim adæquatum debet aliquo modo excludere aliud: & forma, quæ adæquatè constituit hoc totum, non admittit consortium alterius ad constituendum idem totum. His positis.

Materia actualis non habet simul duas formas substantiales completas.

4 Sunt apud Arriagam, qui docent etiam defacto inueniri in eadem materia duas formas substantiales adæquatas; idque euenire in ferro candente: quod si ab igne remoueatur, illicò assumit pristinas qualitates ferri: ergo sub illa materia perseuerabat forma cōpleta ferri; aliter nō esset ratio, cur remoto igne redeāt accidentia propria ferri, neque item facilè assignabis causam, quę tunc de nouo producat illam formam ferri. Præterea ferrum candens comburit stupam; ergo habet formam ignis: neque recurras ad aliquas particulas aeris delitescentes in poris ferri, quæ conuersæ in ignem, stupam comburant: quia ferrum non est porosum, sed valdè densum: ergo in eius poris non potest tanta vis aeris delitescere, quæ ignita faciat effectus, quos experimur procedere à ferro candente: quacumque enim ex parte comburit; quare si in carbone verè est ignis, à potiori erit in ferro candente, quod vehementius vrit, quam carbo: cum præsertim æquè ferrū illud, ac carbo luceant: lux autem non oritur, nisi ab ignis substantia, quæ luminosa est.

5 Pro contraria sententia cui adhæret, Arriaga *disp. 6. phys. sect. 6. subsect. 5.* affert has rationes: si ibi esset forma ignis ferrum candēs cineribus coopertum duraret ad tres, quatuorque dies, vt euenit in carbonibus: deindè, quia forma ignis est in carbone, si accedant noui, & noui carbones ignescunt, & fouent priorem ignem; cum igitur si accedat aliud, & aliud ferrum ferro ignito, illa non ignescans, neque foueatur ignis in priori ferro; signum est ferrū ignitum non esse substantialiter ignitum. Neque dicas ferro deesse pabulum; adest enim aliud ferrum, quod per se est materia combustibilis, & consequenter pabulum.

6 Ad rationem igitur in contrarium dico, combustionem illam stupæ causari à calore, & alijs accidentibus, quæ tunc sunt in ferro: quia quamuis calor ille ferri, & alia accidentia ferri non sint dispositiones completę ad formam ignis; quia v. g. deficit raritas requisita, vel siccitas: tamen producendo in stupa calorem valdè intensum complent in illa dispositiones ad formam ignis, quia supponunt aliundè in stupa reliquas dispositiones.

7 His adde non posse negari in ferro poros valdè frequentes, in quibus inclusus aer ignefactus combureret stupam: quod si plus comburit ferrum ignitum, quam carbo; id est, quia ferrum est densius, & densitas acuit actionem. Ad id, quod additur de luce, dico illam oriri posse a partibus ignitis ferri: & sanè quod aliquæ partes ferri conuertantur in ignem, patet, quia post excandescentiam inuenitur ferrum habere minus ponderis, quam ante. Dici præterea posset, illam non esse propriè lucem, sed calorem quemdam aureum commixtum splendori orto ex particulis ignitis, & ex dispositio-

nibus,

ctus est conceptus rationalis obiectiuus.

Terminus ad quem conuersionis Eucharistiæ est substantia.

23 Obijcies 5. si corpus prout distinguitur ab anima, non diceret præter materiam aliquod substantiale, per quod constitueretur in ratione corporis, terminus ad quem conuersionis Eucharistiæ esset accidēs, consequens est falsum, & contra Tridentinum, quod eam conuersionē vocat transubstantiationem: ergo, & antecedens. sequela probatur, terminus conuersionis Eucharisticæ est corpus Christi, quod non dicit solam materiam, sed etiam aliquod accidēs, si non datur forma corporeitatis. Respondeo corpus, vt distinctum ab anima dicere materiam organizatam, & affectam accidentibus, non formam corporeitatis, de qua ne cogitarunt quidem primi linguæ parentes; sed inuenta primo fuit à Scoto. Nego igitur sequelam, quia ex Tridentino tota substantia panis transit in substantiam corporis Christi, quidquid tandem sit illa substantia; ideoque talis conuersio dicitur transubstantiatio, quia est conuersio totius integræ substantiæ in aliam substantiam; huic autem rei nihil officit, quod ex vi verborum ponantur aliqua accidentia.

24 Instabis, quod ponitur ex vi verborum consecrationis est terminus conuersionis: sed aliquod accidens ponitur sub speciebus ex vi verborum: ergo aliquod accidens est terminus conuersionis, & consequenter conuersio non est substantialis, saltem ex parte termini ad quem inadæquati. Vasquez *ter. par. disp.* 187. *cap.* 3. *n.* 16. *&* 18. quem sequitur Arriaga hic *disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 52. *&* 53. docet terminum ad quem in conuersione Eucharistica esse partim substantiam, partim accidens, sed primario substantiam, secundario accidens; hoc autem non obesse substantialitati conuersionis, ad quam sufficit, vt terminus a quo, & ad quem primarius sint puræ substantiæ; de quo puncto fusius dicam *ter. par.* cum de Eucharistia.

Quid dicat corpus in homine.

25 Obijcies sextò: corpus, vt corpus est de essentia hominis; ergo, vt corpus dicit formam aliquam substantialem. Respondeo corpus in homine duo dicere, vnum in recto, scilicet materiam, alterum in obliquo, scilicet organizationem, & accidentia, ex quibus tantum materia intrinsecè includitur in constitutione hominis. Hinc nego consequentiam.

Ex identitate aliquorum accidentiū non benè infertur identitas formæ.

26 Obijcies septimo: omnia accidentia, quæ sunt in embrione, manent in viuente, & plura, quæ sunt in viuente manent in cadauere: ergo signum est, quod detur forma aliqua communis embrioni, viuenti, & cadaueri exigens illam collectionem accidentium; omnis enim collectio accidentium alicui formæ debetur. Respondeo non omnia accidentia, quæ sunt in embrione esse propria formæ embrionis; sed aliqua introduci ab agente, vt materia disponatur ad animam; quæ accidentia simul cum forma embrionis coexistunt in materia, donec compleantur dispositiones ad animam, quibus positis simul introducitur anima, & expellitur forma embrionis. Mortuo autem animali perseuerant accidentia viuentis, quæ vel sunt communia, vtrique formæ nouæ, & antiquæ, vel sunt compossibiles cum formæ nouæ dispositionibus, & hæc durant ad breue spatium, vt patet experientia. Sic explicato antecedente, nego consequentiam: ad rationē in contrarium dico, omnem collectionem accidentium completam deberi alicui determinatæ formæ: collectio autem accidentium incompleta non debetur alicui formæ determinatæ, sed potest esse communis pluribus; aliter in homine deberemus longè plures formas distinguere: quia possumus in illo combinare plures collectiones accidentium, quarum cuilibet deberetur sua forma; & certè aliqua collectio accidentium est in homine, quæ est similis alicui collectioni accidentium, quæ inuenitur in equo, & non illi collectioni, quæ inuenitur in lapide, neque tamen in homine, & equo debet admitti forma aliqua vtrique communis distincta a propria, & à forma corporeitatis etiam communi lapidi.

In viuentibus non tot animæ quot gradus vitæ.

27 Dico tertio, in viuentibus non dantur tot formæ realiter distinctæ, quot sunt gradus vitæ; probatur, quia vltimus gradus vitæ v.g. in equo est talis, vt ad suam operationem exercendam ipsi debeantur accidentia, quæ ordinantur ad operationes aliorum graduum vitæ sicuti illi debentur ijdem alij gradus. Profectò vt viuens exerceat vltimum actum vitæ correspondentem gradui vitæ sibi proprio, quod est v.g. in equo hinnire, debet supponere in se dispositionem ad vegetandum, & sentiendum; aliter non esset ens non posset esse hinnibile, non vegetatiuum, neque sensitiuum. Ergo re vera omnes illæ dispositiones sunt debitæ vltimæ differentiæ equi v.g.

Eadem anima est principium oppositorum motuum.

28 Vrgebis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo datur duplex anima in homine, quæ sit principiū harum operationum oppositarum. Nego consequentiam: eadem enim anima est illarum principium: nam concupiscentia carnis, seu actus appetitus sensitiui, qui fertur in obiectum delectabile, & sæpè contra rectam rationem, nascitur ab anima, vt ad ipsum inclinata per sensationem internam, quæ obiectum illud delectabile proponit, & allicit voluntatem, seu animam ad eius prosecutionem; eadem anima lumine rationis, & auxilijs gratiæ suffulta fertur appetitu rationali in obiecta rationi conformia, quæ non raro opponuntur illis, in quæ fertur appetitus sensitiuus.

Duo motus verè oppositi nō sunt simul ab anima.

29 Instabis aliquando in homine habentur duo motus contrarij, quorum altero inclinatur in obiectum delectabile, altero ab illo fugit: ergo non possunt prouenire ab eadem anima: antecedens patet experientia, & confirmatur authoritate scripturæ, *Video*, inquit S. Paulus, *aliā legem in mēbris meis repugnantē legi mentis meæ*. Respondeo hos actus non esse propriè cōtrarios, licet enim ferantur in obiecta contraria,

naria, vel etiam in idem obiectum materiale modo veluti contrario, alter prosequendo, alter fugiendo, non tamen illud attingunt ob idē motiuum; inclinatur enim anima in obiectum propositum à sensu propter delectabilitatem: fugit verò ab eodem propter inhonestatem: sicuti possum ego tristari de medicina propter amaritiem, & delectari propter sanitatem: rursus illi actus fugæ, & prosecutionis, cum non sint ambo efficaces, nullam habent oppositionē, sicuti nullo modo in mercatore proijcienti merces ob salutem opponuntur, voluntas efficax proijciendi merces, & fuga ab eadem projectione inefficax. Voluntates igitur dicto modo tendentes in idē obiectū, sicuti sunt apprehensiones, quæ, quamuis versentur circa obiecta omninò opposita, possunt tamen benè componi: si autem ambæ essent efficaces, essent sicuti iudicia contradictoria, quæ componi nequeunt.

Anima vegetatiua non est ex cōcceptu suo materialis.

30 Vrgebis iterū anima vegetatiua, & sensitiua sunt materiales, rationalis est spiritualis: ergo realiter distinguuntur. Respondeo, animam vegetatiuam, & sensitiuam secundum quod dicunt in recto præscindere à spiritualitate, & materialitate: & in homine quidem esse spirituales, in reliquis materiales.

SECTIO III.

Verum saltem diuinitus possit aliqua materia simul habere duas formas substantiales adæquatas.

Forma adæquata alia exigentiæ, alia capacitati subiecti.

1 Dupliciter potest intelligi, quod aliqua forma sit adæquata: primò quo ad exigentiam subiecti, secundo quo ad capacitatem, prima explet exigentiam subiecti, quia vltra illam subiectum non exigit aliam formam, licet sit capax alterius: sic hæc determinata combinatio primarum qualitatum est adæquata exigentiæ aeris, quia ita explet illius exigentiam, vt præter illas sit etiam capax lucis, qua potest carere sine vlla violentia: secunda explet capacitatem subiecti, ita vt subiectum non sit simul capax alterius formæ: quam adæquationem esse diuersam à prima, nemo non videt.

2 His addi potest tertia adæquatio constitutionis, cum videlicet forma aliqua sufficiens est constituere aliquod totum substantiale. Et de hac adæquatione videtur procedere nostra controuersia: quærimus enim verum in eodem subiecto vel actuali, vel possibili possint esse duæ formæ substantiales adæquatæ, hoc est sufficientes constituere duo composita specie, vel numero diuersa: multa tamen dicenda sunt de duabus primis adæquationibus.

3 Illud autem mihi certum est, duas formas adæquatas capacitati subiecti nō posse esse simul saltem naturaliter in illo subiecto: alíter non essent adæquatæ: omne enim adæquatum debet aliquo modo excludere aliud; & forma, quæ adæquatè constituit hoc totum, non admittit consortium alterius ad constituendum idem totum. His positis.

Materia actualis non habet simul duas formas substantiales completas.

4 Sunt apud Arriagam, qui docent etiam defacto inueniri in eadem materia duas formas substantiales adæquatas; idque euenire in ferro candente: quod si ab igne remoueatur, illicò assumit pristinas qualitates ferri: ergo sub illa materia perseuerabat forma cōpleta ferri; aliter nō esset ratio, cur remoto igne redeāt accidentia propria ferri, neque item facilè assignabis causam, quę tunc de nouo producat illam formam ferri. Præterea ferrum candens comburit stupam; ergo habet formam ignis: neque recurras ad aliquas particulas aeris delitescentes in poris ferri, quæ conuersæ in ignem, stupam comburant: quia ferrum non est porosum, sed valdè densum: ergo in eius poris non potest tanta vis aeris delitescere, quæ ignita faciat effectus, quos experimur procedere à ferro candente: quacumque enim ex parte comburit; quare si in carbone verè est ignis, à potiori erit in ferro candente, quod vehementius vrit, quam carbo: cum præsertim æquè ferrū illud, ac carbo luceant: lux autem non oritur, nisi ab ignis substantia, quæ luminosa est.

5 Pro contraria sententia cui adhæret Arriaga *disp. 6. phys. sect. 6. subsect. 5.* affert has rationes: si ibi esset forma ignis ferrum candēs cineribus coopertum duraret ad tres, quatuorque dies, vt euenit in carbonibus: deinde, quia forma ignis est in carbone, si accedant noui, & noui carbones ignefiunt, & fouent priorem ignem; cum igitur si accedat aliud, & aliud ferrum ferro ignito, illa non ignefiant, neque foueatur ignis in priori ferro; signum est ferrū ignitum non esse substantialiter ignitum. Neque dicas ferro deesse pabulum; adest enim aliud ferrum, quod per se est materia combustibilis, & consequenter pabulum.

6 Ad rationem igitur in contrarium dico, combustionem illam stupæ causari à calore, & alijs accidentibus, quæ tunc sunt in ferro: quia quamuis calor ille ferri, & alia accidentia ferri non sint dispositiones completę ad formam ignis; quia v. g. deficit raritas requisita, vel siccitas: tamen producendo in stupa calorem valdè intensum complent in illa dispositiones ad formam ignis, quia supponunt aliundè in stupa reliquas dispositiones.

7 His adde non posse negari in ferro poros valdè frequentes, in quibus inclusus aer ignefactus combureret stupam: quod si plus comburit ferrum ignitum, quam carbo; id est, quia ferrum est densius, & densitas acuit actionem. Ad id, quod additur de luce, dico illam oriri posse à partibus ignitis ferri: & sanè quod aliquæ partes ferri conuertantur in ignem, patet, quia post excandescentiam inuenitur ferrum habere minus ponderis, quam ante. Dici præterea posset, illam non esse propriè lucem, sed calorem quemdam aureum commixtum splendori orto ex particulis ignitis, & ex dispositio-

nibus,

ctus est conceptus rationalis obiectiuus.

Terminus ad quem conuersionis Eucharisticæ est substantia.

23 Obijcies 5. si corpus prout distinguitur ab anima, non diceret præter materiam aliquod substantiale, per quod constitueretur in ratione corporis, terminus ad quem conuersionis Eucharisticæ esset accidẽs, consequens est falsum, & contra Tridentinum, quod eam conuersionẽ vocat transubstantiationem; ergo, & antecedens. sequela probatur, terminus conuersionis Eucharisticæ est corpus Christi, quod non dicit solam materiam, sed etiam aliquod accidẽs, si non datur forma corporeitatis. Respondeo corpus, vt distinctum ab anima dicere materiam organizatam, & affectam accidentibus, non formam corporeitatis, de qua ne cogitarunt quidem primi lingoæ parentes; sed inuenta primo fuit à Scoto. Nego igitur sequelam, quia ex Tridentino tota substantia panis transit in substantiam corporis Christi, quidquid tandem sit illa substantia; idcoque talis conuersio dicitur transubstantiatio, quia est conuersio totius integræ substantiæ in aliam substantiam; huic autem rei nihil officit, quod ex vi verborum ponantur aliqua accidentia.

24 Instabis, quod ponitur ex vi verborum consecrationis est terminus conuersionis; sed aliquod accidens ponitur sub speciebus ex vi verborum: ergo aliquod accidens est terminus conuersionis, & consequenter conuersio non est substantialis, saltem ex parte termini ad quem inadæquati. Vasquez *ter. par. disp.* 187. *cap.* 3. *n.* 16. *&* 18. quem sequitur Arriaga hic *disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 52. *&* 53. docet terminum ad quem in conuersione Eucharistica esse partim substantiam, partim accidens, sed primario substantiam, secundario accidens; hoc autem non officere substantialitati conuersionis, ad quam sufficit, si terminus a quo, & ad quem primarius sint puræ substantiæ; de quo puncto fusius dicam *ter. par.* cum de Eucharistia.

Quid dicat corpus in homine.

25 Obijcies sextò: corpus, vt corpus est de essentia hominis; ergo, vt corpus dicit formam aliquam substantialem. Respondeo corpus in homine duo dicere, vnum in recto, scilicet materiam, alterum in obliquo, scilicet organizationem, & accidentia, ex quibus tantum materia intrinsece includitur in constitutione hominis. Hinc nego consequentiam.

Ex identitate aliquorum accidentiũ non benè infertur identitas formæ.

26 Obijcies septimò: omnia accidentia, quæ sunt in embrione, manent in viuente, & plura, quæ sunt in viuente, manent in cadauere: ergo signum est, quod detur forma aliqua communis embrioni, viuenti, & cadaueri exigens illam collectionem accidentium; omnis enim collectio accidentium alicui formæ debetur. Respondeo non omnia accidentia, quæ sunt in embrione esse propria formæ embrionis; sed aliqua introduci ab agente, vt materia disponatur ad animam, quæ accidentia simul cum forma embrionis conseruantur in materia, donec compleantur dispositiones ad animam, quibus positis simul introducitur anima, & expellitur forma embrionis. Mortuo autem animali perseuerant accidentia viuentis, quæ vel sunt communia, vtrique formæ nouæ, & antiquæ, vel sunt compossibiles cum formæ nouæ dispositionibus, & hæc durant ad breue spatium, vt patet experientia. Sic explicato antecedente, nego consequentiam; ad rationẽ in contrarium dico, omnem collectionem accidentium completam deberi alicui determinatæ formæ; collectio autem accidentium incompleta non debetur alicui formæ determinatæ, sed potest esse communis pluribus; aliter in homine deberemus longè plures formas distinguere; quia possumus in illo combinare plures collectiones accidentium, quarum cuilibet deberetur sua forma; & certè aliqua collectio accidentium est in homine, quæ est similis alicui collectioni accidentium, quæ inuenitur in equo, & non illi collectioni, quæ inuenitur in lapide, neque tamen in homine, & equo debet admitti forma aliqua vtrique communis distincta a propria, & à forma corporeitatis etiam communi lapidi.

In viuentibus non tot animæ quot gradus vitæ.

27 Dico tertio, in viuentibus non dantur tot formæ realiter distinctæ, quot sunt gradus vitæ; probatur, quia vltimus gradus vitæ v.g. in equo est talis, vt ad suam operationem exercendam ipsi debeantur accidentia, quæ ordinantur ad operationes aliorum graduum vitæ sicuti illi debentur ijdem alij gradus. Profectò vt viuens exerceat vltimum actum vitæ correspondentem gradui vitæ sibi proprio, quod est v.g. in equo hinnire, debet supponere in se dispositionem ad vegetandum, & sentiendum; aliter non esset, aut non posset esse hinnibile, non vegetatiuum, neque sensitiuum. Ergo re vera omnes illæ dispositiones sunt debitæ vltimæ differentiæ equi v.g.

Eadem anima est principium oppositorum motuum.

28 Vrgebis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo datur duplex anima in homine, quæ sit principiũ harum operationum oppositarum. Nego consequentiam: eadem enim anima est illarum principium: nam concupiscentia carnis, seu actus appetitus sensitiui, qui fertur in obiectum delectabile, & sæpè contra rectam rationem, naascitur ab anima, vt ad ipsum inclinata per sensationem internam, quæ obiectum illud delectabile proponit, & allicit voluntatem, seu animam ad eius prosecutionem; eadem anima lumine rationis, & auxilio gratiæ suffulta fertur appetitu rationali in obiecta rationi conformia, quæ non raro opponuntur illis, in quæ fertur appetitus sensitiuus.

Duo motus verè oppositi nõ sunt simul ab anima.

29 Instabis aliquando in homine habentur duo motus contrarij, quorum altero inclinatur in obiectum delectabile, altero ab illo fugit: ergo non possunt prouenire ab eadem anima: antecedens patet experientia, & confirmatur authoritate scripturæ, *Video*, inquit S. Paulus, *aliã legem in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ.* Respondeo hos actus non esse propriè cõtrarios, licet enim ferantur in obiecta contraria,

traria,

naria, vel etiam in idem obiectum materiale modo veluti contrario, alter prosequendo, alter fugiendo, non tamen illud attingunt ob idē motiuum; inclinatur enim anima in obiectum propositum à sensu propter delectabilitatem: fugit verò ab eodem propter inhonestatem: sicuti possum ego tristari de medicina propter amaritiem, & delectari propter sanitatem: rursus illi actus fugæ, & prosecutionis, cum non sint ambo efficaces, nullam habent oppositionē, sicuti nullo modo in mercatore proijciente merces ob salutem opponuntur, voluntas efficax proijciendi merces, & fuga ab eadem proiectione inefficax. Voluntates igitur dicto modo tendentes in idē obiectū, sicuti sunt apprehensiones, quæ, quamuis versentur circa obiecta omninò opposita, possunt tamen benè componi: si autem ambæ essent efficaces, essent sicuti iudicia contradictoria, quæ componi nequeunt.

Anima vegetatiua non est ex cōceptu suo materialis.

30 Vrgebis iterū anima vegetatiua, & sensitiua sunt materiales, rationalis est spiritualis: ergo realiter distinguuntur. Respondeo, animam vegetatiuam, & sensitiuam secundum quod dicunt in recto præscindere a spiritualitate, & materialitate: & in homine quidem esse spirituales, in reliquis materiales.

SECTIO III.

Verum saltem diuinitus possit aliqua materia simul habere duas formas substantiales adæquatas.

Forma adæquata alia exigentiæ, alia capacitati subiecti.

1 Dupliciter potest intelligi, quod aliqua forma sit adæquata: primo quo ad exigentiam subiecti, secundo quo ad capacitatem, prima explet exigentiam subiecti, quia vltra illam subiectum non exigit aliam formam, licet sit capax alterius: sic hæc determinata combinatio primarum qualitatum est adæquata exigentiæ aeris, quia ita explet illius exigentiam, vt præter illas sit etiam capax lucis, qua potest carere sine vlla violentia: secunda explet capacitatem subiecti, ita vt subiectum non sit simul capax alterius formæ: quam adæquationem esse diuersam à prima, nemo non videt.

2 His adde potest tertia adæquatio constitutionis, cum videlicet forma aliqua sufficiens est constituere aliquod totum substantiale. Et de hac adæquatione videtur procedere nostra controuersia; quærimus enim verum in eodem subiecto vel actuali, vel possibili possint esse duæ formæ substantiales adæquatæ, hoc est sufficientes constituere duo composita specie, vel numero diuersa; multa tamen dicenda sunt de duabus primis adæquationibus.

3 Illud autem mihi certum est, duas formas adæquatas capacitati subiecti nō posse esse simul saltem naturaliter in illo subiecto: aliter non essent adæquatæ: omnis enim adæquatum debet aliquo modo excludere aliud: & forma, quæ adæquatè constituit hoc totum, non admittit consortium alterius ad constituendum idem totum. His positis.

Materia actualis non habet simul duas formas substantiales completas.

4 Sunt apud Arriagam, qui docent etiam defacto inueniri in eadem materia duas formas substantiales adæquatas; idque euenire in ferro candente: quod si ab igne remoueatur, illicò assumit pristinas qualitates ferri: ergo sub illa materia perseuerabat forma cōpleta ferri; aliter nō esset ratio, cur remoto igne redeāt accidentia propria ferri, neque item facilè assignabis causam, quæ tunc de nouo producat illam formam ferri. Præterea ferrum candens comburit stupam; ergo habet formam ignis: neque recurras ad aliquas particulas aeris delitescentes in poris ferri, quæ conuersæ in ignem, stupam comburant: quia ferrum non est porosum, sed valdè densum: ergo in eius poris non potest tanta vis aeris delitescere, quæ ignita faciat effectus, quos experimur procedere à ferro candente: quacumque enim ex parte comburit; quare si in carbone verè est ignis, à potiori erit in ferro candente, quod vehementius vrit, quam carbo: cum præsertim æquè ferrū illud, ac carbo luceant: lux autem non oritur, nisi ab ignis substantia, quæ luminosa est.

5 Pro contraria sententia cui adhæret, Arriaga *disp. 6. phys. sect. 6. subsect. 5.* affert has rationes: si ibi esset forma ignis ferrum candēs cineribus coopertum duraret ad tres, quatuorque dies, vt euenit in carbonibus: deindè, quia forma ignis est in carbone, si accedant noui, & noui carbones ignescunt, & fouent priorem ignem; cum igitur si accedat aliud, & aliud ferrum ferro ignito, illa non ignescant; neque foueatur ignis in priori ferro; signum est ferrū ignitum non esse substantialiter ignitum. Neque dicas ferro deesse pabulum; adest enim aliud ferrum, quod per se est materia combustibilis, & consequenter pabulum.

6 Ad rationem igitur in contrarium dico, combustionem illam stupæ causari à calore, & alijs accidentibus, quæ tunc sunt in ferro: quia quamuis calor ille ferri, & alia accidentia ferri non sint dispositiones completæ ad formam ignis; quia v. g. deficit raritas requisita, vel siccitas: tamen producendo in stupa calorem valdè intensum complent in illa dispositiones ad formam ignis, quia supponunt aliundè in stupa reliquas dispositiones.

7 His adde non posse negari in ferro poros valdè frequentes, in quibus inclusus aer ignefactus combureret stupam: quod si plus comburit ferrum ignitum, quam carbo; id est, quia ferrum est densius, & densitas acuit actionem. Ad id, quod additur de luce, dico illam oriri posse a partibus ignitis ferri: & sanè quod aliquæ partes ferri conuertantur in ignem, patet, quia post excandescentiam inuenitur ferrum habere minus ponderis, quam ante. Dici præterea posset, illam non esse propriè lucem, sed calorem quemdam auteum commixtum splendori orto ex particulis ignitis, & ex dispositio-

nibus,

ctus est conceptus rationalis obiectiuus.

Terminus ad quem conuersionis Eucharisticæ est substantia.

23 Obijcies 5. si corpus prout distinguitur ab anima, non diceret præter materiam aliquod substantiale, per quod constitueretur in ratione corporis, terminus ad quem conuersionis Eucharisticæ esset accidés, consequens est falsum, & contra Tridentinum, quod eam conuersioné vocat transubstantiationem; ergo, & antecedens. sequela probatur, terminus conuersionis Eucharisticæ est corpus Christi, quod non dicit solam materiam, sed etiam aliquod accidés, si non datur forma corporeitatis. Respondeo corpus, vt distinctum ab anima dicere materiam organizatam, & affectam accidentibus, non formam corporeitatis, de qua ne cogitarunt quidem primi linguæ parentes; sed inuenta primo fuit à Scoto. Nego igitur sequelam, quia ex Tridentino tota substantia panis transit in substantiam corporis Christi, quidquid tandem sit illa substantia; idcoque talis conuersio dicitur transubstantiatio, quia est conuersio totius integræ substantiæ in aliam substantiam; huic autem rei nihil officit, quod ex vi verborum ponantur aliqua accidentia.

24 Instabis, quod ponitur ex vi verborum consecrationis est terminus conuersionis: sed aliquod accidens ponitur sub speciebus ex vi verborum; ergo aliquod accidens est terminus conuersionis, & consequenter conuersio non est substantialis, saltem ex parte termini ad quem inadæquati. Vasquez *ter. par. disp.* 187. *cap.* 3. *n.* 16. & 18. quem sequitur Arriaga hic *disp.* 6. *sect.* 1. *n.* 52. & 53. docet terminum ad quem in conuersione Eucharistica esse partim substantiam, partim accidens, sed primario substantiam, secundario accidens; hoc autem non officere substantialitati conuersionis, ad quam sufficit, vt terminus a quo, & ad quem primarius sint puræ substantiæ; de quo puncto fusius dicam *ter. par.* cum de Eucharistia.

Quid dicat corpus in homine.

25. Obijcies sextò: corpus, vt corpus est de essentia hominis; ergo, vt corpus dicit formam aliquam substantialem. Respondeo corpus in homine duo dicere, vnum in recto, scilicet materiam, alterum in obliquo, scilicet organizationem, & accidentia, ex quibus tantum materia intrinsecè includitur in constitutione hominis. Hinc nego consequentiam.

Ex identitate aliquorum accidentiũ non benè infertur identitas formæ.

26. Obijcies septimo: omnia accidentia, quæ sunt in embrione, manent in viuente, & plura, quæ sunt in viuente, manent in cadauere: ergo signum est, quod detur forma aliqua communis embrioni, viuenti, & cadaueri exigens illam collectionem accidentium; omnis enim collectio accidentium alicui formæ debetur. Respondeo non omnia accidentia, quæ sunt in embrione esse propria formæ embrionis; sed aliqua introduci ab agente, vt materia disponatur ad animam, quæ accidentia simul cum forma embrionis conseruantur in materia, donec compleantur dispositiones ad animam, quibus positis simul introducitur anima, & cum

expellitur forma embrionis. Mortuo autem animali perseuerant accidentia viuentis, quæ vel sunt communia, vtrique formæ nouæ, & & antiquæ, vel sunt compossibiles cum formæ nouæ dispositionibus, & hæc durant ad breue spatium, vt patet experientia. Sic explicato antecedente, nego consequentiam: ad rationé in contrarium dico, omnem collectionem accidentium completam deberi alicui determinatæ formæ: collectio autem accidentium incompleta non debetur alicui formæ determinatæ, sed potest esse communis pluribus; aliter in homine deberemus longè plures formas distinguere; quia possumus in illo combinare plures collectiones accidentium, quarum cuilibet deberetur sua forma; & certè aliqua collectio accidentium est in homine, quæ est similis alicui collectioni accidentium, quæ inuenitur in equo, & non illi collectioni, quæ inuenitur in lapide, neque tamen in homine, & equo debet admitti forma aliqua vtrique communis distincta a propria, & à forma corporeitatis etiam communi lapidi.

In viuentibus non tot animæ quot gradus vitæ.

27 Dico tertio, in viuentibus non dantur tot formæ realiter distinctæ, quot sunt gradus vitæ; probatur, quia vltimus gradus vitæ v.g. in equo est talis, vt ad suam operationem exercendam ipsi debeantur accidentia, quæ ordinantur ad operationes aliorum graduum vitæ: sicuti illi debentur ijdem alij gradus. Profectò vt viuens exerceat vltimum actum vitæ correspondentem gradui vitæ sibi proprio, quod est v.g. in equo hinnire, debet supponere in se dispositionem ad vegetandum, & sentiendum; aliter non esset, aut non posset esse hinnibile, non vegetatiuum, neque sensitiuum. Ergo re vera omnes illæ dispositiones sunt debitæ vltimæ differentiæ equi v.g.

Eadem anima est principium oppositorum motuum.

28 Vrgebis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo datur duplex anima in homine, quæ sit principiũ harum operationum oppositarum. Nego consequentiam: eadem enim anima est illarum principium: nam concupiscentia carnis, seu actus appetitus sensitiui, qui fertur in obiectum delectabile, & sæpè contra rectam rationem, nascitur ab anima, vt ad ipsum inclinata per sensationem internam, quæ obiectum illud delectabile proponit, & allicit voluntatem, seu animam ad eius prosecutionem; eadem anima lumine rationis, & auxilijs gratiæ suffulta fertur appetitu rationali in obiecta rationi conformia, quæ non raro opponuntur illis, in quæ fertur appetitus sensitiuus.

Duo motus verè oppositi nõ sunt simul ab anima.

29 Instabis aliquando in homine habentur duo motus contrarij, quorum altero inclinatur in obiectum delectabile, altero ab illo fugitur: ergo non possunt prouenire ab eadem anima: antecedens patet experientia, & confirmatur authoritate scripturæ, *Video,* inquit S. Paulus, *aliã legem in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ.* Respondeo hos actus non esse propriè cõtrarios, licet enim ferantur in obiecta contraria,

naria, vel etiam in idem obiectum materiale modo veluti contrario, alter prosequendo, alter fugiendo, non tamen illud attingunt ob idē motiuum; inclinatur enim anima in obiectum propositum à sensu propter delectabilitatem: fugit verò ab eodem propter inhonestatem: sicuti possum ego tristari de medicina propter amaritiem, & delectari propter sanitatem: rursus illi actus fugæ, & prosecutionis, cum non sint ambo efficaces, nullam habent oppositionē, sicuti nullo modo in mercatore proijciente merces ob salutem opponuntur, voluntas efficax proijciendi merces, & fuga ab eadem proiectione inefficax. Voluntates igitur dicto modo tendentes in idē obiectū, sicuti sunt apprehensiones, quæ, quamvis versentur circa obiecta omninò opposita, possunt tamen benè componi: si autem ambæ essent efficaces, essent sicuti iudicia contradictoria, quæ componi nequeunt.

Anima vegetatiua non est ex cōceptu suo materialis.

30 Vrgebis iterū anima vegetatiua, & sensitiua sunt materiales, rationalis est spiritualis: ergo realiter distinguuntur. Respondeo, animam vegetatiuam, & sensitiuam secundum quod dicunt in recto præscindere a spiritualitate, & materialitate: & in homine quidem esse spirituales, in reliquis materiales.

SECTIO III.

Verum saltem diuinitus possit aliqua materia simul habere duas formas substantiales adæquatas.

Forma adæquata alia exigentiæ, alia capacitati subiecti.

1 DVpliciter potest intelligi, quod aliqua forma sit adæquata, primo quo ad exigentiam subiecti, secundo quo ad capacitatem, prima explet exigentiam subiecti, quia vltra illam subiectum non exigit aliam formam, licet sit capax alterius: sic hæc determinata combinatio primarum qualitatum est adæquata exigentiæ aeris, quia ita explet illius exigentiam, vt præter illas sit etiam capax lucis, qua potest carere sine vlla violentia: secunda explet capacitatem subiecti, ita vt subiectum non sit simul capax alterius formæ: quam adæquationem esse diuersam à prima, nemo non videt.

2 His addi potest tertia adæquatio constitutionis, cum videlicet forma aliqua sufficiens est constituere aliquod totum substantiale. Et de hac adæquatione videtur procedere nostra controuersia; quærimus enim verum in eodem subiecto vel actuali, vel possibili possint esse duæ formæ substantiales adæquatæ, hoc est sufficientes constituere duo composita specie, vel numero diuersa: multa tamen dicenda sunt de duabus primis adæquationibus.

3 Illud autem mihi certum est, duas formas adæquatas capacitati subiecti nō posse esse simul saltem naturaliter in illo subiecto: aliter non essent adæquatæ: omne enim adæquatum debet aliquo modo excludere aliud: & formæ, quæ adæquatè constituit hoc totum, non admittit consortium alterius ad constituendum idem totum. His positis.

Materia actualis non habet simul duas formas substantiales completas.

4 Sunt apud Arriagam, qui docent etiam defacto inueniri in eadem materia duas formas substantiales adæquatas; idque euenire in ferro candente: quod si ab igne remoueatur, illicò assumit pristinas qualitates ferri: ergo sub illa materia perseuerabat forma cōpleta ferri; aliter nō esset ratio, cur remoto igne redeāt accidentia propria ferri, neque item facilè assignabis causam, quę tunc de nouo producat illam formam ferri. Præterea ferrum candens comburit stupam; ergo habet formam ignis: neque recurras ad aliquas particulas aeris delitescentes in poris ferri, quæ conuersæ in ignem, stupam comburant: quia ferrum non est porosum, sed valdè densum; ergo in eius poris non potest tanta vis aeris delitescere, quæ ignita faciat effectus, quos experimur procedere à ferro candente: quacumque enim ex parte comburit; quare si in carbone verè est ignis, a potiori erit in ferro candente, quod vehementius vrit, quam carbo: cum præsertim æquè ferrū illud, ac carbo luceant: lux autem non oritur, nisi ab ignis substantia, quæ luminosa est.

5 Pro contraria sententia cui adhæret, Arriaga *disp. 6. phys. sect. 6. subsect.* 5. affert has rationes: si ibi esset forma ignis ferrum candēs cineribus coopertum duraret ad tres, quatuorque dies, vt euenit in carbonibus: deindè, quia forma ignis est in carbone, si accedant noui, & noui carbones ignescunt, & fouent priorem ignem; cum igitur si accedat aliud, & aliud ferrum ferro ignito, illa non ignescant; neque foueatur ignis in priori ferro; signum est ferrū ignitum non esse substantialiter ignitum. Neque dicas ferro deesse pabulum; adest enim aliud ferrum, quod per se est materia combustibilis, & consequenter pabulum.

6 Ad rationem igitur in contrarium dico, combustionem illam stupæ causari à calore, & alijs accidentibus, quæ tunc sunt in ferro: quia quamuis calor ille ferri, & alia accidentia ferri non sint dispositiones completę ad formam ignis; quia v. g. deficit raritas requisita, vel siccitas: tamen producendo in stupa calorem valdè intensum complent in illa dispositiones ad formam ignis, quia supponunt alioquì in stupa reliquas dispositiones.

7 His adde non posse negari in ferro poros valdè frequentes, in quibus inclusus aer ignefactus combureret stupam: quod si plus comburit ferrum ignitum, quam carbo; id est, quia ferrum est densius, & densitas acuit actionem. Ad id, quod additur de luce, dico illam oriri posse a partibus ignitis ferri: & sanè quod aliquæ partes ferri conuertantur in ignem, patet: quia post excandescentiam inuenitur ferrum habere minus ponderis, quam ante. Dici præterea posset, illam non esse propriè lucem, sed calorem quemdam aureum commixtum splendori orto ex particulis ignitis, & ex dispositionibus,

nibus, & primis illarum qualitatibus: pro decisione igitur quęstionis.

Nulla materia corporea potest naturaliter simul habere duas formas substantiales adæquatas.

8 Dico primo repugnare materiam corpoream, quæ naturaliter possit simul habere plures formas substantiales adæquatas. Probatur; vna materia non est naturaliter capax nisi vnius formæ substantialis adæquatæ: ergo non potest simul habere naturaliter plures formas substantiales adæquatas: consequentia est certa: antecedens probatur: vna materia non exigit, neque appetit nisi vnam formam substantialem adæquatam: ergo non est naturaliter capax nisi vnius formę substantialis adæquatę: antecedens est certum: quia vna materia, non est à natura ordinata nisi ad constituendũ vnum compositum substantiale, eoque obtento debet quiescere appetitus, & exigentia illius materiæ: quia iam est substantialiter absolutè completa, cum constituat ens substantialiter completũ: ergo materia naturaliter non exigit, neque appetit simul habere, nisi vnam formã substantialem adęquatam. Consequentia prioris enthimematis, probatur: quia exigentia, & appetitus naturalis materię est capacitas naturalis eiusdem materiæ ad formas: capacitas enim naturalis materiæ ad formam non est pura non repugnantia, sed etiam inclinatio, & appetitus: est enim capacitas ad totum naturaliter constituendum, tamquam ad finem sibi connaturalem: capacitas autem ad finem maximè connaturalem necessariò dicit inclinationem, quęlibet enim res inclinat ad suum finem, tamquam ad proprium bonum, pręcipuè vbi ille finis sit connaturalis.

9 Et profectò, bonum ipsum publicum naturæ, & rerum ordo exigit, vt in vna materia vna sit forma substantialis. Ad bonum enim publicum spectat, vt seruetur rerum distinctio, & quæ sunt distincta, possint vt distincta cognosci; vt possit elucere ordo, qui ex rerum distinctione consurgit, & declarat diuini Artificis sapientiam: ac est finis vniuersi. Si autem essent in eadem materia naturaliter plures formæ vtique penetratę, non possent distingui, neque accidentia intrinseca, & propria vnius formæ declararent potius suam formam; quàm alteram; quare non posset elucere rerum distinctio, & ordo. Confirmatur; quia ordo, qui ex Augustino, est reuocatio plurium ad vnum, videtur exigere, vt omnis multitudo, quæ inuenitur in quolibet demonstrabili pronomine hoc, illud, &c. reuocetur ad vnum, quod sit reliquorum principium, eaque omnia in suo officio contineat, ac veluti inter se constringat. Et ex hoc fonte rectus rerum ordo postulat, vt in qualibet communitate sit vnum caput, à quo reliqui gubernentur, & ad bonum publicum dirigantur: & esse contra rectum ordinem, vt in eadem domo sint duo Patres familias independentes, in eodem regno duo independentes Reges, &c.

10 Ex dictis infero nullam materiam corpoream posse naturaliter sustentare duas formas adæquatas: probatur: quia omnis causa materialis sustentat, vt per vnionem perficiatur à termino sustentato; ergo si nulla materia potest naturaliter vniri duplici formę substantiali adæquatę, neque poterit illas sustentare.

Nulla materia potest simul sustentare duas formas substãtiales adęquatas.

11 Vrgebis primò materia potest successiuè recipere, & sustentare plures formas substantiales adequatas: ergo simul: consequentia probatur obiectum, quod potest successiuè terminare plures cognitiones, potest etiam simul illas terminare: ergo materia, quę potest successiuè recipere, & sustentare plures formas substantiales adequatas, potest etiã simul: nego consequ. ad probationẽ nego itẽ cons. disparitas est, quia forma substãtialis adęquata explet totã capacitatem subiecti, & capacitas ad alias formas simul esset in subiecto contra finẽ naturalẽ: vna cognitio non explet totã capacitatẽ obiecti cogniti, nec probatur oppositio cognitionum circa idem obiectum. Cuius rei ratio esse potest; quia obiectum est purus terminus extrinsecus cognitionum; & non subiectum, cum quo intrinsecè vniantur: oppositio autem formarum est in ordine ad subiectum in quo sunt, non autem in ordine ad obiectum circa quod versantur.

Oppositio formarum est intrinseca.

12 Vrgebis secundò: ergo oppositio formarum est merè extrinseca ex incapacitate subiecti. Nego consequentiam: nam ex fine, ad quem formæ substantiales á natura ordinantur, intrinsecè exigunt subiectum incapax aliarum formarum simul. Rursus subiectum est incapax duarum formarum substantialium adæquatarũ simul: quia qualibet illarum ex suis intrinsecis totã illius capacitatẽ explet: nisi enim illã expleret adhuc subiectum esset capax vlterioris formæ. Ex his patet, non habere locum in formis substantialibus diuisionẽ illã in adæquatas quoad capacitatem, & quoad exigentiam.

Cur plures formæ accidentales possunt esse in eadẽ materia?

13 Vrgebis tertiò: idem subiectum est naturaliter capax recipiendi plura accidentia simul: ergo & plures formas substantiales adæquatas. Nego consequentiam, neque verò eodem modo discurrendum est de composito, & forma substantiali, ac de accidentali: quia substantia est finis per se intentus à natura, ad quem ordinantur, & propter quem intenduntur accidentia, vel tamquam media, vel tamquam ornamenta, & effectus ad declarandam substantiæ perfectionem. Finis autem præsertim naturæ debet esse vnus, quamuis multiplicentur media, & effectus illius: ergo in quolibet supposito, & ente materiali de quo loquimur demonstrabili, & designabili per pronomen hoc, non debet esse nisi vnica substantia, & vnica forma substantialis, quamuis admittantur plura accidentia, quæ ab illa profluant. Neque, quia sunt in eodem subiecto plura accidentia, ideo periculum est, ne confundantur; quia cum immediatè per se ipsa talia accidentia moueant ad diuersas sensationes, est sufficiens fundamentum illa distinguendi. Quod si non immediatè mouent, saltem

eandem medijs

medijs alijs effectibus possunt ostendere suam diuersitatem: at formæ substantiales non immediatè mouent ad diuersas sensationes, nec accidentia inhærentia eidem subiecto ostenderent formarum diuersitatem: quia illa accidentia immediatè non ostendunt se potius esse ab hac forma, quàm ab illa, si non supponant in subiecto hanc potius formam, quàm illam: si autem possent coniungi cum vtraque forma, neque cum alterutra forma adest, possunt ostẽdere potius esse hanc, quàm illam: si enim semel possunt componi cum vtraque, non est cur ostendant esse potius hanc, quàm illam.

14 Instabis primo, aliquando in materia esse forma embrionis v. g. vel aquæ, neque sunt accidentia illarum. Respondeo, nunquam huiusmodi formas existere sine ea combinatione accidentium, ex qua possimus colligere, si diligenter aduertamus, esse potius hanc, quàm illam formam: sic cum intensissime feruet olla; adhuc colligimus, liquorem in ea contentum esse aquam. Cæterùm cum formæ hæ substantiales sint corruptibiles, debent posse componi cum accidentibus aliquo modo oppositis, & disponentibus ad formam oppositam.

Nulla materia potest simul recipere duas formas adæquatas substantiales.

15 Dico 2. nulla materia corporea potest sibi miraculosè vnire duas formas substantiales adæquatas v. g. ligni, & ignis. Probatur nulla materia corporea habet capacitatem sibi naturaliter vniendi duas formas substantiales adæquatas: ergo neque miraculosè. Probo consequentiam; si posset miraculosè vel retinendo illam incapacitatem, vel acquirendo capacitatem superadditam? Primum est apertè falsum: nam impotens perseuerans in sua impotentia, non potest exire in actum, vel effectum, qui non potest prodire, nisi à potente: & homo impotens naturaliter elicere actus supernaturales, non potest supernaturaliter illos elicere, nisi fiat potens per auxilium: si secundam; sic vrgeo capacitas hæc superaddita debet esse quid creatum, simul cum materia immediatè potens sibi vnire illas formas adæquatas; aliter sola materia vniretur, ac proinde esset se sola capax constituendi duo composita, licet inadæquatè distincta.

Impugnatur capacitas superaddita.

16 Tum sic insto: hæ duæ semimateriæ constantes vnam adæquatam, debent ambæ esse substantiales; aliter non possent constituere vnum substantiale cum illis formis; rursus altera est indebita alteri, aliter vtraque simul esset absolutè sine vllo miraculo naturaliter capax plurium formarum adæquatarum; quod probauimus esse falsum: debent igitur esse diuersæ rationis; aliter non esset cur potius vna, quàm alia eleuaretur: vel casu coniungerentur ad illam est enim; sicut coniunguntur duo ignes ad velocius, & intensius calefaciendum: ergo altera habet rationem subiecti, altera formæ: quia pars adueniens vniretur eleuatæ quam supponeret respectu sui indifferentes, & tribueret illi perfectionem: ergo verè constituerent cum illa aliquod compositum substantiale: ergo formæ substantiales superuenientes non constituerent, cum illis aliquod substantiale: supponerent enim ex illo actu, & potentia constitutum iam totum substantiale: aliter dicam formas superuenientes materiæ iam vnitæ formæ ignis, esse substantiales, & constituere totum substantiale; & lucem superuenientem aeri constituere vnum substantiale cum aere. Idem dico de lumine gloriæ, & visione beata superueniente substantiæ hominis. Duo hic addo, primũ admittendam esse formam non modalem, & supernaturalem quo ad substantiam: secundò huiusmodi formas eleuantes esse fortasse ex genere suo accidentia, vt patet ex ijs, de quibus nobis constat.

17 Dices primò: illam capacitatem superadditam non vniri cum materia. Sed contra nisi vniatur cum materia; non constituit cum illa vnum subiectum capax plurium formarũ: & consequenter ex illis cum qualibet forma non resultaret vnum absolutè dictum, sed quælibet forma esset veluti in duplici subiecto. Rursus si non indiget vnione ad materiam; ergo potest existere naturaliter sine illa, & sine vnione ad formas; neque enim ipsa est potens vniri formæ, sine materia, quam reddit capacẽ; sicuti nulla forma eleuans potest præstare effectum sine subiecto eleuato; vt constat ex ijs, quæ cognoscimus: ergo esset ens completum potens naturaliter semper esse, sine vnione ad aliud.

Materia non fit capax per decretum aut omnipotẽtiam applicatam.

18 Dices secundò: illam materiam eleuari per decretum Dei. Sed contra decretum, & omnipotentia Dei non potest esse subiectum totale, vel partiale formæ substantialis: ergo decretum non potest per se, vel per omnipotentiam applicatam formaliter supplere defectum subiecti. Et quidem si posito decreto volente materiam vniri duplici formæ materia sine eleuatione intrinseca vniretur duplici formæ; ipsa sola vniretur duplici formæ: ergo in ipsa sola est adæquata capacitas ad duas illas formas simul: sicuti si posito decreto eleuante solus intellectus concurreret ad actum fidei, in solo intellectu esset virtus affectiua talis actus. Absurdum autem est ponere in entitate materiæ illam capacitatem adæquatam; aliter posset etiam naturaliter plures formas recipere: neque ad aduentũ vnius deberet expelli alia, sicuti ad aduentũ Petri, nõ debet expelli Paulus à gymnasio vtriusque capace: quare duo agentia simul, vel successiuè applicata materiæ vtraque pacificè suas formas simul in illam inducerent.

19 Dices, humanitas Christi Domini eleuata est ad vnionem cum Verbo: ergo materia eleuari potest ad simul habendas duas formas substantiales adæquatas. Nego consequentiam: humanitas Christi Domini eleuatur ad vnionẽ hypostaticam, non quia caret capacitate passiua adæquata ad illam, do nunc id, sed quia eam vnionem maximè supernaturalem, non potest recipere nisi à Deo supra exigentiam totius naturæ. At supposita in materia, de qua loquimur

mur capacitate adæquata ad duas formas substantiales adequatas; possent agentia naturalia illas simul causare, neque esset cur vnum impediretur ab alio: si enim vna forma ex incapacitate subiecti non est incompossibilis cum alia; non est cur agens naturale introducens suam formam debeat expellere præexistentem.

20 Ex dictis infero, materiam impotentẽ, simul naturaliter sustentare duas formas substantiales adæquatas, nec miraculose posse id præstare: quia dum nihil obstat debemus eodẽ modo discurrere de potentia vnitiua; ac de sustentatiua.

Debet admitti capacitas passiua superaddita ad duas vbicationes.

21 Objicies, possunt corpora penetrari, & replicari supernaturaliter: est ne in corporibus capacitas passiua adequata ad penetrationem, & replicationem, vel non? quidquid dixeris redeunt argumenta facta contra potentiã passiuam materiæ ad duas formas substantiales adæquatas: ergo doctrina supra tradita non bene procedit. Respondeo, esse in corporibus capacitatem passiuam incompletam ad penetrationem, & replicationem; quæ capacitas complenda est per aliam semicapacitatem, quæ habeat respectu illius rationem formæ accidẽtalis; sed respectu replicationis, aut penetrationis habeat rationẽ subiecti inadæquati. Ratio est, quia ex vno capite contra hanc semicapacitatem superadditam non vrgent argumenta supra facta contra capacitatem materiæ ad duas formas substantiales: eorum enim vis fundatur in eo, quod ex subiecto adæquato, & forma substantiali debet resultare vnum substantiale, ac proindè illa semipotentia passiua superaddita deberet esse substantialis: quod esse non posse probauimus: at in casu nostro potentia superaddita est accidentalis: ex alio vero capite non potest supponi in corpore capacitas adæquata passiua ad penetrationem, & replicationem: aliter non esset cur agens trahẽs corpus ad alium locum, deberet destruere priorem vbicationem eiusdem corporis, aut cur non posset vnum corpus penetrari cum alio: neque profecto est cur natura det capacitatem passiuam adæquatam, aut vires actiuas adequatas ad terminos aliter naturaliter impossibiles: qui aliunde probari non possunt impossibiles, nisi ex incapacitate subiecti: & accidentia, quorum subiectum est adequatè capax, non est cur superent vires agentium naturalium: aliter fingam subiectum esse adequatè capax caloris, & siccitatis simul, sed non posse illas qualitates simul produci ab agente naturali, neque perseuerante vna posse introduci aliam. Non ita accidit in formis ab intrinseco aliunde supernaturalibus: quia, & si admittatur capacitas passiua adæquata, adhuc possunt ex sua excellentia superare vires omnium agẽtium naturalium. Præterea ea incapacitas subiecti non potest formaliter suppleri extrinsecè per decretum Dei, & omnipotentiam applicatam, vt patet ex dictis; ergo necessariò admittenda est aliqua semipotentia intrinseca, & eleuans, qualis est iam dicta. Quod si rerum vniuersitas exigit, vt corpora habeant vnicum tantum locum adequatum, ne per replicationẽ vnius excludantur alia; vel plura, quam equũ est corrumpantur; eadem vniuersitas debet exigere, ne corpora habeant adæquatam capacitatem ad plura loca adæquata simul occupanda: idque, vt capacitas materiæ correspondeat virtuti agentium naturalium, & exigentiæ vniuersi. Ex quo vlterius quis probabiliter inferet non esse in materia adæquatam capacitatem ad simul habẽdas qualitates oppositas in gradu opposito: & si ad præsentiam ignis validissimã nix non potest frigefacere aerẽ; est, quia ignis validior causat, & conseruat in aere calorem intensissimum, quo præsente materia non est capax frigoris.

22 Hinc patet non posse dici, quod materia sit ex se capax plurium formarum substantialium, sed vt partẽ vniuersi exigentis, ne plures formę substantiales adequatæ sint in eadem materia, exigere etiam ab intrinseco, ne simul sint in se plures formæ substantiales adequatæ; non posse inquam dici; primo, quia ea capacitas est maxime naturalis materiæ; & respicit, vt finem, & actum sibi naturalem, ad quem maximè inclinat, plures formas: ergo exigit illas simul habere: quilibet enim conceptus maximè inclinat ad finem sibi maximè proprium. Secundo capacitas collata materię à natura debet esse proportionata fini, ad quẽ ordinatur ab eadem natura: cum igitur materia non ordinetur à natura ad habẽdas simul duas formas substãtiales adæquatas, nõ debuit initio suæ creationis recipere à natura illam capacitatem. Verum de hoc puncto fusius in *trac. de Sacram.* vbi de potentia obedientiali.

SECTIO QVARTA.

De dependentia formarum à materia.

Formæ materiales pẽdent à materia tamquã à causa materiali.

1 DIco, formas materiales defacto dependere à materia tamquam à causa materiali, seu subiecto sustentante: probatur formæ materiales, neque primo sunt, neque conseruantur extra materiam: ergo verè pendent non solùm quo ad denominationem vniti, sed quo ad suum etiam esse à materia: sed non pendent ab illa tamquam à conditione: ergo tamquam à causa. Antecedens probatur: si enim primo essent, vel post corruptionem formæ cõseruarẽtur extra materiam, aliquo se signo proderent. Anima autem rationalis perseuerat post mortem hominis, cuius perseuerantię, præter fidem, argumenta naturalia sunt operationes liberæ, & intellectiones, vt suppono: quę argumenta nõ vrgent in formis materialibus: prima consequentia patet; minor subsumpta probatur: subiectum, sine quo nequit forma esse (dum nihil obstat) debemus dicere, quod sit causa materialis, & non mera conditio aliter

ter non remanet mediũ probãdi causã materialem: sed materia est subiectum, sine quo forma materialis nequit esse: ergo, &c. Quid sit autem materialiter influere, alibi fusius dicam; nunc suppono dari causam materialem, & influxum item materialem, quæ est sustentatio, & solùm probo materiam erga formam materialẽ exercere illam causalitatem. Quinimò hæc ratio probat omnia accidentia materialia dependere ab aliquo subiecto, de quo dicam *in lib. de generatione*.

2 Ex dictis infero agentia creata causando, non producere formas ex nihilo, hoc est nullo concurrente subiecto. Non igitur sunt ex veteribus audiendi, qui ducti illo axiomate, ex nihilo nihil fit; docuere nullas dari formas substantiales. Neque audiendi sunt, qui secundo ex eodem principio dixere in rerum natura nullam esse mutationem substantialem, neque aliquid substantiale de nouo produci, aut corrumpi; sed ex formis primo productis modo hanc, modo illam apparere, ac in scænam prodire: neque tertio, qui ausi sunt dicere formas substantiales partim præcessisse, partim de nouo produci. Hæc enim omnia, & gratis dicta sunt, & facilè ex dictis *disp. 2. sect. 2.* impugnari possunt.

3 Dices Gen. 1. dicitur *In principio Deus creauit Cælum, & terram*; ergo formę non educuntur de subiecto, sed creantur. Nego cõsequentiam: Deus enim dicitur in principio creasse Cęlum, & terram, non quia verę formæ non fuerint factæ dependenter à subiecto, quamuis de forma Cæli aliqui putent probabile oppositum; sed quia ad illam creationem non præcessit subiectum.

4 Dices Aristoteles 2. *m. t.* 29. hęc habet: *cum sit aliquid eorum, quæ arte conficiuntur, & in quo pars aliqua inest, alia talis est, vt à se ipsa moueatur, alia minimè*: ergo forma secundũ aliquã sui partẽ pręest in materia. Nego consequentiam: Aristoteles enim solùm voluit alteram artefactorum partem, nempè subiectum, in quo inducitur forma artificialis nõ esse artefactum, sed ens naturale habens in se principium motus, & quietis.

5 Non ita tamen formæ materiales pendent à materia, vt non possint extra illam miraculosè conseruari, vt euenit in accidentibus Eucharisticis existentibus sine substantia panis, & vini; quod à fortiori militat in substantialibus longè perfectioribus. Tunc autem formæ causarentur per creationem independenter à materia.

SECTIO QVINTA.

Vtrum forma sit tota quidditas compositi.

1 PArtem affirmatiuam defendunt nonnulli, & tenet probabilem Socinas apud Suarium *disp. 36. n. 5. 1.* Contrarium cõmuniter docent Authores: probatur forma est simplex entitas: ergo non potest in ea consistere tota quidditas compositi: in eo enim distinguitur quidditas entis simplicis, à quidditate compositi, quod prima dicat simplicem aliquam entitatem: secunda includat plura. Confirmatur, aliter cum homo moritur, adhuc perseuerat tota eius quidditas. His adde Athanasium in Symbolo ibi, *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus*: in quibus verbis supponit hominem includere quidditatiuè non solùm animã, sed etiam carnem, & materiam.

2 Obijcies, si materia esset de quidditate hominis, non esset idem homo puer, & senex: quia non haberet eamdem materiam in pueritia, ac in senectute: imò euenire potest, vt in senectute nihil materiæ retineat, quam habuit puer. Confirmatur idem homo, qui mortuus fuit, resurget: sed non cum eadem materia; ergo illa materia non includitur in conceptu hominis. Minor probatur: primo, quia moritur nonnumquam quis puer, & resurget vir perfectus. Præterea potest euenire casus, vt eadem materia informetur a pluribus hominibus, vt si quis comedatur à piscibus, & conuersus in illorum substantiam rursus conuertatur in substantiã alterius hominis, qui comedit illos pisces. Confirmatur demum, quia non esset idem Christus mortuus in Cruce, & natus ex Virgine.

3 Distinguo maiorem, non est idem moraliter homo puer, & senex; nego: physicè; subdistinguo, quoad omnia. quæ dicit: concedo: inadæquatè, & quoad partem magis præcipuam nego. Certum est hominem puerum, & senem non esse absolutè, & omninò eumdem: dicitur tamen primo idem moraliter quoad hominum existimationem, cum enim retineat eamdem animam, & aliquas saltem partes eiusdem materiæ cum eadem vnione, remanet essentialiter etiam physicè idem homo: illæ enim partes materiæ perseuerantes vnitæ animæ sunt essentialiter homo, & ideò putatur absolutè, & prudenter idem homo; quamuis mutauerit absolutè multas imò longè plures partes prioris materiæ: rursus prudenter putatur idem homo: quia retinet similia omninò lineamenta, similes inclinationes, & habilitates, ac habitus, quæ præcipuè considerantur ab hominibus: cum presertim homines non valeant discernere differentias indiuiduales: absolutè tamen non potest dici, quod perseuerat idem homo physicè, nisi tantùm inadæquatè, ratione principalioris partis nempè animę, & alicuius partis materiæ primogeneę, quæ & naturaliter perseuerat vsque ad mortẽ, & vt diximus vnita animæ constituit essentialiter hominem.

4 Hinc patet ad confirmationem: sufficit enim ad veritatem resurrectionis, quam credimus, si resurgat idem homo, qui mortuus est identitate morali, & physica supra explicata: requiritur autem ad saluanda dicta Pa- *Quomodo idem sit homo viuens, ac resurgens.*

N n 2 trum,

trum, & Scripturas, præcipuè illud Iob, quod communiter intelligitur de Resurrectione: *In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*; sed saluanda, inquit, hæc dicta scripturarum requiritur aliqua identitas materiæ. Ad diuinam autem prouidentiam spectat supplere defectus, & materiã distribuere, & videre vnde desumenda sit, quando eadem fuit sub pluribus hominibus in casu, qui videtur naturaliter impossibilis, in quo duo homines participent omninó eamdem materiam. Recurrit Giattinus ad materiam, quæ aliquando fuit huius hominis, & deindè conuersa fuit in aerem, vel alia excrementa. In Christo Domino, & alia specialis ratio identitatis, nempè identitas suppositi, quod principalius venit sub nomine huius hominis Christi Iesu.

5 Instabis cum Quiros, esse moraliter idē, est, esse tantùm apparenter, non absolutè idē. Rursus si mutaretur anima successiuè perseuerante eodem corpore, non esset absolutè idem homo. Ad primum nego antecedens: nam esse moraliter idem in casu nostro, dicit perseuerantiam realem eiusdem animæ vnitæ saltem alicui eidem materiæ, ac prius: quæ est physica identitas quoad partem principalem, & quoad totum aliquod essentiale sufficiens, vt totum dicatur absolutè, idē: omnimoda autem identitas non physica, sed tantùm moralis est. Hinc patet disparitas ad secundum: si enim imperceptibiliter mutetur anima hominis, mutatur præcipua pars hominis, à qua præcipuè desumitur vnitas.

6 Vrgebis secundo, eodem modo est idem homo puer, ac senex, quo est idem homo, si anima modo informet corpus Petri, modo corpus Pauli. Nego assumptum: quia illa mutatio paulatim facta, facit vt prudenter putari possit idem homo puer, ac senex: cum perseuerent eædem partes primigeneæ, & eadem lineamenta, inclinationes, & temperies: quod non haberur quando anima statim transiret à corpore Pauli ad corpus Petri.

9 Vrgebis tertio: ergo si, vt fieri potest, homo amitteret totam priorem materiam, deberet homo ille baptizari, quia non esset ablutus. Nego sequelam, & eius probationem: ablutio enim moraliter perseuerat in partibus materiæ, quæ successiuè subrogantur prioribus; sicuti benedictio moraliter perseuerat in partibus templi, quæ successiuè subrogantur prioribus, quæ aliquando fuerunt physicè benedictæ: certè homo christianus nunc non est ablutus physicè, quia ablutio illa transijt: quod si anima Christiani transferretur in corpus Turcæ, fortasse talis homo non deberet baptizari, si constaret de miraculo: tum quia baptismus est institutus pro his, qui naturali generatione descendunt ab Adamo: tum quia ille homo posset dici moraliter baptizatus; iam enim virtute baptismi fuisset absolutum eius peccatum originale, & verè ratione characteris inhærentis animæ spectaret ad familiam Christi Domini, & esset membrum Ecclesiæ: quare ablutio illa præterita adhuc moraliter perseueraret in hoc homine; ideoque fortasse nulla esset obligatio illum baptizandi: quod si id renuas, nego paritatem: quia in hoc secundo casu, cum non perseueret moraliter idē corpus, sicuti in primo; ideò mirum non est, quod in secundo casu homo ille non possit dici ablutus, sicuti in primo, in quo perseuerarent partes primigeneæ, quæ cum forma constituunt hominem essentialiter sumptum. Illud addo hoc argumentum soluendum ab omnibus: quia certum est ablui corpus, quod non perseuerat.

DISPVTATIO QVARTA.

De Priuatione.

HOc est tertium mutationis principium, quod vtpotè nullius entitatis, merito vltimum locum obtinet: vt autem conceptum priuationis possimus meliùs dignoscere, multa inquirere oportet, de natura, & veritate carentiarum; sit igitur.

SECTIO PRIMA.

Explicatur conceptus carentiæ.

1 SVnt qui putant, nec sanè improbabiliter, conceptus carentiæ, & rei positiuæ, in quibus fundatur primum illud principium, *quodlibet est, vel non est*, esse primos, per se notos, nec vlterius explicabiles per alios clariores. Attamen si aliquo modo velimus rem hanc vlterius explicare, benè quis dixerit iuxta principia Cardinalis Pallauicini 1.2. *disp.3.q.2. art.* 2. carentiam, prout præscindit à pura, & non pura, esse formalem exclusionem alterius à suo consortio; impurã, præstare realiter aliquod aliud munus: puram nihil, aliud præstare, quàm excludere alterum. Ratio est, quia hæc explicatio est satis conformis conceptui, quem omnes communiter formamus de carentijs: neque vlla excogitabilis est carentia pura, vel impura, quæ sub allata explicatione, non contineatur. *Quid est pura carentia.*

2 Ex dato puræ carentiæ, de qua præcipuè disputamus, conceptu, duo alia eius prædicata inferuntur; primum est, quod nō possit cognosci sine termino excluso, vt patet consideranti: imò etiam, quia præcognoscatur terminus exclusus, vt enim sciam quid sit carentia lucis, debet per se loquendo supponi cognita lux. Verum totum hoc conuenit etiam carentiæ impuræ. Secundum est, non posse absolutè secundum se terminare vllam propositionem absolutè affirmatiuam; quæ nimirum non sit negatiua, neque formaliter æquiualeat nega- *Proprietates duæ puræ carētiæ*

negatiuæ, aut debeat per negatiuam explicari. Contra veró quilibet conceptus positiuus habet, vt possit absolutè cognosci sine alio, vel saltem valeat terminare aliquas propositiones per se affirmatiuas.

3 Hæc duo prædicata non puto esse de essentia carentiæ, sed proprietates: sufficienter enim carentia pura, de qua loquimur, per puram exclusionem, quam sequuntur dicta duo prædicata, constituitur. Ex dictis autem non malè quis suo modo explicauerit conceptum rei positiuæ, cui opponitur pura carentia; dicendo, quod sit in aliquo statu, & non vt plura alterius exclusio à suo consortio. Verum de hoc fusiùs in Methaphysica.

4 Dices primo: de pura carentia Petri possum dicere: carentia Petri est, cognoscitur à Deo, est à Deo volita, & similes formare propositiones affirmatiuas, quibus affirmentur de illa prædicata positiua, nempè cognosci, & esse volitam. Respondeo, propositiones, quæ de carentijs afferuntur, aut habere pro prædicato aliquod esse intentionale, vt esse cognitū, esse volitum, aut aliquem conceptum non intentionalem, vt cum dico: carentia Petri est. Et si quidem habeant pro prędicato conceptū non intentionalem, non sunt propositiones absolutè affirmatiuæ, sed æquiualenter negatiuæ; quamuis verba videantur significare modum tendendi copulatiuum: & illa propositio, carentia Petri est, debet explicari per illam absolutè negatiuam, & cui æquiualet, nempé, Petrus non est; at si propositiones sunt de prædicato intentionali; primò id non facit cōtra allatam doctrinam, quam limitare benè possum ad propositiones de prædicato non intentionali. Secundò, per illas propositiones non explicatur aliquod aliud munus carentiarum, pręter purum excludere; sed potiùs significatur munus aliarum potentiarum circa ipsum purum excludere. Tertiò, quia illæ volitiones, & cognitiones explicandę sunt per suum obiectum; quare totum negotium tandem resoluitur in purum excludere.

5 Dices iterum: prius vt prius necessariò excludit posterius; & tamen non necessariò est pura carentia. Respondeo, ita esse, quia prius vt prius potest non esse pura exclusio.

6 Iam verò carentiæ aliquæ sunt necessariæ, excludentes terminum chimęricum, vt carentia alterius Dei: aliquę sunt contingentes, quæ excludunt terminum possibilem, & contingentem; & de vtrisque est pręsens sermo. Sit igitur.

SECTIO II.

Vtrum dentur carentiæ necessariæ contra distinctæ ab omni conceptu positiuo?

Mens aliquorū qui carentias negant.

1 SVnt in hac re multi, qui absolutè negant carentias esse; non solùm quia carentia nullum habet esse positiuum formaliter, qua carentia est; sed quia putant non dari conceptus obiectiuos, qui sint formalis rerum, quę deficiunt, exclusio; propositiones autem negatiuas; res non est, res non est possibilis, formaliter verificari per ipsum esse rei non existens, vel esse non possibile. Per hos igitur authores nullus datur, aut est possibilis cōceptus realis, qui sit formale exclusiuum rei, sicuti per multos affirmatio est formale exclusiuum negationis; & qui necessariò intelligatur suo modo esse, si res non sit.

Dātur formalia exclusiua.

2 Verum si hi Authores tantùm velint carentias, & exclusiua non esse ex suo conceptu verè, & rigorosè, quia absolutè non sunt, cum nullum habeant esse, non nisi puris vocibus discrepant ab illorum sententia, qui admittunt puras carētias contradistinctas ab omni conceptu positiuo. At si velint nullo modo dari huiusmodi formalia exclusiua, neque contra distincta ab omni conceptu positiuo, neque identificata cum aliquo conceptu positiuo, non possum eorum mentem probare: quia alium mundum non esse, est quidam conceptus obiectiuus realis, incompossibilis cum alio mundo: ergo realiter datur exclusiuum formale alterius mundi. Quod si dicas primo: non esse alium mundum, esse iudicium diuinū, vel creatum verum, negans esse alium mundum; iam admittis conceptum realem incompossibilem cum alio mundo, & alius mundi exclusiuum; sed illum identificas cum iudicio vero negatiuo diuino, vel creato. Quod si iterum dicas alium mundum non esse, dicere alium mundum denominatum per iudicium negatiuum verum enuncians, alium mundum non esse; eodem modo impugnatis; nam vel illud iudicium negatiuum est essentialiter verum; & ipsum erit formaliter incompossibile cum alio mundo, & formale eius exclusiuum; vel constituitur verum partialiter per obiectū, & hoc obiectum non est nisi formale exclusiuū mundi.

3 Replicabis: illud iudicium negatiuum habere pro obiecto dumtaxat alium mundum, à quo intellectualiter fugit: non debet igitur adesse aliquod realiter exclusiuum alterius mundi. Sed contra illud iudicium, & fuga intentionalis est vera enunciatio, si alius mundus non existat, est falsa enunciatio, si alius mundus existat: hoc autem non ob aliud accidit, nisi quia in primo casu deficit alter mundus, & datur defectus exclusiuus alterius mūdi, quod non euenit in secundo casu. Breuiter realiter deficere alium mundum est necessariū ad veritatem illius iudicij negatiui: hoc autem deficere est incompossibile cum alio mundo, & exclusiuum illius: ergo vel identificatum cum illo iudicio negatiuo, & fuga intentionali, vel ab illo distinctum: quodcumque autem dicas semper verificatur, quod detur exclusiuum reale alterius mundi: neque enim illud deficere est chimera. Quod si iterum replices illud deficere non esse conceptum realem, sed

caren-

carentiam conceptus realis: vrgeo illa non est carentia chimerica; ergo realis, illa profectò quam quærimus. His positis.

Dātur reales carentiæ necessariæ, identificatæ cum Deo.

4 Certum est dari reales carentias necessarias, & necessaria realis exclusiua chimerarum: dubium est vtrum huiusmodi carentiæ, & exclusiua sint puræ carentiæ, & puræ exclusiones contradistinctæ ab omni conceptu positiuo; vel conceptus aliquis positiuus formaliter incompossibilis cum chimeris. Multi docent esse puras carentias necessarias contradistinctas à Deo, & à quolibet conceptu positiuo, ab omnipotentia, libertate, ac dominio Dei independentes. Alij cum Antonio Perez, Esparza, Pallauicino, & Mauro negant tanquam chimæricas huiusmodi puras carentias necessarias, & consequenter docent: formale exclusiuum omnium chimerarum esse Deum.

5 Sequor secundam sententiam, pro qua proculdubio stat argumentum negatiuum aduersariorum pluribus frequentissimum, & ferè vnicum, quo suam phylosophiam, ac Theologiam penè vniuersam confirmant, & aliorū sententias impugnant; sed mihi infirmum, & enerue ad conuincendum: stat, inquam, quia nulla apparet ratio, quæ sufficienter probet necessitatem harum carentiarum. Verum omisso argumento negatiuo. Probo positiuè meum dictum: nullus conceptus realis, qui non est Deus, est absolutè necessarius: sed carentia, de qua loquimur, est conceptus realis, qui non est Deus, vt volunt aduersarij, aliter non esset pura carentia: ergo nulla carentia, de qua loquimur est absolutè necessaria; deberet autem esse absolutè necessaria, vt volūt aduersarij: quæ est aperta repugnantia. Maior, probatur: nullus conceptus dependens à diuina omnipotentia, & libertate est absolutè necessarius: sed omnis conceptus realis, qui non est Deus, dependet à diuina omnipotentia, & libertate: ergo nullus conceptus, qui non est Deus, est absolutè necessarius: minor probatur, quia omnis conceptus realis, qui non est Deus, non est à se, neque à se potest habere suam illam qualemcunque realitatem: ergo dependet à diuina omnipotentia, & libertate: omne enim, quod non est à se, sicut est ab alio, ita est à diuina omnipotentia, & libertate. Antecedens probatur, quia aseitas est proprietas solius Dei, imò per multos primus eius conceptus. Et si aseitas, & independentia potest conuenire puræ carentiæ, quæ est vmbra entis, & longè imperfectior quocunque ente limitato; non est cur non possit conuenire alicui enti limitato; & cur ens limitatum non possit esse independens à quocumque alio, etiam ab ipsa diuina omnipotentia, & dominio, ac omninò necessariū. Confirmatur, & explicatur: hic conceptus omnimoda independentia ab aliena potentia, & dominio, vel affert secum necessario summam perfectionem; vel non: si primum, ergo non potest conuenire puræ carentiæ imperfectissimæ; si secundum, ergo non est cur non possit conuenire alicui enti limitato.

Omne iudiciū absolutè necessarium verificatur per diuinam essentiam.

6 Ex dictis satis probatum manet, huiusmodi carentias, & exclusiones absolutè necessarias identificari cum diuina essentia, ac proindè non esse verè carētias, sed maximam perfectionem. Est profectò diuina essentia est primum obiectum, prima ratio, prima idea, omnia in se ipsa cum summa perfectione præcontinens; & perfectissimé, ac comprehensiuè proponens, ac in se ipsa declarans diuino intellectui rerum, & prędicatorum omnium conuenientias, repugnantias, connexiones, & essentias: quare est primus rerum omnium quidditatiuus conceptus, & quidditas; omnium possibilium possibilitas, & impossibilium impossibilitas: neque enim mihi vnquam persuadere potui diuinam mentem, vt hæc omnia sciat debere ad aliquod exemplar extra se positum inspicere: & Deum ex alio fonte, quam à se haurire scientiam. Quod contradicit Sancti Dionysij doctrinæ c. 7. *de diuinis nominibus*. Attamē de hoc pūcto fusius dicam in metaphysica. Solùm addo ex allata doctrina facilè solui argumenta aduersariorum, quæ desumuntur ex quibusdam iudicijs negatiuis necessariò veris in materia repugnantiæ: omnium enim horū iudiciorum verificatiuum, est diuina essentia, & prima rerum omnium quidditas: Ad verificanda igitur huiusmodi iudicia, sicuti, & affirmatiua necessaria in materia necessaria, non opus est recurrere vel ad entia diminuta æterna, vel ad æternas, & indefectibiles carentias.

SECTIO TERTIA.

Vtrum dentur puræ carentiæ contingentes?

Tres sentētiæ de carētijs contingentibus.

1 TRes sunt in hac re dicendi modi, aliqui absolutè admittunt puras carentias cōtingentes, quibus formaliter excludantur res contingentes. Secundo alij docent repugnare dictas puras carentias; res autem formaliter excludi per liberum Dei decretum nolitiuum, quo res non vult. Tertio nonnulli asserunt res creatas contingentes formaliter excludi non per puras carentias, quas putant repugnare, neque per decretum Dei nolitiuum; sed per modos quosdam relatiuos incompossibiles cum rebus, & essentialiter respicientes decretum Dei nolitiuum.

Puræ carētiæ contingentes repugnant.

2 Dico primo, repugnare puras carentias contingentes: probatur. Nullus conceptus eligibilis, volibilis, & amabilis à Deo, est pura carentia: sed omnis conceptus contingens extra Deum possibilis, est à Deo eligibilis, volibilis, & amabilis: ergo nullus conceptus contingens extra Deum possibilis est pura carentia: ergo pura carentia contingens repugnat; aliter aliquis conceptus contingens extra Deū possibilis esset pura carentia: omnia constant præter maiorem principalis argumenti, quam sic confirmo: nullum bonum est pura carentia, bonum enim, & ens dicuntur ad conuertentiā: & profectò, quod bonum est, potest media sui

apprehensione ad sui amorem allicere appetitum, quod longè distat à munere purè excludendi, quæ est essentia puræ carentiæ: sed omnis conceptus eligibilis à Deo, est bonum quid: ergo nullus conceptus volibilis, eligibilis, amabilis à Deo est pura carentia: maior huius secundi syllogismi satis confirmata est: minor probatur: omnis terminus Inclinationis Diuinæ voluntatis est quid bonum; diuina enim voluntas, vtpotè perfectissima, & directa à summa sapientia non potest inclinare, nisi in bonum; sicuti non potest fugere nisi á malo, vel imperfecto: & ideò necessario inclinatur in summum bonum, ac necessario auertitur à summo malo. Generaliter autem loquendo omnis inclinatio elicita est in aliquod, quod proponitur, vt bonum, & omnis elicita auersio est ab aliquo, quod proponitur, vt malum, & sub ratione mali.

Omnis terminus diuinæ electionis, & amoris est bonū quid.

3 Dices primo, obiectum formale diuinæ voluntatis esse summum bonum, à cuius prosequutione nullus actus voluntatis diuinæ potest pręscindere: hoc autem sufficit, vt inclinatio diuinæ volūtatis possit eligere aliquam puram carentiam: quia iam saluatur, quod inclinatio elicita Dei sit in bonum. Sed contra, quia Deus non solùm per suam electionem inclinat in obiectum formale, propter quod eligit, sed etiam in obiectum materiale, quod eligit: ergo non solùm obiectum formale, sed etiam materiale, & electum debet esse bonum. Confirmatur: quia actus, quo Deus ex amore suæ bonitatis reprobat aliquod, non solùm tendit in bonum diuinum, tanquam in obiectum formale, sed fugit etiam ab aliquo malo, vel imperfecto: ergo dum eligit aliquod propter idem motiuum, non solúm tendit in bonum diuinum tanquam in obiectum formale, sed etiam in aliquod aliud bonum tanquam in obiectum materiale.

4 Dices secundo, est saltem possibilis pura carentia libera peccaminosa, quam Deus neque eligere, neque amare potest: & talem intercedere putat Antonius Perez in quolibet peccato etiam commissionis: docet enim in priori ad actum positiuū commissionis malum, quo quis vult furari, præcedere liberam voluntatis determinationem, quæ excludit omne impedimentum voluntatis furandi, ac infallibiliter trahit illam voluntatem, ac essentialiter supponit voluntatem creatam completè indifferentem. Contra hunc dicendi modum multa afferuntur, & afferri possunt; non nihil dixi *prima 2. tract. de vitijs, & peccatis*, agens de malitia morali: nunc addo primo, me hic supponere repugnantem puram omissionem liberam. Secundo hanc quam admittit Perez non esse puram carentiam: nam, & trahit essentialiter actum positiuum, quem constituit malum; & dicit essentialem ordinem ad potentiam liberam, quæ longè distant à munere purè excludendi. Quin imó, cum omne exclusiuum actuale necessariò dicat ordinem essentialem ad decretum Dei intentiuum, vel permissiuum; necessariò dicit aliquod aliud prædicatum præter purè excludere.

Impugnatur carētia præcedens actum liberum malū.

5 Dices tertiò, Deum non directè eligere, aut amare carentias; sed indirectè: quod autem indirectè eligitur, & amatur, non debet necessariò esse bonum. Sed contra, quia si per ly directè eligere, & amare intelligis volitionem propriam obiecti formalis; verum dicis: sed iam supra impugnatus es: si verò intelligis volitionem eius, quod est secundum se volitum, & per ly indirectè; eius quod secundum se non est volitum, sed est tale, vt cum illo cognoscatur necessario connexum id, quod est secundum se volitum; vrgeo contra, quia tuas carentias potest Deus secundum se, & absolutè velle, & eligere; sicuti potest absolutè nolle, & reprobare earum terminos positiuos: imo in Deo ipsum absolutè reprobare vnum contradictorium, est approbare, & affectiuè adherere alteri: ergo tuæ carentiæ possunt à Deo esse etiam directè volitæ: nō purè Indirectè? quia præcisè aliquod directè volitum est, & cognoscitur cum illis necessariò connexum.

Impugnantur asserentes Deum indirectè velle puras carentias.

6 Replicabis: Deum indirectè velle illas carentias; non quia velit aliquid, quod cognoscitur necessariò cum illis connexum; sed quia efficaciter reprobat positiuum oppositū. Sed contra primò: quia negari non potest, quin Deus reprobando efficaciter vnum contradictorium; efficaciter in casu nostro eligat aliud, nempe carentiam: omnis autem electio vtpotè affectiua adhęsio, & prosequtio, habet pro obiecto aliquod bonum: voluntas enim non prosequitur nisi bonum: ergo Deus in hoc casu prosequitur aliquod bonum: non illud, quod reprobat; neque aliud in re nostra intercedit, quod connectatur cum carentia: ergo immediatè, & directè prosequitur ipsam carentiam secundum se: ergo ipsa carentia secundum se est intrinsecè bona. Secundo contra est. Deus efficaciter reprobat vnum contradictoriū v. g. Lucem, non quia bonum est; bonum enim, vt bonum non est terminus fugæ, & reprobationis; sed prosequtionis: reprobat igitur Deus bonum illud, quatenus habet admixtam aliquā malitiam, vel imperfectionem: ergo dum reprobando illud bonum, eligit indirectè (non curo nunc de hac re) exclusionem illius boni, eligit exclusionem imperfectionis; sicuti reprobat formaliter imperfectionem: sed exclusio imperfectionis est bona, & perfectio: ergo illa exclusio est bona, & perfectio: ergo non pura carentia.

7 Dico secundò carentias, seu exclusiones reales rerum contingentium, non necessariò esse decretum Dei nolitiuum, quasi verò non esse lucem, sit formaliter decretum, quo Deus efficaciter vult non esse lucem. Moueor, quia huiusmodi carentię modo accedunt, modo recedunt, sicuti res ipsæ modo sunt, modo non sunt; decreta autem semel à Deo concepta semper inuariabiliter sunt: ergo dictæ carentiæ,

Exclusiua contingentia non necessario sūt decretum Dei nolitiuum.

tiæ, & exclusiones non possunt esse decreta diuinæ: consequentia est certa, quod enim modo accedit, modo recedit, non potest esse quid immotum, perseuerans inuariabiliter idem. Antecedens, & confirmatum est, & videtur aliquod per se notum, & sensus omnium communis.

8 Dices primo, illas exclusiones semper esse; sed non semper excludere: quia sunt exclusiones pro tali differentia temporis; & ideò ex communi sensu dicuntur modo accedere, modo recedere; quia modo excludunt, modo non excludunt: benè igitur possunt identificari cum diuino decreto, quod licet, semel conceptum semper inuariabiliter sit; poterit nihilominus modo excludere, modo non excludere: quia videlicet est nolitio mundi pro hoc tempore determinato, non pro alijs: Sicuti decretum, quo Deus vult creare mundum in tempore; quamuis ipsum sit sempiternum, & inuariabile, trahit mundum in tempore.

9 Sed contra, quia experientia constat res creatas modo esse, modo non esse: modo excludi, modo non excludi; ergo modo adest formalis exclusio, modo non adest: si enim semper adest, semper excludit: sicuti illuminatio, quæ semper adest, semper illuminat; & si aliquando illuminat, aliquando non illuminat; aliquando adest, aliquando non adest; neque fingi potest illuminatio, quæ semper adsit, & tamen sit illuminatio pro hoc tempore, ideoque aliquando illuminet, aliquando non illuminet: sicuti neque productio, quæ semper sit; & nunc producat, nunc non producat. Ratio est, quia ipsum excludere, producere, illuminare, non est aliquis effectus formalis adæquatè, vel inadæquatè realiter distinctus ab ipsa exclusione, productione, illuminatione; sed adæquatissimè est ipsissima illuminatio, exclusio, productio: ergo si decretum Dei se ipso est formalis exclusio, & semper, ac inuariabiliter est, repugnat quod modo formaliter excludat, modo formaliter non excludat.

10 Replicabis: non repugnant, imo de facto dantur, formæ, quæ præstent suum effectum formalem huic subiecto, non illi; & sint formæ huius, non illius subiecti; sic intellectio reddit hominem intelligentem, non lapidem, & suo modo est forma hominis, non lapidis: ergo benè intelligi potest, quod decretum Dei, quamuis semper existat, tamen per se ipsum sit exclusiuum Petri, illique contradicat pro tali tempore, non pro reliquis. Nego consequentiam: ratio est, quia effectus formalis formæ, quæ vnitur cum aliquo subiecto, non est præcise forma, sed etiam subiectum capax denominationis, & effectus formalis, qui deriuatur ab illa forma: ac proindè mirum non est, si huic subiecto præstet suum effectum formalem, & denominationem; illi vero minimè: & sit veluti forma huius, non illius subiecti: at in casu nostro res denominata est omninò eadem, nempè Petrus exclusus: eadem omninò est forma denominans, idem, videlicet Dei decretum: ergo semper debet esse eadem denominatio, neque verò dici rationabiliter potest, quod idem decretum Dei inuariatum, nunc sit exclusio Petri, nunc non sit exclusio Petri; modo sit illius contradictorium, modo non sit, sed cum Petro componatur: modo sit ipsissimum non esse Petri, modo non sit tale non esse: vel si decretum nolitiuum Petri pro tali tempore, sit inuariabiliter & semper non esse Petri: iam quando Petrus existit, & coexistit illi decreto, coexistit suo non esse; ac proindè simul est, & non est: quæ est prima contradictio.

11 Hinc patet ad illud, quod in confirmationem suæ responsionis addunt aduersarij de decreto, quo Deus ab æterno voluit creare mundum in tempore, seu voluit temporalem mundi creationem; nam primo illud decretum non est formalis creatio mundi semper existens, & creans in tempore; sicuti per aduersarios decretum nolitiuum est formalis exclusio Petri æterna, & inuariabilis, excludens non semper, & inuariabiliter Petrum. Secundo illud decretum est æterna, & inuariabilis Dei volitio efficax, qua vult creare mundum in tempore; est æterna, & inuariabilis determinatio diuinæ omnipotentiæ ad creandum mundum in tempore, & æternè, & inuariabiliter constituit Deum volentem creare mundum in tempore; & determinat omnipotentiam ad illam creationem. Similiter æternè, & inuariabiliter constituit Deum coniungendum pro tali tempore cum mundo. Sed non est formalis creatio, formalis coniunctio Dei cum mundo; ac proindè mirum non est, si non semper inuariabiliter creet, trahat, coniungat; neque enim hi sunt effectus formales adæquatè identificati cum illa voluntate. At per aduersarios nolitio Dei est seipsa formalis, & ipsissima exclusio, & non esse Petri, & tamen cum sit sempiterna, & inuariabilis modo excludit, modo non excludit.

Impugnatur responsio illorum qui dicunt decretū excludere durationem.

12 Dices secundò: decretum nolitiuum, quo Deus non vult Petrum pro tali differentia temporis, non excludere formaliter substantiam Petri secundum se; cum qua componitur, sed excludere eius talem determinatam durationem, cum qua nunquam potest componi. Sed contra, primo, quia & si hæc responsio saluet, quod decretum Dei nolitiuum, & formalis exclusio non coniungatur cum re exclusa; nihilominus vrgeri contra illam potest primo: quia supponit cum Gratino rei, quæ aliquando est, nunquam dari formale exclusiuum, quo ipsa secundum se excludatur, sed tantùm excludi aliquas illius durationes antecedentes, & subsequentes; quod esse falsum infra probabo. Secundo non saluatur iuxta hanc responsionem, quod quandocunque exclusio formalis est, formaliter excludit: quia exclusio formalis, & contingens est ab æterno, & inuariabilis; nec tamen contingenter semper, & inuariabiliter

ter excludit durationem hodiernam, sed, tantum hodie: quia pro tempore antecedente, & subsequente sicuti absolutè repugnat duratio hodierna, ita non potest contingenter excludi ab illo tempore.

Excluditur responsio Ant. Per. de durationibus decretorum.

13 Dices tertio: iuxta doctrinam Antonij Perez, nolitionem mundi pro hoc, vel illo tẽpore, sicuti, & omnia libera Dei decreta durare formaliter, ac veluti per totam æternitatem extendi, non seipsis, sed per veluti super additas durationes essentialiter fluentes, realiter identificatas Deo, & decretis, sed virtualiter ab illis distinctas: huiusmodi igitur durationes virtualiter contingentes, ac virtualiter accedentes, & recedentes sunt formaliter oppositæ Petro, & eius durationibus, non quidem omnes, sed illæ, quæ præcedunt, vel subsequuntur existentiam Petri; quare decretum Dei quo vult Petrum esse pro hoc tempore, antecedente, vel sequente; non est adæquatum formale exclusiuum Petri pro tempore illo antecedente, & sequente; sed tale constituitur per sui durationes antecedentes, & sequentes: quæ sunt ex sua formali ratione incompossibiles cum Petro, & eius durationibus antecedentibus, & subsequentibus. Igitur iuxta hunc dicendi modum non semper, & inuariabiliter est formalis exclusio Petri aliquando existẽtis.

14 Sed contra primo: quia hæc responsio supponit aliquod prædicatum diuinum, Deoque realiter adæquatè identificatum esse temporaneum, & in tempore incipere, & desinere: quod suppono hic esse falsum. Et sanè si decreta Dei hoc modo durant; ergo primo nõ constituuntur formaliter æterna, per indiuisibilem Dei æternitatem. Secundo, cur ipsa diuina essentia non durat per similes durationes essentialiter fluentes, sed necessarias? verum omissis his rationibus, quæ potius spectãt ad Theologos, contra est secundo, illæ durationes diuinæ essentialiter fluentes, sunt omninò inter se similes; nec aliud munus præstant, quàm extendere successiuè decretum: repugnat autem, quod decretum, ex se non incompossibile cum Petro, reddatur tale per hanc, non per illam durationem: formæ enim omninò similes denominantes idem subiectum, tribuere illi non possunt denominationes contradictorias: & quis dicat eamdem albedinem affectam duratione hodierna esse potentem reddere album, impotentem autem si afficiatur duratione crastina omninò simili durationi hodiernæ.

15 Vrgeo præterea duratio hodierna decreti diuini reddens illud adæquatè incompossibile cum Petro, vel habet excludere Petrum ex eo, quod est duratio huius decreti, vel ex aliquo alio prædicato: non primum aliter omnes durationes huic similes præstarent eumdem effectum formalem: si secundum quæro, vnde habeat hæc duratio, vt reddat illud decretum formaliter incompossibile cum Petro? certè non potes aliud dicere; nisi quia ex suo modo tendendi illa duratio habet oppositionem cum esse Petri: quia videlicet decretum, quod efficaciter non vult Petrum hodie esse, ex se exigit durationem hodiernam ex sua speciali ratione, oppositã cum existentia Petri hodierna; hoc autem non potest subsistere: quia duratio hodierna non habet nisi extendere decretum diuinum ad tempus hodiernum: omnino enim aliud munus illi supra suum conceptum affigitur: ergo nisi supponat decretum habere adæquatã oppositionem cum existentia Petri, nõ potest duratio illã oppositionem conferre, aut complere. Præterea ille modus specialis, si est exclusiuus existentiæ Petri, non potest esse nisi fuga efficax ab eadem existentia: ergo formaliter est actus voluntatis: ergo aliquis actus diuinæ voluntatis est instantaneus: quod tanquam absurdum negant aduersarij. Notandum hic est, quod supra dicebamus decretum hoc Dei, non solùm excludere durationem hodiernam Petri, sed etiam absolutam existentiam Petri: ac proindè non videri, quomodo possit in alijs temporum differentijs coniungi cum existentia Petri.

16 Secundo probo eamdem veritatem, videlicet carentias, & exclusiones non posse vniuersaliter cõsistere in decreto noliriuo Dei: quia vt benè vrget Maurus *q. 49. seq.* homo non constituitur cæcus formaliter per Dei decretum, & Deum ipsum: aliter hoc concretũ homo cæcus, esset æstimabilius, quàm homo pollens potentia visiua, vtpotè includens summam perfectionem, & dignitatem omnis honoris. Præterea esset quid longè perfectius homo priuatus gratia, & felicitate; quàm homo Deo gratus, & beatus: priuatus enim gratia, & beatitudine includit infinitam amabilitatem: His reiectis sit

SECTIO QVARTA.

Propria sententia de carentijs contingentibus.

Posita rerũ creatione carentiæ cõtingentes sunt modi relatiui ad decreta Dei nolitiua.

1 Dico primo, carentias contingentes posita rerum creatione esse modos relatiuos ad decretum Dei præsens, quo pro singulis circumstantijs vult efficaciter potius has res, quàm illas: in hanc sententiam videntur inclinare Maurus, & Pallauicinus. Probatur, quia, vt vidimus, dantur defacto exclusiones reales rerum, quæ possunt esse, & non sunt: huiusmodi autem exclusiones non possunt esse aliquæ puræ carentiæ, neque decretum Dei efficax, quo Deus non vult illarum rerum existentiam, neque possunt esse res absolutè de facto existentes, quæ sunt indifferentes ex se, vt coniungantur cum rebus non existentibus; neque enim Petrus, aut lux defacto existentes vllam habent incompossibilitatem cum Paulo, & luce defacto non existentibus: ergo necessariò recorrendum est ad aliquem alium conceptum realem positiuum, & creatum: qui non videtur posse esse alius, quàm modus

 rela-

relatiuus ad decretum Dei efficax, quo Deus efficaciter vult has, vel illas res non esse, aut absolutè, & pro omni differentia temporis, aut limitatè pro hac, vel illa temporis differentia; & quidem satis rationabiliter exclusiones, de quibus loquimur, identificantur cum dictis modis relatiuis: nam in huiusmodi relationibus inueniuntur omnia, quæ requiruntur ad exclusiones, & carentias contingentes, & necessaria sunt ad soluẽdas difficultates, quæ hic præcipuè vrgent: enimuerò propter intrinsecum ordinem, quem essentialiter dicunt ad Dei decretum efficaciter nolitiuum huius, vel illius rei, habent essentialem incompossibilitatem cum re à Deo efficaciter nolita, & quia nunc adsunt, nunc non adsunt, sufficiunt ad formaliter verificandum, quod nunc adest, nunc abest rei exclusio, & res ipsa exclusa. Neque periculum est, vt cæcitas hominis constituatur per formam nobiliorem, quàm sit potentia visiua; ergo benè exclusiones contingentes rerum creatarum constituuntur in huiusmodi modis relatiuis.

4. Dices gratis finguntur dicti modi relatiui. Nego; & si omnis alia ratio deficiat, rationabiliter tamen, & necessario sunt admittendi, vt saluemus exclusiones reales contingentes. Sed aliquid magis in particulari de his exclusionibus asseramus.

Quid sint huius modi relatiui modi; sunt actiones productiuæ durationum, quæ de facto dantur.

3. Dico secundò: exclusiones contingentes esse modos relatiuos, non quoscunque, sed actiones, quibus producuntur rerum, quæ de facto existunt, durationes. Supponit hoc dictum res creatas, siue substantiæ sint, siue accidentia, absolutas à tempore, idest indifferentes, vt sint in hoc, vel illo tempore, durare per modos quosdam essentialiter fluentes, & tempori alligatos, & qui sunt formaliter ipsum tempus intrinsecum, vt fusius infrà dicam. Supponit secundo, res omnes creatas regulariter loquendo, & ipsas durationes produci per actiones distinctas. Supponit demum actiones huiusmodi dicere essentialem ordinem non solùm ad causas, sed etiam ad hoc vnicum Dei decretum, quo Deus de rebus omnibus liberè decreuit: quę omnia fusiùs infrà suis locis probabo. Sensus igitur nostri dicti est exclusiones contingentes esse dictas actiones causatiuas durationum rerum creatarum defacto existentium.

Probatur, huiusmodi actiones sunt essentialiter incompossibiles cum rebus, quas de facto Deus efficaciter non vult in hac rerum serie: sicuti essentialiter connectuntur cum decreto, quo Deus illas efficaciter dicto modo non vult: ergo sunt formale exclusiuum illarum: illa enim incompossibilitas est formalis; sufficiens ad constituendum formale exclusiuũ: neque verò est incompossibilitas remota; vel primo quia trahat post se aliud incompossibile: nam post illam actionem non sequitur aliquod incompossibile cum re exclusa: duratio enim quæ est terminus causatiuus, & suo modo sequitur ad illam actionem non est incompossibilis cum re exclusa: vel secundo, quia supponat aliquod formale incompossibile cum eadem re exclusa; quæ enim ab illa actione supponuntur sunt causæ, & decretum: sed neque causæ verò res absolutæ, vel potentes componi cum re exclusa sunt formaliter incompossibiles cũ illa v. g. cum alia luce; neque vt probauimus decretum Dei.

Cur durationum nõ aliarum rerũ actiones sint formale exclusiuum.

5. Dices, cum decreto hoc vnico Dei essentialiter connectuntur non solùm actiones productiuæ durationum, sed etiam omnes aliæ actiones productiuæ omnium aliarum rerum: ergo ex ista connexione non est cur formale exclusiuum rerum, quas Deus non vult, sint potiùs actiones productiuæ durationum, quam productiuæ aliarum rerum; ergo allatum argumentum vel nimis, vel nihil probat. Nego consequentiam: & supponendum est actiones productiuas durationum esse tempori essentialiter addictas, ac necessariò fluentes, sicuti sunt ipsæ durationes, quas producunt; & vt dicam infra, sunt durationes intransitiuæ sui ipsarum: at actiones aliarum rerum productiuæ, sunt absolutæ ab omni ordine ad tempus, ac proindè indifferentes, vt componantur cum quocumque tempore, [& vbi nihil obstat ex incompossibilitate terminorum, vti sunt assensus, & dissensus, volitio efficax, & item nolitio efficax eiusdem rei] indifferentes item sunt, vt coexistant cum quacumque alia re, & tales Deus vult illas, sicuti exiguntur à suis causis. Ex his patet ratio diuersitatis inter has actiones aliarum rerum productiuas, & productiones durationum, quantum spectat ad rem nostram: nam stante decreto, quo Deus non vult pro hoc tempore v. g. hodierno existere lucem A, v. g. actio productiua durationis hodiernæ, sicuti essentialiter habet esse hodie, & respicere decretum illud Dei, ita essentialiter habet non posse componi cum luce A, quod non competit vel ipsi durationi hodiernę quę non respicit essentialiter hoc decretum, vel actionibus productiuis aliarum rerum, quia illæ actiones sicuti sunt formaliter indifferentes ad omnia tempora, ita non sunt formaliter incompossibiles cum aliqua re per se loquendo.

6. Instabis; æquè essentialiter cum hoc decreto, quo Deus efficaciter non vult lucem cõnectuntur actiones productiuę durationum, ac productiuæ aliarum rerum, ergo non est cur hoc decretum incompossibilitatem cum rebus à se efficaciter non volitis transfundat in productiones durationum, & non in productiones aliarum rerum. Nego consequentiam: ratio negationis est: quia quamuis decretum nolitiuum sit efficaciter actiuè exclusiuum lucis v. g. pro omni tempore, vel pro aliquo tempore, non est tamen necessarium, vt omne, quod essentialiter connectitur cum decreto illo, sit formale exclusiuum lucis: nam ad saluandum illam essentialem connexionem satis est, si res connec-

xa, vel formaliter excludat lucem, vel exigat lucis exclusionem. Sicuti decretum ipsum nõ est formale exclusiuum lucis, & licet exigat vtpotè efficax, vt omninò ponatur formale exclusiuum lucis, non tamen efficaciter exigit, vt omne, quod ab ipso essentialiter dependet, sit formale exclusiuum lucis.

7 Ad responsionem autem adæquatam sciendum est, multa eorum, quæ essentialiter connectuntur cum hoc decreto, non esse ex conceptu suo essentialiter addicta tempori determinato, & entia essentialiter fluentia; sed esse permanentia, & se potentia extendere ad plura tempora. Et tales sunt actiones productiuæ rerum absolutarum; & huiusmodi actiones ad longum tempus perseuerantes non possunt esse formale exclusiuum lucis: quia Deus potest velle actionem causatiuam aeris perseuerare inuariatam ad viginti annos; & velle, vt in primis decem ex illis annis existat lux, non existat in secundis. In hoc casu si actio illa causatiua aeris est formale exclusiuum lucis iam in primis decem annis formale exclusiuum lucis coniungeretur cum luce. Multa verò eorum, quæ essentialiter connectuntur cum hoc decreto, sunt essentialiter ex suo cõceptu addicta tempori, & essentialiter fluentia; tales, vt dicebam, sunt actiones productiuæ durationum; quæ actiones possunt sine vllo absurdo esse formale exclusiuũ rei à Deo efficaciter non volitæ, v.g. lucis; neque enim est periculum, vt formale exclusiuum coexistat rei exclusæ; nam si lux extitura est pro primis, non prosequentibus decem annis, actiones productiuæ durationum correspondentes primis decem annis non excludunt lucem; sicuti excludunt correspondentes sequentibus decẽ annis; benè igitur asseritur, huiusmodi productiones durationum correspondentes decem annis sequentibus esse formalem exclusionem lucis, vtpotè absolutè incompossibiles cum luce, neque trahentes, neque supponentes necessariò aliquod formaliter incompossibile cum luce: actiones igitur productiuæ aliarum rerum propter ordinem ad decretum diuinum solum exigunt, vt pro sua differentia temporis ponantur dictæ productiones durationum formaliter incompossibiles cum luce.

8 Dico tertiò: si Deus noluisset aliquid creare, exclusiuum formale rerum creatarum fuisset vnicum illud Dei decretum. Probatur, quod Deus in ea suppositione liberè efficaciter elegisset, esset formale exclusiuum rerum omnium creatarum: neque enim aliud intelligi potest, quod Deus tunc elegisset, sed esse diuinum absolutum ab omni connexione cum esse creato est, quod Deus in ea suppositione liberè efficaciter elegisset: neque enim in ea suppositione esset aliud obiectum diuinæ electionis liberæ, & efficacis: cum enim Deus ex sua essentia sit indifferens, vt connectatur, aut non connectatur cum aliquo esse creato, in ea suppositione elegisset esse absolutũ ab omni huiusmodi nexu: ergo in ea suppositione esse diuinum absolutum ab omni connexione cum esse creato, esset formale exclusiuum omnium rerum creatarum: sed decretum nolitiuum iam dictum est esse diuinum absolutum ab omni connexione cum esse creato: ergo decretum nolitiuum iam dictum esset in ea suppositione exclusiuum formale omnium rerum creatarum. Minor subsumpta satis patet consideranti prædicata illius decreti: est enim decretum diuinum: ergo est esse diuinum: est formaliter nolens vllum esse creatum: ergo est absolutum ab omni nexu cum creaturis.

Si Deus nihil creasset exclusiuũ formale fuisset decretum Dei nolitiuum efficax.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones.

Actiones fluẽtes excludunt tũ successiua, tum permanentia.

1 OBijcies primò: productiones durationũ aliarum rerum, sunt quid fluens essentialiter successiuum: ergo non possunt excludere lucem, quæ est permanens: consequentia probatur, exclusiuum formale rei permanentis debet esse permanens, sicuti exclusiuum formale durationis fluentis est fluens. Confirmatur si exclusiuum formale lucis est fluens; ergo lux primò excluditur per vnam partem illius exclusiui fluentis, quæ correspondet primæ horæ, v.g. qua cessante non aduenit lux exclusa: ergo cessat vnum contradictorium, & non aduenit aliud, quod videtur falsum, & contra illud principium quodlibet est, vel non est. Nego consequentiam: ad cuius probationem, nego assumptum; ad rationem in contrarium insinuatam dico, tum permanentia, tum fluentia excludi formaliter per actiones fluentes supra explicatas: quia præter illas, non dantur aliæ formales exclusiones: neque mirum id videri debet, nam ex ordine ad decretum Dei nolitiuum iam explicato sufficiunt ad verificandas propositiones negantes existentiam rerum siue fluentium, siue permanentium. Ad confirmationem, nego secundam consequentiam de cessatione absoluta, & adæquata vnius contradictorij: nã transacta prima causalitate durationis excludente lucem, causalitas alia sequitur correspondens secundæ horæ ex ordine ad decretum æquè incompossibilis cum luce: quare absolutè non cessat contradictorium lucis, licet successiuè fluat: hoc autem sufficit ad verificandum principium illud: quodlibet est, vel non est.

Quælibet res formaliter excluditur per omnes actiones durationum.

2 Obijcies secundò: in eodem tempore sunt innumeræ fere res creatæ qualibet habẽs suam durationem causatam: omnes igitur lux non existens excluditur formaliter per omnes, & singulas actiones productiuas durationum, vel per aliquam vnam determinatam? Primũ est incredibile: incredibile enim videtur, quod vnius rei simul existant tot formales exclusiones: cum vna sufficiat ad verificandam propositionem negatiuam. Si dicatur secundum, non potest explicari quænam ex illis causalitati-

bus determinatè excludat lucem, cum omnes æquè essentialiter respiciant hoc Dei decretũ. Respondeo omnes illas causalitates formaliter excludere lucem, vt facilè potest intelligi ex ratione allata in argumento: ad rationem in contrarium, dico quamlibet illarum positiuè non negatiuè, seu priuatiuè sufficere ad excludendam formaliter lucẽ: sufficit positiuè, quia quælibet est formaliter incompossibilis cum luce: non sufficit negatiuè, seu priuatiuè, quia nõ excludit alia exclusiua formalia, imò propter ordinem ad Dei decretum quælibet essentialiter exigit, vt dentur innumeræ illæ aliæ actiones, quarum quælibet formaliter excludat lucem à Deo efficaciter non volitam: neque multitudo harum exclusionum, est superflua: cum quælibet illarum præstet aliud munus, quàm formaliter excludere lucem; nempè constituere durationem dependentẽ ab his causis, & ab hoc decreto, cui muneri necessariò adnectitur munus excludendi, vt facilè colligi potest ex dictis. Confirmatur omnes res appetitu innato ex perfectissima subiectione ad diuinum dominium; exigunt maximè conformari diuinæ voluntati: ergo exigunt aliquod, quo efficaciter excludant id, quod diuina voluntas efficaciter reprobat, & infallibiliter connectantur cum omni eo, cum quo Deus liberè, sed infallibiliter suæ voluntatis decreto connectitur: huiusmodi autem sunt causalitates, & exclusiones supra explicatæ quod non leuiter declarat mundi pulchritudinẽ, & partium vniuersi ordinem, & armoniam.

3 Ex his patet quãlibet ex dictis modis, & causalitatibus formaliter excludere omnia siue substantias, siue accidentia, siue absoluta, siue relatiua; idque propter ordinem ad decretum. Quia harum causalitatum quælibet ratione dicti ordinis connectit rem durantem, & durationem cum quolibet alia re siue præsenti, siue præterita, siue futura.

Quomodo ex exclusionibus aliquæ sunt priuationes, aliquæ negationes

4 Obijcies tertio iuxta communem sensum; ex exclusionibus aliquæ sunt priuationes, aliquæ negationes: quod saluari non potest in hac nostra sententia: ergo non benè procedit, & contradicit sensui communi. Nego secundam partem antecedentis, & explico: sunt nonnulli, qui non improbabiliter putant priuationem, & negationem differre ex parte termini, ita vt priuatio sit exclusio termini possibilis, negatio termini impossibilis; & iuxta hanc sententiam causalitates supradictæ omnes sunt priuationes, quia excludunt terminos possibiles, quos Deus efficaciter non vult, & potuisset velle: negatio autem est vnica, & necessario existens essentia Dei, quam supra diximus esse exclusionem omnium impossibilium. Alij secundo dicunt priuationem, & negationem ambas excludere terminos possibiles; sed priuationem excludere terminum, cuius subiectum denominatum est capax; negationem excludere terminum, cuius subiectum est incapax; sic exclusio lucis ab aere est priuatio, exclusio ab Angelo est negatio, quia aer capax est lucis, Angelus incapax.

5 Verùm, si rem diligentius discutiamus, inueniemus hanc secundam incidere in explicationem primo loco datam. Profectò diuersum quid est lux secundum se, & lux in aere, vel Angelo; lux enim secundum se non dicit vnionem sui cum Angelo, vel aere: at lux in Angelo, vel aere dicit formaliter vnionem sui cum Angelo, vel aere. Ergo possumus considerare duplex exclusiuum, primum quod excludat lucem secundum se à rerum natura, & vniuerso: & huiusmodi exclusio est priuatio; & quia terminus est possibilis, & quia rerum vniuersitas capax absolutè est lucis exclusæ. Secundum quod excludat vnionem lucis cum hoc, vel illo subiecto: & siquidem subiectum sit capax lucis, & vnionis; vnio exclusa est terminus possibilis, & eius exclusio priuatio: at si subiectum sit incapax, vnio exclusa est formaliter terminus impossibilis, & eius exclusio est formaliter æterna, ac inuariabilis cum Deo identificata.

Exclusioni aliquæ intrinsecæ, aliquæ extrinsecæ subiecto.

6 Instabis, vnio lucis cum subiecto, A, v.g. excluditur tum à productione durationis, qua durat subiectum, & ab alijs productionibus reliquarum durationum: petes ergo quænam ex his exclusionibus, & causalitatibus est priuatio illius vnionis? Respondeo omnes esse priuationes cum hoc tamen discrimine, quod priuatio sita in causalitate durationis, qua durat subiectum, est intrinseca subiecto; reliquæ sunt extrinsecæ: non est autem absurdum, quòd plures priuationes eiusdem rei, quarum aliquæ sunt intrinsecæ, aliquæ extrinsecæ subiecto, denominent illud quà intrinsecè, quà extrinsecè priuatum eadem forma: ratio est necessitas admittendi præter intrinsecas, extrinsecas etiam eiusdem vnionis priuationes, quæ etiam non existente subiecto illam excludunt.

8 Instabis iterum, non potest explicari, vtrum omnes hæ priuationes sint principium compositi in fieri? Respondeo, solum priuationem intrinsecam formæ sequentis esse partem, & principium compositi in fieri; siue demum ea priuatio sit vna simplex, vel multiplex, de quo nunc non curo: ratio est: quia compositum in fieri, seu ipsum fieri compositum includit mutationem intrinsecam subiecti, ratione cuius subiectum nunc intrinsecè aliter se habeat, ac immediatè ante intrinsecè se habebat; hoc autem necessariò videtur dicere, quod nunc habeat aliquod sibi intrinsecum, quo antea intrinsecè carebat: & quidem si tantum extrinsecè prius carebat hac forma; ergo intrinsecè illam habebat; ergo nunc non intrinsecè illam acquirit; ac proinde non intrinsecè mutatur.

9 Obijcies quartò: ergo Petrus cæcus formaliter constituitur per formam essentialiter fluentem. Concedo: neque videri debet absurdum

cum concretum illud esse essentialiter, fuerit: cum id satis bene colligatur ex doctrina allata, quam abunde, ni fallor, probauimus.

Causalitates sunt diversæ speciei.

10 Obijcies quinto: causalitates aliquæ durationis Petri v. g. priores sunt formaliter incompossibiles cum luce, aliquæ cum illa essentialiter componuntur quales sunt posteriores: peres sunt huiusmodi causalitates eiusdem vel diversæ speciei? Respondeo esse diversæ speciei, quia priores sunt incompossibiles cum luce, secus posteriores; hoc autem est differre plusquam numero, plusquam pure differret, vt partes continuabiles: & quamuis illæ actiones respiciant easdem causas, & eosdem effectus; tamen decretum diuinum essentialiter exigit illam diversitatem, & ad eam causandam applicat omnipotentiam.

Quodnam exclusum æternum.

11 Obijcies sexto: lux quæ, posita creatione mundi excluditur à rerum creatarum vniuersitate per causalitates iam dictas, exclusa fuit tota æternitate præcedente mundi creationem, & non per has causalitates, quæ tunc nõ existebant: ergo per aliquid aliud: quid autẽ illud est? Quodcumque autem fuerit, semper sequitur allatam à nobis doctrinam non soluere adæquatè quæstionẽ, quia remanet indecisum, per quid res non existentes, ac etiã existentes fuerint exclusæ ante creationem mundi.

12 Distinguo primam partem antecedentis: exclusa fuit à statu reali, & realiter tota æternitate præcedente mundi creationem; nego: intentionaliter, & à statu intentionali concedo, & distinguo secundam partem, & non intentionaliter existentibus; nego: realiter existentibus; concedo: & distinguo vltimum membrum antecedentis: quæ tunc realiter non existebant concedo: quæ intentionaliter non existebant nego: antecedens, & consequentiam: vt autem responsio intelligatur [illegible] res creatas efficaciter à Deo volitas duplicem habere statum alterum realem extra Deum, alterum intentionalem in ipso Deo: primus constituitur per esse rerum, iam exercitum, & causatum: secundus per idem esse rei à Deo cognitum, & efficaciter volitum: primus est temporalis, secundus æternus, & inuariabilis: per primum causalitates, de quibus loquimur excludunt formaliter, & immediatè res, quibus opponuntur à statu reali, & faciunt, vt res illæ vel semper, vel aliquando non sint partes huius vniuersi: per secundum excludunt easdem res à statu intentionali faciendo ob specialem, cum rebus oppositionem formalem, vt nõ res illæ sint in statu intentionali, idest ne cognoscantur aliquando extituræ; & ne efficaciter possint à Deo eligi. Hoc autem totum sufficit, vt res illæ exclusæ intelligantur non fuisse ante creationem mundi: ratio est quia ante mundi creationem non fuit aliquis status realis rerum extra Deum, sed tantus status quidam intentionalis intra Deum constitutus per res ipsas intentionaliter existentes: ergo non opus fuit, vt

res realiter excluderentur, sed satis est, vt intentionaliter excluderentur, hoc est per exclusiones intentionaliter existentes, idest efficaciter electas, & cognitas, vt extituras: quare ipse nec status realis ante mundi creationem exclusus est non realiter, sed intentionaliter: quia nullus tunc existebat status realis, à quo excluderetur.

Quomodo hæ causalitates excludant à statu intentionali.

13 Instabis primò: non videtur quomodo hæc exclusiua, quæ absolutè sunt temporalia, habeant vim excludendi formaliter ab illo statu intentionali, qui tota æternitate præcessit infinitas ferè res. Respondeo si æternitas creaturæ repugnet, illam formaliter excludi per essentiam diuinam iuxta dicta sectione secunda: at si non repugnet æternitas creaturæ; dico, & ipsam æternitatem, & esse prius, & prius creaturarum, quod poterant habere ante creationem mundi, excludi à statu intentionali per has carentias, & exclusiones temporales à Deo ab æterno cognitas tamquam futuras pro tali, vel tali temporis differentia: ratio est: quia huiusmodi exclusiones temporales ex ordine, quem dicunt ad decretum, quo Deus non vult vllas res ab æterno creates neque ante mundi constitutionem, essentialiter exigunt, ne res illæ ab æterno existant, vel ante mundi creationem: igitur huiusmodi exclusiones cognitæ sicuti præstant ne res illæ possint cognosci, vt existentes ab æterno, vel pro tempore præcedente mundi creationem: ita sunt exclusio illarum rerum à statu intentionali incompossibilis intentionaliter cum illis, easque intentionaliter excludens ab æterno.

14 Sed notandum est huiusmodi exclusiones realiter temporales, posse comparari cum terminis exclusis duplicis ordinis: nam primo comparari possunt cum terminis, qui nunquã erunt, & respectu horum sunt realis exclusio, quando realiter existunt ipsæ causalitates; intentionalis autem ante mundi creationem: secundo possunt comparari cum terminis, qui aliquando erunt, & respectu horum potest accidere, vt nullo modo sint exclusio realis, sint tamen exclusio intentionalis: vt si durationis hodiernæ causalitas comparetur cũ Petro durante, respectu Petri, cum quo componitur nullo modo est realis exclusio: at bene est intentionalis exclusio: quia ex ordine ad decretum essentialiter exigit, ne Petrus fuerit ante creationem mundi, & cognita à Deo Petrum exclusit ab illo statu intentionali præcedente creationem mundi. Et accidere potest, vt respectu aliquorum ex ijs terminis, qui aliquando erunt sit & realis, & intentionalis exclusio, vt si ex ordine ad decretum realiter nequeat componi cum re exclusa, & essentialiter exigat, ne res illa exclusa ante mundi creationem extiterit [illegible]

Nõ excludunt seipsas à statu intentionali

15 Vrgebis: ex allata doctrina sequitur huiusmodi exclusiones intentionaliter excludere seipsas ante mundi constitutionem: quia ex ordine ad decretum essentialiter exigunt

ne

ne ipse fuerint ante mundi constitutionem. Nego assumptam sequelam, & rationem in contrarium allatam: ratio est, quia decretum Dei non liberè decernit ne huiusmodi causalitates sint ante mundi constitutionem; repugnat enim illas esse ante mundi creationem: quare eorum esse antecedens, vtpote terminus chimericus, excluditur formaliter à diuina essentia.

16 Vrgebis iterum, hinc sequitur causalitates etiam aliarum rerum excludere à statu intentionali, quia & cognoscuntur exciturae, & ex ordine ad decretum essentialiter exigunt, ne res aliae fuerint ante mundi constitutionem. Nego sequelam, quae si esset firma, posset quis inferre huiusmodi causalitates excludere formaliter seipsas ab illo statu intentionali: ratio negationis est: quia, vt vidimus, decretum non transfundit in huiuscemodi causalitates rationem formalis exclusiui: ergo ex vi decreti, quod respiciunt, sicuti non sunt formales exclusiones à statu reali, ita neque à statu intentionali; satis enim est, si id remotè praestent ex vi dicti ordinis ad decretum Dei nolitiuū, exigens durationes, quarum causalitates sint modo explicato formale exclusiuum. Distinguo igitur illam propositionē; huiusmodi causalitates ex ordine ad decretum essentialiter proximè exigunt, ne res aliae fuerint ante mundi creationem; nego: remotè; concedo.

Vis exclusiua à statu intentionali est in ipsis causalitatibus.

17 Instabis secundo, ergo vis exclusiua à statu illo intentionali est in scientia, & decreto Dei, non in dictis actionibus; nam hę formaliter excludunt res alias ab illo statu, qui praecedit, quia cognoscuntur, & sunt efficaciter volitae. Nego consequentiam: ad rationem in contrarium distinguo assumptum, seu causalē: quia cognoscuntur, &c. Si ly, quia, denotet vim exclusiuam; nego: si ly, quia, denotet statum, & existentiam intentionalem, qua illę actiones constituuntur in statu intentionali diuino, & quae necessaria est, vt pro illo statu exerceant vim exclusiuam; concedo. Vis exclusiua adaequatè sita est in illis actionibus temporalibus, quae vt illam exerceant pro aliquo statu, debent pro illo statu existere: in statu igitur reali, & vt ita dicam temporali, non requirunt existentiam distinctam; quia, vt suppono, realiter existunt per se ipsas, & existentia sibi identificata: at vt intentionaliter illam exerceant, indigent existentia intentionali à se destituta, & sita in cognitione Dei: status igitur ille intentionalis necessarius est, vt existentia intentionalis virtutis exclusiuae, non formaliter vt virtus exclusiua: sicuti merita Christi Domini suam virtutem meritoriam extenderunt ad tempora antecedentia, in quibus realiter non existebant, sed solùm intentionaliter in mente Dei: in quo casu illa existentia intentionalis, non requiritur vt virtus meritoria, sed vt ea virtus meritoria adaequatè identificata cum meritis pro sua differentia temporis existentibus, intelligatur antecedenter existere in mente remuneratoris, qui dependenter ab illis collaturus est praemia.

18 Vrgebis ergo, dici potest, quod illae actiones, quando sunt, & realiter excludunt, intentionaliter etiam excludant. Facilè, & sine vllo absurditatis periculo possem concedere consequentiam. Secundo dici potest consequentiam non esse necessariam; quia quando actu realiter existunt actiones illae, est status realis, non intentionalis, & realiter non intentionaliter est exercenda vis exclusiua; quare non est cur in illis circumstantijs cognoscamus virtutem intentionaliter excludendi. Sed prior solutio est expeditior, & vera; quia exclusio realis non est separabilis ab intentionali.

Exclusio intentionalis est indiuisibiliter aeterna.

19 Instabis tertio, ante creationem mundi per has actiones res, & durationes possibiles sine fine priores, & priores, vel simul, vel successiuè excluduntur; neutrum commodè explicari potest: ergo. Nego minorem; & dico simul excludi omnes res, & durationes possibiles sine fine priores, & priores, vel etiā aeternas, si est possibilis aeternitas à parte ante; ratio est, quia status ille intentionalis diuinus non habet partes priores, & posteriores, sed est vnum nunc indiuisibile, aeternitatis Dei, in qua nulla est vicissitudinis obumbratio. & quāuis durationes exclusae, si existerent, seruarent inter se in statu reali successionem, non est necesse, vt successiuè intentionaliter excludantur, sed satis est, vt ille ordo seruetur in exclusiuis realibus. Confirmatur primo, quia durationes essentialiter successiuae simul intentionaliter existunt. Secundo, quia adest exclusiuum formale, quod nunc necessariò simul excludit ab hoc die hodierno, omnes durationes possibiles priores, & posteriores: ergo quae seruant inter se ordinem prioris, & posterioris, possunt simul excludi ab aliquo statu.

20 Aduerto hic, in eo casu, quo Deus nihil creasset, non futurum aliud exclusiuum praeter decretum Dei; quod cum non traheret post se alia exclusiua, non posset dici exclusiuum radicale: at posita rerum creatione iam decretum essentialiter trahit alia exclusiua creata temporalia: ergo verè decretum est tantùm exclusiuum radicale. Et sanè constituto rerum statu reali, subiecto mutationibus, debent exclusiua modo adesse, modo abesse; quod non verificatur de decreto, neporè aeterno, & inuariabili.

21 Aduerto secundo, decretum nolitiuum posse esse formale non esse rei: at volitiuum non posse esse formaliter ipsam rem; quia decretum volitiuum Dei applicat omnipotentiā ad aliquid operandum: ergo necessariò trahit aliquod exercitium diuinae omnipotentiae extra Deum, quod non potest identificari cum decreto Dei, quod est exercitium diuinae voluntatis, & Deo intrinsecum: ergo decretum volitiuum efficax non potest identificari cum re volitiua: quae ratio non militat in nolitiuo. Neque absurdum putari debet, quod non esse rei aeternū, & immutabile sit quid infinitè perfectius,

Non potest creaturæ appetere decretum nolitiuum sui.

fectiua, & æstimabilius esse rei caduco, & mutabili: ac proindè sit terminus rectissimi appetitus qualis est diuinus. Nō potest autē esse terminus appetitus vniuersitatis creaturarū: quia vniuersitas creaturarū non potest appetere hoc suum non esse sempiternum, quando ipsa est; quia in ea suppositione est impossibile illud nō esse; neque quando ipsa non est; quia quod nō est, nō potest aliquid appetere. Neque dici potest, quod appetat illud nō esse, dū per simplicē intelligentiam, antequam sit in se, intentionaliter existit in mente Dei: nam quamuis creatura ex sua imperfectione Deo cognita non possit determinare Deum ad sui positionem, imò potius illum à sui amore efficaci repellat; non tamen potest efficaciter quantum est ex se inclinare appetitu quodam veluti innato ad suum absolutum, & sempiternum non esse: cum hoc absolutum, & sempiternum non esse, non sit bonum illi creaturæ: appetitus autem innatus est ad bonum rei appetentis.

22 Iuuat hic, notare duo contra illos, qui omnes carentias, & formales exclusiones identificant cum decreto nolitiuo Dei; nam primo decretum huiusmodi nolitiuum, quo Deus nō vult Petrum hodie esse, est formale exclusiuum decreti, quod Deus efficaciter vult Petrum hodie esse, & viceversa hoc secundum est formale exclusiuum prioris decreti nolitiui: præterea per aduersarios decretum illud nolitiuū est contradictorium Petri: ergo Petrus existēs, cum semper supponat decretum volitiuū Dei, semper supponit formaliter exclusum suum contradictorium, & decretum nolitiuum: ergo Petrus esset impotens exercere munus contradictorij, excludendo formaliter suum contradictorium: semper enim inueniret illud exclusum per decretum volitiuum.

23 Secundo, decretum quo Deus non vult hodie vnā durationem extrinsecè ab æterno, & tamen ab æterno non exclusit formaliter durationem hodiernam, quæ repugnat esse ab æterno, vel præcedere diem hodiernum. Hæc argumenta non vrgent nostram sententiam: nā quandocumque est Petrus semper excludit suū contradictorium reale, & consequenter etiam intentionale: neque periculum est, quod præcedat exclusio contingens durationis hodiernæ, & contingenter non excludat.

Necessitas exclusionū realium.

24 Obijcies septimo, nulla est necessitas admittendi huiusmodi exclusiua obiectiua, siuè distincta, siuè identificata Deo: ergo allata doctrina non subsistit: antecedens probatur: nō esse necessitas harum exclusionum ad verificanda illa iudicia negatiua, Petrus nō est, nō datur alius mundus: ad illorum enim veritatem satis est, existentia iudicij negatiui, & ipsum obiectum proximè negabile. Nego antecedens, ad probationem, nego item antecedens: ad rationem in contrarium dico, obiecta illa contingentia non esse proximè negabilia, nisi per exclusiones, quibus à rerum natura excluduntur.

25 Instabis, propositiones negatiuæ non debent esse positiuè conformes obiectis, sicuti debent affirmatiuæ: nam affirmatiuæ veluti ponunt obiectum in statu intentionali: ergo debent supponere in obiecto aliquod prædicatum, cui conformentur; & eo modo positum esse à parte rei, quo modo enunciatur: at negatiuæ non ponunt aliquid, sed potiùs fugiunt à suo obiecto: ergo non est necesse, vt detur obiectum, cui conformentur; sed satis est, si non detur obiectum illud, seu quod nihil detur, cui difformentur, quæ est quædam conformitas negatiua. Confirmatur, quia apprehensio non necessariò supponit esse obiectum reale, omne illud cuius est imago.

26 At facilè est ex dictis respondere huic argumento: & primo quidem verum est propositiones negatiuas non debere esse conformes obiecto, quod negant, & à quo fugiunt; ad differentiam affirmatiuarum, quæ, vt veræ sint, debent conformari obiecto, quod affirmant: at hinc malè infertur, quod negatiuæ præsertim in materia contingenti, de qua loquimur, non debeant tanquam fundamentum propriæ veritatis supponere aliquem conceptū obiectiuum distinctū ab obiecto, à quo fugiunt, videlicet eius obiecti exclusionem, & non esse. Profecto illa propositio: Petrus non est, est indifferens ex suo conceptu essentiali, vt sit vera, vel falsa, & siquidem Petrus sit, est falsa, si non sit, est vera: non esse autem Petri est aliquis conceptus, qui verè obijcitur, & non est ipse Petrus, aut iudicium negatiuum; vt patet consideranti: ergo est aliquis conceptus realis ab vtroque distinctus. Quod si illum adæquatè identifices cum iudicio negatiuo; iam iudicium ipsum negatiuū est exclusio obiectiua Petri excludens, & denominans exclusum Petrum. Cæterum etiam præciso quocunque actu intellectus habetur hæc veritas, videlicet non existentia Petri: quid autem idest? Præterea si aduersarius dicat illam propositionem negatiuam esse veram, non quia datur verificatiuum, sed quia abest falsificatiuum, non curo de modo loquendi. Sed, peto, quid est non dari falsificatiuum, seu non dari Petrum?

27 Instabis, vt verificetur hæc propositio, nihil corrumpit Deum, non est necesse, quod ipsum nihilum sit corruptiuum Dei: ergo non est necesse, vt huiusmodi propositiones negatiuæ supponant aliquod ex parte obiecti exclusiuum rei. Nego absolutè consequentiam: nam propositio illa in sensu allato non caret suo speciali obiecto, in quod formaliter tendat; & vt ita dicam, principalius exprimat: nam si nihil corrumpit Deum: ergo necessario est exclusiuum dictæ corruptionis; & tale exclusiuum est Deus ipse, vt facilè colligi potest ex dictis sect. præced.

28 Ex dictis reijcio primo sententiam Quiros asserentis, nihilum Angeli includere ipsum Angelum, cùm potius sit exclusiuum Angeli. Secundo alios, qui carentias

tias identificant cum rerum possibilitate, quia possibilitas est conceptus necessarius, & ipse Deus: neque deficit ad veniente re: quæ non conueniunt carentijs contingentibus; quæ potius habent prædicata opposita. Tertio illos qui carentias identificant cum decreto, & tempore; nam cum partes temporis sint omninò similes, & decretum prorsus idem; videtur impossibile, quod decretum formaliter per se ipsum modo excludat Petrum, modo non excludat. Quod si partes temporis admittas æthetogeneas, & alias compossibiles cum re exclusa, alias incompossibiles; satis est ponere exclusiones in his partibus temporis, & quidem adæquatè: quam totaliter, vel partialiter illas identificare cũ decreto. Si quis autẽ attendat ad principia, & rationes aduersariorum, eò tendunt, vt probent decretum esse adæquatum exclusiuum.

SECTIO SEXTA.

Vtrum detur exclusiuum reale rei, quæ aliquando fuit, nunc autem non est.

1 Distinguere oportet exclusiuum rei, ab exclusiuo durationis, sicuti diuersum est exclusiuum rei, & exclusiuum vbicationis: nam exclusiuum rei formaliter opponitur entitati absolutę Petri v. g. at exclusiuum durationis, & vbicationis, non formaliter opponitur rei, sed illis modis. Quærimus igitur vtrum Petri v. g. qui aliquando fuit, vel erit, nunc autem non est, nunc detur exclusiuum non solùm modale, quo excluditur modus durationis, sed etiam reale, quo excluditur entitas absoluta Petri? nonnulli recentiores sequuti Giattinum *quæst. 14. phy. art. 2.* & Lynceum *l. 7. phy. trac. 2. c. 4.* satis probabiliter docent, Petri, qui aliquando iam extitit, vel extiturus est, nunc non dari exclusiuum absolutum, sed tantum modale excludens dumtaxat durationem eius præsentem, non autẽ esse einsdẽ absolutum: contraria sententia est mihi probabilior, & vera: quam sic.

2 Confirmo: entitas Petri est secundum se generabilis, & corruptibilis: ergo quando primo producitur Petrus, non solùm adest de nouo actio productiua durationis Petri, sed etiã actio productiua entitatis Petri: ergo entitas Petri ita defacto nunc primo est, vt præcesserit eius carentia non solius durationis. Antecedẽs est certum, nemo enim dixerit entitatem Petri esse secundum se ingenerabilem, & incorruptibilem: aliter etiam quis diceret esse increatam, independentem. Prima consequentia probatur; quia si non solùm duratio, sed etiam Petrus secundum se est generabilis, & corruptibilis; ergo quando Petrus primo producitur debet adesse de nouo duplex actio; altera productiua Petri, altera productiua durationis. Hinc confirmo secundam consequentiam: quia si non præcessit carentia Petri, non est cur

Dantur carentiæ absolutæ rerum, quæ aliquando sunt aliquando nõ sunt.

Petrus nunc secundum se dicatur productus? sed posset quis defendere entitatem Petri absolutam esse ingenerabilem, ingenitã, increatam, & solùm creari: & gigni eius durationẽ.

3 *Dices*, sicuti quid diuersum est entitas Petri, & duratio; ita dari duas actiones, quarum altera producitur entitas Petri; altera duratio Petri: & primam esse indifferentem ad omnia tempora, secundam determinatam ad tempus hodiernum v. g. prima igitur constituitur hodie producens per se ipsam, & durationem sui hodiernam; antecedenter deficiebat hæc productio, nõ per defectum immediatum ipsius productionis; sed per defectum antecedentiæ, seu durationis antecedentis. Sed contra primo: quia si vera est sententia aduersariorum, hoc ipsum sequitur, quod nulla sit productio entitatis Petri, & quod entitas sit improducta, sit increata; & tantum producatur, & desinat duratio. Contra est secundo: quia idem sequeretur de productione, nimirum illã non creari, non produci, sed esse quid improductum, increatum, & absolutè necessarium; & solùm creari, & produci eius durationem.

4 Contra est tertio, & est vniuersalis confirmatio nostrę doctrinę; ex eò quod videmus à posteriori res incipere, & desinere in tempore, & potuisse non esse, cum sint, benè inferimus res esse secundum se creatas, contingentes, ac caducas: hoc autem argumentum est adeo validum; vt si amittat valorem: omnia alia argumenta ad probandam intrinsecam, & entitatiuam rerum defectibilitatem, sint prorsus nulla: si enim, quod nunc est, nunc non est, potest esse quid increatum; vndè probabis rerum à Deo distinctarũ caducitatẽ, & illas esse quid creatum? in sententia igitur aduersariorum hoc argumentum nullum esset: quia ex illorum principijs benè, quis posset respondere: rem quamuis secundum suum esse, non productam, nec creatam, nunc produci, nunc destrui, nunc esse, nunc non esse; quia nunc adest prima eius duratio, nunc cessat omnis eius duratio, seu nulla succedit: ac potuisse absolutè nunquam esse: quia potuit absolutè carere omni duratione retento esse: ac proindè, quod nunquam est adhuc absolutè necessariò esse; non cadere vero sub nostram experientiam; quia experientia est de rebus duratione affectis. Quæ omnia nũ abhorreant à sensu communi, & naturæ lumine; videtur sensus communis, & naturæ lumen dictare non solùm desinere, & incipere rerum durationes, sed etiam absolutè incipere res ipsas secundum suum esse intrinsecum, & secundum suum esse intrinsecum desinere.

5 Obijcies primo, vt deficiat Petrus hodie, satis est si deficiat eius duratio; sicuti, vt deficiat Petrus esse Panormi, satis est, si deficiat eius vbicatio Panormitana: cuius rei ratio à priori est, quia vt deficiat concretum, satis est si deficiat aliqua illius pars, vt constat certa inductione. Distinguo antecedens: si deficiat Petrus hodie absolutè, ita vt non pergat esse, & ab-

Aliquãdo deficit concretum defectu vnius, aliquãdo defectu omniũ partium.

absolutè ab hodie non sit, satis est si deficiat eius duratio; nego: vt deficiat secundum quid, seu secundum esse hodie concedo: dupliciter potest intelligi, quod Petrus deficiat hodie: primo si Petrus praexistens, hodie absolutè non esse, intelligatur, & ad hoc non satis est, si deficiat tantùm duratio hodierna Petri, aliter non verificaretur, quod hodie absolutè Petrus non sit. Secundo ita, vt tantùm intelligatur deficere hoc concretum, Petrus hodie existens, & ad hoc satis est, si deficiat pura duratio hodierna: at Petrus in se existens pergat durare cras. Iam verò, quando dicimus, hodie Petrus non est, communiter intelligimus hodie absolutè defecisse esse Petri, & non tantùm defecisse illud concretum, Petrus hodie existens. Quod autem Petrus, quando corrumpitur, deficiat absolutè esse, iam supra probatum est. Eodem modo, quando dicimus, Petrus non est Panormi, si sensus est, quod Petrus absolutè deficiat Panormi; ad veritatem eius dicti non sufficit purus defectus vbicationis Panormitanae; sed debet absolutè deficere esse Petri: at si sensus sit, quod deficiat illud concretum, Petrus vbicatus Panormi; satis ad veritatem est, si deficiat vbicatio Panormitana; regulariter autem illa propositio: Petrus non est Panormi, sumitur in secundo sensu. Ad rationem in contrarium dico, satis esse ad defectum concreti, quod deficiat aliqua illius pars: at accidere potest, vt deficiant omnes partes, & quod aliqua ratio probet debere omnes deficere in aliquo casu particulari, non purè quia deficiat concretum, sed ex aliis capitibus, & ita euenire in casu nostro, patet ex dictis: cum praesertim illae propositiones, Petrus hodie non est, Paulus cras non est, potiùs designent defectum subiecti, quàm durationis; sicuti accidit in hac propositione: Petrus albus, deficit, vel moritur.

6 Obijcies secundo cum Giattino: hoc indicium affirmatiuum: Petrus est, habet suum verificatiuum, nempè existentiam Petri; illud negatiuum contradictorium, Petrus non est, habet verificatiuum, sed oppositum verificatiuo primi, nempè carentiam existentiae Petri: posita existentia verificatur primum iudicium affirmatiuum, falsificatur contradictorium negatiuum: ergo posita existentia nulla datur carentia Petri: aliter non esset cur potius verificaretur prima propositiò affirmatiua, Petrus est, quàm secunda negatiua, Petrus non est. Distinguo maiorem; iudicium affirmatiuum, necessariò semper habet suum verificatiuum, nego: vel semper, vel aliquando: concedo: & distinguo secundam partem, iudicium negatiuum habet verificatiuum necessariò oppositum verificatiuo prioris, si semper sit illud verificatiuum; concedo: si aliquando sit, aliquando non sit: subdistinguo; habet verificatiuum exercitè, & in actu secundo oppositum verificatiuo prioris; nego: signatè, & in actu primo.; concedo. Vtraque propositio

Quomodo [...]ui aliquā [...]o est, veri[fic]atur; & [n]on sit.

vtpotè suo modo in materia contingenti, est indefinita, & vlterius exponibilis: Petrus enim vel semper, vel aliquando est; vel semper, vel aliquando non est: iam veró si prima sumatur in sensu vniuersali, opponitur secundae non solùm signatè, & in actu primo; quia esse non potest, coniungi cum non esse, & habet efficaciam illud excludendi à suo consortio; sed etiam exercitè, & in actu secundo: quia defacto exercet oppositionem cum non esse; & illud excludit à rerum natura, ac falsificat absolutè secundam propositionem. Petrus non est. At si prima sumatur in sensu particulari, & significet Petrum aliquando esse. opponitur etiam exercitè, & in actu secundo propositioni negatiuae sumptae in sensu vniuersali pro nunquam esse, illamque falsificat; non ita accidit, si negatiuè sumatur in sensu particulari pro aliquando non esse: aliquando enim esse, aliquando non esse, non opponuntur, neque vnū falsificat aliud, nisi ly aliquando appellet idem instans; sicuti non opponuntur Petrus est, Paulus non est: ratio est, quia vbi deficit identitas subiecti, non habetur constantia terminorum necessariò requisita ad oppositionem praesertim contradictoriam. Hinc distinguo illam propositionem; posita existentia verificatur iudicium affirmatiuum necessariò, & pro semper nego, vel aliquando, vel semper concedo, & eodem modo distincta illa alia propositione: falsificatur negatiuum; nego consequentiam.

7 Instabis hae propositiones; Petrus est, Petrus nō est, sūt cōtradictoriae: ergo altera debet esse particularis, altera vniuersalis: sed affirmatiua est particularis: ergo negatiua est vniuersalis, & consequenter non potest verificari, nisi excludat Petrum pro omni tempore: ergo si Petrus semel est, nunquā erit eius carētia. Respōdeo primo propositiones cōtradictorias de subiecto singulari, quales sunt allatae, non debere alteram esse particularem, alteram vniuersalem. Secundo, allatae propositiones nisi respiciant idem tempus, sunt quidem signatè, & in actu primo contradictoriae, non autem exercitè, & in actu secundo; quare si secundum se sumantur, & cum praecisione à tempore, debent modo dicto distingui, & exponi, cum sint indefinitae in materia contingente. Hinc patet absolutam existentiam AntiChristi excludi formaliter ab eiusdem absoluta carentia, sed indefinitè; ita vt ea carentia possit determinari ad excludendum AntiChristum hodie, non cras.

Quomodo sunt cōtradictoriae Petrus est, Petrus nō est.

8 Vrgebis, allata doctrina non cohaeret supra dictis, quod defacto à rerum vniuersitate res excludantur per exclusiones essentialiter fluentes: nam si exclusiones sunt essentialiter fluentes, nulla est, quae indefinitè excludat; ita, vt possit vlterius determinari ad excludendum hodie, vel cras. Nego assumptum: ad rationē in contrarium, distinguo illam propositionem, nulla indefinitè excludit, si sumatur in abstracto; cōcedo: si sumatur in concreto; nego. In ab-

ſtracto nulla indefinitè excludit ob rationem allatam in argumento, at in concreto ſumpta dicit in recto ſubiectum, ſeu exiſtentiam rei excluſæ, quæ nunc ita excluditur, vt poſſit vlterius excludi, vel non excindi.

9 Inſtabis iterum, non poteſt Petrus eſſe Panormi, & ſimul eſſe Romæ eius carentia: ergo neque hodie abſolutè eſſe, cras abſolutè non eſſe. Nego conſequentiam; quia in primo caſu Petrus, & carentia abſoluta eiuſdem ſimul eſſent: ac proindé Petrus ſimul eſſet, & non eſſet: quod non verificatur in ſecundo caſu.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum durationis hodiernæ præcedant, vel ſequantur carentiæ contingentes?

Durationis hodiernæ nõ præcedunt, nec ſubſequuntur carẽtiæ cõtingẽtes.

1 NOnnulli putant durationis hodiernæ præcedere: & ſubſequi carentias contingentes; contrarium eſt mihi verum: quare ſi duratio hodierna hodie ſit, nullum abſolutè eſt formale excluſiuum, quo ipſa excludatur. Moueor, quia durationis hodiernæ præcedens excluſiuum vel excludit illam ſecundum ſe, vel excludit illam á tempore antecedente: nõ primum; alias duratio hodierna nõ poſſet eſſe: nam ſupponeret neceſſariò excluſiuum ſui ab hodie; neceſſariò enim præcedit illud excluſiuum; quod cum excludat iuxta hanc reſponſionem durationem ſecundum ſe, neceſſario excludit durationem hodiernam ab hodie, & ipſum hodie durationis hodiernæ, ſeu vnionem, vt ita dicam, durationis hodiernæ cum hodie: ipſa enim duratio hodierna ſecundum ſe eſt ipſum hodie ſui, eſt formaliſſimè vnio ſui cum die hodierno.

2 Neque dici poteſt ſecundum; quod videlicet illud excluſiuum præcedens excludat durationem hodiernam à tempore antecedente: nam excludere durationem hodiernam á tempore antecedente, non eſt excludere illam ſecundum ſe, ſed vnionem illius cum tempore antecedente; ſicuti excludere formam à ſubiecto, non eſt excludere formam ſecundum ſe; ſed formaliter eſt excludere vnionem formæ cum ſubiecto: at vnio durationis hodiernæ cum tempore antecedente eſt terminus impoſſibilis: ergo iuxta hanc ſecundam reſponſionem illud excluſiuum excludit terminum impoſſibilem: ergo non eſt excluſiuum contingẽs, ſed abſolutè neceſſarium cum Deo identificatum. Hæc ſi benè perpendantur, ſufficiunt ad noſtrum intentum.

Quomodo non exiſtẽte ſubiecto detur carẽtia modi.

3 Dices primo: non exiſtente ſubiecto eſt æquè impoſſibilis modus, ac tempore antecedente eſt impoſſibilis duratio ſubſequens: ſed non exiſtente ſubiecto datur carentia contingens modi: ergo tempore antecedente datur durationis hodiernę contingens carentia. Nego abſolutè maiorem: nam dupliciter poteſt intelligi, quod non exiſtente ſubiecto detur carentia modi: primo, ita vt detur carentia, quæ excludat ipſum modum ſecundum ſe; & hæc carentia habet terminum poſſibilem, neque eſt ſimilis carentiæ præcedenti durationis hodiernæ; & excludit formaliter ipſum eſſe modi in ſubiecto, modus enim formaliter per ſe ipſum eſt vnio ſui cum ſubiecto; ac benè poteſt exercere ſuum munus contingenter excludendi à rerum natura modum; etiam non exiſtente ſubiecto: quia pro eo tempore, & poſſibile eſt ſubiectum, & poſſibilis eſt modus. Secundo, poteſt intelligi, quod non exiſtente ſubiecto detur illa carentia, ita videlicet, vt excludat exiſtentiam modi compoſitam, vel compoſſibilem cum non exiſtentia ſubiecti: & huiuſmodi carentia excludit terminum impoſſibilem, & eſt neceſſaria, in quo ſenſu concedo maiorem, & nego minorem.

4 Dices ſecundo: carentia præcedens Petri non excludit Petrum pro tempore ſequenti: ergo neque carentia præcedens durationis hodiernę excludit illam ab hodie. Nego conſequentiam: quia Petrus non eſt ipſum eſſe hodie ſui, ſicuti duratio hodierna eſt ipſum ſuum eſſe hodie. Ex quibus patet, ſi Deus noluiſſet durationem hodiernam, eius non futuram niſi carentiam hodiernam contingentem: toto autem tempore antecedente, & ſequente intelligi aliquo modo eius carentiam, ſed neceſſariã, quæ formaliter excludat terminum impoſſibilem. Multa hic quæri poſſent de multiplicatione carentiarum, vel ex parte termini, vel ex parte ſubiecti; ſed facilè ſolui poſſunt ex ijs, quæ diximus *ſec.* 3. 4. & 5.

DISPVTATIO QVINTA.

De compoſito ſubſtantiali.

EXplicatis principijs compoſiti ſubſtantialis, cuius exiſtentiam ſupra probauimus: facilè cuique erit eius naturam, & eſſentiam intelligere. Ad pleniorem tamen notitiam aliqua addenda ſunt tùm ſpectantia ad ipſum cõpoſitum ſecundum ſe, tùm præcipuè ad vnionem partium, ſine qua totum minimè conſiſtit. Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

An, & quid ſit vnio.

Datur vnio phyſica.

1 DAri de facto in compoſitis vnionem intrinſecam, debet eſſe apud omnes certum; neque enim eſt eodem modo vnum ens, homo conſtans animo, & corpore; ac aceruus arenarum: ergo aliquis nexus, & vnio eſt inter partes hominis illas veluti agglutinans. Hæc autem vnio meritó contra Magiſtrum *in* 3. *diſ.* 22. relatum à S. Thoma 3. *p. q.* 50. *art.* 4. eſt apud omnes eſſentialis compoſito, ea enim deficiente deficit formaliter compoſitum, licet perſeuerent reliqua: ergò eſt de eſſentia compoſiti, non minùs, ac anima eſt de eſſentiæ hominis.

minis. Satis autem absurdè dicebatur ideo magister, hominem non esse nisi animam, & corpus seorsum sumpta, seu separata ex quo etiam asfirmare cogebatur Christum Dominum in triduo sepulturæ mansisse hominem; quod est falsum: sicut enim sanctum fide est mortuum esse, ità & non remansisse hominem.

2 Dices: Verbum, quod semel assumpsit nunquam dimisit: ergo non dimisit vnionem in triduo: ergo illa non præcessit. Probatur consequentia: quia si præcessisset, imò in triduo illam dimisisset. Admisso antecedente, & concessa prima consequentia, nego secundam consequentiam; id quia aliqui putant vnionem non fuisse immediatè assumptam, sed tantum animam, & corpus, quibus medijs assumpta fuit vnio, quare in triduo non fuit dimissum aliquod assumptum; tum quia, tunc propriè aliquod dimittitur, si post assumptionem perseuerat sine vnione ad Verbum, quod enim corrumpitur, & desinit esse propriè non dimittitur: in hoc igitur sensu vnio non fuit dimissa.

3 Huius vnionis duæ sunt præcipuè species: alia est integralis, alia essentialis; integralis constituit totum integrale, qualis est vnio inter primum, & secundum palmum ligni: essentialis spectat ad constitutionem totius essentialis, qualis est vnio inter animam, & corpus. De differentia inter has vniones fusius alibi; nunc diligenter inuestigandus est conceptus vnionis in communi, quod est non leuis momenti negotium.

[Vnio] alia est essentialis, alia integralis.

4 Dico tamen: vnionem realem, sic hac enim loquimur, non de intentionali, esse rationem vltimò constituentem ex pluribus realiter distinctis aliquod ens simpliciter, & realiter vnum. Quid sit ratio constituens, alibi explicauimus; dixi vltimò: quia vnio nullam habet indifferentiam ad constituendū aliquod simpliciter vnum ex pluribus realiter distinctis; est enim actuale exercitium vniendi, & faciendi vnum ex pluribus; neque enim ea vnione posita potest non haberi illud vnum: addidi ex pluribus realiter distinctis, quia loquor de vnione physica, non metaphysica, quæ est identitas duorum conceptuum tantùm per intellectum distinctorum. Demùm dicitur, quod debeat constituere aliquod ens simpliciter vnum, & hoc est præcipuum munus vnionis, quod per se ipsa formaliter, & immediatè præstat, ità videlicèt plura afficere, vt eius beneficio resultet ex illis aliquod simpliciter vnum: hoc enim indicat ipsum nomen; vnire enim est vnificare. Quod vlterius confirmatur. Cumulus arenarum non est simpliciter vnum ens, anima verò, & corpus vnita sunt simpliciter vnum ens: cuius rei nulla alia commodior assignari potest ratio; nisi quia arenæ nulla vera vnione copulantur, sicuti anima, & corpus: ergo de ratione vnionis est ita plura realiter distincta afficere, vt ipsius beneficio ex illis consurgat aliquod ens simpliciter vnū. Hoc autem non est intelligendum de vno per

Vnio est ratio constituens ex pluribus realiter distinctis aliquod absolutè vnū.

identitatem, quasi verò per vnionem duo realiter distincta euadant realiter idem: hoc enim repugnat; sed quia, quæ præcisa vnione non erant vnum ens, sint per vnionem, inter se communicantes, & sint simpliciter vnum ens. Confirmatur. Hæc explicatio conuenit omni, & soli vnioni.

5 Dices: Quid est plura inter se ita communicare, vt euadant ens simpliciter vnum? Respondeo hoc notum esse cuique, vnusquisque enim in se experitur, se diuerso modo affici per calorem, cum quo vnitur, & facit vnum simpliciter, & propriè dictum, pro ut opponitur vni per aggregationem, ac per vestes, cum quibus non intrinsecè communicat, nec facit per se vnum. Non erit tamen inutilis labor, quærere quid sit hoc, quod in nobis experimur illa enim experientia non est conceptus ità clarus, vt non possit vlterius explicari, & reddere intellectum ità instructum, vt habeat regulam certam, & principium aliquod simpliciter, ex quo in singulis casibus possit certò, vel probabiliter deducere, hæc duo extrema intrinsecè communicare, & facere simpliciter vnum, illa minimè.

6 Communicari igitur vnum alteri, est aliquod secundum aliquem conceptum sibi proprium, & qui per se ipsi competit extendi ad aliud, ità vt possit de illo alio, aliquo modo prædicari, quod indicat ipsa nominis ethymologia; communicari enim aliquod, est fieri commune, quod nequit intelligi, nisi extendatur ad aliud. Et confirmatur: quia in moralibus communicari à Rege potestatem, iurisdicendi alicui, est eam potestatem, quæ per se competit Regi, extendi ad alios, & me communicare alteri meas cognitiones, & affectus, est cognitiones, & affectus meos, qui intra me latebant per manifestationem extendi ad alium, ità vt, & inde ille possit dici habens iurisdictionem, & non ego solùm, sed alij etiam, quibus communico mea secreta, possint dici conscij meorum secretorum, & aliquo modo domini illorum: quia possunt vti illis ad varios vsus.

Quid sit vnum communicari alteri.

7 Huiusmodi igitur communicatio alia primo est mediata, alia immediata: mediata est, quando aliqua res sub aliquo conceptu sibi proprio, & per se ipsi competente, quo videlicet si spolietur, desinat esse, quod est; extenditur ad aliud medio aliquo, cui immediatè communicatur. Sic in aliquorum sententia calor immediatè se communicat quantitati, & ea media se communicat materiæ, & composito substantiali, quia calor non sistit in se, sed veluti extenditur ad quantitatem immediatè, quam constituit immediatè calidam, & ea media ad materiam, cui immediatè communicatur quantitas. Immediata excludit omne medium. Sic communicatur corpori anima rationalis.

Communicatio alia mediata, alia immediata.

8 Secundo, communicatio alia est intrinseca, alia extrinseca; intrinseca est, cum ita

Alia intrinseca, alia extrinseca.

vnum non sistit in se secundum aliquod prædicatum, vt ratione communicationis, quæ sit forma realis, vnum extremum debeat esse in eodem, vel proximo loco, & in eodem tempore cum alio extremo: taliter, vt illa communicatio, ratione connexionis sui cum vtroque extremo nequeat esse, quin secum trahat in eodem loco, & tempore vtrumque extremum, quamuis ipsa non sit addicta neque loco, neque tempori. Requiritur præterea, vt alterum saltem extremum, si non hæc communicatio, non remaneat ita perfectum, sicuti facta communicatione; nisi aliunde per quid simile, vel perfectius suppleatur ille defectus. Requiritur rursus, quod prædicatum communicatum non sit pura coexistentia localis, vel temporalis duorum absolutorum. Exemplum sit in homine, in quo anima corpori, & corpus animæ intrinsecè communicatur: quia anima extendit sua prædicata ad corpus constituens illud viuens, sicuti corpus aliquod prædicatum communicat animæ, vt posse operari dependenter à phantasmatibus. Rursus hoc prædicatum non est merè coexistere localiter, vel temporaliter: ac præterea si non fieret communicatio alterum, imò vtrumque extremum non remaneret æquè perfectum, ac data ea communicatione; eaque communicatio dari nequit, quin ratione connexionis cum vtroque extremo secum trahat in eodem, vel immediato loco, & in eodem tempore vtrumque extremū animam videlicet, & corpus.

Explicatur communicatio intrinseca.

9 Probatur: & quidem duo intrinsecè communicare, ac proindè ita vt faciant absolutè vnum, non est identificari; sed conceptus quidem superior identitati, & vnioni physicæ. Præterea, vt duo conceptus intrinsecè communicent, & faciant vnum propriè dictum, non sufficit, quod vnum communicet prædicatum suum alteri vtcumque: aliter cognitio, quæ communicat suum prædicatū obiecto cognito, communicaret intrinsecè cum illo. Requiritur igitur; quod quę communicant immediatè, ratione cōmunicationis habeant necessitatem essendi in eodem, vel immediato loco, & in eodem tempore, ita vt, stante communicatione non possint non conuenire in loco, & tempore, quia illa communicatio ratione connexionis, quam habet cum vtroque, habet secum trahere illa in eodem, vel immediato loco, & in eodem tempore. Et sanè nemo dixerit intrinsecè communicare, & facere propriè vnum, quæ suo loco, & tempore omninò dissita. Tertio requiritur, vt alterum saltem extremum, si non fieret communicatio, & non suppleretur per aliud, remaneret defectuosum, & imperfectum: si enim vtrumque extremum remanet æquè perfectum posita, ac non posita communicatione, non est cur faciant vnum propriè dictum; nullum enim extremum spectat ad aliud, tanquam aliquod eius: ideoque saltem ex parte alterius extremi debet supponi exigentia, vel perfectibilitas per alterum: quia licet in casibus naturalibus vtrumque extremū ab altero perficiatur, quia vtrumque supponitur perfectionis limitatæ, ac proindè capax maioris; in casu tamen vnionis hypostaticę, quę est omnium miraculorū maximum, alterum tantùm extremum nempè humanitas Christi, non Verbum Diuinum per cōmunicationem perficitur: Verbum enim cum sit perfectionis absolutè, & in omni genere infinitæ, non potest vlteriùs perfici.

10 Demum non sufficit, quod communicatio sit in mero prædicato coexistentię quoad locum, vel tempus duorum absolutorum: sed in aliquo alio veluti antecedenter, quod exigat illam communicationem quoad locum, & tempus. Probatur, quia præcisè duo Angeli penetrantur, & coexistunt, communicant quoad locum, & tempus; non ideo intrinsecè communicant, & constituunt ens propriè vnum, neque Deus quia per suam immensitatem, & æternitatem coexistit creaturis, ideo facit vnū cum illis. Cuius rei ratio est, quia communicatio requisita ad ens simpliciter vnum nō debet esse communis, & quæ potest promiscuè accidere cuicumque enti, qualis est communicatio in loco, & tempore determinato; sed magis propria, & specialis communicantium.

11 Addidi coexistentiam duorum absolutorum: nam si alterum sit modus alterius extremi, quamuis præter hunc effectum, & prædicatum subiecto, nempè coexistendi secum in eodem loco, vel tempore, quia videlicet est vbicatio, vel duratio eiusdem subiecti; tamen ex suo prædicato generico modi est addictum subiecto tanquàm proprio, & fundat necessitatem vtriusque coexistentiæ; subiectum autem respicit illos modos, vt essentialiter addictos, & ordinatos ad præstandum ipsi suum prædicatum. Illa igitur communicatio non est simplex, & pura coexistentia, sed etiam habet explere exigentiam subiecti existentis, & essentialiter ex ratione generica, & superiore modi trahere illud secum in eodem loco, & tempore: ex quibus patet, cur Petrus penetratus, & coexistens Paulo non facit vnum simpliciter cum illo.

12 Dixi præterea, quod communicatio intrinseca exigat, vt extrema, quæ faciunt propriè vnum, sint in eodem, vel in loco immediato: quia non solùm est vnum propriè dictum, vnum essentiale, & inextensum constans conceptibus penetratis in eodem loco; sed etiam continuum extensum constans partibus, quarum vna est extrà aliam: aliter homo non esset ens propriè vnum, quia constat brachio, humero, & pectore, quæ non faciunt ens propriè vnum.

13 Dixi tertio, quod saltem alterum extremum præcisa communicatione non sit retenturum tantam perfectionē, quātam ea posita: quia videlicet, vel præcisa communicatione non perseuerat, vel non est habile ad illa munera, quæ posita ea communicatione

potest

potest præstare, vt facilè patebit consideranti omnia, quæ intrinsecè communicant; & cum alterum saltem extremum sit imperfectum, augetur vtrique eius perfectio in toto. His positis.

14 Allata explicatio intrinsecæ communicationis confirmatur vlterius: quia ex vna parte conuenit omni, & soli intrinsecæ communicationi, & est conceptus quoad fieri potest suo modo vnus, & communis tùm communicationi physicæ, tùm metaphysicæ, & identitati, & vt vidimus quæcunque ex dictis conditionibus præcisa non habemus conceptum cômunicationis intrinsecæ: & ijs omnibus positis non est, cur à quocunque prudenti duo conceptus non dicantur facere vnum propriè dictum: nam si duo ita communicant, vt ratione communicationis debeant participare idem tempus, ac locum, ac vnum per alterum modo dicto perficiatur; non est cur dicantur absolutè duo entia, & non vnum perfectiùs, si communicent non in mero prædicato coexistentiæ.

15 Ex his primo infero communicationem extrinsecam esse, quæ caret aliqua ex dictis conditionibus: sic cognitio communicatur extrinsecè obiecto; quia licet denominet obiectum cognitum; non tamen ea communicatio, quæ est ipsa cognitio, ex suo genere exigit, vt secum sit in eodem loco, & tempore vtrumque extremum. Cognitio autem diuina, qua Deus cognoscit creaturas existentes, non ità illis communicatur, vt quandocunque est illa communicatio, exigat habere secum coëxistentia ambo extrema. Quod si fingas cognitionem diuinam exprimere aliquod creatum vtrinque æternum; ea quidem cognitio necessariò communicaret cum illa creatura quoad locum, & tempus; sed non esset communicatio intrinseca, quia esset communicatio in prædicato puræ coexistentiæ, ex necessitate, quam habet diuina cognitio, vt sit æterna, & immensa.

16 Infero secundo, in diuinis Patrem non communicari intrinsecè Filio, nec immediatè facere vnû in persona simul; licet enim ratione naturæ diuinæ, in qua communicant, & cû qua vterque identificatur sint sêper & vnû, tamê nullû prædicatû propriû Patris extenditur ad Filium, neque vllum prædicatum proprium Filij, qua talis est, extenditur ad Patrem.

17 Ex his liquidò constat quinã sit conceptus vnionis physicæ, de qua loquimur, & quam supra definiuimus. Ratio vltimo constituens ex duobus realiter distinctis aliquod ens absolutè vnum: quia videlicet est talis communicatio, quæ quandocunque, & vbicunque est exigat essentialiter secum existere, & communicare in loco, & tempore vtrumque extremum, quorum alterum saltem sit ab altero perfectibile, & prædicatum, quod communicatur, non sit purum coexistere alteri.

Connexio intentionalis non est vnio. 18 Dices primo: decretum, quo Deus vult secum coexistere, per æternitatem tàm à parte ante, tû à parte post aliquam creaturã, non est vnio Dei cum creatura, & tamen habet omnia à nobis requisita, nam primo essentialiter secû trahit in eodem loco, & tempore vtrumque extremum. Rursus alterum extremum nempè creatura est imperfectum, & perfectibile: ergó non benè à nobis explicatur conceptus vnionis. Nego secundam partem assumpti. Ad probationem distingue primam partem. Essentialiter trahit secum in eodem loco, & tempore vtrumque extremum ratione connexionis realis sui cum vtroque extremo; nego: intentionalis; concedo, & nego consequentiam. Duplex connexio potest hic considerari altera intentionalis sita in actu voluntatis, & intellectus, qui ob suam efficaciam, & infallibilitatem necessariò trahant secum in eodem loco, & tempore vtrumque extremum, quod sit illorum obiectum: altera realis sita in conceptu distincto ab esse intentionali actus intellectus, & voluntatis, qui necessariò trahere debeat secum modo dicto in eodem loco, & tẽpore vtrumque extremum. Prima connexio non sufficit ad rationem vnionis physicæ, & realis ordinatæ ad faciendum ens propriè vnû: quia, vtpotè intentionalis, non habet per se formaliter, & realiter connectere obiecta, sed tantum intentionaliter volendo, & cognoscenda illorum connexionem realem. Quarè nisi cognoscat, & velit connexionem obiectiuam realem, non erunt ex vitalis connexionis intentionalis obiecta realiter cônexa, nisi in prædicato coexistentiæ, & in aliquo prædicato intentionali voliti, cogniti, & similium; quod non sufficit, vt duo euadant realiter, & absolutè vnum. Cuius rei ratio vlterior esse potest, quia huiusmodi actus intentionales solùm constituunt statum intentionalem, & ad summum ob suam infallibilitatem, & efficaciam fundant statum aliquem realem: ergo verè non sunt cônexio realis, sed ad summum fractiuum illius: solùm addo me nunquam dixisse relationem constitutam per decretum Dei esse realem, & contradistinctam ab intentionali.

Vtrumque extremum debet alteri communicare suũ prædicatũ, & ideo õnis vnio est mutua. 19 Dices secundo: requiritur ne ad vnionem, vt vtrumque extremum communicet alteri se ipsum, & aliquod prædicatum? vel sufficit, vt vnum tantùm extremum communicetur alteri, non è contra? Respondeo requiri primum: moueor: quia vnio ex suo conceptu est nexus duorum, & vltima ratio faciens ex duobus realiter distinctis aliquod propriè vnû: ergo non minùs vnit hoc extremum cum alio, quàm è côtrà: sicuti enim illud vnû compositû includit vtrumque extremum, & ex vtroque resultat, ita non minus vnum, quàm alterum extremum vnitur alteri: & sicuti repugnat vnû extremum componere illud totum, alterum non componere; ita repugnat, vnam partem vniri, alteram minimè: componere enim est vniri; ergo repugnat, quod media vnione alterum communicetur, & alterum non communicetur. Certè extremum, quod non communicatur

catur non est cur vniatur? Quod si aduersarius assumat, alterum extremum non se alteri communicare media vnione; id constanter negabo. Quod si pergat quærere, quod prædicatum illi communicet? Respondeo me non debere assignare illud prædicatum in particulari, neque enim teneor singula scire in particulari. Illud firma ratione probaui: admissa vnione dandam mutuam prædicatorum communicationem. At si aduersarius probet positiuè nullum ab altero communicari prædicatum; negabo illa duo extrema intrinsecè vniri. Vt igitur aliquid euincat debet ostendere, & extrema vniri, & alterum non communicare alteri suũ prædicatum.

20 Dices tertiò: non videtur quomodo duo palmi in ligno communicent sibi mutuò sua prædicata. Nego antecedens: quia vnus palmus independenter ab alio habet propriam extensionem, & quantitatem, quam per vnionem communicat alteri, dum per vnionem reddit illum magis extensum, & habilem ad plures effectus mediatè, vel immediatè ponendos, quos antea non poterat.

21 Instabis. Ex hac doctrina sequitur omnem vnionem esse mutuam, quod est falsum: nam species sacramentales vniuntur corpori, & sanguini Christi Domini; at corpus, & sanguis Christi Domini non vnitur speciebus sacramentalibus: ergo nõ omnis vnio est mutua. Antecedens quoad secundam partem probatur. Quod est vnitum alteri, est tale, vt ipso moto per motum, quo mutet locum adæquatum, debeat moueri aliud extremum: sed moto corpore, & sanguine Christi motu, quo mutet locum adæquatum, non mouentur hæ species panis, & vini, quæ sunt in hoc altari; nam si Christus moueatur in Cœlo mutando locum adæquatum, non ideo necesse est, moueri species. Nego minorem. Ad probationem dico, vel corpus Christi Domini, & sanguinem non vniri intrinsecè speciebus sacramentalibus, neque species corporis, & sanguini; ut docet Delugo; sed tantum localiter alligari qualitate quadam, quæ exigat, vt vbicunque sint hæ species sint etiam corpus, & sanguis Christi Domini; vel si vis ibi intercedere vnionem; nego corpus Christi non vniri cum speciebus: omnis enim vnio, vt supra probaui est mutua. Ad probationem in contrarium distinguo maiorem, quod est vnitum alteri est tale, vt ipso moto per motum, quo mutat locum adæquatum debeat moueri alterum, si sit in vno tantum loco, & aliud extremum sit mobile concedo: si vel extremum non sit mobile, vel quod mouetur sit in pluribus locis; nego: & distinguo minorem: sed, moto Christo Domino, non mouentur hæ species, & Christus est in vno tantum loco; nego, & non est in vno tantum loco; concedo minorem, & nego consequentiam.

22 Ad solutionem intelligendam scire oportet locum alterum esse adæquatum, cui adæquatè correspondet res, ita vt non exigat maiorem: sic locus adæquatus animæ rationalis, dum est vnita corpori, est totus à corpore occupatus: alterum inadæquatum, quem non quidem occupat, sed naturaliter vltra extenditur; sic locus occupatus à brachio hominis est inadæquatus animæ, quia licet hunc illum occupet, vltra tamen extenditur. Quare mutare locum adæquatum est relinquere totum spatium prius occupatum, & acquirere aliud omninò extra illud: relinquere autem partem prioris loci, & partem retinere, est mutare locum inadæquatum. Iam verò quoties aliquod ex vnitis extremis relinquit locum adæquatum & non est replicatum, videtur, quod naturaliter debeat moueri aliud extremum: sic si anima, quæ prius occupabat hos septem palmos relinquat illos, & alios omninò diuersos acquirat; necessariò naturaliter debet moueri brachium vnitum animæ; si tamen anima non sit replicata; si verò alterum extremum, vel non relinquat locum adæquatum, vel sit replicatum, non est necesse, vt ad motum illius moueatur vtrumque extremum. Sic si moueatur brachium hominis, mouetur anima immoto pede, quia anima moto brachio non mutat locum adæquatum. Ac si anima replicetur Romæ, ibique moueatur; non est necesse, vt moueatur etiam corpus Panormi existens. Nec quia non mouetur corpus Panormi, mota Romæ anima, sequitur hæc duo extrema non esse mutuo vnita. Benè autem corrumperetur vnio, si sine vlla replicatione anima mutaret locum adæquatum, non moto corpore.

Duplex locus alter adæquatus, alter inadæquatus.

23 Corpus igitur Christi Domini, quamuis vnitum speciebus sacramentalibus, potest benè mutare locum adæquatum immotis speciebus, quia videlicet est replicatum, idque ad occultandum mysterium: quinimò congruentia eiusdem mysterij exigit, vt dum Christus est in alijs locis, non ad omnem eius motum moueantur species, quæ sunt in hoc loco; sed tantùm ad motum, quo Christus relinquit hũc locum. Christus igitur est vnitus speciebus; quia est inter illum, & species forma quædam, quę essentialiter exigat secum stabare in eodẽ loco, & tempore vtrumque extremum, ad quã tanquam proprietas sequitur, quod si vnum extremum moueatur, saltem regulariter trahat secum aliud; quia illa forma exigit, vt vbicumque ipsa est, sit vtrumque extremum: ergo si alterum extremum non replicatum mutet locum, & illa forma perseuerat, etiã alterum extremum debet mutare locum: aliter non vbicumque illa est, erit vtrumque extremum.

24 Dixi saltem regulariter, quia motis reliquis omnibus partibus sphæræ in girum, non mouetur punctum medium, seu centrum, nec tamen amittitur vnio inter illud, & partes reliquas. Solùm igitur requiritur vt stante vnione adhuc perseueret dicta quoad locum communicatio: aliquando tamen ad dictam com-

communicationem necesse est, ut moto uno extremo alterum mutet locum, aliquando uerò minimè, ut patet in allato exemplo.

25 Vrgebis, quia corpus Christi unitur animæ, Tridentinum colligit, dum ex ui uerborum ponitur sub speciebus corpus Christi, poni etiam concomitanter animam: ergo, quia corpus Christi vnitur speciebus, dum mouetur corpus Christi, debent moueri species. Distinguo antecedens, quia unitur unione naturali, & anima non supponitur extra corpus in alio loco adæquato; concedo; quia utcúque vnitur; nego: quia Concilium expressè loquitur de unione naturali, quæ non supponit animam in alio loco adæquato; tùm nego consequentiam: quia hæc unio ad accidentia est supernaturalis, & corpus Christi, & animam iam supponit in alio loco adæquato.

26 Vrgebis iterum. Corpus Christi non est alligatum accidentibus, & accidentia sunt alligata corpori Christi: neque enim ad motum corporis mouentur accidentia, sicuti ad motū accidentium mouetur corpus Christi: ergo poterit alterū extremū tantum uniri; sicuti alterū tantum est alligatum. Nego primo anteceděs. nam si corpus Christi non esset in alio loco, utique ad motum corporis mouerentur accidētia, & ad motum accidentiū moueretur corpus. Secundo, dato antecedente: nego consequentiam; implicat enim unum uniri alteri, & ex utroque non resultare totum: ergo implicat unum tantum uniri, & non alterum; quæ, uel similis implicantia non urget in alligatione localı, sicuti neque in relatione, & amore non mutuo.

27 Non negauerim tamen uniones quamuis omnes mutuas, non omnes tamen esse adæquatas: licet enim omnes utrumque extremū denominent unitum; non omnes tamen adæquatè uniunt utrumque extremum alteri: appello unionem adæquatam, quæ ita uniat utrumque extremum inter se, ut exigat utrumque extremum esse in eodem loco, & unum non esse extra aliud. Inadæquata erit illa, quæ licet utrumque extremum uniat; non tamen exigit, ut vbicūque est unum extremū, sit etiam aliud. Quare inter animam, & totum corpus est adæquata unio; non tamen inter animam, & brachium: sicuti si inter species sacramentales, & corpus Christi est unio, illa non est adequata: quia non exigit, ut ubicunque est corpus Christi sint species. Ob eandē rationem inter humanitatem Christi, & Verbū non est unio adæquata: quia non trahit communicationem adæquatam, & totalem extremorum quoad locum.

Non omnis vnio est adæquata.

28 Dices: non uidetur quomodo duo palmi in ligno communicent sibi mutuo sua prædicata. Nego assumptum: Vnus enim palmus independenter ab alio habet propriam extensionem, & quantitatem, quam per unionem communicat alteri, dum per illam reddit alterum extremum magis extensum, & habilem ad plures effectus immediate, vel mediatè ponendos, quos aliter non posset: Attamen ferrum tractum à magnete non vnitur magneti: quia non habetur inter illa communicatio aliqua prædicatorum antecedens, trahens illam communicationem quoad locum.

29 Aduerto hic me non reijcere alias explicationes vnionis, sed meam potiùs probasse. Quare si reliquæ conueniant cum allata, non est cur afferantur, si in aliquo illi opponātur, facilè impugnari possunt ex dictis. Cæterū illa definitio, quod vnio sit exigitiuum penetrationis partium, & non ratione immensitatis; indè impugnari potest: quia decretum Dei volēs duo corpora penetrata, est essentiale exigitiuum talis penetrationis, idque ratione suæ efficaciæ formaliter, non ratione immensitatis; nec tamen est vnio. Et sanè ex hac explicatione sequeretur aliquod diuinum posse esse vnionem. Idem dico de reuelatione illius penetrationis.

30 Ex dictis infero omnia, quæ spectant ad constitutionem vnius propriè dicti, non solum debere esse intrinseca toti, sed quamlibet partem debere esse intrinsecam alteri, vel mediatè, vel immediatè; ratio est, quia aliter hoc vnum propriè dictum non differret ab aggregato per accidens: nam etiam in aggregato per accidens quælibet pars est intrinseca, & constitutiua totius; sed vna pars non intrinsecè afficit aliam.

Partes nō solum toti, sed sibi etiā sūt mutuo intrinsecæ.

31 Infero secundo: duo posse vniri vni tertio: non autem inter se: sic in triduo sepulturæ Verbum fuit voitum animæ, & corpori, non tamen anima, & corpus fuerunt vnita inter se. Et ratio est, quia duo possunt vniri vni tertio inadæquatè, vt patet in allato exemplo: ex quo male sequitur, quod vniantur inter se, sicuti non sequitur, quod debeant communicare in eodem loco. Sicuti partes totius, quæ identificantur inadæquatè eidem tertio, non identificantur inadæquatè inter se.

Duo possūt vniri tertio, qui nō vniantur inter se.

34 Infero tertio: vnionem essentialiter exigere extrema esse in eodem loco secum, aliter si nunc esset materia hæc Panormi, & forma Romæ essent vnita, quia haberetur exigentia naturalis, vt illa duo essent in eodem loco; illa enim exigentia non distinguitur ab ipsis materia, & forma. Idem dico de materia, & anima Sancti Petri. Sententia Lyncei, quod vnio physica sit in suo genere summa communicatio distinctorum maior approximatione, penetratione, & coexistentia, cum distributione tamen accommoda ad diuersa tota coincidit cum nostra sententia, & est fortasse non ita clara.

vnio est essentiale exactiuum communicationis in loco.

Quid addat vnio supra partes in composito.

1 LOquimur præcipuè de compositis accidentalibus, substantialibus, ac substantialibus, quæ includere materiam, & formam supra probauimus: & inquirimus verum in illas

illis vnio, quam essentialiter includunt, sit res aliqua, vel modus realiter distinctus à dictis partibus materia videlicet, & forma. Supponêdum est, nonnullos putare, hanc numero formam substantialem non posse naturaliter vniri, nisi huic numero materiæ. Alios docuisse hãc numero materiam, & hanc numero formam materialem non posse coexistere quin faciant vnum, licet possit materia hæc existere sine hac forma, & hæc forma sine hac materia: sicuti quamuis concedant accidentia posse existere sine subiecto, vt euenit in Eucharistia; non tamen concedunt hæc accidêtia posse existere simul cum hoc subiecto, & illi non vniri. Tertio: nonnulli in viuentibus, & in homine præcipuè admittunt formas quasdam partiales substantiales constituentes diuersas partes organicas compositi, & exigentes naturaliter formam totalem, animam videlicet rationalê, vel aliam alterius rationis, quæ formæ quamuis naturaliter non possint esse extra hoc subiectum; possunt tamen id supernaturaliter obtinere: sicuti etiam subiectum affectum his formis partialibus completis potest quidem supernaturaliter carere forma totius, non tamen naturaliter. His positis.

Vnio est quid distinctum à partibus.

2 Dico primo: in compositis actualibus sublunaribus substantialibus vnio est aliquid aliud præter puras entitates materiæ, & formę: debet esse communis omnibus conclusio. Probatur: possunt absolutè existere hæc materia, & hæc forma, & non vniri saltem miraculosè: ergo vniri, seu vnio non est pura entitas huius materiæ, & huius formæ: aliter ne miraculosè quidem possent haberi illæ duæ entitates, & non haberi vnio. Quod si dicas cum aliquibus illas non posse coexistere, quin vniãtur; certè ly coexistere est quid diuersum ab entitate materiæ, & formæ: possunt enim haberi illæ entitates, & non coexistere, si videlicet hodie existat materia sine forma, cras forma sine materia. Idem argumentum fit de formis partialibus comparatis cum subiecto, & de subiecto affecto his formis comparato cũ anima.

Etiam coexistêtibus.

3 Dico secundo: vnio est quid diuersum ab entitate materiæ, & formę actualis coexistentium, & non potentium coexistere, quin vniantur. Probatur, quia falsò supponis in materia, & forma actuali hanc necessitatem, vt ne de potentia quidem absoluta possint coexistere, & non uniri; aliter ego eodem modo possum fingere, hanc numero formam, ne miraculosè quidem posse coexistere eodem tempore huic loco, & non esse in illo, & consequenter compositum, dum successiuè mouetur substantialiter mutari. Secundo contra est illa coexistentia per se est pars vnionis; aliter etiam ea præcisa haberetur vnio, & compositum: sed illa coexistentia non est nisi duplex duratio præsens illarum entitatum: ergo duplex duratio est pars vnionis, & consequenter compositi: hoc autem est falsum: aliter compositum substantiale assiduè mutaretur ad solam mutationem temporis sinè alia mutatione antecedente: atque adeo substantia composita non esset quid permanens; sed fluens; sicuti tempus: quia vt mutetur totũ sufficit si mutetur vnum eius constitutiuum, qualis est illa coexistentia in casu nostro: quæ vtpotè constitutiua vnionis constituit etiam totum; ad cuius constitutionem spectat vnio. Hic autem fluxus substantiæ compositæ sublunaris videtur esse contra communem sensum. Tertio illa coexistentia, & duplex duratio est accidens iuxta communem sententiam: ergo iam aliquod accidens cõstitueret substantiam, quod suppono esse absurdum.

Est quid prius coexistentia quo ad tepus, & locum.

4 Debet igitur vnio esse conceptus antecedens coexistentiam duorum, quoad locum, & tempus, tractiuus tamen dictæ coexistentiæ, ac permanens, quo medio extrema sibi mutuo sua prædicata communicant: hunc autem conceptum malè quis identificanerit cum exigentia duorum ad coexistendum, & cum ipsa coexistentia. Deus enim, & creatura existentes exigunt essentialiter coexistere, & coexistunt, nec tamen sunt vnibiles, aut vniuntur. Esse igitur duo extrema vnibilia, ac perfectibilia, non est purè exigere eam coexistentiam; neque vniri, & perfici est posita ea exigêtia coexistere.

Non est entitas materiæ, & formæ, & vltima dispositio.

5 Dico tertio: vnio substantialis constitutiua compositi substantialis non est entitas materiæ vltimo dispositæ ad formam substantialê, & ipso forma substantialis, siue hæc exigat naturaliter ex se vniri huic materiæ sine non. Probatur illę dispositiones, vel ingrediuntur, vt pars intrinseca constitutiua vnionis, vel vnio adequatè identificatur cum entitate materię, & formæ, & illæ dispositiones sunt mera connotata extrinseca. Si primum ergo unio est conflatum quoddam accidentale includens plures partes accidentales: ergo etiam totum substãtiale constat pluribus partibus accidentalibus; quod est contra conceptum substantiæ, quę ex communi proloquio non constat, nisi ex substantijs.

6 Dices primo: accidentia illa importari in obliquo: substantia autê non constat nisi ex substãtijs, in recto; at potest admittere aliquod accidens in obliquo. Sed contra primo, quia album est concretum accidentale, & tamen dicit in aliquo albedinem. Secũdo ideò accidens importatur in obliquo; quia iam supponit rectum, cui debetur, adæquatè constitutum in suo esse: ergo iam supponit substantiam adæquatè constitutam: hæc enim est rectum: ergo non potest ingredi constitutiuè in conceptum substantiæ. Cuius rei ratio à priori est: quia substantia est absolutè ens primum per se intentum à natura: accidens verò est entis ens, intentum propter substantiam: ergo supponit iam constitutam substantiam, uel in se, uel in mente Dei, & ad eius bonum ordinatur tanquam dispositio, uel ornamentum: ergo non

potest

potest ingredi constitutiuè in conceptum substantiæ.

7 Si verò dicas huiusmodi dispositiones esse connotata, sic vrgeo. Ergo vnio adæquatè identificatur cum entitate materiæ, & formę, siue determinatæ ad hanc materiam naturaliter informandam, siue non. Habitis igitur entitatibus illarum habetur necessariò vnio, quod est falsum, vt vidimus: potest enim haberi entitas materiæ, & formæ illius, & talem miraculosé non vniri. Hinc contra aduersarios infero illa accidentia non esse connotatum, vt habeatur vnio, quia non sunt connotatum essentiale, vt habeatur entitas materiæ, & formæ, quæ potest esse sine illis; ergo neque vt habeatur vnio, quam aduersarij adæquatè identificant cum entitate materiæ, & formę.

8 Dices secundo: illas dispositiones esse connotatū, vt habeatur materia, & forma non vtcūque, sed vna in alia, vt habeatur forma informans, & materia informata. Sed contra, materiam esse informatam, & formam informantem, vel est aliquid aliud præter materiā, & entitatem formæ, vel non? Si primum habeo intentum, & adhuc remanet explicandum quid hoc sit. Si secundum; ergo primo habita materia, & forma, & quocunque alio præciso habetur vnio, & materia sub forma, quod est falsum. Ergo secundo: sicuti illæ dispositiones non sunt connotatum, vt materia, & forma sint; ita neque, vt materia sit sub forma; esse enim materiam sub forma, non dicit aliud per te, quàm entitatem materiæ, & formæ.

9 Dico quarto, vnionem non esse materiam, & formam eodem loco penetratas. Probatur: materia hæc, & hæc forma vel exigunt determinatè penetrari inter se, si existant, vel non? quodcunque dicatur non potest vnio cōsistere in materia, & forma penetratis: ergo, &c. Minor probatur, quia vt suo loco probabo, penetratio est accidens, constituens illas in eodem loco: sed accidens non potest includi in conceptu vnionis, de qua loquimur, vt vidimus. Secundo, materia, & forma sunt entia incompleta: ergo non solùm sunt capaces penetrationis, vel etiam illam exigunt, sed etiam alicuius alterius nexus, qui profectó erit vnio distincta à penetratione. Consequentia probatur: entia enim incompleta non solùm sunt capacia penetrationis, illamque exigunt, sed etiam exigunt, & sunt capacia alicuius alterius: exigere enim penetrationem conuenit etiam entibus completis existētibus, Deo videlicet, & creaturæ.

10 Neque dicas, Deum exigere penetrationem, & coexistentiam cum creaturis propter suam immensitatem, & ęternitatem. Nam vndecunque proueniat hæc exigentia, certum est illam conuenire enti completo: ergo quæ sunt incompleta non exigunt prçcisé penetrari, & coexistere. Confirmatur: quæ sunt substantialiter incompleta, exigunt substantialiter compleri: sed penetrari, & coexistere nō est compleri substantialiter: ergo entia incompleta non exigunt tantùm penetrari. Minor probatur, quia penetrantur, & coexistunt etiā entia completa, nec tamen complentur vlterius, vt patet in duobus Angelis penetratis.

11 Dices: penetrari duo incompleta, & exigentia penetrationem esse compleri. Sed contra, penetratio duorum extremorum ex genere suo non supponit illa esse incompleta: aliter illicó vt duo penetrarentur essent incōpleta: ergo aliundè colligendum est, quod duo sint, vel non sint entia incompleta; hoc autem non est, nisi quia possunt vniri, & facere aliquod propriè vnum: ergo posse vniri duo, & facere aliquod propriè vnum, non est posse penetrari. Confirmatur: si enim petam à te, quid est duo esse entia incompleta? benè respondebis, est posse vniri, non autem bené respondebis, posse penetrari, vel id exigere, vt patet ex dictis: ergo vniri duo extrema non est penetrari.

12 Dices iterum: vniri est penetrari extrema vnibilia; sed contra peto, extrema esse vnibilia est nè tantùm posse penetrari, an aliquid aliud? Respondebis, est esse imperfecta, & posse perfici. Sed contra, extrema esse perfectibilia est nè tantùm posse penetrari, vel aliquid aliud? quodcunque dixeris iam supra impugnatus es. Respondebis tertio, esse, quod extrema possint penetrari per penetrationem, quæ sit vnio. Sed contra; petis, ni fallor principium; nam peto quid est penetrationem esse vnionem; si dicas esse penetrationem perfectibilium, terminorum imperfectorum, & similia, iam redeunt supra facta argumenta. Respondebis quarto. Esse; posse penetrari per penetrationem, quæ simul sit communicatio, qua vnum extremum communicatur alteri. Sed contra; quia peto quid sit penetratio, qua vnum extremum communicatur alteri? est nè pura penetratio extremorum, perfectibilium, & similia, an aliquid aliud? quodcunque dixeris iam supra impugnatus es.

13 Respondebis vnionem formaliter sitam esse in exigentia essentiali penetrationis materiæ cum forma, quæ potest dici penetratio radicalis: hanc autem exigentiam essentialem sitam esse in entitate materiæ, & formæ, quę exigunt penetrationem; ita vt nequeant naturaliter coexistere, quin penetrentur, & in carentia quadam decreti diuisiui, quo Deus vellet illas partes non penetratas; ita vt hęc tria, materia videlicet, & forma naturaliter exigentes penetrationem, & carentia decreti diuisiui constituant vnionem, & compositum: posita enim hac carentia decreti diuisiui cum illis partibus, implicat illas partes non esse vnitas. *Vnio non sūt partes, & carētia decreti diuisiui.*

14 Sed contra hunc dicendi modum sic vrgeo primo: hęc carentia decreti diuisi, vel est intrinseca partibus, cum quibus constituit compositum; vel non? Si primum non po-

test explicari in quo situm sit, hoc esse intrinsecum partibus; nam vel est intrinseca, quia est exacta ab illis partibus, & cum illis penetrata saltem inadequatè, quia cum sit immensa, est etiam in eodem loco cum partibus, licet hæ non sint vbicunque est ipsa, ac præterea, quia trahit infallibiliter penetrationem; vel ex alio capite non primum; alias etiam decretum Dei volens penetrationem partium esset intrinsecum partibus: habet enim illa omnia; & sanè si ob illa omnia aliqua carentia æterna, & immensa est intrinseca partibus, & constituit cum illis aliquod vnum propriè dictum; non video, cur id non possit conuenire alicui decreto Dei increato, cui similiter conueniant illa omnia. Profectò videtur magis aptum ad componendum aliquam substantiam positiuam decretum Dei, quod substantia est, & positiuum quid, quàm carentia, quæ neque substantia est, neque positiuum. Neque dici potest secundum: quia non est assignabile, ex quo alio capite illa carentia sit intrinseca partibus.

15 Si verò dicas illam carentiam non esse intrinsecam partibus; ergo totum resultans ex illis partibus, & ea carentia non est aliquod propriè vnum: totum enim propriè, & intrinsecè vnum non solùm dicit singula constitutiua intrinseca ipsi toti, sed sibi mutuo intrinseca: aliter non differret ab aggregato per accidens, in quo singulæ partes sunt intrinsecæ toti, sed non sibi mutuo. Neque dicas materiam esse intrinsecam formæ, & formam esse intrinsecam materiæ, quod sufficit vt ex materia, & forma cum illa carentia resultet aliquod propriè vnum: contra enim: quia ex materia, & forma sibi mutuo intrinsecis, & ex causa illorum efficiente exacta ab illis non resultat vnum per se; quia hæc licet sit intrinseca aggregato ex illis tribus, non est intrinseca alijs comparitibus; ergo quia carentia est extrinseca materiæ, & formæ, licet hæ duo sint sibi mutuo intrinseca, & exigant illam carentiam; non ideò constituet cum illis aliquod propriè vnū: quidquid sit verum cum eisdem conflet aliquod aggregatum, cui sit intrinseca.

16 Neque dicas causam illam efficientem non posse cum materia, & forma componere aliquod propriè vnum, quia iam supponitur ens completum. Contra enim est; ideò, quòd supponitur ens completum, non potest componere vnum cum alio; quia non potest intrinsecè vniri cum illo, neque intrinsecè illud perficere, aut perfici ab eo: si enim esset horum capax, non esset cur non posset vniri intrinsecè cum illis ad faciendum vnum per se, & propriè dictum. Sed etiam ista carentia non perficit intrinsecè, neque intrinsecè perficitur ab alijs comparitibus: ergo, &c. Ratio autem est: quia cum plura concurrunt ad faciendum ens propriè vnum, non solùm debent ponere quid tertium à singulis inadæquatè diuersum, sed debent etiam inter se aliquo modo vnificari; aliter remanerent plura, vt antea; ergo debent se intrinsecè perficere, saltē non mutuò quod dico ob mysterium Incarnationis. His adde non esse rationem, cur potiùs carentia decreti diuisiui sit pars, & non ipsum decretum vnitiuum, seu volitiuum penetrationis, vt facilè colligi potest ex dictis.

17 Dices, decretum Dei volitiuum penetrationis non posse spectare ad constituendū compositum secundum esse reale, quia illud decretum spectat ad ordinem intentionalem. Sed contra, quia etiam carentia decreti nolitiui spectat ad ordinem intentionalem; formaliter enim solùm est exclusiuum status intentionalis, & sicuti decretum non habet formaliter, nisi ponere in statu intentionali rem, ita carentia decreti diuisiui excludit diuisionem à statu intentionali: ergo quoad hoc decretum, & carentia parificantur.

18 Vrgeo secundo eandem responsionem, & quæro terminum exclusum ab ista carentia. Dicea, esse decretum diuisiuum: verum, quæro obiectum decreti diuisiui. Dices, esse separationem partium. Sed peto tertio, qui[illegible] ista separatio partium? certè non potest esse carentia ipsarum partium; potest enim Deus velle separationem partium, & nolle carentiam partium, seu quod idem est, potest simul velle partes. Dices, esse carentiam penetrationis. Sed quæro quarto, ista carentia penetrationis, vel est vera carentia realis excludens aliquod positiuum, vel est aliquod positiuum negatiuè explicatum, cuius contradictorium sit aliquod negatiuum? si primum assigna positiuum exclusum per hanc carentiam, & contradistinctum à materia, & forma. Dices, esse penetrationem. Benè: ergo penetratio est aliqua forma positiua contradistincta a materia, & forma. Satiùs sanè est ponere in positiuo vnionem constitutiuam compositi substantialis, quā penetrationem constituentem illas partes in loco; & si carentia decreti diuisiui est constitutiua vnionis, cur carentia decreti volentis carentiam penetrationis non est constitutiua penetrationis?

19 Dices, illud decretum diuisiuum habere pro obiecto diuisionem, quæ diuisio non distinguitur ab eodem decreto, decretum igitur habet pro obiecto se ipsum, seu quod idem est, partes vt diuisas. Sed contra, & nolo aliquid de hac reflexione dicere, cum mihi sit ista reflexio vera; tantùm vrgeo, quia per aduersarios materia, & forma diuisæ dicunt suas entitates, & decretum Dei; vnitæ autem dicunt suas easdem entitates, & carentiam talis decreti: ergo perfectiùs quid est, non esse compositum, quàm esse compositum; nam non esse compositum, seu esse partes diuisas, dicit tria illa positiua: esse verò compositi dicit duo positiua, & vnam carentiam; & transitus de esse compositi ad non esse formaliter haberetur per desitionē carentiæ, & positionem alicuius positiui. Et è contra, transitus de non esse ad esse haberetur formaliter per desitionem positiui, & posi-

sitionem negatiui: quod videtur per se falsũ: & indè confirmatur vlterius absurdum: quia dum fit transitus de esse ad non esse; cum formaliter cesset concursus Dei in ipsum compositum etiam in genere causæ efficientis; debet cessare aliquod, quod à Deo ante conseruabatur, quod non potest esse nisi positiuum quid; sicuti cum fit transitus de non esse ad esse, debet formaliter de nouo aliquid produci à Deo in genere causæ efficientis; quod antea non producebatur: hoc autem non potest esse nisi aliquod positiuum.

20 Si verò dicas carentiam penetrationis, quæ est obiectum decreti diuisiui, non esse verã carentiam, sed positiuum aliquod negatiuè explicatum; vrgeo; ergo diuisio formaliter, & non esse compositi habetur per aliquod positiuum; vnio verò exclusa à diuisione, per aliquod negatiuum superadditum partibus: ergo cum formaliter partes ex vnitis fiunt non vnitæ, & ex toto per desitionem puram vnionis fit transitus ad non totum; fit transitus formaliter ex non esse ad esse: vndè redeunt argumenta supra facta.

21 Vrgeo tertio hunc modum dicendi: quia partes esse vnitas, est existere partes cum sua illa exigentia, & carentiam decreti diuisiui: partes non esse vnitas ipsis existentibus est existere partes, & decretum Dei diuisiuum. Tum sic argumentor: faciamus Deum ab æterno decreuisse vnionem partium ad 100. annos, & deinde conseruare illas separatas; in hoc casu haberetur carentia decreti diuisiui partium æterna, & in æternum duratura, & decretum ipsum diuisiuum partium in æternum item duraturum, licet respicientia diuersa tempora; ergo in primis centũ annis partes etiam essent diuisæ, quia partes esse diuisas nihil aliud est, quàm partes existere, & existere decretum illud diuisiuum: sed in primis centum annis existunt partes cum decreto diuisiuo, ergo in primis centum annis partes sunt diuisæ; & in sequentibus partes erunt vnitæ: quia partes esse vnitas est partes existere, & habere illam carentiam decreti diuisiui: sed in sequentibus annis habentur partes, & carentia decreti diuisiui: ergo, &c.

23 Dices, carentiam decreti diuisiui in hoc casu vnire partes pro centum annis: decretum autem diuisiuum diuidere partes pro annis sequentibus. Sed contra, quia partes esse vnitas pro centum annis dicit formaliter, & intrinsecè aliquid aliud præter partes cum exigentia sibi intrinseca, & illa carentia, vel non? Si primum certè hoc intendo: si secundũ ergo elapsis centum annis iam habetur illud, quod habebatur non elapsis: ergo habentur partes vnitæ post centum annos, sicuti habebantur prius.

24 Dices requiri aliquid aliud nempè tempus illud centum annorum. Sed contra primo: quia præcisè per variationem temporis non variantur intrinsecè, & essentialiter res: quis enim dixerit me esse hominem essentialiter diuersum in prima, ac in secunda parte horæ: neque est cur partes temporis ingrediantur cõstitutiuè essentias rerum: cum tempus videatur esse quædam circumstantia extrinseca generalis omnibus rebus; non data ad faciendam vllam variationem, nisi aliundè mutentur causæ, vel constitutiua rerum. Et confirmatur: quia in hoc fundatur commune proloquium: Idem manens idem, semper est aptum facere idem. Cum in illa permanentia semper varietur tempus: ergo signum est, quod pura variatio temporis, nisi habeatur alia mutatio, non sit sufficiens ad inducendam varietatem in rebus, nisi tantùm in durationibus; vel nisi aliundè rationes cogant dicere, quod tempus sit pars intrinseca constati alicuius.

25 Deindè quæro ab aduersarijs, vtrum loquantur de tempore intrinseco, & duratione? & sic iam debent admittere durationem distinctam constitutiuam totius; vel de extrinseco reali, qui est motus cœli, & nemo forrasse dixerit motum cœli esse partem intrinsecam mei: vel demum de imaginario? quod cum sit, vel fictitium, quid, vel aliquod negatiuum permanens; vel est ineptum ad constituendum totum reale, vel semper perseuerat idem.

26 Vrgeo quarto principalem responsionem. Carentia decreti diuisiui est formaliter decretum volens penetrationem, neque enim dantur carentiæ veræ decretorum Dei; sed vnũ decretũ formaliter excluditur per aliud. Quare iam aliquod decretum esset pars intrinseca hominis; quod negant aduersarij. Illud hic aduerto, hæc argumenta vrgere etiam illos, qui admittunt formas partiales, quas vtique debent concedere miraculosè separabiles a materia, sicuti accidentia.

27 Hinc reijcio primo illos, qui dicunt vnionem sitam esse in entitate materiæ, & formæ exigentium penetrationem, & in carentia vnionis materiæ ad aliam formam: nam ens sobstantiale propriè vnum debet esse quid absolutè positiuum, aliter ex non esse illius fieret transitus ad esse eiusdem, præcisè quia cessaret Deus aliquid facere; & ex non homine intelligeretur fieri homo, quia præcisè cessaret aliquod miraculum, & Deus intelligeretur ex causante hominem fieri non causans hominem; non suspendendo aliquem concursum, sed ponendo alium concursum, & formaliter plus esset in non homine de nouo posito, quàm in homine præcedente.

28 Confirmatur: posita materia, & forma etiam cum exigentia naturali, & coexistentia quoad tempus, non est necessè, vt sint vnitæ, & faciant totum; possunt enim coexistere miraculosè non vnitæ; quinimò naturaliter, vt patet in anima rationali, & corpore post mortem: ergo influxus terminatus, & productiuus materiæ, & formæ, non est influxus productiuus vnionis, & totius: ergo vnio dicit aliquid diuersum creatum præter materiam, & formã, aliter quando illæ partes essent separatæ, & nõ

facientes totum vnirentur, & fieret totum, nulla noua entitas spectans ad constitutionem totius, & nullus nouus influxus ad illam terminatus deberet poni, quod vix possũ percipere.

29 Reijcio secũdo illos, qui docent vnionẽ consistere in entitate materiæ, formæ, dispositionum, & carentia miraculi; reijcio, inquam, quia iam ex non composito fieret compositũ, & homo potens fungi suis operationibus, formaliter, & præcisè per puram cessationem miraculi; contra, quod recurrunt facta argumenta. Quibus adde partes potiùs exacturas non facere, quàm facere totum; cum non facere sit quid perfectiùs, quam facere.

Vnio est modus substantialis superadditus.

30 Dico quinto: vnionẽ inter partes substãtiales corporũ sublunariũ, quæ de facto dantur, & sunt indifferentes ad coexistendũ, & ad constituendũ vnũ, esse modũ quemdã substantialẽ cõtradistinctum ab ipsis partibus, dispositionibus, & intima præsentia. Probatur: quia supra probauimus vnionem dicere aliquid præter supradicta, & intrinsecum non soli toti, sed etiam partibus; sed hoc superadditum non potest esse, nisi modus superadditus substantialis: ergo verè vnio sita est in illo modo superaddito: cuius munus sit ita partes nectere, vt ex vi illius partes inter se intrinsecè communicent, vt supra explicauimus.

Superadditum non est absolutum.

31 Dices: potest dici, quod illud superadditum entitati materiæ, & formæ sit aliquod absolutum. Sed contra, si est aliquod absolutũ, & non modale; ergo potest existere, & non trahere secum in eodem loco, & tempore materiam, & formam: ergo potest heri existere sola materia, hodie sola forma, cras sola illa entitas superaddita: ergo entitas horum trium non est sufficiens constitutiuum compositi, nisi simul coexistant: quis enim dicat illa tria eo modo separata quoad locum, & tempus constituere totum; aliter, ego dicam animam S. Petri, & eius corpus esse vnita. Iam verò illa coexistentia est quid diuersum ab illis entitatibus, vt patet, & non est nisi illarum conduratio, quę & fluens quid est, & accidens, vt suppono: ergo iam compositum constaret ex aliquo fluente, & accidentali, quod est falsum. Deueniendum igitur est ad aliquam entitatem modalem substantialem, quæ essentialiter habeat secum trahere in eodem loco, & tempore extrema constituentia totum.

Modorum necessitas.

32 Dices secundo: entitates modales præiudicant diuino dominio, quia astringunt Deũ nè ipsas ponat sine alijs. Respondeo huiusmodi entitates modales, quàuis inseparabiles à rebus, nõ præiudicare diuino dominio, cuius amplitudo sufficienter saluatur si possit pro libito ponere, & destruere res eo modo, quo dictat esse ponendas, vel destruendas Diuina scientia, & quomodo positas aptæ sunt excitare admirationem Diuini Opificis, eiusque laudem. Diuina autem sapientia dictat res poni cum ordine, qui est forma pulchritudinis, in qua maximè elucet excellentia Artificis, & quæ visa illicò placet, trahitque animos in admirationem operis, & opificis: ordo autem maximè consistit in hisce modis, quibus res ordinantur inter se, & mutuò connectuntur, vel vt causæ cum suis effectibus, vel vt compartes, &c.

33 Horum modorum existentiam nullum argumentum impugnat nisi purè negatiuum, quod est infirmissimum, & solùm probat ignorantiam nostram, qui non agnoscimus rationẽ, ex quo, si verè assumitur, non potest aliud deduci, nisi quod res non debeat affirmari, non autem, quod debeat excludi. Eorumdem modorum existentiam multa, eaque grauissima argumenta propugnant, quibus non respondent aduersarij, nisi recurrendo ad carentias quasdã & decreta, vel alias circumstantias extrinsecas, quæ si pacato animo considerentur clarè ostendunt impertinenter se habere ad rerum constitutionem, de qua loquimur.

34 Dices tertio: partes vniri per carentiã modi; nam separatę dicunt duos modos, per quos redduntur mutuo incommunicabiles; his modis destructis vniuntur. Sed contra: Ergo primò iam admittis modos, & fortasse longè plures, quam ego. Ergo secundò formaliter fieret de nouo totum per cessationem entitatis, & concursus, quod supra satis impugnatũ est.

35 Ex dictis infero formas accidentales indifferentes, vt informent hoc, vel illud subiectum vniri eodem modo, vnionẽ distincta cum suis subiectis, vt faciant cum illis tota permanentia. Rationes facilè colligi possunt ex dictis.

36 Obijcies primo: Ergo vnio, vt vniatur cum materia, indiget vnione distincta, & sic in infinitum. Nego consequentiam, quia vnio vtpotè modus est essentialiter vnio sui cum vtroque extremo.

37 Obijcies secundo: Ergo materia, & forma non faciunt immediatè vnum. Nego cõsequentiam: quia ipsum vnire, & vnio non impedit quo minùs partes, vt quòd immediatè vniantur; sicut ipsum intelligere, & intellectio non impedit, ne intellectus, vt quod immediatè intelligat. Illud addo vnionem adæquatè sitam esse in illo modo superaddito, qui se solo est nexus præstans omnia, quæ ad conceptum vnionis requiruntur. Quando autem Aristoteles reijcit dicentes animam facere vnum cum corpore propter copulam; loquitur non de vnione, sed de corpore medio subtilissimo, quod se haberet tanquam gluten agglutinans animam materiæ.

38 Obijcies tertio: Materia essentialiter ordinatur tanquam potentia ad faciendum vnũ cum forma, tanquam cum actu: ergo faciunt vnum sine vnione distincta. Nego consequentiam. Quamuis enim essentialiter ordinentur ad faciendum vnum, non sunt sine ipsum vniri, sicuti potentia visiua essentialiter ordinatur ad visionem, nec ideò est ipsum videre.

Vnio non est neg.

39 Obijcies quarto: Potest dici quod vnio sit negatio diuisionis. Nego assumptum in sen-

su

sit aduersariorum; negatio enim diuisionis non est vera negatio, sed positiuum negatiuè explicatum; est enim terminus generationis, vt facilè colligi potest ex dictis. Rursus diuisio est carentia extensionis ad aliud: ergo negatio diuisionis est quid positiuum, & ipsum extendi vnius ad aliud.

40 Obijcies quinto: posita materia, & forma cum dispositionibus, & intima præsentia non possunt non vniri: ergo vnio consistit in his. Nego consequentiam, sicuti quamuis positis causis completis non possit non esse effectus; non ideò effectus consistit in causis completis.

4 Obijcies sexto: hæc vnio est modus, ergo constituit totum modale: sicuti accidens constituit totum accidentale. Nego consequentiam: quia modus inclusus in toto non facit vt totum sit actuale exercitium alicuius potentiæ; at accidens supponit substantiam iam completam; vt vidimus: ergo non potest constituere compositum substantiale, sed accidentale. Et hæc quidem de vnione essentiali: de integrali suséus dicam. *lib. 6.* cum de continuo.

SECTIO TERTIA.

Quotuplex, & in quo subiecto sit vnio compositi substantialis.

1 DVpliciter potest excogitari in composito substantiali esse duplicem vnionem, primò si vna se teneat ex parte materiæ vniens videlicet materiam cum forma, non formam cum materia, & dicitur á suis Auctoribus materializatio; alia ex parte formæ vniens formam cum materia, non materiam cum forma, & dicitur informatio, & in hoc sensu admittunt duas in composito vniones Scotus, & Hurtadus *disp. 1. phys. sect. 7. subsect. 2.* Secundo si sint duo modi, quorum neuter sit sufficiens vnire extrema, benè autem vterque.

Vnica est vnio. 2 Dico cum communiori sententia in composito substantiali vnicam esse vnionem, quæ indiuisibiliter mutuo vniat vtrumque extremum. Probatur: vnio inter materiam, & formam non potest primo constare partibus, quarum vna vniat materiam cum forma, alia formam cum materia: nam si per primam vnitur materia cum forma, iam materia facit vnum cum forma, qui est effectus formalis vnionis: ergo etiam forma ex vi illius vnionis facit vnum cum materia: sicuti enim illud vnum est compositum includens tamquam partes intrinsecas tùm materiam, tùm formam; ita in illo non minùs materia facit vnum cum forma, quàm forma cum materia: ergo prima illa vnio non minùs vnit materiam cum forma, quā formam cum materia; ergò secunda vnio vniēs formam cum materia, est omninò superflua; iam enim inuenit positum suum effectum formalem.

3 Neque secundo potest illa vnio constare partibus duabus, quarum neutra sit sufficiens ad constituendum compositum, benè autem vtraque: nam hæ duæ vniones incompletæ, vel sunt eiusdem rationis, & essentiæ, vel diuersæ: si primum: ergo qualibet participat totam essentiam vnionis, quæ est vnire vtramque partem: ergo qualibet sufficit ad vniendū: sicuti quia partes, quibus constat calor intensissimus, sunt eiusdem essentiæ, qualibet pars est calor, & qualibet sufficit ad reddendum subiectum calidum: ergo altera semiunio est superflua, quia non requiritur ad constituendū vnum ex materia, & forma; neque ad constituendum magis vnum: sicuti plures partes caloris requiruntur ad constituendum magis calidum; vnum enim physicum, & essentiale consistit in indiuisibili.

4 Quod si dicas illas semiuniones esse diuersæ rationis; certè hæc diuersitas non potest in alio consistere, nisi quia vna vniat materiā, altera formam, nam si vtraque respicit vtramque partem, & eodem modo non est caput vnde diuersificentur; vnionum enim diuersitas maximè desumitur ab extremis: ergo iam incidimus in duas vniones primo loco reiectas.

5 Dices primo: potest vnio perficere vnū extremum, quin perficiat aliud; vt patet in vnione hypostatica, quæ perficitur humanitas, non Verbum: ergo potest vnire vnum extremum, quin vniat aliud. Nego consequentiam: disparitatis ratio est: quia vnio potest intercedere inter extrema, quorum alterum sit perfectissimum, & nullo modo perfectibile, vt suppono ex mysterio Incarnationis: ergo benè potest perficere vnum extremum, quin perficiat aliud: at non potest vnire vnum extremum cum alio, quin ex vtroque resultet vnū: ergo neque quin alterum vicissim vniat.

6 Dices secundo: potest idem terminus produci duabus actionibus inadæquatis; ergo vniri duabus vnionibus inadæquatis. Distinguo antecedens; potest idē terminus produci duabus actionibus inadæquatis ab eodem principio; nego, ob allatas de vnionibus rationes: à diuersis transeat antecedens; & distinguo cōsequens; ergo vniri duabus vnionibus inadæquatis eidem termino; nego: diuersis; concedo consequentiam: sed consequens concessum non est contra datam doctrinam, vt patet consideranti.

7 Dices tertio: vnio continuatiua inter partes continui est duplex; ergo & vnio inter materiam, & formam. Antecedens probatur: si illa vnio esset vna, vel eadem esset in duplici loco, in quo sunt duæ partes vnitæ, vel sine vlla prorsus ratione esset potiùs in vna parte, quàm in alia. Respondeo, aliquos admittere inter partes continui vnicam vnionem occupantem locum medium distinctum á loco singularum partium, quam vnionem appellant punctum medium. Sed dato antecedente, nego consequentiam: quia etiam vniones partium con-

continui continuantur non minùs, ac ipsæ partes: ergo debent admittere eandem distinctionem, quam admittunt partes. Quare duæ uniones faciunt maiorem unionem requisitam ad maius continuum. Demùm hic urget diuersitas loci, quæ non urget in unione penetratiua, & essentiali, de qua loquimur.

8 Dices quarto: qui admittunt relationē distinctam, admittunt duos modos relatiuos alterum, qui referat unum extremum, alterum qui referat aliud: ergo debent admitti duo modi unionis, alter qui uniat materiam, alter qui uniat formam. Nego consequentiam: quia relatio non facit unum ex relatis: ergo benè potest referre unum extremum, & non communicare suum effectum formalem alteri. At unio necessarió facit unum ex extremo, quod unit, & ex illo, cum quo unit. Ex his patet eundē indiuisibilem nexum esse respectu diuersorum materializationem, & informationem.

9 Dices quinto: unio debet subiectari tùm in materia, tùm in forma: quia perficit utramque, quod intelligi nequit, nisi utramque afficiat: ergo non potest esse unica; aliter ille modus unicus in homine, & materialis subiectaretur tùm in materia, tùm in anima spirituali; uidetur autem absurdum, quod aliquod materiale subiectetur in aliquo spirituali. Verùm primo nullum est absurdum aliquem modum materialem recipi tanquam in subiecto adhæsionis, non sustentationis in aliquo spirituali: nam multi probabiliter sustinent sensationes materiales hominis recipi in animę substantia, quamuis ab illa non sustenrentur. Et quidem si potest spiritus recipi in materia; cur non potest aliquod materiale recipi in spirituali, ubi præsertim illud materiale sit medium, quo spirituale recipitur in materia. Cęterum, quia obiectio tangit quæstionem de subiecto, & spiritualitate unionis, ideò

Vnio recipitur in vtraquē parte.

10 Dico secundo: utrumque extremum tùm materiam, tùm formam esse subiectum adhęsiuum recipiens unionem. Probatur, quia tùm materia, tum forma est ens incompletum, faciens unum concretum cum unione, nempè formam unitam, materiam unitam, ac demum tùm materia, tùm forma habet respectu unionis rationem specialis requisiti, de qua supra diximus agentes de constitutiuo subiecti; ergo tùm materia, tùm forma sunt subiectum unionis, quibus unio adhæret, & in quibus recipitur. Cæterum respectu unionis hypostaticę natura humana est subiectum: quia perficitur per illam, non Verbum Diuinum, quod est purus terminus, quia licet uniatur, non tamen per unionem perficitur.

11 Dico tertio: subiectum sustentans unionem est sola materia: probatur. Est satis probabile, vt infra dicam, formam materialem actualem produci eadem actione, quà producitur vnio: ergo non potest vnio per illam actionem pendere a forma, aliter actio illa, qua forma producitur dependeret à forma, & consequenter forma produceret se ipsam; producere enim rem non est aliud, quam producere actionem, qua res producitur. Confirmatur, quia actio, qua producitur vnio substantialis, vt dicam in libris de generatione, est formaliter actio generatiua, & generatio: sed generatio dependet immediatè à materia: ergo actio, qua producitur vnio pendet immediatè à materia: ergo vnio sustentatur à materia, non à forma. Minor probatur, quia materia est commune subiectum à natura institutum, vt inseruiat agentibus creatis in suis actionibus: ergo materia, non forma est subiectum, à quo dependeat actio generatiua.

12 Obijcies primo, cū duo ignes applicantur ad producēdum calorē, hic indiuisibiliter procedit ab vtroque: ergo vnio sustentatur tùm á materia, tùm à forma. Nego consequentiam: nam in duobus ignibus supponitur virtus productiua illius caloris: cum igitur non sit ratio, cur calor potiùs procedat ab uno, quam ab alio; debemus dicere, quod indiuisibiliter procedat ab vtroque: at in forma non supponitur vis sustentandi vnionem, quæ independenter à forma habet adęquatum exactiuum sui, nempè materiam vltimo dispositam indiuisibiliter exigentem tùm formam, tùm vnionem.

13 Obijcies secundo: homo generans hominem nihil agit in anima: ergo vnio non recipitur in anima. Distinguo antecedens, nihil agit in anima dependenter à materia; nego: independenter; concedo. Nullum est absurdum, quod homo producat aliquod, quod recipitur in anima, sed dependet à materia; sicuti in probabili sententia sensationes hominis productæ ab obiecto recipiuntur in anima, sed dependent à materia.

Vniones actuales corporum sunt materiales.

14 Ex dictis infero, simili proportionaliter modo esse discurrendum de vnione ad formas accidentales absolutas. Nimirum illarum vniones recipi, tùm in subiecto, tùm in ipsis formis; sustentari autem tantum à subiectis formarum. Dixi absolutas: quia in formis modalibus non habet locum præsens quæstio, cum non vniantur subiecto vnione distincta. Vtrum autem sustentatio distinguatur ab vnione; infrà decidam cum de causa materiali.

15 Quoad alterum punctum de spiritualitate, & materialitate vnionis, dico hasce vniones substantiales rerum sublunarium (eadem autem est ratio proportionaliter de accidentalibus) esse materiales: probatur huiusmodi omnes uniones sunt essentialiter addictæ materiæ: ergo sunt materiales, esse enim addictū intrinsecè materiæ, est sufficiens caput impenetrabilitatis, & materialitatis.

SECTIO QVARTA.

Vtrum totum distinguatur à partibus simul sumptis, & vnitis.

1 DVplicem sensum habere potest præsens controuersia, primus est, utrum totum præ-

præter materiam, formam, & vnionem dicat aliquem alium modum, uel rem, quæ tanquam pars simul cum illis primis constituat totum. Secundus, utrum totum distinguatur ab omnibus suis partibus, & unione, & consistat adæquatè in aliquo alio simplici superaddito. In utroque sensu.

Compositũ nõ est quid præter partes vnitas.

2 Respondeo quæstioni negatiuè: probatur: posita, materia forma, & unione, quocunque alio præciso habetur totum in suo esse cõstitutum: ergo non requiritur alia entitas superaddita. Antecedens probatur: hæc omnia præciso quocunque alio superaddito non sunt entitas simplex; ergo sunt entitas composita: ergo sunt totum: omne enim compositum totũ quoddam est. Prima consequentia probatur: quia si illa non sunt simplex entitas, nec à se inuicem soluta, sed maximè colligata, non sunt nisi compositum, quid enim aliud est cõpositum? Quod autem sit compositum substantiale probatur; quia omnia, quæ dicit sunt substantia.

3 Obijcies primo: Aristotelem 7. *m. t.* 60. docentem mixtum non esse elementa, ex quibus componitur, nec syllabam ba, esse b, & a. Respondeo id uerum esse, quia mixtum præter elementa dicit illorum unionem, & syllaba, ba, præter caractheres dicit illorum localem unionem. Idem uoluit *lib.* 5. *t.* 19. docens sex, non esse bis tria, neque ter bis, sed semel sex: quia sex unitates, uel tria binaria, ut faciant numerum senarium perfectum, & formaliter sumptum, requirunt quamdam unionē extrinsecam habitam formaliter per actum intellectus numerantis, & colligentis, ueluti in unum illas unitates. Demum quando 8. *M. tex.* 15. docuit omne totum partibile, & non per meram aggregationem habere causam suæ vnitatis, & esse aliquid præter partes; solùm uoluit totum per essentiam ad distinctionem totius per meram aggregationem, dicere præter partes unionem intrinsecam, qua carent partes acetuli, quæ solùm colligantur, uel per approximationem, uel per cognitionem intellectus. Si quæ autem sunt Aristotelis loca, in quibus videtur admittere in toto aliquid præter partes, intelligendus est de vnione distincta.

4 Obijcies secundo cum Lynceo: subsistentia distinguitur à materia forma, & vnione: sed cõpositum est subsistentia: ergo totum distinguitur ab illis tribus. Minor probatur. Subsistentia non est neque materia, neque forma, neque vnio aliter essent in composito duæ, vel materiæ, vel formæ, vel vniones: ergo est compositum. Nego minorem. Ad rationem in contrarium dico: nullum esse absurdum in homine duas formas admittere, quarum altera naturam, altera suppositum constituat: neutra enim est superflua, cum quælibet faciat suum effectum formalem proprium.

5 Obijcies tertio: multa conueniunt toti, quæ non conueniunt ternario illi ex materia, forma, & vnione: ergo totum distinguitur ab illo ternario. Antecedens probatur. Totum est integrum, gignitur, corrumpitur, est vnum, quæ omnia non conueniunt illi ternario. Nego antecedens, & secundam partem rationis assumptæ in contrarium: sicuti enim totum est quid integrum, ita ternarium est quid integrũ, licet id non conueniat cuilibet parti, & sicuti dicitur generari totum, quia generantur partes illi essentiales, & intrinsecæ, ita ob eandem rationem generatur illud ternarium, & sicuti totum corrumpitur, quamuis non omnes eius partes corrumpantur, ita eodem prorsus modo corrumpitur illud ternarium. Demum sicuti totum habet vnitatem quandam totalem cõflatam ex pluribus partialibus, ita illud ternarium habet vnitatem quandam adæquatam conflatam ex pluribus inadæquatis.

6 Obijcies quarto: actio generatiua est simplex: ergo totum quod est eius terminus est simplex. Distinguo antecedens: actio generatiua formaliter est simplex transeat, terminatiuè; subdistinguo quoad terminum formalem, quem formaliter producit concedo: est enim talis terminus vnio: quoad terminum denominationis nego: totum enim quod ratione vnionis denominatur productum est compositum.

7 Obijcies quinto: omnis causa realiter distinguitur ab effectu suo: sed materia, forma, & vnio sunt causa compositi: ergo distinguuntur à composito. Distinguo maiorem, omnis causa extrinseca, & non constitutiua distinguitur ab effectu, concedo: causa intrinseca, & cõstitutiua realiter distinguitur ab effectu; subdistinguo, si sit adæquata nego; si sit inadæquata subdistinguo iterum: realiter adæquatè distinguitur; nego: realiter inadæquatè; concedo: & distinguo minorem; ternarium illud est causa intrinseca concedo: extrinseca nego minorem, & consequentiam. Constitutiuum, & causa constitutiua adæquata est ipsissimum esse rei; ergo nullo modo debet distingui ab illa; constitutiuum autem inadæquatum est inadæquatè res, & inadæquatè ab illa debet distingui. Illud autem ternarium materia, forma, & vnio est constitutiuum adæquatum compositi, quælibet autem illarum est constitutiuum inadequatum: quare illud ternarium non debet realiter vllo modo distingui à composito; singulæ autem illarum tantùm inadæquatè distinguuntur. Non negauerim tamen causam intrinsecam nõ participare rigorosè rationem causæ, quod infra meliùs constabit.

Quomodo causa constitutiua distinguatur ab effectu constituto.

8 Aduerto hanc propositionem: materia vnita formæ est totum, esse rigorosè falsam: resoluitur enim in hanc, materia, habens vnionem cum forma est totum, quæ resoluitur tandem in illam, materia habens vnionem cum forma, est materia, forma, & vnio: hoc enim ternarium est totum; quæ propositio est apertè falsa: cum rectum subiecti, quod est materia, non identificetur cum recto prædicati, quod est illud ternarium.

9 Obijcies sexto: hæc propositio compositum

situm est habens materiam, formam, & vnionem verificatur: ergo compositum distinguitur ab illo ternario. Respondeo illam propositionem esse minùs rigorosam, & minùs propriã: nego tamen consequentiam: quamuis enim verum sit hominem habere rationalitatem, non ideo distinguitur ab illa. In casu igitur nostro ad veritatem illius propositionis sufficit, si totum ratione distinguatur à partibus: intellectus enim ob suam imperfectionem totum apprehendit, vt quoddam subiectum partium: nec in conceptu totius elucet pluralitas, sicuti in cõceptu partium, & ternarij.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur nonnullæ quæstiones de composito.

Repugnat corpus omninò simplex. 1 QVæres: vtrum omne corpus completũ sit essentialiter, vel integraliter compositum? Respondeo partem negatiuam esse probabiliorem: quia esse actum purum est prædicatum proprium Dei, ratione cuius continet in vnica indiuisibili, ac simplicissima entitate totam suam perfectionem cum incapacitate ad maiorem perfectionem intrinsecam acquirendam per compositionem cum alio in omni genere tùm substantiæ, tùm accidentis: ergo quo creaturæ sunt perfectiores, eo magis accedunt ad hanc diuinam perfectionem, & quo imperfectiores, eo magis recedunt: sed Angeli sunt longè perfectiores quolibet corpore: ergo ad hanc diuinam perfectionem magis accedunt Angeli, quàm quodlibet corpus possibile: ergo si Angeli, & anima rationalis excludunt omnem compositionem essentialem ex materia, & forma; non poterit corpus illam excludere: aliter æquè accederet ad diuinam simplicitatem, & ad rationem actus puri Angelus, ac illud corpus simplex.

2 Dices: æquè accedit ad immortalitatem Dei Angelus, ac corpus incorruptibile ab intrinseco, vel etiam materia, & tamen non est æquè perfectum corpus incorruptibile, & materia, ac sit Angelus: ergo quamuis æquè accedat ad diuinam simplicitatem corpus simplex, ac Angelus; non erit æquè perfectum, ac Angelus. Nego consequentiam: quia æqualis accessus ad Diuinam simplicitatem, & ad puritatem actus, facit, vt duo æquè vnitè contineant suas perfectiones, & operationes, & cum minori dependentia: ergo facit, vt sint æquè perfecta; ea enim quæ æquè accedunt ad puritatẽ actus, & æquè vnitè continent suas perfectiones, sunt vtique æquè perfecta. At æquè incorruptibilia, non est necesse, vt participent æquè simplicitatem, & æquè accedent ad puritatem actus.

3 Instabis primo: quamuis duo æquè accedant ad Diuinam simplicitatem, potest tamen vnum esse perfectius alio, quia vnum potest esse principium operationum perfectiorũ. Sed contra quæ accedunt æquè ad Diuinam simplicitatem, & ad puritatem actus, debent esse æquè perfecta: ergo debent habere operationes æquè perfectas.

4 Vrgebis iterum: Angeli inter se sunt alijs alij perfectiores, & tamen omnes æquè accedunt ad Diuinam simplicitatem. Nego secundam partem assumpti: quia Angeli inferiores intelligunt per plures species, & cognitiones eadem obiecta, ac superiores; ergo magis recedunt à diuina simplicitate; Deus enim omnia vnico actu cognoscit.

5 Replicabis: Ergo substantia simplex corporea magis recedet à Diuina simplicitate, quàm Angelus, quia pauciores exercebit operationes. Sed contra: quia hoc solùm probat illam substantiam futuram imperfectiorem aliquo Angelo, non autem toto genere Angelico, & singulis speciebus Angelicis imperfectioribus, & imperfectioribus: quia in hoc descensu in infinitum deueniendum tandem esset ad aliquem Angelum, qui æquè per plures operationes circa sua obiecta, ac illa substantia exerceretur.

6 Dices secundo: substantiæ corporeæ cõpositæ omnes æquè recedunt à Diuina simplicitate, & ratione actus puri, nec tamen sunt omnes æquè perfectæ: ergo quamuis illa substantia simplex corporea æquè, ac Angelus recedat à Diuina simplicitate, & ratione actus puri, non erunt tamen æquè perfecti. Nego antecedens: ratio enim actus puri perfectissimaque Dei simplicitas continet in vnica entitate indiuisibili perfectionem omnium generum: ergo quæ ita componuntur ex materia, & forma corporea, vt in duplici illa entitate contineant perfectionem magis homogeneam, & operationes maximè similes; sunt entia minùs perfecta, & magis recedunt à ratione actus puri, qualia sunt elementa, & corpora omninò homogenea: quæ verò in duplici illa entitate continent virtualiter aliquam varietatem operationum sunt perfectiora, & magis accedunt ad puritatem actus; sunt enim magis in actu, & huiusmodi sunt viuentia. Et inter hæc datur etiam excessus, & defectus: quatenus vnum viuens est, magis restrictum ad operationes dissimiles, quàm aliud, sic purè vegetatiua sunt imperfectiora, quam sensitiua, quia cum æquali multitudine partium essentialiũ, & integralium, vegetatiuũ est potens pauciores operationes dissimiles, quã sensitiuũ; & hoc est imperfectius homine, qui cum minore multitudine partium integralium, (anima enim rationalis est indiuisibilis) potest plura opera dissimilia; exceditur autem ab Angelo homo: quia Angelus vnica indiuisibili substantia potest plura opera præstare.

7 Vrgebis: Ergo illa substantia corporea substantialiter simplex non est æquè perfecta, ac gradus Angelicus: quia non potest multitudinem illam operationum diuersarum ponere. Nego consequentiam, ob suam enim simplicitatem substantialem, sicuti magis accedit ad rationem actus puri, & diuinam simplicita-

plicitatem in essendo, quàm quelibet alia substantia composita, ita debet habere modum operandi longè perfectiorem qualibet substātia composita; ideoque posset operationum illam varietatem ponere: modus enim operandi, sequitur modum essendi: cum in illo fundetur.

8 Vrgebis iterum: illa substantia completa esset integraliter composita: ergo esset imperfectior Angelo. Nego antecedens; substātia enim omnino simplex, sicuti in sua vnica, & indiuisibili entitate continet totam suam perfectionem essentialem completam; ita in sua vnica, & indiuisibili entitate debet continere totam suam perfectionem integralem. Et certè illa maior perfectio essentialis videtur trahere hāc maiorem perfectionem integralē: neque ex alio capite, veluti à priori possumus mensurare maiorem perfectionem integralem, quàm ex essentiali: essentia enim est primum fundamentum omnium proprietatū, & operationum subiecti, ex qua, tamquam ex primo medio, debēt de illo probari in scientijs omnes proprietates.

9 Quæres 2. Vtrum possibile sit compositum substantiale constans materia, seu subiecto, & forma vtraque spirituali: sicuti vtrum possibile sit compositum constans ex subiecto spirituali, & forma materiali. Respondeo vtrumque probabilius negatur possibile, & quidem contra primum vrgeri potest: quia qualibet ex illis partibus esset substantia spiritualis: ergò quelibet esset intellectiua; cum gradui enim substantiæ spiritualis, quæ sit res, & non pura modus, connectitur necessariò gradus intellectiuis, vt suppono: ergò ibi essent duæ voluntates, & duo intellectus, quæ omnia videntur minùs congruenter dicta, essent enim duæ libertates, & posset eodem tēpore vna benè, altera malè operari; neque videtur commodè explicari posse, cur potius vna, quàm alia pars esset subiectum, vel forma. Demum qualibet independenter ab alia posset operari, velle videlicet, & intelligere: ergo non indigeret altera: neque satis congruè fingi posset vnam ab alia materialiter causari, sed potiùs qualibet illarum partium esset ens completum diuersæ speciei ab altera, & determinata radix suarum operationū.

Repugnat compositū ex materia & forma spiritualibus.

10 Contra secundum autem compositum ex materia spirituali, & forma corporali sic vrgeo. Ista materia spiritualis vel potest separari à forma materiali, vel non? si secundum; ergo exigit naturaliter semper vniri quantitati, & est materialis: si primum, ergò est primo ens intellectuale, & omninò similis animæ rationali. Præterea posset componere vnum cum forma spirituali. Contra quod redeunt argumenta supra facta. Rursus illa forma esset animata, vel inanimata? si secundum: ergo animaretur per suam materiam, quod videtur absurdum; si animata; ergo ibi essent duo entia viuentia partialia, in quibus quis non videt dissonantiam? His adde illud compositum futurum corruptibile naturaliter: aliter alia materia esset materialis: vtpotè inseparabilis à quatitate. A quo igitur corrumpi posset?

Repugnat compositū ex subiecto spirituali, & forma materiali.

11 Dices. Huiusmodi composita esse naturaliter corruptibilia: quia exigunt ad determinatum tempus durare. Sed contra, quia substantia est finis per se intentus à natura; finis autem non debet esse quid caducum, sed perseuerans, donec adueniat validius agens, quod introducendo aliam substantiam incompossibilem cum prima, & complendo damnū defectus illius, exigat eius destructionem.

12 Demum si supradictę repugnantiæ non placent, scias esse principium satis probabile, de quo in *tib. met.* nimirum debere defactò dari omnes species creatas possibiles medias inter supremam, & infimam existentium; quia omnes hæ spectant ad huius vniuersi pulchritudinem, & complementum: sed composita, de quibus loquimur sunt species mediæ inter supremam, & infimam: ergo si sunt possibilia debent defacto dari, vel si non dantur, repugnant.

14 Quæres 3. Vtrum repugnet compositum essentiale constans partibus essentialibus, quæ inter se comparatæ non habeant rationē formæ, & subiecti. Respondeo negatiuè. Probatur: quia de facto ex humanitate Christi Domini, & persona Verbi resultat aliquod totum substantiale non integrale, sed essentiale, cuius constitutiua non seruant inter se ordinem formæ, & subiecti, nam neque humanitas est forma, aut subiectum Verbi; neque persona Verbi est subiectum, aut forma humanitatis: ergo non est de ratione totius essentialis constitui per formam, & subiectum. Quod si vtrumque constitutiuum sit ens incompletum, non est necesse, vt alterum respectu alterius sit forma, alterum subiectum; sed sufficit si mutuo perficiantur vnione penetratiua, constituantque aliquod propriè vnum per se intentum à natura, quod sit prima radix operationum, & reliquorum, quæ conueniunt illi enti; ita videlicet, vt aliquę saltem operationes, ad quas habet vtrumlibet extremum proportionem aliquam, non possint nisi ab vtroque intrinsecè vnito naturaliter procedere: atque in ordine ad illas operationes alterum ab altero perficiatur; sed neutrum extremum habeat respectu alterius rationem specialis requisiti, de qua supra diximus agētes de constitutiuo subiecti. Certè partes tales constituerent aliquod totum essentiale substantiale, nec haberent inter se rationem formæ, & subiecti; quamuis si vnirentur vnione distincta respectu illius haberent rationem subiecti, & specialis requisiti.

Non apparet repugnans cōpositum essentiale cōstans partibus, quæ nō habeāt rationem materiæ, & formæ.

14 Verum instabis. Illud compositum esset indestruibile virtute agentis naturalis: nō enim constaret subiecto communi in quod agerent causæ naturales; neque posset esse vi-

 ueos

nens vegetabile, aut sensitiuum, quia non posset conuertere in se cibos destruendo illorum formam, & producendo in illis propriam formam. Respondeo me non defendere illud corpus futurum vegetabile, aut sensitiuum, seu solum constare partibus essentialibus, quę non sunt materia, & forma; non curo autem si sit indestruibile ab agente naturali, sicut multi ponunt esse Cęlos. Demum vtraque pars illius compositi esset potentia respectu vnionis, respectu verò alterius esset aliquo modo potentia, & aliquo modo actus, quia & perficeretur ab illa, & eandem intrinsecè perficeret, non tamen haberet respectu illius rationem subiecti, & formę à nobis supra explicatam. Deberent nihilominus illę partes essentialiter differre, aliter potiùs constituerent totum integrale, quàm essentiale. Cum igitur nulla appareat repugnantia in illo composito, & habeatur paritas ex mysterio Incarnationis, non est cur putem impossibile tale compositum.

IN LIBRVM SECVNDVM

Physicorum Aristotelis.

DISPVTATIO VI.

De Natura, & Arte.

POst inuestigata libro primo corporis naturalis principia, agit libro secundo Philosophus de ipsa natura, & rerum naturalium causis: primo igitur de natura, & naturali, & quia naturam imitatur ars nonnulla de arte disputabimus: tum fusè de causis Deo dante agemus: Sit igitur.

SECTIO I.

Definitur Natura.

Variæ naturæ acceptiones.

1 Svmitur primo natura pro ente perfectissimo Deo Optimo Maximo, primo rerum omnium principio, & opifice; qui ab aliquibus satis barbarè dicitur natura naturans, hoc est totius naturę Auctor, & princeps; res verò ab illo productæ dicuntur natura naturata. Secundo sumitur natura pro essentia cuiuscunque rei, in quo sensu dicimus, definitionem explicare naturam rei; & continet sub se non solùm entia creata, sed etiam increatum, non solùm substantias, sed etiam accidentia. Tertio sumitur pro collectione rerum naturalium; in quo sensu excludit res supernaturales. Quarto pro causis naturalibus operantibus iuxta suam inclinationem, & exigentiam; in quo sensu asserimus naturam abhorrere á vacuo, nihil frustra moliri; quia videlicet hæc omnia non sunt iuxta exigentiam causarum naturalium. Quinto sumitur natura pro temperamento, seu complexione viuentium, quæ ex primis qualitatibus resultat, vnde dicimus, aliquos esse naturâ flemmaticos, aliquos colericos. Sexto sumitur, & magis propriè natura pro ipso actu generandi, ita vt idem sonet natura, ac nascitura; quæ est genuina huius vocis acceptio: quia verò generatio supponit communiter motum aliquem ab intrinseco procedentem: ideò septimo accipitur natura, pro principio intrinseco motus, non cuiuscunque, sed physici, & sensibilis; agimus enim de natura prout spectat ad physicum: in quo sensu dicit Aristoteles 5. *met.* c. 4. prima, & propriè dicta natura est substantia eorum, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt, motus principium habent. Et communiter ex 2. *Physic.*

2 Definitur natura, *est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primo per se, & non per accidens: seu vt id moueatur, atque quiescat, in quo est primo &c.* Dicitur primo principium, & causa, vt distinguatur à carentijs, quæ formaliter, licet possint esse principium, non tamen sunt causa. Vox principium fortasse redundat: omnis enim causa est principium, illam tamen addidit Aristoteles, tum vt explicaret genus aliquod superiùs: tum quia fortasse non dum constabat, omnem causam esse principium.

3 Quæritur hic vtrum ad rationem naturæ requiratur, vt sit principium tum actiuum, tum passiuum motus, & quietis, vel alterutrum sufficiat? Respondeo sufficere alterutrum; si non desint reliquæ conditiones: quia vtrumque verè est principium, & causa motus eius, in quo est primo, & per se. Neque dicas naturam definiri in ordine ad motum immanentem; principio autem actiuo non immanere motum; ne, inquam, id dicas; nam motus, per quem definitur natura, debet esse immanens mobili, ad quod sufficit si principium actiuum sit eidem mobili intrinsecum; quia per hoc est principium motus, qui permanet in ipso mouente; seu in subiecto, & mobili, quod simul per illud principium actiuum constituitur, & denominatur mouens. *Sufficit ad rationem naturæ esse principium siue actiuum, siue passiuũ.*

4 Dicitur secundo motus, & quietis: nomine motus venit acquisitio alicuius termini, quietis verò permanentia, & perseuerantia sub illo, seu eiusdem conseruatio: quare quies sumitur positiuè, non negatiuè pro mera cessatione à motu.

5 Quęritur hic vtrum ad naturam requiratur, quod sit causa tum motus, tum quietis, vel sufficiat si alterutrum causet? Respondeo, requiri, quod sit causa tum motus, tum quietis. Probatur. Nullum principium potest inclinare per se ad motum, nisi inclinet ad quietem: ergo si natura inclinat per se ad motum, debet etiam inclinare, & esse principium quietis. Antecedens probatur. Nullum principium potest per se inclinare ad aliquod medium, nisi per se inclinet ad finem; sed motus est veluti medium, & via ad quietem, & quies *Natura debet esse causatiua motus, tũ quietis.*

quies est veluti finis: ergo nullum principiũ potest inclinare ad motum, nisi inclinet ad quietem. Eodem modo omne principium, quod inclinat ad finem, inclinat ad medium, & ad acquisitionē illius finis: aliter irrationabiliter inclinaret ad finem, & amisso fine inclinatio ad illum esset omninò inefficax, & & potius in malum, & veluti ad torturam, quàm in bonum. Sed quies est veluti finis, & motus veluti medium; ergo omne principiũ, & natura, quæ inclinat ad quietem, inclinat etiam ad motum.

6 Dices. Potest aliquod principium habere pro fine ipsum motum: ergo nostra ratio falso nititur principio. Nego antecedens. Nam vel loquimur de motu procedente ab intrinseco, vt est motus naturalis, & immanens in principio; & hic motus semper debet ordinari ad acquisitionem alicuius formæ permanentis, sub qua mobile quiescat: aliter mobile non minùs inclinaret ad positionem illius formæ, quàm ad ejus destructionem; rursus qualibet inclinatio debet tandem terminari ad actum perfectum, qualis est forma permanens, non fluens; & quę nunquam est: vel loquimur de procedente ab aliquo principio extrinseco; & hic vel ordinatur ad quietem mobilis in aliquo termino, vel ad quietem aliorum. Sic motus cœlorum ordinatur ad quietem inferiorum, quo videlicet hæc inferiora possint obtinere suum statum connaturalem, & in illo quiescere. Confirmatur. Motus purus non potest esse status connaturalis alicuius rei, & substantiæ permanentis: status enim connaturalis dicit necessariò perseuerantiam, quæ repugnat motui. Et ratio vlterior est: quia de essentia motus est tendentia in aliquem terminum: ergo motus non potest habere rationem finis, quia vltra suum finem res non se extendit.

7 Ideoque Aristoteles coniunctionem illam, &, quæ apponitur in definitione, non sumpsit disiunctiuè, sed copulatiuè; quod clarè expressit 8. *Phys. tex. 23. Posita est natura in naturalibus principium, sicuti motus, & quietis*.

8 Instabis. Cœlum est natura, nec tamen est principium quietis, sed puri motus. Respondeo, cœlum esse naturam non in ordine ad motum, & quietem localem, sed in ordine ad alias qualitates, quas habitas conseruat, & amissas recuperat.

9 Dicitur tertio. Eius, in quo est; quia natura, vt natura, non est principium, & causa motus, & quietis; nisi eius rei, in qua inest ipsa natura; quod idem est, ac esse principium, & causam motus, & quietis immanentis, cuius nimirùm causa tùm actiua, tum passiua est in re, quæ denominatur moueri, & quiescere.

Natura est principiũ motus immanentis.

10 Dices. Dicuntur motus naturales etiā illi, quibus ignis calefacit, & exiccat subiectis externis. Respondeo. Huiusmodi motus esse secundariò naturales, supponentes nimirũm primarios, & immanentes, per quos ignis calefacit seipsum.

11 Dicitur demum quarto. Primo per se, non secundum accidens; vt significetur non qualecunque principium motus esse naturam, sed illud, quod est essentiale mobili, & primo illi inest: quibus particulis ab hac definitione excluditur omne accidens: nullum enim accidens primo inest, cum sit entis ens, & secundario intendatur à natura. Quare quamuis medicus sanet se ipsum; ars medicinæ non erit respectu illius natura: quia non est subiecto mobili essentialis; neque grauitas est natura lapidis, quia licet inclinet ad motum deorsum, non primo inest, sed radicatur in forma substantiali. Ob similem rationem neque habitus, siue studiosi, siue mali; neque aliæ artes quamuis actiuæ, sunt natura: quod si habitus dicuntur natura, idest, quia per habitus præsertim intensos inclinamur ad operandum, eo ferè modo, quo inclinamur per naturam.

Natura est sola substantia.

12 Hinc infero 1. Deum non esse naturam hic definitam: quia non est principium immanens motus physici, & sensibilis. Secundo neque Angelos ob eandem rationem comprehendi sub allata definitione. Tertio neque artefacta, vt artefacta esse naturam; quia forma artificialis non primo inest: neque est causa motus, & quietis; ideoque docuit Aristoteles tectum putrefactum germinare, non vt tectum, sed vt lignum.

Neq; Deus, neq; Angelus, neque artefacta sũt natura hac defini: ta.

13 Obijcies Aristoteles hic t. 13. infert formam esse naturam, quia homo hominem generat; sed generatio est motus transiens hominis generantis: ergo natura constituitur in ordine ad motum transeuntem. Respódeo. Aristotelem ibi arguere ad hominem contra veteres nonnullos asserentes non formam, sed materiam esse naturam, quia tectum non generat tectum, sed lignum generat lignum: ergo non forma, sed materia tecti est natura; ex quo eodem principio benè infert Aristoteles formam hominis esse naturam; quia homo generat hominem.

14 Quæres. Vtrum demonstrari possit naturam esse? Respondeo. Aristotelem docuisse ridiculum esse tentare naturæ demonstrationem; imò id esse impossibile: cum enim naturæ existentia sit per se nota, media verò, ex quibus inferretur talis existentia, fiet minùs nota, per illa naturam demonstrare, esset rem apertam tenebris inuoluere. Nihilominus Summa triumphantis philosophiæ *lib. 2. dist. 4. c. 1.* tentat sequenti discursu demonstrare existentiam naturæ. In hac rerum vniuersitate dantur multi motus sensibiles: ergo datur saltem aliquod illorum primum principium intrinsecum, & cum inclinatione operans; aliter vniuersitas non erit benè constituta: cum nullus ex tot motibus, qui

dantur sic bonos, & iuxta inclinationem subiecti.

SECTIO II.

Cui conueniat allata naturę definitio.

Materia & forma est natura.

1 DIco primo. Materia, & forma etiam spiritualis, qualis est anima rationalis, sunt natura hic definita. Probatur ex Aristotile textu 10. *Natura*, inquit, *sic dicitur primo cuiuscunque subiecta materia eorum, quæ motus in se, mutationisque principium habent, alio verò modo ipsa forma, & species*. Probatur secundo. Tum materia, tum forma est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se: vtraque enim est causa motus, & quietis compositi, quod intrinsecè constituunt. Confirmatur; De anima rationali, vt rationalis est: quia sicuti vt talis est propria forma hominis, ita est principium alicuius operationis propriæ hominis, quem primo, & per se constituit.

2 Obijcies primo. Si materia esset natura, motus lapidis sursum esset naturalis; sed hoc est falsum: ergo materia non est natura. Sequela probatur. Motus lapidis sursum esset à materia, quę est natura: ergo esset naturalis. Nego sequelam: ad cuius probationem: distinguo antecedens; esset à natura, vt à natura formaliter nego; non vt à natura formaliter concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad motum naturalem requiritur, vt sit à natura formaliter sumpta, aliter non esset motus formaliter naturalis, sed tantùm materialiter: natura autem formaliter, vt natura, constituitur per principium, & causam motus, & quietis, qui sit proprius eius, in quo ipsa natura est; non est autem proprius compositi, in quo est natura, nisi motus, ad quem inclinat mobile per potentiam actiuam, & passiuam, quas in se habet: ergo formaliter natura constituitur per causā motus, qui sit tum actiuè, tum passiuè á mobili, & consequenter ab eius inclinatione; motus autem lapidis sursum non est actiuè à mobili, nec procedit à materia lapidis, vt à natura: materia enim lapidis non est natura, nisi respectu motus immanentis, qui simul actiuè procedit à mobili, & iuxta illius inclinationem. Sunt, qui putant cum Conymbricensibus, & Fonseca 5. *met. c. 4. q. 5. et 8.* quemlibet motum esse naturalem saltem ex parte materiæ; quamuis aliqui sint violenti ex parte formæ: quorum opinio non est improbabilis: duo tamen obijci possunt; primo, quia motus ille non est proprius mobilis, in quo est natura, quare si perseueret sola materia adhuc deberet perseuerare. Secundo licet materia causet illum motum, non tamen ad illum inclinat; quare ille motus nō esset vllo modo iuxta inclinationem passi.

3 Instabis. Ergo perfectio naturæ non est adæquatè intrinseca materiæ, quæ constituitur natura per coniunctionem ad principium actiuum motus. Nego consequentiam, & eius probationem. Materia enim constituitur natura per potentiam passiuam motus immanentis, quæ potentia est adæquatè intrinseca materiæ, licet exercitium illius pendeat tùm à forma, tùm ab vnione; sicuti materia ex suis intrinsecis habet potentiam ad vnionem cū forma, quamuis vnio supponat potentiam vnitiuam etiam in forma.

4 Instabis iterum. Motus naturalis est nō solum passiuè, sed etiam actiuè à mobili: ergo natura debet esse principium non solùm passiuum, sed etiam actiuum, qualis non est materia. Nego consequentiam. Quia motus naturalis est motus proprius eius, in quo est natura, & illi debitus: ergo debet procedere non solùm passiuè, sed etiam actiuè à mobili; aliter omnis motus esset naturalis, & debitus. Natura autem est principium huius motus, quod æquè verificatur de principio actiuo, & passiuo, ac de vtroque.

5 Instabis tertio. Natura est causa, vt id, in quo ipsa est, naturaliter moueatur per motum ab ipsa productum: sed materia est natura; ergo est causa vt id, in quo ipsa est naturaliter moueatur per motum productum ab ipsa materia: ergo materia est causa, vt motus lapidis sursum sit naturalis. Distinguo maiorem. Natura operans, vt natura est causa, &c. Concedo, non operans, vt natura: nego maiorem; & eodem modo distincto primo consequenti; nego secundam consequentiam.

6 Obijcies secundo. Natura est necessariò principium actiuum motus: sed materia non est principium actiuum motus: ergo materia non est natura. Probatur maior. Discrimen inter naturalia, & artefacta ex Aristotele est, quod illa habent principium intrinsecū suorum motuum, hęc verò minimè; quod non potest intelligi de principio passiuo vtrique communi: ergò debet intelligi de actiuo: ergo natura necessario est principium actiuum. Nego maiorem. Ad probationem, nego secundam consequentiam. Nam quamuis naturalia, & artefacta differant in principio actiuo, adhuc materia est principium motus eius, in quo est, ac proinde natura: Artefactū autem, vt artefactum non includit aliquod principiū passiuum motus sibi proprij; descensus enim arcę est proprius motus corporis non artefacti, neque enim descendit, vt arca, sed vt corpus.

7 Hinc patet cur ad constituendam naturam sufficiat principium actiuum, vel passiuū, non autem ad constituendum naturale: ratio est, quia naturale est id, in quo inest natura, non quocumque modo, sed ita vt sit in ipso principium alicuius motus proprij eiusdem; motus autē proprius supponit in mobili virtutem, tùm actiuam, tùm passiuam; aliter dicam motum lapidis sursum esse illi propriū; quia quamuis non supponat in lapide principium actiuum, supponit tamen principium

pas-

passiuum: principium autem, vel puré passiuum, vel purè actiuum adhuc est causa licet inadæquata talis motus.

8 Obijcies tertiò. Auctoritatē Aristotelis, qui 5. *met. c. 4. Ex dictis itaque*, inquit, *prima, & quæ propriè dicitur natura, est substantia eorum, quæ in seipsis, quatenus ipsa sunt motus principium habent; materia enim ex eo dicitur natura, quod huius sit capax.* Respondeo. Aristotelem in *loco citato Metaph.* sumpsisse naturam pro primo principio immediato operationum immanentium in aliqua specie determinata, quod conuenit soli substantiæ completæ ratione formæ substantialis, non autem ratione materiæ saltem de facto: quarè bené infert materiam in hoc sensu non esse naturam, nisi quatenus est capax formæ per quam determinatur. Cęterum hic 2. *phys.* Aristoteles sumit naturam pro principio motus immanentis, ad quem inclinat mobile, siuè hoc principium sit actiuum, & determinatum; siué passiuum, & indifferens.

9 Obijcies quinto. Anima rationalis, vt rationalis non est principium motus sensibilis. Nego antecedens, nam etiam intellectio in homine est suo modo sensibilis. Addo hic Aristotelem 1. de partibus animalium *cap. 1.* dixisse. *Non pertinere ad physicum agere de omni anima, nam non omnis anima natura est; sed aliqua eius pars vna, aut plures.* Sed loquitur de anima, & intelligentijs separatis. Hic verò textu 12. dum docet, *eam esse naturam, quæ non est separabilis existens à materia nisi secundum rationem*: sensus est non posse formam realiter separari à toto, nisi destructo ipso toto, neque extra totum posse exercere munus naturæ causando motum, & quietem totius, quarto 8. autē *met. tex. 27.* sola animata dicuntur moueri à se; quia animatis non statim initio generationis communicatur omnis perfectio intrinseca, & debita; sed decursu temporis per augmentationem, & aggenerationem virtute sibi innata acquirunt perfectionem aliquam sibi intrinsecam; quod non euenit in inanimatis, in quibus tamen est vis intrinseca, qua se mouent ad perfectionem debitam, quam fortassè amiserint.

10 Præterea, quamuis Aristoteles *lib. 1.* tantùm inuestigauerit principia rerum corruptibilium; quia ex generatione, & corruptione aditum sibi fecit ad probandum numerum principiorum: hìc tamen agit de omni natura tum corruptibilium, tum incorruptibilium. 8. autem *Metaph. t. 7.* dum *naturā*, inquit, *solum profectò quis ponit eam, quæ est in corruptibilibus, substantiam*: non loquitur in proprio sensu, sed de natura magis nota. *lib.* tamen 8. Physicorum docet dari tria genera substantię naturalis, vnum eorum, quæ semper mouentur, vt cœlum; alterum eorum, quæ semper quiescunt, vt terra, alterum eorum, quæ partim mouentur, partim quiescũt: Cœterum terra potest moueri naturaliter ad acquirendas qualitates amissas, & sibi debitas, & si à centro remouetur, ad illud vtique sua virtute redibit.

11 Dico secundo. Compositum substantiale non est natura hic definita, est communior sententia. Quia compositum non est causa motus, & quietis eius, in quo primo inest, neque potest assignari, in quo primo insit cōpositum, nisi dicas inesse sibi ipsi, quod est minus aptum, & contra mentem Philosophi; Aristoteles enim iuxta lectionem Conymbricensium. *Compositum, inquit, natura quidē non est, sed constat natura.* Quod si legas, sed est, & constat natura: tunc ly natura, non potest sumi in recto, sed in ablatiuo; & sensus est quod fit virtute naturę, qua constat. Eodem modo accipienda sunt alia loca, vt patet ex contextu, & videri potest apud Conymbricenses, & Fonsecam.

Compositū non est natura hic definita.

2 Infero primo, vnionem substantialem non esse naturam; eius enim munus est vnire partes totius, non esse principium alicuius effectus proprij compositi, sed ad summum alicuius effectus communis sibi cum alijs rebus, vt vbicationis, durationis, & similium; est tamen conditio, vt natura exerceatur; exercetur enim natura per motum eius, in quo est: ergo necessario debet supponi compositum ad exercitium naturæ: aliter illc non esset motus eius, in quo est natura; ergo necessario debet supponi vnio, quæ est essētialis cōposito. Illud tñ exercitiũ nō debet procedere ab vtraque parte: sed sufficit si ab altera tùm actiuè, tũm passiuè procedat: tũc autē alia pars, & vnio requiritur, vt conditio, vt patet in actibus spiritualibus animæ rationalis vnitæ, si qui exercentur in corpore, sint cum illo connexi: quod si idem inuariati possint ab anima in vtroque statu tum separationis, tum coniunctionis exerceri; dico in statu cōiunctionis illos actus constitui naturales partialiter per ipsam vnionem.

SECTIO TERTIA.

De Violento, & Naturali.

1 NAturale accipitur primo prout opponitur supernaturali, de qua acceptione multa Theologi. Secundo dicitur naturale, quod prouenit à re determinata ad operandũ vnum, nulla præuia cognitione, quomodo opponitur voluntario. Tertio dicitur naturale quod opponitur libero, & non procedit à principio indifferenti ad vtramlibet partem. Quarto dicitur naturale, quod conuenit rei à natiuitate, & opponitur aduentitio. Quinto dicitur naturale, quod secundum cursum causarum communiter accidit, vt pluuia in hyeme. Sexto demum est motus naturalis, qui procedit à natura modo supra explicato. Et his quidem modis omnibus dicuntur naturales effectus, sed pręter effectus datur compositum naturale, quod constat natura iam explicata.

Varia naturalis acceptiones.

2 Vio-

Quid sit motus violentus, & violentum. 2 Violentum definiunt communiter ex Aristotele 3. *Ethicorum c.* 1. *Est à principio extrinseco, nullam vim conferente passo*, hoc est reluctante passo: vt ipsemet Aristoteles explicat. Sic motus lapidis sursum est violentus, quia procedit à principio extrinseco contra nativam inclinationē lapidis ad motum deorsum: nomine autem principij extrinseci non solùm venit, quod est extra passum, sed etiam aliquando, quod illi inest; dummodo hoc ipsum principium sit ab extrinseco contra inclinationem patientis. Quare licet motus lapidis sursum procedat à virtute impressa lapidi inhærente; quia tamen hæc virtus est à principio extrinseco contra exigentiam lapidis, dicitur esse à principio extrinseco.

3 At nomine passi venit totum, vel etiam forma, quæ in oppositum inclinat; sic lapis dum sursum violenter mouetur, est passum reluctans, quia licet ratione non materiæ, & quantitatis ex se indifferentis; reluctatur tamen ratione formæ. Attamen in hac re mihi placet sensus Antonij Perez asserētis passum non conferre vim, idem esse, ac passum impediri à motu in suum finem, & no conferat in suum bonum suam virtutem: ratio est; quia actio prouenieus ab extrinseco formaliter, qua talis, non est violenta subiecto, aliter illuminatio aeris proueniens à sole esset mala, & violenta aeri, qui ad illam non cōcurrit: est igitur violenta, & mala; quia impedit bonum, ad quod subiectum inclinat: si enim actio cohęret cum integro bono subiecti, non est cur iudicetur subiecto mala, & violenta: cum potiùs putanda sit bona, vtpotè augens subiecti perfectionem.

Motus medius. 4 Præter hos datur motus medius, qui neque est contra inclinationem passi, neque ab illo exigitur, aut cum determinatione actiuè procedit, talis est motus, quo aer illuminatur à Sole, & generatio, qua producitur compositum substantiale: non enim est contra inclinationem compositi producti, neque ab illo actiuè, & cum inclinatione procedit.

5 Vrgebis cum Mauro *quæst.* 12. Omnis motus, vel est perfectiuus, & melioratiuus subiecti, vel est deterioratiuus: motus enim, qui neque fit melioratiuus, neque deterioratiuus ad nihil inseruit naturæ; cum neque perficiat subiectum, neque disponat ad aliquem finem intentum ab agente; si autem est melioratiuus, iam est naturalis; quia subiectum inclinat ad omnem perfectionem, quam potest habere ab agentibus naturalibus: si deterioratiuus; ergo est violentus: ergo nullus est medius. Respondeo, & dico. Non omnem motum esse melioratiuum iuxta inclinationem subiecti, sed illum, qui determinatè exigitur à subiecto, veluti proprietas aliquo modo debita: & quā spoliatum, subiectum est in statu quodam violento. Non omnis autem motus perfectiuus est huiusmodi, vt patet in illuminatione aeris. Ex dictis facilè est decidere, quę, aut à quibus pati possunt violentiam: si quid autem consideratione dignum est, commodiùs disseriam 1.2. cum de voluntario, inuoluntario, & coacto.

SECTIO IV.

De Arte, & eius effectibus.

1 ARtem definit Aristoteles 6. *Ethicorū. Habitus cum vera ratione factiuus.* Videlicet, est habitus, seu qualitas permanens, inclinans ad opus efficiendum certis quibusdam legibus, quibus dum conformatur, opus erit rectè factum. Hæc definitio includit tum habitus actiuos versantes circa idem subiectum, in quo resident, nec relinquentes opus post se, ut sunt ars canendi, ars saltandi, & similes; tum factiuos versantes circa materiam externam, & relinquentes opus post se: vtrique enim tradunt regulas certas, & infallibiles, quibus seruatis necessariò opus rectè fiet. *Artis definitio.*

2 Neque obstat modus loquendi Aristotelis asserentis, artem esse habitum factiuum; quia per factionem intelligit Aristoteles quācumque actionem positam ex præscripto certis cum intentione rectitudinis operis, siue demum sit opus transiens, siue permanens.

3 Hic obiter lubet notare discrimen inter prudentiam, & reliquas artes; prudentia enim versatur circa opus, prout est bonum operantis, quod formaliter intendit, & dirigit: ars verò solam intendit rectitudinem operis; vnde fit artem posse esse circa opus peccaminosum: potest enim opus fieri iuxta regulas artis ob malum finem. At cum prudentia præcipuè intendat rectitudinem operantis; nullum opus peccaminosum, quamuis conforme præceptis artis, erit opus prudentiæ. *Discrimen artis à prudentia.*

4 Iam verò conueniunt naturalia, & artefacta; primò, quia vtraque procedunt certa præscriptione, & ratis legibus composita, & ordinata. Secundo in vtrisque locum habet casus: multa enim entia naturalia fortuitò eueniunt, ex coniunctione fortuita causarum; multa item artefacta præter intentionem artificis conficiuntur? ut euenit in eo, qui desperans exprimere spumam equi furentis, colores proiecit in tabulam, statimque spuma expressa est. Tertio tum naturalia, tum artefacta fiunt ex præsupposito subiecto. *In quo naturalia, & artefacta differāt, & conueniant*

5 Differunt: quia formæ naturales sunt actiuæ, artefactę non habent in se principiū agendi. Secundo, corrupta forma naturali substantiali corrumpantur necesse est multa accidentia: at corrupta forma artificiali id non est necessarium: sufficit enim aliquando si varietur situs. Tertio, forma artificialis adueniente

nenit enti completo; ideoque dicitur incipere indè, ubi desinit natura; formæ autem naturales substantiales aduenjunt enti incompleto.

Discrimen, & conuenientia inter artem, & naturā.

6 Ars differt primo à natura, quia plerūque non efficit veras, sed apparentes res, vt cum pingit hominem. Secundo si ars, & natura simul concurrant; ars dirigit, & perficit naturam. Tertio formæ per artem inductæ non producunt similes effectus; nec enim domus domum producit; sicuti equus producit equū. Quarto ars regolariter versatur in externa superficie, & potissimum intendit elegantiā externam: natura in abditioribus perficiendis impensius laborat.

7 Conueniunt primo; quia sicuti natura producit effectum similem formę; ita artifex producit formam similem exemplari, quod habet in mente. Secundo vtraque plerumque progreditur ab imperfectioribus ad perfectiora. Tertio sicuti natura supponit Deum, ita ars naturam.

Quid sit forma artificialis, & quotuplex

8 Iam verò forma artificialis, vt talis dicit aliquod extrinsecum rei artefactæ, nempè actualem directionem artis, quia eadem res inuariata potest esse artificialis, & fieri ex prescripto artis, & non artificialis; vt patet in spuma supradicta: ergo esse artificiale formaliter sumptum dicit aliquod extrinsecum operi, nempè directionem artis: nisi velis artefactum constitui per ordinem intrinsecum ad artem dirigentem, quod est conformius nostris principijs. Forma autem artefacta, quæ videlicet fit ex directione artis; siue dependeat ab instrumentis, quæ ex se non habent virtutem operandi, nisi dependenter ab impulsu artificis, vt suot serra, malleus, &c. siue fiat ab artifice sine vllis instrumentis; nō est distincta à partibus rei artefactæ ita, vel ita dispositis: pictura enim non dicit, nisi colores, & eorum vnionem localem proportionatam, quia his intellectis, iam intelligimus picturā; eadem est ratio de characteribus, & statuis. Sed non eodem modo discurrendum est de omnibus figuris: nam aliquando in efformanda figura ars nihil aliud facit, quam auferre partes aliquas superfluas, ut cum ex rudi ligno, vel marmore formanda est statua; tunc enim si materia aliundè sit sufficiens, satis est auferre partes superfluas. Aliquando autem producēda positiuè est dispositio localis partium, vt cum pictor extendendo colores supra tabulam, illosque variè miscendo, & cōbinando format imaginem hominis.

9 Verum malè hinc inferes figuram, vel statuam essentialiter dicere carentiam partiū superfluarum; tùm quia supra reiecimus huiusmodi puras carentias: tùm quia dispositio illa partium statuæ, quæ de nouo formatur iā præcesserat in marmore; & tamen marmor nō habebat aptitudinem excitādi actus complacentiæ, & similes, quos excitat statua iam perfecta: ergo signum est, quod in statua iam formata sit aliquod positiuum præter illam dispositionem, quod veluti complementum pulchritudinis statuæ sit aptum excitare in videntibus illos actus. Sed de hac re legatur Arriaga nobis contrarius *disp. 6. phy. sec. 2. à n. 10.*

10 Dices. Ex allata doctrina sequitur figuram sitam esse saltem partialiter in vbicatione partium: quod esse falsum patet, quia Christus Dominus quamuis non retineat sub Eucharistia vbicationem, quam habet in cœlo, vel similem illi, habet tamen propriam figuram. Et confirmatur: alias, qui transferret cathedram ex vno in alium locum causaret cathedram, quia causaret illam ubicationem, in qua formaliter consistit figura, & forma cathedræ: Dicendum igitur est figuram sitam esse in aliquo priori ad ubicationem.

11 Respondeo. Figuram formaliter sumptam consistere in ubicatione partium; quia sita est in ea partium dispositione, quæ apta est causare, seu potiùs in qua formaliter consistit pulchritudo apta mouere complacentiā sui: pulchritudo autem formaliter sita est in ordine actuali partium, qui in rebus quantis necessariò includit ubicationem. Cæterum partes, quæ constituunt aliquam figuram nonnunquam uniuntur unione continuatiua, ratione cuius partes exigunt occupare loca proxima, & seruare inter se quocunque transferantur talem, ac tantam distantiam: & hæc vnio continuatiua, vel aliquod aliud uinculū illi æquiualens, potest dici figura, ueluti causaliter exigitiuè, & in actu primo: quia est ueluti causa, cur quocunque translatæ illæ partes retineant eandem, idest ualdè similem figuram. Et in hoc sensu est sub speciebus Eucharisticis figura corporis Christi Domini, quia sub illis speciebus caput Christi immediatè unitur collo, & collum humeris, & sic de reliquis partibus; ratione cuius unionis si tales partes non miraculosè impedirentur, ita localiter disponi deberent, ut resultaret figura, quam Christus Dominus habet in Cœlo. Et huiusmodi quidem figura constans partibus continuatis dicit intrinsecè non solùm ubicationē, sed illam unionem continuatiuā.

12 Ex quibus patet cathedram translatam ex uno in alium locum nō mutare figuram illam radicalem, sed tantum formalem inadæquatè. Dicitur autem communiter retinere eamdem figuram propter magnam similitudinem, quę est inter primam, & secundam figuram: translator autem cathedræ non dicitur causare potius hanc, uel illam figuram, dum causat illas nouas ubicationes; quia determinatio ad hanc, uel illam dispositionem localem, non habetur formaliter per impulsum impressum à motore, sed ex ui unionis partium; quā causauit artifex, uel etiam ex alijs capitibus.

13 Aliquando autem figura constat partibus dispositis; sed non continuatè unitis, & hac

hæc figura nõ habet aliã cautã intrinsecã partibus, & totaliter consistit in ipsa ubicatione; ut si tria ligna diuisa ita disponantur, ut constituant triangulum; & sanè, qui mouet illa tria ligna, ita vt in motu retineant eandem figuram, non est cur non dicatur causa talis figurę; verè enim ex impulsu, quem ipse imprimit determinantur ligna ad retinendam similem figuram.

14 Quod si forma artificialis fiat ab arte dependenter ab instrumentis naturalibus habentibus naturalem vim conficiendi talem formam: vt cum ars vtitur calore, vel frigore ad suos effectus, u.g. ad colores inducendos, uidetur in eo casu effectus artificialis esse aliquod positionm distinctum à dispositione partium rei artefactæ, ut patet in cibis confectis ui caloris; ars enim permiscendo res inter se, easque ui caloria alterando producis in illis sapores, liquabilitatem, & similes qualitates: dixi, ut plurimum: quia nonnunqoam forma artificialis, quamuis intercedãt actiones qualitatum naturalium, nõ est contradistincta à dispositione locali, ut cum æs ui caloris eliquatum efformatur in statuam; certè forma artificialis includit illã dispositionæm localem; attamen in hoc casu forma artificialis non pendet immediatè ab actione qualitatom naturalium, quę solùm disponunt materiam; vt tandem alia instrumenta artis formam artificialem in illam inducant. Secus accidit in primo casu de coctione ciborum, vbi ars solùm disponit materiam, illas res incidendo, ac permiscendo, & applicat causas ignem, videlicet, & c. effectus tamen immediatè procedit à causa naturali; quare potiùs dicendus est naturalis, quã artefactus.

Quomodo ars influat

15 Circa modum, quo ars influit probabile est illam solùm directiuè influere, ostendendo potentię executiuæ modum, quo opus faciendum sit; potest autem dirigere ad opus non solùm ea, quibus ipsa inest immediatè; sed etiam distantia, vt sunt pedes; quia ars immediatè dirigit animam, in qua residet, & quæ est in pede, & necessariò etiam concurrit ad illorum motum.

16 Quæres hic. Vtrum ars possit efficere opera naturę? Respondeo, ex Conymbricensibus hic c. 1. quæst. 6. art. 2. *Artem non posse proprijs instrumentis efficere opera naturæ*; quia regulæ, & instrumenta artis non habent vim comburendi ferrum, aut aliquod simile efficiendi; potest tamen ars suis instrumentis aperire viam ad effectum naturalem, & mediatè tandem mediantibus videlicet instrumentis naturalibus, si habeat in sua potestate illorum vsum, attingere effectus naturales, sic vi caloris causat in cibis calorem, & per medicamenta, & potiones inducit in ægrotos sanitatem. In quibus casibus vis effectiua est tantùm in instrumentis naturalibus, & ars solùm componit, & applicat illa ad hos, vel illos effectus producendos. Idem dico de motu horologiorum, & similibus.

Potest ars verum aurum conficere.

17 Controuertitur hic vtrum ars aliqua valeat conficere verum aurum applicando causas actiuas determinatas, subiectis item determinatis. Respondeo affirmatiuè: quia ars potest applicando actiua passiuis conficere plures effectus naturales, vt apes ex bobus, & similes: ergo etiam aurum. Est tamen hæc auri confectio ita perdifficilis, vt vel nunquam, vel rarò contingat. Ideoque in extrauaganti spondent damnatur, non ob impossibilitatem; sed quia ob difficultatem exitus, & auaritiam hominum allatura esset reipublicę maximum detrimentum, & periculum fraudis diabolicæ.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Causis in communi.

EST hæc de causis disputatio Philosophis æquè, ac Theologis non minùs vtilis, quàm necessaria; vix enim vlla est quæstio, aut concertatio, in qua aliquid de prioritate, de dependentia, ac de genere causandi non occurrat.

SECTIO I.

Quid sit causa.

Conceptus causæ per se notus.

1 NVsquam Aristoteles causam ex professo definiuit, solùm hic tex. 18. supponit causam esse id, per quod respondemus quærenti propter quid, seu cur res est. Videtur enim conceptus causæ esse clarior, quã verbis explicari queat, & omnibus notus: communis enim omnibus est curiositas, qua visis effectibus inquirimus illorum causas, quod euenire non posset, nisi omnibus notum esset, quid sit causa: qua tandem inuenta, & deposita admiratione quiescit ab inquisitione animus, vt non immeritò dixerit ille.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

proponitur difficultas.

2 Cæterum in re, quę videtur omnibus nota, duo faciunt difficultatem non leuem: primo, quia ad productionem ignis B. v. g. non solùm requiritur substantia ignis A, producentis, sed etiam approximatio eiusdem ad materiam combustibilem, stupam v. g. & quærenti cur ignis B, sit productus; benè respondemus tùm per existentiam, tum per approximationem ignis producentis ad combustibile, & tamen nemo dixerit illam approximationem esse causam, sed solùm conditionem: quid igitur interest inter causam, & conditionem? Secundo, fide sanctum est, in Diuinis Filium procedere, ac produci à Patre, & Spiritum Sanctum, à Patre, & Filio, nec tamen Pater est causa Filij, aut vtervo Spiritus Sancti: vt omnes Patres latini docent. Et quamuis ex Græcis fuerint, qui largiùs vsurpantes hanc vocem causam dixerint,

Patrem

Patrem causam Filij; nobis tamen strictè est loquendum cum latinis, & assignanda ratio, cur Pater in diuinis non possit dici causa Filij: quæ solui non possunt, nisi definientes causam talia prædicata illi assignemus, quæ neque conueniant in diuinis Patri respectu Filij, neque conditionibus. Igitur.

Causæ definitio.

3 Causam sic breuiter definio. Est, quæ dat esse alicui, quod neque identicè sit à se. Debet esse communis apud recentiores, quorum plerique non nisi voce ab illa discrepant. Primæ particulæ distinguunt causam à conditione pura, quæ non dat esse, sed requiritur, vt vnum det esse alteri, quid autem sit dare esse, videtur satis notum: quilibet enim dum aliquid cognoscit, & vult, experitur aliquid á se exire, quod ab ipso accipit esse: simile quid proportionaliter euenit in reliquis causis. Et sanè nemo est, qui conceptum causæ, vel obscurè attigerit, & non videat in illo hoc prædicatum. Sequentes particulæ significant illud, quod accipit esse à causa, neque per identitatem esse ens à se, per quod sufficienter causa distinguitur à principio diuinarum processionum, nam quāuis Pater Æternus det esse Filio; quia tamen hic est Deus, & consequenter ens per identitatem à se; ideò Pater Æternus licet sit principium, non tamen est causa Filij.

4 Probatur: quia ex vna parte hæc definitio bené distinguit causam à puro principio, & conditione: ex alia verò est conformis sensui Patrum, & Philosophorum, & potest, & ni fallor, etiam debet verificari iuxta principia omnium sententiarum. Et sanè Philosophi, qui ignorabant mysterium Trinitatis, putabant impossibile aliquod recipere esse ab alio, & tamen esse à se: ergo non poterant pro termino assignare aliquod, quod esset Deus, & identicé à se. Et iuxta omnia omnium, qui coharenter ad locutionem Patrum latinorum rigorosam discurrere velint, vt debent, principia; ne identicé quidem potest terminus causæ esse ens à se. Demum Patres latini ob id negant Patrem in Diuinis esse causam, & Filium effectum, quia ex S. Dionysio, quem ipsi sequuntur cap. 2. de diuinis nominibus. *Non est inter causas, & effecta perfecta similitudo, sed effecta quidem causarum, quæ possunt præferunt imagines, causæ autem secretæ sunt ab effectis, suntque principij ratione superiores.* Ex quibus colligitur effectum cum sua causa totali comparatum semper esse, quod ea imperfectius, & natura secretum, quid non potest conuenire enti à se omnium perfectissimo: ergo hic conceptus causæ est conformis sensui Patrum, & Scholasticorum omnium.

Effectus est imperfectior sua causa totali

5 Dixi: Comparatum cum sua causa totali; quia euenire potest, vt effectus sit vel æque perfectus, vel etiam perfectior sua aliqua causa non totali: vt patet sexcentis exēplis; at nunquam erit perfectior sua causa physica totali, quæ includit Deum, cuius perfectio infinitè excedit perfectionem cuiuscumque alterius. Non benè igitur quis definierit causam; quæ dat esse alicui se inferiori. Sunt enim aliquæ causæ partiales imperfectiores effectu. Per hoc verò, quod effectus sit inferior sua causa totali sequitur quamlibet causam dare esse alicui, quod neque identicè sit a se.

Quid sit causa in actu primo.

6 Aduerto autem hic definiri causam in actu secundo causantem; dare enim alicui esse, est actu illud causare, quod duo includit, si sumatur in concreto, & virtutem dandi tale esse, & dationem ipsam: non enim dat esse, nisi quod habet virtutem dandi; quid autem sit virtus datiua esse, est clariùs fortasè, quam explicari queat: quisque enim in se experitur quamdam habilitatem, & potentiam ad actus, & motus vitales, quos exercet: simile quid proportionaliter est in alijs causis in ordine ad suas actiones. Hęc autem virtus non intelligitur actu dare esse, quod potest: nisi accedat actualis datio; sicuti per virtutem ambulandi, nisi accedat ambulatio, non intelligitur homo ambulans. Hi igitur conceptus posse dare esse, & dare esse, sunt diuersi: quare si secunda exprimit causam esse causantem, vis causatiua, seu causa in actu primo erit virtus potens dare esse alicui, quod ne identicè quidem sit á se.

7 Ex quibus patet nos non definisse causam per effectum, qui terminus est fortasè obscurior causa, & statim insurgeret quæstio, quid est effectus. Sed per hoc, quod dat esse alteri, quod non habet esse á se. Quid autem sit dare esse alicui, & non habere esse à se sunt termini notiores conceptu causæ, & effectus, nec fortasè clariùs explicabiles. Illud demum aduerto, me non improbare directè alias aliorum definitiones, nisi quatenus contradicunt allatæ, in quo sensu iam sunt impugnatæ, cum necessitatem horum prædicatorum in causa positiuè probauerimus.

Vnde dignoscas causam á conditione, & effectu comitante.

8 Dices. Ad positionem alicuius rei necessariò requiruntur aliqua, quorum nonnulla sunt causæ dantes esse; aliqua conditiones, vt tales causæ dent esse; aliqua verò proprietates, & effectus necessario connexi, & comitantes rem productam: assigna igitur mihi aliquod principium, vndé possim colligere ex requisitis, hoc esse causam, illud conditionem, vel proprietatem, & effectum comitantem.

9 Respondeo. Ea, quæ comparantur ad rem productam, vt comparatur homo ad suas functiones vitales, esse causam, & virtutem productiuam; quisque autem in se experitur, dum exercet suas functiones vitales modum, quo homo comparatur, & respicit suas functiones vitales: reliqua verò se habent, vt cōditiones, & requisita.

10 Quod si velis rem vlterius explicare, dicas causam esse, quæ ita requiritur ad existentiam rei, tamquam, vel determina-

tiuum, seu exactiuum adæquatum rei, vel tamquam spectans ad complementum huius exactiui, vt habeat simul indiuisibiliter hæc duo: primum, quod non sit pura applicatio alterius ad positionem rei; secundo, vt ipsa deficiente, vel applicatione illius defectura sit res, nisi aliundè suppleatur eius defectus: quia hic conceptus non conuenit alicui conditioni: omnis enim pura conditio, vel est applicatio pura alterius ad positionem rei, vt est approximatio ignis ad lignum, vel ita est necessaria ad positionem rei, vt ea deficiēte adhuc res perseueret in suo esse, quamuis non suppleatur eius defectus: sic materia disposita est conditio ad primam productionem animæ rationalis non causa; quia deficiente ea materia disposita adhuc perseuerat anima, etiam si defectus materiæ non aliundè suppleatur. Quæ omnia videtur paucis illis cōprehendisse Quiros. Quidquid non alio titulo, quam influxus requiritur ad actionem, causa erit: si verò alio, conditio. Ita Suar. *disp. 27. sect. 2. n. 5.*

cur effectus à quo causa à posteriori pēdet, non est causa suæ causæ?

11 Vrgebis 3. cur effectus à quo à posteriori dependet causa, non est causa? Respondeo. Quia non complet exactiuum, seu tractiuum suæ causæ ad essendum, sed potius causa ex quadam sua fœcunditate necessariò illum trahit, ideoque intentionaliter existens in mente Dei, exigit, vt non producatur; nisi adsit simul decretum de concurrendo cum ipsa ad productionem illius effectus, & vidimus *disp. 2.*

Quid de causa intrinsecè cōponente.

12 Vrgebis iterum. Hæc non verificantur de causa intrinsecè componente. Respondeo primo, mihi esse satis probabile intrinsecè componentem non esse propriè causam. Secundo etiam causa intrinsecè componens est suo modo exactiuum compositi: cum sit essentialiter pars, & ita vt non sit neque pura applicatio, neque ea deficiēte preseueret res.

Quid de libera.

13 Vrgebis. Hæc non conueniunt causæ liberæ, quæ non potest esse exactiua, aut determinatiua effectus: aliter hic non esset liber, vtpotè procedens à principio determinato ad vnum. Nego assumptum, & eius probationē: sicuti enim causa libera differt à necessaria, per hoc, quod libera operetur cum indifferētia antecedente; necessaria sit ex se independenter ab effectu determinata ad illum: ita causa libera præciso effectu est exactiua, & determinatiua, seu potens determinare effectum cum antecedente indifferentia; necessaria verò cum antecedente determinatione causali.

14 Aduerto primo. Congruentius negari inter Personas diuinas dependentiam vnius ab alia: tum quia illam negat Bessarion in Concilio Florentino *orat. pro vnione*; tum quia videtur indicare quamdam limitationē, & non meram connexionem necessariam. Ratio est, quia dependere est indigere alio; quod autē alio indiget non est sibi sufficiens. Omne verò quod est Deus, est sibi sufficiens, imò est ipsa sufficientia; nulla igitur persona diuina dependet ab alia.

Aliorum mens circa distinctionem causæ à cōditione

15 Aduerto secundo. Nonnullos causam distinguere à conditione; quia variata causa, variatur effectus, & actio; non autem variata conditione. Sed contra; quia nonnunquam deficiente conditione, & perseuerante virtute causatiua, deficit actio, & effectus; vt cum sole recedente inducuntur tenebræ. Quod si dicas discrimen esse, quod si perseuerat causa, etiam si non perseuerat eadem conditio, sed alia loco illius subrogetur, perseuerat effectus; adhuc vrgeris, quia ablata causa, si alia subrogetur, perseuerat effectus, & sicuti non quæcunque causa sufficit ad productionem effectus huius; ita non quæcunque applicatio, sed huius causæ. Alij cum Gattino possunt dicere causam esse, cui bonus est effectus. Sed contra, quia anima rationalis est bona materiæ, nec tamen hac est causa, sed conditio respectu illius. Non negauerim tamen inter effectum, & causam esse quamdam specialem proportionem, & similitudinem, ratione cuius effectus declaret prædicatum speciale causæ, sed profectò difficilè nosces, quanta debeat esse ea similitudo; cur item anima rationalis non declaret aliquam perfectionem materiæ, sicuti reliquæ formæ; hæ igitur regulæ non sunt firmiores illa, quam supra attulimus: dicere autē, quod causa communicat effectui perfectionē, nisi explicetur modo supra à nobis posito, relinquit rem inexplicatam.

Prædicata duo actionis.

16 Aduerto tertio. Absolutè veram esse doctrinam, quam tradit Pallauicinus *t. 2. disp. 4. q. 2. art. 12.* in actione, seu causalitate, quæ est datio, qua vnum confert esse alteri, duo prædicata inueniri; primum, quod sit quædam emanatio, qua vnum ab alio fluit, eo veluti modo, quo à fonte fluunt riuuli, & actus vitales à nostris sensibus: & hoc prædicatum depuratum imperfectionibus inuenitur in diuinis processionibus. Secundum est; quod sit quædam subiectio rei productæ respectu principij productiui, à quo liberè procedit, ratione cuius subiectionis verificatur, quod aliqua causa cum prædominio dederit esse tali effectui; quia nimirùm ita voluit cum potuerit absolutè velle oppositum. Hoc autem colligitur ex summa perfectione Dei, ad quam spectat habere omnia extra se hoc modo sibi subiecta, & illa quantum est ex se modo perfectissimo operari, videlicet cum summa sapientia, & libertate, præuidendo omnia, cum quibus res illa habet connexionem, vel repugnantiam; ac singula ponderando, quæ ad illius productionem possunt condocere, vel ab illa remouere: vt demum ex sua libertate eligat potiùs ex hoc, quam illo motiuo. Similis subiectio, & magis nota, inuenitur in nobis respectu nostrorum actuum liberorum, quos ex præuia cogni-

gnitione singularum circumstantiarum elicimus cum prædominio, ita vt sint, quia volumus, qui modus operandi non habet locum in processionibus diuinis.

17 Ex hoc modo operandi Dei ad extra sequitur, omnem influxum causatiuum esse ab intrinseco defectibilem, quia ita est, vt potuerit non esse. Cæterum hæc defectibilitas non est fortasse primus conceptus causalitatis, qui etiam illa præcisa, vt vidimus, habetur.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit actus primus, & de prioritate naturæ.

1 IN qualibet causalitate hæc omnia inueniuntur, primo effectus cui contingenter datur esse. Secundo, causalitas, per quam effectus determinatur ad essendum, & est ipsa datio esse. Tertio demum causa, quæ dat esse, & habet vim determinandi effectum, vt sit. Quod enim contingens est, & potest non esse, indiget alio, à quo determinatur vt sit, non enim potest seipsum determinare, vt sit, neque primo producere; omnis enim productio ordinatur ad ponendum aliquod diuersum in mundo.

Vt causa causet, debet esse expedita, & proximè potens.

2 Iam verò vt causa producat effectum, non sufficit, si existat, sed requiruntur aliquæ aliæ conditiones; talis est propinquitas agentis ad passum; ignis enim semper habet eamdem virtutem comburendi, & tamen si approximetur stupæ illam comburit, quod non præstat, dum est distans. Virtus igitur causatiua præcisis hisce conditionibus est impedita, & remota: per additionem autem illarũ fit proxima, & expedita: quia præcisis illis conditionibus non sequitur, nec sequi potest effectus, sicuti sequitur illis positis: potentia autem proxima est, quæ sufficit ad ponendũ effectum, & vltra quam nihil aliud requiritur: illæ igitur conditiones complent virtutem causatiuam in ordine ad effectum, non addendo aliquid virtutis, sed illam ita afficiendo, vt possit immediatè prodire in effectum, eiusque existentiam determinare.

Vt causa sit proximè potens requiritur omnipotentia applicata per decretum.

3 Eadem virtus productiua creata præter has conditiones, requirit ad productionẽ effectus diuinam omnipotentiam applicatam per decretum de concurrendo: nam omnia effectus creatus, si est, necessariò dependet à Deo, vt ab agente perfectissimo operante per intellectum, & voluntatem, idque ob perfectionem Diuini esse exigentis essentialiter, vt omnis res extra se ab ipso, modo dicto dependeat: ergo causa creata, vt sit proximè potens operari, debet habere consortiũ Diuinæ omnipotentiæ applicatæ per decretũ liberum de concurrendo cum illa ad effectum; quamuis non eodem modo Diuina omnipotentia applicetur per decretum liberum causis necessarijs, ac liberis, vt suppono, & fortasse fusiùs alibi dicam.

Quid sit actus primus completus.

4 Omnia igitur hæc, quæ requiruntur, vt causæ dent esse effectui, se tenent ex parte actus primi, & illum constituunt quare actus primus completus est causa proximè, & expeditè potens producere, seu determinare existentiam effectus: quæ autem constituunt hoc modo causam completè potentem sunt, actus primus incompletus, seu partes illius; hæc igitur omnia habent respectu effectus aliquam prioritatem, & sunt priora illo; sicuti effectus ipse, & productio sunt actus secundus, & posterius quid respectu actus primi.

Quid sit vnum esse natura prius alio, quid esse posterius.

5 Quæres ergo primo, quid sit vnum esse priùs natura alio? Respondeo. Prioritatem ex suo genere esse ordinem, quo vnum additur alteri, itaut dicatur prius, cui fit additio, quod autem additur sit posteriùs. Iam verò illa, quibus fit additio aliquando non adduntur alijs, & hæc sunt non solùm priora; sed absolutè prima: in quo sensu Deus est primum ens, quia non additur alteri, sed ipsi adduntur cætera. Non negauerim tamen primum nonnumquam sumi negatiuè, pro eo quod nulli additur, quamuis ipsi nihil addatur; verum hoc non erit prius, quod necessariò dicit posterius: aliquando illa, quibus fit additio, adduntur alijs; & hæc sunt posteriora respectu illorum, quibus ipsa adduntur. Demum ijs, quæ alijs adduntur, nihil aliquando additur, & hæc sunt absolutè posteriora, & vltima.

Quinque prioritatis classes:

6 Prioritatis autem quinque dantur species, prioritas videlicet designationis, loci, temporis, dignitatis, & naturæ, quibus addi potest prioritas secundum subsistendi consequentiam, quam explicauimus in logica. Ex his primæ duæ, designationis videlicet, & loci dependent ferè semper ab hominum voluntate, neque enim cum plura numeramus est aliqua necessitas, cur potiùs vnum, quàm aliud ponamus primo, vel secundo loco; sicuti cum plura sunt in loco, nulla est regulariter necessitas ex parte obiecti, cur potiùs vnum, quàm aliud dicatur esse in primo, quàm in secundo loco. Reliquæ prioritates videntur esse in rebus independenter à libertate: nam vnum tempus non est indifferẽs vt sit priùs, vel posteriùs respectu alterius determinati: & quæ sunt digniora videntur ex se exigere, vt prius cognoscantur, colantur, & curentur: causa verò cum omnibus requisitis ad causandum, quæ est prior natura, non est indifferens, vt sit prior, vel posterior respectu effectus, sed si effectus erit, necessariò causæ superadditur.

Aliquis ordo, & prioritas est liber, alius necessarius

7 Aduerto hic ex Mauro, licet ordo inter res numeratas, & locatas sit liber; ordinem tamen inter cognitiones numerantes esse necessarium: illa enim cognitio, qua numerando constituo Petrum, primum essentialiter habet talem modum tendendi, quo

constituat illum primum, & nulli superadditum, & cognitio, qua constituitur Franciscus secundus essentialiter habet constituere illum secundum, & additum primo, aliter etiam stantibus illis cognitionibus neque Fräciscus esset secundus, neque Petrus primus. Quod si numeratio fiat vnico actu, tunc essentialis est illi actui modus tendendi, qui indiuisibiliter constituat vnum priùs, aliud posterius: totus tamen hic ordo est extrinsecus obiecto, accidentarius, & dependens à voluntate.

8 Loquendo igitur de prioritate naturæ, quę propriè spectat ad nos, definiri potest; prioritas causalitatis, ratione cuius illud, quod causatur, additur actu alteri, hoc est omnibus ijs, quæ constituunt potentiam causatiuam, & determinatiuum completum; per ipsam enim causalitatem, ita aliquod, quod non est à se ipso, intelligitur determinari, vt sit ab alio; vt intelligatur etiã superaddi omnibus ijs, quæ constituunt causam, & determinatiuum completum, vt ipsum sit.

9 Quod si petas, cur per causalitatem effectus intelligitur superaddi causę, non causam effectui? Respondeo, quia per causalitatem formaliter effectus fit de nouo, non causa; supposita autem connexione inter duo, illud alteri superadditur, quod de nouo fit, nõ quod aliundè supponitur.

10 Dices primo. Causa completa est simul in eodem instanti cum effectu; ergo respectu effectus nullam habet realem prioritatẽ; sed solùm per intellectum; quia videlicet cõcipimus illam, vt quid antecedens effectũ, cum re vera sit simul: ergo hæc prioritas naturæ, vel est mera chymæra, vel sita est in modo tendendi intellectus imperfecto. Nego primam consequentiam. Neque enim omnis prioritas realis est prioritas temporis. Et quidem quod prioritas naturæ sit realis, patet, quia est ipsa causalitas, per quam effectus superadditur causæ, vt probauimus. Quod sic vlterius confirmo. Quamuis per causalitatem causa, & effectus necessariò mutuo connectantur; tamen per illam potius causa trahit effectum, quam trahatur ab effectu: quia causalitas supponit essentialiter in causa completa vires vltimò potentes determinare, vt effectus sit: ergo supponit vim, qua causa possit trahere effectum; & per ipsam veluti per vltimam determinationem formalem causa actu trahit effectum ad esse; at eadem causalitas per se loquendo non supponit in effectu eam virtutem tractiuam, & determinatiuam.

11 Ex quibus patet prioritatem naturę bene explicari independenter ab illa conditionali, quod si natura successiuè procederet quoad tempus, causa deberet prius tempore existere, quam effectus. Et quidem prioritas temporis impertinenter se habet ad causalitatem: quarè dicere, quod si natura procederet in causalitatibus successiuè quoad tempus, causa deberet prius tempore existere, idem est, ac dicere, quod si natura exigeret in ordine ad causalitatem conditionem aliquam impertinentem, causa tali conditione gauderet.

Prioritas temporis impertinenter se habet ad prioritatem naturæ.

12 Dices. In illis circumstantijs dictam conditionem non esse impertinentem. Sed contra; quia absolutè est impertinens, & tamen chymæricè à te fit pertinens. Præterea in ea suppositione, non quia precisè vnum præcederet tempore aliud, esset causa illius; quid igitur aliud requiritur, nisi causalitas à nobis explicata, quod est fundamentum illius veritatis cõditionalis; & quod debet assignari, & cum difficultate assignatur ab aduersario?

13 Dices secundo. In primo instanti simul extiterunt sol, & lux mutuo connexa, cur igitur potius sol causat lucem, quam lux solem? Respondeo. Quia supponimus eam esse connexionem, quæ & supponat in sole vim determinandi existentiam lucis, & sit exercitium, quo actu sol determinat existentiam lucis. Quod si à me petas, vndè in singulis casibus, quando intercedit illa connexio, possimus cognoscere vnum potius, quàm aliud esse determinatiuum, & causam? Respondeo. Id non spectare ad præsentem quęstionem, in qua veluti in genere quærimus, quid sit causalitas? quid prioritas? Attamen in singulis casibus non desunt iudicia, & circumstantię; ex quibus possimus id colligere: recensere autem illa indicia est valdè longum, & à pręsenti instituto alienum.

14 Illud hic aduerto. Deum ad exigentiã causę secundæ ex se præparatæ ad productionem effectus, veluti moueri, vt liberè applicet suam omnipotentiam ad producendum simul cum ea causa secunda effectum; ea autem applicatione posita dictam causam secũdam intelligi proximè accinctam ad causandum. Attamen non omne, quod requiritur ad complementum actus primi, debet à Deo præuisum veluti ipsum Deum mouere ad dictam applicationem: nam ipsum decretum, & applicatio spectat ad complementum actus primi, & est determinatiuum existentiæ effectus; neque tamen debet præuisa mouere ad applicationem.

15 Dices tertio. Cur cum Aristotele 4. *metaph.* c. 11. non definimus priora. *Quæcunque contingunt absque alijs esse, ista verò sine illis minimè.* Respondeo primo. Quia hæc non est definitio Aristotelis, sed Platonis. Quare illicò subdit Philosophus (qua diuisione vsus est Plato.) Cæterum idem Philosophus *in prædicamentis, cap. de modis prioris,* videtur requirere ad prioritatem naturæ mutuam extremorum connexionem. *Eorum,* inquit, *quę essendi consequentia conuertuntur, alterum quod est causa quouis modo, vt alterum sit, prius natura non incongruè dici potest.* Secundo actus primus vltimo cõpletus est pro eodem instanti inseparabilis ab effectu, quo est prior: hæc ergo separabilitas

Priora secundum naturam non necessariò possunt separari à posterioribus.

non

non mutua, non est de essentia prioris secundum naturam. Profecto stante actione non minus causa est inseparabilis ab effectu, ac effectus à causa: ea actione præcisa, & causa potest aliquando esse sine hoc effectu, & effectus sine hac causa.

16 Dices quarto. Cur definitionem Platonis non explicamus cum aliquibus de inseparabilitate non mutua secundum esse intentionale, ita vt causa possit intelligi existens sine existentia effectus, qui nequeat intelligi existens sine existentia causæ. Respondeo. Quia nullam habeo necessitatem recurrendi ad hanc non mutuam separabilitatem intentionalē. Deinde decretum Dei efficax nō potest intelligi existens sine existentia rei volitæ respectu cuius est causa.

17 Ex dictis infero primo; prioritatem, & posterioritatem naturæ esse formaliter causalitatem. Secundo inter diuinas Personas nō intercedere prioritatem naturæ, quia vna nō dat esse alteri, quæ neque indenticè sit à se, & Deus. Negari tamen non potest inter illas aliqua prioritas originis, quam Diuus Thomas vocat ordinem originis; verè enim vna persona procedit, & recipit esse ab alia.

18 Infero tertio. Causalitatem ipsam nō esse priorem, vt quod respectu effectus, sed vt quo; quia nimirum non est id, cui fit additio, sed ipsa additio, & prioritas. Sunt qui putant causalitatem esse priorem effectu prioritate non in quo, sed à quo: prioritas in quo est iam explicata inter causam, & effectum; prioritas à quo est prioritas originis inter principium, & terminum etiam identicé à se; talis est ordo inter diuinas Personas. Verùm neque hanc prioritatem originis rigorosè participat causalitas respectu effectus: cum verè non sit eius principium, nec det illi esse. Hinc obiter reijcio Lynceum asserentē prioritatem in quo, includere prioritatem temporis, nulla enim est huius inclusionis necessitas, cum præsertim omnes dicant solem respectu suæ lucis esse priorem in quo, & nemo dixerit, quod illam tempore præcesserit.

19 Vrgebis primo. Effectus additur causalitati; ergo causalitas est prior effectu. Distinguo antecedens. Additur causalitati tanquam terminus additioni: concedo; tanquam recipiens danti; nego. Et distinguo consequēs: ergo causalitas est prior effectu, vt quo; concedo; vt quod; nego; effectus additur aliquo modo causalitati, quia aliquod plus est effectus cum causalitate, quàm sola causalitas. Cæterum effectus, & causalitas non comparantur vt dans, & recipiens esse; sed effectus vt recipiens, & causalitas vt, quo datur, & recipitur esse. Neque item comparatur effectus, & causalitas tanquam id, quod additur cum eo, cui fit additio; sed tantum vt id, quod additur, cum eo, quo fit alteri additio. Quod sufficit, vt causalitas dicatur respectu effectus prior, vt quo.

20 Instabis. Causalitas est simul prioritas, & posterioritas: cur igitur constituit causam priorem, & effectum posteriorem? Respondeo. Quia comparatur ad causam tanquā ad determinatiuum; ad effectum verò tanquā ad determinatum; quarè per illam causæ fit additio, effectus verò superadditur. Neque nouum est eandem formam cum diuersis subiectis constituere diuersos effectus formales.

21 Instabis iterum. Ipsa causalitas est nè posterior causa? Respondeo affirmatiuè. Sed per se ipsam: est enim aliquod superadditum causæ, & recipiens ab illa esse, non per aliud distinctum, sed per se ipsam immediatè: implicat enim esse, & non ab illa causari.

22 Instabis tertio. Causalitas non est prior, vt quod: ergo non potest constituere causam priorem, vt quod. Nego consequentiam. Sicuti visio non est visum, & constituit obiectum visum.

23 Instabis quarto. Causalitas supponit prioritatem; ergo non est prioritas. Antecedēs probatur. Causalitas supponit actum primum completum; sed in actu primo completo includitur prioritas. ergo causalitas supponit prioritatem. Minor probatur. Actus primus cōpletus exigit essentialiter, vt illi fiat additio per causalitatem: ergo essentialiter est prior. Nego antecedens. Ad cuius probationem, nego minorem, & ad illius probationem distinguo consequens: essentialiter est prior, veluti radicaliter concedo: formaliter, & veluti in actu secundo: nego. Præcisa causalitate causa cum omnibus requisitis non est formaliter prior effectu, neqné formaliter actus primus: quia non dum est id, cui fit additio, est tamen, & actus primus, veluti denominatiué, hoc est illud, quod denominatur actus primus, & exigitiuè, quia exigit prioritatem; igitur in actu primo completo denominatiuè sumpto non includitur, neque effectus, neque negatio effectus: quia in illo tantùm includi debent causæ, & conditiones ad productionem effectus requisitæ: sed neque effectus, neque carentia effectus est causa, vel conditio ad productionem effectus: ergo, &c.

24 Dices. In eo priori signo, in quo intelligitur causa cum omnibus requisitis, non intelligitur effectus; ergo intelligitur negatio effectus: in quocumque enim signo debet esse alterum ex contradictorijs. Confirmatur, non est vera hæc propositio effectus est in eo priori signo: ergo vera est contradictoria, effectus non est id eo priori signo: ergo vera est hæc negatio effectus est in eo priori signo; neque enim per aliud verificari potest ea propositio, quàm per carentiam effectus. Nego consequentiam. Ad rationem in contrarium nego assumptum. Neque enim minus, quod non præstatur, & totum, quod non constituitur ab vno contradictorio, debet præstari, & constitui ab alio: aliter quia

iguis

ignis non causat Deum, carentia ignis deberet causare Deum. Signa igitur illa sunt plura constituta, quorum vnum est causa alterius: quare in illo signo, in quo est actus primus, non esse effectum, solùm significat effectum non constituere illud signum, & actû primum, ex quo malè inferes carentiam effectos illud constituere. Ad confirmationem. Nego secundam consequentiam. Verificatur illa propositio, quia effectus non constituit actum primum, vt dicebam.

Quę possibilitas spectet ad actū primum

25 Quæres secundo. Vtrum possibilitas effectus spectet ad actum primum? Respondeo: Possibilitatem actiuam, & extrinsecā rei possibilis sitam in Diuina omnipotentia se tenere ex parte actus primi: hoc est certum. At possibilitas passiua contingens, quæ modo est, modo non est: & est ipsum esse rei, certè non se tenet ex parte actus primi, quia quando est, est ipsissimus effectus, & actus secundus: quando autem non est, non potest eius carentia complere actum primū: aliter vnum contradictorium esset necessariū complementum actus primi, quod adæquatè est productiuum alterius contradictorij.

26 Quæres tertio. Vtrum remotio impedimenti pertineat ad actum primum? Respondeo. Impedimenta esse alia amouibilia per operationem, vt frigus, quod impedit, ne calor producatur ab igne in ligno à se informato, est impedimentum amouibile per actualem operationem: quia per productionem caloris expellitur frigus, & huius impedimenti remotio, non est, cur sit necessaria ad actum primum: est enim effectus actus secundi. Alia impedimenta sunt inamouibilia per operationem, vt distantia agentis à passo, & præsentia agentis validioris; quæ nequeunt remoueri per operationem causæ. Et de his.

Remotio impedimenti inamouibilis spectat ad actum primum.

27 Dico. Eorum remotionem spectare ad actum primum: Probatur. Impedimentum inamouibile de facto impedit actionem: ergo cum illo causa necessaria, de qua loquimur, non est in actu primo completo: ergo vt sit in actu primo completo requiritur carentia talis impedimenti. Prima consequentia probatur. Causa necessaria si potest necessario operatur: ergo si cum impedimento inamouibili non operatur, signum est, quod non possit; ergo signum est, quod non sit in actu primo proximo, & completo, aliter cur non sequitur operatio?

Allata doctrina non pugnāt cū agentium contrariorum resistētia.

28 Vrgebis cum Ouiedo. Si ad complementum actus primi requiritur carentia impedimenti inamouibilis, non datur resistentia inter causas necessarias, & oppositas, quod est absurdum. Maior probatur. Ad resistentiam duorum agentium requiritur, quod vtrūque sit in actu primo completo. Sed si ad actum primum requiritur carentia impedimenti, nunquam duæ causæ contrariæ sunt in actu primo completo; aliter haberentur duæ causæ necessariæ completæ ad duos effectus incompossibiles. Hinc argumentum, ni fallor, probat contra auctorem, absolutè nunquam haberi resistentiam, quia nunquam habentur duæ causæ completæ ad effectus oppositos: aliter vel vterque, vel neuter effectus deberet poni. Nego igitur sequelam. Ad cuius probationem. Nego maiorem de actu primo completo ad effectus contrarios: vt enim ignis, & aqua approximata sibi resistant, & agant inuicem, & patiantur, sufficit, si aqua frigida, vt octo, & ignis itidem calidus, vt octo inuicem approximata sint in actu primo proximo completo ad producendum in contrario aliquid suæ qualitatis frigoris, aut caloris, & sua præsentia impediant, ne vltra progrediatur agentis contrarij actio, in ordine ad quos effectus nullum adest impedimentum inamouibile, nec effectus producti repugnant simul tempore existere, cum respiciant diuersa subiecta.

Existentia causæ requiritur ex parte actus primi.

29 Quæres quartò. Vtrum existentia causæ requiratur ex parte actus primi ad causandum? Respondeo affirmatiuè. Et dico requiri tanquam virtutem causatiuam: nam si præcisa existentia causa habet virtutem causandi adequatam, etiam approximatio præcisa existentia haberet vim conditionis, & applicandi causam, & combustibile vim recipiendi formam: ergo causa præcisa existentia haberet virtutem applicatam subiecto combustibili, & Deus ad exigentiam illius deberet applicare omnipotentiam ad cōcurrendum: imo per decretum possibile sufficienter intelligeretur applicata Diuina omnipotentia.

30 Obijcies primo. Potest causa operari in subiecto sibi immediato, licet non sit eū illo in eodem loco: ergo poterit operari in tempore, in quo non est, si immediatè ante præcesserit. Nego consequentiam. Quod enim simpliciter non est in hoc tempore, nullum habet esse: ergo non potest illud alteri communicare; quod autem non est penetratum cum passo, habet simpliciter esse; ergo poterit illud alteri communicare.

31 Obijcies iterum. Homo moritur quando non est; ergo operatur quando non est. Nego consequentiam. Mors enim hominis non est eius operatio, sed defitio tùm vitæ, tùm operationis: neque per mortem homo mutatur, sed destruitur; illud enim propriè mutatur, quod perseuerat sub vtroque extremo opposito.

32 Aduerto hic primo: Eum, qui prioritatem naturæ iuxta definitionem ab Aristotele ex Platone allatam ita explicaret, vt deficiente causa, vel aliqua conditione se tenente ex parte actus primi, nulla alia facta mutatione necessariò deficiat effectus: at si purè deficiat effectus, nulla alia facta mutatione, nō defecturam causam, aut conditionem; licet assignet prædicatum commune omni causæ, & priori

priori secundum naturam: non tamen explicare naturam prioritatis per prædicatum essentiale, & primarium: nam ex primario cōceptu prius est, cui aliud superadditur; ex quo sequitur, quod si præcisè deficiat effectus, nulla alia facta mutatione, non debeat deficere causa.

33 Aduerto secundo. Explicationem, quam 1. 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *art.* 10. propè finem tradit Pallauicinus; videlicet prius secundum naturam esse, quod per sui existentiam mouet intentionaliter, vel vt quod tāquam obiectum; vel vt quo tamquam ipsa volitio, causam dominatiuam, & principalem, ad volendum existentiam alterius, licet possit reduci ad nostram; displicere tamen posse, quia in explicatione prioritatis vtitur conceptu disiunctiuo, cum alias possit explicari vnico conceptu, vt nos facimus. Deindè nullum obiectum creatum est secundum suum esse physicum ratio, cur Deus aliquid velit, quamuis multa creata sint ratio, cur alia sint, vt fusius probabo 2. parte.

SECTIO TERTIA.

Vtrum possibilis sit mutua causalitas, & prioritas.

1 DAri mutuam causalitatem, seu causarum mutuam prioritatem, est causam pro eodem instanti, quo causat effectum causari ab illo. Dixi pro eodem instanti: quia nulla communiter iudicatur esse repugnantia, propter quam causa, quæ prius causauit effectum, non possit tempore sequenti ab illa recausari. Tripliciter autem excogitari potest, quod duo mutuo se causent pro eodem instanti: primo quo ad primum esse, & in eodem genere, vt si ignis v. g. efficienter, & primo, hoc est per actionem, quę pro eodem instanti non supponat aliam actionem productiuam eiusdem ignis, causetur à suo effectu, quem primo, & efficienter producit. Secūdo quoad primum esse, sed in diuerso genere, vt si forma causetur materialiter à materia, quam ipsa formaliter primo causat. Tertio demum quoad secundum esse, vt si ignis, qui supponitur aliundè productus à suis causis per actionem adæquatam, per aliā actionem item adęquatam secundo, licet in eodem instanti, producatur à suo effectu, quem actu producit; siuè demum sint causę eiusdem, siue diuersi generis.

2 Dico primo. Repugnat inter causas reales mutua prioritas, quoad primum esse, tum in eodem, tum in diuerso genere causæ. est communior apud recentiores opinio, quā sequuntur Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Giattinus, Delugo, Pallauicinus, Maurus, & alij passim. Probatur. Admissa mutua causalitate, quoad primum esse reale inter ignem a, & ignem b, ignis a, in hoc instanti est proximè potens causare ignem b: ergo est respectu ignis b, determinatè existens, & respicit eūdem ignem b, vt non dum existentem, sed vt à se determinabilem ad existendum: ergo pro eodem instanti ignis, a, non expectat suam primam existentiam ab igne b, quod enim determinatè existit, non expectat suam existentiam pręcipuè ab eo, quod non dum determinatè existit, & est ab ipso ad existendum determinabile. Rursus pro eodem instanti est proximè potens causari ab igne b, ergo est proximè potens determinari ad existendū ab eodem igne b, ergo expectat ab illo existentiam; ergo admissa mutua causalitate ignis a, expectat, & non expectat ab igne b, existentiam, & quidem pro eodem instanti est proximè determinabilis ab eodē, ad primo existendū, & non est proximè determinabilis ad primo existendum. Hæc contradictio in eo fundatur, quod admissa mutua causalitate non solum ignis, a, & ignis b, mutuo se causant, sed etiam ea mutua causalitas supponit, quod ignis a, sit proximè potens causare ignem b, & ab eodem igne b, sit proximè potens causari, & idem verificatur de igne b, comparato cum igne a.

Repugnat absolutè mutua causalitas quoad primum esse.

3 Vbi notandum est. Allatam repugnantiam non solum: quia diuersa actione producatur ignis, a, ac producat ignem, b, nam ea diuersa actio, sicuti necessariò supponit ignem, a, proximè potentem pro eodem instanti producere ignem b, & ab igne b, proximè potens produci; ita necessariò trahit dictam contradictionem: neque verò mitigatur formalis contradictio, quia vnum contradictoriū oritur ex vno, alterū ex altero capite: neque enim aer potest simul esse lucidus à sole, & tenebrosus ab alia causa. Secundo ad hanc nostram reuocari posse alias rationes, quæ communiter afferuntur: videlicet, quod causa causat, quia est, non vt fit, & similes, sed non vacat omnia recensere. Tertio, si causa à suo effectu recausetur pro diuerso instanti, non vrgere allatam rationem, quia nullum est absurdum, quod causa pro vno instanti, quo causat non expectet esse ab effectu, quod expectet pro alio, quo non causat.

4 Ex allata ratione duas alias formo, prima est; causa præsertim necessaria proximè potens causare est ratio cur effectus sit: quod est vel prædicatum primarium, vel saltem proprietas essentialis causę, quis enim neget causam esse rationem per quam respondemus quærenti, cur res sit. Igitur essentiale causę est posse per illam benè responderi interroganti, cur res sit: sed admissa mutua causalitate inter ignem, a, & ignem, b, non benè responderetur per causam, interroganti cur res sit: nam admissa mutua causalitate interroganti cur ignis a, sit: respondere debes: quia ignis, b est, & interroganti cur ignis, b, sit, respondere debes, quia ignis, a est; quæ est vitiosa responsio continens circulum, & pe-

titio-

titionem principij, nec potens animum quietare: & quidem: si vlterius quæram: cur hoc binarium ignis, a, & ignis b, est? non potes respondere, nisi quia ignis a, & ignis, b, est: ac tandem tota quęstio cur ignis a, est, resoluetur in illam responsionem, quia ignis, a, est, quę est responsio vitiosa: ergo mutua causalitas pugnat cum conceptu causæ; & causa pro eodem instanti primo causata à suo effectu esset, & non esset causa. Confirmatur. Quia repugnat processus in infinitum in causis per se: quia inquirendo causam rei, non possemus pedem figere, neque inquirendo cur res sit, animum per veritatis inuentionem quietare: ideoque opus est ad vnum principium incausatum deuenire, vndè reliqua procedant. Idem autem sequitur admissa mutua causalitate.

5 Secundam sic propono. Prius formaliter, vt prius est independens ex genere suo à posteriore, neque retenta prioritate potest fieri illo posterius: ergo causa, quæ est prior natura effectu, non potest retenta prioritate fieri illo posterius, & ab eo causari. Antecedens constat primo inductione ex reliquis prioritatibus, nam quod est prior tempore non potest secundum idem esse, & retenta prioritate fieri posterius eo, respectu cuius est prius; eadē est ratio de priori secundū locum. Secundò, quod est absolutè primum non potest retenta prioritate fieri alio posterius secundum esse. Tertio prioritas, vt vidimus est ordo, quo vnum superadditur alteri præiacenti: ergo, quod accedit, & est posterius, ac superadditum necessariò supponit prius iam positum: ergo non potest accedere ad illud idem post se trahendum, saltem secundum idem esse: quia si est diuersum esse, non est illud idem. Hę rationes vrgent mutuam causalitatem, quoad idem primum esse, tùm in eodem tùm in diuerso genere causæ.

6 Dices regressus demonstratiuus non est vitiosus: ergo neque mutua causalitas. Nego consequentiam. Quia in regressu demonstratiuo ad probandam præmissam assumitur quidem consequens, ex illa illatum, sed aliundè notum ex alijs principijs: quare in assignanda ratione præmissæ non fit regressus ad eandem præmissam, qui est circulus vitiosus, & petitio principij, sed recurrimus ad alia principia, in quibus tandem pedem figimus: at admissa mutua causalitate regressus fit ad eandem rem, de qua quærimus, vt diximus.

Si altera intentionaliter, altera realiter causet, non repugnat inter illas causas mutua causalitas.

7 Obijcies 1. Potest bonitas, sanitatis causare finaliter medicinam; & recausari efficienter ab illa: ergo non implicat mutua causalitas saltem in diuerso genere. Distinguo consequens, Non implicat mutua causalitas inter causas ambas realiter influentes; nego: quarum altera realiter, altera intentionaliter influit; transeat consequentia. Ratio autem est; quia causa intentionaliter causans, qualis est finis, non debet supponi secundum suum esse reale existens, & determinare existentiam effectus, sed sufficit, quod existat eius esse intentionale amor videlicet, & cognitio; ergo benè potest causari à medijs secundum esse reale: nullum enim est absurdum, quod cognitio, & amor finis causent media, & finis ipse realiter causetur à medijs, non enim idem est causa, & effectus, neque determinatiuum simul, & indifferens, ac expectans determinationem respectu eiusdem.

Non datur mutua causalitas, quā do vehemens ventus aperit fenestram, & ingreditur.

8 Obijcies secundo. Quando vehemens ventus ingreditur, & aperitur fenestra: apertio fenestræ est causa ingressus venti, & ingressus venti est causa apertionis fenestræ, quia ventus non ingreditur, nisi aperta fenestra, neque fenestra aperiretur non ingrediēte vento: ergo datur mutua causalitas. Nego antecedens. Vterque enim effectus procedit ab eadem causa, nempè à uirtute venti, qui vincendo resistentiam fenestrę, & aliorum obstantium causat nouam illam vbicationem tum sui, tum fenestræ. Et sanè in hoc, & similibus casibus causa vtriusque effectus est determinatiuum, & ratio, cur existat illud binarium, cuius vna pars non potest in his circumstantijs ab aliqua causa produci sine alia parte; sunt igitur illi duo effectus simultanei, sicuti per multos sunt duo modi relatiui, duæ semiuniones, & partes minimi.

9 Ratio autem est, ut aduertit Requesenius doctissimus Magister meus, quia causa aliquando habet proportionem cum vno tantùm effectu, aliquando cum simultate pluriū, si præsertim talis simultas sit bona causæ, neque resistentia contrarij vinci possit in ordine ad vnum, quin vincatur in ordine ad alium effectum; vt euenit in casu nostro, in quo resistentia fenestræ non potest vinci in ordine ad ingressum venti, nisi vincatur, quoad fenestræ apertionem, ne ventus penetretur cum fenestra: ad illas propositiones si non esset ingressus venti, non aperiretur fenestra, &c. dico esse ueras; quia solùm significant connexionem effectuum propter dependentiam ab vna causa sine ulla prioritate inter illos. At si propositiones fiant causales; v.g. quia est ingressus uenti, &c. negandæ sunt; significant enim causalitatem unius effectus in alium.

Neque cum duo baculi aut scalæ mutuo se sustentant.

10 Hinc soluo exemplum baculorum, qui se mutuo sustentare uidentur: nego enim baculorum ubicationes se mutuo causare, sed utramque simul ab eadem causa in illis circumstantijs causari, & si una deficiente deficit alia, id est, quia deficit utriusque causa. Sciendum autem est, huiusmodi ubicationes fuisse primo causatas ab agente extrinseco, quod applicauit illos baculos, cessante autē actione illius, conseruatur utraque ubicatio à grauitate, duritie, & alijs perfectionibus utriusque baculi: cessante enim motus antecedente grauitas utriusque, & aliæ circumstantiæ exigunt illas ubicationes conseruari, dum non aduenit agens ualidius exigens carentiam

sentiam illarum vbicationum, per productionem motus, vel distantię baculorum. Quod si via, non esse in grauitate, & alijs circumstantijs vim conseruandi illas vbicationes, dico conseruari à Deo ad exigentiam grauitatis, & aliarum circumstantiarum, tamquam ab auctore naturæ.

11 Cæterum in hoc casu neque carentia distantiæ, neque carentia motus subsequentia est conditio antecedens hanc conseruationẽ. Illæ enim carentię potiùs habent rationem effectus, sicuti approximationes ipsæ, & vbicationes. Requiritur tamen ex parte actus primi decretum Dei de conseruanda vtraque vbicatione iuxta exigẽtiam illarum circumstantiarum: non autem requiritur Deus conseruans: conseruatio enim illa est potiùs effectus.

12 Dices. Hæc omnia grauitas, &c. possunt causare ambas vbicationes simul: ergo si Deus nolit concurrere ad vnam, adhuc exigent concursum Dei ad aliam solam, quia maior virtus requiritur ad vtramque simul, quam ad alteram tantùm. Idem argumentum fit de ingressu venti: si enim ventus potest vtrumque effectum simul causare, poterit vnum sine alio.

13 Giattinus putat primum casum posse sine absurdo concedi. Nego tamen consequentiam; quia vt bené notat Requesenius aliquando maior virtus requiritur ad ponendum vnum effectum cum carentia alterius, quam ad positionem vtriusque; sic posita continuatione quatuor palmorum quantitatis: maior virtus requiritur ad mouendum vnum palmum immotis reliquiis, quàm ad mouendos omnes simul. Et ratio in casu nostro est: quia in illis circumstantijs solúm est virtus ad duas illas vbicationes simul, non ad alteram tantúm, quare licet ad alteram tantùm sufficiat minor virtus; in his tamen circumstantijs nulla est virtus ad illam tantũ.

14 Idem dico ad exemplum de duabus rotis: faciliùs enim trahuntur duæ rotæ simul in aliquibus circumstantijs, quàm altera tantùm: quia grauitas, & dispositio vnius rotæ tantùm plus resistit, quàm grauitas, & dispositio vtriusque simul.

Neque cũ carbo ignitus calefacit aerem.

15 Objcies tertio. Quando carbo ignitus calefacit aerem, causat per calorem in aere carentiam frigoris, quæ vicissim causat suo modo calorem carbonis. Nego secundam partem antecedentis. Licet enim dem aduersario, calorem carbonis non conseruandum, si adesset frigus aeris; hinc tamen non sequitur, quod carentia frigoris illius, quod de facto expellitur, sit causa conseruationis caloris, nam cum ad illam carentiam determinet existentia caloris; non est cur calor determinetur ad existendum per talem carentiam. Confirmatur; quia carbo nihil timet à frigore illo inualidiore, sicuti timet ab intenso, & valido: ergo carentia validioris, quam non potest trahere, & determinare, non infirmi, quàm potest determinare, est in priori ad conseruationem caloris in carbone. Quod si perseueraret frigus in aere; hoc vtique esset validiùs, & præualeret in ordine ad destruendum calorem carbonis.

16 Instabis. Calor carbonis causat calorem in ambiente, & calor ambientis conseruat calorem carbonis. Nego secundam partem: licet enim si aer perseueraret frigidus destrueret calorẽ carbonis; hinc tamen nõ sequitur à calore in aere producto causari calorem carbonis, sed ad summum carentiam frigoris validioris in aere requiri ad conseruationem caloris in carbone. Idem dico de duobus carbonibus, & manibus, quæ vnitæ diutiùs conseruant calorem; quia validiùs resistunt: idque tũ quia cũ occupent plus loci magis submouent contrarium: tùm quia validiùs agunt in illud. Sunt igitur duæ causæ simultaneæ validiùs exigentes conseruationẽ sui pro tempore sequenti.

17 Objcies quarto. Dispositiones caloris, & siccitatis causant formam ignis, & ab eadem mutuo causantur. Nego secundam partem; causantur enim ab agente, quod sicuti potuit independenter á forma tempore antecedente causare dispositiones inchoatas, ita poterit tempore sequenti illas complere, & cum illis causare formam. Post primam productionem probabile est, neque accidentia causare formam, neque ab illa causari, vt docet Pallauicinus, & alij: aliter ne pro vnico quidem instanti poterit calor esse sine igne.

18 Objicies quinto. Expulsio formæ ligni, est causa introductionis formæ ignis, & introductio huius est causa expulsionis illius. Nego assumptum. Quia vel vtraque immediatè procedit ab agente, vel tantùm introductio nouæ causat expulsionem antiquæ. Illa autem propositio, nisi esset expulsio formæ antiquæ non introduceretur noua, & aliæ similes, quas passim objiciunt aduersarij, sunt veræ, si tantùm significent concomitantiam effectuum necessariam quoad tempus, falsæ si causalitatem.

19 Objicies sexto. Decernat quis non mouere dexteram, nisi viderit motam sinistram, neque sinistram, nisi viderit motam dexteram; in hoc casu motus manuum se mutuo causarent. Idem eueniret, si quis decerneret non mouere manus, nisi simul. Tertio. Supponamus Michaelem decreuisse se non mouere, nec quiescere, nisi ad motum, & quietem Gabrielis, & hunc inscium talis determinationis, decreuisse se item non mouere, nisi ad motum Michaelis, nec quiescere, nisi ad illius quietem; in hoc casu inter illos motus, & quietes daretur mutua causalitas. Neque dicas in illo casu non produci motus, & quietes nouas; aliter Angelus non produceret, quod potest, & efficaciter vult: quod est absurdum.

20 Respondeo. Ex illo decreto neutram manum mouendam: sed vtraque manus quiesceret liberè, hoc est quiete dependente à voluntate libera. Ad secundum dico, motum vtriusque manus immediatè, & indiuisibiliter pendere ab eodem decreto. Ad tertium. Dico neutrum Angelum mouendum, sed vtrumque perseueraturum in eodem loco, in quo supponitur. Ratio est; quia neuter illorum posito eo decreto habet in sua potestate adæquata se mouere; iam enim se liberè, & efficaciter ligauit ad motum dependentem à motu alterius libero; quare cum neuter motus posset supponere alium, aliter iam supponeret se ipsum, qui supponitur ab alio; neuter motus posset poni. Hinc patet ad rationem in contrarium: neuter enim Angelus potest absolutè stante eo decreto se mouere; vterque igitur liberè quiesceret in priori loco, quiete nimirùm dependente à suo decreto libero, quod non est efficax in ordine ad quietem, & motum nisi dependentem cõditionatè à motu, & quiete alterius. Verum quid dicet aduersarius si alter Angelus decernat non moueri, nec quiescere, nisi ad motum, & quietem alterius; alter verò huius rei inscius decernat se non mouere, nisi ad quietem, nec quiescere nisi ad motum alterius: certè in hoc casu neutra voluntas potest esse efficax absolutè, quoad obiectum à se directè volitum, aliter simul ponerentur duo contradictoria. Si enim vtraque voluntas impleretur, deberet in altero Angelo poni motus simul, & carentia motus: quia si moueretur primus, iam moueretur secundus, quia primus non vult moueri, nisi ad motum secundi, qui secundus simul non moueretur; quia efficaciter vult non moueri, dum mouetur secundus; quare vel hæ volitiones respiciunt diuersa instantia, vel habent obiecta repugnantia, & incompossibilia. Idem igitur dici potest de illis voluntatibus, quas affert aduersarius in argumento.

21 Illud hic aduerto, quod si Deus reuelet alicui, cras sanaberis, si sumpseris medicinam; existentia sanitatis non absoluta, sed conditionata, vel possibilis, quæ intenditur, & cognoscitur, mouet ad sumendam medicinam, quæ causat sanitatem absolutam; in quo nulla est mutua prioritas absurda, quoad esse reale, & absolutum, vt patet ex prima obiectione. Quod si reuelatio Dei sit absoluta, cras sanaberis, & ægrotus motus hac cognitione sumat medicinam, ex qua absolutè sequatur sanitas. Respondeo, Ægrotum intellexisse reuelationem in sensu conditionato, si sumpserit medicinam, & re uera illa conditio inuoluitur in reuelatione, si medicina est causa sanitatis: quare mouetur ægrotus ad sumendam medicinam, & connexione inter medicinam, & sanitatem, quam amat, & cognoscit futuram dependenter à medicina. Sed quid si Deus hoc modo reuelet, cras absolutè sanaberis, siue sumas medicinam, siue non. Respondeo. In eo casu reuelationem esse de voluntate efficaci, quam habet Deus conferendi sanitatem, quæ non supponit sanitatem absolutè existentem, sed tantùm illam intendit. Ratio est, quia reuelatio Dei in eo casu non supponit causas determinatas, & absolutas sanitatis: ergo neque eius absolutam existentiam.

22 Sed quid? reuelet Deus cras sumes medicinam, & sanaberis, & ex ea reuelatione moueatur quis ad sumendam medicinam; in hoc casu, reuelatio de absoluta sumptione medicinæ, & ipsa absoluta sumptio medicinæ, est in priori signo ad voluntatem sumendi medicinam: & est in posteriori signo ad illam: quia est eius effectus. Idem euenit, si Deus alicui reuelet, cras me amabis, & ex tali reuelatione moueatur ille ad amandum Deũ. Respondeo. In his circumstantijs dari duos actus voluntaris, alterum dependentem à reuelatione, de qua loquitur aduersarius, & hic non causat reuelationem, neque sanitatem, alterum independentem à reuelatione; quia si Deus non reuelaret, adhuc homo ille amaret sanitatem, & vellet sumere medicinam. Neque enim, quia Deus reuelat, & scit, ille amat, & vult: sed quia ille amat, & vult; idcircò Deus reuelat, & scit. Hic autem actus non causatur à reuelatione, quã tamen non causat; nulla igitur est mutua prioritas. Quare ante reuelationem voluntas, & motiuum sumendi medicinam supponuntur; & ideò actus voluntatis sequens ad reuelationem est potiùs ad modum gaudij, & complacentiæ de futura sua voluntate sumẽdi medicinam independente ab hac reuelatione, quia supponit illam futuritionem, omnesque eius causas.

23 Instabis. Reuelet Deus Regi; cras Petrus debellabit hostes, & Rex ex tali reuelatione moueatur ad conferendum, & de facto conferat Petro magnum prœmium, ex qua donatione Petrus vires sumat, quibus hostes debellet. In hoc casu victoria absolutè existens, & reuelata, per sui cognitionem mouet ad dandum illud donum, vnde oritur lætitia, & vis, quæ causat illam victoriam. Respondeo. In hoc casu, vel reuelatio victoriæ, quæ est causa cur detur illud donum, &c. non supponit victoriam absolutè positam, sed decretum Dei prædefinitiuum illius, quod nullo modo causatur ab illo dono, neque donum hoc habet veram rationem prœmij, quod necessariò supponit meritum absolutè positum: vel si est prœmium, & reuelatur victoria iam posita, non potest illa lætitia, & prœmium primo causare victoriam, quam supponunt iam positam.

24 Obijcies nono. Motus violentus lapidis est causa virtutis impressæ, & virtus impressa est causa motus violenti. Nego primam partem. Cessante motu, cessat virtus impres-

sa, non quia motus sit causa illius, sed quia aduenit impedimentum motus: à cuius impedimenti carentia tanquam à conditione pendet illa virtus. Possent hic addi alia argumenta desumpta ex meritis Christi, & causalitate habitus in actum salutarem, & ex orationibus fidelium, sed continent materias theologicas longè distantes à nostro instituto. Facilè autem est ex dictis, & varijs opinandi Theologorum modis illa soluere.

25 Aduerto hic nostra argumenta probare impossibilem mutuam causalitatem etiã inter conditionea se tenentes ex parte actus primi, & effectum.

26 Dico secundo. Probabilius esse repugnare etiam mutuam causalitatem quoad secundum esse, ita ut non solùm non possit causa primo recipere esse ab effectu; sed si iam supponatur ignis a, v.g. adæquatè productus à Deo; vel etiam ab alijs causis, non possit secundo causari ab effectu, v. g. à calore, quem producit. Probatur. Hæc secunda actio non ponitur à Deo ad exigentiam, & determinationem effectus, aliter esset naturalis, & non superflua, quod esse falsum suppono. Neque à Deo miraculosè determinante ex sua libertate effectum ad secundo producendam suam causam. Deus enim hoc modo determinando imprudenter se gereret: assumeret enim nouum medium ad finem iam obtentum, quod medium in his circumstantijs non conferret fini aliquod, præter seipsum: hoc autem est imprudenter operari, & media inutiliter, & sine ratione multiplicare. Sequela probatur. Quia assumeret nouam actionem ad existentiam causæ, quæ existentia iam supponitur in his circumstantijs aliũdè posita; neque causa in eisdem circumstãtijs reciperet à noua actione nouum emolumentum præter ipsam actionem.

Repugnat mutua causalitas quo ad secundũ esse.

27 Dices primo. Emolumentum esse hoc, quod si deficerent aliæ causæ, & actio, qua primo accipit esse ab illis, adhuc perseueraret ex vi secundæ actionis. Sed contra primo. Quia iam mutantur circumstantiæ: ergo perseuerãtibus illis circũstantijs iam multiplicãtur media sine vtilitate, & merè vanè, & sine fine, quod repugnat agenti prudentissimo, qualis est Deus. Secundo. Si deficerent illæ causæ, & actio primo causatiua; deberet etiam deficere secundo productiua, aliter iam ista euaderet primo causatiua: & duæ causæ se mutuò primo causarent; nam & perseueraret actio, qua causa producit effectum, aliter effectus deberet desinere, ac præterea vnica tantum est causalitas causatiua causæ procedens ab effectu.

28 Dices secundo. Emolumentum esse, quod si deficerent causæ, & actio primo causatiua; & ignis a, desineret causare ignem b, tunc posset ignis a, consistere in suo esse ex vi illius actionis. Sed contra. Quia nunc ista actio nullum emolumentum esset, sed solùm esset absolutè allatiua emolumenti pro circumstantijs incompossibilibus cum præsentibus: ergò nunc minus prudenter eligitur ab agente perfectissimo, & omnipotente; sufficit enim si possit tunc eligi. Et confirmatur. Quia medium, quod eligitur non est quodcunque, & veluti habens quamdam vtilitatem in actu primo, vt sunt virtutes causatiuæ, quæ quamuis nullum actu conferant emolumentum quo ad actualem effectionem, prudenter tamen eliguntur, quia reddunt subiectum aptum percipere illud emolumentum; sed est medium, quod habet rationem actualis exercitij, & acquisitionis nempè actio: & tamèn per illud nihil actu acquireretur, neque in ordine ad hoc, quod est finem actu acquiri, afferret aliquam vtilitatem: cum præsertim non sit periculum, ne effectus productus per vnam actionem adæquatam illa perseuerante cadat ab esse, nisi accedat secunda actio.

29 Hinc infero à fortiori, idem nõ posse se ipsum secundo causare, illa enim actio secunda esset à fortiori omnino superflua, & minus prudenter electa, quam secunda actio qua secundo causa à suo effectu produceretur. Suppono autem hic cum non contemnenda Theologorum parte, Christũ Dominũ, non causare suam humanitatem secundo in Eucharistia, quamuis omninò verum sit causare physicè, vel saltem moraliter se, vt existentem sub speciebus sacramentalibus, quod aliud non est, quam causare positionem sacramentalem sui sub speciebus illis.

Idem non potest secũdo causare seipsum.

30 Dices tertio. Quod semel cognoscitur potest iterùm stante priori cognitione cognosci: ergo potest causa semel producta per vnam actionẽ adæquatam iterũm illa stante, à suo effectu per aliam actionem adæquatam produci. Et qui semel dat, potest eandem rem iterato dare, sicuti peccata semel remissa poterunt iterùm remitti. Respondeo: Negando paritatem: aliter sicuti potest idem naturaliter etiam bis cognosci, bis donari, & idem peccatum bis remitti; ita posset naturaliter causa iterum causari à suo effectu, quod nemo dixerit. Ratio autèm disparitatis desumitur ex dictis; quia ex allatis exemplis non sequuntur absurda, quæ sequuntur ex eo quod causa iterùm per actionem adæquatam producatur à suo effectu.

SECTIO QVARTA.

Diuido causas in suas species.

1 Diuiditur primo in causam per se, & per accidens; causa per se ratione sui influit in effectum. Sic musica est causa per se cantus; quia ex suis prædicatis habet esse principium illius. Causa per accidens est, cui tribuitur effectus non ratione sui, sed alterius, cui per accidens omninò cõiungitur; vt cum dico, musicus ædificat, mu-

Alia est causa per se, alia per accidens.

fica non est causa per se ædificationis: quia non dirigit artificem ad benè ædificandum: sed per accidens: quia per accidens coniungitur in eodem homine cum arte ædificatoria, quæ per se causat, & inclinat ad ædificationem.

Alia totalis, alia partialis.

2 Diuiditur secundo in totalem, & partialem; totalis in aliquo determinato genere non indiget alia concausa eiusdem generis ad producendum effectum: partialis in eo genere in quo causat indiget alio comprincipio, talis est homo, qui se solo non valens trahere nauim, indiget consortio alterius.

Alia physica, alia moralis.

3 Diuiditur tertio in moralem, & physicam: hæc per actionem à se procedentem dat esse effectui: moralis non dat propriè esse, sed prudenter putatur influere: quia suadendo, hortando, imperando, mouet causam physicã ad productionem effectus.

Alia proxima, alia remota.

4 Diuiditur quarto in proximam, & remotam; proxima immediatè influit in effectum; ità vt nulla alia causa mediet inter causam, & effectum; remota est, inter quam, & effectum mediat alia causa per illam producta. Sic Pater est causa proxima filij, qui ab illo immediatè procedit. Auus verò remota quatenus causauit Patrem.

Alia vniuoca, alia æquiuoca.

5 Diuiditur quinto in vniuocam, quæ respicit effectum eiusdem rationis, vt ignis ignem; & æquiuocam, quæ respicit effectum diuersæ rationis, vt sol metalla.

Alia principalis, alia instrumentalis.

6 Diuiditur sexto in principalem, & instrumentalem; de differentia harum causarum non conuenit inter Doctores: legat, qui velit Suarium *disp. 2. sect. 2.* Arriagam, & Ouiedũ. Mihi placet, causam principalem esse, quæ agit per virtutem sibi debitam, & non alteri subordinatam, seu vt non quid alterius. *Instrumentum* verò, quo mediante causa principalis operatur. Sic Faber lignarius est causa principalis arcæ, malleus, & serra instrumenta, quia hæc agunt, vt aliquid illius, illique specialiter subordinatur, tanquam media conducentia ad opus artificiosum. Ratio esse potest, quia Aristoteles instrumenta naturalia inuestigauit per similitudinem, ad artificialia, sicuti materiam naturalem per similitudinem ad artefactorum materiam: sicuti igitur instrumenta artis subordinantur artifici, qui illis vtitur tanquam medijs, quibus adiuuatur ad operandum; ita instrumenta naturalia erunt, quæ se habent vt media data alteri, vt per illa agat, & operetur: talia communiter putantur accidẽtia respectu substantiæ.

Ex instrumentis alia coniuncta, alia separata.

7 Ex instrumentis alia non agunt, nisi coniuncta causę principali; vel quia recipiũt aliquam virtutem ab illa, vt malleus, & serra, quæ nequeunt operari nisi mota ab artifice; vel quia nequeunt existere sine illa, vt proprietates respectu essentiæ: alia non indigent virtute, & impulsu, aut existentia causæ principalis, vt calor respectu ignis; & prima dicuntur instrumenta coniuncta, secunda separata.

Alia est causa efficiens, alia finalis, alia materialis, alia formalis.

11 Diuiditur demum causa in quatuor illa præcipua genera, materialem videlicet, formalem, efficientem, & finalem, de quibus fusè in sequentibus. Omnes tamen causæ ad vnam aliquam harum quatuor spectant, vel reduci possunt.

DISPVTATIO OCTAVA.

De causa materiali, & formali.

EXplicatis, quæ spectant ad causas in communi, descendimus ad singula genera: & primo agemus de materiali, & formali, vtpotè intrinsecis, de quibus tamen plura diximus lib. 1.

SECTIO PRIMA.

De causa materiali, eiusque causalitate, & effectibus.

Definitur causa materialis.

1 CAusa materialis in genere definiri potest ex Aristotele: *Ex qua tanquam ex subiecto aliquid fit cum insit.* Sensus est; omnis causa materialis in actu primo habet posse componere totum; in actu secundo per modum subiecti actu componere totum; id enim est ex illa fieri aliquod cum inest. Definitio ita explicata conuenit omni causæ materiali, quia nulla est, quæ per modum subiecti non possit componere totum aliquod. Cæterum aliquando causa materialis ita componit totum per modum subiecti, vt simul causet aliud à se contradistinctum per sustentationem.

Sustentatio est vnio influxus agẽtis cum aliquo subiecto prærequisito.

2 Dices. Non potest explicari, quid sit causare per sustentationem, seu quid sit sustentatio, qua causa materialis materialiter influit in effectus à se contradistinctos? nec quomodo de causa materiali, quæ per sustentationem influit, verificetur allata definitio. Respondeo ad primum. Causalitatem causæ materialis, seu sustentationem esse vnionem influxus agentis cum aliquo, tanquam cum subiecto prærequisito; ita vt illa sit causa materialis sustentans, quæ ita requiritur ad existentiam effectus, vt neque sit pura applicatio vnius requisiti ad aliud: neque ea deficiente possit perseuerare effectus, nisi suppleatur illius defectus: & ita requiritur; quia necessaria est ad existentiam influxus agentis; quia videlicet, hic, vt sit, necessariò debet vniri illi tanquam subiecto requisito, & non vt puro termino. Vnio igitur illa subiecti cũ tali influxu erit sustentatio, & influxus subiecti non solùm in actionem agentis, sed etiã in ipsum terminum: quid autem sit influxus agentis, seu agere, & quisque in se experitur, & infrà fortassè meliùs explicabo cum de causa efficiente.

3 Pro-

3 Probatur, quia vt patebit ex solutione obiectionum, huic explicationi nihil obstat, & per eam bené distinguitur influxus causæ materialis ab influxu efficientis, & cuiuscunque alterius causæ: neque enim causa efficiēs, aut aliqua alia causa formaliter influit per vnionem sui cum influxu efficientis. Confirmatur ex communi sensu, docente primo causam materialem formaliter vt talem esse imperfectam: secundo huiusmodi imperfectionem sitam esse in eo, quod causat recipiendo, non dando esse; & consequentèr quod ita causet, vt simul per causalitatem perficiatur: recipere autem est formaliter vniri. Ceterum, cùm non quæcunque vnio, & receptio sit causalitas materialis: materia enim in homine vnitur animæ, illamque recipit, sed non sustentat, aut materialiter causat; ideò dicendum est, sustentationem iuxta communem sensum esse vnionem, qua subiectum vnitur non formaliter termino producto, sed influxui, quo ille pendet ab agente; ex quo benè intelligitur, quid sit agens operari dependenter à subiecto, quid formam educi de potentia materiæ, fieri videlicet per influxum, qui iuxta suam intrinsecam exigētiam vnitur subiecto, &c.

4 Hinc patet quomodo causæ materiali influenti in terminum á se contradistinctum conueniat allata definitio: verè enim, per suum hunc influxum inest formaliter alicui toti, quod formaliter resultat ex influxu agētis, & ipso subiecto.

5 Vrgebis. Aliqua causa efficiens vnit sibi suum influxum: vt patet in potentijs vitalibus, & in omnibus agentibus, quæ immanenter operantur: ergo hoc, quod est vnire sibi influxum agentis, non est proprium causæ materialis. Distinguo antecedens. Aliqua causa purè efficiens; nego: impurè efficiens, seu quę simul sit materialis; concedo antecedens, & nego consequentiam: nam causæ efficienti hoc ipsum vnire sibi suum influxum, & per illum perfici, non conuenit, qua efficiens est, sed qua materialis.

6 Vrgebis 2. Influxus, quo Deus producit Angelum vnitur Angelo tanquam subiecto, nec tamen Angelus est causa materialis sui. Distinguo primam partem. Vnitur Angelo tanquam subiecto prerequisito; nego: tanquam subiecto, qui sit terminus productus; concedo.

Sustentatio cū est vnio formæ cum subiecto.

7 Vrgebis tertio. Cum subiecto vnitur tùm terminus productus, tùm influxus agentis: cur igitur est sustentatio potiùs vnio influxus, quàm termini producti? Respondeo. Quia si terminus vniatur materię, influxus verò efficientis in illum non sit vnitus materiæ, materia non causat terminum, vt patet in anima rationali. Et ratio est: quia dissoluta vnione, & destructa materia deberet perseuerare ille influxus agentis, & consequenter etiam forma; at si influxus agentis vniatur materiæ tanquam præerequisito; destructa materia destruitur influxus in formam, & consequenter etiam ipsa forma. Quare per vnionē influxus agentis cum materia benè saluatur dependentia formæ ab illa; non autem per vnionem formę cum eadem materia.

8 Instabis primo. Potest dici, quod vnio non quæcunque, sed sine qua forma nequit conseruari sit causalitas materiæ in formam: ergo non est cur dicamus hanc causalitatem esse vnionem materiæ cum influxu agētis. Nego antecedens: si enim influxus agentis non ex natura sua exigat, vniri cum materia; non est cur forma non possit conseruari sine materia: iam enim independenter á materia posset causa efficiens ponere suum influxum, qui illicò se solo traheret existentiam termini.

9 Instabis secundo. Potest dari aliquis influxus agentis, qui pro aliquo tempore indigeat vnione sui cum subiecto, pro aliquo verò minimè: sicuti potest dari forma, quæ pro aliquo instanti ad sui existentiam exigat existentiam materiæ, & vnionem cum illa, non veró pro reliquis: peto ergo illa vnio esset nè sustentatio, & causalitas materialis? Respondeo negatiuè. Sicuti enim terminus, qui pro aliquo instanti exigit existentiam materiæ non pro reliquis, non est causatus ab illa, vt patet in anima rationali; ità influxus, qui pro aliquo instanti, & non pro reliquis exigat ex suis intrinsecis vniri cum subiecto aliquo præerequisito, non respiciet illud, vt causam, sed vt conditionem. Et ratio est: quia deficiente subiecto adhuc perseueraret influxus, nullo alio subrogato loco subiecti.

10 Instabis tertio. Supponamus aliquam formam, quæ ad aliquod tempus naturaliter causatur per influxum; qui ex natura sua semper exigat vniri cum subiecto; deindè verò etiam naturaliter conseruetur per influxum nec exigentem, nec vnitum; posset ne illa vnio prioris influxus dici sustentatio? Respondeo negatiuè. Et ratio est, quia vnio influxus cum subiecto, dicitur sustentatio per ordinem ad terminum, ita vt terminus, talis sit conditionis, vt deficiente illo subiecto, & vnione influxus agentis, si non subrogetur alia causa, debeat destrui; quod confirmari potest ex anima rationali, quam nemo dicet sustentari à materia, quamuis prima productio non possit naturaliter haberi sine materia.

11 Instabis quarto. Ergo nulla est necessitas dicendi, quod influxus causæ materialis sit vnio subiecti cum influxu agentis: sufficit enim si sit influxus exigens ratione termini absolutè, & pro omni tēpore existentiam subiecti, in quo recipitur terminus. Nego consequentiam. Quia influxus causæ materialis debet esse aliquod actuale exercitium alicuius potentiæ eiusdem: causæ huiusmodi autem actuale exercitium benè saluatur in vnione à nobis dicta, non autem in influxu agentis exigente

gente, quem ponunt aduersarij: huiusmodi enim influxus exigit quidem subiectum, non tamen est actualis subiectatio, vel vnio, nec proinde actuale illius exercitium. Confirmatur. Quia causa materialis formaliter, vt talis, est intrinsecè imperfecta, & perfectibilis: ergo formaliter, vt talis, respicit, vt suum exercitium id, per quod formaliter perficitur intrinsecè, quod non potest præscindere ab vnione.

Quomodo causa materialis immediatè influat in formam.

12 Instabis quinto. Ergo causa materialis non influit immediatè in effectum productum, sed tantùm in influxum agentis, & eo medio in terminum; sicuti per illam vnionem vnitur immediatè non termino, sed influxui. Nego consequentiam: quod enim est causa immediata influxus, ast etiam causa immediata termini: neque influxus ille efficientis est causa aliqua media inter materiam, & terminum.

13 Ceterum disparitas ad confirmationē desumptam ex vnione esse potest: quia vnio illa influxus agentis trahit post se aliam vnionem eiusdem materiæ cum forma; & ideò nō vnit immediatè illas inter se; at non trahit aliam sustentationem, neque enim vnio materiæ cum forma est formaliter sustentatio, vt suprà probauimus.

14 Instabis sexto. Gratis asserimus dari huiusmodi vim sustentatiuam, & sustentationem. Nego assumptum. Quia constat ex supradictis aliquas formas, vt sunt materiales, non posse conseruari naturaliter sine subiecto, ex quo benè colligimus cum communi sensu, quod dependeant ab illo: quæ dependentia non est, nisi sustentatio à nobis explicata procedens à virtute sustentatiua.

15 Instabis septimo. Formam vniri subiecto, non est causari ab illo: ergo neque influxum vniri est causari. Nego consequentiam. Quia si influxus vnitur cum subiecto modo dicto, iam cessante vnione, cessat influxus ipse, vt supponimus: at cessante vnione formæ ad subiectum, si influxus agentis aliundè non exigit vnionem, &c. non debet cessare forma, quia non cessat influxus agentis.

16 Instabis octauo. Thomistæ docent influxum agentis esse in ipso agente. Respondeo. Me non posse id concedere Thomistis.

17 Instabis nono. Non repugnat Personam diuinam vniri naturæ creatæ vnione, quę simul sit productio talis naturæ; in quo sensu Verbum vniret sibi influxum effectiuum talis naturæ, & vnionis; nec esset causa passiua illius. Respondeo. Id esse, quia Verbum diuinum non præsupponitur ad illam vnionem, & influxum, vt quid imperfectum, & perfectibile, ac proindè non habet respectu illius rationem subiecti, & causæ materialis.

18 Aduerto hic: materiam, vt causatiuam, & sustentatiuam formaliter non respicere, nisi influxum, & dationem esse; nam illa vnio influxus agentis licet non sit datio actiua, dici tamen potest datio, & communicatio passiua.

Sustentatio nō est vnio formæ cum materia.

19 Quæres. Verum sustentatio distinguatur ab vnione materiæ cum forma. Respondeo affirmatiuè. Quia nulla est necessitas admittendi in sustentatione hoc prædicatum vnionis. Et confirmatur; quia non est dicendum non esse idem compositum substantiale in primo, ac in reliquis instantibus; idem dico de accidentali, de quo nūn constat oppositum: & sanè si possumus saluare hanc identitatem, debemus, quia res inclinant ad suam conseruationem, & illud esse nimis labile, & fluxile, videtur contra finem naturę. Sed admissa identitate inter sustentationem, & vnionem, multa composita, quæ putantur eadem in primo, ac reliquis instantibus, non essent huiusmodi: quia facilè mutantur causæ præsertim efficientes: ergo facilè mutantur influxus effectiui: ergo & vniones formarum cum subiectis; ergo facilè mutarentur composita; mutato enim vno ex cōstitutiuis essentialibus, qualis est vnio necesse est mutari constitutum.

20 Hinc infero præter illam vnionem permanentem inter materiam, & formam nō esse admittendam aliam vnionem fluxilem, & labilem; quia prima vnio permanens sufficienter per se pręstat munus vniēdi extrema.

21 Vrgebis. Sustentatio est modus intrinsecus vniens se tùm cum materia, tùm cum forma: ergo vnit illas inter se. Quod enim est vnio sui cum duobus extremis, est vnio extremorū inter se: sicuti quod in creatis est identitas sui cum duobus extremis, est identitas extremorum inter se. Nego secundā partem antecedentis: Per sustentationē enim solùm perficiendum est subiectum, non terminus, respectu cuius tantùm erit modus extrinsecus.

22 Vrgebis iterum. Ergo deficiente vnione formæ cum materia forma naturaliter deberet conseruari: finis adhuc perseueraret sustentatio, & causalitas adæquata formæ: perseuerante autem causa, & causalitate adæquata non potest non perseuerare effectus. Nego consequentiam. Ad cuius probationē nego tunc perseueraturam causalitatem adæquatam formæ, & sustentationem: quia deficit causa finalis, ad quam naturaliter ordinatur tùm forma, tùm sustentatio, quæ causa est totum: deficiente autem causa finali, vt supra dicebamus, debet deficere res, nisi aliquod aliud agens ob alium superiorem finē, cui subordinatur finis effectus, exigat eius conseruationem; sic non debet destrui lapis detentus violentèr extra proprium centrum, quia inseruit alij fini intento ab agente validiori, cui fini congruè ad bonum vniuersi subordinatur finis ille particularis lapidis, nempè quies in centro. In casu autem nostro non habetur quid simile, cùm potius om-

omnia exigant: ne forma materialia sit extra subiectum. Et hæc quidem de influxu materiæ in effectus à se contradistinctos.

Materia causat totum, si causet formam

23 Circa compositum autem, quod communiter dicunt effectum primarium causæ materialis, mihi videtur satis probabile, primo materiam veré causare compositum, si per sustentationem causet formam, vel vnionem; sicuti agens creatum causat hominem, quamuis non causet, nisi vnionem inter animam, & corpus.

Materia quatenus componit totum, non est formaliter causa totius.

24 Secundo probabile est, materiam (eadem est ratio de forma) præcisè quatenus est pars componens totum, non esse rigorosè causam illius; probatur: Materia præcisè vt pars componens totum non causat se ipsam, neque formam, neque vnionem: ergo rigorosè non causat totum: consequentia probatur: quod enim non causat neque materiam, neque formam, neque vnionem, non potest dici, quod causet totum, quod non est aliud præter illa; sicuti si neque materia, neque forma, neque vnio causarentur, certè totum esset absolutè incausatum. Antecedens probatur. Quia materia formaliter vt pars componens tantùm terminat vnionem; terminare autem vnionem, non est formaliter causare.

25 Obijcies primo. Ergo auferimus genus causæ formalis. Nego consequentiam. Datur enim causa formalis propria in ordine ad expulsionem formæ oppositæ modo infrà explicando: & quamuis forma physicè non influat in eam expulsionem, sed tantùm moraliter: hic influxus moralis sufficit, ad constituendum proprium aliquod genus causæ, sicuti quamuis finis non influat physicè, sed moraliter, & metaphoricè in media, constituit tamen proprium genus causæ à reliquis distinctum.

26 Obijcies secundo. Causare est communicare esse alteri: sed materia communicat esse composito: ergo causat compositum. Distinguo maiorem. Communicare esse alteri distinctum à proprio esse; concedo: non distinctum; nego, & distinguo minorem; materia communicat composito esse distinctum à suo, nego: indistinctum, concedo minorem, & nego consequentiam.

27 Non negauerim tamē materiā, & formā impropriè causare totum: quia & habent respectu illius aliquam prioritatem, vtrique enim intelligitur aduenire vnio: ac præterea dum totum constituunt dant illi aliquo modo esse constitutiuè, vt aliqui loquuntur; quarè etiam ex hoc capite saluo causam formalem: quæ ratio non militat respectu vnionis; cui nihil intelligitur superadditum in composito, spectans ad constitutionem compositi.

28 Materia igitur, & forma sicuti non sunt rigorosè causa compositi; iam neque habent respectu illius rigorosam causalitatem. Compositio tamē est veluti quædam causalitas, qua posita materia, & forma ex se potētes totum constituere; iam intelliguntur totum constituere, & dare illi esse.

Vnio eadē, ac compositio.

29 Hanc compositionem non distinxerim ab vnione: non video enim, quid aliud sit vnio, quam simul positio: quarè sicuti in compositis actualibus vnio adæquatè distinguitur à materia, & forma; ita, & compositio: in compositis autem per aggregationem, vt est cumulus arenarum, sicuti illa non sunt rigorosa composita; ita neque datur rigorosa cōpositio: minus autem rigorosa, quæ in illis concipitur, erit vel vbicatio, & coexistentia partium, vel partes ipsæ vbicatæ, & coexistentes, de quo nolo controuertere. Illud addo benè dici posse, & quod partes inter se componantur, & quod totum componatur ex partibus; at licet dici possit, quod partes inter se vniantur; nemo tamen dixerit, quod totum vniatur ex partibus: quia vsus id non obtinuit.

SECTIO II.

De causa formali, eiusque effectibus, & causalitate.

Definitur causa formalis, & designatur, primarius eius effectus.

1 CAusam formalem definire poteris partem essentialem componentem per modum actus iuxtà ea, quæ diximus *disp. 3. sect. 1.* huic causæ duo tribuuntur effectus; alter primarius, nempè compositum, & in ordine ad hunc eodem modo discurrendū est de forma, quo de materia: vt supra dicebam.

2 Solùm hic obiter aduerto verissimum esse illud axioma; posita forma, vnione illius cum subiecto, & ipso subiecto non posse impediri effectum formalem hunc primarium, qui non est nisi compositum, quod necessariò, & inimpedibiliter ponitur positis illis tribus, cum quibus adæquatè identificatur.

Secūdarius effectus causæ formalis est expulsio formæ antiquæ à subiecto.

3 Alter effectus formalis est negatiuus, & secundarius, nempè expulsio formæ oppositæ non à rerum natura, sed à subiecto; seu formæ oppositæ, vt inexistentis. Probatur. Quia forma noua non opponitur formę antiquæ secundum se, sed vt inexistenti; sic forma cadaueris aduenięns non opponitur cum existentia animæ rationalis, sed cum inexistentia illius in subiecto: ergo effectus formalis est expulsio formæ à subiecto, non à rerum natura: illius enim termini expulsio est effectus formalis formæ nouæ, & trahitur ab illa, qui opponitur formæ nouæ: non enim est cur forma noua trahat expulsionem termini sibi non oppositi. Quarè si per aduentum nouæ formæ non solùm expellitur forma vetus à subiecto, sed absolutè destruitur, id est, quia forma vetus dependet à subiecto.

4 Sicuti vnio formæ nouę exigit, vt destruatur vnio ad formam antiquam; ita sustentatio nouæ formæ exigit, vt desinat sustentatio antiquæ. Quod si noua non sustentetur,

adhuc

adhuc per suam vnionem exigit, vt antiqua non sustentetur à materia; quia exigit, vt destruatur vnio antiquæ, cum qua vnione necessario saltem connaturaliter connectitur sustentatio eiusdem, tùm quia sustentatio est propter vnionem, tum quia fortasse eadem est sustentatio formæ, & vnionis.

5 Rursus forma noua per suam sustentationem exigit ne sit vnio materiæ ad formam antiquam; quia sustentatio noua exigit, vt antiqua sustentatio desinat: ergo exigit, vt desinat vnio antiqua, quæ connectitur cum sustentatione sui termini.

Non forma noua secundum se, sed vt vnita est principiũ expulsionis antiquæ.

6 Quoad principium autem huius expulsionis. Dico primo formam nouam secundum se non esse principium expulsionis illius; sed vt vnita, quia forma noua secundum se non opponitur cum forma antiqua sumpta secundum se, sed benè vna, vt vnita subiecto opponitur alteri vt vnitæ. Cum hoc benè stat, quod oppositio non solùm sit inter vniones, sed etiam inter formas: ideò enim vniones illæ non possunt esse simul in eodem subiecto, quia pugnant in ordine ad illud.

7 Dico secundo. Agens producens formam nouam est causa expulsionis antiquæ; quia vtrumque exigit agens, & vt ponatur noua forma, & vt ab hac expellatur antiqua; quinimò omnes conditiones, & causæ determinantes introductionem nouæ, sunt etiam suo modo causæ, & conditiones determinantes, & exigentes expulsionem formæ antiquæ, saltem mediatè.

Forma noua nõ physicè causat hanc expulsionem.

8 At forma ipsa noua non physicè causat hanc expulsionem; quia nihil physicè efficit, dum forma opposita expellitur: præterea physicè causare hanc expulsionem, non potest esse aliud, quam suspendere concursum à cõseruatione formæ, vt vnitæ; sicuti autem concursus ille non pendet à forma noua, ita neque eius suspensio; ergo. Quarè solùm veluti moraliter causat illam expulsionem, quatenus à Deo, vt ab auctore naturæ exigit, vt suspendat concursum à forma sibi opposita. Deus igitur est causa immediatè destruens formam antiquam, sed præcipuè, ad exigentiam nouæ: nam hæc est, quæ propter oppositionem sui cum antiqua, per se exigit eius expulsionem: reliqua exigunt expulsionem, quatenus exigunt formam nouam. Ex quibus sequitur expulsionẽ antiquæ formæ esse in posteriori ad introductionem nouæ: ratio enim cur expellatur vetus, est introductio nouæ.

Alij effectus formaler.

9 Illud hic aduerto, malè nonnullos inter effectus formales numerare expulsionem carentiæ nouæ formæ; quia huiusmodi expulsio non est nisi introductio nouæ formæ, quæ vtique non est effectus formalis sui ipsius. Alij præterea inter effectus formales numerant tanquam secundarios omnes denominationes, quæ tribuuntur toti, & proueniunt à forma, tanquam ab illarum radice: sic formæ ignis effectus formalis primarius est ignis; secundarius est esse calidum, siccum, quia calor, & siccitas, quæ sunt formæ illarum denominationum, procedunt à forma; in quo modo loquendi nihil absurdi inuenio. Legatur Quiros *disp. 79. à n. 40.* ad finem.

10 Vrgebis, in motu locali prior est derelictio termini à quo acquisitione termini ad quem: ergo introductio nouæ formæ non est prior expulsione antiquæ. Nego antecedens. Nam acquisitio termini ad quem in motu locali est productio nouæ vbicationis, derelictio termini à quo est desitio prioris vbicationis; quæ vbicationes non minus saltem quoad præsens punctum opponuntur, quam forma ignis, & ligni. Debet autem assignari causa derelictionis termini à quo, quæ non videtur esse alia, quam acquisitio termini ad quem.

11 Vrgebis iterum. Vt paretur Regi locus priùs debent expelli rusticæ immunditiæ, quam induci apparatus regales; ergò priùs debet expelli forma vetus, quam induci antiqua. Nego consequentiam. Nam illæ immunditiæ expelluntur etiam in tempore antecedenti ad introductum apparatum regiũ: ergo non possunt expelli per regium apparatum, qui supponit illas expulsas; sed per aliud corpus; at noua forma in casu nostro per se expellit antiquam.

12 Aduerto hic introductionem nouæ formæ esse simul tempore cum expulsione antiquæ; aliter vel materia remaneret in aliquo instanti spoliata omni forma: si destructio formæ tempore præcederet productionẽ nouæ: vel dictæ formæ essent pro aliquo instanti simul in eodem subiecto, si productio formæ nouæ præcederet tempore destructionem antiquæ; nam pro illo primo instanti, quo producitur, & consequenter est forma noua, adhuc perseuerat antiqua.

DISPVTATIO NONA.

De causa efficiente tùm creata, tùm increata.

AB intrinsecis gradum facimus ad causas extrinsecas, inter quas quadam speciali velut energia, & efficacia videtur excellere causa efficiens.

SECTIO PRIMA.

Quid sit causa efficiens.

Definitur causa efficiens.

1 EAm sic definiuit Aristoteles *2. 29. Vnde principium mutationis primum, aut quietis*; quam definitionem Suarius *disp. 17. m. sect. 1.* Ruuius *tract. de causa efficiente n. 1.* his verbis tradunt; causa efficiens est principium per se, à quo primo est, aut fit motus. Prima particula, principium per se, habent locum generis; reliquæ verò differen-

tiæ,

tiæ; & quidem per illas benè distinguitur à reliquis causis: nam causa finalis non est id, vnde primo est motus, sed propter quam fit motus; formalis potiùs est terminus motus, quàm eius principium, neque est id, vnde primo est compositum; sed id per quod cõpositũ constituitur. Neque materialis potest absolutè dici, quod sit id, vnde primo est motus, sed potius, in quo est motus: causat enim, vt diximus, quia tanquam prærequisitum vnitur influxui, quo agens producit effectum, ideoque iuxta exigentiam ipsius influxus, & termini producti.

Discrimen inter causam efficientem, & materialem.

2 Et hinc est, quod causa materialis, vel determinatur ad effectus à causa efficiente, & dispositionibus ab illa introductis: quare non est determinatiuum vnde primo exit motus: vel licet in se sit determinata ad illos effectus, tamen ob suam imperfectionem non intelligitur præhabere illorum perfectiones; vndè dùm illos producit, non potest rigorosè dici, quod det illis esse, sed potiùs quod tale esse recipiat, vt perficiatur. Contrarium accidit in causa efficiente: quæ, & præcontinet effectum, & dat esse effectui: quod exponunt Aristoteles, & S. Thomas docentes, Agens, vt agat, debere esse in actu, hoc est debere præcontinere in se formaliter, vel virtualiter effectus perfectionem.

3 Aduerto autem primo Aristotelem nomine motus intellexisse primam rei productionem; nomine verò quietis einsdem conseruationem. Secundo hic Philosophum definijsse causam efficientem in ordine ad effectus dependentes à subiecto, qui producuntur per motum, seu mutationem, & sustentationem Facilè autem erit, definire causam efficientem in communi pro vt complectitur etiam creationem: si dicas esse principium per se vndè primo est actio. Quid autem sit actio infrà declarabimus. Demum aduerto etiam causam efficientem moralem præcontinere effectum, quatenus per sui existentiam cognitam, mouet causam physicam ad ponendum effectum, non vt ipsa causa moralis perficiatur; sed ex quadam veluti abundantia, & munificentia, vt patet in causa meritoria. Ex his patet verum esse, causam materialem causare quatenus est in potentia, quia non debet sicuti efficiens præcontinere, & dare; sed potiùs recipere.

Allata definitio competit instrumento.

4 Dices. Instrumentũ est causa efficiẽs nec tamen illi competit allata definitio: nam non est id, vndè primo est motus, & quies, nec etiam præcontinet in se perfectionem effectus producendi. Respondeo. Præcontinere perfectionem effectus producendi, nihil aliud significare, nisi quod res sit talis, vt ex illa intelligatur potens exire esse effectus, & de facto in actu secundo exeat. Quid sit hoc posse dare esse, & illud exire ab aliquo, quisque in se experitur dum producit suos actus vitales: hoc autem conuenit etiam causæ efficiẽti instrumentali, ex qua etiam quatenus talis est, intelligitur exire esse rei potiùs, ex quadam veluti abundantia, quàm ex indigentia. Nego itaque antecedens quoad secundam partem; & ad rationem in contrarium iam patet ex dictis.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo actio distinguatur à principio, & termino.

Quid sit actio.

1 Actio latissimè sumpta est actuale exercitium agentis, ea videlicet ratio, qua principium actiuum potens agere constituitur actu agens: sicuti visio est actuale exercitium potentiæ visiuæ; ea videlicet ratio, qua potens videre constituitur actu videns. Ceterum sicuti agens potest dupliciter considerari; primo vt potens agere cum præcisione ab illis circumstantijs, per quas constituitur proximè potens operari, secundo, vt proximè potens agere, vt conuestitum videlicet talibus circumstantijs; ita actio non solùm est actuale exercitium potentiæ actiuæ primo, sed etiam secũdo modo sumptæ. Et sanè per hoc præcisè, quod quis intelligatur proximè potens agere, non intelligitur formaliter agere: ergo quod est proximè potens agere, adhuc expectat aliquod aliud, per quod constituitur actu agens: quod exercitium non est nisi actio: sicuti qui est proximè potens videre, non intelligitur actu videns, nisi addatur aliquid aliud, nempè visio. Confirmatur. Quia qui intelligitur immediatè proximus huic loco, nondùm formaliter intelligitur esse in hoc loco.

2 Actio hoc modo explicata, alia est creatiua, & est actuale exercitium agentis independenter à subiecto: talis est productio Angeli: alia eductiua, & est actuale exercitium agentis dependenter á subiecto, & hæc definitur ab Aristotele *lib. 3. t. 22. Actus huius in hoc;* & quidem pro ly actus huius exprimitur influxus agentis: per ly in hoc exprimitur vnio illa ad subiectum supra explicata: quare eductiua essentialiter includit passionem, seu sustentationem, quæ definiri solet ex Aristotele. *Actus huius ab hoc;* & quidem ly actus huius exprimit vnionem iam dictam: ly ab hoc, si sumatur formaliter exprimit influxum agentis; si radicaliter exprimit exigentiam huius influxus. Ex his patet in hoc negotio tria interuenire agens, actionem, & terminum.

3 Quæstio igitur præsens est; vtrum hæc actio sit quid realiter distinctum ab agente, etiam proximè potente agere, & á termino? Et quia eadem est ratio de quolibet principio comparato cum suo termino, & influxu; ideò quæ de hac actione dicuntur facilè derinari possunt ad alios influxus: imò necesse est multa de illis discutere. Pro solutione.

4 Scien-

4 Sciendum est, ex effectibus aliquos esse indifferentes, vt pendeant, vel non pendeant ab hac causa; itaut nonnunquam euenire possit, vt effectus non dependeat ab illa causa, siue non existente, siue existente; alios esse determinatos, vt pendeant ab hac causa, ita, ut effectus existens nō possit non pendere ab illa. Quod autem dentur effectus primi generis videtur clarum; nam calor productus ab igne in mea manu adhuc conseruatur remoto igne, in quo casu existit calor effectus, & non pendet ab igne, à quo fuit productus.

Actio non identificatur cū proximè potēte operari.

5 Dico primo. Actio non potest adæquatè identificari cum principio agente, siue sumatur cum præcisione ab illis conditionibus, per quas completur; siue sumatur vt completè potens operari. Probatur. Agens completè potens agere est formaliter, & ex suo conceptu principium physicum alicuius exercitij: ergo est principium physicum actionis: ergo non potest identificari adæquatè cum actione. Prima consequentia probatur. Quia hoc exercitium non est nisi actio, de qua quærimus: hoc enim ego intelligo nomine actionis. Consequentia secunda probatur. Principium physicum actionis non potest identificari cum actione; aliter actio esset principium physicum sui ipsius. Primum antecedens probatur. Agens completè potens physicé aliquod causare, est principium physicum illius, ad quod habet physicam proximam potentiam: sed principium completé potens physicé causare, habet potentiam physicam proximam ad aliquod exercitium: omnis enim potentia est ad aliquod exercitium, vt patet in potentijs vitalibus, quę sunt ad exercitium actuum vitalium, & in reliquis: ergo principium completè potens physicè causare, de hoc enim loquimur, est principium physicum alicuius exercitij.

6 Dices. Esse principium physicum effectus; sol, v.g. completè physicè potens illuminare, est principium physicum lucis. Sed contra, vel lux est actuale exercitium talis potentiæ solaris, & sic habeo intentum; vel non; & supra iam impugnatus es. Et sanè si lux est terminus absolutus, & non actuale exercitium potentiæ actiuæ solis: certè non potest se sola esse terminus respectus ab illa potentia; illa enim potentia completa non est ad lucem secundum se, sed ad lucem vt producendam à se: quod idem est, ac esse potentiam completā productionis lucis: sicuti potentia visiua, volitiua, cognoscitiua lucis non est ad lucem secundum se, sed ad lucem vt videndam, &c. seù ad visionem, amorem, & cognitionem lucis. Et profectò tùm potentia actiua completè physicè potens producere lumen, tùm potentia visiua, tùm volitiua, & similes omnes respiciunt eandem lucem: ergò vt diuersificētur hæ potentiæ, debent respicere diuersa exercitia terminata ad lucem, & esse potentias formaliter respectu illorum exercitiorum.

Causa completa potēs operari adæquatè distinguitur ab actione.

7 Dico secundo actio, seu influxus, quo causa completé potens physicè suum effectum producere, illum de facto producit, est adæquatè distinctus à tali causa. Probatur. Actuale exercitium talis potentiæ est adæquatè distinctum ab illa potentia: sed actio, seu influxus, quo ea potentia physica producit suū effectum est actuale exercitium talis potentię: ergo actio, seu influxus, quo ea potentia physica producit suum effectum est adæquatè distinctus à tali potentia. Malor probatur. Exercitium talis potentiæ aliquid addit supra ipsam potentiam; non enim potest adæquatè identificari cum ipsa potentia physica, vt vidimus; sed hoc superadditum debet participare adæquatè rationem exercitij: ergò ratio exercitij adequatè sumpta est aliquod realiter superadditum illi potentiæ, & consequenter ab illa adæquatè distinctum; minor probatur. Illud superadditum est id, ad quod tendit talis potentia, vel ad quod est talis potentia, sed talis potentia tendit ad rationem exercitij adæquatè sumpti, tendit enim ad positionem absolutam effectus, quod est exercitium talis potentiæ adæquatum, exercitium enim inadæquatum non est positio effectus absolutè sufficiens, sed insufficiens. Et sanè potentia adæquata non potest tendere nisi ad exercitiū adæquatum: ergò si tendit ad illud superadditum, illud superadditum est exercitium adæquatum: tendit enim vt causa physicè productiua ad absolutam positionem effectus, quod est exercitium adæquatum ipsius.

8 Dices primo. Exercitium huius potentiæ completæ esse ipsam causam completam, & entitatem effectus: quod constatum non adæquaté sumptum, & ratione omnium partium respicit illam causam vt principium sui, sed ratione vnius, nempè effectus, qui adæquatè distinguitur ab illa potentia: quarè illa potentia non inclinat ad ponendum suum exercitium adæquatè sumptum, sed ad ponendam alteram eius partem, nempè effectum; neque hoc exercitium huius potentiæ, respicit illam, vt principium sui adæquatè sumpti, sed vt principium effectus: ideoque effectus debet esse superadditus adæquaté causæ, non exercitium; quia effectus causatur, & producitur, non ipsum exercitium. Confirmatur, quia potentia visiua videt albedinem, non visionem illius: ergò eodem modo dici potest, quod potentia completè potens sit causa effectus, non ipsius effectionis. Quarè ad summū hæc potentia inclinat, & tendit in exercitiū sui, tanquam in aliquod, quod per ipsam constituatur, non quod adæquatè producatur: sicuti materia, & forma inclinant ad constituēdum compositum.

9 Sed contra est, exercitium potentię productiuæ nō includit formaliter in suo cōceptu potentiam productiuam, sicuti exercitium potentiæ visiuæ non includit formaliter

in

in suo conceptu potentiam visiuam: & sanè nemo non videt diuersum conceptum esse completè posse producere, & influxus, quo ab illa potentia intelligitur fluere effectus. Rursus hic conceptus influxus adæquati non includens formaliter potentiam completè potentem non disperatè omninò se habet ad illam potentiam: idque non ex alio capite; nisi quia influxus adęquatus ex suo conceptu respicit illam potentiam productiuam, vt principium sui; ergo ex genere suo influxus passiuus adæquatus, distinguitur realiter, & adæquatè ab illa potentia completa.

10 Confirmatur, & explicatur potentia adæquatè potens producere ex suo conceptu formali non includit rationem influxus adæquati, vel inadęquati; rursus respicit illum influxum, seu ipsum producere, vt terminū sui: nam est potentia productiua, seu causatiua, vel effectiua influxus; est enim potentia potens completè producere, seù quod idem est potens, & habens virtutem adæquatam ad quid? ad ipsum producere, seù ad ipsam productionem non quidem inadæquatam, aliter non esset potens adæquatè producere; ergo adęquatam, quod idem est, ac actuale exercitium adęquatum.

11 Confirmatur vlterius, ac rursùs explicatur. Effectus adęquatus est ab hac causa completa: ergo per influxum adæquatum, qui adęquatè fit ab illa causa; ergo non potest hic influxus, & exercitium huius virtutis includere ipsam virtutem, alitèr virtus physicè esset á se ipsa, quod repugnat. Prima consequentia probatur. Effectus, qui adęquatè procedit ab aliqua causa, debet procedere per influxum adęquatum, qui adæquatè fit ab eadem: nam sicuti si influxus in hunc effectum nullo modo est ab aliqua causa, effectus nullo modo est ab illa causa; ita si influxus adæquatus physicè adæquatè non fit ab aliqua causa, non potest effectus physicè ab illa adæquatè esse. Ratio autem esse potest: quia effectus nullo alio modo est à causa, nisi medio influxu: ergo si influxus non est adæquatè ab aliqua causa, non potest effectus esse adæquatè ab illa.

12 Confirmatur demum, quia potentia completa debet respicere aliquod exercitiū sui completum, per quod ex potentia transeat ad actum: aliter non esset potentia completa: ergo potentia productiua completa debet respicere suum exercitium completū, respectu cuius est potentia, & per quod transit ex potentia ad actum; ergo debet contradistingui ab illo, aliter non daretur exercitium completum, & adæquatum, quod formaliter adæquatè, & ratione sui respiceretur ab illa potentia: nisi velis dicere illam potentiam esse ad se ipsam.

Diserimen inter potētiā effectiuā, & constitutiuā.

13 Quod clariùs intelligitur, si notetur diserimen inter potentiam productiuam, & constitutiuam totius: potentia enim constitutiua essentialiter est inadæquata, & eius exercitium non est, vt id dem aduersarijs, nisi constitutio totius, in qua ipsa includatur. Quare non debemus illi assignare exercitium adæquatum, & adæquatè contradistinctum. At productiua, & effectiua, & est adæquata, & ordinata ad aliquod extra se ponendum per influxum ab ipsa procedentem ergo eius exercitium non debet includere intrinsecè ipsam. Hinc sic confirmo totum discursum, potentia physica productiua, & completa est in potentia physica ad aliquod exercitium completum, & adæquatè sumptum; aliter non esset potentia physica completa; sed non est in potentia physica ad se ipsam: ergo ipsa non ingreditur vt complementum illius exercitij. Vnde patet disparitas ad exemplum materiæ, & formæ, quod vltimo loco afferunt aduersarij.

14 Ad confirmationem autem nego consequentiam; quia quamuis potentia visiua non videat visionem, adhuc visio est exercitium quoddam contradistinctum á potentia, quo potentia illa completa exercetur, & transit de potentia in actum: ac nisi influxus adæquatus sit physicè á principio adæquato, non erit actuale exercitium illius potentiæ. Illud velim scire ab aduersario, à quo principio sit hoc exercitium adæquatum?

15 Dices secundo. In Diuinis generatio actiua non distinguitur à principio productiuo: ergo exercitium non necessariò distinguitur ab agente. Nego consequentiam in sensu, quem intendunt aduersarij. Ratio est, quia ly actiua, in Diuinis præstat, vt generatio sit potiùs, vt de facto est, principium productiuum verbi, quàm exercitium alicuius principij physici; exprimitur autem nomine illo abstracto, quia essentialiter trahit secum generationem passiuam tanquàm suum actuale, & adæquatum exercitium. Quarè si aduersarij velint causam productiuam completam vocare productionem actiuam, in quæstione de nomine non multum laboro, dummodó concedant influxum, & exercitium aliquod actuale, quo effectus intelligitur actu fluere ab illa, adæquatè ab eadem contradistinctum.

16 Dico tertio. Effectus indifferentes, qui videlicèt possunt dependere ab hac causa, & possunt existere absquè eo, quod dependeant ab illa, pendent per actionem distinctam á sua ipsorum entitate, quod sic probo. Effectus sunt indifferentes, vt pendeant, vel non producant ab hac causa: ergo non possunt sibi identificare illam actionem, seu influxum: probo consequentiam, quia si sunt indifferentes, vt pendeant, vel non pendeāt; ergo possunt separari, & existere sine illa dependentia, & influxu: ergo distinguuntur realiter ab illa: signum enim euidens distinctionis realis est separabilitas.

Effectus indifferentes distinguuntur ab actione.

17 Dices. Illud superadditum non esse actionem adæquatam, sed inadæquatam; ita

Influxus non potest esse conflatum ex effectu, & aliquo superaddito absoluto.

vt influxus adæquatè identificetur cum entitate effectus indifferentis, & illo superaddito. Sed contra, primo, quia quamuis id concederem, non contradicerem meæ conclusioni, in qua solùm defendo causalitatem esse quid distinctum ab his effectibus: non curo autem vtrum sit contra distinctum, & fortassè id non repugnat. Secundo, peto illud superadditum, quod tu dicis simul cum effectu producto conflare actionem est ne aliquis modus ad id tantùm institutus, vt connectat hunc effectum cum hac causa; vel entitas absoluta? si primum; ergo illud superadditum tantùm est causalitas; quia tale se solo est, vt connectat essentialiter hunc effectum cum illa potentia, non quocunque modo, sed tanquam cum principio completo, & eo medio tale principium actu exercetur, & communicat esse effectui; si secundum; ergo possunt absolutè esse hic terminus, & illud superadditum, & tamen non haberi influxus: posset enim haberi hodie terminus, & cras eo cessante haberi illud supra additum: in quo casu non habetur influxus, qui necessariò dicit illorum simultatem: dicit enim necessariò aliquod, quod infallibiliter connectitur cum principio: præcisa autem simultate non habetur hoc infallibiliter connexum cum eo principio, nam cras potest haberi illa entitas absoluta sine termino, & principio, sed dependens ab alia causa: hodie potest haberi terminus sine illa entitate absoluta, & tali principio: ergo influxus est etiam simultas illarum rerum: quod est sine vlla ratione multiplicare tùm entitates absolutas, tùm continuam causalitatis. Præterea illud superadditum requiritur præcisè, vt causa intelligatur actu exerceri circa hunc terminum: ergo requiritur vt purus nexus physicus, & formalis determinatio, ac exercitium actuale illius principij: omne enim aliud prædicatum gratis admittitur in illo: si autem esset entitas absoluta, non tantùm purè necteret, & determinaret; sed etiam aliquid aliud præstaret; aliter non esset cur posset existere sine illo principio, & termino.

18 Neque dicas talem entitatem absolutam superadditã non posse existere sine principio illo completo: quia si non potest existere sine illo principio; ergo est actuale exercitium illius principij, per quod tale principium constituitur actu operans: nam illud principium completum non potest existere sine illa entitate superaddita, quia non potest existere sine termino à se causato: causa enim præsertim necessaria vltimò, & complete potens operari infallibiliter connectitur cum suo effectu. Rursus talis entitas non potest existere sine illo principio, & consequenter neque sine termino, cum quo essentialiter connectitur principium completum: ergo illa entitas, quam dicis absolutam, essentialiter connectitur tùm cum principio illo, tanquam cum causa huius termini, tùm cum termino tãquam cum effectu illius principij; ergo verè est nexus causæ cum effectu, & actuale exercitium, quo posito virtus operatiua intelligitur formaliter actu determinata ad hunc terminum, & versans circa illum.

19 Dices quarto. Causalitas hæc distincta est entitas modalis. Probatur; quia est actuale exercitium alicuius potentiæ realiter ab illa distinctum, & essentialiter pendens ab eadem, ac auferens formaliter indifferentiã, seu formaliter actu illam determinans; ergo verè est modus illius potentiæ; quinimò & termini; verè enim est aliquo modo actuale exercitium auferens à termino potentiæ esse, & non ab hoc principio aliquam indifferentiam; ergo est modus illius.

Actio dicta est modus.

20 Dico quinto. Si aliqui effectus sunt essentialiter addicti alicui principio completo, ita vt non possint existere, quin dependeant tali determinato modo ab illo, non apparet cur dependeat ab illo principio per actionem distinctam; quia seipsis sunt essentialiter addicti illi principio tanquam suæ causæ; ergo non est cur non sit actuale exercitium talis principij. Dixi quin dependeant tali determinato modo; quia si effectus sit determinatus ad dependendum ab hac causa, ita, vt non possit non dependere ab illa, sed habeat indifferentiam, vt pendeat hoc, vel illo modo, vt sunt creaturæ respectu Dei; certè non est actuale exercitium vltimò determinans causam, sed tùm ipse, tùm causa debent vlterius determinari quoad modum per aliquod superadditum, in quo sita formaliter erit causalitas.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primo. Posita entitate ignis potentis producere approximatione illius ad materiam, & carentia miraculi, decreto Dei, & reliquis, quæ per nos sunt proximum fundamentum modi, implicat calorem non pendere ab igne: ergo actio benè constitui potest in illo fundamento, & entitate caloris: ergo non est modus à nobis admissus. Distinguo primum consequens. Actio fundamentaliter sumpta transeat; formaliter accepta nego: ratio responsionis patet ex dictis.

2 Illud hic obiter vrgeo contra aduersarios: si causalitas, vt volunt, completur formaliter per carentiam miraculi, vel per decretum Dei; ergo nullo adhibito à causa nouo conatu; præcisè quia cessat miraculum, vel ponitur Decretum Dei cæteris paribus causa ex non formaliter causante fieret formaliter causans: quod esse absurdum, vndè patet; quia de nouo causaret, & de nouo non exerceretur; neque aliquid de nouo poneret; sed

Vrgentur alij vijs aduersarij.

sed merè passiuè se haberet recipiendo nouā denominationem. Quinimò plura positiua requirerentur ad denominationem non causantis, quàm ad denominationem causantis: nam ad denominationem causantis formaliter requiritur carentia miraculi; & ad denominationem non causantis cæteris paribus requiritur miraculum; ac proinde denominatio causantis formaliter completur per negationem, non causantis autem per positionem: cum tamen causare sonet quid positiuum, non causare negatiuum.

3 Secundo, Deus ad exigentiam huius causæ applicatæ, nunc vult per suam omnipotentiam concurrere ad productionem huius effectus: ergo vult formaliter aliquod exercitium diuinæ omnipotentiæ, & huius causæ, quod prius non erat. Huiusmodi autem exercitium non est complexum ex effectu, causa, omnipotentia, decreto, ac ipsa applicatione: quia hæc omnia antea habebantur, vt supponimus, sed miraculosè impedita erat productio, & dependentia effectus ab ista causa: ergo est aliquid aliud, quod non est nisi actio distincta, quæ antecedenter miraculosè impediebatur, & nunc ponitur. Quare nunc cessare miraculum, non est, nisi actio naturalis distincta, quæ nunc ponitur ad exigentiam causæ applicatæ. Ex quo confirmo argumentum nostrum principale: quia terminus exactus formaliter á causa non est effectus secundum se: nam antecedenter cum miraculosè impediebatur productio, habebatur effectus secundum se, neque habebatur terminus exactus: neque decretum Dei æternum, aut aliqua alia circumstantia ob eandem rationem, quia hæc omnia præcedebant, & non habebatur terminus exactus: ergo aliquis alius est terminus exactus: ergo actio, & modus, quem defendimus. Neque iuuat recursus ad mutationem temporis, quia cum partes temporis præcedentes, & sequentes sint omninò similes, earum varietas non potest nulla alia facta mutatione inducere effectus formales specie diuersos, vel etiam contradictoriè oppositos.

4 Tertio, tùm causa physica, tùm moralis exigit, vt Deus ponat aliquem effectum, v. g. ignis exigit, vt Deus producat calorem; & meritum præsens, vt Deus augeat gratiam: & Deus defacto vult ad exigentiam illarum causarum producere dictos effectus; quæro nunc ab aduersarijs, in quo sita sit diuersitas inter causam physicam, & moralem in hoc casu. Dices, quia vna est virtus physica, altera moralis. Sed contra, quia vtraque per sui existentiam præsentem exigit concursum Dei ad effectum sibi proportionatum; cur igitur altera est causa physica physicè influens, altera moralis moraliter influens? Huius rei rationē facilè assignamus iuxta nostrā doctrinā: quia causa physica influit in effectum per influxum à se immediatè procedentē, & non purè exigendo, vt aliud agens influat: quare terminus ad quem formaliter tendit virtus physica, & ad quem exigit diuinam omnipotentiam applicatam est dicta actio, & non effectus secundum se. Causa moralis influit in effectum purè exigendo, vt alia causa influat, seu exigit influxum non à se immediatè, sed ab alia causa procedentem.

5 Obijcies secundo. Actio non producitur per aliam actionem distinctam: ergo neque terminus. Nego consequentiam; quia terminus, vtpotè indifferens, vt supponimus, non est actuale exercitium potentiæ, sicuti est actio: quod autem est actuale exercitium dependendi, non potest vlterius determinari ad dependendum per aliquod aliud. Similiter terminus non est ab actione, sed à principio media actione; quare mirum non est, si inter effectum, & actionem non debeat intercedere aliud exercitium, & influxus: quo actio veluti se exerceat circa terminum.

6 Obijcies tertio. Effectus eadem actione pendet à Deo, & à causa creata: sed à Deo pendet actione sibi identificata: ergo etiam à causa creata. Minor probatur. Effectus essentialiter pendet à Deo, & nullam habet indifferentiam, vt pendeat, vel non pendeat ab illo: ergo pendet à Deo actione sibi identificata. Respondeo. Effectum primo dependere à Deo dependentia quadam radicali sibi identificata, & in eo sita, quod effectus ex suis intrinsecis essentialiter exigat actu depēdere à Deo. Secundo dependet à Deo dependentia formali, quæ est actualis influxus Dei in effectum, & hæc non necessariò identificatur cum creatura, licet sit ab illa inseparabilis, ideoque dici possit illi essentialis. Nego igitur minorem, ad cuius probationē concedo creaturam essentialiter, idest indispensabiliter dependere à Deo; non tamen actio erit illi identificata: quia potest non dependere per hanc determinatam actionem, vnde hæc, vel illa determinata distinguitur à creatura, & est illi accidentalis: hinc distinguo illam propositionem; effectus nullam habet indifferentiam, vt pendeat, vel non pendeat à Deo absolutè; concedo (neque enim potest absolutè ab illo non dependere) vt pendeat per hanc, vel illam actionem; nego.

7 Instabis, etiam actio potest dependere ab alio agente: ergò est indifferens, vt pendeat per hanc, vel illam actionem. Distinguo antecedens: amittando dependentiam, vel modum dependendi à primo; nego: non amittendo; transeat: nolo enim de hoc controuertere: & distinguo consequens; indifferens est vt pendeat per hanc, vel per illam actionem respectu causæ, cuius est actuale exercitium; nego: respectu alterius; concedo consequentiam: nam comparata hæc actio cum principio, cuius est actuale exercitium semper, & inuariabiliter eodem modo illud respicit, ita

vt

vt non possit existere, quin eo modo, & sufficienter ab illo recipiat esse, si illud sit principium adæquatum; vel inadæquatè si inadæquatum: quidquid sit deindè vtrum possit ab alio principio veluti superuacaneè, & superfluè, vel etiam necessariò, sed in alio genere dependere per influxum distinctum; quod dico ne hinc cogar asserere essentialiter influxum agentis creati dependere se ipso à principio materiali; si enim tantùm se ipso depēdeat immediatè ab efficiente, adhuc est actuale exercitium efficientis, quidquid sit deindè vtrum à materiali dependeat se ipso, vel per influxum distinctum.

8 Aduerto hic, quod non magis dependet calefactio ab igne calefaciente, quàm aurum à Deo: quia tùm calefactio ab igne, tùm aurum à Deo recipiunt totum suum esse immediatè, immediatione excludente omne aliud principium medium; imò longè strictiori modo debet aurum recognoscere Deū, vt fontem sui esse, quàm calefactio ignem; nam calefactio non respicit ignem, vt primū, & adæquatum suum principium; cum etiam ignis sit ab alio. At Deus est primum principium omnis esse creati, & absoluté adæquatum: quia vel se solo causat, vel simul dat esse, & virtutem reliquis causis, quarum perfectiones exclusis imperfectionibus in se perfectissimè continet.

9 Quod autem effectus creati, qui per actionem distinctam dependent à causis creatis, non se ipsis, sed per actionem item distinctam pendeat à Deo, vlterius contra Quiros *disp. 60. sect.* 1. confirmatur: quia illa actio, qua pendent à causis creatis, est etiam actio, qua pendant à Deo: est enim fatentibus aduersarijs à Dei virtute, & immediatum exercitium eiusdem virtutis diuinæ non absolutū, vt ità dicam, & fixum in se, sed relatiuum, quo virtus Diuina tendit in effectum: ergò est actio, & influxus virtutis diuinæ in effectum creatum: ergo necessariò in illis circumstantijs effectus creatus pendet à Deo per actionem distinctam.

10 Vrgebis. Deus se ipso scit, se ipso causat. Pulchrè! ergò semper causat sicuti semper vult, & scit. Nego igitur consequentiam: quia velle, & scire sunt actiones immanentes Deo intrinsecæ; at causare est actio transiens.

11 Obijcies quartò. Hæc actio, qua producitur lux à sole, non potest esse à solo Deo: ergo non est realis, sed chymerica: quidquid enim producitur à causa secunda, potest produci à solo Deo. Confirmatur. Motus cœlorum non fit à Deo per actionem distinctam: aliter ad actionem daretur actio, & motus ad motum; & tamen potest idem motus fieri à solo Deo. Nego consequentiam. Ad probationem: nego absolutè assumptum. Deus enim non potest se solo facere hunc cōceptum, nempè, Deum coagere simul cum sole, aliter sol simul tunc ageret, & non ageret: ageret, quia coageret cū Deo; nō ageret, quia solus Deus agit. Perfectio igitur Diuinę omnipotentiæ sufficienter saluatur: quia Deus potest se solo facere radicaliter omnia: quia licet non possit se solo ponere aliquid, potest tamen se solo ponere concausas necessarias ad positionem illius.

12 Ad confirmationem dico, si motus Cœli se ipso immediatè producitur ab Angelo, non posse eumdem numero immediatè produci à solo Deo: si autem producitur ab Angelo per actionem distinctam, poterit à solo Deo produci per actionem item distinctā; itaquè in illo casu ad actionem non daretur actio, vel motus ad motum: quia nequè motus productiua esset actio, neq; actio productiua motus localis esset formaliter motus localis.

13 Obijcies quinto. Non potest assignari subiectum huius actionis distinctæ: ergo non datur. Respondeo, non hic loqui posse vel de actione creatiua, vel de eductiua: rursus vel de subiecto inhæsionis, seu causalitatis; vel adhęsionis, seu informationis. Subiectum inhæsionis est, quod ita vnitur cum termino tanquam cum forma, vt illum materialiter causet; ahæsionis autem, quod ità vnitur cum aliqua forma, vt illam non causet. Certum autem mihi est, nullum terminum posse materialiter causare, & esse subiectum inhæsionis respectu influxus, per quem causatur; aliter esset causa suæ causalitatis, & in priori ad illam, ac proindè ad se ipsum.

Explicatur subiectum actionis, tum creatiuæ, tum eductiuæ.

14 Assero igitur primo, actionem creatiuam nullum habere subiectum inhæsionis; quia est productio rei ex nihilo subiecti, quod communiter explicatur per independentiam ab illo, quod verificari debet etiam de actione, aliter terminus dependeret à subiecto: cum terminus non alio modo dependeat à causa, nisi per influxum.

15 Assero secundo: actionem eductiuam necessariò dependere à subiecto inhæsionis: est enim productio rei dependenter à subiecto: ergo essentialiter dependet actu ab illo, aliter non constitueret rem actu dependentē à subiecto.

16 Assero tertio: actionem eductiuam dependere à subiecto illo, à quo pendat terminus eductus; sicuti enim actio constituit terminum dependentem ab illo agente, à quo ipsa procedit, & dependet; ità, & ab eo subiecto, à quo ipsa dependet. Ratio autem est iam dicta: quia effectum dependere, vel non dependere ab aliquo principio, idem est, ac influxum productiuum illius dependere, aut non dependere ab eodem principio.

17 Assero quarto: actionem eductiuam nō adhærere, & vniri immediatè termino, sed eidem principio, à quo materialiter procedit: quia ordinatur ad perficiendum non terminum, sed principium passiuum, vt vidimus.

18 Assero quinto: actionem creatiuam habere pro subiecto terminum: quia nullum

aliud

aliud est assignabile subiectum : non enim est agens : aliter Deus creando reciperet actionem nouam sibi intrinsecam, quod est omninò falsum; & cum subiectum adhæsionis nō debeas causare istiusmodi, nulla iam est ratio, quare actio creatiua non possit adhærere termino.

19 Instabis. De ratione accidentis est inhærere : sed actio creatiua est accidens: ergo debet habere subiectum inhæsionis. Nego maiorem; nam inhærere conuenit etiam formis substantialibus materialibus : de ratione igitur accidentis est alteri adhærere tanquam entis ens, seu ens secundarium, vt dicemus in Metaphysicis.

20 Instabis iterum, non potest negari influxum dependere ab effectu : aliter enim nequit absolutè esse sine illo. Respondeo, dependere non à priori tanquam à causa, sed tanquam à termino, quem necessariò trahit, sicuti decretum Dei pendet aliquo modo ab effectu, quem necessariò, & infallibiliter trahit.

21 Instabis tertio : Creatio non constituit terminum connexum secum ipso: ergo neque ipsa connectitur cum termino? Nego consequentiam; quia non omnia denominatio formæ tribuitur subiecto, sed illa, cuius subiectum est capax: sic anima rationalis vnita materiæ non constituit illam spiritualem; effectus autem non est capax, vt denominetur connexus physicè secum ipso : quia hæc connexio exigit realem distinctionem.

22 Dices primo. In Diuinis generatio actiua est in Patre : & generatio passiua est in Filio : ergo etiam in creatis datur duplex, veluti influxus alter actiuus in agente, alter passiuus in subiecto, seu termino. Nego consequentiam : quia præter supradicta in Deo generatio actiua, & passiua constituunt diuersas personas : ergo debent esse distinctæ, & vna est principium alterius, quæ sit illius adæquatum exercitium actuale : quæ ratio nō militat in creatis, in quibus si velis actum primum completum vocare productionem actiuam non multùm laboro, dummodò concedas illi correspondere aliquod exercitium actuale contradistinctum, quod voces productionem passiuam.

Actio non est in agente.

23 Dices iterum. Nullum agens creatū potest transeunter operari, hoc est in subiectum externum; ergo actio omnis procedens ab agente creato recipitur in eodem. Antecedens probatur : aliter illud agens creatum esset perfectiùs agente vitali; agere enim transeunter est maior perfectio, quàm agere immanenter : ideoque Deus, qui est cumulus omnium perfectionum excludens omnem imperfectionem, agit transeunter, & non potest immanenter agere terminos creatos, ideoque eius proprium est : vt immotus det cuncta moueri. Nego antecedens, ad eius probationem nego sequelam; & ad rationem in contrarium allatam distinguo illam propositionem, agere transeunter est maior perfectio; si agens supponatur capax vlterioris perfectionis, nego; si supponatur incapax ob summam suam perfectionem; concedo. Quāuis enim absolutè maior perfectio sit agere transeunter, quàm immanenter; quia actione physicè contingente immanenter agere, supponit imperfectionem in agente, quod nō conuenit actioni transeunti: facta tamen suppositione, quòd agens sit imperfectum, maior perfectio est posse se perficere per actionem immanentem, quam ab alio totaliter perfectionem expectare, & agere purè transeunter. Ad confirmationem dico, Deum solum immotum dare cuncta moueri : quia solus Deus est, qui à nullo extra nouit recipere esse.

24 Dices secundo cum Muro. Propria perfectio virtutis actiuæ, ad quam tanquam ad proprium bonum inclinat virtus illa, est intrinseca tali virtuti: sed actio, seu influxus est propria perfectio virtutis actiuæ, ad quam inclinat virtus actiua creata : ergo est intrinseca tali virtuti. Nego absolutè minorem. Virtus enim actiua formaliter, vt actiua, non quærit bonum suum, vt patet in Deo omnipotentia.

25 Hinc reijcio Quiros, qui *disput. 61. sect. 4.* docet, actionem eductiuam esse in agente, & ab illo etiam passiuè procedere, ideoque esse passionem intransitiuam sui, non termini; passionem autem esse in subiecto, à quo actiuè etiam procedit, ideoque est actio intransitiua sui : reijcio, inquam, quia præter supradicta; si subiectum est principium actiuum passionis; non est cur illa sit pura passio, & non simul actio transiens, & cur subiectum non sit absolutè principium actiuum termini, sicuti est passionis.

26 Colligo ex dictis, Angelos defacto existentes supposita identitate actionis, & durationis distingui ab actione creatiua : quia ipsis perseuerantibus, actio irreparabiliter fluit. In opposita suppositione, si sint indifferentes ad actionē illā creatiuā, qua defacto causantur, vtrique dependent à Deo per actionē distinctam, sin minus; non apparet ratio distinctionis.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur nonnullæ quæstiones de actione, seu influxu.

§ 1 QVæres primo. Vtrum influxus, quo concurrit causa secunda ad productionem effectus, distinguatur ab influxu, quo concurrit Deus? Respondeo negatiuè iuxta supra indicata. Probatur. Influxus, quo causa secunda influit in effectum, est essentialiter connexus cum existentia effectus: habet enim conceptum actualis productionis : actualis

autem

autem productio essentialiter cōnectitur cum existentia rei productæ, quis enim dixerit, quod ignis actu producat calorem, & hic actu non fit, neque producatur; ergo est influxus adæquatus; influxus enim inadæquatus sicuti non est sufficiens ad positionem effectus, ita non videtur essentialiter connexus cū existentia effectus; ergo est ex suis intrinsecis influxus, quo ad illū effectū concurrunt alia principia, Deus videlicet, & reliqua: influxus enim quo concurrunt aliqua non omnia principia effectus, est inadæquatus. Ex his principijs videtur sequi non posse eundē terminum produci per duas actiones inadæquatas, quarum quælibet tamen participaret veram rationem actionis.

Influxus agentis, & materiæ est idem realiter.

2 Hinc infero causam materialem per eundem influxum, quo efficiens, concurrere in effectum, qui influxus quatenus est vnio sui cum aliquo prærequisito ad effectum tanquā subiecto eiusdem effectus est influxus causæ materialis, quatenus est communicatio quædam, qua causa efficiens modo supra explicato dat esse illi eidem effectui, est influxus causæ efficientis. Cum autem influxus causæ materialis se ipso dependeat à causa efficiente nullum est periculum processus in infinitū in assignanda causalitate, qua influxus materiæ dependet à Deo, & ab efficiente, & influxus efficientis à materia: ratio est, quia influxus agentis essentialiter connectitur cum existentia effectus: ergo est influxus adæquatus: ergo est etiam influxus causæ materialis: & sicuti non tantùm radicaliter, sed formaliter connectitur cum effectu; ita etiam formaliter est influxus causæ materialis, & absolutè adæquatus.

3 Dices. Non repugnat actio principij effectiui, quæ non sit dependentia sui à materia, seu passio, quinimò defactò separantur ea prædicata in actione creatiua: ergo realiter semper actio distinguitur à passione: sicuti quia videmus nonnunquam albedinem sine dulcedine; quamuis deindè vniantur in lacte, adhuc dicimus illas esse in lacte distinctas. Nego consequentiam, quia quando ex circumstantijs agens est impotens operari independenter à subiecto, iam supra positiuè probauimus necessitatem identitatis inter duos illos conceptus, quæ necessitas cum non militet in albedine, & dulcedine mirum non est si albedo, & dulcedo in lacte realiter distinguatur.

4 Ex his infero primo contra Lyneeum, decretum Dei liberū, quo vult aliquid creare non esse rei creationem realem spectantem ad statum realem illius, sed ad summum intentionalem. Probatur. Creatio realis rei est temporanea, sicuti res ipsa creata: aliter daretur creatio, qua res realiter crearetur, & non daretur realiter rea creata: & haberetur actualis realis communicatio, qua actu realiter, non solùm intentionaliter, communicaretur rei existentia, & rès actu realiter non esset: quia per se potest esse realis creatio sine re creata: sed decretum Dei est æternum, & per æternitatem præcedens rem creatam, ergo, &c. Confirmatur. Hæc creatio aliquod exercet in tempore, dum actu res creatur, quod exercitium non fuit ab æterno; hoc autem exercitium non est, nisi creatio temporanea distincta à decreto æterno. Vndè patet ad ponendas de nouo res, non esse necessarium exercitium nouum potentiæ volitiuæ cuius est constituere rem in statu intentionali, & potest tendere in rem physicè non præsentē: sufficit enim si de nouo ponatur exercitium reale potentiæ causatiuæ: & quamuis volitio sit actuale exercitium potentiæ volitiuæ determinans causaliter Deum ad positionem rei, non est tamen exercitium potentiæ, vt ita dicam, executiuæ, & productiuæ; ideoque nō est formalis positio rei, sed volitio, & tendētia intentionalis in illam positionem.

Quomodo varientur influxus.

5 Quæres secundo. Verum influxus varietur non solùm ad variationem principij productiui, siuè materialis, siuè efficientis, sed etiam ad mutationem aliarum circumstantiarum, vt sunt approximatio ad subiectum, tēpus, decretum Dei, & finis? Respondeo primo haberi diuersū influxū quando Deus vult, vt mutetur influxus; implicat enim non sequi mutationem à Deo efficaciter volitam.

Influxus dicit essentialem ordinē ad decretū, quo est volitus.

6 Respondeo secundo omnem influxum actualem esse ordinem essentialem sui ad hāc voluntatem Dei, qua defacto est volitus; ita vt si non fuisset hæc volitio, quæ nunc defacto datur in Deo, & qua voluit hunc mundū, sed alia, qua potuisset velle eundem mundum; certè influxus productiuus huius mundi fuisset diuersus ab influxu, qui defactò est volitus. Probatur: quia influxus in hunc mundum, & in quemlibet effectum non minorem connexionem habet cum volitione Dei, qua est volitus; ac cum causis creatis: sed dicit ad causas creatas, à quibus fluit essentialem ordinem, vt est apud omnes certum: ergo etiam ad volitionem Diuinam. Maior confirmatur, quia quamuis formalitas illa volitionis Diuinæ non sit virtus formaliter causatiua, sed potiùs applicatio efficax virtutis causatiuæ; tamen non est quæcunque applicatio, sed vitio quodam modo determinans prædicata influxus, & determinatè respiciens hunc, & non alium influxū: ergo tendit formaliter in hunc influxum, vt in id, quod specialiter habet esse terminum ipsius: ergo tanquam in aliquod, quod habet specialem respectum ad ipsum: ergo supponit in ipso influxu, quem vult, essentialem ordinem ad se; ita vt sicuti decretum non potest esse sinè hoc influxu, quem vult; ita neque influxus hic volitus sine hoc decreto.

7 Confirmatur, & explicatur. Non magis potentia executiua habet pro termino, in quem formaliter tendit suum aliquod exercitium,

rium, quod cum ipsa essentialiter connecta-tur; quàm debeat huic Dei decreto determinato ad extra correspondere aliqua eiusdem executio actualis, quæ cum eodem connectatur: hæc autem executio actualis non est ipsa effectus ex se indifferens, vt sit executio huius, vel alterius decreti: erit igitur influxus in effectum, qui influxus, sicuti quatenus est actuale exercitium huius potentiæ in hunc effectum, aufert indifferentiam effectus, vt sit, vel non sit ab ista causa, & essentialiter connectitur cum ista causa, ita quatenus est actualis executio huius decreti de hoc effectu, & aufert indifferentiam effectus, vt sit, vel non sit ex decreto, & cum eodem decreto essentialiter connectitur.

8 Non ita res euenit in alijs applicationibus, vt est approximatio, v. g. quæ non videtur ex se exigere saltem essentialiter potiùs hunc, quàm illum influxum; vnde vt infallibiliter habeant potiùs hunc, quàm illum influxum, debeat vlteriùs determinari per decretum Dei, ex quo infallibiliter potiùs trahant hunc, & non alium influxum: quare illæ applicationes non debent supponere in illo influxu, qui defacto ponitur aliquod prædicatum essentialiter connexum cum ipsis. Neque verò quis dixerit influxum esse, vel actuale exercitium approximationis, vel actualem eiusdem executionem.

9 Hinc patet, si decretum, quo Deus vult hanc rem propter hunc finem, est diuersum ab alio decreto, quo Deus eandem rem velit propter alium finem, futuros diuersos influxus.

10 Dices. Non est diuersus mundus, quẽ Deus vult propter hæc motiua, à mundo, quem potuisset velle propter alia motiua; & tamen est diuersum decretum Dei: ergo non est diuersus influxus, quo Deus causat mundum propter hæc motiua ab influxu, quo mundum causat ob alia motiua. Nego consequentiam: quia mundus supponitur indifferens ad diuersa motiua, sicuti indifferentes sunt eius partes ad diuersas causas; neque debet dari ex parte mundi causati aliquod prædicatum, quod vt eius executio tẽporanea, & externa respiciat hoc decretum Dei potius, quàm aliud; sicuti quod respiciat potiùs has, quàm illas causas.

11 Dices secundo. Hæc doctrina non habet locum respectu causarum liberarum. Respondeo, me illam tradidisse præcipuè pro causis necessarijs: cæterùm potest optimè accommodari causis liberis: nam causis liberis Deus confert auxilia hæc, & non alia, ponitque illas in his potiùs circumstantijs, quàm in alijs ex suo libero decreto propter hos fines potiùs, quàm alios, & consequenter per hos potiùs influxus, quàm illos. Rursus parando concursum ad actus liberos propter hos potiùs fines, quàm illos, vult potiùs hunc influxum in actum amoris, vel odij, quàm alios. Quare & voluntati creatæ relinquitur indifferentia, vt ex actibus amoris, & odij oppositis eligat, quem velit; & in influxu ad hos actus inuenitur determinatum prædicatum respiciens potiùs hoc decretum, quàm aliud.

Habet locũ allata doctrina etiã in causis liberis.

12 Vt autem allata doctrina intelligatur suppono cũ satis probabili aliquorum Theologorum opinione, Deum vnicum tantùm habere decretum liberum, quo voluit, & determinauit omnia ea, quæ defacto volita ab ipso, & determinata sunt. Hoc enim spectat ad eius perfectionem; vt sicuti vnico actu simplicis intelligentiæ perfectissimè cõprehendit res omnes, omniaque motiua tùm inclinantia, tùm retrahentia, omnes item vtilitates, & detrimenta, quæ qualibet res posset accipere ex coniunctione, sicuti etiam ex præcedentia, vel consequentia ad aliam; omnes item exigentias, & oppositiones, quas res inter se habent; ita vnico decreto liberè voluit hunc mundum cum omnibus suis partibus tùm naturalibus, tùm supernaturalibus, & consonantiam, quæ ex hac rerum serie oritur.

Vnicum est in Deo decretum.

13 Iam verò Deus determinauit illo vnico suo decreto aliquot ex his influxibus illorumque positionem, definitionem, multiplicitatem, & mutationem iuxtà exigentiam rerum creatarum; aliquos verò ex sua libertate supra exigentiam rerum creatarum: & primi quidem influxus sunt naturales, & ad cognoscendam illorum multiplicitatem, & mutationem recurrendum est ad exigentiam creaturatum; ità vt tunc putandum sit Deum velle nouum influxum, quando causæ creatæ exigunt nouum influxum: secundi sunt miraculosi, & ad cognoscendam illorum varietatem recurrendum est ad reuelata, & alia principia super naturalis, ex quibus possimus theologicè colliger veritatem.

14 Ex his infero primò, variari debere influxum variata quacunque causa influente; influxus enim est actuale exercitium causæ influentis, & modus illi addictus: ergo variari debet ad eius variationem. Variari secundo debet ad variationem motiui à Deo voliti; quia variato motiuo, variatur decretum Dei; cum Deus defactò voluerit omnia motiua vnico actu. Sed caue, credas, modo Deum per suũ decretũ respicere hoc motiuũ, modo aliud, quia sicut decretũ Dei ab æterno conceptum, est inuariabile ita inuariabiliter, semper respicit eadem motiua. Igitur cum dicimus variandum influxum, si motiuum variettur, solùm volumus non futuros fuisse eosdem influxus; si Deus habuisset alia decreta, & alia motiua.

Illationes ex allata doctrina.

15 Hinc si supponamus Deum ob suam gloriam, & propter se, qui est finis vniuersalissimus, in quo continentur omnes alij modo longè perfectissimo voluisse hunc effectum per decem annos, vt vtilem ad hanc rem,

per alios decem, vt vellem ad aliam; influxus causatiuus talis rei non deberet esse diuersus in primis, ac secundis decem annis; quia semper respiceret indiuisibiliter illud decretum Dei volentis illos duos fines particulares; sicuti enim decretum non est diuersum; ita neque influxus illi addictus, qui esset ob vtrumque finem indiuisibiliter, quamuis fines non essent simul; & in primis decem annis respicit finem volitum pro secundis decem annis, quamuis non existentem in primis decem; sufficit enim, si in illis existat volitio talis boni, cui volitioni addictus est ille influxus: falsum igitur est, quod effectus ille est volitus à Deo propter diuersum finem in primis decem annis, ac in secundis; sed propter eundem finem veluti compositum, cuius vna pars est in primis decem annis, altera in secundis.

16 Infero tertio: persistentibus eisdem causis, quamuis varietur approximatio causæ ad effectum, & subiectum, per variationē loci, non debere variari actionē, sicuti neque variata purè circumstantia temporis. Probatur, quia Deus vult, vt stantibus eisdem causis cum aliqua approximatione, & in his omnibus locis, & temporibus, in quibus videt ipse futuros simul causam, & effectum, & subiectum, perseueret eadem causalitas; quia id exigit bonum vniuersi, & causæ naturales; sicuti enim ex variatione temporum, & loci non infertur variationē rerum, ita neque influxuum.

17. Infero quarto, futurum fuisse diuersum influxum ab eo, quo ego defacto produco, si Deus noluisset producere muscam, quam defactò producit: quia tunc fuisset diuersum decretum, quo Deus voluisset mei quod tantum abest ab absurditate, vt potiùs magnoperè commendet Diuinam prouidentiam, & consonantiam huius vniuersi, ac connexionem quamdam mutuam partium illius inter se, quod maximè spectat ad consonantiam, & pulchritudinem, quamuis nobis minimè, vel satis tenuiter cognitam.

18 Infero demum quinto: influxum in opus externum nō apparere variandum, quia variatur finis, propter quem creatura illud intendit; vt si quis intendat deambulationem modò animi causa, modò propter sanitatem; non ideò influxus in deambulationem erit diuersus, quia illa intentio non habet eam infallibilem connexionem cum influxu, quam habet voluntas efficax Dei. Cum hoc autem iuxta supradicta benè stat, quod influxus illi connectantur cum dictis intentionibus; quia connectuntur cum decreto Dei essentialiter respiciente illas intentiones: quare non accidit actui externo, prout includit actionem, quod sit ob hunc, vel alium finem ab eliciente intentum.

19 Quæres tertio. Vtrum actio, & passio distinguantur ratione? Respondeo affirmatiuè: primo, quia non omnis actio est passio, vt patet in creatione: ergo quādo identificantur in eodem influxu ratione distingui possunt, sicuti in homine animal, & rationale. Secundo, actio formaliter est exercitium agentis: passio subiecti, qui sunt conceptus formaliter diuersi; in conceptu autem eductionis, cum includatur depēdentia à subiecto, includitur formaliter non solùm actio, sed etiam passio.

Actio, & passio ratione distinguuntur.

20 Quæres quarto. Vtrum conseruatio distinguatur à prima productione? Respondeo, si causalitas identificatur, vt volunt nonnulli, cum duratione, eam distingui etiam secundum aliquod positiuum à conseruatione, nam prima productio solùm dicit primum instans durationis rei; conseruatio autem dicit plures partes durationis priores, & posteriores; in hac autem suppositione nullo modo verificatur, quod res causet suam durationem; aliter causaret seipsam, dum causat influxum, quo ipsa causatur, & identificatur cum illa duratione.

Si influxus identificatur cū duratione, prima productio distinguitur à conseruatione.

21 Quod si causalitas distinguatur à duratione, adhuc prima productio distinguitur secundum aliquod positiuum à conseruatione; nam prima productio dicit causalitatem, & primam illius durationem. Conseruatio autem dicit necessariò plures partes durationis priores, & posteriores eiusdem causalitatis.

Si distinguitur; nihilominus prima productio secū dū aliquod positiuum distinguitur à conseruatione

22 Ex quibus infero, si principia conseruatiua rei sunt eadem, ac primo productiua, tunc cōseruationem differre à prima productione solùm inadæquatè ratione durationis; causalitas enim est prorsus eadem in hac secunda suppositione. Illud obiter aduerto, conseruationem rei creatæ non esse puram perseuerantiam rei in esse, qui conceptus adæquatè saluatur per durationem diuisibilem, qua res correspondet tempori diuisibili; sed etiam includere dependentiam ab alio, & influxum causatiuum.

23 Quæres quinto. Quid sit actio destructiua? Respondeo, esse carentiam actionis antecedentis, & cuiuscunque alterius; nisi enim res præcesserit cum influxu, quo causatur, & cesset tempore sequenti omnis causalitas circa ipsam, non intelligitur destrui; sicuti igitur esse rei non est illius positio formaliter, ita non esse eiusdem, non est formaliter destructio, seu non esse positionis.

Quid sit destructio.

24 Quæres sexto. Vtrum possit dari actio sine termino? Respondeo id repugnare, omnis enim productio alicuius rei est productio, siue demum illa res sit distincta, siue identificata. Confirmatur, quia repugnat volitio, & cognitio, quæ non constituant aliquod volitum, & cognitum.

Non potest dari actio sine termino.

25 Quæres septimo. Vtrum vnica actio possit respicere plures terminos? Respondeo, me nullam videre repugnantiam in eo, quod vnica actio inuariabiliter, hoc est semper, & eo-

Nō apparet repugnantia actionis, quę respiciat plures terminos.

eodem modo respiciat plores terminos; si præsertim termini habeant inter se aliquam connexionem, ratione cuius exigant procedere ab eisdem principijs: sicuti enim in illo casu conueniunt in causa, a qua producuntur, ita & in influxu, quo medio recipiunt ab illa esse. Confirmatur, quia potest intellectus, & voluntas vnico actu respicere plura obiecta.

26 Dixi innatiabiliter: quia cum actio sit actuale exercitium producendi; non potest modo terminari ad hunc effectum, modò ad alium: aliter non esset actuale exercitium, & vltima determinatio, sed esset vlterius determinabilis cum periculo processus infiniti.

Forma materialis, & eiusdem vnio causantur eadem actione.

27 Ex his infero satis probabile esse, defacto vnionem materiæ ad formam materialem, & ipsam formam materialem causari eodem influxu. Probatur, quia ex vna parte termini hi sunt ita connexi inter se, vt ab eisdem principijs exigant conseruari, & produci: & illa principia ex alia parte non tendunt, veluti disparatè in illos; sed veluti simul, & ad modum vnius: intendunt enim productionem non solius formæ, aut solius vnionis, sed formæ vnitæ: ergo satis probabile est, quod concurrant ad illos vnica actione: si enim possunt duo termini naturaliter causari vnica actione; non videntur quæ aliæ circumstantiæ possint potiori iure illam vnitatem influxus exigere. Identitas autem horum influxuum non affert illa incommoda, quæ affert identitas albedinis, & dulcedinis in lacte: bonum enim substantiæ est, illa accidentia distingui, vt suppono. Animæ autem rationalis, & eiusdem vnio ad corpus non possunt naturaliter eadem actione produci: quia vnio fit per eductionem dependētem à materia, anima autem rationalis à solo Deo per creationem.

Nō omnia, quæ à Deo causantur sūt formaliter volita à Deo propter omnes fines, quos defacto intendit

27 Dices. Ergo quæ defactò dantur, sūt volita á Deo propter omnes fines, quos defacto Deus intendit. Distinguo consequens, sunt volitæ formaliter, & ex parte suæ exigentiæ; nego: materialiter, ac veluti concomitanter, & ex libera Dei dispositione; concedo: certè lux, cuius existentiam Deus vult durare per horam ad hunc finem, v. g. adiuuandi terram ad germinandum flores, nō exigit ex suis intrinsecis, vt sit volita à Deo ad illum finem, propter quem Deus vult carentiam illius post horam: cum illo enim fine, & decreto lux ipsa secundum se nullā haber connexionem; sed facta suppositione, quod Deus liberè voluerit, vel etiam ad exigentiam causatum secundarum carentiam lucis post horam ad alium finem, iam est necessitas, vt influxus, quo lux defacto producitur respiciat illud decretum, & connectatur cum illo motiuo, vt supra probauimus; quare Deus ad ponendum hunc influxum, mouetur etiam ab eodem motiuo, quo mouetur ad volendam carentiam lucis post horam: videt enim per simplicem intelligentiam, quod si volumus sit hanc rerum seriem cum his carentijs, & propter hæc motiua, ex omnibus influxibus possibilibus, ponendi sunt hi, qui videlicet respiciunt hoc decretum, & illius motiua omnia. Et sanè dum Deus vult lucem ad horam, iam dicit volo lucem per horam, ob hoc motiuum, non obstante quod velim simul carentiam lucis post horam ob aliud motiuum: & vult simul consonantiam illam, quæ resultat ex luce, & carentia sibi illo modo succedentibus, & ex motiuis ad id impellentibus: quare iam vult illum influxum ob consonantiam illam motiuorum, & cohærentiam, quam habent cum sua diuina perfectione, & essentia, in qua excellentissimo quodam modo vniuntur illa motiua.

29 Instabis. Quis dixerit, Deum velle gloriam Diui Petri ad ostendendam suam iustitiam, quam exercet erga Iudam? Respondeo, gloriam Diui Petri in se non ordinari ad ostendendam iustitiam erga Iudam; influxus autem in illam eum sit addictus decreto, quo Deus vult conferre gloriam, etiam ex consonantia, quæ est in ostendenda iustitia, & misericordia erga diuersos; si bene penetretur; ostendit etiam diuinam iustitiam, & consonantiam, quæ est in illa coniunctione, quàm videlicet id congruat diuinæ essentiæ, quod est principale, & absolutè vnicum motiuum decretorum, imò omnium actuum diuinorū: vt suppono cum meliori apud me theologia.

30 Dices. Ergo omnes actiones sunt supernaturales. Nego consequentiam: quia non omnes ex sua perfectione intrinseca superant exigentiam causarum naturalium, & virtutem: licet respiciant aliquod principium vniuersale operum tùm naturalium, tùm supernaturalium essentialiter cum illis connexum, quale est decretum Dei; sicuti respiciunt omnipotentiam, quæ est causa efficiens vniuersalissima omnis entis creati. Verùm de hoc puncto fusiùs 1. p. & 1. 2. *Non omnes actiones sunt super naturales.*

SECTIO QVINTA.

De causa efficiente increata.

1 SVb genere causæ efficientis duæ præcipuè species continentur Increata, & creata: seruato igitur dignitatis ordine, agemus primo loco de increata, circa quā sit.

SVBSECTIO PRIMA.

Vtrum detur causa increata immediatè influens in omnes effectus.

2 DAri Deum Optimum Maximum, causam omnium nobilissimam, & primum, & vniuersalissimum rerum principium improductum, non solùm est fide sanctum, & definitum à Concilio Niceno primo *Datur causa increata*

in Symbolo Fidei illis verbis: *Factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium*; sed etiam euidentissima ratione comprobatur: certum est enim ex rebus existentibus aliquas esse productas; ergo ab alio principio, quod vel est improductum, & est Deus Optimus Maximus, vel producitur ab alio, & ne abeamus in infinitum in principijs principiorum, deuenire tandem debemus ad aliquod primum principium, cuius nullum aliud sit principium. Verum de his fusius in Metaph.

A qua res omnes conseruantur.

3 Qui catholicè sentiunt, tenentur etiam fateri, res à Deo conseruari in esse accepto, quod claré non semel indicant Sacræ Scripturæ. Sap. enim 11. dicitur: *Quomodo posset aliquod permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur*. Ad Hebr. 1. *Omnia portans verbo virtutis suæ*. Ad Colos. 1. *Omnia in ipso constant*. Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur*. Ad quæ verba S. Augustinus: *Sic credamus, vel si possumus etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant*. Nazianzenus Theologorum Princeps orat. 2. de Theolog. *Quomodo ergo*, inquit, *vniuersa hæc rerum moles, vel producta vnquam esset, vel consisteret; nisi Deus hæc omnia in rerum natura protulisset, atque conseruasset*. Certè ad perfectissimam Dei prouidentiam spectat non solùm res in lucem ex tenebris vocare, sed iam existentes fouere, regere, & gubernare.

4 Illud aliquo modo controuertitur: vtrum creaturæ ita dependeant à Deo tùm quoad produci, tùm quoad cõseruari, vt omnes ab illo necessariò immediatè causentur, an aliquæ tantum mediaté ab illo causari possint? quod idem est, ac quærere, vtrum causa creata non solùm quoad esse, sed etiam quoad operationem immediatè pendeat à Deo: ità vt non solùm ipsa, sed quilibet etiã eius effectus immediaté à Deo causetur? quæ quæstio agitatur non solùm de actualibus, sed etiam de creaturis possibilibus.

Sententia Durãdi, & Ludouici à Dola.

5 Durandus in 2. *dist.* 1. *q.* 5. & *dist.* 34. *q.* 1. quem nouissimè sequitur Ludouicus à Dola Capuccinus in sua quadripartita disputatione contrà assertores prædeterminationis, & scientiæ mediæ, asserit Deum immediaté defacto non concurrere ad omnes effectus creatos. Hurtadus *disp.* 10. §. 3. concludit nullam rationem inueniri, qua probetur repugnantia effectus, qui non dependeat immediaté à Deo, ipse tamen propter auctoritatem, & censuras Theologorum oppositũ tuetur: à quo sensu non multum distat Arriaga *disp.* 10. *sect.* 1. *subsect.* 3.

6 Dico tamen cum communi ferè omnium Theologorum, & Philosophorum sententia, non solùm omnes creaturas actuales dependere immediaté à Deo; sed etiam nullam esse possibilem, quæ ita à Deo possit non dependere. Et sanè quoad actuales conclusio videtur satis indicata in verbis Scripturæ, quæ suprà attulimus; quibus non bené quadrat sensus de concursu mediato. Illis adde dictum Apostoli Actorum 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*. Sanè si Deus non immediatè concurreret potiùs in causis secundis, à quibus immediaté dependemus, viueremus, moueremus, & essemus, quam in Deo. Legatur Suarius *disp.* 22. *sec.* 1. *n.* 16. Vniuersaliter autem implicare huiusmodi creaturas.

Omnis creatura existens immediatè depẽdet à Deo, neque vlla est possibilis, quæ immediatè ab illo non pendeat.

7 Probatur. Causa perfectissima exigit essentialiter omnes effectus à se immediatè dependere: sed Deus est causa perfectissima; ergò exigit essentialiter omnes effectus à se immediatè dependere. Maior probatur. Causa omnium perfectissima exigit omnia extrà se posita à se dependere modò longè perfectiori, quàm dependeant ab vlla alia causa creata, aliter non compararetur ad illa vt causa omnium perfectissima: ergò exigit, vt omnes effectus ab ipsa immediatè dependeant: aliter ille effectus, qui mediaté dependet à Deo, & immediaté à creatura, perfectiori modò dependeret à creatura, quám à Deo, & esset magis obstrictus, vt ita dicam, creaturæ, quàm Deo; quia respiceret vt immediatum, & adæquatum suum principium creaturam; Deum autém vt principium mediatum: perfectius autem influit in effectum principium immediatum, quàm mediatum: nam principium immediatum verè influit per se ostendendo suam virtutem, & excellentiam in effectu producto; at principium mediatum non influit per se, sed per aliquod a se distinctum, neque ostendit in ipso effectu suam virtutem, sed tantùm in productione causæ.

8 Ex quibus facilè impugnatur responsio Arriagæ asserentis, Deum concurrere immediaté ad omnes effectus, vt conditionem saluare summam perfectionem Dei: quia Deus in ordine ad singulos effectus debet esse causa perfectior, non esset autem huiusmodi, si ad aliquos concurreret immediaté, vt pura conditio, quæ non ità perfecté concurrit, vt causa. Et confirmatur: quia ad perfectissimum intellectiuum spectat non solùm excedere perfectionem omnium aliorum intellectiuorum, quoad vniuersalitatem obiectorum, & per cognitionem aliundè non receptam; sed etiam debet comparatum cum singulis obiectis cognoscere illa cognitione infinitè perfectiori quoad claritatem, & expressionem, quam cognoscãtur à reliquis intellectiuis: ergò ad perfectionem causæ perfectissimæ spectat, vt comparata cum quolibet effectu longè perfectiori modo concurrat, quam qualibet causa, & longè perfectiori modo subijciatur illi effectus, quàm cuilibet alij: quod non saluaretur si effectus aliquis immediatè dependeret ab aliqua creatura, non autem à Deo.

Non benè respõdetur Deum immediatè cõcurrere, vt conditionẽ

9. Dices. Ergò effectus creatus debet dependere à Deo per dependentiam infinitè per-

Quomodo effectus perfectissimo modo dependeat à Deo.

perfectam. Distinguo consequens; infinitè perfectam extrinsecè, & præsuppositiuè concedo: intrinsecè nego: debet illa dependentia esse talis, qualis decet infinitam Dei perfectionem, quæ nimirùm non reddat effectum magis dependentem à creaturis, quam à Deo: & licet sit eadem actio, qua effectus dependet à Deo, & à creaturis, tamen respicit Deum, vt principium infinitè perfectum præcontinens sine vlla imperfectione, & cum infinito excessu omnem effectus perfectionem; quinimò vt supra indicabam respicit in aliquo vero sensu Deum, vt principium adæquatum. At idem influxus non ita comparatur cum causa creata, in qua nõ supponit illã perfectionẽ effectus meliori modo, ac in ipso effectu, sed longè deteriori contineri: quia in illa causa perfectio effectus tantùm inuenitur virtualiter, & in potentia, at in effectu inuenitur formaliter: conceptus autem aliquis perfectiori modo est in eo, in quo inuenitur formaliter, quàm in eo in quo est virtualiter, nisi ratione summæ perfectionis illud virtualiter contineri, & sit depuratum omni imperfectione. Infinita autem perfectio non debet esse intrinseca actioni: cũ hæc non sit prædicatum aliquod intrinsecum Deo, sicuti scientia, & volitio.

Cur Deus nõ comedit dum cõcurrit ad comestionem.

10 Obijcies primo. Si Deus immediatè concurreret ad omnes effectus creatos, diceretur comedere, bibere; quia immediatè concurrit ad illas actiones. Nego sequelam: ad illas enim denominationes non sufficit illas actiones immediatè causare, sed requiritur etiã imperfectio, & aliqua mutatio intrinseca subiecti denominati, quod non habet locum in Deo.

11 Obijcies secundo. Creaturæ sunt causæ principales, & non mera instrumenta: ergò non indigent ad singulas suas actiones concursu immediato Dei. Nego consequentiam; subordinari enim causæ vniuersali, non repugnat cum ratione causæ principalis, benè autem subordinari alteri causæ particulari. Vt diximus agentes de causarum diuisione.

Non omnis effectus debet vnicè à Deo dependere.

12 Obijcies tertio. Saluatur in Deo ratio causæ perfectissimæ, quamuis aliqui effectus non dependeant à solo Deo; ergò etiam quamuis aliquis effectus non dependeat immediatè à Deo. Nego consequentiam: quia ad causam perfectissimam non spectat excludere consortium aliarum causarum, imò ad ostendendam suam fœcunditatem, debet posse habere aliquos effectus fœcundos, qui sua fœcunditate declarent fœcunditatis Diuinæ perfectionem: ac proinde ad fœcunditatis Diuinæ perfectionem spectat, possibiles esse aliquos influxus, qui essentialiter dependeant à creatura, & quos Deus nequeat sine creaturæ consortio ponere. At quod Deus non immediatè concurrat ad aliquos effectus continet allatam repugnantiam à Deo indispensabilem; sicuti non potest dispensare in hoc, quod aes perfectius ab ipso, quam à quocunque alio cognoscatur. Neque veró effectus immediatè independẽs à Deo est necessarius, vt declarer aliquam Dei perfectionem.

13 Obijcies quarto. Causa secunda continet æqualem perfectionem, ac effectus: ergo potest se sola illum producere. Distinguo antecedens: continet æqualem perfectionem, ac ipse effectus, & æquè perfectè, ac continetur ab ipso effectu; nego: & minus perfectè; concedo antecedens, & nego consequentiam. Causa secunda non continet perfectionem omninò eandem formaliter, quam effectus: ergò nõ continet perfectionem effectus, æquè perfectè, ac ipse effectus: ergo non continet adæquatè perfectionem, quam communicat. Quarè mirum non est, si non possit se sola illum producere, quod locum habet etiam respectu causæ vniuocæ. Quamuis igitur sit æqualis perfectionis, non tamen est potentia adæquata, & adæquata cõtinẽtia, quod fũdatur in sũma Dei perfectione, quæ exigit vt à nulla causa effectus sit itá perfectè, sicut ab ipso.

Quo modo Deus concurrat ad actus peccaminosos.

14 Obijcies quinto: Deus non immediatè concurrit ad actiones peccaminosas: neque enim est illarum causa. Respondeo Deum nõ esse causam malitiæ, quia, vt in loco probabo, malitia absolutè non est; & ex suo conceptu formali est defectus ordinis debiti; influit nihilominus immediatè in entitatem positiuam actus, qui secundum suum conceptum non est malitia; licet constituatur malus per indicatum ordinis defectum: quarè Deus est principium influens in actum malum, non formaliter quatenus malus est; quia malitia, quę formaliter est defectus, non habet principium sui. Præterea Deus concurrens immediatè ad illos actus malos etiam materialiter sumptos, non est causa per se illorum, & auctor: quia propter malitiam, qua afficitur, rectissima Dei voluntas, non inclinat in actum malum, nec potest illum eligere, prædefinire, imperare; sed absolutè illum prohibet. Quare respectu illius ad saluandum munus principij vniuersalis, & vt saluentur illæsa iura libertatis creatę, merè permissiuè, & si physicè, nullo tamen modo moraliter concurrit. Deus igitur non est causa actus mali, nisi ad summum, vt aliqui volunt permissiua; quia de ratione causæ, est inclinare in effectum; & illum determinare. Hinc nego assumptum aduersariorum: ad rationem in contrarium; dico Deum non esse rigorosè causam actus mali, sed nihilominus ad eius physicam entitatem concurrere modo dicto permissiuè.

SVBSECTIO II.

Quomodo Deus compleat causas secundas, vt fiant proximè potentes causare.

15 EST in multis creaturis virtus causatiua, vt infrà probabo, sed vt colligi potest ex dictis essentialiter incompleta: vt igi-

tur sit ea virtus potens exerceri debet prius compleri, vtique à Deo. Quærimus modum, quo Deus compleat in actu primo virtutem creatam? Aliqui docent ad hoc complementum necessariam esse qualitatem quandam, in priori ad operationem à Deo intrinsecè causatam in causis creatis, quę per illam veluti præmoueantur ad effectus productionem, eamque necessariam esse, affirmant, ad omnes effectus, siuè liberos, siuè necessarios, siuè naturales, siuè supernaturales.

16 Multa hic dici possent, sed quę formaliter spectant ad Theologos, & ad celeberrimam quæstionem de efficacia auxiliorum, à quibus abstinendum omnino est. Igitur philosophicis terminis contentus, solum quæro vtrum causa creata essentialiter in sufficiens vltimo compleatur ad agendum per aliquam virtutem intrinsecam, quęcumque illa sit, vel per aliquod extrinsecum.

Non complentur causæ creatæ per immensitatē, & intimā Dei præsētiam.

17 Dico primo: Deus non complet causas secundas naturales, siuè necessarias, siuè liberas per suam immensitatem, & intimam præsentiam, sicuti neque per suam infinitatē. Probatur. Complere potentiam creatam ad productionem effectus est Deo liberum; sed illa prædicata non sunt libera Deo: ergo illa prædicata non sunt complere illud, quod inquirimus.

Neque per aliquam virtutem intrinsecā creatam.

18 Dico secundo: Deus non vltimo cōplet causas secundas per aliquam virtutem illis intrinsecam. Probatur. Potentia creata habens illam virtutem adhuc est incompleta ad operandum: ergo per illam non vltimo completur. Antecedens probatur. Causa stante ea virtute est aliquod principium purè creatum; ergò adhuc est incompletum: omne enim principium purè creatum, est incompletum ad operandum: aliter non esset necessarius concursus immediatus Dei: eum independenter à Diuina omnipotentia iam creatura formaliter esset principium completum. Illud hic aduerto me non vrgeri argumentis aduersariorum, quibus probant necessitatem qualitatis prædeterminantis: nunquam enim probabunt per illam vltimo compleri causam creatam.

Causæ creatæ vltimo complentur per Omnipotentiā libere applicatam.

19 Dico tertio: causam creatam vltimo compleri per omnipotentiam Dei applicatā per decretum de concurrendo ad effectū cum eadē causa creata. Probatur: intellecta Omnipotentia eo modo applicata, implicat causam creatam non operari; ea præcisa implicat causam creatam operari, ant posse operari: ergo omnipotentia eo modo applicata est vltimum complementum causæ creatæ. Non curo autem, vtrum decretum hoc sit determinatum respectu omnium causarum, vel indifferens respectu causæ liberæ: sicut non sum sollicitus de illius obiecto, hęc enim spectant ad Theologos, & ad materiam asperrimam de auxilijs.

SECTIO VI.

De virtute efficiente creata.

1 Explicatis ijs, quæ spectant ad causam efficientem increatam, gradum facimus ad creatas, de quibus quia multa possumus inquirere; ideò hanc sectionem in plures subsectiones diuido, sit igitur,

SVBSECTIO I.

Vtrum creaturæ gaudeant virtute effectiua?

2 Error est negare creaturis omnibus veram virtutem effectiuam, & damnatur à Tridentino *sess. 6. can. 4.* illis verbis. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere: anathema sit.* Confirmatur. Homini inest libertas, nimirum via se determinandi ad suos actus eum quodam prędominio in illos: ergo inest illi via effectiua suarum actuum, sine qua intelligi nequit quomodo se determinet cum prædominio ad suos actus. Neque esset laude, vel vituperio dignus: quia non per hominem staret ponere, vel non ponere actus bunos, vel malos: sed sollus Deus illos efficeret, & determinaret, quare soli Deo, vt auctori imputari deberent. *Est in creaturis vis effectiua.*

3 Neque dicas imputandos homini, quia homo exigit, vt Deus potius concurrat ad actus malos, quam bonos; nam hęc exigentia, vel est operatio aliqua hominis, vel non? si primum iam admittis causas liberas aliquid operari, & agere: si secundum, contrà est, quia antecedenter ad operationem homo est indifferens ad opus malum, vel bonum: ergo homo præcisa operatione non exigit opus potius malum, quam bonum. Demum illa exigentia si non est opus ab homine liberè procedens; ergo est vel ipsa natura hominis à Deo producta; vel qualitas indè procedens: ergò potius operatio subsequens tribui deberet Deo, qui tribuit illam exigentiam, dum hominem creat, quam ipsi homini, qui merè passiuè se habet. *Probatur in causis liberis.*

4 In causis autem necessarijs eadem veritas confirmatur: videmus enim bruta, verberibus, vocibus, & similibus excitari ad cursum, & alias actiones: frustra autem id fieret, nisi esset in illis vis effectiua talium motuum, quæ dictis medijs excitetur ad illos: quia autem dicat se verberare equum, vt Deus moueat ad productionem motuum adeò diuersorum? Confirmatur: quia ad præsentiam ignis producitur ignis, non adamas ad præsentiam adamantis: cnius rei ratio nulla alia commodior assignari potest, quam ignem habere virtutem actiuā alterius ignis, qua caret adamas. *Et in necessarijs.*

5 Deo

5 Demum sacræ litteræ videntur rebus etiam sensu carentibus concedere vim effectiuam. Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suũ.* Marc. 4. *Vltrò terra mittit primum herbam, deindè spicam, deindè plenum frumentum.* Luc. 26. *Arbores cum producunt ex se fructus.* Qui loquendi modi apertè indicant vim effectiuam: non tantùm ad præsentiam vnius rei produci aliam.

6 Hinc patet errasse, qui docuerunt hæc inferiora tantùm causari ab intelligentijs; quamuis enim pendeant magna ex parte ab influxibus cœlestibus congruè distributis per motum, & motus causetur ab intelligentijs; ex hoc tamen ad summum infertur intelligẽtias applicare vim causatiuam ad causandum, non autem has res inferiores causare: sicuti physicè non comburit homo, qui ignem stupæ admouet.

7 Neque hæc virtus est iniuriosa Diuinæ omnipotentiæ, ad cuius excellentiam potiùs spectat habere effectus non omnino steriles, sed fœcundos. Absolutissima autem illius perfectio sufficienter saluatur; quia est adæquata omnium modo supra explicato causa, tribuens cuicunque effectui esse, & consequẽter etiam omnibus alijs causis, qui ad illos effectus concurrunt. Confirmatur; quia Deus est optimus: ergo ad eius perfectionem spectat facere effectus bonos, & consequenter diffusiuos sui per productionem aliorum.

8 Regula autem vniuersalis à Philosophis laudata est; quoties vnum producitur ad præsentiam alterius, & nihil obstat; productum verè supponere in altero vim effectiuam sui. Cur autem aliqui effectus, qui pendent in produci à causa creata, possint conseruari independenter ab illa, infra dicam.

9 Dices. Potest Deus se solo omnia producere: ergo non datur virtus causatiua in creaturis. Dato antecedente, quod bis ante negaui; nego consequentiam. Sicuti enim quamuis Deus possit solus esse, tamen ex sua bonitate vult alia secum esse: ita quamuis possit solus causare, tamen ex sua bonitate admittit consortium aliarum causarum.

10 Dices secundo. Ad causandum requiritur infinita virtus, quæ repugnat creaturis. Maior probatur. Causare est extrahere rem ex nihilo ad esse, ad hoc autem requiritur virtus infinita, quia infinita est distantia inter esse, & non esse. Nego sequelam; ad probationem nego minorem. Ad rationem in contrarium dico inter esse, & non esse non dari distantiam maiorem ipso esse, quod producitur, ac est finitum. Rursùs quamuis illa distantia sit infinita, solùm indè sequitur, quod non possit superari ab agente finito solo, non autem adiuto virtute infinita Dei.

11 Dices. Quantitas est impedimentum actionis; ergo saltem res materiales non habent virtutem actiuam. Nego antecedens, si loquatur de impedimento totali; quamuis nõ negauerim quantitatem, veluti obtundere virtutem. Quare ob id immaterialia sunt magis actiua, quia magis possunt peruadere subiectum. Addo hic rem imperfectiorem posse agere in alias perfectiores, vt patet in igne, & cœlo, quæ agunt in hominem longè ipsis perfectiorem. Hæc sunt certa.

SVBSECTIO SECVNDA.

Cui ex creaturis competat ea vis effectiua.

12 Illud valdè controuersum cuinam creaturæ competat uis actiua substantiæ nè, an accidenti, vel vtrique. Equidem non dubito, si vim habet argumentum negatiuum, possibiles esse substantias immediatè productiuas aliarum substantiarum, & accidentium; possibilia item esse accidentia immediatè effectiua non solùm accidentium similium, sed etiam substantiæ; nulla enim apparet in his repugnantia, imò ex dicendis actu substantiæ, & accidentia non improbabiliter sunt huiusmodi.

Omnis virtus creata est essentialiter inadequata.

13 Præ oculis hic diligenter habendum est, quod supra notabamus, impossibilem esse creaturam, quæ habeat vim adæquatè productiuam alterius; quia nulla possibilis est creatura, quæ possit aliquem effectum producere, nisi Deus simul ad illum concurrat.

Sed aliquã do adæquatè exigit effectum, aliquando minimè.

14 Cum hac autem inadæquatione virtutis essentiali omnibus causis creatis stat quædam latitudo; nam aliqua causa creata ita est inadæquata, vt ad exigendum effectũ, & concursum Dei non indigeat alio complemento creato; talis est potentia visiua informata specie coloris: aliquando indiget tali complemento, vel tanquam virtute causatiua, vel solùm vt conditione, talis est potentia visiua sine specie, & ignis non approximatus; respectu quorum nullum est miraculum, si careant effectu, aut concursu Dei. Tunc autem causa creata exigit concursum Dei, quando ex parte creaturarum habetur quidquid requiritur ad talem productionem; quod si aliquod deficiat, non habetur ea exigentia.

15 Iam verò hæc quamuis sit completa exigentia, quia post illam non datur alia exigentia creaturæ, sed requiritur suo modo determinatio immediata ad productionem effectus per applicationem omnipotentiæ factam modo supra explicato; non tamen est absolutè virtus completa; quia præcisa applicatione omnipotentiæ non est aliqua causa completa. Sed vnde colligemus, quando nam habeantur omnia ex parte creaturarum requisita? Respondeo id constare á posteriore per experientiam diù obseruatam. Certè quoties sequitur effectus, dum aliundè non constat de miraculo, habemus sufficiens iudicium prædictæ exigentiæ.

Potest causa creata concurrere ad effectum se nobiliorem.

16 Hinc patet, primo Deum, quamuis non supponat in creaturis virtutem adæquatam; operari tamen vt causam vniuersalem; quia adhuc operatur ad exigentiam causarum secundarum. Secundo, causam creatam posse exigere productionem effectus se nobilioris; quia cum sit principium inadæquatum, nulla est in hoc repugnantia; principiũ enim inadæquatũ nõ debet adæquatè cõtinere perfectionẽ effectus, qui solũ nõ potest excedere virtutem, & perfectionem causæ adæquatæ.

17 Vrgebis. Ergo lignum calidum vt vnum poterit producere in mea manu calorem, vt octo; & homo, qui potest attollere pondus centum librarum, poterit etiam mille librarum; non enim officit maior perfectio effectus, aut inadæquatio virtutis. Nego vtramque partem consequentiæ; non enim quodlibet principium inadæquatum exigit concursum Dei ad effectum perfectissimũ; sed aliundè constare debet vis illius causæ in ordine ad talem effectum. Regula, vnde dignosci potest, fundatur in duplici principio, altero negatiuo, nimirùm nullum est absurdum, neque contra rationem, neque contra experiẽtiam, quod hic effectus producatur, & adæquatè exigatur ab hac causa. Secundum est, ad præsentiam talis principij expertos nos esse, produci talem effectum: si enim præscindamus ab his principijs, non est cur admittamus in illa causa talem virtutem. In casibus allatis non militant ea principia, vt suppono.

18 Vrgebis iterum. Ex perfectione effectus nos mensuramus perfectionem causæ: ergo non potest aliquod imperfectius causare effectum perfectiorem. Respondeo antecedẽs esse verum de causa adæquata, cuius perfectionem non potest excedere effectus. Si verò loquamur de causa inadæquata; verum id etiam proportionaliter est: quia cæteris paribus, quo causa aliqua inadæquata potest plures effectus producere, & perfectiores; si præsertim habeat ad illos completam exigẽtiam, eo perfectior est: non quia necesse est causam creatam adæquare perfectionem effectus. His positis sit.

SVBSECTIO III.

Vtrum substantijs insit de facto virtus effectiua.

Aliqua substantia creata habet vim effectiuam aliquorum accidentis.

19 Dico primo. Aliqua substantia creata actualis habet vim effectiuam aliquorum accidentium. Probatur. Aqua calefacta remoto igne recuperat frigus natiuum: ergo habet vim productiuam illius, neque enim facilè alteri creaturæ attribui potest ea productio. Confirmatur: quia Deus nihil de nouo producit, nisi ad exigentiam causæ secundæ, quæ in casu nostro non potest esse nisi substantia aquæ, ergo substantia aquæ debet causare nouũ frigus: aliter Deus conseruaret pristinũ calorẽ, qui naturaliter exigit durare, dum non adest cõtrariũ agens validius. Recursus ad qualitates occultas est gratis excogitatus. Præterea huiusmodi qualitates, vel radicantur in aliqua substantia, tanquam in prima radice, vel non; si primum; ergo immediatè causantur per emanationem ab illa substantia: neque enim intelligi potest, quomodo radicentur in illa substantia, nisi ab illa, tanquam á prima radice causentur. Si secundum: ergo sunt substantia, & primum ens, ac veluti fundamentum aliorum in composito: cum ergo causent immediatè accidentia illa; iam substantia habet virtutem immediatè causatiuam accidentium.

Impugnatur recursus ad qualitates occultas.

20 Dices videmus hostiam calefactam, si remoueatur ignis recuperare frigus amissum: ergo datur in illo casu causa recuperatiua frigoris: sed non est substantia panis iam destructa; ergo est qualitas occulta. Nego vltimam consequentiam; causa enim est Deus, qui ad occultandum mysterium, & absentiam panis, ac ad maius fidei meritum facit per se eosdem effectus, quos produceret substantia panis; sicuti per se conseruat illam qualitatẽ occultam.

21 Instabis. si possumus assignare causam creatam illius recuperationis sine recursu ad Deum, vtique debemus illam admittere, sed possumus admittendo qualitatem superadditam: ergò debemus. Nego minorem, nam illam qualitatem superadditam suprà probauimus, vel non esse admittendam, ita vt excludatur concursus substantiæ immediatus in accidentia, vel esse substantiam; & in hoc sensu negamus illam qualitatem, vt sufficientem videlicet ad excludendum à substantia virtutem immediatè causatiuam accidentium. Cæterum natura non debuit prouidere causas naturales, quæ concurrerent ad effectus in suppositione miraculosa. Neque indignum philosopho est recurrere ad Deum pro casu miraculoso. Verum hinc videtur, colligi, infirmari iam argumentum, quo ex mysterio Eucharistiæ probatur distinctio quantitatis à substãtia, de quo infrà plura: nunc dico in Eucharistia haberi effectum certum quantitatis, qui est impenetratio: ergo nè dicamus hunc effectum esse sine sua causa naturali; probabiliter satis colligimus ibi esse quantitatem, & hanc esse accidens distinctum à substantia. At vndè probant aduersarij illas primas qualitates esse effectus huius virtutis occultæ accidentalis.

22 Dices iterum. Frigus illud produci á generante; sed quæso te vbi nunc est generans aquam? Frigus autem remissum, quod remanet in aqua, non potest se ipsum augere, vt suppono. Et si causa dicit transcendentalem ordinem ad effectum; nullum est absurdum substantiam transcendentaliter referri ad accidens.

23 Dices tertio. Essentia substantiæ ordinatur ad esse, nõ ad operari: aliter eadem potentia respiceret duos actus: ergo substantia non est operatiua. Nego antecedens; ad cuius probationem dico, nullum esse absurdum, quod eadem potentia respiciat plures actus diuersi ordinis, alterum substantialem, qualis est existentia; alterum accidentalem, qualis est operatio: nonnè per aduersarios essentia accidentis respicit duos actus, existentiam videlicet, qua redditur absolutè ens, & operationem?

Substantia etiã transeũter producit aliqua accidẽtia.

24 Hinc infero, substantiam habere virtutem productiuam accidentium, non solùm immanenter in se ipsa, sed etiam transeunter in alieno subiecto, similia tamen illis, quæ producit in se. Probatur. Eiusdem rationis est frigus productum in aqua, ac in mea manu: ergo virtus, quæ sufficiens est producere illud in aqua, est etiam sufficiens ad producendum illud in mea manu: sed substantia aquæ est sufficiens principium producendi frigus in se ipsa, & per actionem immanentem; ergo & in mea manu per transeuntem. Nec sanè video quomodo essentialiter differant actio immanens, qua aqua producit frigus in se ipsa, ac transiens, qua vna aqua producit frigus in alia. Profectò calor, vt octo non potest produci in mea manu à calore ignis, vt suppono: ergo est immediatè à substantia ignis.

25 Vrgebis. Experimur, accidens non concurrente substantia producere aliud accidens in subiecto extraneo; vt cum aqua calida calefacit manum, quinimò eadem intensione, & velocitate calefacit calor præsente, & absente substantia; nunquam autem experimur substantiam sine calore calefacere subiectum extrinsecum: ergo signum est, quod in accidente, non in substantia sit virtus productiua accidentis in alieno subiecto. Respondeo, substantiam aquæ v. g. sine frigore non frigefacere, quia sicuti aqua calefacta impeditur à calore, ne producat frigus in se ipsa, ita per actionem calefactiuam eiusdem caloris in subiectum extrinsecum impeditur, nè producat frigus in illo. Quarè de facto virtus frigefactiua aquæ nunquam est expedita, dum est sub calore. Nunquam autem puto, aduersarios expertos esse, cæteris paribus æquali velocitate; & intensione agere calorem receptum in aqua, ac in igne.

26 Instabis primo. In aqua calefacta est duplex virtus, altera calefactiua, altera frigefactiua: cur igitur potiùs calefacit, quàm frigefacit? Respondeo, quia virtus frigefactiua impeditur à præsentia caloris ab omni frigefactione; si enim impeditur ne producat frigus in se ipsa, multò magis ne producat in subiecto extraneo.

27 Instabis iterum. Piper attritum, quia habet vim calefaciendi excitat calorem in lingua, quamuis non sit in se calidum: ergo si aqua habet vim frigefaciendi extraneum subiectum, quamuis careat frigore, adhuc frigefaciet illud. Distinguo consequens, nisi sit impedita à calore sibi vnito; concedo: posito illo impedimento: nego consequentiam. Cæterum, quoad antecedens notandum est, idem piper attritum manibus, vel ligno, aut papyro non calefacere manum, lignum, aut papyrum: benè autem si attritum dentibus applicetur linguæ, vel stomacho. Cuius rei ratio est, quia in secundo casu quædam tenuissimæ piperis partes valdè similes spiritibus, qui inseruiunt nutritioni, & motui animalis calefiunt, & dum peruadunt partes linguæ, vel stomachi spongiosas sua mordacitate, causant in illis partibus effectum quemdam similem calefactioni, qui percipitur ab illis partibus delicatioribus, non autem à manu; ac præterea auocant ad easdem partes propter sympathiam spiritus calidissimos, ex quibus oritur calor in illis partibus, valdè dissimilis calori ignis, vtpotè longè remissior. Quare in antecedente falsò assumunt aduersarij, piper non calidum calefacere. Cæterùm, si piper non per calorem sibi intrinsecum calefacit, vtique per suam substantiam immediatè producit qualitatẽ in alieno subiecto. Idem euenit in vino, in quo non apparet, quod accidens calefaciat stomachum, cum ingrediatur nonnunquam frigidum: ergo calor ille immediatè procedet à substãtia: quæ exempla nõ improbabiliter ostendunt substantiam per se ipsam producere in alieno subiecto aliquod accidens. Rursus sunt, qui docent lucem non à luce, sed à Sole produci.

28 Instabis tertio. Ergo datur agens, quod potest sine consortio alterius producere aliquẽ effectum, nunquam tamen valet illum producere, nisi adiutum eo consortio: aqua enim valens se sola producere frigus in subiecto externo, nunquam valet illud producere, nisi adsit frigus, quo intrinsecè perficiatur, & adiuuetur ad externam frigefactionem. Nego sequelam: aqua enim potest, & de facto producit se sola frigus in se, quod frigus est omninò simile frigori producendo in alieno subiecto: ergo iam aqua producit se sola illum effectum secundum se: per accidens autem est, quod non possit illud frigus producere in alieno subiecto, nisi adsit frigus ipsi intrinsecum: quia nisi adsit frigus intrinsecum, adest calor impediens frigefactionis tùm intrinsecæ, tùm extrinsecæ, vt vidimus. Quare si per impossibile absente frigore, abesset etiam calor, & aqua impediretur à productione frigoris in se, adhuc posset se sola frigefacere subiecta externa. Adiuuatur igitur aqua à frigore non tanquam necessario ad supplendam virtutem, sed ad remouendum validiùs agens. Verùm, quia etiam frigus intrinsecum habet vim frigefactiuam; ideò simul cum substantia aquæ concurrit ad producendum frigus in extraneo subiecto, & ob id fortassè etiam intensiùs, & velociùs.

Qualis attemperatio concursus admitti potest in causis necessarijs.

29 Quod addo, quia difficilè adducor, vt credam, causas non liberas potẽtia seorsim producere effectus eiusdem perfectionis, postea vnitas ita simul concurrere, vt non producant vel effectum perfectiorem, vel saltèm velo-

cius, vbi effectus est capax, & maioris perfectionis, & vt velociùs producatur. Quod si effectus sit indiuisibilis, vt forma substantialis, tunc per accidens est, quod non producatur, vel velocius, vel perfectior; quamuis si subiectum sit extensum debeat ad maiorem extensionem produci. Ratio autem est, quia illæ duæ causæ simul sunt perfectior, & maior virtus, quam singulæ; ergo debent producere, vel perfectiorem effectum, vel modo perfectiori; neque enim cum careant libertate, est vndè cohibeantur à maiori illa perfectione, dummodò non sit impedimentum ex parte effectus. Quæ ratio non militat in causis liberis, quæ vnitæ possunt pro suo libito non adhibere tot vires, & spiritus, quot adhibēt separatæ; ideoque possunt producere vnitæ effectus æquè perfectos, ac seiunctæ. Quarè in causis necessarijs mihi videtur satis probabile, non dari attemperationem concursus, quo producāt minus, quam possunt, nisi effectus sit vnicus, & indiuisibilis.

30 Instabis quarto. Ex eo, quod agens possit se solo producere in se frigus, non sequitur, quod possit se solo producere illud in alio; plus enim virtutis est posse se solo vtrumque, quàm alterum tantùm. Nego sequelam: nam si effectus est eiusdem rationis, & subiecta similia, & æquè illius capacia benè, de facto inferimus, quod si agens potest illum effectum producere in vno subiecto, possit etiam in alio; sicuti etiam si potest frigefacere nunc, potest & cras; vt constat longa inductione. Quarè licet maior virtus sit posse frigefacere nunc, & etiam cras, quam nūc tantum; tamen omnes concedimus dum non cōstat oppositum, quod si potest nunc, potest etiam cras; ergo etiam quamuis maior virtus sit posse in hoc, & in alio subiecto; tamen si potest in hoc, potest etiam, & in alio: aliter quis posset fingere hunc ignem aptum esse comburere stupam, non lignum, &c. Et confirmatur; quia aqua potest non solùm ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco, nempè à niue frigefieri.

31 Vrgebis secundo; Aristoteles 2. *de generatione* t. 50. docet; *nihil aptum esse agere, nisi quatenus habet contrarium, & ignem non agere, vt ignem, sed in quantum calidum.* Ergo substantiæ non inest vis productiua accidentium. Respondeo, Aristotelem hic loqui de actione corruptiua, quæ versatur inter contraria, in quo sensu ignis non agit, vt ignis, sed vt calidus, idest vt calefactiuus; & quidem si producat calorem in se agit, vt calidus virtualiter, si in alieno subiecto; etiam vt calidus formaliter.

In multis substantijs est vis effectiua substantiæ.

32 Dico secundo. In multis substantijs actualibus creatis est vis effectiua alterius substantiæ. Probatur. In multis substantijs creatis actualibus nulla est improportio in ordine ad producendam aliam substantiam, & si vis effectiua substantiæ tribuenda est alicui creaturæ, nē tam facilè recurramus ad Deum, nulli congruentius, & cum maiori proportione tribuitur, quam alij substantiæ. Confirmatur. Maiorem proportionem habet substantia cum substantia, quam accidens: ergo si admittis virtutem actiuam substantiæ in accidente; à fortiori debes admittere in substantia. Negari tamen non potest multas formas substantiales esse infœcundas alterius similis, sed similis infœcunditas inuenitur in illarum accidentibus: adamas enim neque per suā substantiam, neque per accidentia producit adamantem.

33 Dices primo. Posita hac combinatione determinata accidentium semper producitur talis substantia; & ea deficiente nunquam producitur eadem substantia: contra verò illa substantia non semper producitur præsente substantia alia simili: ergo signum est, quod virtus productiua substantiæ non sit in substantia, sed in solis accidentibus. Confirmatur. Virtus productiua substantiæ non est ponenda in pluribus sine necessitate: cum igitur habeatur sufficienter in illa combinatione accidentium; non est ponenda in aliqua substantia. Nego consequentiam: si enim in accidentibus, quæ sunt minùs proportionata, est virtus productiua substantiæ, à fortiori debet concedi substantiæ: aliter maior virtus esset in accidente, quàm in substantia: nam accidens haberet vim causatiuam, tùm substantiæ, tùm accidentis; substantia autem solius accidentis. Profectò maior virtus, vbi nihil obstat, debetur enti perfectiori: qualis est substantia respectu accidentis.

34 Ratio autē cur non, nisi ad combinationē horum accidentiū producatur forma substantialis est: quia forma substantialis non producitur nisi sit in subiecto completa exigentia, ad ipsā; hæc autē exigētia formaliter nō potest prouenire à forma substātiali principalis agentis, quæ est extra subiectū, sicuti neq; ab eiusdē accidētibus; ergo à tali cōbinatione accidētiū intrinseca subiecto. Hinc si dispositiones illæ, nullo modo actiuè causarēt nouā formā, adhuc requirerētur. Ex eo autē, quod aliquādo forma producatur absēte substantia, solùm infertur illā substantiā non esse causam vnicam effectiuam: sicuti accidentia sunt vnica dispositio adæquata.

35 Hinc reijcio illos, qui nullam agnoscētes in substantia vim operatiuam, docent, substantiam nihil immediatè operari extra se; esse tamen causam rerum, quia accidentia operantur in virtute substantiæ; reijcio, inquam, quia debent explicare, quid sit accidentia operari in virtute substantiæ; est ne sola accidentia esse virtutem operatiuam, debitam tamen substantiæ? at iam probauimus supra, eam virtutem conuenire etiam substantijs; si est aliquid aliud, debent adhuc id explicare.

36 Dices secundo. Maiorem perfectionem substantiæ supra accidentia saluari per hoc, quod substantia, licet non identificet sibi virtutem productiuam, tum substantiæ, tùm accidentium; sicuti illam sibi identificant accidentia; tamen est prima veluti radix, cui debetur illa vis productiua, tùm accidentium, tùm substantiæ. Sed contra: quia prima radix debet sibi identificare prædicata perfectiora, quam pro-

prie-

prietates indè effluentes; est enim perfectior: sed accidens idētificat sibi prædicata perfectiora, quam substantis: ergo potiùs accidens, quàm substantie est prima radix: ergo potiùs accidens, quàm substantia est substantia. Et quidem, dum comparantur inter se duo, & queritur quodnam illorum sit prima radix alterius, ab aliquo prædicato diuerso debemus inferre, quod vnum sit prima radix alterius: quarè cum nunc quæramus vtrum calor sit prima radix, vel è contra; ad id decidendùm debemus assumere aliquod prædicatum diuersum, quod non potest esse in casu nostro nisi maior perfectio: hæc autem maior perfectio non est probanda ex prima radice: aliter committeretur circulus, ergo aliundè. Confirmatur Deus, qui absolutè est prima radix omnium, est ens perfectissimum habens, vim immediatè causatiuam omnium; quæ si benè considerentur non leuiter confirmant nostram conclusionem.

Causa principalis etiam immediatè agit.

36 Obijcies primo. Causa principalis totā suam virtutem insumit in ordinandis instrumentis; causę veró instrumentales immadiaté influunt: sed substantia respectu alterius substantiæ est causa principalis, accidentia instrumentalis: ergo, &c. Maior probatur. Ars, quę residet in artifice, solùm dirigit instrumenta, non influit: Rex, & Imperator, qui sunt causa veluti principalis, non pugnant, sed solum ordinant milites. Et lactuca non immediaté producit lactucam, sed semen, quod est illius instrumentum. Ratio est, quia causa principalis creata est virtutis finitæ: ergò non videtur sufficere tot muneribus: aliter cur indiget, tot instrumentis.

37 Nego maiorem; ad primam probationem, dico artē esse improportionatā, ad physicè producendum opus externum: est enim cognitio practica purè ostendens modum, quo fieri debet opus, vt vitetur erroris periculum, & difficultas, quæ occurrere possunt in operis effectione, quæ omnia pręstat per puram directionem. Præterea non ars, sed virtus artificis est causa principalis operis, quæ inter alia vtitur etiam arte ad illud perficiendum.

38 Ad secundam dico, Reges, & Imperatores non nunquam pugnare. Rursus sunt causa principalis non physica, sed moralis; physicè enim etiam milites principaliter concurrunt ad victoriam, & pugnam. Sufficit igitur si ita sua prudentia Imperator omnia disponat, vt ipsi tribui prudenter possit victoria. Ad tertiam dico, lactucam, quæ est causa principalis, producere immediatè semen, quod est substantia; quod si immediaté non influit in nouam lactucam, non est; quia est causa principalis; sed quia non habet virtutem, nec potest sicuti semen accommodari, & coniungi alijs concausis terræ videlicet, & similibus. His adde, neque semen propriè causare lactucam, quia quando lactuca producitur, semen iam corruptum est; solùm igitur semen præbet materiam aptam, quæ disponatur ad formam viuentis; ac præterea per suam virtutem, dum est, disponit alias partes materiæ ad productionem illius.

39 Ad rationem vltimo allatam: nego consequentiam: effectus enim finiti sunt, & vna causa finita sufficit ad plures effectus, vt patet in luce solis. Indiget autem substantia illis accidentibus, & instrumentis, tum ad suum ornatum, tum, vt illis formaliter à se reijciat accidentia opposita, tùm ad disponendum subiectum externum ad productionem substantiæ similis. At accidentibus natura tribuit vim effectiuā substātiæ, quo videlicet etiam absente substantia possit produci substantia, qui est finis præcipuus naturę.

Accidentia substantiæ vtilia.

40 Obijcies secundo: si substantia est immediatè productiua alterius substantiæ; ipsa sola cum concursu Dei generali sufficiet ad productionem alterius substantiæ: sed hoc est falsum: aliter indigeret accidentibus nō ad agendū, sed ad purum ornatum. Distinguo maiorem sola sufficeret, vt virtus; concedo; absolutè; nego; nam sola quamuis habeat quidquid virtutis sufficit ex parte creaturæ ad productionem alterius formæ substantialis; non tamen exigit adæquatè concursum Dei, nisi prius sit dispositum subiectum; vt diximus; in quo sensu: nego minorem. Ad rationem in contrarium dico, substantiam non egere accidentibus ad purum ornatum; sed & ad remouenda formaliter agentia contraria, & ad validius illis resistendum; & ad validius, & efficacius simul agendum, ac ad disponendum subiectum. Certè accidentia, quæ sunt in substantia, exigunt pro instanti sequenti contrà actionem contrarij conseruationem sui, & substantię, quæ facilius debellaretur spoliata accidentibus. Sicuti autem ais suppositis in homine à natura viribus alios offendendi, & se defendendi; illos obarmat alijs adminiculis ad vtrumque munus; ita natura supposita in substantia virtute actiua, & resistiua, eamdem ad validius agendum, & resistendum, ornauit accidentibus.

SVBSECTIO IV.

Vtrum accidentibus insit defacto virtus effectiua.

Accidens potest transeunter producere aliud accidens.

41 DIco tertio. Multa accidentia actualia habent defacto vim actiuè producendi in subiecto extrinseco, alia accidentia sibi similia: probatur. Aqua calefacta calefacit manum; ergo calor aquæ est actiuus caloris in alieno subiecto.

Accidens actuale potest producere substantiam.

42 Dico quarto. Multa accidentia actualia habent vim effectiuam substantiæ: nam videmus ad præsentiam accidentium produci substantiam, non minùs, quam ad præsentiam substantiæ. Quinimò videmus ignem accendi, etiā si nullus sit ignis agens, præcisè per hoc, quod materia exsiccetur, & calefiat per actionem solis: contra verò nunquam videmus ad præsentiā, solius substantiæ nullis existentibus accidentibus produci substantiam: ergò si nihil obstat de-

producti, perseuerant, & hi effectus probabiliter non dependent in conseruari à suis causis, à quibus fuerunt producti; si præsertim habeant vim producendi suas causas. Alij remotis causis, à quibus fuerunt producti non perseuerant, vt lux remoto corpore luminoso: & hos probabiliter sustinemus, conseruari a causis secundis, si non habeant vim illas causandi: quæ distinctio habet locum etiā admissa serie effectuum, saltem spectata ratione negatiua; certè enim non est, cur admittamus in causis secundis inordine ad effectus, qui possunt conseruari naturaliter sine illis, vim conseruandi eosdem effectos.

63 Obijcies tertio. Forma dependet in conseruari à carentia dispositionum ad formam oppositam: ergo dependet in conseruari à proprijs accidentibus. Consequentia probatur: carentia dispositionum ad formam oppositam dependet ab accidentibus proprijs huius formæ. Antecedens probatur: si deperderetur illa carentia per aduentū dispositionum, iam destrueretur forma præsens, quia dispositiones illæ causarent formam oppositam. Nego consequentiā, ad cuius probationem: nego illam carentiam cōseruari ab accidentibus formæ præsentis, quamuis fuerit ab illis inducta. Ratio est: quia vt conseruetur hæc carentia, sufficit carentia agentis validioris productiui dispositionum oppositarum: ergo non dependet ab accidentibus formæ præsentis. Fuit autem introducta ab his, quia, vt suppono, dispositiones oppositæ fuerunt expulsæ ad exigentiam horum accidentiū.

64 Obijcies quarto. Si per apoplesiam obturentur meatus, per quos é cerebro transmittuntur in reliquas partes spiritus animales; statim moritur homo, & tamen non supponuntur introductæ dispositiones ad formam oppositam: ergo destruitur vnio ex defectu causæ conseruatiuæ: ergo vnio inter animam, & corpus, conseruatur ab accidentibus. Nego secundam consequentiam: solùm enim ex primo entimemate sequitur: vnionem illam dependere à spiritibus animalibus, & ab alijs principijs ab ipsa independentibus; quorum influxus tunc impeditur. Præterea, si obtruncato capite, statim homo moritur; solùm infertur vnionem essentialem substantialem dependere ab aliqua vnione substantiali, sed integrali partium integralium, independente ab vnione essentiali, quod sine præiudicio doctrinæ conceditur. Deinde nunquam expellitur forma viuentis, nisi introducatur alia forma; ergo nisi sint dispositiones ad illam nouam formam: falsum igitur est antecedens quoad secundam partem. Nego tamen defuturam vnionem præcisè per defectum caloris naturalis, non introductis dispositionibus ad aliam formam, neque deficiente alia causa. Demum hæc omnia facilè saluari possunt, si quis dicat, deficientibus dispositionibus, deficere formam, & deficiente forma deficere dispositiones, quia conseruantur ab eadem causa; & sunt veluti effectus comitantes.

65 Obijcies quinto. Accidentia determinant materiam ad conseruationem formæ: ergo sunt in priori naturæ ad illum. Nego antecedens: accidentia supponunt materiam aliundè determinatam, tum ad seipsa, tum ad formas: determinatur enim materia ad dispositiones, & formam nunc conseruandas, tum à duratione antecedente dispositionum, & formæ: durantes enim tempore antecedente exigunt durare tempore sequenti, si non adsit validius agens; tum à carentia præsenti agentis validioris. Illud hic addo, quod licet maior virtus requiratur ad primo producendum, ac ad conseruandum; aliquando tamen requiritur diuersa, vt colligitur ex dictis.

66 Obijcies sexto. Potest causa, de qua loquimur, in primo instanti producere vnum effectum, & in secundo alium: ergo potest in primo instanti producere aliquem effectum, & illū in secundo conseruare. Distinguo consequens: si nihil obstat; concedo; si aliquid obstat; nego consequentiam.

67 His tamen non obstantibus saluatur accidentia, de quibus locuti sumus, conferre ad conseruationem substantiæ, & substantiam ad conseruationem accidentium, quia simul validiùs resistunt, ne destruantur: & difficiliùs vincitur vnū, cum adest, ac si absit aliud, quodlibet enim ex illis per suam durationem præsentem non solùm exigit, vt ipsum, sed vt etiam conseruetur aliud. Contra hanc duplicem exigentiam requiritur validiùs agens, quàm contra vnum tantùm. Neque in hoc est aliquod periculum mutuæ causalitatis: solùm enim verificatur, quod vtrumque per durationem sui antecedentem exigat conseruationem sequentem sui, & alterius, non autem quod pro eodem instanti habeant mutuam prioritatem, & quod vnum conseruet aliud, à quo mutuo conseruetur. Quæ omnia clariora fient ex ijs, quæ dicam de resistentia *in lib. de gen.* vnde patet creaturas illas indirectè conseruari à carentia agentis validioris, &c.

Et si nec substantia conseruet accidentia nec conseruetur ab illis: nihilominus mutuo sa iuuāt ad perseuerandū.

70 Obijcies octauo. Ergo minus prouidè natura se gessit cum his effectibus, quibus non dedit causas particulares conseruatiuas. Nego consequentiam: quia non indigent causa creatā conseruatiua; sicuti anima non indiget causa creata productiua: & quidem spectat ad perfectionem artis prodire in opus, quod independenter ab alio per concursum Dei generalem diù perseueret.

71 Ex dictis infero, omnes creaturas depēdere à Deo in conseruari, & non à seipsis ne partialiter quidem; ita vt nulla creatura sit causa saltem partialis suæ conseruationis: & quidem, quod omnis creatura dependeat in conseruari à Deo, satis ostendunt, quæ diximus agentes de causa efficiente increata. Quod autem, ne partialiter quidem, causet suam conseruationem, probatur: quia sicuti nulla res potest se primo, etiam inadæquate, & partialiter producere; ita neque conseruare: & ratio huius rei est: quia, vt quis causet suam con-

Ne partialiter quidem potest res seipsam conseruare.

ser-

uationem, in hoc instanti, debet supponi in eodem instanti proximè potens se conseruare, & causare, licet partialiter, idque independenter à conseruatione: nemo enim constituitur proximè potens conseruare per ipsam conseruationem: ergo independenter à conseruatione, ab ipso procedente, iam existit.

Nonnunquam influxus productiuus est idem, ac conseruatiuus.

72 Dices, conseruari rē dicit præter actionem, qua res causatur, etiam durationem eiusdem rei; sed potest res esse causa suę durationis: ergo etiam saltem inadæquatè suæ conseruationis. Respondeo, quamuis res possit causare suam durationem, ideoque dici possit, quod causet suam conseruationem inadæquatam, non tamen poterit partialiter causare suam conseruationem, prout illa est influxus causatiuus rei, & in hoc sensu procedit allata doctrina, & ratio. Vbi noto primo res dici permanentes, quia exigunt ad aliquod saltem tempus durare, non quia semel posita à suis causis perseuerent independenter ab illis. Secundo, influxum, quo res conseruantur, si est distinctus à duratione, aliquando esse eundem, ac illum, quo fuerunt productæ, si nimirum perseuerent eædem causæ potentes influere; aliquando esse diuersum, si mutentur causæ; nonnunquam autem res conseruari à solo Deo, quia nulla adest causa creata, à qua conseruentur; quod hic iudicasse sit satis.

SECTIO SEPTIMA.

A quo determinentur causæ secundæ ad indiuiduationem effectus?

1 QVamuis hæc quæstio sit communis omnibus causis secundis, tum materialibus, tum efficientibus, quia tamen eo tandem resoluitur omnis difficultas, vt videamus procedat ne hæc determinatio à Deo, vel ab aliis causis; Deus autem sit causa efficiens, & de eo multa diximus; ideò non incongrue hic illam agitamus.

Tres in hac quæstione dicēdi modi.

2 Sciendum autem est posse eandem causam producere plures effectus solo numero distinctos, v.g. idem ignis applicatus huic materiæ in hoc instanti producit ignem a, applicatus instantibus sequentibus alteri subiecto, producit ignem b. Quærimus, vnde oritur, quod in his circumstantiis ab hac causa procedat potius hic, qui defacto producitur, quàm alius effectus. Sunt, qui putent in his circumstantiis æque produci potuisse hunc, ac illum effectum; quare quod potius de facto productus fuerit hic, quàm alius, totum prouenire à diuina voluntate, quæ potius voluit hunc, quàm illum effectum; ita Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Compronus, Suarius, Lusitanus, Pontius, Quiros *disp.* 103. *sect.* 4. secuti Fons.cam, Conimbricenses, & Suarium magnum.

3 Secundo, alij docent prouenire ex quadam serie, & ordine, quo causa secunda præterita efficiens continet in se effectus à se producibiles, & ratione cuius sit determinata ad producendum primo hunc, secundo alium determinatum effectum, &c. Tertio demum alij nec pauci, nec illaudati docent hanc determinationem oriri ex complexo causarum creatarum, & aliarum conditionum, ita vt in his circumstantiis loci, temporis, subiecti naturaliter non possit produci, nisi hic effectus.

4 Dico cum hac tertia sententia, probatur. Non possunt causæ secundæ determinari à Deo ad indiuiduationem effectus, neque à serie, & ordine determinato, quo continentur effectus in causis: ergo à complexo omnium circumstantiarum: consequentia patet, non enim est aliud caput, vnde desumi possit illa determinatio. Antecedens quoad primam partem probatur: si Deus determinaret productionem effectus quoad indiuiduum, non exerceret quoad actiones, quæ naturaliter fiunt adæquatè, munus causæ vniuersalis: consequens est absurdum: ergo, &c. probo sequelam: munus causæ vniuersalis est operari ad exigentiam causarum particularium; sed Deus non poneret hoc indiuiduum determinatum ad exigentiam causarum particularium, causæ enim particulares illud per se non exigunt: ergo Deus, iuxta hanc sententiã, non exerceret munus causæ vniuersalis. Confirmatur: si Deus determinatus à creaturis ad producendum genus, v.g. corpus animatum, ipse deinde determinaret speciem, vtique Deus non exerceret respectu hominis, v.g. quem produceret, adæquatè munus causæ vniuersalis: ergo si determinatus ad speciem à causis, determinat indiuiduã, respectu indiuidui est potius causa particularis, quàm vniuersalis. Et ratio vlterior est: quia causa particularis est, cui effectus tribui potest ob specialem ordinem, quem dicit ex se talis causa ad effectum: sed Deus, si determinaret indiuiduationem, posset illi tribui talis effectus secundum suam indiuiduationem speciali quodã titulo, ob specialem videlicet ordinem, & determinationem, quo Deus respicit illud indiuiduum: ergo, &c.

Hæc determinatio nõ est à Deo, neque à serie, sed à cõplexo circumstantiarum.

Impugnatur determinatio à Deo.

5 Dices primo, Deum operari, vt causam vniuersalem; quia hoc ipsum indiuiduum ponit iuxta exigentiam causæ particularis, causa enim secunda applicata exigit producere aliquem effectum, quem cum non possit ipsa determinare; exigit vt Deus illum determinet: ergo determinatio huius indiuidui est etiam iuxta exigentiam causæ secundæ. Sed contra: ista determinatio, quæ defacto datur, non est adæquatè, & secundum omnia prædicata, quæ dicit, iuxta exigentiam causæ secundæ: ergo non est adæquatè à Deo tamquam à causa vniuersali: antecedens probatur: quia causa secunda non exigit hanc determinationem cum exclusione aliarum, sicut et non exigit hunc determinatum affectum, vt volunt aduersarij: ergo effectus, & determinatio, quæ ponitur, non est adæquatè iuxta exigentiam causarum secundarum: sicuti si causa exigeret gradũ genericũ, non specificum effectus; hic specie effectus, qui poneretur, ratione prædicati specifici adæquatè sumpti non esset iuxta ext-

bemus dicere, quod in accidentibus sit virtus effectiua substantiæ. Efficax enim argumentum ad probandam virtutem effectiuam in creaturis est, si, dum nihil obstat, vnum producatur ad præsentiam alterius: in casu autem nostro nihil obstare patet: quia si aliquod obstaret maximè esset maior perfectio effectus; sed hoc non obstat ex supradictis: ergo, &c.

43 Obijcies primo: si accidentia possent sola cum Deo producere substantiam, non essent imperfectiora substantia: haberent enim vim effectiuam æquè perfectam. Nego sequelam, & eius probationem. Substantia per nos non solum habet vim producendi in alieno subiecto, tùm formam substantialem, tùm accidentia, sed etiam recuperandi, & producendi in se propria accidentia; at accidentia non habent vim producendi in se similia accidentia, & ordinandi illa ad propriam intrinsecam perfectionem.

44 Obijcies secundo. Si accidentia habent hanc vim, vel illa competit accidentibus passi, vel agentis, vel vtrisque; nullum dici potest. Respondeo competere vtrisque; sunt enim eiusdem rationis, & vtraque sunt applicata passo: ergo vtraque concurrunt.

Id competit accidentibus, tum passi, tum agentis, sed non propterea sunt æque perfecta ac substantia.

45 Dices primo. Si accidentia agentis concurrunt ad productionem substantiæ in alieno subiecto, non est cur passum debeat disponi ad vnionem cum forma per accidentia sibi intrinseca: iam enim ignis independenter ab illa dispositione est potens producere alium ignem. Nego sequelam: debet disponi subiectum, tùm vt destruantur accidentia ad formam oppositam præcedentem; tùm vt subiectum cum exigentia intrinseca, & consequenter modo connaturali, recipiat formam substantialem.

46 Dices secundo. Accidentia subiecti non possunt denominare ignem agentem, accidentia enim separata à subiecto non possunt illi tribuere denominationem agentis. Quidquid sit de hoc, in quo multùm laborat Hurtadus; mihi sufficit, si illa accidentia possint simul cum igne agere, cuius oppositum non probat aduersarius.

Quomodo in re nostra saluari debet maior perfectio substantiæ supra accidentia.

47 Dices tertio. Ergo quamuis substantia non possit producere accidentia, & substantiam in extraneo subiecto adhuc saluatur, quod sit perfectior accidentibus, per hoc, quod valeat per actionem immanentem producere accidentia sui perfectiua. Nego assumptum: quia per hoc non saluatur, quod virtus substantiæ sit maior virtute accidentium.

48 Dices quarto. Etiam accidentia producunt veluti immanenter, idest in subiecto, in quo ipsa sunt, substantiam. Distinguo assumptum, eodem modo, ac substantia; nego; diuerso modo; concedo. Substantia perseuerat spoliata proprijs accidentibus, quæ deinde recuperat nulla facta mutatione ex parte actus primi, nisi remoto contrario. At amissam substantiam non possunt accidentia, quæ perseuerant, recuperare, posita præcisè carentia validioris agentis, nisi vel adiuuentur immediatè ab alia causa extrinseca, vel augeantur: ergo substantia cum maiori independentia, & vt vnum principium continens indiuisibiliter in se virtutem suo modo sufficientem cōcurrit ad illos effectus, ad quos licet concurrant accidentia, non tamen eodem modo, quod sufficit ad saluandum, virtutem substantiæ esse perfectiorem, si cætera sunt paria.

49 Obijcies tertio. Sola materia prima, quæ est substantia, habet vim sustentatiuam substantiæ; ergo sola substantia habet vim effectiuā substantiæ. Nego consequentiam; quia forma substantialis non debet facere vnum per se cum accidentibus, sicuti facit vnum per se cum materia: ergo non est cur respiciat vt subiectum sustentationis accidens aliquod: quia, vt vidimus subiectum sustentationis exigit vniri cum termino sustentato. At argumenta supra allata probant, quod accidentia causant efficienter substantiam.

50 Obijcies quarto. Falsò supponimus in accidentibus esse vim sufficienter productiuam substantiæ, semper enim quandocunque adest combinatio illa accidentium, quæ est dispositio sufficiens ad introductionem formæ nouæ, adest aliqua substantia, quæ est causa illius combinationis: ergo illa substantia semper concurret cum accidentibus; ergo illa accidentia non habent virtutem adæquatam. Nego vltimam consequentiam: nam quod semper illa accidentia sint simul cum substantia, quæ potest influere in formam nouam, est per accidens ex necessitate, quam habent ista accidentia coexistēdi suæ causæ, non per se, & ex defectu virtutis. Et ratio est: quia si huiusmodi accidentia nulli substantiæ creatæ coexisterent; adhuc adæquatè exigerent productionem formæ; & ex alio capite essent virtus causatiua illius, vt probauimus: ergo essent causa creata sufficiens: ad quod nihil aliud requiritur, vt videmus, nisi illa duo. Secundo, nego consequentiam; nonnumquam enim combinatio accidentium sufficiens completur per aliquem gradum caloris productum à substantia aliqua extrinseca, in qua gratis omnino supponitur vis productiua formæ nouæ, cum non sit causa adæquata illius combinationis sufficientis; cuius pleræque partes supponuntur à solo Deo conseruatæ; nec habent cum forma noua vllam connexionem: in quo casu causa adæquatè sufficiens sunt tantum accidentia.

51 Obijcies quinto. Ad præsentiam vbicationis producitur vbicatio, & tamen vbicatio non est causa vbicationis: ergo quamuis ad præsentiam caloris producatur substantia, non ideò calor erit causa substantiæ. Distinguo antecedēs, ad præsentiam vbicationis producitur semper vbicatio; nego: aliquando, cum videlicet adsunt causæ aliundè potentes producere vbicationem; concedo antecedens: & nego consequentiam. Cum ad præsentiam vnius producitur aliud, si id per se eueniat, & adsint aliæ conditiones, quas supra ad rationem causæ requisiuimus, est sufficiens indicium, vt dicamus primum esse causā secundi: si autem id eueniat per accidens ratio-

ne

ne alterius coniuncti cum primo, non est sufficiens indicium. Iam verò ad præsentiam caloris, & huius determinatæ combinationis accidentium per se producitur ignis: quia semper producitur.

52 Obijcies sexto, Accidentia vel sunt causa principalis, vel instrumentalis? Respondeo esse instrumentalem; cum enim sint entis eos debitum videlicet alicui substantiæ, ordinātur, vt medium institutum ad quærendum bonū causæ particularis. Sed quænam est causa principalis horum effectuum? Respondeo, causam principalem illorum effectuum esse substantias; à quibus dependet dicta combinatio accidentiū. Verè enim in illam substantiam, siue sit vna, siue sit collectio plurium; tandem resoluitur actio, tanquam in id, cui debetur combinatio hæc accidentium. Et licet, quando sunt plures substantiæ, quibus indiuisibiliter debetur, illa combinatio, effectus non sit bonus cuilibet causæ; negari tamen non potest, quin sit bonus toti collectioni, quæ re vera connectitur cum illo effectu.

53 Obijcies septimo. Prædicata substantiæ non præcontinentur in accidente. Distinguo formaliter: concedo: virtualiter, tanquam in virtute causatiua essentialiter inadæquata modo supra dicto; nego.

54 Iuxta supradicta facilè assignatur causa substantiarum, præsertim viuentium, quæ generantur ex putri; est enim illa combinatio accidentium, & si nihil obstat etiam aliqua substantia, vel combinatio substantiarum, a quibus est talis combinatio accidentium debita, vt facilè colligitur ex dictis. Quare non placent primo, qui recurrunt ad Deum: hic enim recursus est philosophis indignus, quando possumus causam creatam assignare. Neque secundo, qui docent esse ranam, vel murem in communi; qui neque existunt, neque vllam connexionem habent cum effectu præsenti; qui verò dicunt esse Cœlum, vel Angelos: primo recurrunt ad causas vniuersales, cum loquimus particulares. Secundo supponunt, cœlum immediatè per suam substantiam adeò distantem concurrere ad hos effectus sublunares, quod est valdè dubium. Angelos autem aliquid plus præstare, quàm per motum applicare actiua passiuis, gratis assumitur, vt suppono ex tractatu de Angelis.

Assignatur causa viuentium quæ producuntur ex putri.

55 Illud hic addendum puto ex Quiros *disp. 57. sect. 3. n. 22.* Quamuis maior sit virtus substantiæ ad producendam substantiam, quàm accidentis; Deum tamen concurrendo tùm cum substantia simul, & accidentibus, tùm cum solis accidentibus, semper agere, vt causam vniuersalem; quia in vtroque casu agit ad exigentiam causæ secundæ.

In his omnibus casibus Deus concurrit vt causa vniuersalis.

SVBSECTIO V.

Vtrum creatura habeant vim conseruatiuam.

56 Egimus de virtute primo productiua; nunc aliquid addendum est de virtute conseruatiua, circa quam.

57 Dico quinto. Forma substantialis non habet vim conseruandi accidentia, quæ sunt ad ipsam dispositiones, & aliquando ab illa recuperantur. V.G. aqua non habet vim conseruandi frigus, quod est dispositio ad illam, & ab eodem nonnunquam producitur. Probatur ex dictis, tàm aqua habet vim producendi frigus, quàm frigus aquam: ergo vel vtrumque habet vim conseruandi alterum, vel neutrum: si secundum habeò intentum; si primum non est ratio cur defactò potiùs aqua conseruet frigus, quàm è contra: ergo vel vtrumque conseruat alterum, vel neutrum; si primum, mutuo se conseruant, & causant, quod repugnat. Si secundum: ergo non est, cur in illis admittamus vim naturaliter se causandi, quæ numquam naturaliter reducitur ad actum.

Substantia non conseruat accidētia, quæ aliquando recuperat.

58 Hinc patet, neque accidentia, quæ disponunt, ad primam productionem formę substantialis illam conseruare; neque ignem producentem ab igne producente, vel è contra; quia cum in vtroque sit virtus producendi aliud, nō est maior ratio cur potius vnum conseruet aliū, quam è contra: quod verum puto negata serie effectuum: ea enim admissa in vno tantum igne est virtus causandi alium, non è contra: nam serie admissa ignis, a, potest producere ignem, b, & non potest ab illo produci, sed ab alia causa; quin imo, in ea suppositione cessat hæc ratio positiua, etiam in ordine ad dispositionem, & formam substantialem: ita vt forma substantialis conseruetur à dispositionibus, quæ primo illam produxerint, & illas nō cōseruet, & cōseruet accidētia, quę recuperat, sed ab illis nō cōseruetur.

Hoc non verificatur posita serie effectuum.

59 Ea igitur serie non posita hi effectus iam semel producti conseruantur à Deo solo, dum non aduenit agens validius exigens efficaciter illorum destructionem; sunt enim effectus permanentes, qui semper exigunt conseruari, dum non aduenit validius agens; ideoque experimur calorem etiam remoto igne durare ad longum tempus.

Non posita serie causa conseruatiua est Deus.

60 Obijcies primo, Aqua primo producit frigus: ergo illud conseruat. Nego consequentiam: qua quando aqua frigefit, debet dari causa secunda exigens frigoris productionē: Deus enim non producit, nisi ad exigentiam causarum secundarum; hæc autem causa non potest esse nisi aqua: at Deus conseruat frigus ad exigentiam frigoris ipsius, quod exigit conseruari tēpore sequenti, dum non aduenit validius agēs.

61 Dices potest dici, quod aqua non causet primo frigus, sed sit conditio, vt producatur à Deo. Nego assumptum: quia defacto prærequiritur ad productionem frigoris; ita vt non sit mera applicatio, & ea deficiente deficeret vtique frigus, nisi Deus suppleret illius defectum, in eodem genere causæ efficientis.

62 Obijcies secundo: ergo negata serie nullus effectus conseruatur à causis secundis, vel vnde potero id dignoscere? Nego consequentiam: & dico id colligi à posteriori: sunt enim aliqui effectus, qui remota causa, à qua fuerunt pro-

Est in creaturis nonnullis vis conseruandi alias.

bemus dicere, quod in accidentibus sit virtus effectiua substantiæ. Efficax enim argumentum ad probandam virtutem effectiuam in creaturis est, si, dum nihil obstat, vnum producatur ad præsentiam alterius: in casu autem nostro nihil obstare patet: quia si aliquod obstaret maximè esset maior perfectio effectus; sed hoc non obstat ex supradictis: ergo, &c.

43 Obijcies primo: si accidentia possent sola cum Deo producere substantiam, non essent imperfectiora substantia: haberent enim vim effectiuam æquè perfectam. Nego sequelam, & eius probationem. Substantia per nos non solum habet vim producendi in alieno subiecto, tùm formam substantialem, tùm accidentia, sed etiam recuperandi, & producendi in se propria accidentia; at accidentia non habent vim producendi in se similia accidentia, & ordinandi illa ad propriam intrinsecam perfectionem.

44 Obijcies secundo. Si accidentia habent hanc vim, vel illa competit accidentibus passi, vel agentis, vel vtrisque; nullum dici potest. Respondeo competere vtrisque; sunt enim eiusdem rationis, & vtraque sunt applicata passo, ergo vtraque concurrunt.

Id competit accidentibus, tum passi, tum agentis, sed non propterea sunt æque perfecta ac substantia.

45 Dices primo. Si accidentia agentis concurrunt ad productionem substantiæ in alieno subiecto, non est cur passum debeat disponi ad vnionem cum forma per accidentia sibi intrinseca: iam enim ignis independenter ab illa dispositione est potens producere alium ignem. Nego sequelam: debet disponi subiectum, tùm vt destruantur accidentia ad formam oppositam præcedentem; tùm vt subiectum cum exigentia intrinseca, & consequenter modo connaturali, recipiat formam substantialem.

46 Dices secundo. Accidentia subiecti non possunt denominare ignem agentem, accidentia enim separata à subiecto non possunt illi tribuere denominationem agentis. Quidquid sit de hoc, in quo multùm laborat Hurtadus; mihi sufficit, si illa accidentia possint simul cum igne agere, cuius oppositum non probat aduersarius.

Quomodo in re nostra saluari debet maior perfectio substantiæ supra accidentia.

47 Dices tertio. Ergo quamuis substantia non possit producere accidentia, & substantiam in extraneo subiecto adhuc saluatur, quod sit perfectior accidentibus, per hoc, quod valeat per actionem immanentem producere accidentia sui perfectiua. Nego assumptum: quia per hoc non saluatur, quod virtus substantiæ sit maior virtute accidentium.

48 Dices quarto. Etiam accidentia producunt veluti immanenter, idest in subiecto, in quo ipsa sunt, substantiam. Distinguo assumptum, eodem modo, ac substantia; nego; diuerso modo; concedo. Substantia perseuerat spoliata proprijs accidentibus, quæ deinde recuperat nulla facta mutatione ex parte actus primi, nisi remoto contrario. At amissam substantiam non possunt accidentia, quæ perseuerant, recuperare, posita præcisè carentia validioris agentis; nisi vel adiuuentur immediatè ab alia causa extrinseca, vel augeantur: ergo substantia cum maiori independentia, & vt vnum principium continens indiuisibiliter in se virtutem suo modo sufficientem cōcurrit ad illos effectus, ad quos licet concurrant accidentia, non tamen eodem modo, quod sufficit ad saluandum, virtutem substantiæ esse perfectiorem, si cætera sunt paria.

49 Obijcies tertio. Sola materia prima, quæ est substantia, habet vim sustentatiuam substantiæ; ergo sola substantia habet vim effectiuā substantiæ. Nego consequentiam; quia forma substantialis non debet facere vnum per se cum accidentibus, sicuti facit vnum per se cum materia: ergo non est cur respiciat vt subiectum sustentationis accidens aliquod; quia, vt vidimus subiectum sustentationis exigit vniri cum termino sustentato. At argumenta supra allata probant, quod accidentia causant efficienter substantiam.

50 Obijcies quarto. Falsò supponimus in accidentibus esse vim sufficienter productiuam substantiæ, semper enim quandocunque adest combinatio illa accidentium, quæ est dispositio sufficiens ad introductionem formæ nouæ, adest aliqua substantia, quæ est causa illius combinationis: ergo illa substantia semper concurret cum accidentibus: ergo illa accidentia non habent virtutem adæquatam. Nego vltimam consequentiam: nam quod semper illa accidentia sint simul cum substantia, quæ potest influere in formam nouam, est per accidens ex necessitate, quam habent ista accidentia coexistēdi suæ causæ, non per se, & ex defectu virtutis. Et ratio est: quia si huiusmodi accidentia nulli substantiæ creatæ coexisterent; adhuc adæquaté exigerent productionem formæ; & ex alio capite essent virtus causatiua illius, vt probauimus: ergo essent causa creata sufficiens: ad quod nihil aliud requiritur, vt vidimus, nisi illa duo. Secundo, nego consequentiam; nonnumquam enim combinatio accidentium sufficiens completur per aliquem gradum caloris productum à substantia aliqua extrinseca, in qua gratis omninò supponitur vis productiua formæ nouæ, cum non sit causa adæquata illius combinationis sufficientis; cuius pleræque partes supponuntur à solo Deo conseruatæ; nec habent cum forma noua vllam connexionem: in quo casu causa adæquatè sufficiens suot tantum accidentia.

51 Obijcies quinto. Ad præsentiam vbicationis producitur vbicatio, & tamen vbicatio non est causa vbicationis: ergo quamuis ad præsentiam caloris producatur substantia, non ideò calor erit causa substantiæ. Distinguo antecedēs, ad præsentiam vbicationis producitur semper vbicatio; nego: aliquando, cum videlicet adsunt causæ aliundé potentes producere vbicationem; concedo antecedens: & nego consequentiam. Cum ad præsentiam vnius producitur aliud, si id per se eueniat, & adsint aliæ conditiones, quas supra ad rationem causæ requisiuimus, est sufficiens indicium, vt dicamus primum esse causā secundi: si autem id eueniat per accidens ratio-

ne alterius coniuncti cum primo, non est sufficiens indicium. Iam verò ad præsentiam caloris, & huius determinatæ combinationis accidentium per se producitur ignis: quia semper producitur.

52 Obijcies sexto. Accidentia vel sunt causa principalis, vel instrumentalis? Respondeo esse instrumentalem; cum enim sint totis ens debitum videlicet alicui substantiæ, ordinātur, vt medium institutum ad quærendum bonū causæ particularis. Sed quænam est causa principalis horum effectuum? Respondeo, causam principalem illorum effectuum esse substantias; à quibus dependet dicta combinatio accidentiū. Verè enim in illam substantiam, siue sit vna, siue sit collectio plurium; tandem resoluitur actio, tanquam in id, cui debetur combinatio hæc accidentium. Et licet, quando sunt plures substantiæ, quibus indiuisibiliter debetur illa combinatio, effectus non sit bonus cuilibet causæ; negari tamen non potest, quin sit bonus toti collectioni, quæ re vera connectitur cum illo effectu.

53 Obijcies septimo. Prædicata substantiæ non præcontinentur in accidente. Distinguo formaliter: concedo: virtualiter, tanquam in virtute causatiua essentialiter inadæquata modo supra dicto; nego.

Assignatur causa viuentium quæ producuntur ex putri.

54 Iuxta supradicta facilè assignatur causa substantiarum, præsertim viuentium, quæ generantur ex putri; est enim illa combinatio accidentium, & si nihil obstat etiam aliqua substantia, vel combinatio substantiarum, a quibus est talis combinatio accidentium debita, vt facilè colligitur ex dictis. Quare non placent primo, qui recurrunt ad Deum: hic enim recursus est philosophis indignus, quando possumus causam creatam assignare. Neque secundo, qui docent esse ranam, vel murem in communi; qui neque existunt, neque vllam connexionem habent cum effectu præsenti; qui vero dicunt esse Cœlum, vel Angelos: primo recurrunt ad causas vniuersales, cum inquiramus particulares. Secundo supponunt, cœlum immediatè per suam substantiam adeò distantem concurrere ad hos effectus sublunares, quod est valdè dubium. Angelos autem aliquid plus præstare, quàm per motum applicare actiua passiuis, gratis assumitur, vt suppono ex tractatu de Angelis.

In his omnibus casibus Deus concurrrit vt causa vniuersalis.

55 Illud hic addendum puto ex Quiros *disp. 57. sect. 3. n. 22.* Quamuis maior sit virtus substantiæ ad producendam substantiam, quàm accidentis; Deum tamen concurrendo tùm cum substantia simul, & accidentibus, tùm cum solis accidentibus; semper agere, vt causam vniuersalem; quia in vtroque casu agit ad exigentiam causæ secundæ.

SVBSECTIO V.

Vtrum creaturæ habeant vim conseruatiuam.

56 EGimus de virtute primo productiua; nunc aliquid addendum est de virtute conseruatiua, circa quam.

Substantia non conseruat accidētia, quæ aliquando recuperat.

57 Dico quinto. Forma substantialis non habet vim conseruandi accidentia, quæ sunt ad ipsam dispositiones, & aliquando ab illa recuperantur. V. G. aqua non habet vim conseruandi frigus, quod est dispositio ad illam, & ab eodem nonnunquam producitur. Probatur ex dictis, tàm aqua habet vim producendi frigus, quàm frigus aquam: ergo vel vtrumque habet vim conseruandi alterum, vel neutrum: si secundum habeo intentum; si primum non est ratio cur defactò potiùs aqua conseruet frigus, quàm è contra; ergo vel vtrumque conseruat alterum, vel neutrum; si primum, mutuo se conseruant, & causant, quod repugnat. Si secundum: ergo non est, cur in illis admittamus vim naturaliter se causandi, quæ numquam naturaliter reducitur ad actum.

Hoc non verificatur posita serie effectuum.

58 Hinc patet, neque accidentia, quæ disponunt, ad primam productionem formæ substantialis illam conseruare; neque ignem productum ab igne producente, vel e contra; quia cum in vtroque sit virtus producendi aliud, nō est maior ratio cur potius vnum conseruet aliū, quam è contra: quod verum puto negata serie effectuum: ea enim admissa in vno tantum igne est virtus causandi alium, non è contra: nam serie admissa ignis, a, potest producere ignem, b, & non potest ab illo produci, sed ab alia causa; quin imo, in ea suppositione cessat hæc ratio positiua, etiam in ordine ad dispositionem, & formam substantialem: ita vt forma substantialis conseruetur à dispositionibus, quæ primo illam produxerint, & illas nō cōseruet, & cōseruet accidētia, quę recuperat, sed ab illis nō cōseruetur.

Non posita serie causa conseruatiua est Deus.

59 Ea igitur serie non posita hi effectus iam semel producti conseruantur à Deo solo, dum non aduenit agens validius exigens efficaciter illorum destructionem: sunt enim effectus permanentes, qui semper exigunt conseruari, dum non aduenit validius agens; ideoque experimur calorem etiam remoto igne durare ad longum tempus.

60 Obijcies primo, Aqua primo producit frigus: ergo illud conseruat. Nego consequentiam: quia quando aqua frigefit, debet dari causa secunda exigens frigoris productionē: Deus enim non producit, nisi ad exigentiam causarum secundarum; hæc autem causa non potest esse nisi aqua: at Deus conseruat frigus ad exigentiam frigoris ipsius, quod exigit conseruari tēpore sequenti, dum non aduenit validius agēs.

61 Dices potest dici, quod aqua non causet primo frigus, sed sit conditio, vt producatur à Deo. Nego assumptum: quia defacto prærequiritur ad productionem frigoris; ita vt non sit mera applicatio, & ea deficiente deficeret vtique frigus, nisi Deus suppleret illius defectum, in eodem genere causę efficientis.

Est in creaturis nonnullis vis conseruandi alias.

62 Obijcies secundo: ergo negata serie nullus effectus conseruatur à causis secundis, vel vnde poterò id dignoscere? Nego consequentiam: & dico id colligi à posteriori: sunt enim aliqui effectus, qui remota causa, à qua fuerunt pro-

bemus dicere, quod in accidentibus sit virtus effectiua substantiæ. Efficax enim argumentum ad probandam virtutem effectiuam in creaturis est, si, dum nihil obstat, vnum producatur ad præsentiam alterius: in casu autem nostro nihil obstare patet: quia si aliquod obstaret maximè esset maior perfectio effectus; sed hoc non obstat ex supradictis: ergo, &c.

43 Obijcies primo: si accidentia possent sola cum Deo producere substantiam, non essent imperfectiora substantia: haberent enim vim effectiuam æquè perfectam. Nego sequelam, & eius probationem. Substantia per nos non solum habet vim producendi in alieno subiecto, tùm formam substantialem, tùm accidentia, sed etiam recuperandi, & producendi in se propria accidentia; at accidentia non habent vim producendi in se similia accidentia, & ordinandi illa ad propriam intrinsecam perfectionem.

44 Obijcies secundo. Si accidentia habent hanc vim, vel illa competit accidentibus passi, vel agentis, vel vtrisque; nullum dici potest. Respondeo competere vtrisque; sunt enim eiusdem rationis, & vtraque sunt applicata passo: ergo vtraque concurrunt.

Id competit accidentibus, tum passi, tum agentis, sed non propterea sunt æque perfecta ac substantia.

45 Dices primo. Si accidentia agentis concurrunt ad productionem substantiæ in alieno subiecto, non est cur passum debeat disponi ad vnionem cum forma per accidentia sibi intrinseca: iam enim ignis independenter ab illa dispositione est potens producere alium ignem. Nego sequelam: debet disponi subiectum, tùm vt destruantur accidentia ad formam oppositam præcedentem; tùm vt subiectum cum exigentia intrinseca, & consequenter modo connaturali, recipiat formam substantialem.

46 Dices secundo. Accidentia subiecti non possunt denominare ignem agentem, accidentia enim separata à subiecto non possunt illi tribuere denominationem agentis. Quidquid sit de hoc, in quo multùm laborat Hurtadus; mihi sufficit, si illa accidentia possint simul cum igne agere, cuius oppositum non probat aduersarius.

47 Dices tertio. Ergo quamuis substantia non possit producere accidentia; & substantiam in extraneo subiecto adhuc saluatur, quod sit perfectior accidentibus, per hoc, quod valeat per actionem immanentem producere accidentia sui perfectiua. Nego assumptum: quia per hoc non saluatur, quod virtus substantiæ sit maior virtute accidentium.

Quomodo in re nostra saluari debet maior perfectio substantiæ supra accidentia.

48 Dices quarto. Etiam accidentia producunt veluti immanenter, idest in subiecto, in quo ipsa sunt, substantiam. Distinguo assumptum, eodem modo, ac substantia; nego; diuerso modo; concedo. Substantia perseuerat spoliata proprijs accidentibus, quæ deinde recuperat nulla facta mutatione ex parte actus primi, nisi remoto contrario. At amissam substantiam non possunt accidentia, quæ perseuerant, recuperare, posita præcisè carentia validioris agentis; nisi vel adiuuentur immediatè ab alia causa extrinseca, vel augeantur: ergo substantia cum maiori independentia, & vt vnum principium continens indiuisibiliter in se virtutem suo modo sufficientem côcurrit ad illos effectus, ad quos licet concurrant accidentia, non tamen eodem modo, quod sufficit ad saluandum, virtutem substantiæ esse perfectiorem, si cætera sunt paria.

49 Obijcies tertio. Sola materia prima, quæ est substantia, habet vim sustentatiuam substantiæ; ergo sola substantia habet vim effectiuã substantiæ. Nego consequentiam; quia forma substantialis non debet facere vnum per se cum accidentibus, sicuti facit vnum per se cum materia: ergo non est cur respiciat vt subiectum sustentationis accideos aliquod: quia, vt vidimus subiectum susteotationis exigit vniri cum termino sustentato. At argumenta supra allata probant, quod accidentia causant efficienter substantiam.

50 Obijcies quarto. Falsò supponimus in accidentibus esse vim sufficienter productiuam substantiæ, semper enim quandocunque adest combinatio illa accidentium, quæ est dispositio sufficiens ad introductionem formæ nouæ, adest aliqua substantia, quæ est causa illius combinationis: ergo illa substantia semper concurret cum accidentibus: ergo illa accidentia non habent virtutem adæquatam. Nego vltimam consequentiam: nam quod semper illa accidentia sint simul cum substantia, quæ potest influere in formam nouam, est per accidens ex necessitate, quam habent ista accidentia coexistẽdi suæ causæ, non per se, & ex defectu virtutis. Et ratio est: quia si huiusmodi accidentia nulli substantiæ creatæ coexisterent; adhuc adæquatè exigerent productionem formæ; & ex alio capite essent virtus causatiua illius, vt probauimus: ergo essent causa creata sufficiens: ad quod nihil aliud requiritur, vt vidimus, nisi illa duo. Secundo, nego consequentiam; nonnumquam enim combinatio accidentium sufficiens completur per aliquem gradum caloris productum à substantia aliqua extrinseca, in qua gratis omninò supponitur vis productiua formæ nouæ, cum non sit causa adæquata illius combinationis sufficientis; cuius plerçque partes supponuntur à solo Deo conseruatæ: nec habent cum forma noua vllam connexionem: in quo casu causa adæquatè sufficiens sunt tantùm accidentia.

51 Obijcies quinto. Ad præsentiam vbicationis producitur vbicatio, & tamen vbicatio non est causa vbicationis: ergo quamuis ad præsentiam caloris producatur substantia, non ideò calor erit causa substantiæ. Distinguo antecedẽs, ad præsentiam vbicationis producitur semper vbicatio; nego: aliquando; cum videlicet adsunt causæ aliundè potentes producere vbicationem; concedo antecedens; & nego consequentiam. Cum ad præsentiam vnius producitur aliud, si id per se eueniat, & adsint aliæ conditiones, quas supra ad rationem causæ requisiuimus, est sufficiens indicium, vt dicamus primum esse causã secundi: si autem id eueniat per accidens ratio-

ne alterius coniuncti cum primo, non est sufficiens indicium. Iam verò ad præsentiam caloris, & huius determinatæ combinationis accidentium per se producitur ignis; quia semper producitur.

52 Obijcies sexto. Accidentia vel sunt causa principalis, vel instrumentalis? Respondeo esse instrumentalem; cum enim sint totis ens debitum videlicet alicui substantiæ, ordinatur, vt medium institutum ad quærendum bonũ causæ particularis. Sed quænam est causa principalis horum effectuum? Respondeo, causam principalem illorum effectuum esse substantias; à quibus dependet dicta combinatio accidentiũ. Verè enim in illam substantiam, siue sit vna, siue sit collectio plurium; tandem resoluitur actio, tanquam in id, cui debetur combinatio hæc accidentium. Et licet, quando sunt plures substantiæ, quibus indiuisibiliter debetur illa combinatio, effectus non sit bonus cuilibet causæ; negari tamen non potest, quin sit bonus toti collectioni, quæ re vera connectitur cum illo effectu.

53 Obijcies septimo. Prædicata substantiæ non præcontinentur in accidente. Distinguo formaliter; concedo: virtualiter, tanquam in virtute causatiua essentialiter inadæquata modo supra dicto; nego.

Assignatur causa viuentium quæ producuntur ex putri.

54 Iuxta supradicta facilè assignatur causa substantiarum, præsertim viuentium, quæ generantur ex putri: est enim illa combinatio accidentium, & si nihil obstat etiam aliqua substantia, vel combinatio substantiarum, à quibus est talis combinatio accidentium debita, vt facilè colligitur ex dictis. Quare non placent primo, qui recurrunt ad Deum: hic enim recursus est philosophis indignus, quando possumus causam creatam assignare. Neque secundo, qui docent esse ranam, vel murem in communi: qui neque existunt, neque vllam connexionem habent cum effectu præsenti; qui verò dicunt esse Cœlum, vel Angelos: primo recurrunt ad causas vniuersales, cum inquiramus particulares. Secundo supponunt, cœlum immediatè per suam substantiam adeò distantem concurrere ad hos effectus sublunares, quod est valdè dubium. Angelos autem aliquid plus præstare, quàm per motum applicare actiua passiuis, gratis assumitur, vt suppono ex tractatu de Angelis.

In his omnibus casibus Deus concurrrit vt causa vniuersalis.

55 Illud hic addendum puto ex Quiros *disp. 57. sect. 3. n. 22.* Quamuis maior sit virtus substantiæ ad producendam substantiam, quàm accidentis; Deum tamen concurrendo tum cum substantia simul, & accidentibus, tum cum solis accidentibus; semper agere, vt causam vniuersalem; quia in vtroque casu agit ad exigentiam causæ secundæ.

SVBSECTIO V.

Vtrum creaturæ habeant vim conseruatiuam.

56 EGimus de virtute primo productiua: nunc aliquid addendum est de virtute conseruatiua, circa quam.

Substantia non conseruat accidẽtia, quæ aliquando recuperat.

57 Dico quinto. Forma substantialis non habet vim conseruandi accidentia, quæ sunt ad ipsam dispositiones, & aliquando ab illa recuperantur. V.G. aqua non habet vim conseruandi frigus, quod est dispositio ad illam, & ab eodem nonnunquam producitur. Probatur ex dictis: tàm aqua habet vim producendi frigus, quàm frigus aquam: ergo vel vtrumque habet vim conseruandi alterum, vel neutrum: si secundum habeò intentum; si primum non est ratio cur defactò potiùs aqua conseruet frigus, quàm è contra: ergo vel vtrumque conseruat alterum, vel neutrum; si primum, mutuo se conseruant, & causant, quod repugnat. Si secundum: ergo non est, cur in illis admittamus vim naturaliter se causandi, quæ numquam naturaliter reducitur ad actum.

Hoc non verificatur posita serie effectuum.

58 Hinc patet, neque accidentia, quæ disponunt, ad primam productionem formę substantialis illam conseruare; neque ignem productum ab igne producente, vel e contra; quia cum in vtroque sit virtus producendi aliud, nõ est maior ratio cur potius vnum conseruet aliũ, quam è contra: quod verum puto negata serie effectuum: ea enim admissa in vno tantum igne est virtus causandi alium, non è contra: nam serie admissa ignis, a, potest producere ignem, b, & non potest ab illo produci, sed ab alia causa; quin imo, in ea suppositione cessat hæc ratio positiua, etiam in ordine ad dispositionem, & formam substantialem: ita vt forma substantialis conseruetur à dispositionibus, quæ primo illam produxerint, & illas nõ cõseruet, & cõseruet accidẽtia, quę recuperat, sed ab illis nõ cõseruetur.

Non posita serie causa conseruatiua est Deus.

59 Ea igitur serie non posita hi effectus iam semel producti conseruantur à Deo solo, dum non aduenit agens validius exigens efficaciter illorum destructionem; sunt enim effectus permanentes, qui semper exigunt conseruari, dum non aduenit validius agens; ideoque experimur calorem etiam remoto igne durare ad longum tempus.

60 Obijcies primo. Aqua primo producit frigus: ergo illud conseruat. Nego consequentiam: qua quando aqua frigescit, debet dari causa secunda exigens frigoris productionẽ: Deus enim non producit, nisi ad exigentiam causarum secundarum; hæc autem causa non potest esse nisi aqua: at Deus conseruat frigus ad exigentiam frigoris ipsius, quod exigit conseruari tẽpore sequenti, dum non aduenit validius agẽs.

61 Dices potest dici, quod aqua non causet primo frigus, sed sit conditio, vt producatur à Deo. Nego assumptum: quia defacto prærequiritur ad productionem frigoris; ita vt non sit mera applicatio, & ea deficiente deficeret vtique frigus, nisi Deus suppleret illius defectum, in eodem genere causę efficientis.

Est in creaturis nonnullis vis conseruandi alias.

62 Obijcies secundo: ergo negata serie nullus effectus conseruatur à causis secundis, vel vnde potero id dignoscere? Nego consequentiam: & dico id colligi à posteriori: sunt enim aliqui effectus, qui remota causa, à qua fuerunt

pro-

bemus dicere, quod in accidentibus sit virtus effectiua substantiæ. Efficax enim argumentum ad probandam virtutem effectiuam in creatura est, si, dum nihil obstat, vnum producatur ad præsentiam alterius: in casu autem nostro nihil obstare patet; quia si aliquod obstaret maximè esset maior perfectio effectus; sed hoc non obstat ex supradictis: ergo, &c.

43 Obijcies primo: si accidentia possent sola cum Deo producere substantiam, non essent imperfectiora substantia: haberent enim vim effectiuam æquè perfectam. Nego sequelam, & eius probationem. Substantia per nos non solum habet vim producendi in alieno subiecto, tùm formam substantialem, tùm accidentia, sed etiam recuperandi, & producendi in se propria accidentia; at accidentia non habent vim producendi in se similia accidentia, & ordinandi illa ad propriam intrinsecam perfectionem.

44 Obijcies secundo. Si accidentia habent hanc vim, vel illa competit accidentibus passi, vel agentis, vel vtrisque; nullum dici potest. Respondeo competere vtrisque; sunt enim eiusdem rationis, & vtraque sunt applicata passo: ergo vtraque concurrunt.

Id competit accidentibus, tum passi, tum agentis. sed non propterea sunt æque perfecta ac substantia.

45 Dices primo. Si accidentia agentis concurrunt ad productionem substantiæ in alieno subiecto, non est cur passum debeat disponi ad vnionem cum forma per accidentia sibi intrinseca: iam enim ignis independenter ab illa dispositione est potens producere alium ignem. Nego sequelam: debet disponi subiectum, tùm vt destruantur accidentia ad formam oppositam præcedentem; tùm vt subiectum cum exigentia intrinseca, & consequenter modo connaturali, recipiat formam substantialem.

46 Dices secundo. Accidentia subiecti non possunt denominare ignem agentem, accidentia enim separata à subiecto non possunt illi tribuere denominationem agentis. Quidquid sit de hoc, in quo multùm laborat Hurtadus; mihi sufficit, si illa accidentia possint simul cum igne agere, cuius oppositum non probat aduersarius.

Quomodo in re nostra saluari debet maior perfectio substantiæ supra accidentia.

47 Dices tertio. Ergo quamuis substantia non possit producere accidentia; & substantiam in extraneo subiecto adhuc saluatur, quod sit perfectior accidentibus, per hoc, quod valeat per actionem immanentem producere accidentia sui perfectiua. Nego assumptum: quia per hoc non saluatur, quod virtus substantiæ sit maior virtute accidentium.

48 Dices quarto. Etiam accidentia producunt veluti immanenter, idest in subiecto, in quo ipsa sunt, substantiam. Distinguo assumptum, eodem modo, ac substantia; nego; diuerso modo; concedo. Substantia perseuerat spoliata proprijs accidentibus, quæ deindè recuperat nulla facta mutatione ex parte actus primi, nisi remoto contrario. At amissam substantiam non possunt accidentia, quæ perseuerant, recuperare, posita præcisè carentia validioris agentis; nisi vel adiuuentur immediatè ab alia causa extrinseca, vel augeantur: ergo substantia cum maiori independentia, & vt vnum principium continens indiuisibiliter in se virtutem suo modo sufficientem concurrit ad illos effectus, ad quos licet concurrant accidentia, non tamen eodem modo, quod sufficit ad saluandum, virtutem substantiæ esse perfectiorem, si cætera sunt paria.

49 Obijcies tertio. Sola materia prima, quæ est substantia, habet vim sustentatiuam substantiæ; ergo sola substantia habet vim effectiuã substantiæ. Nego consequentiam; quia forma substantialis non debet facere vnum per se cum accidentibus, sicuti facit vnum per se cum materia: ergo non est cur respiciat vt subiectum sustentationis accidens aliquod: quia, vt vidimus subiectum sustentationis exigit vniri cum termino sustentato. At argumenta supra allata probant, quod accidentia causant efficienter substantiam.

50 Obijcies quarto. Falsò supponimus in accidentibus esse vim sufficienter productiuam substantiæ, semper enim quandocunque adest combinatio illa accidentium, quæ est dispositio sufficiens ad introductionem formæ nouæ, adest aliqua substantia, quæ est causa illius combinationis: ergo illa substantia semper concurret cum accidentibus: ergo illa accidentia non habent virtutem adæquatam. Nego vltimam consequentiam: nam quod semper illa accidentia sint simul cum substantia, quæ potest influere in formam nouam, est per accidens ex necessitate, quam habent ista accidentia coexistẽdi suæ causæ, non per se, & ex defectu virtutis. Et ratio est: quia si huiusmodi accidentia nulli substantiæ creatæ coexisterent; adhuc adæquatè exigerent productionem formæ; & ex alio capite essent virtus causatiua illius, vt probauimus: ergo essent causa creata sufficiens: ad quod nihil aliud requiritur, vt videmus, nisi illa duo. Secundo, nego consequentiam; nonnumquam enim combinatio accidentium sufficiens completur per aliquem gradum caloris productum à substantia aliqua extrinseca, in qua gratis omninò supponitur vis productiua formæ nouæ, cum non sit causa adæquata illius combinationis sufficientis; cuius pleræque partes supponuntur à solo Deo conseruatæ; nec habent cum forma noua vllam connexionem: in quo casu causa adæquatè sufficiens sunt tantùm accidentia.

51 Obijcies quinto. Ad præsentiam vbicationis producitur vbicatio, & tamen vbicatio non est causa vbicationis: ergo quamuis ad præsentiam caloris producatur substantia, non ideò calor erit causa substantiæ. Distinguo antecedẽs, ad præsentiam vbicationis producitur semper vbicatio; nego; aliquando; cum videlicet adsunt causæ aliundè potentes producere vbicationem; concedo antecedens: & nego consequentiam. Cum ad præsentiam vnius producitur aliud, si id per se eueniat, & adsint aliæ conditiones, quas supra ad rationem causæ requisiuimus, est sufficiens indicium, vt dicamus primum esse causã secundi: si autem id eueniat per accidens ratio-

ne

ne alterius coniuncti cum primo, non est sufficiens indicium. Iam verò ad præsentiam caloris, & huius determinatæ combinationis accidentium per se producitur ignis; quia semper producitur.

52 Obijcies sexto. Accidentia vel sunt causa principalis, vel instrumentalis? Respondeo esse instrumentalem; cum enim sint entis ens debitum videlicet alicui substantiæ, ordinatur, vt medium institutum ad quærendum bonū causæ particularis. Sed quænam est causa principalis horum effectuum? Respondeo, causam principalem illorum effectuum esse substancias; à quibus dependet dicta combinatio accidentiū. Verè enim in illam substantiam, siue sit vna, siue sit collectio plurium; tandem resoluitur actio, tanquam in id, cui debetur combinatio hæc accidentium. Et licet, quando sunt plures substantiæ, quibus indiuisibiliter debetur illa combinatio, effectus non sit bonus cuilibet causæ; negari tamen non potest, quin sit bonus toti collectioni, quæ re vera connectitur cum illo effectu.

53 Obijcies septimo. Prædicata substantiæ non præcontinentur in accidente. Distinguo formaliter: concedo: virtualiter, tanquam in virtute causatiua essentialiter inadæquata modo supra dicto; nego.

Assignatur causa viuentium quæ producuntur ex putri.

54 Iuxta supradicta facilè assignatur causa substantiarum, præsertim viuentium, quæ generantur ex putri; est enim illa combinatio accidentium, & si nihil obstat etiam aliqua substantia, vel combinatio substantiarum, à quibus est talis combinatio accidentium debita, vt facilè colligitur ex dictis. Quare non placent primo, qui recurrunt ad Deum: hic enim recursus est philosophis indignus, quando possumus causam creatam assignare. Neque secundo, qui docent esse ranam, vel murem in communi; qui neque existunt, neque vllam connexionem habent cum effectu præsenti; qui vero dicunt esse Coelum, vel Angelos; primo recurrunt ad causas vniuersales, cum inquiramus particulares. Secundo supponunt, coelum immediatè per suam substantiam adeò distantem concurrere ad hos effectus sublunares, quod est valdè dubium. Angelos autem aliquid plus præstare, quàm per motum applicare actiua passiuis, gratis assumitur, vt suppono ex tractatu de Angelis.

In his omnibus casibus Deus concurrit vt causa vniuersalis.

55 Illud hic addendum puto ex Quiros *disp. 57. sect. 3. n. 22.* Quamuis maior sit virtus substantiæ ad producendam substantiam, quàm accidentis; Deum tamen concurrendo tùm cum substantia simul, & accidentibus, tùm cum solis accidentibus; semper agere, vt causam vniuersalem; quia in vtroque casu agit ad exigentiam causæ secundæ.

SVBSECTIO V.

Vtrum creaturæ habeant vim conseruatiuam.

56 Egimus de virtute primo productiua; nunc aliquid addendum est de virtute conseruatiua, circa quam.

Substantia non conseruat accidentia, quæ aliquando recuperat.

57 Dico quinto. Forma substantialis non habet vim conseruandi accidentia, quæ sunt ad ipsam dispositiones, & aliquando ab illa recuperantur. V.G. aqua non habet vim conseruandi frigus, quod est dispositio ad illam, & ab eodem nonnunquam producitur. Probatur ex dictis, tàm aqua habet vim producendi frigus, quàm frigus aquam: ergo vel vtrumque habet vim conseruandi alterum, vel neutrum: si secundum habeò intentum; si primum non est ratio cur defactò potiùs aqua conseruet frigus, quàm è contra: ergo vel vtrumque conseruat alterum, vel neutrum; si primum, mutuo se conseruant, & causant, quod repugnat. Si secundum: ergo non est, cur in illis admittamus vim naturaliter se causandi, quæ numquam naturaliter reducitur ad actum.

Hoc non verificatur posita serie effectuum.

58 Hinc patet, neque accidentia, quæ disponunt, ad primam productionem formę substantialis illam conseruare; neque ignem productum ab igne producente, vel e contra; quia cum in vtroque sit virtus producendi aliud, nō est maior ratio cur potius vnum conseruet aliū, quam è contra: quod verum puto negata serie effectuum: ea enim admissa in vno tantum igne est virtus causandi alium, non è contra: nam serie admissa ignis, a, potest producere ignem, b, & non potest ab illo produci, sed ab alia causa; quin imo, in ea suppositione cessat hæc ratio positiua, etiam in ordine ad dispositionem, & formam substantialem: ita vt forma substantialis conseruetur à dispositionibus, quæ primo illam produxerint, & illas nō cōseruet, & cōseruet accidētia, quę recuperat, sed ab illis nō cōseruetur.

Non posita serie causa conseruatiua est Deus.

59 Ea igitur serie non posita hi effectus iam semel producti conseruantur à Deo solo, dum non aduenit agens validius exigens efficaciter illorum destructionem; sunt enim effectus permanentes, qui semper exigunt conseruari, dum non aduenit validius agens; ideoque experimur calorem etiam remoto igne durare ad longum tempus.

60 Obijcies primo. Aqua primo producit frigus: ergo illud conseruat. Nego consequentiam: qua quando aqua frigefit, debet dari causa secunda exigens frigoris productionē: Deus enim non producit, nisi ad exigentiam causarum secundarum; hæc autem causa non potest esse nisi aqua: at Deus conseruat frigus ad exigentiam frigoris ipsius, quod exigit conseruari tēpore sequenti, dum non aduenit validius agēs.

61 Dices potest dici, quod aqua non causet primo frigus, sed sit conditio, vt producatur à Deo. Nego assumptum: quia defacto prærequiritur ad productionem frigoris; ita vt non sit mera applicatio, & ea deficiente deficeret vtique frigus, nisi Deus suppleret illius defectum, in eodem genere causę efficientis.

Est in creaturis nonnullis vis conseruandi alias.

62 Obijcies secundo: ergo negata serie nullus effectus conseruatur à causis secundis, vel vnde poterò id dignoscere? Nego consequentiam: & dico id colligi à posteriori: sunt enim aliqui effectus, qui remota causa, à qua fuerunt

pro-

producti, perseuerant, & hi effectus probabiliter non dependent in conseruari à suis causis, à quibus fuerunt producti: si presertim habeant vim producendi suas causas. Alij remotis causis, à quibus fuerunt producti non perseuerant, vt lux remoto corpore luminoso: & hos probabiliter sustinemus, conseruari a causis secundis, si non habeant vim illas causandi: quæ distinctio habet locum etiā admissa serie effectuum, saltem spectata ratione negatiua; certè enim non est, cur admittamus in causis secundis inordine ad effectus, qui possunt conseruari naturaliter sine illis, vim conseruandi eosdem effectus.

63 Obijcies tertio. Forma dependet in conseruari à carentia dispositionum ad formam oppositam: ergo dependet in conseruari à proprijs accidentibus. Consequentia probatur: carentia dispositionum ad formam oppositam dependet ab accidentibus proprijs huius formæ. Antecedens probatur: si deperderetur illa carentia per aduentū dispositionum, iam destrueretur forma præsens, quia dispositiones illæ causarent formam oppositam. Nego consequentiā, ad cuius probationem: nego illam carentiam cōseruari ab accidentibus formæ præsentis, quamuis fuerit ab illis inducta. Ratio est: quia vt conseruetur hæc carentia, sufficit carentia agentis validioris productiui dispositionum oppositarum: ergo non dependet ab accidentibus formæ præsentis. Fuit autem introducta ab his, quia, vt suppono, dispositiones oppositæ fuerunt expulsæ ad exigentiam horum accidentiū.

64 Obijcies quarto. Si per apoplesiam obturentur meatus, per quos è cerebro transmittuntur in reliquas partes spiritus animales; statim moritur homo, & tamen non supponuntur introductæ dispositiones ad formam oppositam: ergo destruitur vnio ex defectu causæ conseruatiuæ: ergo vnio inter animam, & corpus, conseruatur ab accidentibus. Nego secundam consequentiam: solùm enim ex primo enthymate sequitur: vnionem illam dependere à spiritibus animalibus, & ab alijs principijs ab ipsa independentibus; quorum influxus tunc impeditur. Preterea, si obtruncato capite, statim homo moritur; solùm infertur vnionem essentialem substantialem dependere ab aliqua vnione substantiali, sed integrali partium integralium, independente ab vnione essentiali, quod sine præiudicio doctrinæ conceditur. Deinde nunquam expellitur forma viuentis, nisi introducatur alia forma; ergo nisi sint dispositiones ad illam nouam formam: falsum igitur est antecedens quoad secundam partem. Nego tamen defuturam vnionem præcisè per defectum caloris naturalis, non introductis dispositionibus ad aliam formam, neque deficiente alia causa. Demum hęc omnia facilè saluari possunt, si quis dicat, deficientibus dispositionibus, deficere formam, & deficiente forma deficere dispositiones, quia conseruantur ab eadem causa; & sunt veluti effectus comitantes.

65 Obijcies quinto. Accidentia determinant materiam ad conseruationem formæ: ergo sunt in priori naturæ ad illum. Nego antecedens: accidentia supponunt materiam aliundè determinatam, tum ad seipsa, tum ad formas: determinatur enim materia ad dispositiones, & formam nunc conseruandas, tum à duratione antecedente dispositionum, & formæ: durantes enim tempore antecedente exigunt durare tempore sequenti, si non adsit validius agens; tum à carentia præsenti agentis validioris. Illud hic addo, quod licet maior virtus requiratur ad primo producendum, ac ad conseruandum; aliquando tamen requiritur diuersa, vt colligitur ex dictis.

66 Obijcies sexto. Potest causa, de qua loquimur, in primo instanti producere vnum effectum, & in secondo alium: ergo potest in primo instanti producere aliquem effectum, & illū in secundo conseruare. Distinguo consequens: si nihil obstat; concedo; si aliquid obstat; nego consequentiam.

67 His tamen non obstantibus saluatur accidentia, de quibus locuti sumus, conferre ad conseruationem substantiæ, & substantiam ad conseruationem accidentium, quia simul validiùs resistunt, ne destruantur: & difficiliùs vincitur vnū, cum adest, ac si absit aliud, quodlibet enim ex illis per suam durationem præsentem non solùm exigit, vt ipsum, sed vt etiam conseruetur aliud. Contra hanc duplicem exigentiam requiritur validiùs agens, quàm contra vnum tantùm. Neque in hoc est aliquod periculum mutuæ causalitatis: solùm enim verificatur, quod vtrumque per durationem sui antecedentem exigat conseruationem sequentem sui, & alterius, non autem quod pro eodem instanti habeant mutuam prioritatem, & quod vnum conseruet aliud, à quo mutuo conseruetur. Quæ omnia clariora fient ex ijs, quæ dicam de resistentia *in lib. de gen.* vnde patet creaturas illas indirectè conseruari à carentia agentis validioris, &c.

Et si nec substantia conseruet accidentia nec conseruetur ab illis: nihilominus mutuo se iuuāt ad perseuerandū.

70 Obijcies octauo. Ergo minus prouidè natura se gessit cum his effectibus, quibus non dedit causas particulares conseruatiuas. Nego consequentiam: quia non indigent causa creata conseruatiua; sicuti anima non indiget causa creata productiua: & quidèm spectat ad perfectionem artis prodire in opus, quod independenter ab alio per concursum Dei generalem diù perseueret.

71 Ex dictis infero, omnes creaturas depēdere à Deo in conseruari, & non à seipsis nec partialiter quidem; ita vt nulla creatura sit causa saltem partialis suæ conseruationis: & quidem, quod omnis creatura dependeat in conseruari à Deo, satis ostendunt, quæ diximus agentes de causa efficiente increata. Quod autem, ne partialiter quidem, causet suam conseruationem, probatur: quia sicuti nulla res potest se primo, etiam inadæquate, & partialiter producere; ita neque conseruare: & ratio huius rei est quia, vt quis causet suam con-

Ne partialiter quid potest res seipsam conseruare.

ser-

uationem, in hoc instanti, debet supponi in eodem instanti proximè potens se conseruare, & causare, licet partialiter, idque independenter à conseruatione: nemo enim constituitur proximè potens conseruare per ipsam conseruationem: ergo independenter à conseruatione, ab ipso procedente, iam existit.

Nonnunquam influxus productiuus est idem, ac conseruatiuus.

72 Dices, conseruari rē dicit præter actionem, qua res causatur, etiam durationem eiusdem rei: sed potest res esse causa suæ durationis: ergo etiam saltem inadæquatè suæ cōseruationis. Respondeo, quamuis res possit causare suam durationem, ideoque dici possit, quod causet suam conseruationem inadæquatam, non tamen poterit partialiter causare suam cōseruationem, prout illa est influxus causatiuus rei; & in hoc sensu procedit allata doctrina, & ratio. Vbi noto primo res dici permanentes, quia exigunt ad aliquod saltem tempus durare, non quia semel positæ à suis causis perseuerent independenter ab illis. Secundo, influxum, quo res conseruantur, si est distinctus à duratione, aliquando esse eumdem, ac illum, quo fuerunt productæ, si nimirum perseuerent eædem causæ potentes influere; aliquando esse diuersum, si mutentur causæ; nonnunquam autem res conseruari à solo Deo, quia nulla adest causa creata, à qua conseruentur; quod hic indicasse sit satis.

SECTIO SEPTIMA.

A quo determinentur causæ secundæ ad indiuiduationem effectus?

1 QVamuis hæc quæstio sit communis omnibus causis secundis, tum materialibus, tum efficientibus; quia tamen eo tandem resoluitur omnis difficultas, vt videamus procedat ne hæc determinatio à Deo, vel ab alijs causis; Deus autem sit causa efficiens, & de eo multa dixerimus; ideò non incongrue hic illam agitamus.

Tres in hac quæstione dicēdi modi.

2 Sciendum autem est posse eandem causā producere plures effectus solo numero distinctos, v. g. idem ignis applicatus huic materiæ in hoc instanti producit ignem a, applicatus instantibus sequentibus alteri subiecto, producit ignem b. Quærimus, vnde oritur, quod in his circumstantijs ab hac causa procedat potius hic, qui defacto producitur, quam alius effectus. Sunt, qui putent in his circumstantijs æque produci potuisse hunc, ac illum effectum: quare quod potius defacto productus fuerit hic, quàm alius, totum prouenire à diuina voluntate, quę potius voluit hunc, quàm illum effectum: ita Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Compronus, Suarius, Lusitanus, Pontius, Quiros *disp. 103. sect. 4.* secuti Fonsecam, Conimbricenses, & Suarium magnum.

3 Secundo, alij docent prouenire ex quadam serie, & ordine, quo causa secunda præsertim efficiens continet in se effectus à se producibiles, & ratione cuius sit determinata ad producendum primo hunc, Secundo, alium determinatum effectum, &c. Tertio demum alij nec pauci, nec illaudati docent hanc determinationem oriri ex complexo causarum creatarum, & aliarum conditionum, ita vt in his circumstantijs loci, temporis, subiecti naturaliter non possit produci, nisi hic effectus.

Hæc determinatio nō est à Deo, neque à serie, sed à cōplexo circumstantiarum.

4 Dico cum hac tertia sententia, probatur. Non possunt causæ secundæ determinari à Deo ad indiuiduationem effectus, neque à serie, & ordine determinato, quo continentur effectus in causis: ergo à complexo omnium circumstantiarum: consequentia patet, non enim est aliud caput, vnde desumi possit illa determinatio. Antecedens quoad primam partem probatur: si Deus determinaret productionem effectus quoad indiuiduum, non exerceret quoad actiones, quæ naturaliter fiunt adæquate, munus causæ vniuersalis: consequens est absurdum: ergo, &c. probo sequelam: munus causæ vniuersalis est operari ad exigentiam causarum particularium: sed Deus non poneret hoc indiuiduum determinatum ad exigentiam causarum particularium; causæ enim particulares illud per se non exigūt: ergo Deus, iuxta hanc sententiā, non exerceret munus causæ vniuersalis. Confirmatur: si Deus determinatus à creaturis ad producendum genus, v. g. corpus animatum, ipse deindè determinaret speciem, vtique Deus non exerceret respectu hominis, v. g. quem produceret, adæquatè munus causæ vniuersalis: ergo si determinatus ad speciem à causis, determinat indiuiduas respectu indiuidui est potius causa particularis, quam vniuersalis. Et ratio vlterior est: quia causa particularis est, cui effectus tribui potest ob specialem ordinem, quem dicit ex se talis causa ad effectum: sed Deus, si determinaret indiuiduationem, posset illi tribui talis effectus secundum suam indiuiduationem speciali quodā titulo, ob specialem videlicet ordinem, & determinationem, quo Deus respicit illud indiuiduum: ergo, &c.

Impugnatur determinatio à Deo.

5 Dices primo, Deum operari, vt causam vniuersalem; quia hoc ipsum indiuiduum ponit iuxta exigentiam causæ particularis, causa enim secunda applicata exigit producere aliquem effectum, quem cum non possit ipsa determinare, exigit vt Deus illum determinet: ergo determinatio huius indiuidui est etiam iuxta exigentiam causæ secundæ. Sed contra: ista determinatio, quæ defacto datur, non est adæquatè, & secundum omnia prædicata, quæ dicit, iuxta exigentiam causæ secundæ: ergo non est adæquatè à Deo, tamquam à causa vniuersali: antecedens probatur: quia causa secunda non exigit hanc determinationem cum exclusione aliarum; sicuti non exigit hunc determinatum effectum, vt volunt aduersarij: ergo effectus, & determinatio, quæ ponitur, non est adæquatè iuxta exigentiam causarum secundarum; sicuti si causa exigeret gradū genericū, non specificū effectus; hic specie effectus, qui poneretur, ratione prædicati specifici adæquatè sumpti non esset iuxta

exi-

exigentiam causæ secundæ. Probo nunc primam consequentiam, quod adæquatè non est iuxta exigentiam causæ secundæ, non est adæquatè à Deo tamquam à causa vniuersali, sicuti enim illud est à Deo tamquam à causa vniuersali, quod est ab illo iuxta exigentiam causæ particularis; ita illud est adæquatè à Deo, tamquam à causa vniuersali, quod adęquatè, & secundum omnia, quæ dicit, est ab illo iuxta exigentiam causę particularis: illud autem, quod adæquatè, & secundum quid est huiusmodi, inadequatè, & secundum quid est ab illo, tamquam à causa vniuersali.

6 Dices secundo, nullum est absurdum, quod aliquis effectus, imo omnes, respiciant Deum tamquam causam particularem. Sed cōtra: quia sic non saluaremus in Deo rationem perfectæ causæ vniuersalis, sed inadaquatę, & imperfectè; neque Deus disponeret omnia fortiter, & suauiter in ordine naturali. Confirmatur: nos ad præsentiam huius causæ, & in his circumstantijs, non videmus produci, nisi hunc effectum, sicuti ad præsentiam ignis non videmus produci nisi ignem: cur igitur dicimus potius, ignem produci ad exigentiam ignis, & hunc effectum non produci ad exigentiam huius causæ in his circumstantijs?

7 Cum his autem benè cohæret, Deum, vt Authorem naturæ, sed beneficum, posse in bonum naturæ rationalis, præsertim ad petitionem hominum, producere aliquos effectus, neque secundum speciem exactos à causis naturalibus; vt sunt pluuiæ, serenitates, & similes: verum hoc non spectat ad rem præsentem.

Impugnatur series.

8 Probo nunc secundam partem antecedētis: quia ea series, vel continetur tantum in causa efficiente; vel etiam in materiali, primum gratis assumitur, cum præsertim indifferentia maior causæ materialis optime saluari possit in ordine ad species; si vero est in vtraque, posset euenire casus, in quo agens applicatum exigeret hunc effectum nempe, c, quia hunc tertia vice agit, passum vero antiquius effectum, f, quia sexta vice patitur, ideoque vel vterque, vel neuter effectus deberet poni. Confirmatur, & explicatur, à posteriori nobis non constat, hunc effectum poni ad exigentiam puram causæ efficientis, nunquam enim vidimus effectum hunc poni à causa efficiente, nisi conuestita illis circumstantijs: ergo signum est, quod adæquata exigentia huius effectus habeatur ab illo complexo, non à solo agente, vel etiam à materia. Et ratio vlterior est: quia sicuti solum agens, & sola materia non sunt adæquatum, & omninò completum principium creatum respectu huius effectus, ita non sunt completa, & adæquata exigentia huius effectus.

Non obstat primo similitudo effectuum.

9 Obijcies primo, hic vel ille effectus sunt omnino similes: ergo non est maior ratio, quare actus primus completus exigat hunc præ illo. Distinguo antecedens, sunt omninò similes, ita vt excludant omnem diuersitatem, qua valeant discerni ab intellectu saltem perfectio, nego; ita vt gaudeant ea diuersitate; concedo antecedens; & nego consequentiam: sicuti illi effectus licet sint omninò similes quo ad nos; habent tamen diuersitatem intrinsecam; eodem modo duo actus primi cum pari similitudine gaudent, pari diuersitate intrinseca; ideoque mirum non est, si hic actus primus signatè potius respiciat hunc effectum, quam alium.

Neque secūdo, quod effectus possit modo conseruari ab hac, modo ab illa causa.

10 Obijcies, 2. potest eadem forma, & effectus modo conseruari in hoc instanti ab vna causa, modo in alio ab alia; quin imo qui conseruatur in hoc instanti ab vna, in eodem conseruari potest ab alia causa: ergo potest idem actus primus completus creatus producere pro eodem instanti hunc, vel illum effectum. Dato antecedente; nego consequentiam: quia ille duplex actus primus completus potens sub disiunctione pro eodem instanti producere eumdem effectū; vterlibet est determinata exigentia huius effectus, & non alterius: ergo Deus tunc operaretur iuxta exigentiam completam causæ secundæ, & consequenter adæquatè, & perfectè seruaret munus causæ vniuersalis: oppositum probauimus in sententia aduersariorum.

11 Obijcies tertio: ergo si Deus produxisset mundum paulo ante, vel post, non produxisset hunc, quem defacto produxit. Quid tum? nego tamen consequentiam: quia ex mea sententia solum astringor admittere determinationem in causa completa creata ad effectum: non autem determinationem effectus ad vnam causam: vt patet consideranti rationem à nobis supra allatam.

12 Obijcies quarto non videtur quomodo per puram variationem temporis causa debeat variare effectū, idē dico de variatione loci. Nego primo non haberi huius rei rationem: sicuti enim tempus, & locus, seu esse in tempore, & loco spectat ad complementum actus primi, ita variato tempore, & loco variatur actus primus, & consequenter exigentia effectus indiuidualis. Secundo non improbabiliter dicet quis variationem temporis, & loci, & similium non variare, neque determinare effectus indiuiduationē, sunt enim circumstantię generales indifferentes, sed totam diuersitatem desumi ab alijs causis, & conditionibus; quę sint determinatæ simul ad producendum hunc effectum, & non alium; & si hoc iam sit productum ab alia causa, hunc alium determinatum: quæ est quædam series, sed non residens adæquatè in singulis causis, sed in collectione omnium requisitorum: nos autem supra reiecimus seriem competentem singulis causis, vt patet ex argumento, quod adduximus. Prima solutio est expeditior, & vt verū fatear, cohærentior.

13 Obijcies quinto, si effectus est indifferens, vt producatur ab hac causa, vel illa in diuersis circumstantijs; ergo si fuit iam productus ab alia causa, adueniente alio actu primo respiciente determinatè illum effectum, deberet iterum produci. Nego consequentiam, producto enim hoc effectu implicat, quod adueniat actus

pri-

primus alius exigens illum produci, inter conditiones etiam determinantes ad hunc effectum est, quod non fuerit alias productus. Neque per aduersarios causa indifferens exigit indeterminatè effectus alias productos, vel corruptos.

14 Obijcies sexto, admittimus sine necessitate hoc prædicatum positiuum in causis. Respondeo, hanc exigentiam non esse prædicatum positiuum, sed potiùs est exclusio prædicati positiui, est enim determinatio ad vnum cum exclusione potentiæ ad alios pro eisdem circumstantijs: cum aduersarij pro eisdem circumstantijs admittant potentiam ad alia. Sed quidquid sit de hoc, iam supra assignauimus necessitatem.

15 Obijcies septimo, Deus determinat primum effectum inter plures similes possibiles: ergo & reliquos. Nego consequentiam: quia de ratione causæ primæ vniuersalis est determinare primum effectum, respectu cuius non habetur alia causa particularis, à qua determinetur: ad reliquos autem debet determinari à causis particularibus.

Extenditur doctrina ad effectus liberos.

16 Obijcies octauo: quid de causis liberis? Respondetur, eodem modo esse discurrendum ob datam rationem: quare causæ liberæ in actu primo sunt determinatæ ad indiuidua vel amoris, vel odij, vel ad exclusionem hanc vtriusque; ideoque sunt formaliter liberæ quo ad speciem, & quo ad intentionem, non autem quo ad indiuiduationem: neque enim est magis laude, vel vituperio dignus, qui ponit hunc potiùs actum, quàm illum eiusdem omninò rationis. Ratio autem à priori est: quia rationes huiusmodi indiuiduales non clarè cognoscuntur ab agente creato: quare non possunt liberè determinari: & in hoc sumus pares cum aduersarijs. Alias rationes, quas quis excogitauerit facilè soluet ex allata ratione.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum idem effectus possit dependere à duplici causa totali?

1 HÆc etiam quæstio est communis omnibus causis: quia tamen præcipuè agitatur de causis efficientibus, ideò ad hunc locum illam remisimus, vbi plura etiam dicemus de alijs causis.

2 Dupliciter potest aliqua causa esse adæquata, & in actu primo, si videlicet habeat virtutem sufficientem, quantum est ex se ad productionem effectus; & in actu secundo, si videlicet actu adæquatè producat effectum per actionem totalem. Actio dicitur totalis: quando ita ex vi illius communicatur esse effectui, vt deficiēte quacumque alia actione, si illa perseueret, effectus adhuc perseuerat. Partialis igitur actio est, quæ si deficiat alia actio; non sit sufficiens ad perseuerantiam effectus.

3 Iam vero certum est, non posse eumdem effectum dependere à duplici causa intrinseca totali eiusdem ordinis: v. g. idem compositum non potest componi: neque simul, neque diuisim à duplici, vel materia, vel forma adæquata: probatur; effectus v. g. ignis nō distinguitur realiter à suis causis intrinsecis adæquatis: hic enim ignis non est, nisi hæc materia adæquata, & sufficiens illum constituere, hęc forma, & hæc vnio item adæquata: qualibet alia materia, forma; vel vnio non constituet hoc, sed aliud compositum: ergo non potest hoc numero compositum constitui per duas causas intrinsecas eiusdem rationis ambas adæquatas. Dixi eiusdem rationis, quia benè potest per duas adæquatas diuersæ, rationis, vt defacto euenit in materia, & forma. Quinimò nō potest idē effectus depēdere à duplici causa intrinseca inadæquata, quia non esset idem effectus, qui dependeret ab vna, ac qui ab vtraque, sed omnino saltem inadæquatè diuersus propter principium inadæquatum diuersum, & intrinsecum: his positis.

Non potest idem effectus dependere à duplici causa adæquata intrinseca, & componente.

4 Dico primo, possibiles esse duas causas efficientes eiusdem speciei, quarum vna non possit producere omnem effectum alterius: possibiles etiam esse duas, quarum qualibet possit omnes effectus alterius producere: si fidamus rationi negatiuæ: quia nulla apparet repugnantia: & prima para confirmatur: quia actiones, quæ dependent ab vna, non possūnt dependere ab alia: ergo non repugnat, id verificari de aliquibus illorum effectibus.

5 Dico secundo: in causis, quæ defacto dantur, non omnis causa potest producere omnes effectus alterius causæ sibi similis: v. g. ignis a, non potest producere omnes effectus, quos potest ignis b; plures verò effectus vnius causæ possunt ab alia produci, & contineri in eius virtute. Probatur prima pars ignis a, potest primo producere ignem b; ignis verò, b, non potest primo producere seipsum: ergo defacto non omnes effectus vnius causæ possunt esse effectus alterius. Secunda pars probatur: quia non est vnde determinetur ante reliquas circumstantias ignis, a, ad effectus omninò diuersos ab effectibus, quos producit ignis b. Et sanè ignis a, & b, possunt simul coexistere, & applicari ad producendum eundem effectum in eodem subiecto: ergo non omnis effectus vnius est necessariò diuersus ab effectu alterius.

De facto plures causæ possunt plures, sed non omnes eosdem effectus producere.

6 Dico tertio: non potest naturaliter idem effectus dependere à duplici causa totali totaliter influente; quia altera saltem ex dictis actionibus est superflua: cum vna independenter ab alia sufficiat ad ponendum effectum: natura autem abhorret ab his, quæ sunt hoc modo superflua.

Non potest naturaliter idem effectus totaliter dependere à duplici causa totali.

7 Vrgebis cum Ouiedo, vtraque actio adæquata procedens á suis principijs adæquatis est possibilis; ergo si vtrumque agens sit in actu primo ad illam, & passum sit capax; vtrumque principium actiuum exercebit suam actionem; existentia enim alterius actionis est omninò extrinseca alteri agenti ex se potēti operari: cū præsertim hæ actiones tribuerent diuersas denominationes, denominarent enim diuersa principia. Nego consequentiam: præsentia enim alterius

agentis determinat vtrumque agens ad concurrendum per vnicam actionem adæquatam, vel diuisibilem cõflatam ex duabus partialibus, vel indiuisibilem, de quo nunc non curo: idque ne detur aliquod superfluum in natura; quare vt agens, quod habet vires sufficientes adæquatè concurrat, requiritur tanquam conditio carentia alterius agentis: si autem ambo adsint, non sunt in actu primo completo ad duas actiones totales circa eumdem effectum. Ideoque in eo casu vel producent effectum nobiliorem, quam si seorsim singula concurrant, vel velocius, & ad maiorem distantiam, quod est suo modo producere effectum nobiliorem; vel si effectus sit omninò indiuisibilis, attemperant concursum, nec concurrunt quantum possunt, quia Deus in eo casu iuxta exigentiam naturę applicaret suam omnipotentiam ad concurrendũ cum illis duobus principijs ad vnum effectum vnica actione: sicuti enim quamuis illa agentia habeant vires quantum est ex se sufficientes ad duos effectus, aliter nullo modo essent duæ causæ adæquatę in actu primo, adhuc ex simultate determinantur ad producendum vnum effectum; ita quamuis præcisis his circumstantijs habeant virtutem ex se sufficientem ad duas actiones; tamen ab illis circumstantijs determinantur ad vnam actionẽ.

8 Igitur duæ illæ diuersæ denominationes essent superfluę, quia sicuti in eo casu illę causę tantùm producunt vnicum effectum; ita constituunt absolutè vnum agens adęquatum denominandum tantùm per vnicam actionem adęquatam. Agentia enim absolutè duo sunt superflua, cum vnus ponendus est effectus in vnico subiecto. Materialiter autem se habet, quod vnum agens non sentiat præsentiam alterius: neque enim ad constituendum vnum principium debent determinari ab actione vitali, vel libera; sed determinantur ab exigentia creaturę, & vnitate subiecti.

9 Vrgebis secundo cum Quiros *disput.* 13. *n.* 21. potest idem effectus externus dependere à duplici intentione adęquata, quarum quęlibet sufficeret deficiente alia. Distinguo antecedens adęquata in actu primo remoto; concedo: in actu secundo; nego antecedens, & consequentiam. Eodem modo discurrendum de causa efficiente, ac finali. Ideò si habeantur duæ intentiones, quarum altera idem Petrus velit ambulare propter sanitatem, altera animi gratia; dico illas respectu ambulationis esse adęquatas in actu primo remoto, quia supponimus Petrum ita affectum, vt si cessaret vnus finis, adhuc vellet ob alium deambulare, sed non in actu primo proximo, vel in actu secundo; quia effectus nempè deambulatio, quę sequitur non pendet ab illis intentionibus per duas actiones adęquatas, sed per vnam, quę indiuisibiliter respiciat vtramque intentionem; Deus enim concurrens ad eam ambulationem etiam intuitu illarum intentionum non decernit nisi vnam ambulationem, & vnam causalitatem. Vbi notandum est intentiones comparari ad deambulationem, non vt influxus, sed vt principia causatiua. Cęterum neutra illarum intentionum est superflua, quia respiciunt diuersos fines; & primariò ordinãtur ad perficiendum voluntatem, quam diuerso modo afficiunt.

10 Vrgebis tertio. Potest eadem forma materialis indiuisibilis brutorum perfectorum dependere à duplici causa materiali adęquata: vt cum nutritur, & crescit animal: tunc enim anima illius, quę priùs materialiter tantùm pendebat adęquatè à parte materię iam acquisita; incipit dependere ab alia noua, quę acquiritur, & quidem per nouam dependentiam adæquatã. Rursus anima rationalis, quæ vniebatur adęquatè decem partibus materię, incipit vniri adęquatè per nouam vnionem alijs decem partibus: ergo, &c.

11 Ad primum: nego animas brutorum perfectorum esse indiuisibiles: sed ea indiuisibilitate admissa, nego in nutritione haberi duas causas materiales adæquatas; sed probabile puto: animam bruti dependere tantùm ab illa materia, quã primo informauit: alias vero partes quas decursu temporis acquirit merè informare: igitur non dependet ab illis: aliter dependeret à se, & se causaret: illa enim actio nutritiua, quæ identificatur cum eductione, dependet ab anima, & consequenter etiam eius terminus; terminus enim non nisi medio influxu prodit à causa: ergo si terminus est ipsa anima, iam hæc pendet à se, & se causat.

12 Ad secundum dico, vnionem, qua anima vniebatur corpori fuisse quidem adæquatam: quia non admittebat consortium alterius, quę est quædam adæquatio negatiua: sed non esse adæquatam capacitati animæ: quare adueniente noua vnione amittit primam adęquationem negatiuam, quia excluditur complementum negatiuum illius, nempè carentia alterius vnionis. Nunquam igitur sunt duæ vniones adæquatæ. At duę illę actiones sunt adęquatę etiam capacitati subiecti, & effectus, qui non habet aliam capacitatem respectu actionis, nisi vt per illam trahatur infallibiliter adesse; omnis enim alia capacitas superflué, & gratis admittitur: rursus in casu de vnione iam habetur multiplex materia exigens duas vniones, vt suppono; aliter tibi nego antecedens: at in nostro casu non habetur duplex principium adęquatum respectu duplicis actionis adæquatæ, vt vidimus. Nego autem animam tunc vniri duplici materiæ absolutè, & in actu secundo adęquatę, cum ex vtraque materia fiat vna maior adęquata, & ordinata ad faciendum vnum compositum integraliter maius, quare neque consequentia est bona, neque quod assumitur verum.

13 Vrgebis quarto. Possunt dari duę connexiones essentiales adæquatæ trahentes eumdẽ terminum; sic duæ causæ possibiles adæquatæ, trahunt essentialiter, & quidẽ quęlibet adæquatè possibilitatem eiusdem termini; secundo duo peccata grauia trahunt essentialiter eamdem carentiam totius gratiæ; duo binaria præmissarum

tra-

trahunt adæquatè eandem conclusionem, & quidem essentialiter per multos: ergo possibiles naturaliter sunt duæ actiones adæquatæ respectu eiusdem effectus. Distinguo antecedens, possunt dari naturaliter duæ connexiones essentialiter adęquatę, trahentes eumdem terminum, si illarum munus pręcipuum aliud non sit, quam immediatè trahere illum terminum; nego: iam enim alia esset superflua: si aliunde sint necessariæ, & ad aliud inseruiant; cōcedo antecedens: & nego consequentiam. actiones enim formaliter, vt actiones (idem dico de principio completo) sunt primario institutę ad trahendum terminū, neque ad alium finem ponuntur à causa.

Eadē pœna damni non pendet à pluribus peccatis mortalibus per plures actiones adæquatas.

14 Ad exempla autem in contrarium, dico ad primū duas causas adęquatas possibiles eiusdem termini fundare possibilitatem, non solùm eiusdem termini, sed diuersarum actionum, idque satis congruè, & in bonum eiusdem termini, quo videlicet deficiente vna actione, & causa posse terminus esse per aliam. Ad secundum dico, duo peccata mortalia primario formaliter inficere animam, ac præterea esse liberum exercitium voluntatis se auertentis á Deo: vna autē actio libera non repugnat alteri cum respiciant diuersas causas, diuersa obiecta, & diuersimodè afficiant voluntatem: rursus causant diuersā pœnam sensus: quia tamen pœna damni, & æternitas consistit in indiuisibili; quodlibet, & omnia simul exigunt eamdem pœnam damni, & æternitatem pœnarum: attamen non eodem influxu, & eodem modo infligitur illa pœna, quando adest vnum tantùm peccatum, ac quando plura; neque Deus eodem decreto infligit pœnam damni defacto ob vnum peccatum, ac inflicturus esset ob plura peccata in alia suppositione. Igitur pœna damni pendet à decem peccatis per vnicam actionem, indiuisibiliter respicientem omnia illa peccata: & in quolibet illorum supponētem vim demeritiuam adæquatam eiusdem pœnæ.

Neque eadē conclusio à duplici binario premissarū.

15 Ad tertium de conclusione dico, duo binaria præmissarum diuersa non trahere eandem conclusionem formalem, licet versantem circa idem subiectum, & prędicatum; quia vt vidimus conclusio reflectit supra præmissas, etiam formales, & consequenter variatur ad illarum variationem. Demum actus primus proximus completus, & actio; licet ambo, non tamen eodem modo connectuntur cum termino: nam actus primus connectitur, sed vt principium datiuum esse, actio vt actualis influxus exigens, & præsupponens actum primū: quare non requiruntur, vt præcisè trahant effectum; sed ex alijs capitibus: & vt verum fatear, faciunt vnicam connexionem.

16 Vrgebis quinto. Potest eadem causa habere simul duplicem dependentiam adæquatā à posteriori. Nego assumptum: quia si causa exigat alterum ex effectibus sub disiunctione à neutro pendebit determinatè, sed sub disiunctione, & exiget fieri per decretum, quo Deus alterum velit ex illis effectibus, & defacto pendet ab hoc, quem Deus decreuit. Quod si simul producat duos effectus, quorum tantùm altero indiget (quamuis casus mihi videatur impossibilis, quia si causa vtrumque producit, vtrumque exigit, & vtroque indiget, præsertim si loquamur de causa adæquata necessaria.) Dico, vel dependere à posteriori ab vtroque adæquatè, inadæquatè á quolibet, quia diuerso decreto est volita illa causa, & consequenter diuersa actione producitur, si producat vnum, vel duos effectus, vt vidimus; vel ab vno tantùm, aut qui prior producitur, aut qui determinatur ab alijs circumstantijs.

17 Vrgebis: idem fundamentum potest adæquatè referri ad plures terminos: ergo plures causæ adæquatæ possunt per adæquatas actiones producere eundem terminum. Nego consequētiam: quia altera actionum, & causarum adæquatarum careret suo fine præcipuo, & esset in ordine ad illum superflua, vt vidimus: quod non vrget in relatione eiusdem fundamenti ad plures terminos; neque in causalitatibus pluribus adæquatis, quibus eadem causa potest producere simul plures terminos: id enim refunditur in magnitudine virtutis potentis se ad plura extendere sine vlla superfluitate, vt patet in Deo. Illud hic aduerto, defacto dari duas causas totales totalitate effectus, influentes, videlicet in totam entitatem effectus.

Nec de potentia quidem absoluta potest idem effectus depēdere à duplici causa totali totaliter influēte.

18 Dico quarto, probabile esse, ne de potentia quidem absoluta posse eundem effectum dependere à duplici causa totali totaliter influente: probatur: ad duas actiones totales non possunt illæ causæ secundæ determinari ex sua natura, vt vidimus: neque liberè à Deo: ergo nullo modo. Probo secundam partem antecedentis: Deus non potest prudenter eligere illas duas actiones simul ponendas: neque enim prudenter eligitur medium, quod includit aliquod superfluum ad finis consecutionem. Secundum enim illud superfluum frustrà eligeretur: duplex autem illa actio aliquod superfluum inuolueret in ordine ad finem, nempè ad existentiam effectus: ergo, &c. omnia satis confirmantur tum ex hic dictis, tum ex his, quæ diximus de mutua causalitate.

Cū duo Sacerdotes eādem hostiā consecrant, non dantur duæ actiones totales.

19 Obijcies primo, cum plures Sacerdotes proferunt verba cōsecrationis, per plures actiones adæquatas concurrunt ad conficiendum Sacramentum Eucharistiæ. Nego assumptum; sed si sit aliquis, qui ante alios absoluat verba consecrationis, hic solus conficiet Sacramentum; aliter omnes per modum vnius causæ completæ attemperando concursum, conficient corporis, & sanguinis Christi Sacramentum.

20 Obijcies secundo: aliam actionem assumi vtiliter, quo nimirum, deficiente vna actione, adhuc perseueret effectus ex vi alterius. Sed contra: quia ad id sufficit, si actio altera de nouo ponatur, cessante prima: ergo toto tempore antecedente superfluè ponitur illud medium. Profectò si hæc superfluitas non facit, quod Deus imprudenter eligat; neque faciet, quod natura

ponendo illas duas actiones totales, non benè agat, & cur possibilis non sit naturaliter talis casus; iam enim ob allatam rationem nulla dictarum actionum esset superflua.

21 Obijcies tertio, potest eadem res bilocari, terminari duplici subsistentia: ergo, & causari duplici actione adæquata. Nego consequentiam: nam illa duplex vbicatio inseruiret ad constituendam rem in pluribus locis; at in casu nostro, neque duplex actio adæquata, neque duplex causa adæquata inseruiret fini intento à natura. Rursus, res bilocata posset plura præstare, quàm in vno tantùm loco, & si est ens cognoscitiuum, potest plura cognoscere, recipere species rerum diuersarum, & fieri apta ad maiorem scientiam. Duplex autem subsistentia nõ est medium, sed potius finis, ideoque, quamuis altera esset supra exigentiam naturę non imprudenter eligeretur.

SECTIO IX.

Vtrum creare sit proprium solius Dei.

1 SAnctus Thomas fusè multis in locis, sed præcipuè 2. *contra gentiles cap.* 21. probat: solius Dei esse creare, & aliquid ex nihilo, hoc est nullo concurrente subiecto, producere: neque posse aliquam creaturam tanquã causam principalem, aut instrumentalem id præstare. Angelicum Præceptorem passim secuti sunt Philosophi, & Theologi; non desunt tamen ex recentioribus, qui solo nisi argumento negatiuo, neque suam mentem probantes, docent possibilem creaturam, quæ instrumentaliter saltem creet, vel per potentiam naturalem, vel per potentiam obedientialem. Non negauerim rationes Sancti Thomæ non esse faciles intellectu, sed non quia vulgo facilè non percipiuntur, sunt vel reijciendæ, vel irridendæ; satiùs est nos nostram infirmitatem fateri, qua non percipiamus, quod Sanctus Thomas, & viri illius temporis doctissimi nullo negotio penetrabant: faciliùs enim est nos obcæcari, quàm illa sapientiæ lumina, vel non percepisse, quod dicebant, vel punctum quęstionis, & rationum vim non tetigisse.

Repugnat creaturam creare.

2 Dico igitur cum prima sententia, ad quã defendendam: vbi pro vtralibet parte rationes deficerent, mihi satis esset authoritas Angelici. Probatur tamen ratione deducta ex principijs eiusdem Sancti Doctoris, præsertim *loco cit. contra gentes*: actio qua res ex nihilo, seu ex non esse transit absolutè ad esse contingens, est propria solius Dei: sed actio creatiua est, qua res ex non esse transit absolutè ad esse contingens: ergo actio creatiua est propria solius Dei. Maior probatur; quia actio qua res transit de non esse ad esse contingens, non debet supponere ex genere suo principium aliud contingens à quo procedat, sed tantùm principium in essendo necessarium; qualis est tantùm Deus; ergo est propria solius Dei. Antecedens probatur, quia si ad esse contingens, vt primo exeat ex non esse contingente, debet supponi aliud principium contingens; abiremus in infinitũ: ergo actio, qua res transit ex non esse ad esse contingens, non debet supponere ex genere suo principium cõtingens. Minor principalis argumenti probatur, quia actio creatiua non supponit esse rei, vel subiecti, quod sit in potentia ad ipsam rem; sed absolute per illam res transit ex non esse ad esse absolutè dictum.

Creatio nõ supponit, nisi esse necessariũ, & confert primum esse contingens

3 Dices primo etiam per generationẽ, ignis genitus transit absolutè ex non esse ad esse contingens; & tamen generatio supponit principiũ sui contingens. Nego primam partem: quia ignis genitus non transit absolutè ad esse contingens: cum supponat in priori naturæ, & sapissimè naturaliter loquendo, etiam in priori temporis materiam, quæ & est pars ignis, & subiectum, ex quo fit forma ignis: at creatio ex genere suo, neque supponit partem rei creatæ, neque eius terminus fit ex pręsupposito subiecto.

4 Dices secundo: quamuis creatio ex genere suo non debeat supponere aliquod sui principium contingens; nihilominus, neque ex genere suo debet excludere principium contingens; sed aliqua creatio necessariò excludit principium contingens, & est tantùm immediatè à principio necessario; aliqua verò necessariò supponit principium contingens, siue naturale, siue obedientiale, siue principale, siue instrumentale. Cuius rei ratio esse potest: quia ad creationem satis est, si sit productio rei ex nihilo sui, & nihilo subiecti, idest, nullo concurrente subiecto: hoc autẽ totũ saluari potest, & si causa aliqua efficiens creata, & cõtingens cõcurrat.

5 Sed contra; quia nulla actio, qua res modo dicto transit de non esse, ad esse contingens, potest supponere sui principium contingens: sed omnis creatio est actio, qua res modo dicto transit de nihilo ad esse contingens: ergo nulla creatio potest supponere sui principium contingens, & creatum. Maior probatur; quia actio tantùm potest supponere, vt sui principium, quod est necessarium, vt ipsa ponatur: non enim actio est indifferens, vt sit, vel non sit à suo principio; vt autem ponatur actio, qua res transit ex nihilo absolutè dicto ad esse absolutè dictũ, nõ necessariũ est principiũ contingens, vt patet: satis enim est principium necessarium: ergo actio, qua res transit absolutè ex nihilo ad esse contingens, non potest supponere sui principium contingens; ergo absolutè nulla actio, qua res absolutè de nihilo transit ad esse potest supponere sui principium contingens.

6 Ad hanc reuocari possunt rationes, quas affert S. Thomas *loco cit. contra Gent.* Earum nonnullam, quam iudico ad rem nostram esse magis opportunam; hic breuiter indicabo. Eam igitur sic propono: prima, & nobilissima actio est tantùm propria primi, & nobilissimi agentis; sed creatio inter actiones ad extra est prima actio, vtpotè non supponens alias, & supposita à reliquis; ita ut cuiusque rei productio tandem

Creatio est solius Dei propria, vtpote nobilissima.

debeat

debeat resolui in creationem spectantem ad eādem rem; quia saltem debet resolui in creationem, vel substantiæ, si hæc sit simplex; vel subiecti, & materiæ, vbi substantia sit composita: & ex eodem capite est natura sua nobilissima: ergo est propria primi, & nobilissimi principij, qualis est Deus; & non communis alijs: sicuti perfectissima prædicata sunt propria entis perfectissimi, & non communia alijs. Aliæ huic similes rationes videantur apud S. Thomam *loco cit.* Solùm addo, quod prima actio vnde incipit esse rei, est necessariò à primo agente: creatio autem est prima talis actio.

Quomodo allata cohereant cum creatione animæ rationalis.

7 Instabis, allata doctrina non videatur cohærere cum creatione animæ rationalis: nam illa est verissima creatio, & tamen non est ex nihilo modo dicto, nec prima actio: nam supponit actionem creatiuam materiæ, & alterationem, qua materia disponitur. Nego assumptum: ad rationem in contrarium, dico, illam esse verissimam creationem: quia semel posita, & si cesset materia, & omnia dispositio, adhuc perseuerat eadem, vt suppono: ergo ex conceptu suo non est secunda, sed prima actio. Neque obstat, quod primo anima ponatur in materia, & dependenter suo modo à dispositionibus; id enim prouenit, quia eius terminus est ens incompletū ordinatū cum primo est, ad faciendum vnum cum materia: ideoque ordo naturæ exigit, vt illa creatio ponatur in materia disposita.

8 Hæ rationes, & similes desumptæ à Sancto Thoma sunt satis per se efficaces; sed quia subtiles, & profundæ, non facilè percipiuntur ab omnibus, præsertim ab illis, qui laboris inimici, nolunt diligenter illas discutere, sed superficiali, vt ita dicam, apparentia contenti, vel potiùs delusi, & quibusdam leuibus argumentis moti, ea argumenta fortasse contemnūt, quæ tamen deberent venerari.

DISPVTATIO NONA.

De causa finali, & ideali.

HAs causas simul coniungo, quia vtraque non physicè, sed metaphoricè tantùm, & intentionaliter causat; media videlicet cognitione.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit finis, & causa finalis?

Explicatio nominis finis.

1 FInis significat vltimum cuiuscumque rei. In præsenti sumitur pro eo, quod vltimo terminat actum potentiæ appetitiuæ, hoc est, quod propter se amatur, & in quo veluti quiescit actus appetitus. Vnde quis inferret non improbabiliter, non eo ipso, quod aliquod est finis alicuius actus creati esse causam finalem: nisi velis ipsum amorem finis esse effectum causæ finalis.

Definitio causæ finalis.

2 Rectè autem ex Aristotele *5. met.* quem sequuntur communiter Auctores, causa finalis definitur, id cuius gratia aliquid fit: quia causa finalis, & propter se amatur, & mouet etiam ad amorem, & effectionem aliorum, quę proinde erunt eius effectus: si enim non esset morbo finis, non producerentur: sic sanitas est causa finalis sumendæ medicinæ, quia & propter se amatur, & monet ad amorem, & sumptionem medicinæ.

Finis est bonus.

3 Ex his patet finem necessariò esse bonum, non enim amatur, nisi quod esse bonum cognoscitur: cum bonum sit, quod omnia appetunt, ex *1. Eth. c. 1.* quia videlicet non prosequitur appetitus nisi bonum, ideoque bonum dici congruè poterit, quod terminat motum intentionalem appetitus prosequentis. Tria autem bonorum genera communiter distinguuntur, honestū, delectabile, & vtile, quam diuisionem S. Thom. *1. p. q. 5. art. 6. in corp.* putat propriè conuenire bono humano, & morali, hoc est circa quod versari potest humana libertas cum dignitate laudis, vel vituperij: quamuis permittat, per quamdam analogiam aptari etiam posse bonis naturalibus. Confirmatur, & explicatur simul diuisio ratione eiusdem Sancti Doctoris ex paritate motus localis, in quo possumus considerare tria, viam, qua tendimus; vltimum terminum, in quem tendimus, & quietem in illo: sic in motu appetitus possumus considerare primo media, quæ conducunt ad consecutionem boni alicuius intenti, & hæc habent rationem viæ, & boni vtilis, quod expetitur non propter se, sed propter aliud, ita vt si cessaret conducibilitas ad illud, non amarentur, vt patet in medicina respectu sanitatis: secundo, bonum illud, quod propter se amamus, vt bonum nobis conueniēs, & in ordine ad quod assumuntur media, & hoc habet rationem boni honesti. Tertio demum possumus considerare quietem illam, & delectationem, quæ ex bono acquisito consequitur, quod est bonum delectabile.

Bonum triplex, honestum, delectabile, & vtile.

Bonum honestum naturale.

4 Vbi aduerto, bonum honestum, quamuis rigorosè sit illud, quod est conueniens naturæ rationali, vt rationalis est, & dici potest honestum morale: tamen extendi ad omne illud, quod ratione sui est conueniens alicui naturæ, & dici potest honestum naturale: in quo sensu etiam sanitas est bonum honestum, quia conueniens est naturæ animalis. Secundo, in ipso bono delectabili possumus considerare duo, primum est obiectum, in quo fruitiuè quiescere potest animus: secūdum est ipsa fruitio, & quies; puto autem bonum remotè delectabile esse ipsū obiectum, quod secundum sua intrinseca potest terminare illam quietem, & fruitionem animi: constitui autem proximè delectabile per fruitionem possibilem cognitam, vt fusiùs alibi, Deo dante, dicam. Cæterum hæc diuisio non est in membra apposita: quia potest idem bonum esse vtile, honestum, & delectabile, si loquamur de bonis creatis; quinimò fortasse nullum est bonum vtile, quod non sit, saltem honestate naturali, honestum: quia nullum est vtile, quod non sit conueniens alicui naturæ: licet non omne bonum

bonum vtile, & iucundum sit honestum honestate morali, idest conforme vltimo fini, & rectæ rationi.

Media habent intrinsecam bonitatem, qua suo modo mouent.

5 Aduerto hic bonum vtile, quatenus vtile habere aliquam bonitatem sibi intrinsecam; nam ipsa vtilitas, & conducibilitas ad finem est aliquod intrinsecum medio, & appetibile: ergo medium habet bonitatem sibi intrinsecam, contradistinctam à bonitate finis, vt patet consideranti.

Sed nihilominus finis est adæquatum motiuũ voluntatis.

6 Hinc infero illud, quod me mouet ad electionem huius medij, non esse solam bonitatem finis, sed etiam ipsius medij; nisi enim in medio cognoscerem conducibilitatem ad finem non illud eligerem, quamuis finis non medium ametur propter se; quia non in medio, sed in fine quiescit voluntas, nec illo obtento aliquod vlterius quærimus. Cum hoc autem benè cohæret finem esse motiuum voluntatis suo modo adæquatũ; nam quamuis, ego non eligerem hoc medium, nisi cognoscerem in illo conducibilitatem ad finem; tamen illud, quod me mouet ad eligendam hanc conducibilitatem huius medij, est bonitas finis per se amata, in qua acquisita adæquatè quiescit animus.

Solum bonum honestum, & delectabile est finis.

7 Ex dictis colliges primo, solum bonum honestum, & delectabile posse participare rationẽ finis, quia tantum hæc possunt per se amari, & esse id, cuius gratia cætera fiunt: bonũ enim vtile, quatenus vtile, nec propter se amatur, nec propter illud cætera fiunt. Et in hoc sensu verificatur, quod docet Aristoteles finem, & bonum esse omninò idem.

Quod est finis respectu vnius actus, potest esse medium respectu alterius.

8 Non negauerim tamen, quod est finis respectu vnius actus, & in vna serie, ita vt eo acquisito voluntas sit cessatura à motu, præcisè quantum est ex vi huius actus; posse esse mediũ, respectu alterius actus, & seriei: sic per vnum actum possum amare sanitatem propter studium; per alium autem studium ad lucrandas animas; & in hoc secundo casu habito lucro animarum, etiam sine studio cessaret voluntas à motu, quẽ induerit intentio lucrandi Deo animas, quod nõ euenit in primo.

Datur finis absolutè vltimus.

9 Colliges secundo, iuxta ea, quæ dixi in logicis, quamuis res aliqua habeat amabilitatẽ propter se, & propter aliud, ideoque possit modo amari propter se, modo propter aliud; non ex se tamen constitui actu finem, vel medium, sed per diuersos actus voluntatis, quibus nunc amatur propter se: nunc amatur propter aliud: licet verissimum sit, dari excellentissimum aliquod bonum, quod ex natura sua exigat, esse vltimus finis omnium rerum; non quia non possit amari, vt medium ad aliquod aliud bonum consequendum, idque etiam licitè; oppositum enim docent doctissimi Theologi; sed quia non potest licitè postponi alij bono, sed debeat omnibus præferri; ac præterea est illud, quo acquisito quiescit, & satiatur appetitus humanus, cum nihil sit, quod vltra quærat: inuenit enim in illo cumulum omnium perfectionum, & ex eo etiam dici potest finis, & bonum vniuersale, quia possessum extinguit omne desiderium, quod anxiam solicitudinem afferat.

Media proxima aliquando sunt finis, aliquando minimè.

10 Quæres vtrum, cum quis amat vltimum aliquem finem, ad cuius consequutionem ordinantur multa media, quæ seruent inter se ordinem aliquem; ita vt finis vltimus immediatè causetur ab hoc medio proximo, & hoc medium ab alio remoto, quod item ab alio causetur: v.g. amat quis vnicè diuinam gloriam, & propter illam lucrum animarum, & ad hoc lucrum assumit tamquam medium doctrinam, & studium, & propter hæc appetit sanitatem, &c. Vtrum inquam in hoc casu habeant rationem finis, non solùm, quod intendimus; sed media illa proxima; quæ causantur à remotis? Respondeo voluntatem dupliciter posse affici circa illum vltimum finem, & media proxima; primo, ita vt acquisito illo fine vltimo nihil vlterius curet, sed sit cessatura; quamuis non habuerit media proxima, vel remota; vel ita vt curet alterius acquisitionem dictorum mediorum: si secundo modo res se habent illa media participant etiam rationem finis, licet inadæquati: quia, ita amantur propter illum vltimum, vt etiam amentur propter se, & quamuis non in illis solis quiescat voluntas, quietura tamen non est, nisi illis obtentis; ergo sunt fines, & terminus, licet inadæquatus huius motus voluntatis.

11 Si verò primo modo se res habeat; videtur probabile, illa media non participare rationem finis: non enim amantur propter se, nec in illis quiescit voluntas; neque appetuntur propter ipsa, sed amantur, vt pura media, & quatenus purè conducunt ad consequutionem finis vltimi. Hæc doctrina colligitur ex Suario *disp.* 10. *m. sec.* 6. *n.* 14. quare in hoc caso media remota, propriè loquendo, neque sunt volita propter proxima, neque ab illis dependent, sed tantum ab vltimo fine: & ideo medium immediatum non mouet propter se voluntatem ad remotum, sed propter conducibilitatem ad vltimum finem, in qua conducibilitate non sistit voluntas; ideoque, vt supponimus si dependenter à primis, & remotis medijs, exclusis proximis, obtineret vltimum finem: quiesceret.

12 Obijcies in eo casu, verè dicitur homo velle medicinam propter sanitatem, & hanc propter studium; ergo sanitas, & studium habent rationem finis. Nego absolutè antecedens; si rigorosè loqui velimus; homo enim in eo casu vult omnia propter gloriam Dei; quamuis videat, illorum aliqua ab alijs causari. Argumenta Arriagæ *disp.* 13. *sect.* 2. facilè solues ex dictis.

13 Diuiditur finis in finem cui, & in finem cuius, seu qui, finis qui est bonum, quod amamus, & intendimus acquirere per media; finis cui, est subiectum, cui illud bonum appetimus: sic cum volumus amico sanitatem, amicus est finis cui, & est obiectum amoris beneuolentiæ, cui nimirum benè volumus; sanitas autem est finis, qui; & est obiectum amoris concupiscentiæ, quod videlicet cõcupiscimus alij. Ex vtroque autem fit vnus integer finis indiuisibiliter mo-

monens voluntatem per modum vnius principij, ad inquirenda media; neque enim sola sanitas videtur absolutè sufficiens mouere ad amorem sui; & absolutè dum amo Petrum, volo illi bonum, quod in casu nostro est sola sanitas. Non est autem verum quod docent Nominalea finē, qui, non esse propriè finem, sed medium: sicuti absolutè falsum est: finem, qui apperi propter finem cui, neque enim assumitur vt medium ad consequutionē illius, qui iam supponitur, sed vt perfectio, & bonum illius. Neque obtento fine cui quiescit voluntas; nisi addatur finis cuius.

Finis cui principalius amatur.

14 Non negauero finem cui principalius amari, & mouere: nam ex amore circa personam amici moueor, ad amandum illi eius bonum: vnde cum quis amore concupiscentiæ sperat sibi Deum visum, magis apprehenditur per hunc actum amare se, quàm Deum; non quia præferat se Deo, quod esset impium; & ille actus supponitur bonus; sed quia sibi Deum amat, vt bonum suum, quod non est Deo iniuriosum, nec oppositum eius voluntati; re vera enim Deus est nostrum bonum potens, & volens à nobis possideri cum summa nostra perfectione, & ipsius maxima gloria. Cæterum hic paratus esse debet, se, suaque omnia Deo subijcere, quem per charitatem respicit, vt summum bonum cæteris præferendum, ideoque non timet sententiam illam Christi Domini. *non est me dignus*.

15 Quinimò etiam Deus respicit creaturas rationales, tamquam vltimum finem cui, sed vtilitatis; sicuti seipsum tamquam vltimum finem cui gloriæ, seu excellentiæ; cum enim Deus sit perfectissimus; operatur, non vt ex suis operationibus acquirat aliquod emolumentum; sed solùm vt creaturis rationalibus manifestet suam perfectionem, quod est operari ad suam gloriam, & vtilitatem nostram, ac proindè respicere se, vt finem cui gloriæ, nos autem vt finem cui vtilitatis; eadem enim Dei manifestatio est gloria Dei, & nostra vtilitas.

Finis qui, & quo.

16 Diuiditur secundo finis cuius in finem qui, & quo: finis qui est res, quam quis intendit acquirere, finis quo, est ipsa possessio, seu acquisitio rei, qui enim amat sibi diuitias, non intendit vtcumque illas, sed vt à se possidēdas; falsum autem est, quod docent nonnulli, finem qui non habere propriè rationem finis; sed tantùm finem quo: nam quod me mouet ad amandas diuitias, non est possessio vtcumque diuitiarum in abstracto, sed in concreto: ideò enim amo possessionem illarum, quia illæ bonæ sunt, & indè bona est illa possessio.

17 Hi igitur tres fines cui, qui, & quo, constituunt vnum finem adæquatū, in quo quiescit voluntas. Omnia itaque facimus propter amicum, & propter nos, tamquam propter finem, cui; omnia propter bonum, tamquam propter finem, qui; & omnia propter possessionem boni, tamquam propter finem, quo.

Finis qui fit, & qui obtinetur.

18 Diuiditur tertio in finem qui fit, & qui obtinetur; finis qui fit, non supponitur, sed intenditur produci; finis, qui obtinetur, supponitur iam existens, & intenditur solùm eius acquisitio; talis est Deus, quem intendimus acquirere, non producere.

Finis vltimus, & nō vltimus.

19 Diuiditur quarto in vltimum, & non vltimum, primus non refertur ad alium vlteriorem finem; secundus licet ametur propter se: refertur tamen ad alium vlteriorem finem: & sanè, cum non sit procedendum sine fine in finibus, deueniendum tandem est ad aliquem finem vltimum, qui vlterius non intendatur propter aliud.

Primum in intentione est vltimū in executione.

20 Demum aduerto, communiter dici, primum in intentione esse vltimum in executione, & ordinem intensionia procedere opposito modo, ac procedit ordo executionis; quia finis acquirendus, qui primo amatur, & est causa, vt amentur alia; est illud, quod vltimo loco producitur, post mediorum positionem.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum finis sit vera causa realis.

Finis est vera causa

1 DIco primo, finem esse veram causam, probatur, id, propter quod aliquid fit, est vera causa, per quā rectè respōdemus interroganti, cur res est? sed finis est id, propter quod aliquid fit: ergo est vera causa. Maior continet saltē implicitè causæ definitionē, vt patet ex ijs, quæ diximus de causis in communi: minor est definitio causæ finalis. Quinimò inter causas finis obtinet primum locum, & est primum mouens causam efficientem, tum consequenter reliquas ad operandum; & sua virtute intentionaliter existente determinat existentiam omnis effectus.

Et realis.

2 Dico secundo, finis est causa realis, si nomine causæ realis intelligamus illam, quę habet effectum realem: quia effectus finis sunt ferè omnes reales.

Impossibile cognitum potest habere rationē finis, & causæ finalis.

3 Dico tertio, si nomine causæ realis intelligamus id cuius entitas est realis; finis non necessariò est causa realis, quia nō semper necesse est, finem esse aliquod ens reale: puto enim ens impossibile, & chimæram posse habere rationem finis, & propter se appeti: quod breuiter probatur: potest intellectus apprehendere aliquod bonum impossibile: sed bonitas impossibilis cognita potest terminare actum voluntatis; ergo voluntas potest ferri circa bonum impossibile; quod sicuti potest proponi, vt propter se amabile, ita potest amari propter se, qui est modus amandi proprius finis. Præterea illa bonitas impossibilis cognita, vt possibilis, non solum terminat sui amorem, sed etiam mouet ad eumdem: sicuti enim bonitas realis quamuis non existat realiter, mouet tamen per sui existentiā intentionalem ad amorem sui; ita impossibilia per similem sui existentiam intentionalem mouebit ad sui amorem.

4 Neque dicas tunc me amare bonitatem rea-

prosequatur; sed potius actum auersantem ab illius prosecutione propter malitiam, vel difficultatem, quæ simul repræsentantur. Et quidē, saltem miraculosè, non video cur, manente cognitione, non possit à Deo impediri omnis sequens actus voluntatis, sicuti impediuit ignem Babilonicum ne combureret pueros. Præterea hæc cognitio, vt vidimus, est vis causatiua finis: ergo non est actualis causalitas: consequentia patet, ex iis, quæ diximus agentes de actionis distinctione.

2 Dices: antecedenter ad omnem actum voluntatis habetur excitatio, qua finis inclinat voluntatem ad sui amorem; sed hæc excitatio est causalitas finis: ergo antecedenter ad omnem actum voluntatis habetur causalitas aliqua finis; sed hæc causalitas præcedens non potest esse, nisi cognitio. Minor probatur, voluntas excitata est effectus finis: ergo excitatio voluntatis est causalitas finis. Nego minorem; ad probationem nego antecedens: voluntatem enim excitari, non est aliud, quàm inclinari ad finis amorem: hæc autem inclinatio non est à fine: est enim cognitio bonitatis, quæ per se ipsam, dum repræsentat bonitatem finis, inclinat formaliter ad amorem illius, & cum non procedat ab ipso fine mouente, & inclinante ad sui consequutionem, non est finaliter ab ipso fine; quamuis physicè procedat ab aliqua specie, quæ sit, saltem impropria, finis.

Eadem finis, ac aliarum causarum causalitas.

3 Secundo probabile est finem per eamdem causalitatem influere in suos effectus, per quam influunt in illos aliæ causæ. Probatur ex iis, quæ diximus de causalitate agentis: finis non est respectu effectus causa omninò absoluté adæquata; ergo indiget ad suum influxum consortio aliarum causarum: ergo influxus finis pendet ab aliis causis, & est influxus illarum; aliter vel non esset actualis positio effectus, nec influxus; vel non essent necessariæ aliæ causæ; nam vel hic influxus procedens à solo fine est adæquatus, ac sufficiens, & sic non sunt necessariæ aliæ causæ; vel inadæquatus, & insufficiens, & sic potiùs esset vis causatiua, quàm actualis positio: quia si est inadæquatus, & insufficiens, non est necessariò connexus cum effectu; ergo non est vltima determinatio ad illius existentiam: ergo non est actualis positio: sed potius vis causatiua vlterius determinabilis, & determinatiua aliorum influxuum, si illa extrahat, & exigat.

Causalitas hæc respicit essentialiter dictā cognitionē.

4 Tertio, effectus interni causæ finalis, actus videlicet voluntatis, & intellectus, qui tendūt tamquam in obiectum in finem, mihi probabile est, fieri per actionem dicentem intrinsecum ordinem ad cognitionem ipsius finis, vel ad aliam motionem finis: probatur ex iis, quæ diximus: Deus, ex supradictis, dum concurrit ad amorem mediorum iuxta exigentiam motionis finis, iam concurrit ad illum actum amoris per decretum essentialiter diuersum ab eo, quo concurreret, si non poneret amorem mediorum, & illorum electionem ad talem exigentiam: hoc autem sufficit ex dictis de actione, vt actio, & causalitas, qua ponitur ille amor, sit diuersa, & addicta cognitioni, & motioni finis. Eadem proportionaliter est ratio de actibus voluntatis, respectu quorum diuersum est decretum Dei, quo Deus vult concurrere ad exigentiam huius intentionis, ac quo vult ad exigentiam alterius, &c.

5 Ex quo etiam saluari, quantum est ex hoc capite, posse videntur electiones quædam, quæ materialiter fiunt ab aliquo fine, ab illo dependere; quia licet operans non intendat illum finem; tamen cum ille finis actu cognoscatur, & inclinet ad illas, habent cum quadam dependentia ab eo; quia Deus etiam concurrit ad exigentiam illius finis, & consequenter diuerso decreto, & actione: & hæc coherent cum illis, quæ docet Quiros *disp. 55. sect. 3.* sed ego nihil certi de hoc affirmo.

6 Demum idem proportionaliter dici potest de actibus peccaminosis factis ob hunc, vel illum finem; Deum videlicet per decretum permissiuum præparare diuersum concursum ex diuersitate finium. Ex quibus patet aliquid fieri propter finem, non esse aliud physicè, quā fieri per causalitatem dicto modo annexam motioni finis. Et sanè quisque in se experitur quid sit operari propter hunc, & non illum finem; aliter propositis pluribus finibus, non posset homo recordari ex quo fine motus sit. Qui plura vult legat Quiros citatum.

7 Illud hic aduerto, causalitatem causæ finalis dici metaphoricam, moralem, intentionalem; non quia non sit vera, & physica entitas, sed quia finis non causat per suum esse; sed per suam cognitionem, quæ est esse metaphoricum, & intentionale rei: & quia inclinat ad actiones dependentes à voluntate, dicitur moraliter causare.

SECTIO V.

Quæ agentia agant propter finem.

1 QVatuor in quæstionem vocari possunt: creaturæ intellectuales, de quibus pars affirmatiua est certa confirmata ex frequentissima experientia. Secundo Deus. Tertio Bruta; quarto demum reliqua agentia.

Quo modo Deus agat propter finem.

2 Dico primo, Deus non causat finaliter suos actus internos etiam liberos. Probatur actus Dei, etiam liberi, sunt, quid increatum: ergo non fiunt propter finem, & sanè causa finalis non agit nisi mouendo causam efficientem ad positionem effectus; ergo quæ non possunt terminare causalitatem causæ efficientis, non possunt terminare causalitatem causæ finalis: sed actus Dei, quamuis liberi, non possunt terminare causalitatem causæ efficientis: ergo.

3 Quoniam vero, vt volunt nonnulli aliud est finis, aliud causa finalis; causa enim finalis est illud cuius gratia aliquod fit: finis vero est terminus in quem propter se tendit actus, sicut

aliud

aliud est obiectum, aliud causa obiectiua: & actus increati habent quidem obiectom, non causam obiectiuam; ideo operationes ad intra in Deo habent certé suum finem, in quem per se tendunt, non tamen causantur à fine.

4 Dices, Deus amat se ipsum, & alia propter se, & à sua bonitate mouetur ad amandas creaturas; ergo datur causa finalis Diuini amoris. Distingoo antecedens: Deus positiuè amat se ipsum propter se, per amorem dependentē à sua bonitate; nego: negatiuè; quia non amat se propter alia, sicuti dicitur esse á se, quia nō est ab alio; concedo: hoc autem aliud non est, quam Deum esse sibi sufficientissimum. Pręterea Deus amat creaturas propter suam bonitatem: non quia diuina bonitas est causa diuini amoris erga creaturas; sed quia ipsa bonitas Dei est causa, & finis productionis creaturarum. Illæ autem loqutiones, Deus allicitur, mouetur ad amandum hoc, vel illud, sunt metaphoricę, & impropriæ ortæ ex imperfecto nostro modo concipiendi res diuinas.

5 Dico secundo, Deus operatur operationes ad extra, & sibi extrinsecas propter finem. probatur primo ex Scripturis *Prou. 6. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. Secondo, ratione: quia re uera Deus producit gratiam propter gloriam, & omnes creaturas propter suam bonitatem: ergo veré Deus exercet operationes ad extra propter finem. Et sanè Deus agens propter finem non agit, vt motus ab alio ad finem, seu etiam ab ipso fine, sed vt mouens, & agens alia ad suum finem: quod nullam dicit imperfectionem.

Bruta non operantur propter finem.

6 Dico tertio, Bruta propriè non operantur ppter finē: est plurimorū præsertim Pallauicini pluribus in locis ex suis quęstionibus in primā secundę, vbi multa docet ad hanc rē dignissima; sed non vacat singula discutere, & afferre: contrarium, non improbabiliter defendit Arriaga *disp. 8. sect. 6.* Probatur bruta non cognoscunt proportionē mediorum ad finem, neque hoc esse per se appetibile, illud vero in ordine ad aliud; sed à quibusdam circumstantijs extrinsecis, & aliqua intrinseca mutatione propriarum qualitatum, & accidentium prius efficiunt hoc, deinde illud; ex quibus primum conducit ad secundum: ex quo malé infertur, quod vnam appetant propter aliud, vel vnum ad aliud dirigant; neque enim concedenda est brutis causa, vt per iudicium quoddam diuidendo, & componendo res inter se, videant earum conuenientiam, & disconuenientiam: vndè potius hoc quam illud eligant. Ad finem autem, pro quo à natura instituta sunt, vt sibi victum quærendo, & conseruando speciem per generationem, seruiant homini, sufficit, si modo à nobis explicato operentur.

7 Vrgebis primo, auis dum colligit paleas ad construendum nidum, cogitat non solùm de paleis, sed etiam de construendo nido; & canis dum fame pressus, viso pane, mouetur ad allū, non solum cogitat de motu, sed etiam de pane; cum præsertim motus sit laboriosus, & repulsiuus. Respondeo, ad hos motus ita ordinatos bruta determinari naturali quodam modo ex instinctu naturę, & per motiones nouas qualitatum, & specierum; & quamuis cogitent, tum de motu, tum de comestione; non tamen vident vtilitatem vnius ad aliud; neque ex illa mouentur; & id accidit simili ferè modo, quo res insensatæ gradatim prius producunt vnum, deindè alium effectum. Quare in brutis vel non est admittenda potentia æstimatiua, vel huius potentiæ proprium, & essentiale non est, vt componendo, & diuidendo cognoscat conuenientiam, & disconuenientiam rerum.

8 Vrgebis secundo: Ouis non assueta lupo fugit; non fugit, si illi assuescat: ergo ouis cognoscit conuenientiam, & disconuenientiam lupi. Nego consequentiam: ex assuetudine enim relinquitur in oue species, quæ excitans cognitionem lupi præsentis illam determinat ad pacem, non ad fugam.

10 Vrgebis tertio: ergo bruta non operantur vitaliter, sed quodam instinctu naturali feruntur in obiecta, eo prorsus modo, quo res insensatæ. Nego consequentiam: bruta moueri cognitione, indè patet: quia modo fugiunt, modo amplectuntur idem obiectum: ergo ex diuersa cognitione determinantur ad hos contrarios actus. Neque enim aliundè assignari poterit determinatio eorum actuum adeò oppositorum: ergo veré operantur vitaliter. Ex dictis autem patet, quod aues fugientes pluuias, non fugam capessunt ex præcognitione pluuiæ, sed ad eam determinantur ex commotione humorum.

11 Vrgebis quinto: amor finis est per nos effectus finis: ergo bruta operantur propter finem. Distinguo antecedens, amor finis aptus mouere ad electionem mediorum, & procedens ab eo, qui cognoscit proportionem mediorum ad finem, est effectus finis; concedo: qui non est talis, subdistinguo, est rigorosè effectus finis; nego: minus rigorosè; concedo: bonitas à brutis cognita monet illorum appetitum ad finis prosequutionem: ergo talis prosequutio est effectus talis bonitatis, ideoqué hæc respectu illius amoris participabit rationem finis, sed minus rigorosam: quia non causat amorem aptum mouere ad electionem mediorum ex præcognitione proportionis mediorum ad finem.

Agentia insensata non agunt propter finem.

12 Dico quarto: agentia naturalia, & insensata non agunt propter finem: quæ enim carent omni prorsus cognitione, non agunt propter finem, neque enim se mouent in finem, sed potius aguntur ab alio in finem: sed agentia insensata carent omni prorsus cognitione: ergo.

13 Vrgebis primo, diuerso modo tendit sursū sagitta, ac ignis, illa ab extrinseca impressione, hic ab intrinseca virtute: ergo ignis, & quodlibet agens naturale habet finē, quē intendit. Confirmatur, quæ non temere, & casu agunt; operantur propter finē: sed agentia naturalia nō temere, & casu agunt: ergo. Minor probatur, ignis disponit per calorem, & siccitatem lignum, vt introdu-

realem malè applicatam alteri: quia illud amo, quod cognosco: sed cognosco bonitatem fictam, & impossibilem: ergo verè amo bonitatem fictam, & impossibilem.

5 Sed notandum est causam debere existere secundù esse, secúdú quod causat: quare cum causa finalis causet secundum esse intentionale, non est necesse, vt existat realiter, sed sufficit si existat intentionaliter. Præterea finis, vt intentionaliter existens est primus, licet realiter sit vltimus: ergo secundum esse intentionale bené est causa, & principium: igitur non repugnat, quod sub diuersis hisce considerationibus sit simul principium, & finis, licet alio modo repugnet.

Finis metaphoricè causat.

6 Dico quarto, finem non esse causam realem, si causa realis sit illa, quæ influit per influxum à se physicè procedentem. Probatur causa finalis, dum causat, non realiter, sed solùm intentionaliter est: ergo non causat realiter per influxum, qui à se physicè existente, physicè procedat: tantùm igitur est causa moralis, metaphorica, & intentionalis, quia cognita eius bonitas allicit voluntatem ad sui amorem, & positionem tum sui, tum aliorum, his positis.

7 Difficultas est circa virtutem causatiuam finis; sita ne sit in cognitione bonitatis, vel in ipsa bonitate. Suppono autem finem non mouere, nisi cognitum, cum enim voluntas sit cæca, non potest ferri nisi in obiectum, quod illi ab intellectu proponitur, vt fusius dicam in libris de Anima. Quo posito.

Cognitio finis est vis causatiua finis.

8 Dico quinto, cum Patre Hurtado *disp. 13. de anima sect. 6.* & quibusdam Thomistis apud Suarium, & Auersam, quos inter alios sequitur Maurus *quæst. 16. de causa finali;* cognitionem finis esse virtutem causatiuam, non meram conditionem: probatur, quod mouet formaliter voluntatem ad amorem, & desiderium finis, est vis causatiua finis: sed cognitio sic mouet: ergo cognitio est vis causatiua finis. Maior probatur, in eo enim sufficienter saluatur vis causatiua finis: minor probatur: voluntas mota, & inclinata ad amorem finis, habetur formaliter à cognitione bonitatis: ergo id, quod mouet, & inclinat formaliter ad amorem finis est cognitio: Illud enim, quod constituit voluntatem formaliter motam, & inclinatam ad amorem finis, est illud, quod mouet formaliter, & inclinat ad ad eũ amorẽ: antecedẽs probatur voluntas mota ad amorẽ finis, est effectus formalis realis, quem in nobis experimur; ergo habetur à forma reali: quæ non est nisi cognitio: certè talis forma non potest esse obiectum, quod vel implicat, vel non est.

9 Neque dicas vim causatiuam esse id, per quod voluntas finaliter obiectiuè mouetur, quod habetur à bonitate finis, non à cognitione; contra enim est, voluntatem, finaliter, & obiectiuè moueri, solùm est voluntatem moueri, & inclinari ad amorem finis: neque enim videtur, quid aliud sit, hoc moueri finaliter, & obiectiuè: hæc autem motio formaliter habetur per cognitionem, quæ se ipsa mouet ad illum amorem, non per bonitatem finis: hæc enim numquam adest, & aliquando est impossibilis. Confirmatur finis, mouet moraliter voluntatem suadendo, &c. Suasio autem formaliter est actus intellectus.

10 Obijcies primo, vis causatiua finis est ipse finis: sed cognitio non est finis; ergo non est vis causatiua finis. Nego maiorem: in reliquis causis vis causatiua non distinguitur ab illis: in causa tamen finali distinguitur: quia finis, quando causat, non est: sed tunc est eius vis causatiua: ergo vis causatiua in fine non est finis; quæ ratio non militat in alijs causis, quæ semper sunt quãdo causant. Confirmatur; in alijs causis vis causatiua est illarum existentia; ergo etiam in fine; sed existentia finis est intentionalis, nempè cognitio. Hæc igitur non est sicuti approximatio localis: quæ non mouet, sed purè applicat motiuum nempè agens ad passum: at cognitio se ipsa formaliter inclinat voluntatem ad amorem.

11 Obijcies secundo: ergo finis, seu bonitas non est causa, quia non habet vim causatinã: Nego sequelam: licet enim non habeat vim causatiuam sibi intrinsecam, & identificatam; habet tamen sibi extrinsecam, quod sufficit ad hoc, vt denominetur causa, vt quod, sicuti ego denominor cognitus à cognitione extrinseca mihi, & agens ab actione item extrinseca. Aduerte, non quamcumque cognitionem esse virtutem finaliter causatiuam, sed tantùm bonitatis finis.

12 Obijcies tertio: cognitio non amatur; ergo non est finis; ergo non est causa finalis; ergo non est vis motiua finis. Nego vltimam consequentiam: licet enim cognitio non sit finis, neque causa finalis, constituit tamen finem potentem actu mouere, ac proindè constituit illam actu causam: quare finis independenter à cognitione non est causa, quia non habet vim causatiuam: non ideò tamen cognitio est causa finalis: sicuti independenter à colore obiectum non est coloratum, nec ideò color est coloratus, & independenter ab odio peccatum non est odio habitum, nec ideò ipsum odium odio habetur: sed constituit odio habitum.

13 Obijcies quarto: illud mouet voluntatem, cuius gratia cætera fiunt: sed bonitas finis est talis: ergo bonitas finis mouet voluntatem. Distinguo maiorem, illud mouet formaliter, cuius gratia cætera fiunt; nego: denominatiuè concedo: finis denominatur mouens à cognitione sui, quæ est forma mouens, & inclinans voluntatem ad amorem. Dicuntur autem omnia fieri gratia finis, non quia eius bonitas per se moueat ad amorem sui, & reliquorum; sed quia cognitio bonitatis talis est, vt dum proponit illam, inclinet voluntatem, ad illius, & mediorũ amorem.

14 Obijcies quinto, de ratione finis est, vt moueat non existens ad sui consecutionem: sed cognitio non est talis: ergo non est finis. Concedo consequentiam: neque enim consequens mihi aduersatur: cæterum distinguenda est maior

ior

tor; finis mouet formaliter; nego: denominatiuè; concedo; eodem modo denominatiuè secundum illud esse mouet, quod, cum acquiritur, satiat appetitum.

15 Objicies sexto: ergo non solùm cognitio, sed etiam amor est vis causatiua finis: quia non solùm cognitio inclinat ad amorem, sed amor ad desiderium, & ad electionem. Concedo totum: est tamen aliquod discrimen inter cognitioné, & amorem: quia cognitio est vis causatiua finis in ordine ad omnes effectus; si enim finis non cognoscatur, nec amari potest, nec desiderari, nec aliquid intendi propter illum: amor verò non est vis causatiua omnium effectuum; neque enim est vis causatiua sui ipsius, quem plerique putant finis effectum. Præterea si sine amore habeatur desideriū, hoc sufficiens est ad mediorum electioné. Quæri hic posset, quæ nam cognitio requiratur ad motionem finis: verùm de hoc fusius in libris de Anima.

SECTIO TERTIA.

De effectibus causæ finalis.

1 IN motione finis possumus plura considerare, primo cognitionem, qua bonitas proponitur. Secundo, simplicem illius bonitatis amoré, quæ est quędã complacentia voluntatis in illo bono. Tertio, desideriū, seu potius spē boni, quę supponit possibilitaté illius appræhensã, nec est sine ordine ad media. Quarto, efficacē intentionem finis, quæ est efficax voluntas finis, & mediorum ad illum consequendum. Ex hac intentione sequitur in intellectu consultatio, quæ est inquisitio mediorum conducentium ad finem, & imperium, dictamen videlicet ostendens, & declarans, hæc media adhiberi debere. Hos actus sequitur electio mediorum, & imperium voluntatis, quod mouet potentias inferiores, vel etiam ipsam voluntatem ad positionem mediorum. Post hos actus, precipuè imperium, sequitur cognitio attingens illos, ac veluti denuncians dictū voluntatis imperium, quam cognitionem nonnulli appellant imperium intellectus. Hæc cum supponat exercitam totam libertaté, & ab eius exercitio sequatur, non potest libertati nocere. Verum de his actibus, quibus clauditur ordo intentionis, fusius alibi dicam.

2 Ordinem intentionis sequitur ordo exequutionis, motio videlicet potētiarum exequentium; & positio ipsa mediorum, ad quam sequitur finis consequutio, & post hanc gaudium, & delectatio. Quærimus; igitur vtrum omnia hęc, vel tantum illorum aliqua sint effectus causæ finalis?

Cognitio finis prima non est effectus causæ finalis.

3 Dico primo, prima finis cognitio non est effectus causæ finalis, quia vis causatiua non est effectus causæ, cuius est vis causatiua: sed cognitio illa prima est vis causatiua finis.

Reliqua sunt dictæ causæ effectus.

4 Dico secundo, omnes actus consequentes illam cognitionem sunt effectus causæ finalis: quia omnes pendent ab illa cognitione, quæ est vis causatiua finis: ergo omnes sunt effectus finis: consequentia probatur: omne enim, quod pendet à virtute causatiua alicuius causæ, est verè effectus talis causæ. Confirmatur non solùm media, sed etiam amor, & desiderium sunt gratia finis; tum quia conducunt ad finis consequutionem; tum quia ad illos actus mouetur volũtas à bonitate finis appræhensa: ideoque veræ sunt illæ loquutiones; finis amatur, intenditur propter finem, dependenter videlicet à motione finis.

5 Objicies primo, si amor est effectus finis; ergo respectu amoris erit causa finalis; quamuis nullus alius sequatur effectus. Concedo totum. Instabis: ergo primum medium erit amor finis. Nego consequentiam: medium enim est, quod cognitum eligitur in ordine ad cõsequutionem finis ex intentione eiusdem: amor autem, vel non cognoscitur, vel non eligitur ex intentione finis, quæ non præcessit. Cæterùm non omnia, quæ amantur propter finem, sunt effectus finis, nisi fiant propter ipsum: si quis enim amet propter suem causam illum iam existentem, v. g. Deum; non ideo Deus erit effectus finis.

6 Instabis primo: ergo visio fit propter finem: nempè propter obiectum visum. Nego consequentiam: quia non procedit ex cognitione bonitatis, quæ est vis causatiua finis, neque inclinat ad finis positionem.

7 Instabis secundo: amor finis non dicit ordinem ad media, neque est amor mediorum; ergo, &c. Nego consequentiam, quia adhuc est ex motione finis, & eius cognitione.

8 Objicies secundo, gaudium de fine iam possesso non est propter finem, neque enim per illud voluntas mouetur ad finem; sed potius in fine quiescit. Nego antecedens: ad rationem in contrarium dico voluntatem per gaudium moueri circa finem ex cognitione eiusdem; quamuis non moueatur ad finem acquirendum: primũ autem sufficit, vt gaudium sit effectus finis, & eius gratia: cum præsertim illud gaudium iuuet, saltem nonnumquam, ad perseuerandum in fine possesso.

9 Objicies tertio. Ergo finis est effectus sui ipsius. Distinguo, pro eodem statu; nego; pro diuerso; concedo: hoc autem non est aliud quam cognitionem bonitatis finis mouere alias potentias ad consequutionem eiusdem: in quo nulla est repugnantia.

SECTIO IV.

De causalitate causę finalis.

Cognitio bonitatis non est causalitas finis.

1 DE hac causalitate illa mihi videntur probabiliora: primo influxum hunc, & causalitatem non esse cognitionem bonitatis: quia causalitas non potest separari ab effectu: sed cognitio bonitatis finis potest separari ab effectu causæ finalis: ergo, &c. minor probatur: quia experimur nonnunquam posita tali cognitione nullum sequi actum voluntatis, quo finem

realem malè applicatam alteri: quia illud amo, quod cognosco: sed cognòsco bonitatem fictam, & impossibilem: ergo verè amo bonitatem fictam, & impossibilem.

5 Sed notandum est causam debere existere secundû esse, secûdû quod causat: quare cum causa finalis causet secundom esse intentionale, non est oecesse, vt existat realiter, sed sufficit si existat intentionaliter. Prætcrea finis, vt intentionaliter existens est primus, licet realiter sit vltimus: ergo secundum esse intentionale bené est causa, & prioeipium: igitur non repugnat, quod sub diuersis hisce considerationibus sit simul prioeipium, & finis, licet alio modo repugnet.

Finis metaphoricè causat.

6 Dico quarto, finem non esse causam realem, si causa realis sit illa, quæ influit per influxum à se physicè procedentem. Probatur causa finalis, dum causat, non realiter, sed solùm intentionaliter est: ergo non causat realiter per influxum, qui à se physicè existente, physicè procedat: tantùm igitur est causa moralis, metaphorica, & intentionalis, quia cognita eius bonitas allicit voluntatem ad sui amorem, & positionem tum sui, tum aliorum, his positis.

7 Difficultas est circa virtutem causatiuam finis; sita ne sit in cognitione bonitatis, vel in ipsa bonitate. Suppono autem finem oon mouere, nisi cognitum, cum enim voluntas sit cæca, non potest ferri nisi in obiectum, quod illi ab intellectu proponitur, vt fusius dicam in libris de Anima. Qno posito.

Cognitio finis est vis causatina finis.

8 Dico quinto, com Patre Hurtado *disp. 13. de anima sect. 6.* & quibusdam Thomistis apud Suariom, & Auersam, quos inter alios sequitur Maurus *quæst. 16. de causa finali;* cognitionem finis esse virtutem causatiuam, non meram conditionem: probatur, quod mouet formaliter voluntatem ad amorem, & desiderium finis, est vis causatiua finis: sed cognitio sic mouet: ergo cognitio est vis causatiua finis. Maior probatur, in eo enim sufficienter saluatur vis causatiua finis: minor probatur: voluntas mota, & inclinata ad amorem finis, habetur formaliter à cognitione bonitatis: ergo id, quod mouet, & inclinat formaliter ad amorem finis est cognitio: Illud enim, quod constituit volontatem formaliter motam, & inclinatam ad amorem finis, est illud, quod mouet formaliter, & inclinat ad ad eû amorê: antecedês probatur voluntas mota ad amorê finis, est effectus formalis realis, quem in nobis experimur; ergo habetur à forma reali: quæ non est nisi cognitio: certè talis forma non potest esse obiectum, quod vel implicat, vel non est.

9 Neque dicas vim causatiuam esse id, per quod voluntas finaliter obiectiuè mouetur, quod habetur à bonitate finis, non à cognitione; contra enim est, voluntatem, finaliter, & obiectiuè moueri, solùm est voluntatem moueri, & inclinari ad amorem finis: neque enim videtur, quid aliud sit, hoc moueri finaliter, & obiectiuè: hæc autem motio formaliter habetur per cognitionem, quæ se ipsa mouet ad illum amorem, non per bonitatem finis: hæc enim numquam adest; & aliquando est impossibilis. Confirmatur finis, mouet moraliter voluntatem suadendo, &c. Suasio autem formaliter est actus intellectus.

10 Obijcies primo, vis causatina finis est ipse finis: sed cognitio non est finis; ergo non est vis causatiua finis. Nego maiorem: In reliquis causis vis causatiua non distinguitur ab illis: in causa tamen finali distinguitur: quia finis, quando causat, non est: sed tunc est eius vis causatiua: ergo vis causatiua in fine non est finis; quæ ratio non militat in alijs causis, quæ semper sunt quãdo causant. Confirmatur; in alijs causis vis causatiua est illarum existentia; ergo etiam in fine; sed existentia finis est intentionalis, nempè cognitio. Hæc igitur non est sicuti approximatio localis: quæ non mouet, sed purè applicat motiuum nempè agens ad passum: at cognitio se ipsa formaliter inclinat voluntatem ad amorem,

11 Obijcies secundo: ergo finis, seu bonitas non est causa, quia non habet vim causatinã: Nego sequelam: licet enim non habeat vim causatiuam sibi intrinsecam, & identificatam; habet tamen sibi extrinsecam, quod sufficit ad hoc, vt denominetur causa, vt quod, sicuti ego denominor cognitus à cognitione extrinseca mihi, & agens ab actione item extrinseca. Aduerte, non quamcumque cognitionem esse virtutem finaliter causatiuam, sed tantùm bonitatis finis.

12 Obijcies tertio: cognitio non amatur; ergo non est finis; ergo non est causa finalis; ergo non est vis motiua finis. Nego vltimam consequentiam: licet enim cognitio non sit finis, neque causa finalis, constituit tamen finem potentem actu mouere, ac proindè constituit illam actu causam: quare finis independenter à cognitione non est causa, quia non habet vim causatiuam: non ideò tamen cognitio est causa finalis; sicuti independenter à colore obiectum non est coloratum, nec ideò color est coloratus, & independenter ab odio peccatum non est odio habitum, nec ideò ipsum odium odio habetur: sed constituit odio habitum.

13 Obijcies quarto: illud mouet voluntatem, cuius gratia cætera fiunt: sed bonitas finis est talis: ergo bonitas finis mouet voluntatem. Distinguo maiorem, illud mouet formaliter, cuius gratia cætera fiunt; nego: denominatiuè concedo: finis denominatur mouens à cognitione sui, quæ est forma mouens, & inclinans voluntatem ad amorem. Dicuntur autem omnia fieri gratia finis, non quia eius bonitas per se moueat ad amorem sui, & reliquorum; sed quia cognitio bonitatis talis est, vt dum proponit illam, incliner voluntatem, ad illius, & mediorû amorem.

14 Obijcies quinto, de ratione finis est, vt moueat non existens ad sui consecutionem: sed cognitio non est talis: ergo non est finis. Concedo consequentiam: neque enim consequens mihi aduersatur: cæterum distinguenda est maior

tor

tor; finis mouet formaliter; nego: denominatiuè; concedo: eodem modo denominatiuè secundum illud esse mouet, quod, cum acquiritur, satiat appetitum.

15 Objicies sexto: ergo non solùm cognitio, sed etiam amor est vis causatiua finis: quia non solùm cognitio inclinat ad amorem, sed amor ad desiderium, & ad electionem. Concedo totum: est tamen aliquod discrimen inter cognitioné, & amorem: quia cognitio est vis causatiua finis in ordine ad omnes effectus; si enim finis non cognoscatur, nec amari potest, nec desiderari, nec aliquid intendi propter illum: amor verò non est vis causatiua omnium effectuum; neque enim est vis causatiua sui ipsius, quem plerique putant finis effectum. Præterea si sine amore habeatur desideriũ, hoc sufficiens est ad mediorum electioné. Quæri hic posset, quæ nam cognitio requiratur ad motionem finis: verùm de hoc fusius in libris de Anima.

SECTIO TERTIA.

De effectibus causæ finalis.

1 IN motione finis possumus plura considerare, primo cognitionem, qua bonitas proponitur. Secundo, simplicem illius bonitatis amoré, quæ est quędā complacentia voluntatis in illo bono. Tertio, desideriũ, seu potius spē boni, quę supponit possibilitaté illius apprehensā, nec est sine ordine ad media. Quarto, efficacē intentionem finis, quæ est efficax voluntas finis, & mediorum ad illum consequendum. Ex hac intentione sequitur in intellectu consultatio, quæ est inquisitio mediorum conducentium ad finem, & imperium, dictamen videlicet ostendens, & declarans, hęc media adhiberi debere. Hos actus sequitur electio mediorum, & imperium voluntatis, quod mouet potentias inferiores, vel etiam ipsam voluntatem ad positionem mediorum. Post hos actus, pręcipuè imperium, sequitur cognitio attingens illos, ac veluti denuncians dictū voluntatis imperium, quam cognitionem nonnulli appellant imperium intellectus. Hæc cum supponat exercitam totam libertaté, & ab eius exercitio sequatur, non potest libertati nocere. Verum de his actibus, quibus clauditur ordo intentionis, fusius alibi dicam.

2 Ordinem intentionis sequitur ordo exequutionis, motio videlicet potētiarum exequentium; & positio ipsa mediorum, ad quam sequitur finis consequutio, & post hanc gaudium, & delectatio. Quærimus; igitur vtrum omnia hęc, vel tantum illorum aliqua sint effectus causæ finalis?

Cognitio finis prima non est effectus causæ finalis.

3 Dico primo, prima finis cognitio non est effectus causæ finalis, quia vis causatiua non est effectus causæ, cuius est vis causatiua: sed cognitio illa prima est vis causatiua finis.

Reliquæ sunt dictæ causæ effectus.

4 Dico secundo, omnes actus consequentes illam cognitionem sunt effectus causæ finalis: quia omnes pendent ab illa cognitione, quæ est vis causatiua finis: ergo omnes sunt effectus finis: consequentia probatur: omne enim, quod pendet à virtute causatiua alicuius causæ, est vsque effectus talis causæ. Confirmatur non solùm media, sed etiam amor, & desiderium sunt gratia finis; tum quia conducunt ad finis consequutionem; tum quia ad illos actus mouetur volũtas à bonitate finis apprehensa; ideoque veræ sunt illæ loquutiones; finis amatur, intenditur propter finem, dependenter videlicet à motione finis.

5 Objicies primo, si amor est effectus finis; ergo respectu amoris erit causa finalis; quamuis nullus alius sequatur effectus. Concedo totum. Instabis: ergo primum medium erit amor finis. Nego consequentiam: medium enim est, quod cognitum eligitur in ordine ad cōsequutionem finis ex intentione eiusdem: amor autem, vel non cognoscitur, vel non eligitur ex intentione finis, quæ non præcessit. Cæterum non omnia, quæ amantur propter finem, sunt effectus finis, nisi fiant propter ipsum: si quis enim amet propter finem causam illius iam existentem, v. g. Deum; non ideo Deus erit effectus finis.

6 Instabis primo: ergo visio fit propter finem: nempe propter obiectum visum. Nego consequentiam: quia non procedit ex cognitione bonitatis, quæ est via causatiua finis, neque inclinat ad finis positionem.

7 Instabis secundo: amor finis non dicit ordinem ad media, neque est amor mediorum; ergo, &c. Nego consequentiam, quia adhuc est ex motione finis, & eius cognitione.

8 Objicies secundo, gaudium de fine iam possesso non est propter finem, neque enim per illud voluntas mouetur ad finem; sed potius in fine quiescit. Nego antecedens: ad rationem in contrarium dico voluntatem per gaudium moueri circa finem ex cognitione eiusdem; quamuis non moueatur ad finem acquirendum: primū autem sufficit, vt gaudium sit effectus finis, & eius gratia: cum præsertim illud gaudium iuuet, saltem nonnumquam, ad perseuerandum in fine possesso.

9 Objicies tertio. Ergo finis est effectus sui ipsius. Distinguo, pro eodem statu; nego: pro diuerso; concedo: hoc autem non est aliud, quam cognitionem bonitatis finis mouere alias potentias ad consequutionem eiusdem: in quo nulla est repugnantia.

SECTIO IV.

De causalitate causę finalis.

Cognitio bonitatis non est causalitas finis.

1 DE hac causalitate illa mihi videntur probabiliora: primo influxum hunc, & causalitatem non esse cognitionem bonitatis: quia causalitas non potest separari ab effectu: sed cognitio bonitatis finis potest separari ab effectu causæ finalis: ergo, &c. minor probatur: quia experimur nonnunquam posita tali cognitione nullum sequi actum voluntatis, quo finem

realem malè applicatam alteri: quia illud amo, quod cognosco: sed cognosco bonitatem fictam, & impossibilem: ergo verè amo bonitatem fictam, & impossibilem.

5 Sed notandum est causam debere existere secundũ esse, secũdũ quod causat: quare cum causa finalis causet secundum esse intentionale, non est necesse, vt existat realiter, sed sufficit si existat intentionaliter. Præterea finis, vt intentionaliter existens est primus, licet realiter sit vltimus: ergo secundum esse intentionale benè est causa, & principium: igitur non repugnat, quod sub diuersis hisce considerationibus sit simul principium, & finis, licet alio modo repugnet.

Finis metaphoricè causat.

6 Dico quarto, finem non esse causam realem, si causa realis sit illa, quæ influit per influxum à se physicè procedentem. Probatur causa finalis, dum causat, non realiter, sed solùm intentionaliter est: ergo non causat realiter per influxum, qui à se physicè existente, physicè procedat: tantùm igitur est causa moralis, metaphorica, & intentionalis, quia cognita eius bonitas allicit voluntatem ad sui amorem, & positionem tum sui, tum aliorum, his positis.

7 Difficultas est circa virtutem causatiuam finis; sita ne sit in cognitione bonitatis, vel in ipsa bonitate. Suppono autem finem non mouere, nisi cognitum, cum enim voluntas sit cæca, non potest ferri nisi in obiectum, quod illi ab intellectu proponitur, vt fusius dicam in libris de Anima. Quo posito.

Cognitio finis est vis causatiua finis.

8 Dico quinto, cum Patre Hurtado *disp. 13. de anima sect. 6.* & quibusdam Thomistis apud Suarium, & Auersam, quos inter alios sequitur Maurus *quæst. 16. de causa finali;* cognitionem finis esse virtutem causatiuam, non meram conditionem: probatur, quod mouet formaliter voluntatem ad amorem, & desiderium finis, est vis causatiua finis: sed cognitio sic mouet: ergo cognitio est vis causatiua finis. Maior probatur, in eo enim sufficienter saluatur vis causatiua finis: minor probatur: voluntas mota, & inclinata ad amorem finis, habetur formaliter à cognitione bonitatis: ergo id, quod mouet, & inclinat formaliter ad amorem finis est cognitio: illud enim, quod constituit voluntatem formaliter motam, & inclinatam ad amorem finis, est illud, quod mouet formaliter, & inclinat ad ad eũ amorẽ: antecedẽs probatur voluntas mota ad amorẽ finis, est effectus formalis realis, quem in nobis experimur; ergo habetur à forma reali: quæ non est nisi cognitio: certè talis forma non potest esse obiectum; quod vel implicat, vel non est.

9 Neque dicas vim causatiuam esse id, per quod voluntas finaliter obiectiuè mouetur, quod habetur à bonitate finis, non à cognitione; contra enim est, voluntatem, finaliter, & obiectiuè moueri, solùm est voluntatem moueri, & inclinari ad amorem finis: neque enim videtur, quid aliud sit, hoc moueri finaliter, & obiectiuè: hæc autem motio formaliter habetur per cognitionem, quæ se ipsa mouet ad illum amorem, non per bonitatem finis: hæc enim numquam adest; & aliquando est impossibilis. Confirmatur finis, mouet moraliter voluntatem suadendo, &c. Suasio autem formaliter est actus intellectus.

10 Obijcies primo, vis causatiua finis est ipse finis: sed cognitio non est finis; ergo non est vis causatiua finis. Nego maiorem: In reliquis causis vis causatiua non distinguitur ab illis: in causa tamen finali distinguitur: quia finis, quando causat, non est: sed tunc est eius vis causatiua: ergo vis causatiua in fine non est finis; quæ ratio non militat in alijs causis, quæ semper sunt quãdo causant. Confirmatur; in alijs causis vis causatiua est illarum existentia; ergo etiam in fine; sed existentia finis est intentionalis, nempè cognitio. Hæc igitur non est sicuti approximatio localis: quæ non mouet, sed purè applicat motiuum nempè agens ad passum: at cognitio se ipsa formaliter inclinat voluntatem ad amorem.

11 Obijcies secundo: ergo finis, seu bonitas non est causa, quia non habet vim causatiuã: Nego sequelam: licet enim non habeat vim causatiuam sibi intrinsecam, & identificatam, habet tamen sibi extrinsecam, quod sufficit ad hoc, vt denominetur causa, vt quod, sicuti ego denominor cognitus à cognitione extrinseca mihi, & agens ab actione item extrinseca. Aduerte, non quamcumque cognitionem esse virtutem finaliter causatiuam, sed tantùm bonitatis finis.

12 Obijcies tertio: cognitio non amatur; ergo non est finis; ergo non est causa finalis; ergo non est vis motiua finis. Nego vltimam consequentiam: licet enim cognitio non sit finis, neque causa finalis, constituit tamen finem potentem actu mouere, ac proindè constituit illam actu causam: quare finis independenter à cognitione non est causa, quia non habet vim causatiuam: non ideò tamen cognitio est causa finalis: sicuti independenter à colore obiectum non est coloratum, nec ideò color est coloratus, & independenter ab odio peccatum non est odio habitum, nec ideò ipsum odium odio habetur: sed constituit odio habitum.

13 Obijcies quarto: illud mouet voluntatem, cuius gratia cætera fiunt: sed bonitas finis est talis: ergo bonitas finis mouet voluntatem. Distinguo maiorem, illud mouet formaliter, cuius gratia cætera fiunt; nego: denominatiuè concedo: finis denominatur mouens à cognitione sui, quæ est forma mouens, & inclinans voluntatem ad amorem. Dicuntur autem omnia fieri gratia finis, non quia eius bonitas per se moueat ad amorem sui, & reliquorum; sed quia cognitio bonitatis talis est, vt dum proponit illam, inclinet voluntatem, ad illius, & mediorũ amorem.

14 Obijcies quinto, de ratione finis est, vt moueat non existens ad sui consecutionem: sed cognitio non est talis: ergo non est finis. Concedo consequentiam: neque enim consequens mihi aduersatur: cæterum distinguenda est maior

tur; finis mouet formaliter; nego: denominatiuè; concedo; eodem modo denominatiuè ſecundum illud eſſe mouet, quod, cum acquiritur, ſatiat appetitum.

15 Obijcies ſexto: ergo non ſolùm cognitio, ſed etiam amor eſt vis cauſatiua finis: quia non ſolùm cognitio inclinat ad amorem, ſed amor ad deſiderium, & ad electionem. Concedo totum: eſt tamen aliquod diſcrimen inter cognitioné, & amorem: quia cognitio eſt vis cauſatiua finis in ordine ad omnes effectus; ſi enim finis non cognoſcatur, nec amari poteſt, nec deſiderari, nec aliquid intendi propter illum: amor verò non eſt vis cauſatiua omnium effectuum; neque enim eſt vis cauſatiua ſui ipſius, quem plerique putant finis effectum. Præterea ſi ſine amore habeatur deſideriũ, hoc ſufficiens eſt ad mediorum electioné. Quæri hic poſſet, quænam cognitio requiratur ad motionem finis: verum de hoc fuſius in libris de Anima.

SECTIO TERTIA.

De effectibus cauſæ finalis.

1 IN motione finis poſſumus plura conſiderare, primo cognitionem, qua bonitas proponitur. Secundo, ſimplicem illius bonitatis amoré, quæ eſt quædã complacentia voluntatis in illo bono. Tertio, deſideriũ, ſeu potius ſpé boni, quę ſupponit poſſibilitaté illius apprahenſã, nec eſt ſine ordine ad media. Quarto, efficacé intentionem finis, quæ eſt efficax voluntas finis, & mediorum ad illum conſequendum. Ex hac intentione ſequitur in intellectu conſultatio, quæ eſt inquiſitio mediorum conducentium ad finem, & imperium, dictamen videlicet oſtendens, & declarans, hæc media adhiberi debere. Hos actus ſequitur electio mediorum, & imperium voluntatis, quod mouet potentias inferiores, vel etiam ipſam voluntatem ad poſitionem mediorum. Poſt hos actus, præcipuè imperium, ſequitur cognitio attingens illos, ac veluti denuncians dictũ voluntatis imperium, quam cognitionem nonnulli appellant imperium intellectus. Hæc cum ſupponat exercitam totam libertaté, & ab eius exercitio ſequatur, non poteſt libertati nocere. Verum de his actibus, quibus clauditur ordo intentionis, fuſius alibi dicam.

2 Ordinem intentionis ſequitur ordo exequutionis, motio videlicet potentiarum exequentium; & poſitio ipſa mediorum, ad quam ſequitur finis conſequutio, & poſt hanc gaudium, & delectatio. Quærimus; igitur vtrum omnia hęc, vel tantum illorum aliqua ſint effectus cauſæ finalis?

Cognitio finis prima non eſt effectus cauſæ finalis.

3 Dico primo, prima finis cognitio non eſt effectus cauſæ finalis, quia vis cauſatiua non eſt effectus cauſæ, cuius eſt vis cauſatiua: ſed cognitio illa prima eſt vis cauſatiua finis.

Reliqua ſunt dictæ cauſæ effectus.

4 Dico ſecundo, omnes actus conſequentes illam cognitionem ſunt effectus cauſæ finalis: quia omnes pendent ab illa cognitione, quæ eſt vis cauſatiuũ finis: ergo omnes ſunt effectus finis: conſequentia probatur: omne enim, quod pendet à virtute cauſatiua alicuius cauſæ, eſt verè effectus talis cauſæ. Confirmatur non ſolùm media, ſed etiam amor, & deſiderium ſunt gratia finis; tum quia conducunt ad finis conſequutionem; tum quia ad illos actus mouetur volũtas à bonitate finis apprahenſa: ideoque veræ ſunt illæ loquutiones; finis amatur, intenditur propter finem, dependenter videlicet à motione finis.

5 Obijcies primo, ſi amor eſt effectus finis; ergo reſpectu amoris erit cauſa finalis; quamuis nullus alius ſequatur effectus. Concedo totum. Inſtabis: ergo primum medium erit amor finis. Nego conſequentiam: medium enim eſt, quod cognitum eligitur in ordine ad cõſequutionem finis ex intentione eiuſdem: amor autem, vel non cognoſcitur, vel non eligitur ex intentione finis, quæ non præceſſit. Cæterum non omnia, quæ amantur propter finem, ſunt effectus finis, niſi fiant propter ipſum: ſi quis enim amet propter finem cauſam illam iam exiſtentem, v. g. Deum; non ideo Deus erit effectus finis.

6 Inſtabis primo: ergo viſio fit propter finem: nempè propter obiectum viſum. Nego conſequentiam: quia non procedit ex cognitione bonitatis, quæ eſt vis cauſatiua finis, neque inclinat ad finis poſitionem.

7 Inſtabis ſecundo: amor finis non dicit ordinem ad media, neque eſt amor mediorum; ergo, &c. Nego conſequentiam, quia adhuc eſt ex motione finis, & eius cognitione.

8 Obijcies ſecundo, gaudium de fine iam poſſeſſo non eſt propter finem, neque enim per illud voluntas mouetur ad finem; ſed potius in fine quieſcit. Nego antecedens: ad rationem in contrarium dico voluntatem per gaudium moueri circa finem ex cognitione eiuſdem; quamuis non moueatur ad finem acquirendum: primũ autem ſufficit, vt gaudium ſit effectus finis, & eius gratia: cum præſertim illud gaudium iuuet, ſaltem nonnumquam, ad perſeuerandum in fine poſſeſſo.

9 Obijcies tertio. Ergo finis eſt effectus ſui ipſius. Diſtinguo, pro eodem ſtatu; nego: pro diuerſo; concedo: hoc autem non eſt aliud, quam cognitionem bonitatis finis mouere alias potentias ad conſequutionem eiuſdem: in quo nulla eſt repugnantia.

SECTIO IV.

De cauſalitate cauſæ finalis.

1 DE hac cauſalitate illa mihi videntur probabiliora: primo influxum hunc, & cauſalitatem non eſſe cognitionem bonitatis: quia cauſalitas non poteſt ſeparari ab effectu: ſed cognitio bonitatis finis poteſt ſeparari ab effectu cauſæ finalis: ergo, &c. minor probatur: quia experimur nonnunquam poſita tali cognitione nullum ſequi actum voluntatis, quo finem

Cognitio bonitatis non eſt cauſalitas finis.

realem malè applicatam alteri: quia illud amo quod cognosco: sed cognosco bonitatem fictam, & impossibilem: ergo verè amo bonitatem fictam, & impossibilem.

5 Sed notandum est causam debere existere secundū esse, secūdū quod causat: quare cum causa finalis causet secundum esse intentionale, non est necesse, vt existat realiter, sed sufficit si existat intentionaliter. Præterea finis, vt intentionaliter existens est primus, licet realiter sit vltimus: ergo secundum esse intentionale benè est causa, & principium: igitur non repugnat, quod sub diuersis hisce considerationibus sit simul principium, & finis, licet alio modo repugnet.

Finis metaphoricè causat. 6 Dico quarto, finem non esse causam realem, si causa realis sit illa, quæ influit per influxum à se physicè procedentem. Probatur causa finalis, dum causat, non realiter, sed solùm intentionaliter est: ergo non causat realiter per influxum, qui à se physicè existente, physicè procedat: tantùm igitur est causa moralis, metaphorica, & intentionalis, quia cognita eius bonitas allicit voluntatem ad sui amorem, & prosecutionem tum sui, tum aliorum, his positis.

7 Difficultas est circa virtutem causatiuam finis; sita ne sit in cognitione bonitatis, vel in ipsa bonitate. Suppono autem finem non mouere, nisi cognitum, cum enim voluntas sit cæca, non potest ferri nisi in obiectum, quod illi ab intellectu proponitur, vt fusius dicam in libris de Anima. Quo posito.

Cognitio finis est vis causatiua finis. 8 Dico quinto, cum Patre Hurtado *disp. 13. de anima sect. 6.* & quibusdam Thomistis apud Suarium, & Auersam, quos inter alios sequitur Maurus *quæst. 16. de causa finali;* cognitionem finis esse virtutem causatiuam, non meram conditionem: probatur, quod mouet formaliter voluntatem ad amorem, & desiderium finis, est vis causatiua finis: sed cognitio sic mouet: ergo cognitio est vis causatiua finis. Maior probatur, in eo enim sufficienter saluatur vis causatiua finis: minor probatur: voluntas mota, & inclinata ad amorem finis, habetur formaliter à cognitione bonitatis: ergo id, quod mouet, & inclinat formaliter ad amorem finis est cognitio: illud enim, quod constituit voluntatem formaliter motam, & inclinatam ad amorem finis, est illud, quod mouet formaliter, & inclinat ad ad eū amorē: antecedēs probatur voluntas mota ad amorē finis, est effectus formalis realis, quem in nobis experimur; ergo habetur à forma reali: quæ non est nisi cognitio: certè talis forma non potest esse obiectum, quod vel implicat, vel non est.

9 Neque dicas vim causatiuam esse id, per quod voluntas finaliter obiectiuè mouetur, quod habetur à bonitate finis, non à cognitione; contra enim est, voluntatem, finaliter, & obiectiuè moueri, solùm est voluntatem moueri, & inclinari ad amorem finis: neque enim videtur, quid aliud sit, hoc moueri finaliter, & obiectiuè: hæc autem motio formaliter habetur per cognitionem, quæ se ipsa mouet ad illum amorem, non per bonitatem finis: hæc enim numquam adest, & aliquando est impossibilis. Confirmatur finis, mouet moraliter voluntatem suadendo, &c. Suasio autem formaliter est actus intellectus.

10 Obijcies primo, vis causatiua finis est ipse finis: sed cognitio non est finis; ergo non est vis causatiua finis. Nego maiorem: in reliquis causis vis causatiua non distinguitur ab illis: in causa tamen finali distinguitur: quia finis, quando causat, non est: sed tunc est eius vis causatiua ergo vis causatiua in fine non est finis; quæ ratio non militat in alijs causis, quæ semper sunt quādo causant. Confirmatur: in alijs causis vis causatiua est illarum existentia; ergo etiam in fine; sed existentia finis est intentionalis, nempè cognitio. Hæc igitur non est sicuti approximatio localis: quæ non mouet, sed purè applicat motiuum nempè agens ad passum: at cognitio se ipsa formaliter inclinat voluntatem ad amorem.

11 Obijcies secundo: ergo finis, seu bonitas non est causa, quia non habet vim causatiuā: Nego sequelam: licet enim non habeat vim causatiuam sibi intrinsecam, & identificatam, habet tamen sibi extrinsecam, quod sufficit ad hoc, vt denominetur causa, vt quod, sicuti ego denominor cognitus à cognitione extrinseca mihi, & agens ab actione item extrinseca. Aduerte, non quamcumque cognitionem esse virtutem finaliter causatiuam, sed tantùm bonitatis finis.

12 Obijcies tertio: cognitio non amatur; ergo non est finis; ergo non est causa finalis; ergo non est vis motiua finis. Nego vltimam consequentiam: licet enim cognitio non sit finis, neque causa finalis, constituit tamen finem potentem actu mouere, ac proindè constituit illam actu causam: quare finis independenter à cognitione non est causa, quia non habet vim causatiuam: non ideò tamen cognitio est causa finalis: sicuti independenter à colore obiectum non est coloratum, nec ideò color est coloratus, & independenter ab odio peccatum non est odio habitum, nec ideò ipsum odium odio habetur: sed constituit odio habitum.

13 Obijcies quarto: illud mouet voluntatem, cuius gratia cætera fiunt: sed bonitas finis est talis: ergo bonitas finis mouet voluntatem. Distinguo maiorem, illud mouet formaliter, cuius gratia cætera fiunt; nego: denominatiuè concedo: finis denominatur mouens à cognitione sui, quæ est forma mouens, & inclinans voluntatem ad amorem. Dicuntur autem omnia fieri gratia finis, non quia eius bonitas per se moueat ad amorem sui, & reliquorum; sed quia cognitio bonitatis talis est, vt dum proponit illam, inclinet voluntatem, ad illius, & mediorū amorem.

14 Obijcies quinto, de ratione finis est, vt moueat non existens ad sui consecutionem: sed cognitio non est talis: ergo non est finis. Concedo consequentiam: neque enim consequens mihi aduersatur: cæterum distinguenda est maior

tor; finis mouet formaliter; nego: denominatiuè; concedo; eodem modo denominatiuè secundum illud esse mouet, quod, cum acquiritur, satiat appetitum.

15 Obijcies sexto: ergo non solum cognitio, sed etiam amor est vis causatiua finis: quia non sola cognitio inclinat ad amorem, sed amor ad desiderium, & ad electionem. Concedo totum: est tamen aliquod discrimen inter cognitioné, & amorem: quia cognitio est vis causatiua finis in ordine ad omnes effectus; si enim finis non cognoscatur, nec amari potest, nec desiderari, nec aliquid intendi propter illum: amor verò non est vis causatiua omnium effectuum, neque enim est vis causatiua sui ipsius, quem plerique putant finis effectum. Praeterea si sine amore habeatur desideriū, hoc sufficiens est ad mediorum electioné. Quæri hic posset, quæ nam cognitio requiratur ad motionem finis: verum de hoc fusius in libris de Anima.

SECTIO TERTIA.

De effectibus causæ finalis.

1 IN motione finis possumus plura considerare, primo cognitionem, qua bonitas proponitur. Secundo, simplicem illius bonitatis amoré, quæ est quędā complacentia voluntatis in illo bono. Tertio, desideriū, seu potius spē boni, quę supponit possibilitaté illius apprehensā, nec est sine ordine ad media. Quarto, efficacē intentionem finis, quæ est efficax voluntas finis, & mediorum ad illum consequendum. Ex hac intentione sequitur in intellectu consultatio, quæ est inquisitio mediorum conducentium ad finem, & imperium, dictamen videlicet ostendens, & declarans, hæc media adhiberi debere. Hos actus sequitur electio mediorum, & imperium voluntatis, quod mouet potentias inferiores, vel etiam ipsam voluntatem ad positionem mediorum. Post hos actus, pręcipuè imperium, sequitur cognitio attingens illos, ac veluti denuncians dictū voluntatis imperium, quam cognitionem nonnulli appellant imperium intellectus. Hæc cum supponat exercitam totam libertaté, & ab eius exercitio sequatur, non potest libertati nocere. Verum de his actibus, quibus clauditur ordo intentionis, fusius alibi dicam.

2 Ordinem intentionis sequitur ordo exequutionis, motio videlicet potētiarum exequentium; & positio ipsa mediorum, ad quam sequitur finis consequutio, & post hanc gaudium, & delectatio. Quærimus; igitur vtrum omnia hęc, vel tantum illorum aliqua sint effectus causæ finalis?

Cognitio finis prima non est effectus causæ finalis.

3 Dico primo, prima finis cognitio non est effectus causæ finalis, quia vis causatiua non est effectus causæ, cuius est vis causatiua: sed cognitio illa prima est vis causatiua finis.

Reliquæ sunt dictæ causæ effectus.

4 Dico secundo, omnes actus consequentes illam cognitionem sunt effectus causæ finalis: quia omnes pendent ab illa cognitione, quæ est vis causatiua finis: ergo omnes sunt effectus finis: consequentia probatur: omne enim, quod pendet à virtute causatiua alicuius causæ, est verè effectus talis causæ. Confirmatur non solum media, sed etiam amor, & desiderium sunt gratia finis; tum quia conducunt ad finis consequutionem; tum quia ad illos actus mouetur volūtas à bonitate finis apprehensa: ideoque vera sunt illæ loquutiones; finis amatur, intenditur propter finem, dependenter videlicet à motione finis.

5 Obijcies primo, si amor est effectus finis; ergo respectu amoris erit causa finalis; quamuis nullus alius sequatur effectus. Concedo totum. Instabis: ergo primum medium erit amor finis. Nego consequentiam: medium enim est, quod cognitum eligitur in ordine ad cōsequtionem finis ex intentione eiusdem: amor autem, vel non cognoscitur, vel non eligitur ex intentione finis, quæ non præcessit. Cæterum non omnia, quæ amantur propter finem, sunt effectus finis, nisi fiant propter ipsum: si quis enim amet propter finem causam illam iam existentem, v. g. Deum; non ideo Deus erit effectus finis.

6 Instabis primo: ergo visio fit propter finem: nempè propter obiectum visum. Nego consequentiam: quia non procedit ex cognitione bonitatis, quæ est via causatiua finis, neque inclinat ad finis positionem.

7 Instabis secundo: amor finis non dicit ordinem ad media, neque est amor mediorum; ergo, &c. Nego consequentiam, quia adhuc est ex motione finis, & eius cognitione.

8 Obijcies secundo, gaudium de fine iam possesso non est propter finem, neque enim per illud voluntas mouetur ad finem; sed potius in fine quiescit. Nego antecedens: ad rationem in contrarium dico voluntatem per gaudium moueri circa finem ex cognitione eiusdem; quamuis non moueatur ad finem acquirendum: primū autem sufficit, vt gaudium sit effectus finis, & eius gratia: cum præsertim illud gaudium iuuet, saltem nonnumquam, ad perseuerandum in fine possesso.

9 Obijcies tertio. Ergo finis est effectus sui ipsius. Distinguo, pro eodem statu; nego: pro diuerso; concedo: hoc autem non est aliud, quam cognitionem bonitatis finis mouere alias potentias ad consequutionem eiusdem: in quo nulla est repugnantia.

SECTIO IV.

De causalitate causæ finalis.

Cognitio bonitatis non est causalitas finis.

1 DE hac causalitate illa mihi videntur probabiliora: primo influxum hunc, & causalitatem non esse cognitionem bonitatis: quia causalitas non potest separari ab effectu: sed cognitio bonitatis finis potest separari ab effectu causæ finalis: ergo, &c. minor probatur: quia experimur nonnunquam posita tali cognitione nullum sequi actum voluntatis, quo finem

prosequamur, sed potius actum auertentem ab illius prosequutione propter malitiam, vel difficultatem, quæ simul repræsentantur. Et quidē, saltem miraculosè, non video cur non cognitione, non possit à Deo impediri omnis sequena actus voluntatis, sicut impediuit ignem Babilonicum ne combureret pueros. Præterea hæc cognitio, vt vidimus, est vis causatiua finis: ergo non est actualis causalitas; consequentia patet, ex ijs, quæ diximus agentes de actionis distinctione.

2 Dices antecedenter ad omnem actum voluntatis habetur excitatio, qua finis inclinat voluntatem ad sui amorem; sed hæc excitatio est causalitas finis ergo antecedenter ad omnem actum voluntatis habetur causalitas aliqua finis; sed hæc causalitas præcedens non potest esse, nisi cognitio. Minor probatur, voluntas excitata est effectus finis: ergo excitatio voluntatis est causalitas finis. Nego minorem; ad probationem nego antecedens; voluntatem enim excitari, non est aliud, quàm inclinari ad finis amorem; hæc autem inclinatio non est à fine: est enim cognitio bonitatis, quæ per se ipsam, dum repræsentat bonitatem finis, inclinat formaliter ad amorem illius, & cum non procedat ab ipso fine mouente, & inclinante ad sui consequutionem, non est finaliter ab ipso fine; quamuis physicè procedat ab aliqua specie, quæ sit saltem impropria finis.

Eadem finis, ac aliarum causarum causalitas.

3 Secundo probabile est finem per eamdem causalitatem influere in suos effectus, per quam influunt in illos aliæ causæ. Probatur ex ijs, quæ diximus de causalitate agentis: finis non est respectu effectus causa omninò absolutè adæquata; ergo indiget ad suum influxum consortio aliarum causarum: ergo influxus finis pendet ab alijs causis, & est influxus illarum; aliter vel non esset actualis positio effectus, nec influxus; vel non essent necessariæ aliæ causæ; nam vel hic influxus procedens à solo fine est adæquatus, ac sufficiens, & sic non sunt necessariæ aliæ causæ; vel inadæquatus, & insufficiens, & sic potius esset vis causatiua, quàm actualis positio: quia si est inadæquatus, & insufficiens, non est necessariò connexus cum effectu; ergo non est vltima determinatio ad illius existentiam: ergo non est actualis positio: sed potius vis causatiua vlterius determinabilis, & determinatiua aliorum influxuum, si illa trahat, & exigat.

Causalitas hæc respicit essentialiter dictas cognitionē.

4 Tertio, effectus interni causæ finalis, actus videlicet voluntatis, & intellectus, qui tendūt tamquam in obiectum in finem, mihi probabile est, fieri per actionem dicentem intrinsecum ordinem ad cognitionem ipsius finis, vel ad aliam motionem finis: probatur ex ijs, quæ diximus: Deus, ex supradictis, dum concurrit ad amorem mediorum iuxta exigentiam motionis finis; iam concurrit ad illum actum amoris per decretum essentialiter diuersum ab eo, quo concurreret, si non poneres amorem mediorum, & illorum electionem ad talem exigentiam: hoc autem sufficit ex dictis de actione, vt actio, & causalitas, qua ponitur ille amor, sit diuersa, & addicta cognitioni, & motioni finis. Eadem proportionaliter est ratio de actibus voluntatis, respectu quorum diuersum est decretum Dei, quo Deus vult concurrere ad exigentiam huius intentionis, ac quo vult ad exigentiam alterius, &c.

5 Ex quo etiam saluari, quantum est ex hoc capite, posse videntur electiones quædam, quæ materialiter sunt ab aliquo fine, ab illo dependere; quia licet operans non intendat illum finem; tamen cum ille finis actu cognoscatur, & inclinet ad illas, fient cum quadam dependentia ab eo: quia Deus etiam concurrit ad exigentiam illius finis, & consequenter diuerso decreto, & actione: & hæc cohærent cum illis, quæ docet Quiros *disp. 55. sect. 3.* sed ego nihil certi de hoc affirmo.

6 Demum idem proportionaliter dici potest de actibus peccaminosis factis ob hunc, vel illum finem; Deum videlicet per decretum permissiuum præparare diuersum concursum ex diuersitate finium. Ex quibus patet aliquid fieri propter finem, non esse aliud physicè, quā fieri per causalitatem dicto modo annexam motioni finis. Et sanè quisque in se experitur quid sit operari propter hunc, & non illum finem; aliter propositis pluribus finibus, non posset homo recordari ex quo fine motus sit. Qui plura vult legat Quiros citatum.

7 Illud hic aduerto, causalitatem causæ finalis dici metaphoricam, moralem, intentionalem; non quia non sit vera, & physica entitas, sed quia finis non causat per suum esse; sed per suam cognitionem, quæ est esse metaphoricum, & intentionale rei: & quia inclinat ad actiones dependentes à voluntate, dicitur moraliter causare.

SECTIO V.

Quæ agentia agant propter finem.

1 QVatuor in quæstionem vocari possunt creaturæ intellectuales, de quibus pars affirmatiua est certa confirmata ex frequentissima experientia. Secundo Deus. Tertio Bruta; quarto demum reliqua agentia.

Quo modo Deus agat propter finem.

2 Dico primo, Deus non causat finaliter suos actus internos etiam liberos. Probatur actus Dei etiam liberi, sunt, quid increatum: ergo non fiunt propter finem, & sanè causa finalis non agit nisi mouendo causam efficientem ad positionem effectus; ergo quæ non possunt terminare causalitatem causæ efficientis, non possunt terminare causalitatem causæ finalis: sed actus Dei, quamuis liberi, non possunt terminare causalitatem causæ efficientis: ergo.

3 Quoniam vero, vt volunt nonnulli aliud est finis, aliud causa finalis; causa enim finalis est illud cuius gratia aliquod fit: finis vero est terminus in quem propter se tendit actus, sicut

aliud

aliud est obiectum, aliud causa obiectiua: & actus increati habent quidem obiectum, non causam obiectiuam; ideo operationes ad intra in Deo habent certè suum finem, in quem per se tendunt, non tamen causantur à fine.

4 Dices, Deus amat se ipsum, & alia propter se, & à sua bonitate mouetur ad amandas creaturas; ergo datur causa finalis Diuini amoris. Distinguo antecedens: Deus positiuè amat se ipsum propter se, per amorem dependentē à sua bonitate; nego: negatiuè; quia non amat se propter alia, sicuti dicitur esse à se, quia nō est ab alio; concedo: hoc autem aliud non est, quam Deum esse sibi sufficientissimum. Præterea Deus amat creaturas propter suam bonitatem: non quia diuina bonitas est causa diuini amoris erga creaturas; sed quia ipsa bonitas Dei est causa, & finis productionis creaturarum. Illæ autem loquutiones, Deus allicitur, mouetur ad amandum hoc, vel illud, sunt metaphoricę, & impropriæ ortæ ex imperfecto nostro modo concipiendi res diuinas.

5 Dico secundo, Deus operatur operationes ad extra, & sibi extrinsecas propter finem. probatur primo ex Scripturis *Prou. 6. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. Secundo, ratione: quia re vera Deus producit gratiam propter gloriam, & omnes creaturas propter suam bonitatem: ergo verè Deus exercet operationes ad extra propter finem. Et sanè Deus agens propter finem non agit, vt motus ab alio ad finem, seu etiam ab ipso fine, sed vt mouens, & agens alia ad suum finem: quod nullam dicit imperfectionem.

Bruta non operantur propter finem.

6 Dico tertio, Bruta propriè non operantur ꝓpter finē: est plurimorū præsertim Pallauicini pluribus in locis ex suis quęstionibus in primā secundę, vbi multa docet ad hanc rē dignissima; sed non vacat singula discutere, & afferre: contrarium, non improbabiliter defendit Arriaga *disp. 8. sect. 6.* Probatur bruta non cognoscunt proportionē mediorum ad finem, neque hoc esse per se appetibile, illud vero in ordine ad aliud; sed a quibusdam circumstantijs extrinsecis, & aliqua intrinseca mutatione propriarum qualitatum, & accidentium prius efficiunt hoc, deinde illud; ex quibus primum conducit ad secundum: ex quo male infertur, quod vnam appetant propter aliud, vel vnum ad aliud dirigant; neque enim concedenda est brutis causis, vt per iudicium quoddam diuidendo, & componendo res inter se, videant earum conuenientiam, & disconuenientiam: vndè potius hoc quam illud eligant. Ad finem autem, pro quo à natura instituta sunt, vt sibi victum quærendo, & conseruando speciem per generationem, seruiant homini, sufficit, si modo à nobis explicato operentur.

7 Vrgebis primo, auis dum colligit paleas ad construendum nidum, cogitat non solùm de paleis, sed etiam de construendo nido; & canis dum fame pressus, viso pane, mouetur ad illū, non solum cogitat de motu, sed etiam de pane; cum præsertim motus sit laboriosus, & repulsiuus. Respondeo, ad hos motus ita ordinatos bruta determinari naturali quodam modo ex instinctu naturę, & per motiones nouas qualitatum, & specierum; & quamuis cogitent, tum de motu, tum de comestione; non tamen vident vtilitatem vnius ad aliud; neque ex illa mouentur; & id accidit simili ferè modo, quo res insensatæ gradatim prius producunt vnum, deindè alium effectum. Quare in brutis vel non est admittenda potentia æstimatiua, vel huius potentiæ proprium, & essentiale non est, vt componendo, & diuidendo cognoscat conuenientiam, & disconuenientiam rerum.

8 Vrgebis secundo: Ouis non assueta lupo fugit; non fugit, si illi assuescat: ergo ouis cognoscit conuenientiam, & disconuenientiam lupi. Nego consequentiam: ex assuetudine enim relinquitur in oue species, quæ excitans cognitionem lupi præsentis illam determinat ad pacem, non ad fugam.

10 Vrgebis tertio: ergo bruta non operantur vitaliter, sed quodam instinctu naturali feruntur in obiecta, eo prorsus modo, quo res insensatæ. Nego consequentiam: bruta moueri cognitione, indè patet: quia modo fugiunt, modo amplectuntur idem obiectum: ergo ex diuersa cognitione determinantur ad hos contrarios actus. Neque enim aliundè assignari poterit determinatiuum actuum adeò oppositorum: ergo verè operantur vitaliter. Ex dictis autem patet, quod aues fugientes pluuias, non fugam capessunt ex praecognitione pluuiæ, sed ad eam determinantur ex commotione humorum.

11 Vrgebis quinto: amor finis est per nos effectus finis: ergo bruta operantur propter finem. Distinguo antecedens, amor finis aptus mouere ad electionem mediorum, & procedens ab eo, qui cognoscit proportionem mediorum ad finem, est effectus finis; concedo: qui non est talis, subdistinguo, est rigorosè effectus finis; nego: minus rigorosè concedo: bonitas à brutis cognita mouet illorum appetitum ad suā prosequutionem: ergo talis prosequutio est effectus talis bonitatis, idèoque hæc respectu illius amoris participabit rationem finis, sed minus rigorosam: quia non causat amorem aptum mouere ad electionem mediorum ex præcognitione proportionis mediorum ad finem.

Agentia insensata non agunt propter finem.

12 Dico quarto: agentia naturalia, & insensata non agunt propter finem: quæ enim carent omni prorsus cognitione, non agunt propter finem, neque enim se mouent in finem, sed potius aguntur ab alio in finem: sed agentia insensata carent omni prorsus cognitione: ergo.

13 Vrgebis primo, diuerso modo tendit sursū sagitta, ac ignis, illa ab extrinseca impressione, hic ab intrinseca virtute: ergo ignis, & quodlibet agens naturale habet finē, quē intendit. Confirmatur, quæ non temere, & casu agunt; operantur propter finē: sed agentia naturalia nō temere, & casu agunt: ergo. Minor probatur, ignis disponit per calorem, & siccitatem lignum, vt introdu-

cat in illud formam ignis: similiter planta, & arborea producunt frondes, & folia, vt fructus defendant ab iniurijs temporum. Confirmatur iterum ex Aristotele hic *tex*. 28. vbi reprehēdit Empedoclem asserentem, omnia casu fieri; quia viderat aliquando monstra; reprehendit autem hoc modo: si monstra dantur, quæ sunt peccata naturæ; ergo hæc habet suum finem determinatum, à quo dum exorbitat, iam peccat, producendo monstra; ergo non operatur casu.

14 Nego consequentiam aliud enim est finis, seu causa finalis, & operari ex fine, ad quod necessario requiritur cognitio proportionis mediorum; aliud habere virtutem intrinsecè determinatam ad aliquem effectum; hoc secundū conuenit causis naturalibus; non primum. Ad primam confirmationem, distinguo majorem, quæ non temere, & casu agunt, operantur propter finem, si cognoscant proportionem mediorum, &c. concedo: si id non cognoscant, nego. Agentia naturalia carent hac cognitione, & tantum sunt à natura determinata ad producenda plura, quorum vnum inseruit alteri, quod sufficit, vt non temere agant. Ad secundam confirmationem ex authoritate Aristotelis dico nomine finis intelligere philosophum terminum determinatum inclinationis naturalis causarū, à qua dum exorbitant ratione alicuius impedimenti, dicuntur peccare.

Quomodo finis est causa vniuersalis.

15 Dices iterum, finis est causa vniuersalis: ergo omnis effectus fit propter finem: ergo omne agens operatur propter finem. Distinguo antecedens: est causa vniuersalis, quia quælibet actio pendet ab aliquo fine intento ab agente supremo; concedo: quia quodlibet agens operatur propter finem; nego antecedens: & distincto eodem modo primo consequenti, nego secundā consequentiam. Illud autem dictum, finis est prima causa, solùm significat, concurrentibus omnibus causis simul cum finali, hanc esse reliquis priorem: prius enim est, quod agens cognoscat bonitatem rei, eaque cognitione moueatur: quam, quod aliquid producat.

SECTIO VI.

De causa exemplari.

Notio nominis.

1 IDea idem sonat, ac latinè forma. Triplex autem forma, seu actus potest hic considerari, prima est forma agentis, & est vis actiua, à qua aliquid formatur. Secunda est forma constitutiua rei, qualis est anima in homine. Tertia est forma ad cuius similitudinem aliquid formatur, & hæc est forma exemplaris, & idea. Iam vero primus, qui hoc nomine ideæ vsus est, teste S. Augustino *lib.* 83. *quæst. q.* 65. fuit Plato: refert autem idem Sanctus Doctor *q.* 47. tantam vim in eis posuisse veteres, vt nisi illis intellectis neminem sapientem esse putarent.

Definitio ideæ.

2 Definiri autem poterit idea ex S. Thoma *q.* 3. de veritate, *art.* 1. & 1, *p. q.* 15. *art.* 1. *est forma, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis sibi finem*. Dicitur primo, forma, dirigens, & suo modo determinans agens ad operationem, dum eius intellectum informat. Secundo, quam imitatur effectus: quia effectus debet esse similis ideę: est enim idea forma intellectualis dirigens artificem ad effectionem operis sibi similis. Tertio, ex intentione agentis determinantis sibi finem; quia si opus benè fiat, sed casu quodam fiat, non ex intentione artificis ad ideam respicientis, & operantis iuxta eius præscriptum; non dicitur effectus ideæ.

Dantur ideæ, tum diuinæ, tum creatę.

3 Ex his colligitur dari ideas: nam agentia naturalia differunt ab agentibus per intellectum: quia naturalia diriguntur, & determinantur ad suos effectus à forma naturali, quam intrinsecé à natiuitate obtinuerunt: intellectualia autem, & artificialia operantur directa á forma, quę in ipsis intelligibiliter residet, & saltē remotè determinat ad opus: artifex enim qui intendit conficere domum, habet pro fine domum: non potest autem habere illam pro fine, nisi illam præcognoscat: ergo artifex dum operatur præscribens sibi finem necessario operatur directus ab opere cognito, seu à cognitione operis faciendi: opus autem existens intelligibiliter in operante per cognitionem est idea. Agens igitur intellectuale nō solùm creatū, sed etiam increatū operatur ex idea, & dantur ideæ non solùm creatæ, sed etiam diuinę: nam etiā Deus præhabet in se intelligibiliter opus à se faciendum, cū illud perfectissimé præcognoscat in sua essentia.

Operari ex idea nō est imperfectio.

4 Ex quo secundo sequitur operari ex idea nullam dicere imperfectionem: aliter non posset conuenire Deo: & quamuis sit imperfectio necessitas respiciendi ad opus externum, vt quis formet in se ideas internas operum, quæ debet ponere: nulla tamen est imperfectio, sed potius summa perfectio habere à se, & in se ideas perfectissimas operum faciendorum: ad perfectionē enim agentis spectat operari extra se liberè, & ex perfectissima cognitione operis faciendi.

5 Iā verò quatuor possumus in idea cōsiderare, primo exemplar externum, ad quod sæpé respiciunt, qui operantur ex idea. Secundo cognitionem huius exemplaris externi. Tertio rem ipsam faciendam conceptam, vel in se ipsa, vel in aliquo sibi simili; neque enim necesse est (quin imo in creaturis est valdè difficile;) vt idem numero opus, quod concipitur, efficiatur: & hic dicitur conceptus obiectiuus. Quarto cognitionem huius operis faciendi, quæ dicitur conceptus formalis: quibus addi potest quintum, & est actus intellectus, quo quis aduertit ad ideā in se existentem, & sæpè illam veluti consulit, dum opus exequitur.

In quo sita est idea.

6 Quæritur igitur in præsenti, in quonam ex his consistat idea; loquimur autem præcipuè de idea creata, nam de increatis agunt Theologi; & primo quidem mihi videtur certum hunc vltimum actum, quo quis dum operatur, veluti consulit suam artem præcisè, prout est quædam

re-

reflexio ad præscriptum artis, & ideæ, non esse ideam: quia præcisè sub hoc conceptu supponit ideam. Secundo puto exemplar externum eiusque cognitionem non esse propriè ideam: quia si nullum sit opus externum, & nulla eius cognitio; adhuc res fit ex idea, & quidem perfectius, vt patet in Deo, qui perfectissimè operatur ex idea, nec tamen respicit ad opus externum. Solùm igitur difficultas est de tertio, & quarto. Et quidem nonnulli docent ideam sitam esse in vtroque conceptu, alij in solo conceptu obiectiuo: alij in solo conceptu formali, cum quibus.

Idea est solùs in conceptu formali.

7 Dico ideam formaliter sitam esse in solo conceptu formali: probatur idea non potest cõsistere in conceptu obiectiuo; ergo in solo formali: consequentia probatur, quia excluso cõceptu obiectiuo non remanet nisi solus conceptus formalis: antecedens probatur, conceptus hic obiectiuus, vel est ipsum opus faciendum, vel aliquid ab illo distinctum, illi tamen simile? Si primum præter quam, quod difficile explicatur, quo modo idem opus possit esse sibi simile, seque imitari, & causare: ex hoc sequitur in Deo ideas creaturarum esse ipsas creaturas, quæ cognoscuntur, quod tamen videtur esse cõtra Sanctum Dionysium qui c. 3. *de diuinis nominibus*, docet (*exemplaria esse rationes substantificas existentium, & singulariter præexistenter*) quæ omnia non videntur conuenire operi faciendo; benè tamen diuinæ cognitioni: & contra Sanctum Augustinum 11. *de ciuit.* c. 29. docentem, *in verbo Dei esse causas rationesque rerum, secundum quas factæ sunt, incomutabiliter permanentes*. Alia loca satis aperta lege apud Suarium *sect.* 1. *n.* 12. *disp.* 25. secundum dici non potest: neque enim necesse est, vt artifex operans ex idea, concipiat aliquod distinctum ab opere faciendo, sufficienter enim instruitur artifex per cognitionem eiusdem rei, quam debet operari.

8 Probatur secundo, idea est formalissimè ars: idem enim est operari ex idea, ac operari ex arte; sed ars non est opus artefactum, vel aliquid aliud obiectum intellectus, sed præcepta dictantia opus esse hoc, vel illo modo faciendum: ergo idea formaliter non est opus faciendum, vel aliquod aliud: sed præcepta dictantia, &c. quæ sunt formaliter actus intellectus. Quare dum quis operans ex arte sæpius consulit ideam, nihil aliud facit, quàm excitare in se viuaciùs cognitionea illas præceptiuas, & supra illas reflectare, per easque inhęrẽtes dirigi ad bonam operis constructionem: in quo toto negotio opus faciendum non est, nisi merus terminus cognitus, & effectus producibilis. Quod si ob id vis, opus faciendum vocare ideam obiectiuam; dicere etiam poteris illud, artem obiectiuam, me quoque, in negotio de nomine non multum repugnante.

9 Dices primo, idea est non solùm forma dirigens, sed etiam quam imitatur effectus: sed effectus non imitatur cognitionem, sed obiectum; ergo. Nego minorem: effectus enim dum ponitur talis, qualis præscribitur à cognitione, iam assimilatur cognitioni, illique conformatur: ergo illam imitatur: quarè non sunt diuersa realiter in idea illa duo prædicata, dirigere artificẽ ad opus, & esse formam, quam intentionaliter imitatur effectus.

10 Duo hic addo: primum est Aristotelem 9. *met.* c. 5. *t.* 22. docuisse exemplar esse illud, in quod artifex inspiciens operatur, sed propriè nomine exemplaris intelligit obiectum aliquod externum; hoc autem, si quis velit appellare ideam obiectiuam, & remotam non multum laboro. Secundum est, ideam, vt ita dicam completam, & adæquatam dicere non solùm cognitionem, qua cognoscitur opus faciendum; sed etiam illas alias, quæ ostendunt modum, quo fieri debeat, vt rectè fiat: quia sola prima cognitio non est sufficiens, vt quis possit absolutè operari ex arte.

11 Dices secundo: cur visio exemplaris externi non est idea, sicuti intellectio? Respondeo, quia non est apta dirigere ad opus faciendum, sicuti idea.

12 Dices tertio: *Ab arte*, inquit Aristoteles 5. *met.* *t.* 23. *fiunt, quorum formæ sunt in animatum*, explicat formam animæ sic; *formam autem dico id, quod est esse vniuscuiusque*. Respondeo, Aristotelem solùm voluisse, ea fieri ab arte, quorum formæ, idest essentiæ sunt in anima, hoc est cognoscuntur: quomodo autem probant aduersarij illas formas, quæ cognoscuntur esse per Aristotelem ideas, de quibus loquimur. Rursus benè, vt supra notabamus, cognitio potest dici forma, & esse intelligibile rei. Huic doctrinę non contradicit Quiros, vt patet consideranti, quæ ille habet *disp.* 58. *n.* 19. & 20. Neque Maurus *q.* 18. docens ideam vt quod, esse iectum, vt quo, cognitionem.

13 Ex his colliges ideas diuinas formaliter sitas esse in cognitione Dei, vt quam plures docent cum Vasquez: quia idea diuina est perfectissima similitudo rei ideatæ; perfectissima autem similitudo est imago rei; non quidem mortua, sed viua: ergo idea diuina formaliter est imago viua, quod idem est, ac cognitio: sicuti igitur diuina cognitio est intrinsecè vna simplicissima, respiciens omnia modo perfectissimo, licet à nobis distinguatur ex nostra imperfectione in plures; ita idea diuina est vna perfectissima, respiciens omnia ideata, sed tamen extrinsecè ex modo nostro imperfecto concipiendi distinguibilis in plures.

14 Circa causalitatem ideæ cohærenter ad principia supra posita, dico esse eamdem cum causalitate aliarum causarum; & dicere essentialem ordinem ad illam cognitionem directiuam: quia Deus effectum ponit etiam ad exigentiam illius cognitionis dirigentis.

Quæ ideę causalitas?

15 Iam verò, si idea comparetur ad intellectum, quem dirigit, spectat ad genus causæ formalis: non enim alio modo dirigit illum, nisi per informationem; si verò comparetur cũ effectu, qui fit ex idea; primo non est eius subiectum

Spectat ad genus causæ formalis, & efficientis.

iectum, neque causa materialis. Secundo non est forma intrinsecè illum constituens; cum resideat intrinsecè in solo Intellectu, licet possit dici forma illius extrinseca, quia saltem tribuit illi denominationem cogniti. Neque tertio est causa finalis: quia non inclinat ad sui acquisitionem: quamuis eadem cognitio, quę dirigit ad opus faciendum, dum simul proponit bonitatem illius, sit etiam vis causatiua finis, vt vidimus. Quare dicendum, quod spectat ad genus causæ efficientis: quia facit vnum cum artifice, quem dirigit ad opus faciendum, & cui subordinatur, & inseruit. Profectò ad idem genus causæ spectat causa principalis, & instrumentum. Neque dicas, non esse vllo modo causam: quia verè inclinat antecedenter ad positionem effectus præcontinens illud in se, intentionaliter tamen; & nō vt mera applicatio iuuat, sed cum quadam virtute dirigit.

Nonnulla corollaria. 16 Hinc infero primo, omnem ideam esse practicam, quia dirigit ad positionem operis ostendendo modum, quo fieri debet, & conuenientiam. Secundo ad operandum ex idea non requiri libertatem: quia præcisa libertate adhuc potest dirigere ad opus, quod artifex necessariò intendat posita ea directione. Tertio, ideam indiuiduorum dari quidem in Deo, qui perfectissimé comprehendit omnes rationes, etiam singularissimas, non ita facilè in creaturis, quæ ob suam imperfectionem nequeunt indiuiduales rationes attingere. Quarto demum, ea agentia agere rigorosé ex idea, quæ rigorosè agunt propter finem; est enim eadem ratio, vt patebit consideranti, quæ supra diximus: bruta igitur non nisi imperfectè operantur ex idea, vt patet in simia: quam nunquam concesserim reflectere supra suas cognitiones, & in id tendere, vt ponat opus, quale concepit.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De casu fortuna, & fato.

Definitur casus. 1 Casum, & fortunam distinguo à causa merè per accidens; quia causa per accidens non influit in effectum, sed tantùm accidentaliter coniungitur cum causis influentibus, vt dicebam. Casus autem verè, & per se influit in effectum; & dici, ac definiri potest, *Causa per accidens effectus rarò contingentis sine electione*. Dicitur primo, causa per accidens non ratione sui, sed ratione effectus: quia efficit per se aliquem effectum, ad quem per accidens id est, præter intentionem cuiuscunque operantis particularis, sequitur alius effectus, vt cum quis effodiendo terram, inuenit præter suam intentionem thesaurum; vel quando plures causæ non nisi per accidens coniunguntur, & præter intentionem cuiuscunque agentis particularis; sed coniunctæ infallibiliter trahunt hunc determinatum effectum; quare ly per accidens se tenet ex parte coniunctionis causarum, non ex parte connexionis causarum, iam coniunctarum cum effectu. Exemplum est fractio capitis Petri, dum ipse deambulat, cadente tegula à vento impulsa; certè per accidens coniunguntur simol illa vbicatio Petri, flatus venti, & lapsus lapidis; quamuis ijs positis necessariò sequatur fractio.

2 Fortuna differt à casu penes subiectum, quia tantum locum habet in agentibus liberis: dum enim homo v. g. aliquid operatur, aliud intendens; si incidat in effectum, quem non intendebat, ille dicitur effectus fortuitus, vt patet in allato exemplo inuenti thesauri. Et ideò fortuna solet definiri: *Causa per accidēs effectus rarò cōtingentis in agētibus propter finē, cū electione*. *Quid sit fortuna.* Patres damnantes fortunam, dico loqui aduersus gentes adorantes fortunā deam, à qua prouenire somniabant effectus fortuitos. Aduerto hic nullum effectum esse fortuitum respectu Dei, qui prænidet singula, & liberè vnit causas, videtque quid quæque factura sit in singulis circumstantijs. Quid quid igitur accidit, à Deo, vel ordinatur, vel præfinitur, vel permittitur.

3 Fatum, inquit Boetius 4. *de consolatione, prosa* 6. *est inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina prouidentia suis quęque nectit ordinibus*, & in hoc sensu nulla est in fato absurditas: est enim ordinatio diuinæ prouidentiæ, qua suauiter fortiterque disponens vniuersa, quæque sine vlla violentia, aut necessitate arbitrij creati perducit ad finē à se intentū: quo modo autē ordo infallibilis diuinæ prouidētiæ stet cum libertate creata, & quomodo ad id cōducat scientia conditionata, nō est huius loci. *Definitur fatum.* Fatū, quod damnant concilia, est Patres, est via quædā stellarū, quæ independenter à quocunque vsu libertatis cogeret homines ad has, vel illas operationes: vel decretum aliquod Dei omninó antecedens, quo agentia intellectiua necessitarentur ad suas operationes.

IN LIBRVM TERTIVM, ET QVINTVM Physicorum Aristotelis.

Definiuit Aristoteles l. 2. Naturam, *Principium, & causam motus*. Eodem libro multa docet de causis, de quibus nos fusè satis egimus. In hoc igitur tertio, & quinto libro inuestigat naturā, proprietates, & species motus, cuius causam fecerat naturam. Quia verò motus per ipsum constat partibus aliquo modo infinitis, hinc occasionem sumit agendi de infinito. Inhærentes igitur eius vestigijs, non pauca de motu in hac disputatione, plura de infinito in disputatione sequenti, ea, quæ poterimus clariate, Deo duce, dicemus.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De motu, eiusque speciebus.

SECTIO PRIMA.

Definitur motus.

1 A Deo euidens est, dari motū; vt Aristoteles apertè docuerit: Dari motum

chimæram esse probandum. Quinde quidem ratio [illegible] experientia instaurat, [illegible] per motum [illegible] [illegible] Philosophus 8. phys. [illegible] negantes motum reprehendit [illegible] quod, *Negare sensum experientiam [illegible] ratio contrariam evidenter non demonstratam, est infirmitas intellectus: Sicut infirmitas stomachi est non concoquere cibos.* Accedit [illegible] Sacræ [illegible] Scripturæ [illegible] Deum [illegible] qui solus est immutabilis [illegible] subiecta esse mutationi [illegible]

Datur motus.

Obijcies cum Zenone: Omne quod movetur non est in spatio sibi æquali; sed mobile semper est in spatio sibi æquali; ergo non movetur. Confirmatur: vel mobile movetur in spatio vbi est, vel vbi non est? non primum; quia per motum mobile debet relinquere spatium vbi est, & à quo recedit: non secundum; quia non potest quis moveri Romæ, vbi non est. Denique in instanti omne quod movetur, non est in spatio sibi æquali successive [illegible] est in spatio sibi æquali, & pro eodem instanti; nego: [illegible] mobile semper est in spatio sibi æquali, dum quiescit, vel pro singulis instantibus seorsim sumptis; concedo; dum movetur, & pro diversis instantibus; nego: mobile dum movetur simul, & pro eodem instanti est in loco sibi æquali; successivè autem, & pro diversis instantibus est in loco maiori sibi, dum aliam partem loci acquirit, & aliam relinquit. Ad confirmationem dico mobile moveri in spatio vbi est, quod primo acquirit relinquendo prius spatium: neque enim per motum sum in spatio priori, quod relinquo. Aliud argumentum Zenonis supponens ex sententia Aristotelis continuum esse divisibile in infinitum est ad hominem, & ferit potius illam divisibilitatem, quam existentiam motus. his positis.

3. Tres motus definitiones tradit Aristoteles primam hic lib. 3. cap. 2. t. 6. *Motus est actus eius, quod est in potestate, & quatenus tale.* Secundam t. 16. *Motus est actus eius rei, quæ vim habet, ut moveatur, quatenus eam vim debet.* Tertiam cap. 3. t. 23. *Eius quod agere, & pati potest, quatenus tale, motus est actus.* Ex quibus hanc definitionem communiter construunt Doctores, *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.* Et sensus est, Motus est actuale exercitium potentiæ activæ, & passivæ: per motum enim non solùm movetur & exercetur subiectum, sed etiam exercetur ipsum agens, dum movet; quod clare expressit Aristoteles t. 3. citato. Explicatur, & confirmatur, Quilibet actus, si est creatus, est ab agente, & eius actuale exercitium, & in casu nostro est etiam à passo; quia est actus entis in potentia, pro ut in potentia, quod non convenit agenti; quodlibet enim ex Aristotele agit, in quantum est in actu: sed passo, quod dicitur ens in potentia, quatenus in potentia, quia

Definitur motus.

& est capax motus, & fuit in potentia ad illum: præcessit enim cum eius carentia: moveri enim est, tam aliter se habere, ac prius; & consequenter nunc habere actum, quo antea res carebat: necessario igitur supponitur subiectum esse capax motus, & præcessisse cum eius carentia.

4. Illud autem hic advertendum puto, dupliciter aliquod posse nunc aliter intrinsecè se habere, ac prius, ac proinde mutari; primò per formam, quæ non sit perfecta, sed imperfecta, & via ad ponendam existentiam alterius; quia videlicet, ita de novo est in subiecto perficibili, vt constituat illud formaliter, a[illegible] ad existentiam alterius seu actu influens in existentiam illius, & huiusmodi est motus physicus hic ab Aristotele definitus: nam potentia propriè sumpta non præscindit à virtute influxiua in aliud; potentia enim respectu alterius non est, nisi posse illud, posse autem necessariò est vis causatiua, si absolutè, & sine addito proferatur; & sanè posse vniri cum alio non est posse illud, aliter materia posset animã rationalem, & hæc posset materiam; quia vtraque potest alteri vniri.

5. Secundò potest aliquod aliter se habere, ac prius; quia de novo intrinsecè perficitur per aliquam formam velut perfectam, & quæ non sit via, & acquisitio alterius, vt si absque vlla materiæ causalitate de novo illi vniatur aliqua forma, certè per hanc formam de novo vnitam mutatur materia; quia verè aliter se habet intrinsecè, ac prius: sed non movetur motu hic definito; quia per illam formam vnitam non [illegible] in formam, neque illa mutatio est motus; cum non sit actus entis in potentia rigorosè sumpta. Confirmatur allata doctrina: quia Aristoteles docuit, subiectum esse in potentia ad motum, quia est cum virtute, & potestate ad illum: & videtur confundere potentiam, virtutem, potestatem, quæ intelligi minimé possunt sine vi causatiua.

6. Ex dictis infero, per motum, neque agens, neque passum constitui in potentia, vt volunt nonnulli: actus enim, qualis est motus, non constituit rem in potentia, sed in actu ad minus imperfecto.

7. Dices: ergo si lignum successivè poneretur à Deo in pluribus partibus spatij v.g. per totum milliare, ita vt ne passive quidem concurreret ad illas vbicationes; non moveretur. Respondeo lignum tunc non moveri motu hic definito, licet communiter putaretur moveri, quia haberet illas vbicationes successivè existẽtes, quæ sunt effectus per motum producendus: Neque id mirum videri debet, cum Aristoteles non cognoverit huiusmodi casus miraculosos.

8. Ex quibus colligere quisque potest, motum formaliter includere actionem, & passionẽ: est enim actus agentis, & passi, vt docuit Aristoteles, qui supponens aliunde notum conceptum actionis, & passionis, sine vllo vitio asserit, quod motus includat vtrumque conceptum

Motus includit passionem, & actionem.

ptum identificatum in eodem exercitio.

9 Dices sola passio est motus; quia sola passio est alteratio subiecti: & sicuti vnio non includit formaliter duos conceptus, alterum vnionis veluti passiuę, alterum vnionis veluti actiuę; ita neque motus debet includere formaliter actionem, seu productionem actiuam. Respondeo quamuis sola passio possit præcisa authoritate Aristotelis dici suo modo motus; tamen si spectemus mentem Aristotelis, qui expresse docuit motum esse actum agentis, & passi, solam passionem non esse motum, nisi inadæquatum. Profecto, sicut productio passiua non est adæquata productio, ita neque adæquate motus. Et ratio est: quia motus non est quæcumque alteratio subiecti, sed absolute acquisitio termini; acquisitio autem termini absolute dicta, non est sola passio; aliter ad terminum sufficeret, saltem immediate, sola potentia passiua. Hinc patet ad confirmationem; vnio enim formaliter, vt vnio, non est absoluta passio termini, sed merus nexus duorum, in quo conceptu nullo modo ingreditur intrinsece actio agentis.

10 Hoc modo explicata definitio probatur: quia competit omni, & soli motui. Secundo manifestum est, omnem motum esse quemdã actum: id enim, per quod subiectum, quod ante erat in potentia, constituitur in actu, est actus; sed per motum subiectum, quod erat in potentia constituitur in actu; sic per motum calefactionis, subiectum, quod poterat calefieri, actu calefit. Rursus motus, cum non possit inueniri, nisi in subiecto, quod sit in potentia ad vlteriorem, & perfectiorem actum; est enim via ad aliũ terminum: est actus, non cuiuscumque entis, sed entis in potentia, pro vt in potentia; & supponit in illo potentialitatem, ac perfectibilitatem per illum vlteriorem actum.

11 Obijcies primo: inconuenienter per definitionem obscuram, qualis est præsens; definitur res clarissima, nempe motus. Respondeo, motum licet vulgariter omnibus notum, secundum quemdem conceptum confusum passim obuium, rudibus, & doctis communem; per allatam tamen definitionem, quamuis non ita obuiam, ideoque aliquo modo obscuriorem, bene explicari prædicata essentialia; quæ inuoluuntur in conceptu communi motus. Hac autem explicatione posita, quis neget perfectius motũ cognosci: non est igitur ea definitio vitiosa, aut inconueniens.

12 Obijcies secundo: non potest explicari verum tradita motus definitio competat vtrique motui, tum successiuo, tum instantaneo; vel alterutri. Respondeo competere vtrique; est autem instantaneus, qui vel nullas habet partes, vel si plures, illæ coexistunt, & simul sunt: successiuus, & habet plures partes, & vnam post aliam. Ratio responsionis est: quia vterque motus verè est actus entis in potentia, pro vt in potentia, modo supra explicato.

13 Neque verum est, quod authumant aliqui, per partem motus præsentem constitui mobile in potentia ad partes sequentes: tum quia, vt vidimus, non est de ratione motus constituere subiectum in potentia, sed esse actum entis supponentem illud in potentia, tum ad se, tum ad suum terminum: tum quia pars sequens motus non est terminus partis antecedentis; nam antecedens pars motus sufficienter terminatur per partem termini, quæ antecedenter per ipsũ acquiritur, v. g. pars antecedens calefactionis, per partem antecedentem caloris.

14 Instabis primo: loca Aristotelis, in quibus non videtur alium motum agnoscere, nisi successiuum. Respondeo in his locis, præcipuè *lib. 3. Physicorum*, non loquutum esse Aristotelem de motu in tota sua latitudine, sed tantum de vna eius specie.

15 Instabis iterum: si in hac definitione comprehenderentur motus instantanei, comprehenderentur omnes actiones spirituales hominum, & Angelorum. Respondeo verba allatæ definitionis posse bene conuenire actibus spiritualibus, sed non iuxta mentem Philosophi, qui eius tantum motus definitionem hic tradit, cuius in *lib. 2.* dixerat naturam esse principium, quod tantum conuenit motui sensibili, & physico.

SECTIO SECVNDA.

Quotuplex sit Motus.

1 ALia mouentur per se, alia per accidens, per se mouentur, à quibus immediatè oritur motus, vel quibus per se competit forma, à quo motus deriuatur: sic lapis per se mouetur deorsum, quia lapidi per se competit grauitas, ex qua oritur ille motus. Motus per accidens est, qui competit subiecto, de quo prædicatur, ratione alicuius formæ, quæ illi accidentaliter inest: vt cum dico musicus ædificat, ædificatio est motus per accidens respectu musici, vt musicus est, quia oritur ab arte ædificatoria, quæ omnino per accidens inest musico, vt musicus est.

Alius motus per se alius per accidens.

2 Possumus item cum Aristotele *lib.* 5. c. 2. distinguere quatuor species motus, ratione terminorum, à quo, & ad quem: videlicet de subiecto, in subiectum; de subiecto in non subiectum, de non subiecto in subiectum; de non subiecto in non subiectum. Nomine subiecti intelligit Aristoteles terminum positiuum, nomine verò nonsubiecti terminum negatiuum. Sensus igitur est, motum alium esse de termino positiuo à quo, ad terminum positiuum ad quẽ; alium de termino positiuo à quo, ad terminum negatiuum ad quem, vt cum aer ex lucido fit nõ lucidus: alium de termino à quo negatiuo, ad terminum ad quem positiuum; vt cum aer ex tenebroso fit lucidus, alium demum de termino à quo negatiuo ad terminũ, ad quẽ item negatiuũ, cuius speciei nullũ habemus indicium, & illã meritò reijcit, vt impossibilem Aristoteles.

Quatuor species assignatur ab Aristotile.

3 Distingui tertio potest motus quadrupliciter ratione termini ad quem positiui; alius

Est item ratione termini ad quem positiui quadruplex motus.

enim motus est ad substantiam, per quem producitur totum substantiale, & dicitur generatio: alius ad qualitatem, quo res fit altera, vt est productio caloris, & dicitur communiter alteratio; alius ad quantitatem, quo res augetur acquirendo nouam partem quantitatis, & dicitur augmentatio; alius demum ad locum, quo videlicet acquiritur nouus locus, & vbicatio, & dicitur latio.

Quomodo ad substantiam non detur motus;

4 Illud hic aduerto, Aristotelem *lib. 5.* præcipuè *cap. 3.* agere de quadam specie motus, quæ subiectum simpliciter, hoc est iuxta mentem Philosophi, substantia completa, quæ simpliciter, & absolutè dicitur subiectum, transit de vno extremo ad aliud; in productione autem substantiali substantia completa non transit de vno extremo ad aliud, sed corrupta vna, producitur alia; quare meritò Aristoteles negat ad substantiam dari motum, hunc videlicet, de quo loquitur *cap. 3. cit.*

5 Rursus ibidem negat Aristoteles motum ad reliqua prædicamenta præter enumerata quantitatis, qualitatis, & vbicationis: actio enim, & passio sunt ipse motus, habitus, & situs non distinguuntur ab vbicatione; de relatione autem ratio esse potest: quia est quidam conceptus fundatus in reliquis prædicamentis, ab illis resultans; quare sufficit, si per se detur motus ad reliqua prædicamenta; demum duratio non est nisi quidam motus fluens.

Motus alius est per se, alius per accidens successiuus.

7 Cæterum ex motibus successiuis alij sunt per se successiui, quorum nimirùm partes nequeunt simul esse, vt sunt productiones successiuæ durationum: sicuti enim durationes non possunt simul esse, ita neque illarum productiones. Alij sunt per accidens successiui, quorum partes licet successiuè ponantur vna post aliam; possunt tamen simul poni: quia earum terminus potest simul existere: vt cum successiuè producitur calor, cuius partes possunt coexistere.

SECTIO TERTIA.

Vnde desumenda sit varietas specifica motuum, & actionum.

1 CErtum est motum intrinsecè specificari per suam entitatem: sicuti enim habet sibi identificata hæc prædicata indiuidualia, ita habet etiam sibi identificata prædicata specifica, & generica. Solùm igitur quærimus nunc principium extrinsecum, vndè in motibus, & actionibus deriuetur specifica diuersitas.

2 Suppono autem, actionem creatiuam tantùm dicere essentialem ordinem ad agens, & terminum productum; motus autem non solùm essentialiter respicit terminum, & agens, sed etiam passum. His positis.

Creatio solū specificatur ab agēte, & termino.

3 Dico primo, actionem creatiuam specificari à termino, & ab agente. Probatur: quia ex vna parte non est aliud caput, vnde diuersificetur: quia non dicit ordinem essentialē, nisi ad agens, & terminum: ex alia verò diuersū specie agens, & diuersus specie terminus fundant in ordine illo essentiali prædicatum specificum respectiuum essentialiter, & notabiliter diuersum; nam prædicata respectiua non aliundè specificantur, & diuersificantur, nisi ex diuersis terminis, quos respiciunt; quæ doctrina vera est, quamuis actio creatiua non sit, nisi à Deo: quia semper stat, quod per specialem ordinem ad Deum, actio creatiua habet speciale prædicatū. Cæterum ex parte agentis puto venire etiam decretum, & motiuum; quare cum possit idem effectus creari propter diuersa motiua, & per diuersa decreta, etiam ex hoc capite possunt specificari, & diuersificari actiones creatiuæ.

4 Neque dicas, actiones creatiuas posse diuersificari etiam ex diuerso modo tendendi: non enim facilè explicari potest, quo modo creationes diuerso modo tendant in suos terminos.

Motus specificatur ab agente subiecto, & termino.

5 Dico secundo, motum, & consequenter actionem eductiuam, quæ simul est actio, & passio specificari ab agente, subiecto, & termino causato, ita ut illi motus, qui respiciunt terminos, agentia, & subiecta specie diuersa, specie inter se differant. Probatur, motus habet sibi identificatum ordinē transcendentalem ad agēs, passum, & terminum; ergo diuersitas specifica agentis, vel termini, vel subiecti sufficit diuersificare specie illum ordinem, & consequenter motum eidem identificatum.

6 Aduerto hic posse euenire casum, in quo idem non solùm specie, sed etiam numero motus respiciat plura agentia etiam specie diuersa, sicuti etiam plures terminos specie item diuersos: solùm igitur affirmo duos motus, quorum alter respicit terminum, vel principium specie diuersum à termino, vel principio, quod respicit alius, specie inter se differre.

7 Aduerto secundo, Aristotelem aliquando dixisse, omnes dealbationes esse eiusdem speciei: sed vel locutus est de illis, quæ procedunt ab eodem principio: vel loquitur negatiuè: quia non differunt specie ex ordine ad terminos.

8 Aduerto tertio, aliquos motus, præsertim intentionales non specie differre ex prædictis capitibus, sed ex diuerso modo tendendi in suum terminum, vt apprehensio, & iudicium, amor, & desiderium: quamuis vt verum fatear semper in his casibus, est mihi probabile, intercedere diuersum obiectum.

Vnde motus numerica diuersitas.

9 Quo ad diuersitatem numericam, primo certum videtur, diuersitatem subiectorum loco distantium arguere diuersitatem numericam motuum, sicuti id etiam præstat diuersitas temporis, idem enim motus non potest esse in duobus locis, & si in prima hora calefactio se extendit ad calorem a, non potest eadem in secunda hora, se extendere ad calorem b. Hæc sunt capita magis certa dignoscendi diuersitatem numericā motuum: alia capita prætermitto, quia non sunt fortasse ita certa.

10 Dices primo, omnes albedines sunt eiusdem speciei; & tamen admissa serie, quam non defendimus, vna albedo est addicta vni causæ,

altera alteri. Respondeo, albedinem hanc non esse addictam huic causæ præcisè, & ratione sui, sed vt conuestitę circumstantijs, loci, & similibus, quæ tantùm á natura ordinantur ad cognitionem diuersitatis numericæ, & ideò non differunt specie: quæ ratio non militat in actionibus. Quinimó fortassè non albedo est addicta illi complexo, sed complexum est exactiuum huius albedinis: nec aliud nos supra docuimus.

11 Dices secundo, sigillum aureum, & argenteum non differunt specie in ratione sigilli: nec calefactio procedens à sole differt specie ab illa, quæ procedit ab igne. Nego secundam partem; ad primam dico iuxta habita in logica illa sigilla differre specie physica, quamuis moraliter, & quoad vim significandi habeant eumdem valorem.

12 Dices tertio, motus canis é turri proiecti, qui moritur in aere, idem est in principio, fine, & medio; licet varietur subiectum: ergo motus non variatur ad variationem subiecti. Confirmatur Aristoteles hic *lib 5. text. 23.* docet. *Eodem motu citharędi moueri primam, & vltimam cordam, quamuis cordæ sint specie diuersæ*. Respondeo, si motus causetur à forma canis, vel in illa subiectetur, motum non futurum eumdem in principio, ac post medium: erit autem idem, si causetur á grauitate, & subiectetur in quantitate, vel materia, quæ perseuerant eadem. Ad confirmationem dico Aristotelem solúm voluisse motum manuum, non cordarum esse eumdem.

13 Dico tertio, motus per se, & directé non diuersificatur specie ex termino à quo: ratio est, quia per se, & directè motus secundum suum esse positiuum, non respicit essentialiter suum terminum à quo, siue hic terminus à quo sit carentia, siue conceptus aliquis positiuus: nam independenter à termino à quo habentur omnes causæ motus, considerati secundum suum esse positiuum, quatenus est productio huius termini ab hoc agente, & in hoc subiecto. Dixi primo per se, & directè, quia si diuersitas termini à quo connectitur cum diuerso decreto Dei, vtique motus debet diuersificari ex diuersitate termini à quo; quia cum dicat, iuxta supradicta, essentialem ordinem ad decretum Dei; debet vtique esse diuersus pro diuersitate decreti; ac proindè etiam indirectè, ac veluti per accidens, idest ratione alterius pro diuersitate termini à quo. Dixi secundo secundum esse positiuum: quia si motus sumatur concretiué, prout est mutatio, transitus, & transmutatio: sicuti includit etiam terminum à quo, vt formaliter verificetur, nunc est hæc actio in subiecto, ante non erat, vel erat alia actio; ita variatur intrinsecé, & quidem formaliter, & immediaté ad variationem termini à quo; ad variationé enim concreti sufficit variatio vnius partis; sic diuersum concretum secundum speciem est, homo albus, ac niger: quia licet illa concreta conueniant in subiecto, differunt in formis.

14 Dices, motus rectus, & circularis, quamuis tendant in eosdem terminos, differunt specie; non, nisi ex termino à quo: ergo. ℞ Distinguo maiorem, differunt specie physica; nego: mathematica; concedo: tum nego absolutè minorem; differunt specie mathematica, quia constituunt diuersas figuras, quod accidit motibus; non physica, quia non respiciunt diuersa principia, & terminos, vnde hauriant diuersas entitates: nisi velis differre specie ex diuerso modo tendendi; sicuti per nonnullos differunt appræhensio, & iudicium. Cum his autem benè cohæret, motum lapidis sursum differre specie à motu lapidis deorsum: quia saltem habent diuersa principia; idem esto iudicium de motu ab albo in nigrum, & de motu à fusco item in nigrum, si respiciant diuersos terminos, & principia.

15 Quæres hic obiter: vtrum idem possit simul moueri duobus motibus contrarijs? Respōdeo negatiuè: si enim illi duo motus simul naturaliter sunt in eodem subiecto, iam non sunt cōtrarij: contraria enim se mutuo expellunt ab eodem subiecto.

16 Dices, cum quis magno impetu tendit in occidentem, & manum mouet versus orientem, eadem indiuisibilis anima mouetur tota versus occidentem, & tota versus orientem, qui sunt motus contrarij; idem euenit, cum quis à prora in puppim mouetur, dum nauis fertur versus orientem; idem si formica sursum feratur, dum rota, cui adhęret, deorsum voluitur.

18 Nego in his casibus haberi duos motus contrarios; & anima quidem non acquirit duas vbicationes adæquatas, sed inadæquatas; plures autem vbicationes inadęquatæ non pugnant inter se: quia vna relinquit locum alij. Quod si anima vbicetur vbicatione indiuisibili; stantibus diuersis motibus manus, & reliqui corporis; in anima producitur vna indiuisibilis vbicatio, qua correspondet toti illi loco; & quo ad rem præsentem materialiter se habet, quod vbicatio animæ, qua in eo casu occupat totum illud spatium, sit diuisibilis, vel indiuisibilis. Ad secundum de motu hominis in naui dico, in eo casu vel hominem non moueri versus orientem, aut occidentem; si nimirum impetus, quo fertur nauis, & impetus, quo ille ferri conatur in partem oppositam, sint ęqualis virtutis; quia neuter vincit alium: quare homo ille in dicto casu tantum exercebit motus quosdam saltationis, quo nunc attollit, nunc deprimit pedes in eodem loco; vel si impetus sunt inæquales, mouebitur homo versus eam partem, quò fert impetus maior, sed motu procedente suo modo ab vtroque impulsu: quia vnus impetus, licet maior, non tamen vincit totaliter minorem: ergo ad illum motum vterque confert vim. Idem dico ad casum de formica.

† † † † †

DISPVTATIO XIII.

De Infinito.

TErmania vndique circumſcriptus, ab infinito lubens abſtinerem, ſi id mihi vſus permitteret.

SECTIO PRIMA.

Definitur, & diuiditur infinitum.

Infinitum, quod caret fine.

1 INfinitum vniuerſaliſſime ſumptum ex conceptu, quem de ipſo formant omnes, qui terminos, vel rudițer intelligunt, benè definiri poteſt, *quod caret fine*: quid ſit autè carere fine, ſunt termini ſatis aliundè noti, & fortaſſe clariùs non explicabiles. Solùm addo, quod carere in allata definitione, non ſumitur pro defectu, & excluſione entitatis; ſed pro abundantia, & incluſione entitatis, & eſſe, quod tale, ac tantum ſit, vt excludat finem, & terminum: quare terminus, & finis hic ſumitur, non poſitiuè pro aliqua perfectione, quæ terminet, & vltimo conſtituat, ac perficiat rem aliquam; ſed negatiuè pro excluſione perfectionis, & entitatis. Hæc faciliùs intelligentur ex diuiſionibus infiniti, quas iam trado.

Et eſt aliud eſſentialiter, aliud accidentaliter infinitum.

2 Hoc igitur modo explicatum infinitum, aliud eſt ſecundum eſſentiam, vel eſſentialiter infinitum; aliud veluti per accidens, ſeu accidẽtaliter infinitum. Secundum eſſentiam infinitum eſt, cuius eſſe caret fine: eſſentia enim dicitur ab eſſe, vt bene docet S. Auguſtinus, illud igitur eſt ſecundum eſſentiam infinitum, quod ſecundũ proprium eſſe caret fine: illud videlicet cuius eſſe non habet finem.

Infinitum ſecundum eſſentiã eſt indiuiſibile.

3 Ex quibus apertè colligitur, infinitum ſecundum eſſentiam, debere eſſe aliquod indiuiſibile, & omninò ſimplex: quod in ſuo intrinſeco, ac ſimpliciſſimo conceptu includat eſſe ſine fine, & excludat omnem defectum eſſendi: ratio eſt: quia omne compoſitum, quacumque compoſitione, ſiue accidentali, ſiue integrali, ſicuti eſt ens imperfectum, & creatum; ita infinitè recedit à ſummo eſſe, & ſumma eſſendi perfectione: ergo infinitè recedit ab infinito ſecundum eſſentiam, ſeu ab ipſo eſſe infinito: ergo non poteſt eſſe ſecundum eſſentiam infinitum: prima conſequentia probatur: quia certum eſt ſummũ eſſe, & ſummam eſſendi perfectionem, quæ excludit omnem finem, & terminum eſſendi; eſſe infinitum ſecundum eſſentiam: ergo, quod infinitè recedit ab illo ſummo eſſe, infinitè recedit ab infinito ſecundum eſſentiam; & potius in ſuo eſſe ſibi intrinſeco eſſentialiter includit carentiam eſſe infiniti, de quo conſtat, quod ſit infinitum: ergo abſolutè eſt ſecundum eſſe omninò limitatum, & finitum: quod enim excludit à ſe infinitum eſſe, vel abſolutè non eſt, vel non habet eſſe, niſi limitatum; hoc eſt circumſcriptum maximo fine, & termino.

4 Dices, non dari tantum vnum eſſe illimitatum, ſed præter illud eſſe illimitatum ſimpliciſſimum, ac ſummum, qui eſt Deus Optimus Maximus, excogitari poſſe alia eſſe illimitata, & carentia fine. Sed contra: quia hæc alia, quæ tu appellas eſſe illimitata, & infinita, ratio facta oſtendit, eſſe maximè limitata, & finita; vtpotè ob ſuam imperfectionem excludentia illud eſſe illimitatum, idque per infinitum receſſum ab illo: quod eſt habere maximum terminum ſecundum eſſe, & eſſe maximè limitatum, & finitum, ſeu vndique finibus, ac terminis circumſcriptum in eſſentia.

Quælibet perfectio creata eſt finita in ſua eſsẽtia

5 Colligitur ſecundo: quæcumque perfectionem creatam, quamuis in ſua eſſentia perfectiſſimam, eſſe tamen ſecundum eſſentiam, ſeu eſſentialiter intrinſecè finitam: quia quantumuis perfectiſſima, infinitè recedit ab eſſe illimitato, & infinito: ergo adhuc retinet eſſentiam, & eſſe finitum. Neque habet hic locum illorum ſpeculatio, qui aſſerunt, illam futuram eſſentialiter infinitam in ſuo genere: nam qui ita diſcurrit, aſſumit propoſitionem veluti complexam, cuius vna pars deſtruit neceſſariò aliam: quia ly in ſuo genere, dicit excluſionem ſummi eſſe, & infinitum ab illo receſſum: quod eſt eſſe, & eſſentiam eſſe finitam; quod neceſſario deſtruit, vtpotè contradictoriè illi oppoſitum, infinitatem eſſentialem, & eſſe eſſentialiter infinitum, quæ eſt altera pars illius propoſitionis. Vbi notandum diligenter eſt, non eſſe infinitum ſecundum eſſentiam illud, quod includit totam perfectionem ſuæ ſpeciei, vel generis: nam quilibet homo includit totam perfectionem ſpecificam ſuæ ſpeciei; & de quolibet homine verificatur, quod nihil eorum, quæ ſpectant ad conſtitutionem hominis, illi deeſt: nec propterea quilibet homo eſt eſſentialiter infinitus; quin imò quodlibet indiuiduum continet omnia, quę neceſſario ſpectant ad conſtitutionem ſui eſſe indiuidualis; neque tamen eſt eſſentialiter infinitum in eſſe indiuiduali: quia videlicet eſt aliundè finibus, & terminis circumſcriptum, & infinitè recedit ab eſſe illimitato, & infinito.

6 Inſtabis ſapientia Diuina eſt eſſentialiter infinita, & tamẽ non includit formaliter eſſe ſine limitatione; aliter ſapientia Diuina formaliter eſſet ęternitas, & omnis alia perfectio diuina, quod videtur falsũ. Reſpondeo, ſapientiã diuinam, ſecundum ſuum eſſe intrinſecum, & ex parte obiecti, ac realiter includere eſſe illimitatum, & eſſe omne eſſe, & omnem perfectionem, excluſis omnibus, & ſingulis imperfectionibus, & defectibus eſſendi: ergo intrinſecè, & realiter eſt eſſentialiter infinita. Non negauerim poſſe noſtrum intellectum ex ſua imperfectione concipere, veluti inadæquatè ipſam diuinam Sapientiam; concipiendo videlicet Deum, vt ſapientem, cum præciſione ab alijs prædicatis: quia videlicet concipit Deum per reſpectum ad connotata ſapientiæ creatę, & non per ordinem ad connotata potentiæ creatæ, creatæ durationis, &c. iuxta ea, quæ fuſiùs diximus in logicis agentes de præciſionibus; & dicam Deo dante prima parte cum de ſimplicitate diuina. At in

hoc etiam casu Sapientia diuina intrinsecè est omne esse excludens omnem defectum essendi: solùm imperfectio est in modo nostro concipiendi, qui vtporè inadæquatus, non concipit adæquatè ipsam Sapientiam; ac proindè non explicitè exprimit illam, vt continentem omne esse, sicuti est: hoc autem solùm infert, hunc nostrũ actum non esse actum perfectissimum, qui versari potest circa diuinam Sapientiam, nec formaliter exprimere illam, vt essentialiter infinitam: quod nihil præiudicat allatæ doctrinæ; neque modi concipiendi imperfecti nostræ mentis debent esse regula decidendi quæstiones spectãtes ad rerum intrinsecas perfectiones.

7 Hinc in forma ad argumentum, distinguo assumpti secundam partem, & tamen non includit intrinsecè omne esse; nego: extrinsecè transeat: & distinguo, quod additur in contrarium: aliter Sapiẽtia intrinsecè esset æternitas, & omne aliud attributum diuinum; concedo: extrinsecè; nego: neque enim actus noster, quo formaliter exprimitur diuina Sapientia, est actus, quo formaliter exprimitur infinitas essentialis, aut æternitas. Vbi aduerto, quod Sapientia formaliter, vt diuina, dicit intrinsecè omne esse: & qui concipit Sapientiam vt diuinam, necessarió debet illam concipere, vt excludentem omnem essendi defectum, & identificatam cum omni perfectione.

Quid sit accidentaliter infinitum.

8 Accidentaliter infinitum, prout contradistinguitur ab essentialiter infinito, est, quod licet secundum esse sit limitatum, habet tamen aliquod prędicatum, quod & accidat esse rei, seu essentiæ, & careat fine. Et hæc infinitas excogitari potest, quod conueniat rebus quantis, ratione videlicet extensionis, intensionis, aut numeri carentis fine.

9 De hoc accidentaliter infinito loquitur Aristoteles hic: agit enim de infinitate, quæ reperiri potest in rebus corporalibus, & in ipso motu, qui potest in infinitum extendi. *Et tex. 62. & 63.* definit illud, *Cuius semper est aliquid extra*: quod videlicet tale est, vt abstractis ab illo partibus pluribus, ac maioribus, & maioribus semper tamen finitis, semper remanent aliæ accipiendæ: profectò, quod est huiusmodi, caret vtique fine in numero, extensione, vel intensione. In hoc sensu infinitum per accidens habet transitum inconsummabilem, quia successiué percurrendo nunquam potest totum exhauriri, & ad vltimum perueniri; quæ non habent locum in infinito secundum essentiam, quod caret partium multitudine, nec potest successiué pertransiri, aut aliquid ab eo successiué detrahi.

10 Dices: si concipiamus aliquam sapientiam creatam, v. g. ita magnam, vt excedat omnem aliam sapientiam creatam, eamque in se contineat; poterit, iuxta definitionem Aristotelis iam traditam dici absoluté infinita secundũ essentiam, & perfectionem: quia ex illa possent saltem per intellectum extrahi plures, & plures gradus sapientiæ perfectiores, & perfectiores sine fine; ergo veré esset Sapientia essentialiter infinita, & essentialiter infinitè perfecta, quamuis non includeret omne esse, neque excluderet omnem essendi defectum: sicuti diuina Omnipotentia, quamuis formaliter non includat alia attributa; est nihilominus essentialiter infinita in gradu potentiæ, quia potest plures, & plures effectus perfectiores, & perfectiores sine fine producere: ac proindè ex nostro modo intelligendi est talis, ex qua possint extrahi plures, & plures potentiæ perfectiores, & perfectiores sine fine: si autem hoc modo procedamus primo definitio Aristotelis, *Cuius semper est aliquid extra*, est vniuersalissima, & applicari commodè potest infinito secundum essentiam, secundo iam ad infinitum secundum essentiam non requiritur, vt excludat omnem defectum essendi.

11 Respondeo primo, illam creatam Sapientiam non posse, ita concipi, vt & excedat omnes alias possibiles sapientias creatas, & illas in se adæquatè contineat, tamquam principium illarum saltem eminenter adæquatum, quod possit se solo illas ponere, vel saltem præcontineat adæquatè in sua virtute omnes illarũ causas, quas possit se solo producere: hoc enim modo illa à te excogitata sapientia non indigeret, quo ad ponendas alias sapientias auxilio alterius principij superioris, & extra se positi: quod pugnat cum conceptu sapientiæ creatæ; & est proprium solius sapientiæ increatæ: ergo falsò assumit aduersarius, quod illa Sapientia creata præcontineat omnes perfectiones aliarũ inferiorum, exclusis imperfectioribus, & defectibus: si enim eo modo contineret, non esset cur non posset esse illarum causa, saltem eminentialiter adæquata: ergo falsum est, quod ex illa possint saltem intelligibiliter extrahi plures sapientiæ eo modo perfectiores, & perfectiores.

12 Et confirmatur: quia nulla creatura potest adæquatè subijci alij, tamquam perfecto domino, tanquam vnico, & adæquato prouisori: ergo nulla potest adæquatè contineri in alia secũdum totum suum esse tum reale, & physicum, tum intelligibile, & intentionale, ac veluti morale, ratione cuius, & est intelligibile, & est volibile, & subiectum dispositioni alterius: aliter vna creatura respectu alterius esset absolutè perfectus dominus, & perfectus, & adæquatus prouisor potens independenter à quocunque alio de re illa disponere.

13 Secundo, etiam dato, quod illa Sapiẽtia contineat formaliter, & adæquatè in sua essentia omnes sapientias inferiores; nihilominùs etsi valdè magna, non erit essentialiter infinita: quia vt vidimus, adhuc habet esse valdè limitatum, vtpotè infinitè recedens ab esse diuino, quod est absolutè infinitum: & consequenter illa sapientia est infinitè carens infinitate essentiali, seu perfectione, de qua constat, quod sit essentialiter infinita.

14 Neque aliquid iuuat aduersarios, quod per actus nostri intellectus imperfectos possumus ab illa Sapientia, veluti successiuè extrahere sine fine sapientias perfectiores, & perfectio-

fectiores; non inquam inquam: primo, quia id non probat, quod ea sapientia contineat esse infinitum; sed solum, quod contineat infinitas sapientias: sicuti autem hæ infinitæ sapientiæ, vtpotè creatæ, non sunt esse infinitum, quamuis simul accipiantur; quia adhuc infinitè distant à Deo; ita neque erit infinitum esse sapientiæ, quæ illas continet. Secundo, sicuti illæ sapientiæ maiores, & maiores non sunt quid absolutè infinitum, quia non faciunt vnam collectionem, sed semper sunt veluti in via ad maiorem, & maiorem sapientiam, quatenus assignata quacumque sapientia, semper potest dari alia maior: ita sapientia illa maxima, non erit infinita, sed in superiori quodam ordine ad illas inferiores. Tertio, illa sapientia est verè indiuisibilis, aliter esset infinita secundum numerum, & intensionem, non secundum essentiam: ergo realiter nō possunt extrahi ex illa plures, & plures sapientiæ, sed tantum intellectus creatus imperfectus potest circa illam versari per diuersos actus, qui illam contemplantes non inuenirent finem in effectibus, qui in illa continentur: hoc autem non arguit, nisi quamdam infinitatem illi sapientiæ extrinsecam, infinitatem, inquam syncategorematicam effectuum, qui ab illa possunt procedere, & actuum, qui circa illam versari possunt, quod minimè sufficit, vt illa dicatur absolutè secundum essentiam infinita.

15 Hinc ad argumentum in forma: negamus antecedens, etiam quo ad illam partem de conformitate ad definitionem Aristotelis. Ad illud, quod de diuina Omnipotentia additur, dico esse longè disparem rationem: nam Omnipotentia intrinsecè est essentialiter totum esse, excludens omnem essendi defectum, & continet adæquatè perfectiones aliarum rerum in infinitum maiores, exclusis imperfectionibus: quæ nullo modo competunt sapientiæ illi creatæ, quam sibi fingunt aduersarij: quod si à me quæras, cur extensio à qua possunt extrahi plures, & plures, ac maiores partes sine fine sit infinita extensio? Respondeo, quia licet habeat esse limitatum, caret tamen fine quoad extensionem, saltem ex aliqua parte: eadem est ratio de numero, & extensione.

Discrimen inter infinitum secū dū essentiā & quanti tatiuum.

16 Vbi notandum diligenter est discrimen inter infinitum in essentia, & infinitum secundū quantitatem: quia infinitum in essentia consistit in esse indiuisibili, excludente finem, & terminum essendi: eo ipso autem, quod aliquod esse non includit intrinsecè aliquam perfectionem, statim essentialiter, ac necessariò excludit infinitum esse, & esse illimitatum; quale est essendi minum: & euadit respectu Dei propè nihil: ergo statim est esse finitum, & limitatum. At infinitum secundum quantitatem dicit partium multitudinem; quæ benè intelligi potest, quod careat absolutè fine secundum aliquam dimensionem, quamuis careat multis partibus, quia ablata vna parte, non est necesse, vt statim careat infinitate quantitatiua, infinitè recedat à quantitate infinita, & euadat respectu illius penè nihil.

18 Duo hic aduerto, primum est, singula attributa diuina, etiam præcisa ab alijs, quatenus diuina exigere identitatem cum summo esse: quæ exigentia est intrinsecè, & realiter esse illimitatum. Secundum est, actum malum distingui à bono non per puram carentiam, idque quamuis malitia sit formaliter pura carentia: ratio est, quia præcisa illa carentia adhuc prædicata positiua actus mali, sunt hoc indiuiduum distinctum ab omni alio actu, siue malo, siue bono: quando igitur dicimus, quod omnia prædicata positiua actus mali sunt in actu bono, intelligitur de prędicatis non prorsus eisdem, sed similibus.

19 Ex dictis infero veterum definitionem infiniti, videlicet, *esse cuius nihil est extra*, benè aptari posse infinito secundum essentiam, quod, cum complectatur esse illimitatum, & in simplicissimo conceptu contineat omnem perfectionem depuratam imperfectione; de illo absolutè verificatur, vt nihil essentiæ, & esse sit extra ipsum; nam creaturæ omnes in illo præcontinentur secundum totam suam perfectionem positiuam, nec ab eo distinguuntur, nisi per purum defectum, qui nullus est in Deo. At eadem definitio non potest aptari commodè infinito secundum accidens: quia infinitum secundum accidens necessariò includit, vtpotè diuisibile, partium multitudinem: ergo benè intelligi potest, quod in suo ordine careat fine, quamuis non includat vnam, vel alteram partem: quia extracta quacunque parte finita maiore, & maiore semper, quod remanet, caret fine: quare potius hoc infinitum iuxta sensum Aristotelis est, cuius semper est extra, quàm cuius nihil est extra. Et quamuis verum fortasse sit, quod infinitum ex eo, quod careat fine, debeat absolutè continere omnia saltem in suo ordine, v. g. infinita extensio omnem extensionē, infinita intensio omnem intensionem, infinitus numerus omnes numeros, & vnitates; tamen quod immediatè, & vt res apud omnes indubitata elucet in dicto infinito, est transitus ille inconsumabilis, per quem Aristoteles infinitum definiuit. Quod si veteres per illa verba, *Cuius nihil est extra*, voluerunt, nihil entium, quæ spectant ad essentiam infiniti esse extra illud; indè impugnantur: quia in hoc sensu de quacūque re verificatur, *cuius nihil est extra*; quæcumque enim res quantumuis finita, est talis, vt nihil spectans ad eius constitutionem, sit extra ipsam.

Definitio antiquorū conuenit in finito secun dū essentiā non quantitatiuo.

Infinitum aliud in numero, aliud in extensione, aliud in intensione.

20 Diuiditur secundo infinitum secundum accidens in infinitum in numero, in intensione, in extensione. Addo hic infinitum in extensione necessariò dicere omnes partes inter se ordinatas quoad locum, cum ordine prioris, & posterioris: qui ordo non ita clarè elucet in infinito intensiuo, & numerico.

Aliud cathegorematicū, aliud syncategorematicum.

21 Tertio, infinitum aliud est cathegorematicum, aliud syncathegorematicum: sicuti autem terminus cathegorematicus est absolutè terminus, & significatiuus, syncathegorematicus

cus est secundum quid significatiuus, videlicet non se solo, sed simul cum alio; ita infinitum categorematicum est absolutè, & secundum se infinitum: quia dum actu est, eam habet magnitudinem, vt ex illo plures, & plures partes in infinitum maiores extrahi possint, quæ tamen actu in ipso continentur, & in statu possibilitatis est illa collectio possibilis, qua semel posita talis fit, vt ex ea fieri possit dicta detractio.

22 At infinitum syncategorematicum non est absolutè infinitum, sed secundum quid, & cum addito, seu coinfinitum: quia videlicet nō continet intrinsecè infinitatem, sed ea est eius magnitudo, vt possit in infinitum augeri, numquam tamen proueniret ad infinitatem: quare actu existens est magnitudo finita actualis potens augeri per additionem plurium, & plurium, ac maiorum partium. Possibile est eadem magnitudo potens existere, & eo modo finitè in infinitum augeri.

SECTIO II.

Maior explicatio infiniti syncategorematici.

Infinitum syncategorematicum nō gaudet intrinseca infinitate.

1 EX dictis infero benè Albertinum *to. 2. de prædicamento quantitatis disp. 4. quæst. 2. à n. 11.* quem cum alijs non paucis sequitur Giattinus *quæst. 11. phys. art. 1.* benè, inquam, dixisse infinitum syncategorematicum non includere intrinsecè infinitatem: qui dicendi modus putari non debet nouus, & contra communem sensum: nam passim Doctores, tum veteres, tum recentiores infinitum syncategorematicum appellant infinitum secundum quid; quia videlicet nullam dicit intrinsecam infinitatem in eo, quod denominatur infinitum; sed ad summum supponit infinitam potentiam, à qua potest sine termino augeri: vel per illos, qui carentias admittunt, infinitas carentias, quæ simul auferri nequeunt, sed per partes plures, & plures, ac sine fine maiores.

2 Instabis, numerus hominum possibilium constituentium infinitum syncategorematicum, vel est determinatus, vel indeterminatus; si primum nullo modo est infinitus; si secundum, certè illa collectio omnium hominum possibilium includit intrinsecam infinitatem, & Deus, dum illam comprehendit, videt in ea contineri homines non tot, quàm plures. Respondeo, numerum hominum possibilium constituentium infinitum syncategorematicum esse intrinsecè finitum, & determinatum: indeterminatum autè extrinsecè ex parte augmenti, quod potest suscipere, quia potest per semper nouas, & maiores additiones augeri: potest nihilominus dici, quod extrinsecum, quo constituitur sit omnipotentia Dei, à qua potest per nouas, & semper maiores additiones augeri.

3 Ad illud, quod additur, dico creaturas possibiles, prout requiruntur ad infinitum syncategorematicum, non debere alio modo esse possibiles, quam per collectiones finitas, sed augmentabiles maiores, & maiores in infinitum ita vt numquam perueniatur ad aliquā collectionē, quæ absolutè sit infinita: quare homines præcisè pro vt requiruntur ad hoc infinitum, nō debent esse aliqua vna collectio absolutè infinita.

4 Ex quo vlterius infero ad infinitum syncategorematicum non requiri, vt omnes collectiones maiores, & maiores in infinitum possibiles, simul sumantur ad constituendam vnam collectionem: nam primo si constitueret vnam collectionem, vtique illa esset infinitum categorematicum possibile, antequam produceretur; actuale quando iam producta fuerit: quis autem dixerit ad constitutionem infiniti syncategorematici requiri infinitum categorematicum.

Omnes collectiones possibiles, maiores, & maiores non constituunt vnā collectionē

5 Secundo, si omnes collectiones finitæ maiores, & maiores successiuè extrahibiles cum illo ordine, colligerentur deindè ad faciendam vnam collectionem maximam continentem eas omnes minores ita ordinatas, post illas omnes collectiones Deus non videt cum illo ordine, sequi aliam: ergo iam videt vltimam postquam non sequitur alia: de hac igitur vltima quæro sit ne finita, vel infinita? si primum; ergo cum omnes collectiones antecedentes sint finitæ, collectio resultans ex omnibus, non erit nisi finita, & successiuè tota extrahibilis: ac proindè numerus creaturarum possibilium requisitus ad infinitum syncategorematicū esset successiuè pertransibilis, quod nemo dixerit. Sequela probatur, si vltima finita, postquam Deus non videt sequi aliam, constat v. g. mille vnitatibus, reliquæ nongentæ nonaginta nouem, præcedentes non constabunt, nisi finitis vnitatibus. Si secundum; ergo hæc non est collectio numerorum maiorum, & maiorum, quorum quilibet habet finem: cum aliqua collectio, & aliquis numerus sit infinitus: hoc autem est contra suppositionem, neque requiritur ad infinitum syncategorematicum, ad quod sufficit si possit augeri per numeros maiores, & maiores, semper tamen finitos.

6 Præterea collectio immediatè præcedens hanc vltimam infinitam, postquam cum illo ordine non sequitur alia; vel est finita, vel infinita? si primum ergo finitè exceditur ab vltima sequente infinita, videlicet per vnicam vnitatem: sequentes enim numeri, vt supponimus vnica vnitate excedunt præcedentes: ergo illa vltima, postquam non sequitur alia maior, constituetur infinita per vnitates finitas contentas in antecedente, & vna superaddita: quod ab omnibus putatur absurdum, & contra conceptum infiniti; quia iam illa collectio esset pertransibilis: pertransibilia enim est tota collectio immediatè antecedens; vnitas autem superaddita est maximè pertransibilis. Si secundum; ergo Deus in tota collectione infinita constante omnibus collectionibus, quarum qualibet immediatè antecedentem vnica vnitate excedit, videt aliquas collectiones ex ita ordinatis esse finitas, alias infinitas, & post omnes finitas immediatè sequi aliquam infinitam; cum enim omnes illæ collectiones

ctiones sint eo modo, ac sine interruptione ordinatæ, inter finitas, & infinitas, non datur aliquod medium: ergo videt aliquam finitam, quæ sit vltima finitarum; & ab aliqua infinita, quæ immediatè sequitur, vnica vnitate excedatur.

7 Dices primo: Deus in illa collectione omnium numerorum cum illo ordine distributorum non videt vltimum, post quem non sequatur alius numerus, sed post quamlibet collectionem, & numerum videt sequi alium numerum, & collectionē. Contra, Deus videt totam illam collectionem numerorum, & collectionem maiorum, & maiorum cum eo ordine distributam, & post totam illam omnium collectionem non sequi aliam: sed quod post totā collectionem nō sequatur alia, non potest verificari, nisi ratione vnius collectionis vltimæ: ergo videt vnam collectionem vltimam, postquam non sequitur alia. Probo minorem, vbi aliqua collectio tota actu posita constat partibus omnibus ordinatè distributis, & talis est, vt post ipsam non sequatur aliud, id profectò ex vno capite benè verificatur, ratione vnius vltimæ partis, si adsit ea vltima pars; quod videtur indubitatum; ex alia verò non videtur quid aliud sit, post totam collectionem eo modo ordinatam non sequi aliam, quam dari in ea collectione vltimam partem: quid enim est, post totam eam collectionem, eo modo ordinatam, non sequi aliquid eiusdem, nisi cum eo ordine peruentum esse ad vltimam partem? aliter semper est aliquid vltra accipere spectans ad eam collectionem. Vbi notandum est, diuersum quid esse, dari aliquid extra collectionem, ac dari post collectionem totam eo modo ordinatam: nam dari aliquid extra totam collectionem, sicuti non supponit collectionem ordinatam per partes priores, & posteriores, neque facit ordinem cum collectione; ita non debet supponere vltimū in collectione: at quod detur post totā collectionem ordinatā, sicuti supponit totā collectionē ordinatā; ita & vltimum illius, post quod, & ipsum sequitur. Igitur dari totam collectionem ordinatam, & aliquid sequi post ipsam, necessario supponit vltimum collectionis, post quod sequitur aliud: ergo dari totam collectionem ordinatam, & nihil post ipsam sequi, est dari vltimum collectionis, post quod non sequatur aliud.

8 Et confirmatur: quia non sequi post, non potest verificari de extensione ratione partium mediarum, vel primarum, ergo ratione alicuius partis vltimæ. Confirmatur rursus: successiuè abstrahere per partes finitas totam collectionem est peruenire ad vltimum illius: ergo ordinatè existere totam collectionem, est existere illius vltimum, post quod non sequitur aliud. Et sicuti sumere semper nouas partes, & non peruenire ad vltimam, non est sumere totam collectionem; ita collectio ordinata sine vltimo, non est tota collectio.

9 Confirmatur praeterea: quia possumus cōsiderare multitudinem aliquam totam confusam sine vllo ordine inter partes, & aliam totam ordinatam; inter quas illud est discrimen, quod confusa potest tota sumi, vnica veluti sumptione, sine prima, & vltima parte: primum enim, & vltimum necessariò dicunt ordinem: quare, vt aliquid sequatur post illam, vel sit extra illam, non est necesse, vt detur in ea vltimum. At multitudo ordinata, sicuti dicit partes priores, & posteriores; ita tota ordinata necessariò dicit primum, & vltimum, in quod resoluitur totus ordo, & eius successio quoad locum, vel tempus: quare sequi, vel non sequi aliquid post totam eam collectionem ordinatam, necessariò includit vltimum illius. Cuius rei ratio veluti à priori est: quia omnis ordo est quadā veluti successio partium priorum, & posteriorum, quæ sicuti, vt priores, & posteriores excludunt aliquam simultatem, ita includunt aliquam successionem; omnis autem successio tota posita necessario dicit primum, & vltimum, aliter totum infinitum posset successiuè percurri sine primo, & vltimo.

10 Ex quibus consequenter infero secundo, falso assumi ab aduersarijs, Deum videre, tamquam vnam collectionem ordinatam, omnes collectiones hominum possibilium finitas maiores, & maiores sine fine. Videt igitur Deus singulas collectiones finitas, & quamlibet augmētabilem sine fine per alias maiores item finitas. Sicuti videns Deus dies per æternitatem à parte post futuros, non videt totam æternitatem per modum vnius collectionis, sed tantum videt post quamlibet finitam collectionem dierum sequi alium diem. Ratio est: quia Deus videt res, sicuti sunt; æternitas autem non est aliqua collectio dierum, quæ aliquando sit, vel futura sit tota, aliter terminata esset; sed tantum dicit plures, & plures dies sine fine.

Deus non videt ex omnibus illis collectionibus fieri vnā collectionem.

11 Instabis: Deus simul, imò vnico actu cognoscit omnes illas collectiones: ergo verè faciunt vnam collectionem. Distinguo antecedens simul simultate actus; concedo: simultate obiecti; nego: & distinguo consequens, faciunt extrinsecè vnam collectionē; concedo: quia sunt obiectum vnius actus: intrinsecè, & obiectiuè; nego: quia non faciunt collectionem, neque omnes cognoscuntur, vt vna collectio: sicuti licet Deus simul, & indiuisibiliter cognoscat dies constituentes mensem; non ideo illi dies sunt simul.

12 Vrgebis: vt collectiones illæ faciant vnum, satis est, si omnes subiaceant eidem formę extrinsecæ diuinæ cognitionis; & quidem extra totum cognitum à Deo nihil remanet, & post illud non sequitur aliud: quare redeunt argumēta suprafacta. Distinguo antecedens, satis est, si subiaceant eidem formę extrinsecę colligenti illas in vnam collectionem; concedo: non colligenti; nego: colligerentur autem, si Deus videret vnam omnium collectionem ordinatam, quod supra repugnare probauimus.

13 Vrgebis iterum: idem est colligere omnes in vnum, ac simul eodem actu videre singulas non excludendo reliquas. Nego assumptū; colligere omnes in vnum est videre aliquod totum conflatum ex omnibus, post quod non sequatur aliqua alia collectio. Vr-

14 Vrgebis tertio: cum quis format conceptum vniuersalem hominis, concipit omnes homines simul. Respondeo sine vllo ordine. Nos autem hic negamus collectionem infinitam ordinatam.

15 Vrgebis quarto: stante hac doctrina non videtur, quomodo infinito syncategorematico competat definitio Aristotelis; cuius est semper aliquid extra. Nego sequelā: infinitū syncategorematicum est intrinsecè finitum, & extrinsecè infinitum: quia potest semper augeri per nouas partes: secundum igitur hoc extrinsecum habet transitum inconsummabilem, quia nunquam perueniri potest ad vltimum augumentum, & semper secundum illud, quod dicit de potentia remanet aliquod extra ipsum, quod possit addi: possibilitas igitur augmenti est interminata, & inexhauribilis; & est formaliter diuina Omnipotentia, quæ potest semper addere nouum augmentum.

Quod potest addi in finito syncategorematico est absolutè finitum.

16 Infero tertio, quod potest addi infinito syncategorematico absolutè, & intrinsecè esse finitum: quia quod potest addi cum illo ordine non est aliqua vna collectio conflata ex omnibus, vt vidimus; sed plores, & plures collectiones sine fine, quæ semper sunt intrinsecè finitæ, quæ tamen participant quamdam extrinsecam infinitatem: quia possunt semper augeri: sicut mundus poterat prius, & prius sine fine creari; semper tamen in tempore, & infra æternitatem.

17 Quæres hic obiter, vtrum infinitum sit ignotum, & incognoscibile? Respondeo, infinitum eo modo, quo est, á Deo perfectissimè cognosci, nos etiam pro nostro modulo illud cognoscimus, dum de eo disputamus. Aristoteles igitur hic *textu* 35 *&* 55. docens infinitum esse ignotum, vel loquitur quo ad nos, & de cognitione perfecta, vel de certo modo cognoscendi, quo videlicet percurrendo singulas eius partes perueniatur ad vltimum: in quo sensu verissimum est, infinitum non posse cognosci, vt aliquod totum.

18 Instabis ex S. Augustino 12. *de Ciuitate*: quidquid scientia comprahenditur, scientis cōprahensione finitur: sed implicat infinitum finiri: ergo implicat cognosci, & comprahendi. Distinguo maiorem scientia comprahensione finitur, quia nihil illius est, quod perfectè non cognoscatur; concedo: finitur, hoc est cognoscitur habere finem intrinsecum; nego: infinitum autem implicat finiri non primo modo, sed secundo, ita vt percurrendo partes eius, perueniatur ad vltimum.

SECTIO TERTIA

Vtrum infinitum diuisibile possit admittere vtrimque terminum, & includere finitum maximum?

Duplex terminus alius acceptionis alius constitutionis.

1 SVnt qui ad soluendas, quæ contrà infinitum vrgent, difficultates, docent, illud, si sit diuisibile, posse admittere vtrimque terminum, & lineam actu infinitam posse habere primum, & vltimum palmum; quinimò in successiua sumptione partium maiorum, & maiorū, deueniendū tandē, esse ad aliquā collectionē finitā maximā; qua maior finita dari nequeat, sed omnis illam excedens sit infinita. His prælnxit Arriaga *disp.* 12. *phys. sect.* 1. Sed quia infinitum ex suo conceptu debet excludere finē, seu terminum; ideò ad saluandam essentiam infiniti, distingunnt duos terminos, alterum acceptionis; ad quem videlicet successiuè assumēdo partes, tandem perueniatur; alterum constitutionis; vltimum videlicet, vltra quem res non extenditur, sed talis conditionis, vt successiuè percurrendo partes antecedentes, si incipiamus à prima, nunquam ad illum terminum perueniamus: quo posito, asserunt de essentia infiniti esse, quod careat termino acceptionis: non autem, quod careat etiam termino constitutionis; quia prima carentia se sola facit, vt quantitas habeat transitum inconsumptibilem; & sit id, cuius semper est aliquod extra.

Repugnat infinitum quantitatiuū vtrinque terminatū etiā termino puræ constitutionis.

2 Dico primo: repugnat infinitum quantitatiuum vtrimque terminatum termino constitutionis. Probatur: in linea ab hoc puncto orientè versus infinitè extensa, & vtrinque terminata, dantur aliquæ partes finitè distantes à prima, secunda videlicet, tertia, quarta, &c. & aliquę ab eadem prima infinitè distantes, videlicet vltima, penultima, &c. Suppono autem partes, & palmos huius lineæ sibi immediatè succedere sine penetratione: neque vero si datur vltima, potest negari penultima, vltimæ immediata; tum sic argumentor; partes finitę distantes à prima, vel sunt finitæ, vel infinitæ: si primum ergo post vltimam finitè distantium, sequitur aliqua infinitè distans, quæ videlicet cum antecedentibus constituat lineam infinitam; aliter non infinitè distaret à prima: Hęc igitur linea infinita constaret ex partibus finitis, & vna superaddita, quod est absurdum: quia finitum, & vnus palmus additus finito non facit infinitum: ratio est, quia tota illa linea antecedens, potest finito tempore percurri, cui tempori si addatur instans, vel hora, poterit etiam transiri alia pars, complens infinitam lineam cum antecedentibus: ergo iam linea infinita habet terminū acceptionis, & esset finito tempore tota successiuè exhauribilis: quod etiam per aduersarios repugnat conceptui infiniti.

3 Quod si dicas, partes finitè distantes à prima esse infinitas: ergo constituunt lineam infinitam; ergo vltima finitè distantium, vtpotè claudens lineam infinitam, infinitè à prima distaret, & finitè, quia esset vltima finitè distantium.

4 Respondebis, non dari vltimam finitè distantium; sed finitè distantes esse plures, & plures sine termino; sed contra: quia hęc linea constat partibus ordinatis, & immediatis, partim infinitè distantibus, partim finitè distantibus à prima: ergo inter partes finitè distantes, & infinitè distantes non datur medium: ergo necessariò

cessariò deber dari vltima finitè distantia, postquam immediatè sequatur aliqua infinitè distās; de quibus redit argumentum.

5 Respondebis secundo, partes finitè distantes esse finitas, & constituere lineam finitā, sed finitam maximam, quæ per additionem cuiusque minimæ partis iam euadet infinita, & excedens omnem lineam finitam. Sed contra, &

Repugnat finitum maximū quātitatiuum.

6 Dico secundo, repugnat finitum maximum. Probatur: aliter infinitum resultans ex ipso finito maximo, & alio quocumque minimo superaddito, posset totum tempore finito percurri: nam pertransito finito maximo instanti sequenti, posset pertransiri illud aliud minimū superadditum.

7 Dices, illud superadditum esse de familia infinitorum. Contra: superadditum, quod dicis esse de familia infinitorum, quamuis in se minimum; tamen se solo simul cum finito maximo constituit infinitum: ergo iam infinitum potest totum percurri: quod vim habet, fine supponas illud minimum posse solùm superaddi, siue necessariò trahere infinita alia: quia adhuc verificatur ipsum cum finito maximo præcisis alijs, quæ necessariò trahit, constituere numerum, & extensionem infinitam: ergo adhuc verificatur, quod infinitum possit totum percurri: illud enim conflatum ex finito maximo, & hoc numero potest totum percurri.

8 Dices iterum: post finitum maximum nō sequi aliquod vnum de familia infinitorum, sed infinita; vnde corruit argumentum. Sed contra, quia loquimur de infinito in extensione sine penetratione partium: aliter si necessariò partes penetrantur, non datur vltimum, & terminus constitutionis, sed plura simul. Præterea illud finitum maximum est tale, vt qualibet minima additione ex pertransibili euadat impertransibile: quod esse absurdum facilè colligitur ex supradictis.

9 Ex dictis patet, admisso in quantitate infinita termino constitutionis, necessariò admittendum terminum acceptionis: quia terminus ille constitutionis, vt probauimus, non potest infinitè distare à prima parte: ergo esset terminus acceptionis, ad quem tandem successiuè percurrendo attingemus.

10 Obijcies cum Arriaga *n.* 4. inter hominem, & lapidem, sunt possibiles infinitæ species perfectiores, & perfectiores in infinitum; quæ vtrique clauduntur duplici termino, homine videlicet, & lapide: ergo non repugnat infinitum vtrinque terminatum. Primo mihi falsa est prima pars assumpti, vt fusius alibi dicam. Secundo, distinguo secundam partem, clauduntur duplici termino intrinseco, nego; extrinseco, neque constituēte illam collectionem; concedo antecedens, & nego consequentiam; species illæ possibiles inter hominem, & lapidem perfectiores lapide, & imperfectiores homine, non constituuntur per hominem, & lapidem: neque verò ex omnibus incipiendo á lapide, & terminando in hominē fit vna collectio tota simul ordinata, quod repugnare supra probauimus: igitur homo, & lapis non sunt termini intrinseci illarum specierum, sed extrinseci, & exclusi, quatenus neque homo, neque lapis est aliqua illarum specierum; quare in hoc casu non habet locum argumentū supra factum: sicuti in sētentia Aristotelis de diuisibilitate cōtinui in infinitum puncta terminatiua lineæ sunt termini actualis extensionis, quæ finita est; non diuisionis possibilis, neque partium extrahibilium, quæ tendunt in infinitum.

11 Duo hic aduerto: primum, numerum creaturarum possibilium, si sit finitus, non esse finitum maximum, qui quacumque minima additione euaderet infinitus: quod ex dictis repugnat: est tamen finitus maximus possibilium: quia non potest dari numerus finitus maior extra Deum. Secundo, argumenta supra facta, militare non solùm in extensione, sed etiam in quocumque alio infinito quantitatiuo ordinato.

SECTIO QVARTA.

De possibilitate, & existentia infiniti syncategorematici.

1 Certum est hominum animas, & Angelos esse æternos: quæ æternitas non potest saluari sine aliqua infinitate: est enim quædam duratio, quæ semper augebitur per nouas, & nouas partes, ac proindè numquam terminabitur. Quinimò hæc infinitas durationis supponenda est veluti certa regula magis nota, ex qua possimus dignoscere alias infinitates, de quibus hîc loquimur: quæ enim suarum partium multitudine æquantur suo modo æternitati, participant infinitatem aliquam. Cæterum æternitas creata à parte post, de qua loquimur, nunquam est tota, sed semper sunt eius partes finitæ, quæ tantùm successiuè, ac sine fine recipiant augmentum. Igitur certum videtur dari aliquod infinitū syncategorematicum: solùm quærimus de alijs creaturis: vtrum videlicet numerus indiuiduorū, & specierum possibilium sit indeterminatus, & syncategorematicè infinitus, ita vt producta á Deo qualibet collectione indiuiduorum, & specierum; possit Deus noua indiuidua, nouasque species producere; vel numerus hic sit determinatus, & finitus.

2 Apud Fasolum 1. *p. q.* 7. *art.* 4. *dub.* 11. *n.* 4. & Ouiedum *contr.* 14. *pun.* 3. primo nonnulli docent, extensionem possibilem esse determinatam, cui Deus nihil addere potest. Eumdē terminum alij secundo cognoscunt in intensione qualitatum. Tertio, alij dicunt species rerum possibiles esse tot, & non plures: nemo autem ausus est, vt notat Ouiedus, affirmare, creaturas possibiles, quas Deus cognoscit posse simul omnes, vel etiam successiuè produci, quo ad numerum esse finitas. Oppositam igitur sententiam de numero indeterminato creaturarum possibilium defendunt communiter Doctores, Sanctus Thomas, & tota eius schola, Molina, Valentia,

Nemo ausus est dicere numerū creaturarum possibilium esse determinatè tantum.

Vasquez, alijque passim, quos citant, & sequuntur Hurtadus *disp. 13. sect. 1.* Arriaga *disp. item 13. sect. 2.* Ouiedus cit. eamdem sententiam defendit S. Augustinus, & quod caput est S. Dionysius *cap. 8. de diuinis nominibus*, vbi paulò post principium hæc habet. *Dicamus ergo, quoniam virtus est Deus, qui omnem in se virtutem supremè habet, & tempore, & excellentia, & vt omnis virtutis author, omniaque per virtutem nunquam inclinantem, atque incircumscriptam producens, & sicut eius, quæ est virtus siue vniuersalis, siue particularis causa efficiens, & vt infinitæ virtutis; non modò, quod virtutem proferat omnem, verum, & quod super omnem, & ipsam quoque virtutem sit, & quod excellentissimè possit, & infinitè infinitas, præter eas, quæ sunt, alias proferre virtutes, eo quod nullo modo possint, vel infinitæ, vel in infinitum productæ virtutes, supremè infinitam vim ipsius potentissimæ virtutis obtundere.* Ex his.

Species possibiles non sunt determinatæ tot, & non plures.

3 Dico numerum, & species creaturarum possibilium non esse determinatas: sed posse Deum quacumque producta, producere aliam, & aliam sine fine. Probatur ratione deducta ex authoritate, & verbis S. Dionysij citati: virtus absolutè infinita, & perfectissima, potest effectus plures, & plures sine fine, & inter se diuersos efficere: sed virtus diuina est absolutè infinita, & perfectissima: ergo virtus diuina potest plures, & plures effectus sine fine, ac inter se diuersos producere, & vt loquitur S. Dionysius infinitè infinitas virtutes proferre. Minor est certa: maior præter authoritatem S. Dionysij, confirmatur ratione ex illius verbis: quia nullæ virtutes vel infinitæ, vel in infinitum productæ possunt obtundere vim, & efficaciam supremæ, & potentissimæ virtutis: qualis est diuina absolutè infinita, & perfectissima: posset autem obtundi, & veluti terminus, & obstaculum illi poni; si post determinatam aliquam collectionem Deus non posset vltra procedere: sicuti obtunditur vis, & efficacia maris, dum illi dicitur, *Hic confringes tumentes fluctus tuos*; nec vlterius progrediaris. Cuius rei ratio est: quia ad perfectissimam, & vndequaque illimitatam virtutem supremi Artificis spectat noua, & noua, ac excellentiora opera sine fine inuenire, & posse in lucem edere, aliter vis illa inuentiua, vt ita dicam, & potentia esset limitata: quod confirmari potest ex creatis: quia eo perfectior est artifex, quo potest plura, & perfectiora opera inuenire, & exequi. Spectat igitur ad summam Dei perfectionem sua infinita sapientia, & potentia reddere possibiles creaturas plures, & sine fine perfectiores.

4 Vim huius argumenti non infringes, si cum aliquibus recentioribus dicas, Deum quantum est ex se posse sine fine plura, & perfectiora: sed illa repugnare; non infringes, inquam; quia vt vidimus, ad perfectissimum artificem spectat, posse sua infinita sapientia plura, & perfectiora sine fine opera possibilia architectari, atque exequi: aliter vanè architectaretur: & inueniret construendo in sua mente chimæras: & vt ita dicam aereas machinas: neque verò Deus, vt huiusmodi opera concipiat, debet aliquid extra se expectare, ex quo veluti discat, quæ sint, vel non sint possibilia; sed in se ipso, & ex se ipso, tamquam perfectissima causa videt omne excogitabile, & quæ prædicatorum combinationes repugnent, quæ sint possibiles: quorum possibilitas passiua deceat, & quorum ipsius maiestatem dedeceat.

Omnis numerus finitus possibilis non fit infinitus additione vnius.

5 Obijcies primo, si essent possibiles numeri finiti plures, & plures, ac sine fine maiores; infinitum constaret ex finito, & vno plus, quod est absurdum: sequela probatur, quia collectio omnium numerorum finitorum est finita, & per additionem vnius euaderet infinita. Respondeo primo, si concedatur sequela, indè solùm inferri, quod repugnet infinitum categorematicũ, & quod creaturæ possibiles sine fine plures, & perfectiores, non possint facere vnam collectionem, si ea collectio sit tota ordinata, iuxta ea, quæ supra diximus: totum autem hoc, nec contradicit præsenti doctrinæ de numero indeterminato possibilium creaturarum; & fauet dictis, & dicendis. Secundo, alij dicunt collectionem omnium numerorum finitorum possibilium esse categorematicè infinitam, & omnes numeros possibiles maiores, & maiores simul sumptos esse infinitum categorematicum, & si quilibet numerus sit finitus: sicuti licet quælibet vnitas sit minimum quid, & non numerus: collectio omnium vnitatum est categorematicè infinita.

Sunt ne plures capilli, vel homines possibiles?

6 Obijcies secundo: si numerus creaturarũ possibilium, non esset terminatus, vnum infinitum esset maius alio, infinitum capillorum maius infinito hominum: capilli enim possibiles plures sunt hominibus possibilibus: collectio omnium oculorum maior collectione sinistrorum tantùm; sed hoc est absurdum: ergo absurdus est numerus creaturarum possibilium non terminatus. Minor probatur: maioritas, & minoritas: sicuti & æqualitas important terminos, quod repugnat infinito, nam quod est minus iam habet terminum, ratione cuius non æquatur maiori, æqualia autem sunt, quorum eadem est mensura: non mensurantur verò, nisi finita.

7 Nego maiorem, & ex mea doctrina hic tradita sequi, quod infert aduersarius: quia nunc non curo verum verè repugnet infinito maioritas, vel æqualitas; ad rationem in contrarium dico, nostram communissimam conclusionem non exigere necessariò, vt omnes capilli possibiles faciant vnam collectionem infinitam. Satis enim est, si data quacumque collectione finita capillorum, possit dari collectio maior, & sine hoc maior, semper tamen finita: hinc distinguo illam propositionem, omnes capilli possibiles simul sumpti sunt plures omnibus hominibus; nego: est enim ea propositio inuoluens falsum suppositum, videlicet possibilem esse collectionem omnium capillorum possibilium: si sumantur distributiuè; subdistinguo, comparando quodlibet capillitium cum suo homine, concedo: comparando

parando

parando collectionem capillorum cum collectione hominum, iterum subdistinguo sunt plures, ita vt ex illis consurgat vna collectio maior qualibet collectione hominum;nego: ita vt talis collectio non consurget; concedo. Si comparem quodlibet capillitium cum suo homine, vel capillitium decem hominum cum decem hominibus, plures vtique sunt capilli, quàm homines: eadem est ratio de oculis comparatis cum capillis: at nulla est collectio capillorum possibilia finita, quamuis maior, & maior, quæ non possit adæquari à collectione aliqua hominum finita; si enim est binarium capillorum, est etiam binarium hominum, si ternarium capillorum, est etiam ternarium hominum, &c. hoc autem sufficit, vt tum capilli, tum homines possibiles sint plures, & plures sine fine. Et id verum est: siue omnes capilli possibiles possint facere vnam collectionem, quod puto falsum, siue non.

8 Obijcies tertio: si numerus, & species rerum possibilium non sunt terminatæ, iam futuræ sunt per totam æternitatem semper nouæ, & nouæ Angelorum, hominumque cogitationes, & volitiones; tum sic: vel Deus potest facere hoc iudicium omnes cogitationes, & volitiones futuræ per æternitatem, sunt hæ, & non aliæ; vel non: si primum: ergo videt post illas non vlterius extendi cogitationes, earumque futuritionem; secundum est apertè falsum: nam Deus videt ex cogitationibus possibilibus aliquas esse futuras, alias minimè: ergo iam distinguit inter futuras, & non futuras: ergo iam videt futuras esse has, non illas. Respondeo ex dictis, Deum videre omnes cogitationes distributiuè sumptas futuras has, non illas: non autem collectiuè acceptas: non enim datur, vel est possibilis collectio omnium cogitationum futurarum ordinata, & in æternitate successiuè posita. Ex dictis patet, defactó dari infinitum syncategorematicum, numerum videlicet creaturarum sine fine augmentabilem.

SECTIO V.

Vtrum defacto detur aliquod infinitum categorematicum quantitatiuum.

1 Licet Aristoteles 2. *phys.* expresse negauerit omnem numerum, & extensionem infinitam actu existentem; quia tamen admisit generationes, & circulationes ab æterno, debuit consequenter admittere, iam transijsse infinitas cœli circulationes, & nunc existere infinitas hominum animas, quas posuit immortales: hinc nō desunt, qui illum arguant inconsequentiæ; sed defenditur ab alijs afferentibus, Phylosophum non negasse omne infinitum, sed rerum materialium simul existentium, quod non repugnat eius dictis de generationibus, & circulationibus æternis, ac animarum immortalitate. *Defenditur Aristoteles*

2 Afferendum nihilominus est, nullum defacto dari infinitum quantitatiuum, siue in extensione, siue in intensione, siue in numero, & quod dico de intensione, & numero, extendo ad res spirituales, quin etiam, & quod dico de extensione, si res spiritnales sint capaces extensionis. Probatur primo, quia infra dicam repugnare omne infinitum categorematicum quantitatiuum. Deinde sensus communis negat dari defacto aliquod infinitum categorematicum: ergo negandum est; cum præsertim nulla ratio, vel coniectura afferatur huius existentiæ. Tertio, Sapientiæ 11. dicitur de Deo, omnia in numero, & pondere, & mensura disposuisse: quæ autem dispositasunt in numero, pondere, & mensura, sunt procul dubio finita; infinitum enim nequit numerari mensurari, aut ponderari; & videri quotum est. *Nullum de facto infinitum categorematicum quantitatiuum.*

3 Vrgebis primo, si actu non datur infinitū: ergo frustra mathematici in suis demonstrationibus iubent dari lineam infinitam. Respondeo, mathematicos non iubere dari defacto lineam infinitam, quæ esset inutilis ipsorum demonstrationibus: & semper in linea, quæ est subiectum demonstrationis, considerant aliquod vltimum: solum igitur volunt, vt formetur imaginatio lineæ maioris, & maioris sine fine.

4 Vrgebis secundo: defacto datur infinitum categorematicum in perfectione; quia defacto datur homo, qui est infinitè perfectus: vtpotè sua perfectione excedens infinitas species rerum purè materialium sine fine perfectiores. Respondeo, me hic loqui de infinito quantitatiuo includente partium multitudinem: & quę autem supra diximus satis ostenduut repugnare perfectionem creatam infinitam secundum essentiam: quare: nego assumptum: ad probationem dico illum excessum hominis, primo satis probabiliter negari à multis afferentibus species infra hominem possibiles esse finitas, sicuti finita est hominis perfectio. Secundo ex illo excessu non inferri infinitatem essentialem perfectionis hominis, sed tantū quamdam ordinis superioritatem: quatenus ipsius perfectio, quamuis vndique limitata, est inadæquabilis à speciebus inferioris ordinis. Quod autem sit vndequaque finita, & limitata, patet ex dictis sectione prima. *Perfectio hominis est absolutè finita.*

5 Vrgebis tertio: finitum, & infinitum sunt passiones quantitatis: ergo si datur finitum, debet dari infinitum. Nego antecedens, si loquamur de passionibus, & proprietatibus rigorosè sumptis, aliter qualibet quantitas exigeret esse simul finita, & infinita, quod est falsum: Præterea infinitas competit etiam perfectioni, sicuti, & finitas. Tertio, ad summum verificatur, quod finitum, & infinitum quantitatiuum sunt passiones quantitatis negatiuè; quia videlicet, si dentur, non possunt inueniri, nisi in quantitate: ex quo malè infertur, quod debeant dari defacto. Permisso igitur antecedente in vltimo sensu, nego consequentiam.

6 Vrgebis quarto: ex angulo rectilineo constante duabus lineis rectis, quarum vna perpendiculariter cadit super aliam, possunt extrahi infiniti anguli contingentiæ, maiores, & maiores sine fine, minores tamen angulo rectilineo: ergo angulus rectilineus est categorematicè infinitus.

Consequentia probatur: quod excedit partes plures, & plures sine fine, & æquales vni certæ, & determinatæ, est infinitum categorematicum: ergo à fortiori si excedat partes maiores, & sine fine maiores vna certa, & determinata: sed angulus rectilineus excedit angulos contingentiæ dicto modo sine fine maiores: ergo.

7 Respondeo angulum rectilineum non actu continere infinitos angulos contingentiæ maiores, & maiores sine fine: sed tantum excedere ex sua essentia angulos contingentiæ, non quidē absolutè infinitos, sed ad summum iuxta sententiam Aristotelis plures, & plures, licet semper maiores ducibiles intra aream ipsius anguli rectilinei: quod nullam arguit infinitatem categorematicam in excedente, sed solum talem determinatam essentiam inadęquabilem ex sua ratione specifica, ab angulis contingentiæ. Oppositum accideret in linea infinitè extensa, quæ in se formaliter contineret partes actuales infinitas numero, & ęquales, vel etiam maiores vni certæ. Præterea in sententia Aristotelis de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus ducto primo angulo contingentiæ minori possunt intra aream rectilinei duci alij cōtingentiæ maiores, & maiores; sed quorum quilibet & includat antecedentes, & illos excedat per partem proportionalem: totum autem hoc non arguit infinitatem iuxta sententiam Aristotelis: quia etiam ex ligno palmari maximè finito sunt in hac sententia extrahibiles sine fine plures, & maiores partes. Hinc distinguo antecedens, possunt extrahi anguli sine fine plures, & maiores dicto modo communicantes; concedo: non dicto modo communicantes; nego antecedens, & consequentiam. Eadem distinctione vtor ad probationem consequentię.

SECTIO SEXTA.

Vtrum repugnet quantitas, siue discreta, siue continua categorematicè infinita?

1 QVia qui possibilem putant huiusmodi quātitatem præcipuè vtuntur argumēto negatiuo: non video repugnantiam illius; ergo est possibilis: non est à præsenti instituto alienum, huius argumenti vim examinare. Sit igitur.

SVBSECTIO PRIMA.

Quam vim habet argumentum negatiuum ad astruendam rerum possibilitatem?

2 FRequentissimus est apud Philosophos, & Theologos recentiores, tum in lucubrationes, quas in lucem edidere; tum præsertim in manuscriptis modus, negatiuè procedendi, idque in quæstionibus, tum de possibili, tum de facto: nam si quæratur vtrum aliquod sit possibile, statim partem affirmatiuam definiunt, si ipsis post diligentem discussionem, & examen prædicatorum, quæ elucent in re, de qua agitur nulla appareat repugnantia: at si quæratur, vtrum de facto existat aliqua res, vel modus, aut in rebus existentibus insit aliquod prædicatum, si post diligentem inquisitionem, & ingenij in ea materia versati examen, non appareat ipsis necessitas, seu ratio positiua probans existentiam talis rei, modi, aut prędicati, nihil vltra laborantes adhærent parti negatiuæ. Toti igitur sunt in soluendis aduersariorum obiectionibus, quod si præstiterint, sibi Philosophi, ac Theologi muneri satisfecisse videntur, & si sua dicta improbata relinquant. Volunt autem (quo æquitatis iure, ipsi viderint) vt aduersarij non solùm ipsorum obiectionibus respondeāt, sed etiam probent rationibus, vt passim dicunt, satis efficacibus propria effata. Quod si pręstiterint, qui positiuè procedunt, integram ingenij, & laboris sui laudem apud cordatos viros, & qui rem diligenter, ac mente à partium studio libera, expenderint, procul dubio obtinebunt, dum & aduersariorum tela facili negotio retundunt, & suas assertiones non leuibus rationibus confirmant: vtrumque enim Scholastici munus est, & veritatem probare, & veritatem defendere; qui autem negatiuè procedunt sua dicta, defendunt quidem ab aduersariorum iaculis, sed improbata relinquunt: hoc autem, tantorum virorum, [quos tamquam meos Pręceptores veneror] pace dico, hoc inquam, mihi videtur, non planè in veritatis studium incumbere, sed potiùs in illius inquisitione deficere.

Modus negatiuè procedendi apud recentiores frequens.

Qui stant pro argumento negatiuo.

3 Eorum, qui suas lucubrationes in lucem edidere, vix vnus, aut alter est, qui quęstionem ex professo agitās, vim argumenti negatiui promouerit; & non est fortasse temeraria suspecio, authores hoc argumento frequenter vsos, nihil aliud intendisse, quàm solutis argumentis non posse asseri impossibilitatem: in manuscriptis multi huius argumenti vim defendere, ac probare conati sunt, quam feliciter, ipsi viderint. Illud mirum fuisse, qui publicè asseruerit hoc argumento euidenter cōcludi rei possibilitatem: eamque esse Suarij mentem: quod indè colligebat: quia eximius Doctor *disp. 33. Metaphys. sect. 1. n. 3.* intendens demonstrare possibilitatem substantiæ immaterialis; hęc habet. *Probatur primo à priori, quia non repugnat ex parte rei, neque ex parte causæ efficientis potest deesse virtus: ergo euidens est huiusmodi effectum esse possibilem.* Consequentię euidentiam concedo magno Suario. Sed consequens non infert profundum tanti authoris ingenium, ex eo quod non apparet repugnantia, quod esset, negatiuè procedere; sed ex alijs principijs, vt patet legenti.

Ex Suario non colligitur argumētum negatiuum euidenter concludere

4 Contrariam sententiam, argumentum videlicet negatiuum, nè probabiliter quidem ostendere rei, de qua agitur, possibilitatem defendit Confalonerius in *epitome phylos. asser. 60. n. 10.* vbi: *Hoc dubiū inquit, solus Cōptonus examinat disp. 7. Phys. Sed breuiter satis, quia neque omnino mouet, & consequenter, neque soluit. Plurimi recentiores passim supponunt præsumptionē pro possibilitate. Contra Pauci Romę cum admi-*

Cōtra vim argumenti negatiui stant Confalonerius & exercitè S. Thomas.

rabili

rabili Theologo Antonio Perez, & Cardinali Sfortia Pallauicino potius exercitè, quam signatè oppositum docent: & patet, quod cum antiquioribus S. Thomas, & Scotus idem sentiant; Methodus enim S. Thomæ c^a contra hunc argumentandi modum negatiuum, ex quo patet: neque communem sensum fauere negatiuè procedentibus: cum talis procedendi modus non sit examinatus: nec sit primum principium. Hæc Confalonerius. Et quidem quod attinet ad S. Thomam fateor, me exceptis commentarijs in Aristotelem, & & paucissimis alijs, diligenter legisse omnia opera scholastica S. Thomæ, & in quibusdam meis veluti commentarijs in auream eiusdem Angelici Præceptoris summam totam illius doctrinam adnotasse, ac pro meo modulo promouisse; nec vnquam inuenisse S. Doctorem in tanta quæstionum multitudine, & varietate, vsum argumento negatiuo: sed vniformiter semper positiuè processisse. Videntur sibi aduersarij adinuenisse tandem post longam inquisitionem locum, vt asserunt, satis clarum pro argumento negatiuo *opusculo* videlicet 27. quod est *de æternitate mundi*: vbi probat non repugnare mundum ab æterno: quia non repugnat ex defectu potentiæ in Deo: aliter potentia Dei non esset omninò illimitata; neque ex repugnantia intellectuum. Verùm si attentè legas S. Thomã apertè deprehendas S. Doctorem, non ex eo, quod non appareat inter illas repugnantias, sed positiuè probare non repugnare inter se terminos, quos aduersarij intendebant repugnare: hoc autem quam longè distat ab argumento negatiuo?

Mirabilis Theologus Antonius Perez, & Card. Pallauicinus.

5 Quod attinet ad mirabilem Theologum Antoninm Perez, & acutissimum Cardinalem Pallauicinum, quos quis negat huic sententiæ suffragari; & quoad Perez addit, Confalonerium debuisse aliquem illius locum afferre, in quo reijciat argumentum negatiuum: dico me omnia horum sapientissimorum hominum opera scholastica magno cum studio, ac labore, & pedetentim adnotando etiam in scriptis singula illorum sensa, nihilque per oscitantiam, aut fastidium negligendo, perlegisse: nec vnquam aduerti hos authores adhibere ad probandas suas assertiones, hanc procedendi formam, sed omnia illorum scripta abundare rationibus satis validis, & acutis, vt quilibet, qui eos diligenter percurrerit experietur: quare hi authores nostri temporis lumina exercitè contemnunt argumentum negatiuum, & damnant.

6 Et quamuis non negauerim, Pallauicinum non nihil fauere argumento negatiuo, is tamen fauor est valdè exilis, & quo vix lætari possint aduersarij, vt patet ex ijs, quæ habet *lib. 6. de Sacramentis cap. 14. per totum, & 1. 2. disp. 7. quæst. 2. art. 1.* & Antonius Perez Theologus verè mirabilis duplici in loco etiam explicitè declarat ineptitudinem argumenti negatiui. Primus locus habetur *tract. de Deo disput. 2. de visione cap. 2. vbi* §. 6. discutit, vtrum sit valida ratio, qua S. Thomas probat possibilitatem visionis beatæ ex appetitu hominis ad beatitudinem, & n. 110. docet primo dari naturalẽ appetitum entis supernaturalis, & ipsius beatitudinis, secundum aliqam rationem communem; non autem secundum rationem particularem: hoc secundum: quia ens supernaturale non potest secundum suam propriam rationem distinctè naturaliter cognosci, vt possibile; ac proindè, neque vt bonum absolutè appetibile. Primum: quia euidenter cognoscimus aliquibus rationibus communibus inesse rationem boni; euidenter enim cognoscimus omne bonum esse bonum, & amabile, & maius bonum esse magis amabile: ex quibus cognitionibus homo disponitur ad amandum, quod est bonum, & ad magis amandum, quod est maius bonum: sub his autem rationibus communibus includitur visio beata; ergo per has cognitiones homo disponitur naturaliter ad appetendam beatitudinem: ergo ne illa dispositio sit frustra, datur appetitus naturalis beatitudinis sub conceptu communi.

7 Secundo, ex alio capite infert esse naturaliter impossibilem appetitum visionis beatæ in particulari. quia proposita visione Dei infinita, & contemplatione naturali eiusdem Dei, ratio naturalis euidenter proponit possibilem contemplationem naturalem; at visionem dictat non esse euidenter possibilem, sed potiùs præsumendam numquam futuram, & non dignam, pro qua laboretur; cum nulla illius spes naturaliter eluceat; quamuis non euidenter dictet esse impossibilem: ideoque desistit ab intentione absoluta illius, & intendit bonum naturaliter possibile.

8 Docet tertio, hominem, & Angelum in illis circumstantijs habere appetitum cõditionatum de visione Dei sub ea conditione, si est possibilis, & detur facultas eam obtinendi; imò ex hoc capite hominem, & Angelum se præferre bestijs: quia manifestè bestijs repugnare visionem Dei, sibi autem non videm esse impossibilem, sed optimam sub dicta conditione, de qua nihil possunt naturali lumine decernere: quin & de hoc ipso gaudent, quod non habeatur impedimentum essentiale, & euidens visionis Dei.

9 Quarto docet, ex hac velleitate, & gaudio adeò naturali, & hominibus insito, rationẽ naturalem euidenter inferre possibilitatem visionis, non quidem positiuam, sed negatiuam; idest credibilitatem ipsius, vt possibilis consistentem in eo, quod adsit negatio implicationis contradictionis euidenter apparentis, aut potentis euidenter apparere; seu quod non appareat euidenter, neque euidenter apparere possit implicantia visionis: & in hoc sensu exponit rationem S. Thomæ.

10 Tum quinto contra hunc modum procedendi affert difficultatem: quia ex illa velleitate, & appetibilitate sub ratione communi; non benè infertur possibilitas visionis: quia passim impossibilia in communi, & simplici quadam velleitate prosequimur. Respondet pro S. Thoma

ma, illum ex dicto capite non probare, lumine naturali euidentem esse possibilitatem positiuam visionis beatæ, licet significet euidentem possibilitatem negatiuam: quod probare plurimum interest, ne infideles excusationem habeant, dum nolunt credere possibilitatem visionis propositam per doctrinam catholicam.

11 Sexto docet, hanc possibilitatem negatiuam efficaciter probari posse ex principio S. Thomæ: aliter frustra dedisset nobis Deus hanc velleitatem visionis beatæ & æstimationem supradictam nostri supra irrationales naturas; si tandem possemus euidenter cognoscere, visioné illam implicare contradictionem: nam data euidentia illa doleremus dolore, qui opponeretur gaudio fundato in illa æstimatione: quod fusius prosequitur.

12 Ex quibus concludit regulam ad concludendum possibilitatem negatiuam entis supernaturalis esse, si non possit ratio naturalis euidenter probare impossibilitatem, & detur in nobis velleitas naturalis iam dicta: supposita autem notitia ordinis supernaturalis possumus statim inferre, illud bonum esse possibile Diuinæ Omnipotentiæ.

13 Tum demum, ad rem nostram concludit, in hac regula fundari consuetudinem defendendi aliquid vt possibile de potentia absoluta, si non appareat implicatio contradictionis, sed tamen debet adiungi: & probetur saltem probabiliter non posse apparere, & ipsa res ostendat spem boni laudatorij Dei, aut appetibilis à nobis, sub ea conditione, si sit possibilis; præsertim, si ea velleitas sit frequentissima: tum concludit; vbi autem non apparet spes boni, nulla consequentia fieri potest ex hac præsumptione potentiæ Dei, vt patet in mathematicis, apud quos non habet priuilegium possibilitas præ impossibilitate, quia non curant de ratione boni. Ex quibus aperté patet, per hunc authorem ex præcisa non apparentia contradictionis, non posse probabiliter inferri possibilitatem etiã negatiuam, sed opus esse alijs adminiculis, quod videlicet probabile sit, quod non possit apparere, & quod adsit illa velleitas.

14 Clarior est textus eiusdem authoris cõtra vim argumenti negatiui ex *disp.* 7. de iustif. *cap.* 1. *n.* 1. vbi quærens, vtrum adultus possit iustificari, non praua dispositione libera, hæc habet. (*Quæstio est meo iudicio difficilis, quamuis recentiores, & alij authores, eam contemnere videantur: quasi facilè sit respondere, non esse eam negandam Diuinæ omnipotentiæ, cũ non appareat implicatio contradictionis: quasi hoc argumento ostendant ipsi, apparere possibilitatem, & omnia sint possibilia, quorum nobis non appareat implicatio contradictionis. Sed quàm difficile sit, ostendere possibilitatem iustificationis non voluntariæ patet ex imbecillitate rationum quibus eam probant*) quibus verbis aperté declarat se nullius momenti putare argumentum negatiuum.

15 Ab eodem negatiuo procedendi modo videtur abhorrere Maurus, qui illo numquam vsus est in tota sua philosophia, Martinus Esparza, qui illum improbat *quæst.* 61. *de Sacramentis art.* 4. & Derebennis *disp.* 4. *de Deo c.* 2. *n.* 23. putat hunc procedendi modum esse imbecillum. Quibus adde Vasquez 3. *p. disp.* 27. *cap.* 2. *n.* 10. vbi hæc habet (*quemadmodũ igitur nemo dicere auderet, vnam naturam posse terminari per alienam personam, nisi fides nostra ita reuelasset: quia nullum esset ad hoc asserendũ fundamentum; tametsi re vera non adduceretur contra illum aliqua contradictionis implicatio*) quid clarius ad rem nostram? Idem videtur docuisse 3. *p. disp.* 75. *cap.* 2. *nu.* 11. Hæc igitur sententia asserens argumentum negatiuum ductum ex non apparentia repugnantiæ non solum non euidenter, sed ne probabiliter quidem ostendere rei, de qua agitur, possibilitatem, est sufficienti authoritate suffulta.

16 Dico cum hac secunda sententia, argumentum negatiuum non esse sufficiens ad probandam rei possibilitatem; idque verum esse & si intellectus non sit rudis, & speculationibus insuetus, nec rem illam oscitanter, ac veluti semisopitus contempletur: sed maximè versatus in scientiis, ingenijque lumine non vulgari præditus, magna cum diligentia obiectum consideret: humanus tamen, quem videlicet etiam post adhibitum omnem conatum longè, imo infinitè plura, quæ spectant ad rem, latẽt, quàm sint illa, quæ cognoscit. Et quidẽ quodlibet prædicatum creatum, quod considerationĩ obijcitur, duo inter alia habet: primò, vt sit essentialiter limitatum, & capax limitatæ perfectionis, ideoque repugnans identitati cũ infinita perfectione, nec capax vt identificetur, nisi finitis, & limitatis perfectionibus: aliter posset infinitè perfici, & euadere infinitè perfectum: ergò habet capacitatem ad identitatem cum finitas, & determinatis perfectionibus: & incapacitatem ad identitatem cum infinitis: sic hoc prædicatum rationale, vt etiam id à posteriori explicetur, habet capacitatem, vt idẽtificetur cum his prædicatis hominis: & incapacitatem vt identificetur cum infinitis aliis differentiis.

Argumẽtum negatiuum non habet vim.

17 Secundò, quodlibet prædicatum creatum potest comparari cum infinitis aliis rebus à Deo productibilibus, & per respectum ad illas haurire multas repugnantias cum aliis prædicatis: Intellectui autem humano, & si exercitatissimo, & summam adhibenti diligentiam maxima ex parte sunt ea omnia ignota; & non nisi secundum minimam partem nota, notitia multis tenebris obuoluta propter ignorantiam, seu potius nescientiam iam dictam. His positis.

18 Probo meum dictum: ex non apparentia vnius contradictorii etiam post diligentissimam inquisitionem, non potest ab intellectu humano, quamuis nobili probabiliter inferri aliud contradictorium: Sed possibilitas, & impossibilitas rei, quæcumque illa sit, sunt contradictoria: ergo præcise ex non apparentia impos-

Ratio contra argumẽntum negatiuum.

pos-

possibilitatis, etiam post diligentissimam inquisitionem, non potest ab intellectu, quamuis nobili, probabiliter inferri possibilitas rei, de qua agitur. Minor est certa, maior probatur, ex eo, quod etiam post diligentissimam inquisitionem intellectus cultus, & nobilis non inuenit paritatem siderum, non potest inferre disparitatem: ex eo, quod non inuenit turcam stare, non potest probabiliter inferre turcam non stare, & idem constante inductione accidit in reliquis contradictorijs: ergo absolutè ex non apparentia vnius contradictorij, etiam post adhibitam omnem diligentiam non potest ab intellectu, quamuis nobili inferri aliud. Cuius rei ratio est: quia post diligentissimam inquisitionem, & obiectionum solutionem æquè eidem intellectui, etsi nobilissimo, non apparet vnum, ac non apparet alterum contradictorium, seu neutrum apparet: si enim alterũ positiuè apparet, non sumus in casu: ergo intellectus ille vnicus æquè vtrumque ignorat, æquè vtrumque est illi improbatum: ergo neutrum potest rationabiliter, seu probabiliter affirmare; igitur, si velit intellectus tunc rationabiliter operari, debet iudicium suspendere; sicuti iudex cum rationes neutri parti suffragantur, non potest pro alterutra parte decidere.

Impugnatur prima responsio.

19 IN publicis disputationibus: dum hoc argumentum vrgerem, doctissimus vir respondit, in eo casu vtrumque probabiliter inferri, & possibilitatem rei ex eo, quod non probetur impossibilitas, & impossibilitatem, ex eo quod non probetur possibilitas. Sed contra primo: in illis circumstantijs post adhibitam omnẽ diligentiam, intellectus quamuis nobilis, non potest rationabiliter præferre vnam partem alteri, & eligere potius partem affirmantem possibilitatem, quàm impossibilitatem: quia æquè probatur, vel potius æquè non probatur vna, ac altera pars; vbi autem rationes æquè non probant vtramlibet partem, non potest vna rationabiliter præferri alteri: quia illa paritas rationũ, seu non rationum pugnat cum rationabili fundamento præferendi; quod non potest esse nisi inæqualitas rationum, & apparentiæ, vel non apparentiæ: ergo qui hoc argumento ducuntur irrationabiliter defendunt potius possibilitatem infiniti, quàm impossibilitatem, & huic illam præferunt. Quod si dicant, intellectum tunc debere probabiliter vtrumque affirmare: ergo dum ipsi docent possibilem v.g. creaturam nullibi, ducti argumento negatiuo, eodem argumento ducti debent dicere illam impossibilem. Quod quàm longè distet à mente negatiuè procedentium, nemo fortasse non videt. Profectò hoc modo procedere est punctum, de quo agitur, dubium, & in se indecisum relinquere: sicuti ante adhibitam diligentiam: neque vna contra alteram partem aliquid obtinet.

20 Contra est secundo: etiam post adhibitam diligentiam ab optimo ingenio, & culto, diuersum quid est non apparere vnum contradictorium, v.g. impossibilitatem, ac apparere oppositum contradictorium, & impossibilitatem deesse: nam non apparere vnum contradictoriũ, & impossibilitatem, est deesse nobis rationes probabiles illi adhærendi: apparere autem oppositum contradictorium; seu habere nos rationes probabiles positiuas, ex quibus affirmemus illud contradictorium: quæ duo esse diuersa nemo non videt: sunt enim inter se separabilia, & benè potest adesse primum sine secundo: neque ea diuersitas impeditur per adhibitam diligentiam, & solutionem argumentorum: nam ea diligentia, & solutio solùm facit, ne intellectus oscitanter, aut temerè dicat deesse nobis rationes probabiles; sed aliquo modo rationabiliter; non autem facit, vt adsint rationes positiuæ probabiles: eadem est ratio de altero contradictorio, nempè possibilitate: ergo post adhibitam diligentiam neutrum contradictoriũ eidem intellectui apparere, est illum vnicum intellectum rationabiliter, & non temerè simul carere ratione adhærendi vni contradictorio, & carere ratione adhærendi alteri; & non habere rationem positiuam adhærendi vtrique, vel alterutri: ergo cui post adhibitam diligentiam neutrum apparet, potest quidem, & debet suspendere iudicium, neutri adhærendo; non autem potest rationabiliter alteri, vel vtrique adhærere: cum habeat motiuum rationabiliter suspendendi iudicium neutri adhærendo; nam rationabiliter caret motiuo adhærendi: non autem habet motiuum adhærendi: & quis dicat, quod carere motiuo adhærendi vtrique, vel alterutri contradictorio, sit habere motiuum vtrique adhærendi? & quod diligentia adhibita nullum inueniens motiuum adhærendi, inueniat motiuum adhærendi?

21 Igitur diligentia adhibita dum declarat nullum adesse motiuum, nullam apparere rationem, declarat rationabiliter suspendendum iudicium. Ipsum apparere est adesse rationem positiuam, sicuti non apparere est deesse rationẽ positiuam: quare diligentia declarans non apparere rationem, non est ratio positiua respectu rei, de qua quæritur; sed potius est probatio, & inuentio, quod desit ratio positiua circa illã: licet ipsa diligentia aliquando includat rationẽ positiuam, qua veluti reflexè probetur deesse rationem positiuam, & apparentiam obiecti, de quo quæritur: quod est potius confirmare nullam adesse rationem positiuam ad decidendam quæstionem. Vndè patet falsò nonnullum, dum respondet hisce meis argumentis assumere argumentum negatiuum post adhibitam diligentiam, non esse purè negatiuum, sed mixtum positiuo: quasi verò illa diligentia adhibita, quæ inuenit aliquo modo carentiam rationis pro alterutra parte contradictionis, putanda sit ratio asserendi; perindè ac si causa trahens carentiam vtriusque effectus, seu aliquod incompossibile cum vtroque effectu, constet cum illo causam adæ-

Diligentia non reddit rationem mixtam.

adequatam effectus mixtam ex positiuo, & negatiuo. Sed permisso, quod aliquid positiui (quod tamen semper negandum est) admisceatur ex illa diligentia in argumento negatiuo; adhuc persistit eius insufficientia, vt facilè colligi potest ex dictis.

22 Contra est tertio: veritas motiui sufficientis ad inferendā probabiliter alteram partē cōtradictionis, nō potest coniungi, & multò minus potest necessariò connecti cum veritate motiui sufficientis ad inferendam probabiliter alteram partem contradictionis: sicuti repugnat veritas vnius contradictorij cum veritate alterius: & nulla est probabilitas, quod duo contradictoria possint esse simul vera, cum sit apertè falsū: sed non apparentia vnius contradictorij v.g. impossibilitatis, etiam adhibita diligentia componitur in casu nostro cum non apparentia alterius videlicet possibilitatis, imò illam necessariò trahit: ergo illæ duæ non apparentiæ, non possunt, vt volunt aduersarij in hac responsione, esse motiua sufficientia, vt probabiliter simul idem intellectus inferat vtramque partem contradictionis possibilitatem videlicet, & impossibilitatem infiniti.

23 Vt autem vis huius argumenti melius intelligatur: vltro concedo posse intellectui simul apparere duo motiua velut i opposita, quorum quodlibet probabiliter inferat, & ostendat alteram partem cōtradictionis: at nego posse illa duo motiua esse, & apparere simul necessariò vera, ita vt veritas vnius non solùm componatur cum veritate alterius, sed etiam illam necessariò trahat, idque elucescat: quia sicuti obiecta, & conclusiones consequentes sunt oppositæ, ita vt ne probabiliter quidem possint simul verificari, ita opposita debent esse motiua, in quibus illæ conclusiones continentur; ita vt non possint simul verificari: aliter & quodlibet motiuum declararet sua veritate veritatem conclusionis sibi correspondentis: & simultas motiuorum sua veritate declararet veritatem simultatis vtriusque contradictorij, & conclusionis: cum non minùs in singulis motiuis contineantur singulæ veritates, quàm in simultanea veritate motiuorum simultanea veritas conclusionum, & contradictoriorum; quæ tamen est omninò repugnans: sed illa duplex non apparentia simul est, & vna necessariò trahit aliam: & vtraque est vera: ergo non potest vtraque esse motiuum sufficiens altera ad inferendam possibilitatem, altera ad inferendam impossibilitatem, saltem respectu eiusdem intellectus: quod debere aduersarios ex sua responsione concedere, supra probaui.

Argumētū negatiuum non benè fulcitur ex præsūptione, quod Deus possit facere quidquid nobis non apparet repugnans

Impugnatur secunda responsio.

24 RESpondebis secundò, argumentum negatiuum pro possibilitate adductum benè probabiliter concludere: quia non est ductum ex mera non apparentia vnius contradictorij; sed fulcitur etiam præsumptione possibilitatis fundata in amplitudine diuini dominij, & potentiæ: propter quam debemus asserere, Deum posse quidquid nobis obijcitur, & non apparet repugnans. Sed contra primo: quia iam recedimus à modo purè negatiuè procedendi in quæstionibus de possibili. Deinde nos debemus dilatare rationabiliter obiectum diuinæ Omnipotentiæ: quod sufficienter præstatur, si dicamus Deum posse creare, quod est possibile extra ipsum fieri; & ex sua infinita virtute habere, vt sint possibilia plura, & semper perfectiora sine fine: ad hoc autem non requiritur, vt quidquid in particulari occurrit nostræ menti aptæ ex se ad plures chimeras concipiendas, attribuatur diuinæ Omnipotentiæ, & dominio, vt obiectum, præcisè, quia non apparet nobis eius repugnantia; quinimò hoc est irrationabiliter dilatare obiectum diuinæ Omnipotentiç, & dominij: quod non est minùs indecorum, ac irrationabiliter illud restringere.

25 Quod sequenti discursu confirmo: dicere, quod Deus possit facere rem aliquam determinatam, quæ neque euidenter, neque probabiliter iudicatur possibilis, est irrationabiliter dilatare obiectum diuinæ Omnipotentiæ: ad rem videlicet, quę cum neque euidenter, neque probabiliter apparet possibilis, non nisi irrationabiliter, & temerè dicitur talis: sed dicere, quod Deus sua infinita potentia possit facere, quidquid non apparet repugnans, est dicere, quod Deus possit facere rem aliquam, quæ neque euidenter, neque probabiliter iudicatur possibilis: ex non apparentia enim repugnantiæ, vt probauimus, neque euidenter, neque probabiliter infertur possibilitas. Confirmatur, & explicatur: vt iudicem euidenter, hoc esse possibile, & obiectum diuinæ Omnipotentię, debet mihi aliundè euidenter constare de rei possibilitate: ergo vt probabiliter iudicem rem esse possibilem, & obiectum diuinæ Omnipotentiæ, debet mihi aliundè probabiliter constare de rei illius possibilitate: ex eo autem præcisè, quia mihi non apparet repugnantia, nè probabiliter quidem mihi constat de rei possibilitate.

26 Confirmatur præterea: dupliciter potest intelligi, quod irrationabiliter extendatur obiectum alicuius potentię: primo contra rationē euidenter, vel probabiliter dictantem, obiectū illud non spectare ad eam potentiam: secundo sine ratione euidenter, vel probabiliter ostendente obiectum illud spectare ad talem potentiam: primo modo est extensio irrationabilis, & erronea: secundo modo est irrationabilis, sed tantùm temeraria: in nostro autem casu, licet non habeatur primus modus dilatationis, habetur secundus. Et profectò hic controuertimus: vtrum probabile sit hoc iudicium: Deus omnipotens, cuius infinitum est dominium, cuius virtutis obiectum est illimitatum, potest facere quidquid non apparet repugnans: aduersarius asserit esse probabile: quod nè temerè faciat, debet vlteriorem rationem reddere: hanc autē rationem non potest aliter formare, nisi assumendo illud principium, in quo omnes conuenimus:

nimus: Deus omnipotens potest facere quidquid est possibile fieri; & euidens est Deum posse facere, quidquid euidenter est possibile: probabile posse facere, quidquid probabiliter est possibile: sed quod non apparet repugnans est probabiliter possibile: quam propositionem ego nego, & iam ostendi falsam: aduersarius autem, vel nullo modo probat, vel recurrendo ad illam propositionem, Deus omnipotens potest facere, quidquid non apparet repugnans; quæ propositio est ipsa quæstio, & consequens inferendum: quod nego, esse probabile, & dico temerè assumi, & aduersarius non potest aliundè probare, nisi redeundo ad caput, Deus potest facere quidquid est possibile, sed quod non apparet repugnans est possibile.

27 Confirmatur tertiò, & magis explicatur allata ratio: quandò quæritur, vtrùm aliqua res sit obiectum diuinæ Omnipotentiæ, vt affirmatiuè concludatur, debet saltem probabiliter ostendi, quod res illa habeat conditiones obiecti diuinæ omnipotentiæ: quod videlicet sit possibilis, & non repugnans: quod autem res illa sit possibilis, non satis benè probatur per non apparentiam repugnantiæ, vt vidimus: ergo quod sit obiectum diuinæ omnipotentiæ nō benè probatur per hoc, quod non appareat eius repugnantia.

Impugnatur tertia responsio.

Neque ex præsūptione quod plures sīt combinationes prædicatorū compossibiliū, quàm incōpossibilium

28 RESpondebis tertio iuxta doctrinam Cardinalis Pallauicini *lib. de Sacramentis, cap. 14 n. 192.* dum non apparet repugnantia, præsumptio stat pro possibilitate: quia pleraque binaria prædicatorum excogitabilium sunt talia; vt alterum ex illis prædicatis non repugnet alteri: quare distinguenda est illa propositio, ex non apparentia vnius contradictorij non benè infertur aliud, in quæstionibus de possibilitate coniunctionis prædicatorum; negotiū alijs; transeat.

29 Sed contra est primo: quia falsò assumitur in responsione, quod binaria prædicatorum, quæ ponuntur, pleraque non repugnant: quia si præscindamus à ratione positiua, solùm habemus, quod non apparent repugnare, sicut non apparent compossibilia: ergo præscindendo à ratione positiua, non debent asseri potiùs repugnantia, quàm non repugnantia, & integra perseuerat vis nostri argumenti.

30 Secundo, vt notabam, quodlibet prędicatum creatum habet finitam capacitatem, vt perficiatur: ergo non potest identificari, nisi cum finitis perfectionibus, & repugnat identificari cum infinitis: ergo in dubio potiùs præsumptio stat pro repugnantia, quàm pro possibilitate: & si probabile est ex Aristotele, quod plerumque contingit, cum combinationes prędicatorum incompossibilium, sint longè plures, quàm possibilium; vbi pro neutra parte adest ratio positiua, in quolibet casu particulari, potius præsumenda est incompossibilitas, & repugnantia, quàm compossibilitas.

31 Tertiò, ipse Pallauicinus, cuius est allata responsio, negat in creaturis potentiam obedientialem, & affirmat argumentum negatiuum stare pro sua sententia: quia in ea quæstione agitur, non tàm de non repugnantia, quàm de prædicato aliquo positiuo, nempè de virtute causatiua: prædicata autem positiua sūt probanda, non præsumenda, etiam in quæstionibus de possibili, nam cuique rei pleraque ex prædicatis positiuis excogitabilibus repugnant: ex quo, si nullum, inquit, sit indicium pro vtraque parte, vnumquodque prædicatum, quod proponitur, probabilius est abesse, quàm adesse: & n. 168. eam tradit regulam: quoties dubitatur an aliquod prædicatum conueniat Deo, vel creaturis, & cessant omnes experientiæ à posteriori, tum immediatè, tum mediatè, debemus illud negare, si licet, ex ratione boni. Sed quoties agimus de possibili, semper quæritur de prędicato aliquo positiuo, vtrùm videlicet huic, vel illi entitati conueniat capacitas ad identitatem, aut distinctionem, ad vnionem, & coexistentiam, aut separationem; sic dum quærimus vtrum creatura possit spoliari omni vbicatione, quærimus vtique, vtrum in creatura sit capacitas, quod prædicatum positiuum est, vt existat sine vlla vbicatione.

Duo media probandi rei possibilitatem ex Pallauic.

32 Lubet hic addere, quæ circa punctum præsens docet Pallauicinus *t. 1. disp. 6. quæst. 21 art. 1. à n. 1.* quærit ibi, vtrum voluntas possit ferri in incognitum: affert pro parte affirmante argumentum, quia in hoc non apparet repugnantia manifesta, & extenditur Omnipotentia Dei: tum addit, *neque assertionem esse veram, neque fundamentum ratum*. Et quod attinet ad perfectionem Dei, asserit in huiusmodi quæstionibus duas cōsiderationes esse faciēdas, altera est, vtrū saluetur conceptus Omnipotentiæ, qui vtique saluatur per hoc, quod Deus possit facere, quæ possunt fieri: sic enim Omnipotentia Dei non habet terminum: altera est, vt sint possibilia omnia ea, sine quorum possibilitate inferretur, quod Deus esset imperfectus, hoc est, quod eius opificia non possent esse bona, & pulchra, & reddere artificem gloriosum. Quo circa, & si possibilitas rerum ex parte obiecti nullam habeat rationem, vtpotè quæ est aliquid necessarium, & incausatum; tamen in ordine ad nos eam arguimus, quasi à priori, ex earū bonitate.

33 At si aliquod ex vna parte sit contra exigentiam naturæ, & ex alia parte nulla appareat specialis bonitas in tali obiecto, non habemus sufficiens fundamentum ad eius possibilitatem asserendam; & tamen in eo casu adhuc potest vrgeri argumentum negatiuum, quod nulla appareat repugnantia: sed tantùm à posteriori, si innotescat vel per experientiam, vel per fidem possibilitas alterius obiecti penè similis, ita vt vel per euidentem, vel per probabilem consequentiam arguatur, quod si est possibile vnum, est possibile aliud.

34 Ex quibus duo colligo, primum est eminentissimum virum putasse insufficiens argumen-

tum negatiuum, deſumptum ex non apparentia contradictionis, vt patet ex numero 2. vbi appellat illud fundamentum non tutum: & ex numero 3. vbi primo docet, ſi aliquod ſit contra exigentiam naturæ, & ex alia parte nulla appareat ſpecialis bonitas in tali obiecto, non adeſſe ſufficiens fundamentum ad eius poſſibilitatem aſſerendam; & tamen etiam tunc vrget argumentum ex non apparentia repugnantiæ. Secundum, quod infero eſt, citatum authorem aſſignare duos illos modos poſitiuè probandi rei poſſibilitatem: primus eſt veluti à priori ex ratione boni: ſecundus veluti à poſteriori ab experientia, vel fide de poſſibilitate aliarum rerum, &c. Qui autem aſſignat modos poſitiuè probandi res poſſibiles; dum aſſerit non tutum fundamentum ex non apparentia repugnantiæ; clariſſimè docet modum negatiuè procedendi in his quæſtionibus non eſſe ſufficientem.

35 Ex quibus ſoluitur obiter argumentum, quod contra me quis vrgebis: quia ſi non valet ad probandam rei poſſibilitatem argumentum negatiuum, deductum ex non apparentia repugnantiæ; iam clauſus eſt omnis aditus, vt probemus rerum poſſibilitates, & conuincamus Ethnicos aſſerentes non eſſe poſſibilē alium ſolem, &c. Ego fateor ſatis arduum eſſe rerum poſſibilitatem probare: at ſatis bona puto duo illa capita, quæ ex Pallauicino adduxi. Neque vrget, quod additur de Ethnicis: quia non omnes illorum errores ſunt ratione conuincendi; quia non omnes clarè pugnant cum ratione naturali. Neque quiſquam conuictū Ethnicum putauerit argumento negatiuo: quod vtpotè tantùm probabile, etiam fatentibus aduerſarijs; non poteſt illum cogere ad ſuum errorem dignoſcendum; vtile tamen eſt contra Ethnicos negatiuum argumentum, quia licet non ſit ſufficiens ad veritatis probationem; ſatis eſt ne illi fidant ſuis rationibus, quas vident ſolutas: ac proindè, vt ponantur in æquilibrio.

Soluuntur obiectiones contra prædicta duo media.

36 Sed vrgebis contra ſecundum modum probandi rei poſſibilitatem ex experientia, & fide rei ſimilis; quia et ſi magna ſit ſimilitudo inter duo, non benè infertur ex vnius poſſibilitate, poſſibilitas alterius. Facilis eſt reſponſio; Cardinalis enim Pallauicinus non docet ex poſſibilitate vnius ſimilis inferri poſſibilitatem alterius; ſed tantùm, quando euidenter, vel probabiliter oſtenditur, quod poſſibilitas vnius nō poſſit ſubſiſtere ſine poſſibilitate alterius; quem modum argumentandi conuincere, nemo negabit: ſicuti nemo cordatus negabit ex maxima ſimilitudine inter vnum, & aliud, ſatis probabiliter inferri, præciſo quocumque alio medio, quod ſi vnum eſt poſſibile, & aliud ſit poſſibile: ſi hoc ipſum renuis; iam dixi, probare rerum poſſibilitates eſſe arduum negotium, & magis difficile, quàm probare impoſſibilitatem: ex quo capite Comptonus acerrimus argumenti negatiui propugnator expreſsè fatetur, in quæſtionibus de poſſibili vix aliquid definiri poſſe.

37 Vrgebis primum probandi modum, primò, quia ſupponit connexionem Dei cum poſſibilitate creaturarum, quam multi negant. Sed contra: quia ſi poſitiuè probatur, poſſibilitatem rei alicuius eſſe neceſſariam, vt ſaluetur perfectio aliqua diuina, illud argumentum non ſupponit eam connexionem; ſed indiuiſibiliter vtrumque probat, poſſibilitatem obiecti, & connexionem Dei cum illa. Præterea familiariſſimum eſt Doctoribus probare multa de creaturis; quia alias non ſaluaretur Dei ſumma perfectio; vt quod creaturæ immediatè dependeant à Deo, ab eo conſeruentur, & gubernentur, &c. Cur igitur non benè quis probauerit poſſibilitatem rei alicuius; quia alias non ſaluaretur ſumma Dei perfectio; quod ſi indè ſequatur, & probetur etiam connexio, imò identitas Dei cum poſſibilitate creaturarum; hoc ipſum eſt ſatis laudabile. Neque obſtat, quod alij oppoſitum doceant: quia vel improbabiliter id aſſerunt, vel ſi probabiliter, id non reddit improbabilem, vel non probabilem oppoſitam opinionem: ſolùm igitur ſequitur, quod modus probabilis oſtendendi rei poſſibilitatem includat, vel etiam probet aliquod abſolutè probabile, quod nullum eſt abſurdum.

38 Secundo vrgebis: quia qui defendit infinitum repugnare, debet ita arguere: non apparet, quod infiniti impoſſibilitas arguat in Deo imperfectionem: aliter nihil conficit. Sed contra, quia, neque ego, neque alius, qui eam poſſibilitatem infiniti negamus, vſi ſumus eo arguendi modo; ſed alindè poſitiuè probamus infiniti impoſſibilitatem, & repugnantiam eius cum diuina perfectione; qui autem hoc modo procedit, etiam independenter ab ea non apparentia, totum, quod ſpectat ad rem, conuincit.

39 Neque demum fauent aduerſarijs, quæ n. 3. addit Eminentiſſ. Sfortia, videlicet: *Ceterum non ſatis eſt ad affirmandum aliquid eſſe poſſibile, quod in eo non appareat euidens contradictio; ſed præterea requiritur, quod non ſit allatum argumentum valdè probabile contradictioni*. Ex quo infert nonnullus ex mente Pallauicini ſufficere, quod nullum ſit allatum argumentum probabile contradictionis. Verum Cardinalis ſolùm aſſerit, non ſatis eſſe, quod nullum ſit argumentum euidens cōtradictionis, ſed præterea requiri, quod nullum ſit allatum probabile; quod ſufficit ad probandum primum. Verum autem, dicere: *Præterea requiritur*, [illegible], *quod ſufficiat*, vt eſt neceſſarium ad intentum aduerſarij, vlterior [illegible].

Quid de illo principio: non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, quo ad excludendos modos, prædicatorum diſtinctionem, ac rerum exiſtentiam.

40 RECentiores, qui vel modos, vel rem aliquam defactò dari, aut duo prædicata diſtingui realiter negant; communiter vtuntur illo argumento: nulla eſt neceſſitas modi diſtincti, aut admittendi hanc, vel illā rē, hoc, vel illud.

illud prædicatum, &c. idest nulla apparet ratio: ergo excludendi sunt modi, &c. Verùm hic procedendi modus eodem laborat morbo, quo præcedens ad probandam rerum possibilitatem ex non apparentia contradictionis: dum ex non apparentia vnius contradictorij infert absolutè aliud. Illud igitur principium, in quo fundatur allati vis argumenti, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, potest habere multiplicem sensum; primus est; non esse admittendum aliquod, quod si daretur esset omninò inutile; nihil præstaret, quod non supponeret iam præstitum, ad nullum finem conduceret, nullam constitueret consonantiam, & ordinem cũ alijs rebus, nec declararet potentiam sapientissimi artificis: & in hoc sensu verissimum est axioma: quinimo quod est eo modo superfluum, etiam repugnat: euiusmodi sunt pura media non conducentia ad finem, vel supponentia finem iam acquisitum. Sed vndè norunt aduersarij modos, distinctionem prædicatorum, existentiam rerum, de quibus quæritur in particulari, habere dictas conditiones? aut vndè id probant, nisi recurrendo ad argumentum negatiuum non apparet modos, aut distinctionem horum prædicatorum esse vtiles? ergo non sunt vtiles: de cuius argumenti inefficacia dictum iam est.

41 Secundus sensus est, non sunt asserenda esse ea, quę non probantur esse: & hic sensus est etiam verus, ne irrationabiliter asserantur existentia: sed non sufficit, ne asserantur non esse: cum neque irrationabiliter excludenda sint ab existentia: vt igitur decidatur quæstio recurrendum est ad rationes positiuas; & contra indifferentiam argumenti negatiui, quęcomque ratio positiua, vel leuis potest rationabiliter inclinare intellectum ad alteram partem, cui additur ex ratione positiua pondus. Profectò cur sine ratione positiua asserenda potiùs est identitas, quàm distinctio, potiùs carentia, quàm positiuum: si æquè benè vtrumque conferat ad hunc rerum ordinem, & seriem?

42 Dices: natura est amica parsimonię; ergo producit positiua, quam minimè potest. Sed profecto naturam tibi fingis, tamquam auarissimam, & suarum rerum tenacissimam anulã: cum potiùs asserenda sit liberalis: quid enim est natura agens (de hac agimus, quæ dat, nam passiua purè recipit) quàm Deus liberalissimus Dominus, qui dat omnibus affluenter; oec improperat; & á quo; vt ille solius luminis naturalis ductu vidit, vsque ad delicias amamur. Confirmatur: Deus, vt author naturalis potuit eligere vtramlibet seriem, in quarum altera ostenderet parsimoniam, in altera liberalitatem: vnde habes illum defactó elegisse potiùs parsimoniam, quàm liberalitatem, & seriem sine modis, quàm cum modis. Vbi aduerto, Deum exercendo liberalitatem, non ponere aliquod superfluum.

43 Dices iterum, non dari duas series possibiles, quarum altera habeat modos, altera minimè; in altera inueniatur id, de quo loquimur in quęstione, in altera non inueniatur. Sed tantum illam seriem, in qua exercetur parsimonia, & excluduntur modi, & prædicata de quibus quæritur. Sed contra: quia aduersarij debent iuxta sua principia supponere, quod sint possibiles omnes hæ series: dum in nulla illarum appareat repugnantia? Quod si adhuc id renuis: vndè probas potius possibilem esse vnam, quàm aliam ex dictis seriebus?

44 Dices tertiò, ex principijs Pallauicini *loco citato de Sacramentis*: res existentes sunt finitæ, res quæ non existunt longè plures: prædicata, quę habet res existens sunt finita; prædicata, quibus caret sunt infinita: ergo in dubio vtrú aliquod existat, deficientibus vtrimque rationibus, debet præsumi, quod non existat, & in dubio pari, vtrum res hæc, habeat hoc, vel illud prædicatum, præsumi debet, quod illo careat: quia præsumptio stat pro eo, quod est inter plura, & vt in plurimum contingit. Hoc argumẽtum primò est positiuum, non fundatum in mera non apparentia necessitatis. Secundò, non habet locum in quæstionibus de modis, & distinctione prędicatorum: non enim frequentius accidit, vt effectus formales, de quibus quęritur, habeantur sine modis: neque id assumi debet, vt certum sicuti neque, quod prædicata frequentius identificentur, quàm distinguantur: Et quidem cum omnia, quę benè saluari possint admissis, ac negatis modis, admissa distinctione, ac identitate prædicatorum, dum aliud non elucet ex ratione positiua, non est cur potiùs negentur, quàm admittantur modi; cur prędicata, de quibus constat aliundè inesse rei, admittantur potiùs identificata, quàm distincta.

45 Fateor tamen, allatam ex Pallauicino doctrinam benè probare in dubio, quando alias nihil obstat ex aliqua alia ratione positiua, præsumendum potiùs esse, quod non sit hoc indiuiduum, vel species, quàm quod sit, quod res existens careat potiùs, quàm habeat prædicatum, vel virtutem, de qua quæritur: quia indiuidua, quæ existunt, qualitates, & prædicata, quę insunt rei sunt finita; infinita verò indiuidua, quę non existunt, infinita prædicata, & qualitates quibus res caret: in dubio autem pręsumptio stat pro eo, quod in pluribus contingit, quomodo probabilitatem definit Aristoteles: at hæc est ratio positiua.

Redeo ad argumentum negatiuum pro rerum possibilitate ex non apparentia contradictionis.

46 CONfirmo demùm iuxta supra notata meam principalem conclusionem. Aliud est soluere obiectiones, aliud probare conclusionem; quod non est, cur verificetur in alijs materijs, non autem cum agimus de rerum possibilitate; non apparentia autem repugnantiæ etiam post diligentissimam inquisitionem est pura obiectionum solutio: ergo non est probare conclusionem.

Conceptus vniuersales, simpliciter, communes etiam possibilibus, & eorum necessitas.

47 Verum, vt rerum possibilitatem, vel impossibilitatem indagemus, præcipuè attendere debemus ad conceptus quosdam simplices, & vniuersales communes rebus, non solùm actualibus, sed etiam possibilibus: si enim præscindamus ab his conceptibus, nihil possumus decidere de possibilitate, vel impossibilitate rerum: nam si quærat quis; vtrum possibile sit ens creatum essentialiter indestruibile; nisi habeat conceptum possibilitatis communem omni possibili, conceptum entis communem item omni enti, conceptum creati communem omni creato, & conceptum indestruibilis communem omni indestruibili; non poterit quidquam pro alterutra parte decidere; neque vero aliundè potest colligere, vel repugnantiam, vel possibilitatem illius creaturæ, nisi cognoscat illorum prædicatorum pugnam, aut connexionem, & compossibilitatem.

48 Ne autem dicamus, naturam non dedisse nobis principia, ex quibus possimus discurrere de rebus possibilibus, ideoque ridiculas esse quæstiones, quas de illis excitamus, ac frustratoriam curiositatem, & inclinationem naturalē, quam quisque in se experitur aliquid de rebus possibilibus cognoscendi; debemus in nobis admittere vim naturalem formandi huiusmodi conceptus simplices, & vniuersales, qui ad res etiam possibiles se extendunt.

Quomodo formentur in homine.

49 Vt verò cognoscamus modum, quo formantur in nobis dicti conceptus; scire oportet obiectum magis immediatum, & proportionatum humano intellectui: & de quo propter immediatam experientiam minimè dubitare potest, esse tum ipsum hominem, tum operationes, nec quidem paucas eiusdem hominis: quis enim vnquam sanæ mentis, & vigilans dubitauit se esse, viuere, quiescere, moueri, à se prodire has, vel illas operationes, ad ipsius bonū ordinatas. Dependenter igitur ab hac experiētia format conceptum entis, substantiæ, accidentis, & similes conceptus communes omni enti, substantiæ, accidenti, etiam possibili. Ea enim est vis intellectus, vt dependenter ab experientia particulari circa vnum singulare, formet conceptus vniuersales communes omni rei, etiam possibili: alias esset minùs aptus ad acquirendas scientias rerum, tum actualium, tum possibilium; careret enim principijs tum complexis, tum incomplexis ad indagandas illarum veritates. Legatur S. Thomas *1. p. quæst. 2. ar. 1. in corpore.*

Vsus horū conceptuū in quæstionibus de possibili.

50 Hi igitur conceptus graduum superiorum, & inferiorum, quos reflectendo supra se ipsum, & supra suas operationes, cum aliqua depēdētia à sensu, format intellectus humanus, debent supponi cōmunes rebus etiā possibilibus: aliter ne probabiliter quidem posset de illis discurrere: careret enim principijs; nec haberet, vnde illa erueret. Quando igitur quærimus, vtrum aliqua prædicata pugnent inter se, non debemus præscindere à conceptu talium prædicatorum, quem primo formamus dependenter à dicta experientia. Hinc cum machina hęc mundi sit optimè à Deo constituta, & maximè armonica, si aliquid occurrat, quod maximè discrepat à modo huius constitutionis, debet putari innaturale, & miraculosum etiam in alia rerum serie: aliter vndè possumus de naturalitate, & miraculis illius seriei discurrere?

51 Huc spectat doctrina Pallauicini *loco cit. 1. 2.* videlicet: quando aliquod est obiectum proprium alicuius potentię cognoscitiuæ, philosophandum de illo secundum notionem, quam de tali obiecto fundat ea potentia, nec putandū possibile, quod est contra talem notionem: aliter non esset firma physica, & mathematica, quarum prima fundatur in notione rerum habita per sensum: secunda in notione quantitatis habita per imaginationem: neque ex eo, quod imaginatio fundat illam notionem, quod ex puncto ad punctum potest duci recta vnica linea, posset formari axioma mathematicum: de puncto ad punctum vnica recta linea duci potest: neque ex eo, quod imaginatio repræsentat partes peripheriæ ęqualiter distantes à puncto centri; possemus id vt principium assumere.

52 Ad rem etiam præsentem facit, quod idem Pallauicinus docet *disp. 6. cit.* videlicet, quod spectatis his conceptibus modo dicto formatis, nullam præsefert bonitatem, si præsertim naturaliter repugnet; probabiliter putandū impossibile, vtpote indignum Deo, vt ponatur, & ineptum ad declarandam Dei artificis sapientiam. Ex quo eodem principio, sic discurrit *disp. 9. quæst. 1. art. 6. n. 7.* Deus non potest ita operari ad extra, vt suis operibus non declaret sapientiam per argumenta, & non falsa: aliter possemus prudenter dubitare, verum Deus sit bonus, & sapiens: quia omne argumentum falsum relinquit locum dubitationi: ergo Deus debuit vniuersaliter dare proprietates singulis rebus conuenientes; ex hoc enim arguitur eius bonitas, & sapientia; & multo magis debuit condere legem, conuenientem vniuersalitati creaturarum rationalium, quæ ostendat bonitatem, & sapientiam principij: vt benè docemur *psal. 18.* verùm hæc attigisse sit satis, plura dicam cum de Dei prouidentia.

53 Demum illud hic addo primo, si nulla appareat repugnantia in aliquo conceptu, & accedat communis hominum sensus asserentium eius possibilitatem, me adhæsurum possibilitati: ille enim communis sensus est vox quædam naturæ; quod à fortiori dico, si adsit authoritas Diuina, vel Patrum: ideoque supponendus est possibilis alius mundus, & similia. Secundo, lumen negatiuum, & si non sufficiat, fulcire tamen lumen positiuum inclinans ad aliquam partem.

SVBSECTIO II.

Soluuntur Obiectiones.

54 OBijcies primo: si intellectui proponatur aliquod à sensibus remotum, potiùs

tiùs inclinat ad iudicandum illud impossibile, quàm possibile: ergo si post diligentem inquisitionem non inuenit repugnantiam, signum est, quod sit possibile. Nego consequentiam: nam si intellectus naturaliter inclinat, vt assumit aduersarius, ad iudicandum esse impossibile, signum est, quod ex occultis, quæ proponuntur, plura sint impossibilia; aliter illa inclinatio intellectus naturalis, potiùs esset ad errorem, quàm ad veritatem intellectus. Neque ex eo, quod magis inclinamur ad iudicandum impossibile; benè inferes, nos habere naturalem propensionem ad fingendas repugnantias, vbi non sunt: neque enim naturalis inclinatio est ad errorem, sed potiùs inferas, ex occultis, quæ obijciuntur, plura esse, quæ repugnant, quam quæ sunt possibilia. Quod si Philosophi allucinati sunt circa Mysteria Trinitatis, & similia nostræ fidei: est quia illa sunt supra captum luminis naturalis; ex quo potiùs eruuntur principia ad positiuè probandam eorum impossibilitatem.

55 Obijcies secundo: nemo putandus est malus, nisi probetur; & in dubijs standum est pro reo: quæ sunt principia apud iurisperitos: ergo inter principia rectè philosophandi numerari debent hæc: Nullum obiectum reputandũ est impossibile, nisi probetur eius impossibilitas: & in dubio standum est pro possibilitate. Leue, ni fallor argumentum, ad stabiliendum principium, in quo nititur magna ex parte aduersariorum philosophia, & theologia.

56 Concessa igitur, quo ad primam partẽ consequentia, quod non sit reputandum impossibile, quod non probatur impossibile, sicuti non est reputandus reus, qui non probatur reus: nego illam, quo ad secundam partem: nã quando dicitur, quod in dubio standum est pro reo, non est sensus, quod in dubio, quo non probatur reus, sit reputandus innocens, sed quod non sit tractandus, tamquam reus, neque puniendus: malum enim punitionis certum, non est infligendum, vbi non est certa illius causa: ideoque in dubio statur pro reo; quia relinquitur in immunitate à sententia, & pœna, quã immunitatẽ possidebat, neque vnquã amisit: quare adest ratio positiua, ne dãnetur, & ne puniatur: quia certò possidet immunitatem à damnatione, & pœna, à qua non est per causam incertam deturbãdus. Sed faciamus, quæso te, duos apud iudicem de dominio alicuius gemmæ, quæ à neutro possidetur, contendere, neutrum autem pro se afferre rationem sufficientem; profectò iudex neutri illorum poterit adiudicare gemmam: at res in casu nostro hoc secundo modo accidit.

57 Obijcies tertio: potest rationabiliter voluntas prosequi obiectum, quod proponitur spoliatum omni malitia morali, quamuis de factò non careat ea malitia: ergo poterit intellectus rationabiliter amplecti, vt possibile, obiectum, quod proponitur spoliatum omni impossibilitate, quamuis in se sit impossibile. Primò, consequentia potest à me concedi; neque consequens est contra meam doctrinam; qui non assero, non posse intellectum assentiri possibilitati obiecti, quod proponitur spoliatum omni impossibilitate; sed assero, intellectum non posse rationabiliter affirmare obiectum possibile, quia post diligentem inquisitionem non videt illud vestitum impossibilitate, quod longè distat ab eo, quod est, videre spoliatum omni impossibilitate. Secundò, retorqueo exemplum voluntatis, & meo quidem iudicio non leuiter, contra aduersarios: si voluntati proponatur obiectum, in quo nulla appareat ratio boni, nulla ratio mali, non potest illum prosequi, vel fugere: quia deficit ratio prosequendi, vel fugiendi: ergo si intellectui proponatur obiectum, in quo nulla apparet ratio possibilitatis, nulla impossibilitatis, non potest illud vel prosequi vt possibile, vel fugere vt impossibile: sed debet suspendere iudicium.

58 Obijcies quarto: est hominibus, & brutis à Deo, & natura inditum, quod si in rebus sensibilibus, post diligentem inquisitionem, non inueniant vnum ex oppositis, statim adhæreant, & prosequantur aliud: sic canis venaticus in biuio, si fugientis prædæ odorem non experitur in vna parte, statim declinat cursum ad aliam: & homo, qui gemmam in arca clausit, si nesciat esse furatam, & videat clausam arcam, iudicat ibi esse gemmam, quamuis accidere possit, vt furata absit: similiter Caius, qui vult occidere Titium suum inimicum, quem scit esse cũ Paulo, quem non vult occidere; si videat, aut iudicet hunc ex illis, qui est à dextris, v. g. non esse Paulum, statim illum occidit tamquam Titium suum inimicum; & sic in sexcentis alijs exemplis: ergo videtur naturæ lumine inditum, vt si post diligentem inquisitionem nõ appareat vnum extremum, iudicemus esse alterum: ergo ex naturæ lumine, si non apparet impossibilitas, possumus rationabiliter iudicare, obiectum esse possibile.

59 Sed primo argumentum probat, nos si non appareat impossibilitas, debere necessariò, & euidenter assentiri possibilitati, sicuti canis in casu allato necessitatur ad arripiendam aliam semitam; & homo ad iudicandum, quod ille sit Titius suus inimicus. Secundò, in allatis exẽplis, ideò bruta, & homines ex eo, quod non apparet vnum oppositum, inferunt adesse aliud: quia primum ex oppositis, si adesset, deberet apparere, idque necessariò; quare ex eo, quod non apparet, benè determinantur ad eius non existentiam, & ad existentiam oppositi: præcise enim hoc debito irrationabiliter determinarentur ad oppositum. At in casu nostro, non est debitum, vt possibilitas, & impossibilitas, si adsunt, post adhibitam diligentiam appareant; aliter cũ post adhibitã diligentiã neutra appareat, vtraque deesset; quod idem est, ac vtramque adesse. Cani igitur venatico, si adest præda, debetur eius odor: quare si hic non odorat, bene determinatur, ad eam alibi quærendam. At gemma clausa in arca habet argumentum positiuum pro sua perseuerantia in arca, nempè primam

po-

positionem sui in illa: quare nisi probetur extracta, benè præsumitur adesse. Et qui certò scit, ex duobus alterum esse Titium suum inimicum; si cognoscat dexterum non esse Paulum, qui est alter illorum; benè determinatur ad occidendum sinistrum; idque non præcisè, quia nõ apparet ibi Paulus, sed quia si ibi esset Paulus, deberet illi apparere, idque euidenter; ergo si non apparet, euidens est, non esse; & consequenter euidens est, ibi esse alterum ex duobus, nempè Titium inimicum. At si adest impossibilitas, vtpotè à sensibus, & consequenter ab intellectu remota, non debet apparere; sicuti non debet apparere possibilitas per aduersarios: sicuti quia numerus stellarũ est à nostro sensu remotissimus, quãuis necessario adsit, vel paritas, vel imparitas; nõ possumus ex eo, quod non videmus paritatẽ inferre, quod desit: aliter, cũ neq; imparitatem videamus, deberemus inferre neutram, & consequenter vtramque adesse: igitur attendendum est verum ex affinitate, quàm obiectum, de quo loquimur, habet ad nostros sensus, debeat nobis apparere, si adsit; & siquidem debeat, & non appareat, benè inferimus deesse, verum argumentum tunc non fundatur in pura carentia cognitionis præsentiæ, sed præcipuè in positiuo debito dictæ apparentiæ, si res adesset. At possibilitas, & impossibilitas rerum longè absunt à nostro senso, vt patet.

60 Obijcies quinto: intellectus hominis scientijs imbuti, qui post longam, & diligentem inquisitionem, non inuenit implicantiam alicuius rei, & probabiliter soluit omnes implicantias, & quæ sibi occurrunt, & quæ ab alijs proponuntur, non habet respectu possibilitatis dispositionem dubitantis, & debentis suspendere iudicium, qua videlicet non inclinatur magis ad vnam, quàm ad oppositam partem, vel propter defectum, vel propter æqualitatem motiuorum, quæ ex S. Thoma *quæst. 14. de verit. ar. 1.* est dispositio dubitantis: sed habet dispositionem opinantis, qua ex eodem S. Doctore magis inclinatur rationabiliter in vnam, quàm in aliam partem, licet non sine formidine oppositi: ergo iste talis potest rationabiliter adhærere possibilitati, quãuis cũ formidine oppositi: neq; verò hic quærimus euidentiã, sed probabilitatẽ. Antecedẽs probatur, quia nõ eodẽ modo est circa possibilitatẽ dispositus hic intellectus ante, ac post inquisitionem: ergo si antè inquisitionem habet dispositionem dubitantis, post illam habebit dispositionem opinantis: neque verò asserendum est, tanto labore nihil profecisse.

61 Nego antecedens: ad rationem in contrarium, nego consequentiam: hic igitur intellectus, tum antè, tum post diligentem inquisitionem, habet dispositionem dubitantis: sed diuersam, idque iuxta mentem S. Doctoris ab aduersario citati: nam S. Thomas agnoscit duplicem dispositionem dubitantis, alteram fundatam in defectu motiuorum, alteram in æqualitate motiuorum. Iam verò dictus intellectus, ante inquisitionem, habet dispositionem dubitantis: quia nullum habet motiuum assentiendi alteri parti; neque videt ex motiuis neutram debere rejici, neutram amplecti: sed est etiam dubius: vtrum inueniri possint huiusmodi motiua: at post discussionem, dum soluit argumenta allata pro vtralibet parte, & nullum apparet motiuum, quod potiùs inclinat ad vnam, quàm aliam; habet dispositionem dubitantis, sed diuersam à prima, quia videt nullum adesse motiuum pro alterutra parte dicenda, & motiua negatiua ex non apparentia esse æqualia pro qualibet parte, ac insufficientia ad inferendam alteram partem, cum neutra pars appareat vera: multum igitur profecit intellectus, inquirendo, dum inuenit dictas veritates, quas non possidebat ante inquisitionem; sed quo ad decidendum de possibilitate, vel impossibilitate non egressus est limites dubitantis.

62 Obijcies sexto: argumentum ductum ex non apparentia repugnantiæ est positiuum, non purè negatiuum: ergo est sufficiens ad fundandum assensum probabilem de possibilitate. Consequentia patet: quia insufficientiam dicti argumenti sustinemus, quia negatiuum est. Antecedens probatur: argumentum ad negandum hic esse colorem, si ducatur ex eo, quod, aere illuminato, potentia benè disposita, & stante proportione huius loci, adhuc color non appareat, non nititur in mera non apparentia coloris, sed etiam in alijs circumstantijs positiuis, ratione quarum si adesset color, deberet apparere; sed etiam argumentum, quo vtuntur philosophi ad probandam possibilitatem, fundatur non purè in non apparentia, sed etiam in bona dispositione intellectus, in quo veluti in loco proportionato ad inueniendam veritatem existit per appræhẽsionẽ obiectũ, de quo quæritur; & in diligẽti inquisitione eiusdẽ intellectus.

Quid quod argumentũ hoc non est purè negatiuum.

63 Respondeo, me non esse nimis sollicitum de voce, & verum argumentum negatiuum apud aduersarios frequentissimum, sit dicendũ purè negatiuum, vel possit dici permixtum positiuo: loquere vt vis. Satis mihi est, si non sufficit ad probabiliter inferendam rei possibilitatem: quia stantibus omnibus, quæ vult aduersarius, adhuc verificatur, quod neque appareat ratio pro impossibilitate, neque pro possibilitate, vt fusius vidimus. Ad exemplum autem de colore, iam patet ex dictis: quia oculo, dum non est impeditus, & aer est illuminatus, debetur visio coloris, si color adsit: ergo si deest visio, est argumentum euidens deesse etiam colorem. At impossibilitas, vtpotè longe distans à nostris sensibus, quamuis adsit, potest non apparere intellectui nostro etiam adhibenti omnẽ conatum. Et frequenter post adhibitum conatum neque apparet positiuè possibilitas, neque impossibilitas; cur igitur debeo dicere, quod potius adsit possibilitas, quàm impossibilitas?

Vnde vim habet argumentũ positiuum probabile.

64 Obijcies septimo: si non valet argumentum negatiuum ad inferendam probabiliter possibilitatem, neque valeret argumentum positiuum probabile ad inferendam probabiliter impos-

possibilitatem: nam ideò in primo casu non valet, quia licet non appareat repugnantia, potest latere: sed etiam in secundo casu, quamuis appareat repugnantia, quia tamen probabiliter apparet, potest ea apparentia esse fallax. Nego sequelam, ad rationem in contrarium, nego causalem, ratio cur argumentum negatiuum non vrget, est: quia vt constat inductione ex non apparentia vnius contradictorij, non benè infertur aliud; & cum neutrum positiuè appareat, non potest intellectus potiùs prudenter eligere vnã, quàm aliã partẽ. At apparentia positiua pro vna potiùs parte, quã pro alia, quãuis sit probabilis, & consequẽter fallax, vel in se, vel in connexione cum consequenti; habet nihilominus vim inclinandi potiùs in vnam, quam in aliã partẽ.

Negatiuũ includitur ne in positiuo probabili.

65 Instabis: ratio probabilis, si accedat alia in contrarium, vel euidens, vel valdè probabilior, amittit probabilitatem: ergo suam probabilitatem habet ab argumento negatiuo. Respondebit fortasse quis, nullum esse absurdum, quod probabilitas absoluta rationis positiuæ compleatur per carentiam rationis euidentis, vel probabilis in oppositum: quia ratio positiua eo modo completa, apta est auferre perplexitatem, & inclinare rationabiliter in alteram partem; quod deficit argumento negatiuo, quo vtuntur aduersarij, vt patet ex dictis. Confirmatur, quia qui aliquam conclusionem defendit, debet non solùm soluere argumenta aduersariorum, sed etiam illam probare aliunde: nam primum, vt vidimus, non sufficit, neque secundum, quia si apparet ratio in contrarium, vel euidens, vel longè probabilior, debet intellectus recedere à prima assertione. Secundo dici potest, quod, licet ad defendendam conclusionẽ absolutè, saltem probabiliter, solui debeant aduersariorum rationes; nihilominus rationem positiuam probabilem per se ipsam inclinare intellectum ad alteram partem rationabiliter complectendam; licet cum formidine saltem radicali in oppositum, ratione cuius intellectus non adstringitur illam sequi, vt certam: vtrumque autem prædicatum conuenit rationi probabili ex sua intrinsecis: neque eam vim amittit per accessum rationis in oppositum longè probabilioris, aut etiam euidentis: quamuis non habeat vim mouendi in præsentia illarum rationum, ideoque per illarum præsentiam dicatur reddi improbabilis: non quia amittat suam probabilitatem intrinsecam, & vim cum formidine motiuam, qua fruitur: sed quia actu non mouet ad præsentiam illarum. At per actum reflexum, adhuc illis præsentibus, potest cognosci, quod secundum se polleat vi rationabiliter mouendi.

Non omnis ratio est probabilis.

66 Dices: ergo nulla est ratio improbabilis: quia qualibet ratio, etsi leuissima, apta est in absentia rationis positiuæ, longè probabilioris, vel euidentis inducere rationabiliter assensum. Respondeo, nego consequentiam; ratio negationis est: quia ratio probabilis est, quæ absente ratione validiore in oppositum, apta est quemcumque intellectum benè dispositum in assensum rationabiliter inducere, idque ex suo pondere: quod profectò non conuenit cuicumque rationi: sunt enim aliquæ rationes, adeò leues, vt intellectus illis non possit adhærere, nisi ex mala dispositione; & quia non benè rem percipit, & huiusmodi sunt improbabiles. Verum quidquid sit de complemento rationis positiuæ probabilis; certum est, illam secundum se inclinare intellectum potiùs ad vnam partem, quàm aliam, ac proindè iuxta mentem S. Thomæ excludere ab illo rationem dubitantis, quod non verificari de argumento negatiuo aduersariorum satis iam probatum est.

Quam euidentiã habeant principia cõclusionis probabilis.

67 His adde, rationem probabilem esse principium conclusionis probabilis, & fundans iudicium immediatum, ex quo deducitur conclusio probabilis, nam etiam in processu probabili, ne abeamus in infinitum, deueniendum est ad aliquod principium, cui immediatè assentimur. Hoc igitur iudicium immediatum est, iuxta mea principia, euidens de veritate principij, sed tantùm probabiliter, & cum formidine actuali, vel radicali ostendit connexionem illius cum consequenti. Igitur principium illud, per sui præuiam apparentiam, non habet excludere iudicium vel euidens, vel valdè probabile de falsitate consequentis; quia sicuti non trahit necessariò iudicium de veritate consequentis; ita potest componi cum iudicio de falsitate consequentis: attamen necessariò excludit iudicium de falsitate, vel improbabilitate sui, quod sufficit, vt dicamus, quod eius probabilitas non completur per carentias iam dictas; verum id indicasse sit satis. Vbi addo, rationes hæreticorum contra fidem esse improbabiles: quia fundantur in deprauato affectu, & pertinacia subiecti, non in ipso pondere obiectorum.

Non valet repugnantia non est asserenda: ergo nõ est.

68 Obijcies octauo: si non apparet repugnantia: ergo non est asserenda: sine ratione enim assereretur: ergo non est; ideò enim non est asserenda, quia non est; aliter intellectus nõ conformaret suas enunciationes obiectis. Confirmatur: quia, si quis in panno, quem apertis oculis, clara luce, intuetur, non deprehendat maculam, non solùm debet illam non asserere, sed etiam debet asserere, quod non sit. Nego secundam consequentiam, & rationem in contrarium adductam: euidenter enim aliud est non asserere hoc, aliud asserere hoc deesse; argumentum negatiuum non cogit ne asseramus implicantiam, at non cogit, vt asseramus deesse impossibilitatem; sicuti dum non apparet possibilitas, non possumus illam asserere; at non propterea possumus asserere illam deesse. Illud nota, quod non semel attigi, falsò ab aduersario assumi, consideranti, & expendenti prædicata quidditatiua, & definitiones rerum, esse debitam cognitionem implicantiæ, si adsit; aliter cur non est debita cognitio positiua possibilitatis: quare si post diligentem inquisitionem, neque possibilitas, neque impossibilitas apparet, pro neutra parte potest rationabiliter iudicari; sicuti ab Astrologo, si post diligentem inquisitionem,

nem, neque paritas, neque imparitas siderum apparet; pro neutra parte potest iudicare. Neque vim facies, si dicas possibilitatem, & impossibilitatem esse obiectum, de quo philosophus debet iudicare: nam primo etiam paritas siderum est obiectum astrologi. secundo, possibilitas est obiectum, ad cuius iudicium non debet procedere philosophus sine ratione; & sicuti stante, quod sit obiectum illius, adhuc neque apparet impossibilitas, neque possibilitas; ita neque debet iudicare pro alterutra.

Quid sit probabile.

69 Obijcies nono ex Aristotele 1. *top.* c. 1. t. 7. probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus; atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maxime notis: sed illud principium, quod videlicet, vbi non apparet repugnantia non sit; apparet omnibus, vel plerisque, eisque sapientissimis: ergo est probabile. Respondeo, primo in alia versione verba Aristotelis esse illa *Dialecticam interrogationē probabilem, vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus: & his vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis; esse opinabilem* in quibus, supposita aliundè probabilitate interrogationis dialecticæ, explicatur eius effectus, quod videlicet sit opinabilis, vel pluribus, &c. Et iure quidem, ne dicamus illos omnes, vel plures irrationabiliter opinari, hoc est ad libitum, & sine ratione ex sua dignitate inclinante, quare, si contra plures opinantes sine ratione, proponatur satis efficax ratio, illa opinio declaratur improbabilis. Esse igitur opinabile à pluribus, quamuis, vt effectus possit oriri à probabilitate, potest etiam aliundè oriri, ex aliquo videlicet communi errore, vt experti sunt in multis veteres philosophi: neque vero, quia multa, quæ postea Aristoteles suo lumine falsa comprobauit, á veteribus philosophis amplectabantur; erant propterea probabilia, licet fuerint opinabilia, & opinata. Idem est sensus verborum versionis, quæ afferuntur in argumento videlicet probabilia habere etiam hoc prædicatum, quod videantur omnibus, &c.

70 Hinc secundo Conimbricenses in commentarijs ad illam particulam probabilia hæc habent *videri verum omnibus, aut aliquibus nō esse rationem, cur aliquod sit probabile, sed signū probabilitatis, quam res secundum se sibi vendicat: authoritas enim fidem facit, non probabilitatem*. Quare meritò Antonius Peres *tract.* 1. *da instit. disp.* 4. c. 2. *n.* 21. ait in hac Aristotelis definitione contineri proprietatem probabilitatis, si tamen rationabiliter appareat: non essentiam, quam Aristoteles explicasse putat Perez cum Pallauicino 2. priorum c. 27. initio ibi *Eicos quidem est propositio probabilis: quod enim, vt in pluribus sciunt sic factum, vel non factum, aut esse, vel non esse, hoc ast eicos, vt odisse inuidentes, & diligere amantes*. Et 1. Rhetoricorum c. 2. post medium *Probabile nempe est, quod ferè semper solet fieri. Verum non simpliciter, vt quidam definiunt, sed quod cum de ijs sit, quæ aliter se possunt habere, sic se habet ad illud, quod est probabile, sicut vniuersale & particulare*. Probabile igitur essentialiter sumptum ex mente Aristotelis videtur esse id, quod continetur in numero eorum, quæ plerumque contingunt. Aristoteles igitur in allato textu ex 1. topicorum, non loquitur de probabilitate intrinseca, & absoluta, sed de extrinseca, quæ & desumitur ab authoritate, & vt rationabilis sit, debet supponere probabilitatem intrinsecam.

Mens Aristotelis de probabilitate.

71 Quod faciliùs intelligetur, si aduertamus ad textum Aristotelis in ipsomet 1. topicorum: nam philosophus expressè docet, se ibi non tradere exquisitam probabilitatis notitiam, sed voluisse typo hæc omnia percurrere, & aliqualem eorum cognitionem tradere: nam canit illud concludens. *Vniuersaliter, inquit, loquendo de omnibus tam dictis, quam post hæc dicendis, eatenus nobis definitum esse: propterea, quod de harum rerum nulla, exquisitam rationē asserendi consilium capimus, sed quatenus typo hæc percurrere voluimus, omninò sufficere putātes, secundum propositam methodum, si horum vnumquodque possit quomodocumque fieri*. Cæterum neque secunda Aristotelis definitio est omninò adæquata comprehendens omne probabile, sed tantùm vnam eius speciem, & alibi asserebam, & fusius explicabam rationem probabilem esse rationem, quæ licet neque euidens, neque certa sit, tamen ex suis intrinsecis, & ex suo motiuo non est leuis, sed grauis. His positis:

72 In forma ad maiorem, dico Aristotelem loquutum esse de effectu probabilitatis, qui sequi ab illa possit, sed etiam posse haberi ab alijs causis: locutum esse de probabilitate ab extrinseco, quæ vt vim habeat supponere debet probabilitatem ab intrinseco: aliter est pura fides: & quidem, si videtur ita sapientibus, & pluribus debet supponi aliundé habere pondus; aliter licet sapientes, non tamen sapienter se gessissent illam amplectentes. Debilitas etiam minoris patet ex dictis: nam illorum, qui quæstionem discusserunt bona pars negat illud principium. Sapientissimi autem, vt S. Thomas, & alij exercitè recedunt ab illo modo procedendi. Non negauerim illum modum esse facilem; & sua facilitate multos ad sui amorem illexisse. Sed veritas tamquam pretiosum margaritum, & facile latens est magnis expensis, & sudoribus inquirenda.

Quid præsumenda possibilitas vel impossibilitas

73 Demum addo. Confalonerium *asser.* 60. nostram sententiam promouere eo argumento: quia plures sunt conceptus chimerici, qui nobis occurrunt, quam reales: nam circa essentiam Dei indiuisibilem, plures, & fere innumeræ sunt opiniones, quarum tamen vna est vera: ergo in dubio potiús præsumendum est pro conceptu chimærico, quam pro reali, & quod conceptus occurrens sit in numero plurium. Respondet doctissimus quidam, hic non agendum esse præsumptionibus, sed rationibus: quasi verò ad inferendam rerum possibilitatem, vel impossibilitatem

tatem non sit argumentum satis probabile ipsa præsumptio. Cæterùm in hoc argumento Confalonerij non præsumitur modum negatiuè procedendi non esse probabilem; sed probatur ratione desumpta ex certa præsumptione, quæ fieri debet in singulis quæstionibus de possibili, dum non euincit aliqua alia ratio positiua præualens præsumptioni, quæ ipsa etiam est ratio positiua. His positis de argumento negatiuo, sit.

SVBSECTIO TERTIA.

Soluitur principalis quæstio de possibilitate infiniti quantitatiui.

Repugnat infinitum categorematicum quantitatiuum.

74 DIco probabile esse repugnare infinitum categorematicum quantitatiuum, tum in numero, tum in extensione tum in intensione: est sententia S. Thomæ, Suarij, Pallauicini, Mauri, Giattini, & multorum, tum veterum, tũ recentiorũ, ac magni nominis authorum; contra alios nec paucos, nec illaudatos, quos sequitur Vasquez, Hurtadus, & ex parte Ouiedus. Quiros quamuis initio propugnet possibilitatem, in calce tamen totius disputationis sect. vltima expressè asserit esse impossibile; sed omissa authoritate, quæ pro vtralibet parte est ferè æqualis.

75 Probatur nostrum dictum: quia ex vna parte argumentum negatiuum, quo vno maximè nituntur aduersarij, non est sufficiens ad inferendam infiniti quantitatiui possibilitatem; ex alia verò, ne ipsi quidem aduersarij negare possunt, argumenta, quibus nostri authores probant infiniti repugnantiam esse multa, & validè probabilia, & aliqua adeò difficilis solutionis, vt in illis soluendis desudare authores fateatur Arriaga: ergo absolutè probabile est infinitum categorematicum quantitatiuũ repugnare: prima pars antecedentis, & vis etiam illationis patet ex dictis subsectione præcedenti; secunda pars aperta est consideranti ea, quæ pro nostra sententia afferentur ab authoribus.

76 Verum ne nostrum dictum improbatum videamur relinquere, vnum ex omnibus argumentis seligam, quod magni facio propter authoritatem S. Thomæ; ex quo 1. p. qu. 7. art. 4. *corpore post medium* sic formari potest ratio pro dicta impossibilitate: quod non potest cadere sub certam, & determinatam intentionem Dei sapientissimè agentis, non potest esse opus diuinum, & repugnat: sed infinitum categorematicum quantitatiuum non potest cadere sub certam, & determinatam intentionem Dei sapientissimè agentis: ergo infinitum categorematicum quantitatiuum non potest esse opus diuinum, & repugnat. Maior probatur: omne opus Dei ad extra, seu creatum est volibile a Deo certa aliqua intentione, vt notat Angelicus Præceptor: aliter Deus illud ponendo, nesciens quid ponat, & quid intendat, vanè, & insipienter ageret: vanè enim, & insipienter, ac veluti casu agere, est opus ponere non determinatè illud præcognoscendo, & intendendo: maior igitur videtur certa.

77 Probo nunc minorem: illud potest à Deo sapientissimè agente certò, & determinatè intendi, quod est hoc ens determinatum, & non aliud, habens hæc determinata prædicata sui constitutiua, & non alia, has determinatas, & non alias partes: igitur illa collectio indiuiduorum, quantitatis extensio, & intensio qualitatis potest à Deo certò, & determinatè intendi, quæ est hæc, & non alia, habet has determinatas, & non alias partes: sed infinitum quantitatiuum non est hæc determinata collectio, & non alia, habens has determinatas partes, & non alias: si enim est hæc, & non alia, continetque has, non illas partes, iam ex circumscripta terminis, ratione quorum extenditur ad has, non illas partes, gradus, & vnitates.

78 Confirmatur, & explicatur, Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videt singulas collectiones determinatas, & extensiones, quas potest producere: ergo videt, quas vnitates, & partes contineat in se, qualibet collectio: eadẽ est ratio de extensione quoad partes, & de intensione quoad gradus: ergo videt quamlibet collectionem constare tot vnitatibus, & non pluribus, quamlibet extensionem tot, & non pluribus partibus; nisi enim Deus id videat, non potest determinari ad dicendum: hæc collectio includit has, non illas partes. Quod sic explico: ex duplici capite potest intelligi, quod collectio determinatè excludat alias vnitates; primo ex ratione sua specifica, quia est collectio hominum, non includens indiuidua angelica, v. g. & hoc non facit ad rem: quia loquimur de hac collectione hominum, quæ includat hos homines ex possibilibus, non reliquos. Quod si volis collectionem hominum categorematicè infinitam necessariò continere omnes homines possibiles; indè redargueris: quia iam illa collectio infinita, & impertransibilis euaderet finita, & pertransibilis per detractionem vnius hominis, & consequenter tota ipsa collectio iam finita est, & pertransibilis; finitum enim, & pertransibile, non euadit infinitum, & impertransibile, per vnum superadditum, quod transito reliquo facillimè absumitur. Præterea infra probabo vnum infinitum numericum debere continere omnes vnitates, & omnia indiuidua omniũ specierum.

79 Secundo potest intelligi, quod collectio sit hæc, & non alia ex sua veluti ratione indiuiduali, quia videlicet cõtinet hos homines, non illos: & in hac suppositione sic arguo: quia, quod contineat hos, non illos veluti ex ratione saltem inadæquata oritur: quia continet tot, & non plures, quia si contineat simul tot, & plures, non est cur excludat illos alios. Quod inde vlterius sic explicatur; quia infinitum continens omnes vnitates, & omnia indiuidua possibilia omnium specierum, non continet aliud, nisi numerum indiuiduorum, ex quo possunt extrahi indiuidua plura, & plura per collectio-

Quilibet numerus infinitus debet continere omnes vnitates possibiles, & esse infinities infinitum.

nes finitas maiores, & maiores sine fine: sed quælibet collectio infinita, quamuis dicas illam continere tantùm homines, est talis numerus, vt ex eo possint extrahi plura, & plura indiuidua per collectiones maiores, & maiores sine fine: ergo quælibet collectio infinita, etiam illa, quã dicis continere tantùm homines, debet continere omnia indiuidua possibilia omnium specierum: ergo Deus volens creare infinitum, vel videt numerum categorematicè infinitum necessariò continere omnia indiuidua possibilia omnium specierum, quod negant aduersarij, vel non videt, quid determinatè contineat hoc, vel illud infinitum. Rursus non scit, quid determinatè contineat hic numerus categorematicè infinitus hominum: nam ex vno capite, propter allatam rationem, deberet videre, quod contineat absolutè omnia indiuidus possibilia omniũ specierum, ex alia, quod tantùm humana, quia est infinitum hominum tantùm: ex vna parte, quod non contineat omnes homines possibiles, vt dicis, ex alia, quod contineat omnes homines possibiles, quid enim est continere omnes possibiles, quàm talem esse dictam collectionem, vt ex illa possint sine fine extrahi plures, & plures, modo dicto? neque verò aliquid plus habet collectio, quæ continet omnes possibiles. Rursus Deus videret collectionem infinitam, quæ continebat omnes possibiles homines, etiam detractis centum millibus contenturam omnes homines possibiles: quia adhuc esset infinita, & ex infinitate haberet transitum modo dicto inconsummabilem; quod tantùm, & nihil aliud continet numerus omnium possibilium.

80 *Dices:* numerum infinitum omnium possibilium continere veluti replicatam infinitatẽ, & multa infinita; at numerus infinitus hominum semel continet infinitatem. Sed contra, ex omnibus indiuiduis possibilibus omnium specierũ, si non repugnat infinitum, debet posse fieri vnus numerus infinitus longè maximus: neque enim indiuidua diuersarum specierum habent repugnantiam, vt per intellectum colligantur in vnum numerum: quis enim dicat, hunc hominem, hunc equum, hunc leonem, non posse constituere numerum ternarium? de infinito autem numero hominum compacto tantùm ex hominibus, & comparato cum illo infinito maximo redit argumentum, quod contineret, & non contineret omnes vnitates, quæ continentur in illo maximo.

81 Deindè quæro, cur infinitum hominum est semel infinitum? si dicas esse semel infinitum, quia pertinet ad vnam tantùm speciem; rursus peto, cum ex hominibus alij sint mares, alij fœminæ, collectio omnium fœminarum possibilium est ne infinita, vel finita? si secundum: ergo etiam collectio virorum erit finita, sicut collectio omnium fœminarum: si infinita? ergo possumus hic considerare tres veluti infinitates, aliam virorum excludentem fœminas, aliam fœminarum excludentem viros, tertiam compactam ex vtraque; argumentum autem factum probat, collectionem fœminarum, vtpotè numerum infinitum contenturam viros, & omnes vnitates, & indiuidua, quæ continentur in collectione ex vtrisque compacta.

82 Tertio quæro, vel quodlibet infinitum in numero est necessariò semel infinitum? vel aliquod est excogitabile infinitum, quod sit vnum quidem infinitum, sed contineat plura infinita minora? non primum: quia in infinito numero hominum continentur saltem duo infinita, alterum virorum, alterum fœminarum, in infinito animalium, continentur plura infinita, alterum hominum, alterum leonum, &c. in infinito brachiorum continetur, alterum infinitum brachiorum sinistrorum, alterum dexterorum: idem esto iudicium de infinito capillorum, oculorum, &c. si aliquod autem est excogitabile infinitum; siue demum dicas illud reale, siue chimæricum, de quo non curo; quod contineat in se plura infinita minora, de hoc redit argumentum factum, quia quodcumque aliud infinitum excogitaueris, debet continere totum illud, quod continet illud infinitum maius, vel etiam maximum, vt patet ex allata ratione.

83 Neque effugies vim argumenti, si dicas numerum formaliter constitui per actum intellectus numerantis, & veluti colligentis in vnum plures vnitates: ac proindè, præciso hoc actu intellectus, non haberi in infinito actu plura, vel pauciora infinita, sed multitudinem impertransibilem, ex qua possunt extrahi plura, & plura indiuidua, ac maiores, & maiores collectiones sine fine. Non effugies, inquam, quia primo intellectus diuinus iam colligit in vnum illas vnitates, & quodlibet infinitum diuidit in plura infinita; nostrum autem argumentum processit de obiecto huius actus diuini. Secundo, & si verum sit, quod assumit aduersarius; non infringitur vis argumenti: quia certum est ex vna parte multitudinem capillorum infinitorum hominum intrinsecè, & ex parte obiecti esse longè maiorem, multitudine hominum, & tamen argumentum probat non haberi illam inæqualitatem; imò quodlibet infinitum debere continere omnia indiuidua possibilia omnium specierum, & non debere: ac proindè nullum esse quid certum, & determinatum hoc, & non illud.

84 Quarto, non videtur explicari commodè posse, quid sit hoc infinitum esse semel infinitum, illud verò bis, ter, aut quater infinitũ. Quæro enim, quid requiritur ad constituendum semel infinitum, vel quid ad constituendum bis infinitum, &c. da mihi infinitum numerum hominum, quem dicis esse semel infinitum; & ego ostendam esse infinities infinitum: nam potest Deus illam multitudinem diuidere in duas partes æquales, vel saltem, quarum altera ab altera in vnitate tantùm excedatur, cur non? aut assigna huius rei repugnantiam tu, qui niteris argumento negatiuo? quælibet autem ex illis partibus est infinita, & vlterius diuisibilis in alias duas partes item infinitas, & sic in infinitum;

tum ; ergo quodlibet infinitum , & si illud minimum fingas, continebit infinities infinita , nec aliud plus continebit infinitum, quod fingis esse maius , & maximum.

Æqualitas correspondentiæ necessariò cō nectitur cū æqualitate continētiæ

85 Hinc reijcitur illorum responsio , qui iuxta principia Patris Vasquez docent , omnia infinita habere quamdam æqualitatem , veluti genericam communem omni infinito , quæ dici potest æqualitas correspondentiæ, seu negatiua, vt aliqui loquuntur, ratione cuius à quolibet infinito diuisibili possunt æquè extrahi plures , & plures partes sine fine, & collectiones sine fine plures, & maiores : cum qua cohæret quædam inæqualitas continentiæ, ratione cuius , vnum infinitum compactum ex hominibus, & Angelis v. g. contineat longè plura indiuidua , quam compactum ex puris hominibus. Reijcitur , inquam: quia æqualitas, quoad correspondentiam necessariò trahit æqualitatem quo ad continentiam: quia non plus continet infinitus numerus continens omnia indiuidua possibilia , ac quod continet tantum homines possibiles ; quia primus nihil aliud, continet nisi multitudinem adeò magnam, vt ex illa possint extrahi indiuidua sine fine plura, & collectiones sine fine maiores, quod competit omnibus infinitis : ergo omnia infinita sunt æqualia quo ad continentiam : & ex alio capite non sunt ita æqualia: ergo repugnant. Confirmatur , quia in rebus finitis , quę sunt ęqualia, quod ad correspondentiam, sunt æqualia, quo ad continentiam : in sententia igitur, quam impugno , quodlibet infinitum haberet in se replicata infinita infinita, & non haberet , esset, & non esset æquale omni , & cuilibet alij infinito.

86 Hęc ratio vrget etiam infinitum in extensione: quia cum quodlibet infinitum in extensione debeat continere multitudinem partiū extensarum adeò magnam, vt ex ea sint assumibiles partes plures, & plures, ac sine fine maiores; quælibet extensio infinita deberet continere omnem extensionem possibilem , & occupare omne spatium sine vllo termino ; & linea hinc versus orientem infinitè protensa, deberet esse vndequaque infinita: eadem est ratio de infinita intensione . Quod inde vlterius confirmari potest, quia si omnes palmi lineæ infinitè extensæ ab hoc puncto orientem versus penetrentur in hoc palmo loci; & similiter in alio palmo loci penetrentur omnes palmi lineæ vtrimque infinitæ, æquè ex vtraque linea, ita penetrata possent extrahi per totam æternitatem plures , & plures palmi, & collectiones palmorum maiores, & sine fine maiores.

87 Dices: hæc ratio non probat repugnare infinitam intensionem qualitatis indiuisibilem, quam possibilem admittere possent , qui docent intensionem qualitatis non fieri per additionem gradus ad gradum: sed eamdem specie qualitatem modo esse in sua indiuisibili entitate perfectiorem, modo imperfectiorem . Rursus non probat contra infinitam extensionem Angeli, sed indiuisibilem . Respondeo me quęstionem instituisse de infinito quantitatiuo constante partium multitudine, & de hoc processisse meam doctrinam, & rationem : infinita autem adducta in argumento non sunt dicto modo quantitatiua.

88 Attamen contra infinitam intensionem indiuisibilem, vrgeri potest : quia exclusa partium multitudine, illa intensio , quamuis fingatur valdè maxima, semper est limitata, & vndique terminis circumscripta: ergo semper est absolutè finita, & non carens fine, nisi velis, quod sit essentialiter infinita, contra quam infinitatem supra satis diximus.

89 Maior fortasse est difficultas de infinita extensione Angeli indiuisibili: quia eius infinitas potest facilius intelligi per correspondentiā ad quantitatem infinitè extensam , ac includentem infinitas partes non penetratas. Verum hinc desumitur ratio repugnantiæ huius extensionis infinitæ indiuisibilis: nam hæc extensio indiuisibilis infinita, vel esset vndequaque infinita , & occupans ex necessitate omne spatium: vel non? Si primum : ergo si intelligatur contractio per vnum palmum , (vt intelligi facilè potest cum sit extensio creata,) erit finita , quod est absurdum. Si secundū ergo possibilis est extensio Angeli indiuisibilis infinita versus orientem , & non versus occidentem: quod esse falsum sic cōfirmo ex dictis: extensio dumtaxat infinita versus orientem, quamuis indiuisibilis esset vndequaque infinita , & absolutè immensa , quod apertè repugnat. Sequela probatur ; indiuisibilis extensio infinita versus orientem esset æqualis, & corresponderet extensioni infinitæ quantitatiuæ, & diuisibili versus orientem : ergo esset vndequaque infinita: cōsequentia patet: quia iam probauimus quantitatem infinitam versus orientem debere necessariò esse vndequaque infinitam, ergo necessario esset vndequaque infinita extensio Angeli indiuisibilis , & tantum versus orientem infinita : quia corresponderet lineæ infinitæ diuisibili versus orientem.

90. Dices: ablato vno minimo gradu , vel palmo eius extensionis, illam vtpotè indiuisibilem statim totam cessaturam , neque fieri posse illas detractiones & additiones vtpotè proprias rei diuisibilis: sicuti , neque similes detractiones, & additiones habent locum in Deo ; qui tamen si intelligatur carere aliquo minimo gradu perfectionis, intelligitur deficere : quare argumenta, quæ fecimus contra infinitatem huius indiuisibilis extensionis militant etiam contra infinitatem indiuisibilem perfectionis diuinæ.

91. Sed contra: quia illa extensio indiuisibilis infinita, ex vno capite deberet necessariò, ex eo, quod est extensio infinita, occupare omne spatium occupabile , vt probant allata argumenta, & esse vndequaque immensa: ex eo verò, quod est creata, non deberet necessariò occupare omne spatium occupabile, & esse vndequaque immensa, idque iuxta principia aduersariorum; qui sicuti admittunt possibilem extensionem diuisibilem aliam infinitam tantùm ver-

sus orientem, & aliam vtrimque infinitam, tum versus orientem, tum versus occidentem; ita debent admittere possibilem duplicem extensionem indiuisibilem, alteram versus orientem tantùm, alteram vtrimque infinitam, ac etiam tertiam vsquequaque immensam: de his autem inter se comparatis per correspondentiam ad lineam diuisibilem infinitam redeunt argumenta suprafacta: quæ non habent locum in Diuina perfectione: neque etiam, si dentur duæ extensiones indiuisibiles altera vsquequaque immensa, altera, quæ sit minor prima, duobus tantum palmis, recederet à magnitudine primæ: hoc autem sufficit ad vim allati argumenti: quia ex rationibus suprafactis sequitur, quod secunda extensio indiuisibilis longè minor, tamen vtpotè infinita, adhuc esset æqualis primæ vsquequaque immensæ; quare ad vim argumenti, non est necesse, vt ab eadem extensione infinita indiuisibili extrahatur palmus, quod est impossibile; sed satis est, si concipiantur duæ extensiones indiuisibiles, ambæ infinitæ, sed vna maior alia, modo supra explicato.

SVBSECTIO QVARTA.

Soluuntur obiectiones pro possibilitate infiniti categorematici.

94 OBijcies primò, est possibile, imò de facto datur infinitum categorematicum carentiarum, quia de factò dantur carentiæ rerum omnium possibilium, quæ de factò non sunt: hæ autem carentiæ, vtpotè sine termino, & omnes actu suo modo simul existentes constituunt collectionem vtique categorematicè infinitam; ergo possibile est infinitum categorematicum rerum positiuarum: rationes enim supra allatæ vel vtrumque, vel neutrum infinitum impugnant. Nego antecedens: vt enim dicebam disput. 4. de priuatione, repugnant puræ carentiæ, & res possibiles à rerum natura formaliter excluduntur per modos relatiuos ad hoc vnicum Dei decretum: qui modi sunt numero finiti, vt patet ex dictis loco citato.

95 Obijcies secundò: non repugnat infinitum syncategorematicum; ergo neque categorematicum. Nego consequentiam: quia in infinito syncategorematico non est assumptibilis aliqua determinata collectio infinita diuisibilis, ac comparabilis cum alia; sed solùm collectiones finitæ singulæ determinatæ sine fine plures, & in infinitum augmentabiles, vt vidimus *sectione* 2. quare non possunt contra infinitum syncategorematicum fieri argumenta, quæ fiunt contra categorematicum.

96 Obijcies tertiò: datur infinitum categorematicum in mente Dei, qui cognoscit simul omnes creaturas possibiles. Nego assumptum: ad rationem in contrarium patet ex dictis *sect.* 2. Deus enim non cognoscit simul, simultate se tenente ex parte obiecti omnes creaturas possibiles, quasi verò faciant vnam collectionem, extra quam non sint aliæ possibiles; sicuti Deus non cognoscit omnes dies æternitatis futuros, colligendo illos in vnum, ita vt post illam collectionem, non videat futurum alium diem.

97 Instabis, vera est hæc propositio: Deus non potest facere aliquā creaturam præter omnes possibiles; & tale iudicium verè existit in Deo: sed per tale iudicium omnes creaturæ possibiles subijciuntur diuino intellectui per modum vnius collectionis: nisi enim fiat ea collectio, non verificatur, præter omnes possibiles Deus non potest facere aliam creaturam: ergo verè diuinus intuitus fertur in collectionē compactam ex omnibus possibilibus. Distinguo maiorem; si propositio illa faciat sensum, veluti negatiuum, vera est; concedo; si faciat sensum collectiuum, ac veluti positiuum; nego. Duplex potest esse sensus illius propositionis, primus veluti negatiuus; ita vt Deus dicatur non posse facere vllam creaturam, quæ non sit possibilis, & hic sensus est verus, sed non iuuat aduersarios: secundus est veluti positiuus, & collectiuus, quasi verò Deus videat collectionem omnium possibilium, & asseratur, quod non possit extra illam facere aliquid aliud: & hic sensus est falsus, quia supponit Deum videre collectionem omnium possibilium, quod supra impugnauimus: & quod videat illam, vt terminum, & obicem suæ omnipotentiæ, vltra quam non possit Deus sua virtute extendi; quod videtur pugnare cum illimitata Dei virtute. Hinc ad minorem dico, per illud iudicium primo modo explicatum non subijci diuino oculo collectionem omnium creaturarum; benè autē si secundo modo sumatur: sed hoc modo est quid chimæricum: vnde nego consequentiam. Non negauerim admittendum esse in Deo illud iudicium collectio omnium creaturarum possibilium repugnat; verùm per tale iudicium Deus attingit eam collectionem, sed vt terminum repugnantem, quod ego intendo.

Collectio omnium possibilium repugnat.

98 Instabis secundò, quamuis omnes creaturæ possibiles non faciant vnam collectionem; possibilitates tamen illarum omnes necessariò existunt, & coexistunt: ergo necessariò faciunt vnam collectionem non finitam; ergo infinitā. Nego antecedens quoad secundam partem: non enim dantur creaturarum possibilitates, sed vna est rerum omnium possibilitas omninò indiuisibilis, & perfectissima, nempè diuina essentia. Igitur, qui in Deo conciperet omnes rerum possibilitates, facientes vnam possibilitatum collectionem, conciperet vtique terminum chimæricum.

99 Obijcies quartò: Deus est virtus absolutè infinita: ergo potest producere numerum, & extensionem categorematicè infinitam. Nego consequentiam: independenter enim ab hoc optimè saluatur infinita Dei virtus, vt vidimus; vbi aduerto, Deum vnico, ac indiuisibili decreto de singulis possibilibus decreuisse: quare non est admittendus in Deo infinitus numerus decre-

decretorum? quamuis ex imperfectione nostri intellectus illud vnicum decretum in plura distinguamus.

100 Petes hic: verum infinitum categorematicum debeat continere numerum, vel extensionem finitam maximam, ex eo praecisè, quia numerus maior debeat continere minorē? Respondeo negatiuè, primo: quia absolutè falsum est quod numerus maior debeat formaliter continere minorem: neque enim sex, vt ait Aristoteles, est bis tria, sed semel sex. Secundo: quia sufficienter saluatur essentia infiniti categorematici: si sit tam magna vnitatum collectio, vt ex ea possint extrahi numeri finiti, sine fine maiores, etiam si numquam perueniamus ad numerum finitum maximum; neque numerus maior debet continere minorem, nisi qui probatur necessarius ad constitutionem maioris: at numerus finitus maximus non est necessarius ad constitutionem infiniti: sicuti numerus denarius, licet maior, non debet continere quinarium inaugmentabilem, licet minorem: quia videlicet independenter ab eo quinario chimerico est constitutus denarius.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum possibilis sit creatura omnium perfectissima?

1 HÆc quæstio non est à praesenti instituto de infinito aliena: sensus enim est vtrū possibilis sit creatura tantæ perfectionis, vel finitæ, vel infinitæ, vt Deus non possit aliam maioris perfectionis creare?

Repugnat creatura omniū perfectissima, siue sit finitæ perfectionis.

2 Dico cum communi sententia repugnare creaturam omnium perfectissimam. Probatur: hæc creatura non potest esse finitè perfecta; neque infinitè perfecta: ergo repugnat: consequentia est certa: quia omnis perfectio possibilis, vel est finita, vel infinita. Antecedens probatur, quoad primam partem: quia si est finitè perfecta, & omnium perfectissima: ergo datur aliqua finita perfectio talis, vltra quam non extendatur ars infinita Dei, nec supra illam possit perfectius quid excogitare: quod est contra perfectionem diuinæ sapientiæ: spectat enim ad perfectionem sapientissimi artificis non habere terminum in suis inuentionibus, & quocumque opere excogitato, posse semper excogitare perfectius, vtique possibile, ne frustra excogitet. Praeterea hæc creatura finita, sed perfectissima omnium, vel contineret perfectionem finitam maximam; ita vt addito quocunque alio minimo gradu perfectionis euaderet infinita (siue demum ea additio sit possibilis, siue non, in eodem, aut in diuerso subiecto:) vel non contineret perfectionem eo modo maximam? si primum? ergo illa perfectio esset infinita: non enim potest intelligi, quod finita perfectio per additionem cuiusque minimi gradus perfectionis euadat infinita; si secundum? ergo potest dari alia creatura perfectior finita, idque tum ob rationem iam suprafactam: tum quia dato quocumque numero finito, potest dari alius numerus item finitus, sed maior. Hæc contra creaturam omnium perfectissimam, sed finitæ perfectionis.

Siue infinitæ perfectionis.

3 Probo nunc, quod non possit esse infinitè perfecta: quia eius perfectio, vtpotè creata, est vndique terminis circumscripta, & absolutè caret perfectione absolutè infinita, qualis est diuina; quod *sectione* 1. fusiùs ponderabam.

4 Secundo, hæc creatura omnium perfectissima, & infinitè perfecta, vel est infinitè perfecta in omni genere, vel in aliquo determinato genere, v. g. in genere actiui? si primum? ergo est etiam infinitè perfecta in genere actiui: ergo est talis, vt ab illa naturaliter, imò essentialiter exigant pendere omnes aliæ creaturæ: hoc enim spectat ad perfectionem actiui: ergo defactò datur huiusmodi creatura, vtpotè causa necessariò requisita ad existentiam horum effectuum. Idem argumentum viget, si dicas esse tantùm infinitè perfectam in genere actiui: quæ est secunda pars disiuncti. Praeterea: ergo nō repugnat alia perfectior, quæ sit infinitè perfecta, tum in genere actiui, tum in genere intellectiui. Tertio, vel in eo genere actiui continet omnem perfectionem absolutè possibilem, vel non? si secundum: ergo potest dari alia perfectior etiam in eodem genere: si primum, ergo debet absolutè esse infinita in omni genere: nam summa perfectio in genere actiui, v. g. est non solùm posse producere omne producibile, sed etiam modo perfectissimo cum praeuisione effectus, & summa rectitudine: ergo includit, vel saltem trahit summam perfectionem in genere intellectiui, & sic de cæteris.

5 Objicies cum Arriaga: non omnes creaturæ, quæ sunt possibiles exceduntur ab alia: ergo aliqua datur, quæ excedit, & non exceditur, & sit omnium suprema. Antecedens probatur: si quælibet excederetur ab alia, daretur mutuus excessus in illa collectione: sicuti si tota collectio produceretur ab aliquo incluso in eadem collectione, & producto per aliud eiusdem collectionis, daretur mutua causalitas. Confirmatur: incipiamus ab homine, & percurrendo species homine perfectiores, colligamus illas in vnum; nisi in hac collectione detur omnium perfectissima, excessæ sunt æquales excedentibus, cuilibet enim excessæ correspondet sua excedens; & essent plures, quia reliquæ omnes sunt simul excessæ, & excedentes, sed prima est excessa, non excedens.

6 Nego antecedens: ad cuius probationem nego sequelam, in qua falsò supponit aduersarius, vel dari totam aliquam vnam collectionem omnium creaturarum possibilium; vel nos concessuros, aliquam speciem eiusdem collectionis excedere reliquas omnes, & simul excedi ab aliqua illarum, quod requiritur ad mutuum excessum: sicuti ad mutuam causalitatem requiritur, quod in collectione causatorum detur aliquod causatum, quod causet reliqua omnia,

niæ, & causetur ab aliquo illorum. Ad id, quod additur dico, quod sicuti in existentibus deueniendum tandem est ad aliquam primam causam improductam; ita & ad aliquam primam perfectionem improductam, & increatam: quin imò sicuti defactò datur aliquod à Deo tantum immediate causatum; ita & aliqua perfectissima existentium creatura, quę defacto non habeat aliud se perfectius, quàm Deum: cum quo benè cohæret possibiles esse plures, & sine fine perfectiores creaturas; idque ex summa Dei perfectione.

7 Ad confirmationem dico, non posse, incipiẽdo ab homine simul ad modum vnius collectionis sumi omnes species possibiles homine perfectiores, sed per collectiones finitas maiores, & maiores: in qualibet autem collectione finita, quot sunt excessæ, tot sunt excedentes, nam cuilibet excessę correspondet sua excedẽs; & sicuti datur prima excessa, & non excedens, ita datur vltima excedens, & non excessa: eo modo, quo in qualibet finita collectione dierũ futura per æternitatem, tot sunt præcedentes dies, quot sequentes. Quod si sistas pedem in tota collectione chimærica, non verebor concedere sequi indè contradictionem, quod potiùs confirmat, quàm impugnat nostrã doctrinã.

Non datur summa propinquitas creaturæ ad Deum.

8 Hinc patet, non dari summam propinquitatem creaturæ cum Deo: quia hæc summa propinquitas non conuenit alicui creaturæ determinatæ: quęlibet enim habet superiorem magis Deo propinquam; non toti collectioni, quia est terminus repugnans. Neque Deus, incipiendo ab homine, videt, quæ species illum immediatè excedat, quæ mediatè, ita vt cum eo ordine omnes excedentes numerando, tandem videat nullam præterea sequi excedentem: sicuti videt quidem Deus, qui dies immediatè, & qui mediatè sequatur hunc, non ita tamen vt recensendo singulos post hunc per æternitatem futuros cũ eo ordine absoluat omnes, post quos non sequatur alius; cæterum illa propositio: Deus potest producere creaturam omnium perfectissimam, quam potest; est falsa, quamuis videatur identica: supponit enim Deũ posse aliquam perfectissimam, quod est falsum: ob quam rationem omnes debent reputare falsam illam propositionem: Deus potest facere chimeram, quam potest.

9 Quod si non repugnet intellectus creatus, potens perfectiores, & perfectiores cognitiones sine fine producere; non propterea erit infinitè perfectus, vt colligi potest ex dictis *sectione* 1. quia adhuc tale agens non contineret omnem perfectionem in genere intellectiui: neque in sua indiuisibili perfectione contineret adæquatè illas cognitiones perfectiores: quia non esset illarum causa formaliter, vel radicaliter adæquata: sed ad cognitiones perfectiores indigeret specie perfectiore, & semper diuino concursu.

IN LIBRVM QVARTVM PHYSICOrum Aristotelis.

QVia omnis motus præcipuè successiuus, & localis fit in loco, & tempore, satis commodè Aristoteles post librum tertium, in quo de motu in communi differuit, aggreditur hoc quarto libro disputationem de loco, & tempore. Sit igitur.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De Loco, & vacuo.

CVm præsentiam alicubi acquirimus, vel acquisitam conseruamus, non solùm exterius circumdamur corpore, aere, v.g. terra, aqua, & similibus, sed apprehendimus etiam nos occupare, & implere quamdam vacuitatẽ, quæ vacua prorsus remaneret, si nobis discedentibus nullũ aliud corpus illuc succederet. Multa igitur hic inquirenda sunt, videlicet, quid sit locus extrinsecus, quo circumdamur? quid spatium imaginarium? quid præsentia localis, seu forma, per quam res constituitur in tali loco? quid vacuum? quibus inseremus quæstiones de replicatione, & penetratione corporum.

SECTIO PRIMA.

Quid sit locus realis extrinsecus?

Quid sit locus.

1 ARistoteles hic *cap.* 1. *tex.* 1. supponit locum esse. *Et quæ sunt*, inquit, *alicubi esse omnes existimant*: *textu* autem 35. docet: quatuor ferè esse, quorum vnum esse locũ necesse est, *aut enim forma*, inquit, *aut materia, aut interuallum aliquod extremis interiectum, aut ipsa extrema, si interuallum nullum sit, præter corporis, quod inest magnitudinem.*

Non est materia, aut forma.

2 Certum autem est, neque formam, neque materiam esse locum; quia dum homo mouetur, perseuerat substantialiter idem. Ex quo infertur nihil eorum, quæ ad locatum intrinsecè spectãt, esse locum: quis enim dicat pellem esse locum animalis, corticem arboris?

Neque corpus interiectum.

3 Certum item est locum non esse interuallum, seu corpus extremis interiectum æternum, immobile, & indiuisibile; nullum enim ens extra Deum est æternum. præterea contra propriã exigentiam illa corpora locatum videlicet, & interiectum penetrarentur.

Neque capacitas.

4 Certum tertio est locum, seu interuallum non esse capacitatem quamdam realem habentẽ trinam dimensionem: nam hæc capacitas realis vel est quid positiuum, vel quid negatiuum: si positiuum, non potest esse spiritus; res enim materialis non potest esse in spiritu, tamquam in loco: neque potest esse corpus, aliter duo corpora penetrarentur. Neque negatiuum, quia hoc non potest simul poni cũ corpore locato, cuius est negatio: locus autẽ existit simul cum locato.

Loci definitio.

5 Restat igitur iuxta Aristotelis diuisionem

locum

locum esse extrema, quibus corpus, vel res concluditur, in qua acceptione ab eodem philosopho definitur. *Locus eius quod continet, est immobile primum*, quæ definitio ita communiter circumfertur. *Locus est superficies vltima corporis continentis immobilis.*

6 Dicitur primo, superficies vltima corporis continentis, vt significetur de ratione loci esse continere locata: vt patet ex communi acceptione: Petrus enim dicitur esse in cubili, quia eius parietibus circumdatur: dicitur autem superficies prima, seu vltima, quia nulla requiritur in corpore continente crassities, vt rationem loci extrinseci obtineat: ideoque rationem loci non propriè participat, nisi quod rem immediatè ambit.

Immobilitas loci.

7 Demum dicitur immobilis; locus enim formaliter, vt locus, debet includere immobilitatem; probatur: quia locus est, qui relinquitur, & acquiritur per motum localem; quod autem est huiusmodi, supponitur in se fixum, & immobile: si enim mobile esset, frustra conaremur illud acquirere per motum; quia posset nos prosequentes fugere, aut fugientes prosequi.

8 Hæc autem immobilitas præter ipsum corpus continens, seu eius superficiem, dicit etiam formam, qua posita, & perseuerante, non potest locus non fieri contiguus, & in se amplecti corpus, quod ad ipsum accedat, neque potest non amittere contiguitatem, si corpus recedat. Probatur: quia præcisa hac forma, corpus, quod dicitur absolutè locus, vt est aer, aqua, terra, & res similes potest absolutè moueri: ergo præter suam entitatem, corpus vt sit formaliter immobile, & locus, debet dicere illam formam.

9 Non sufficit tamen ad rationem loci, si vtrumque habeat aliquam immobilitatem, & ambiat locatum: nam nemo dixerit, aquam esse in vase, & hominem in veste tamquam in loco; & tamen vestis, & vas ambiunt aquam, & hominem, ac in sensu composito cum vbicatione sunt immobilia: requiritur igitur, quod locus ita comparetur cum corpore locato, vt non necessariò ad motum locati moueatur; locus enim, vt dicebam, debet posse relinqui, & acquiri per motum: quod non eueniret, si ita adhæreret locatu, vt ad motum illius deberet necessario moueri.

10 Dices primo, non potest explicari quænam sit hæc forma, qua superficies corporis continentis redditur formaliter immobilis. Respõdeo esse vbicationem corporis continentis, qua stante non potest corpus illud continens, aut eius superficies moueri.

11 Dices secundo, non solùm vas mouetur nonnumquam simul cum re, sed etiam aer, qui rem illam ante circumdat; ergo non est cur potius aer, quàm vas, sit locus rei contentæ. Nego consequentiam; quia licet tum vas, tum aer, quæ ambiunt corpus, sint immobilia, perseuerante vbicatione, & non minus aer, quàm vas possint moueri ad motum locati: tamen vas ab arte institutum est, vt simul cum re contenta moueatur, estque receptaculum mobile. At aer per accidens sequitur nonnunquam corpus locatum, cum aliundè institutum sit à natura, vt sit receptaculum immobile corporum.

12 Ex quibus apertè colligitur, pellem non esse locum animalis, neque currum, equum, vas, & similia locum eorum, quæ vehunt, trahunt, aut continent: legendus autem est Aristoteles à t. 33. ad 40. vbi multa de loco acutissimè disserit, quæ ad rem nostram conducunt non leuiter. Sed præ omnibus notandus est Text. 41. vbi ita concludit: *In eo itaque quod mouetur, cum aliquid mouetur, idque, quod intus est locum mutat, veluti in flumine nauigium, vt vase potius, quàm vt loco, eo, quod continet, vtitur: locus enim immobilis vult esse. Quo circa vniuersum flumen magis est locus, quoniam vniuersum est immobile.*

13 Confirmatur demum allata doctrina ex communi sensu: nam quæstioni de loco non satisfit per superficiem, qua vtcumque corpus circumdatur, quæ dici potest superficies veluti materialis, sed per formalem, & immobilem: neque enim quærenti, vbi sit Petrus? benè respondetur, esse in naui: debet enim explicari vlterius, vbi nam sit nauis: quare necessariò recurrendum est ad aliquod immobile modo supra explicato, quod nimirum seruet eamdem distantiam à punctis fixis vniuersi, siue accedat, siue recedat mobile.

Explicatur immobilitas loci per respectum ad puncta fixa.

14 Vrgebis, non potest explicari quid sint hæc puncta fixa? Respondeo, esse partes mundi immotas, & natura sua immobiles, vt sunt duo poli, arcticus, & antarcticus, totum item cœlum empyreum, & singulæ eius partes, terræ centrum, eiusque partes immotæ, & naturaliter immobiles, vt sunt insulæ, prouinciæ, montes, & reliquæ partes, in quas, Geographi, & orbem vniuersum, & eius partes singulas diuisere. Superficies igitur corporis continentis habet determinatam distantiam à punctis fixis, quia stante vbicatione, qua redditur immobilis, seruat hunc determinatum ordinem, & non alium, cum partibus mundi immobilibus; ita videlicet, vt respondeat his potiùs, quàm illis partibus empyrei, per hanc potius lineam respiciat polos, quàm per illam, distet, vel sit vicina his potius prouincijs, montibus, fluuijs, quàm alijs.

Quenam sint puncta fixa.

15 Hinc facilè dignoscere poterimus, motum ne aliquid sit? si enim seruet eamdem distantiam à punctis fixis, quàm antea, non motū, sin minus, motum esse iudicandum est. Dependenter autem à sensationibus præsentibus, & memoria præteritarum benè determinari, poterit intellectus ad dignoscendum, vtrum rés illa seruet nunc eamdem, ac antea distantiam à pũctis fixis.

Vnde cognoscas aliquod esse motum.

16 Vrgebis iterum non potest explicari, verum puncta illa fixa sint partes constitutiuæ loci realis extrinseci? & ratio dubitandi est; quia ex vna parte superficies illa corporis continentis

tinentis immobilis cum sua vbicatione non est determinata distantia à punctis fixis: nam si Deus, perseuerante hac vbicatione talis superficiei, destrueret reliqua corpora, non perseueraret illa determinata distantia, & propinquitas: ergo videtur, quod immobilitas loci dicat vt partem intrinsecam, etiam vbicationem supremæ sphæræ, & reliquarum partium fixarum: ex alia verò videtur Aristoteles ad essentiam loci solùm requisiisse superficiem corporis continentis, cum sua immobilitate; quæ omnia benè saluantur per vbicationem talem determinatam corporis continentis, potentem fundare talem determinatam distantiam ab illis punctis.

17 Respondeo, Aristotelem hic c. 2. docere locum alium esse communem, in quo insunt omnia corpora; alium proprium, in quo primò, & immediatè inest aliquod corpus: locum cõmunem docet esse cœlum, ex quo, & doctrina supra tradita ex c. 5. asserit à tex. 45. Cœlum nusquam esse secundum se totum: quia non circumdatur alio corpore, quod extra ipsum existat: idem affirmat *de vniuerso tex. 46. Ob eãque causam, inquit, in cœlo sunt omnia, quandoquidem cœlum vniuersum fortasse est. Non est autem cœlum locus, sed cœli aliquid, nempè extremũ, ac terminus quiescens, qui mobile corpus contingit; atque hanc ob causam terra in aqua est, hæc in aere, hic in æthere, æther in cœlo, cœlum non vltra in alio*. Hæc Aristoteles.

Datur in corporibus suprema, & prima vbicatio, quæ est regula reliquarum.

18 Ex cuius doctrina Pallauicinus *libello de Angelis c. 27.* docet, in primo cœlo dari formam quamdam accidentalem, immutabilem, quæ illud verò corporum nobilissimum constituit supremum, & immobile: corpus enim natum ad conseruanda, & continenda omnia debet esse immobile. Reliqua igitur corpora constituuntur in hoc, vel illo loco per formas quasdam, seu vbicationes veluti relatiuas supponentes, & veluti respicientes vt primum analogatum, vbicationem illam immutabilem cœli. Iuxta igitur hunc dicendi modum non improbabiliter defendi posset, hanc rem cum sua hac vbicatione dicere hanc determinatam distantiam à punctis fixis: quę proinde erunt merus terminus respectus ab vbicationibus, & distantijs corporum inferiorum: cum quibus corpora cœlestia constituunt ordinem, ac pulchritudinem; & consequenter seruatur inter illa ratio prioris, & posterioris, sine qua non consistit ordo. Admisso autem hoc ordine debet admitti supremum aliquod, quod, tanquam primum analogatum, sit reliquorum mensura; & in quod resoluatur vltimo omnis præsentia localis: omnes igitur præsentiæ locales illud supremum respiciunt. Neque enim dicendum est hanc miram vniuersi pulchritudinem merè per accidens consurgere ex hac partium dispositione sine vlla illarum connexione, & exigentia.

Hæc est vbicatio supremæ superficiei cœli.

19 Hinc ad argumentum: nego destructis punctis fixis reliqua corpora retentura eamdem vbicationem: hæc enim saltem cum actione, qua defacto producitur, dicit essentialem ordinem ad illam primam vbicationem corporis cœlestis: dependet enim iuxta suam, & vniuersi exigentiam à decreto, quo Deus vult hanc vbicationem corporalem comparare cum illa, tamquam cum prima mensura; & facere cum eadem pulcritudinem, & proportionem.

Quomodo cœlum sit in loco.

20 Instabis ergo vniuersum, & cœlum est nusquam; quod aliqui non solùm de corporibus, sed etiam de spiritibus putant repugnare. Distinguo consequens est nusquam, hoc est in nullo loco extrinseco; concedo: hoc est; caret omni vbicatione; itant nullam seruet proportionem distantiæ, propinquitatis, &c. cum reliquis corporibus; nego: & hoc secundum est; quod putant repugnare authores, negantes posse creaturam consistere nusquam; concedendum tamen est in aliquo sensu illud supremum corpus esse in vniuerso, non tamquam in loco, sed tamquam in toto.

Immobilitas est perfectio supremi corporis.

21 Instabis iterum: Deus potest extra hunc mundum producere alium: ergo vltimum corpus huius vniuersi non est absolutè supremum. Distinguo consequens: non est absolutè supremũ huius vniuersi; nego: respectu aliorum corporum, quæ non spectant ad constitutionem huius vniuersi; concedo. Illud ex Pallauicino aduerto, quamuis immobilitas sit perfectio corporis primi, & incorruptibilis; quia non posset moueri, nisi vel ad acquirendum locum naturalem, extra quem violenter remoueretur, vel circulariter in bonum aliorum; vtrumque autem est imperfectio: in sublunaribus tamen esset immobilitas imperfectio, quia debent posse disponi ad formam viuentis, cuius est moueri ad loca necessaria, vt acquirant suam perfectionem.

Datur centrum vniuersi immobile.

22 Ex quibus infero, non esse improbabile dari centrum aliquod vniuersi immobile, eo prorsus modo, quo diximus de cœlo: supremũ enim corpus, & infimum sunt duo loca extrema, & vniuersalia, claudentia in se omnia alia, & determinantia reliquorum corporum virtutes, & motus; omnis enim virtus motiua aliorum corporum naturalis, non pendens videlicet in sui operatione à potentia cognoscitiua sursum tendit, aut deorsum: ergo videtur supponere duo illa loca omnino immobilia. Virtus autem motiua, & motus animalium; quamuis non tendant sursum, & deorsum, sed motu progressiuo destrorsum, vel sinistrorsum, retro, vel ante ferant corpus; negari non potest, quin ad primas illas positiones, superum, videlicet, & infimum dicant aliquem ordinem, tum quia debent cum illis, tamquam cum primis locis seruare ordinem, & proportionem; tùm quia non possunt animalia illos motus exercere, nisi adiuti corporibus grauibus, & leuibus, quibus innituntur: præterquam quod semper suo motu accedunt, vel recedunt à punctis fixis vniuersi.

23 Si autem quæras quodnam sit corpus medium, seu infimum immobile? Respondeo esse terram, quam secundum se totam non moue-

ri nemo mihi negabit; sicuti dari aliquas eius partes valdè infimas omninò saltem naturaliter immobiles. Quod si tibi displiceat hic discurrendi modus, qui vt verum fatear est valdè conformis diuinæ Sapientiæ, & ordinatæ vniuersi dispositioni, ac pulchritudini;

24 Respondeas ad argumentum, hanc determinatam distantiam huius corporis à punctis fixis vniuersi constitui partialiter per vbicationem illorum punctorum: & hoc indicasse Aristotelem per immobilitatem loci. Non est autē necesse, vt cognoscentes rem esse in hoc, vel illo loco, comparemus illam cum punctis illis vniuersi, qui sunt veluti vltima loca vniuersalia; sed sufficit, si illam comparemus cum alijs partibus orbis nobis magis notis, & quas non mutare locum est nobis pro certo; vt sunt montes, fluminum alucī, portus, & similia.

Accidit vt mutetur physicè locus particularis, nō vniuersalis

25 Vrgebis tertio, flante validissimo vento turris in eodem loco perseuerat, quamuis continuò mutetur superficies corporis continentis: ergo locus non est superficies corporis, seu aeris continentis. Distinguo antecedens, est in eodē loco vniuersali; transeat: quia seruat eamdem distantiam à punctis fixis vniuersi, & per eamdem lineam, ac prius, illa respicit: immediato, & particulari; subdistinguo: physicè; nego: moraliter; concedo. Cum enim physicè continuè mutetur superficies corporis immediati, negari non potest, quin turris illa immota physicè mutet locum immediatum: quia tamen superficies semper de nouo succedens seruat eamdem distantiam à punctis fixis, & quod præcipuè spectant in loco homines, est illa distantia; ideò moraliter, vel etiam formaliter, vt alij loquuntur, turris non mutat locum immediatū.

Locus non excedit locatum.

26 Vrgebis quarto, locus non excedit locatum: superficies corporis continentis excedit locatum. Nego absolutè minorem; tum quia, vt volunt Aristotelici, superficies vltimæ corporis continentis, & corporis locati penetrantur: tum quia licet non penetrentur; tamen superficies corporis continentis vndique accomodatur superficiei corporis locati, & extra illam, nihil aliud ambit, quod sufficit, vt dicatur illam non excedere. Hinc patet, quod sicuti ratio loci immediati tantùm per se competit vltimæ superficiei corporis continentis; ita ratio locati per se immediatè tantùm competit vltimæ superficiei corporis locati: reliquæ partes, sicuti non sunt immediatæ superficiei corporis continentis, ita non sunt immediatè locatæ.

Locus qua ratione cōseruat res locatas.

27 Vrgebis quinto, locus conseruat locatum: sed superficies non conseruat locatum. Respondeo, locum naturalem conseruare locatum; tum quia valdè conducit ad recipiendos influxus cœlestes proficuos, ideoque pro regionum varietate variæ sunt animalium complexiones: tum quia proprietates vnius corporis ambientis conformiores sunt vni, ac alteri corpori; sic homo conseruatur in aere, destruitur in igne; corpora igitur conseruantur à loco naturali, ad quem ideò natiuo impetu feruntur: ab innaturali

vero, & violento potiùs destruuntur.

28 Vrgebis sexto, locus non est in loco; superficies corporis continentis est in loco. Nego minorem; de loco physico: quia superficies illa non continetur alia superficie, sed continuatur corpori continenti. Non negauerim tamen corpus continens, cuius superficies est locus alterius rei, posse esse in alio corpore tamquam in loco. Cæterum in hoc progressu deueniendū tandem est, vt vidimus, ad aliquem primum locum non locatum.

29 Demum aduerto, quod si Deus totum hunc mundum aliò cum suis partibus transferret; omnia mutarent locum intrinsecum, & vbicationem; seruarent tamen saltem formaliter, vel moraliter eūdem locum physicum cum eadem distantia à punctis fixis.

SECTIO II.

Quid sit locus intrinsecus, & spatium imaginarium?

1 Locus in tota sua latitudine sumptus nō potest esse tantùm locus extrinsecus supra explicatus: nam supremum corpus nos concipimus habere suum locum, & non esse omninò nullibi, idem dico de Angelis, & anima separata; & tamen hæc non ambiuntur aliqua superficie corporis continentis: quinimò puncta propriè non ambiuntur corpore, cum careant partibus; & res in vacuo posita saltem miraculosè moueri posset, & mutare locum; nec tamen in nouo loco circumdaretur aliqua superficie. Ideò præter extrinsecum admittunt communiter Doctores locum intrinsecum, quo nullā rem spoliari saltem naturaliter posse, est communis omnium opinio. Quærimus igitur in præsenti, quid sit locus intrinsecus?

2 Breuiter dico: hunc locum intrinsecum esse formam, quæ constituit subiectum potiùs hic, quam alibi, quæ forma communiter dicitur vbi, seu vbicatio: vbicatio enim, vbi, & ipsum esse hic, sunt termini omninò synonimi, & satis per se noti; non ita tamen clari, vt animus omninò quiescat, & non vlterius quærat clariorem explicationem.

Explicatur locus intrinsecus.

3 Sciendum igitur est: Deum esse immensum, non minus, ac est omnipotens, æternus: sicuti igitur ratione suæ omnipotentiæ essentialiter exigit, vt à se immediatè dependeat omne, quod extra ipsum existit, & ratione omniscientiæ exigit, cognoscere omne cognoscibile; ita ratione suæ æternitatis exigit essentialiter, vt omnis creatura existens sibi coexistat, & rationè immensitatis, vt secum penetretur. Quid autem sit creaturam coexistere Deo, & cum illo penetrari, est notum: quisque enim hominum experitur in se, quid sit sibi coexistere, & secum penetrari suas intellectiones, & volitiones, reliquosque actus immanentes, præsertim vitales, qui sunt in nobis prima ratio cognoscendi.

Vbicatio creaturæ est actualis penetratio illius cum Deo.

4 Quia tamen quælibet creatura existens est limi-

Sed inadæquata fundans relationem distantiæ, & propinquitatis maioris, vel minoris.

limitata: ideò non nisi limitatè correspondet, & penetratur cum Deo, quia videlicet ita cum Deo penetratur, vt non penetretur actu cum omni alio ente, cum quo Deus penetretur; vel si nullum aliud detur ens præter ipsam, & Deum; ita tamen afficitur forma, qua actu penetratur cum Deo, vt ea forma stante, non possit per illam penetrari cum alijs entibus possibilibus, quæ subiaceant alijs formis, per quas Deo penetrentur: itaque forma, qua hæc creatura finitè penetratur cum Deo necessariò, saltem inadæquatè, fundat relationem propinquitatis, & distantiæ maioris, vel minoris huius creaturæ cum alijs possibilibus affectis simili forma.

5 Locus igitur intrinsecus est forma illa, qua quælibet creatura finitè cum maiori, vel minori limitatione penetratur Deo. Hæc forma, non dicit essentialem ordinem, nisi ad Deũ, & creaturam: fundat tamen inadæquatè relationem propinquitatis, & distantiæ modo supra dicto: quid autem sit, esse intra, & esse foris, quid esse immediatum, & esse propinquum, magis vel minus distans, sunt termini satis omnibus noti dependenter ab experientiis per sensus habita, nec vlterius fortasse explicabiles, nisi cum periculo, vel circuli vitiosi, vel omnia tenebris innoluendi. Rem igitur mutare locum intrinsecum est, ammittere vnam ex dictis formis, & aliam acquirere; neque enim res ita cum Deo penetratur, vt semper seruet eamdem relationẽ propinquitatis, & distantiæ cum alijs rebus; vt suppono. Dixi: quæ fundet inadæquatè illas relationes: quia ad actualem, & adæquatam distantiam, & propinquitatem necessario requiritur existentia, & penetratio aliarum rerum cum Deo.

Quid est immẽsitas.

6 Dices primo: non potest explicari quid sit diuina immensitas? Respondeo, nos non posse illam explicare, sicuti est: cum Deum non sicuti est, sed per speculum in ænigmate cognoscamus: dicimus tamen illam esse extensionem quamdam diuini esse indiuisibilem, & absolutè infinitam, essentialiter exigentem, vt quæcumque extra Deum licet plura, & pluras ac maiora, & maiora existunt, cum ipso penetrentur, & intra ipsum sint; modo supra explicato.

7 Dices secundo: creaturam penetrari cum Deo; est creaturam, & Deum esse in eodem loco: quid igitur est esse in eodem loco? Rursus ergo datur locus quidam communis Deo, & creaturæ, in ordine ad quẽ dicũtur creaturæ esse in eodem loco cum Deo. Distinguo: esse in eodem loco diuino cum Deo; concedo: creato; nego: nam tum Deus, tum creatura sunt in eadem immensitate, quæ est primus locus, vtpotè locus primi entis, & consequenter est mensura, & suo modo sine vlla prorsus imperfectione receptaculum omnium aliorum locorum. Ad secundam illationem dico: dari illum locum communem Deo, & creaturæ, non distinctum tamen a Deo.

8 Instabis, immensitas diuina est indiuisibilis, neque distincta in plures formalitates virtualiter distinctas: ergo creatura penetrata diuinæ immensitati correspondet toti immensitati Dei: ergo iam adæquatur illi: quod enim correspondet indiuisibili, & toti rei, illi adæquatur: ergo est immensa; quod enim adæquatur immensitati, immensum est.

Immẽsitas non est intrinsecè virtualiter multiplex.

9 Respondeo, aliquos dixisse diuinam immensitatem formaliter esse vnam, & indiuisibilem, sed virtualiter distingui in infinitas formalitates, seu virtualitates, quarum qualibet sit veluti limitata, & seruans ordinem distantiæ immediationis, & propinquitatis maioris, & minoris cum reliquis. Hinc asserunt: rem hanc creatam non correspondere toti immensitati, nisi tantùm materialiter, quia est in hac virtualitate diuinæ immensitatis, quæ realiter identificatur cum tota immensitate, & essentia diuina, à qua virtualiter distinguitur.

10 Verum hic dicendi modus non placet: quia non temere, neque sine vrgentissima ratione deducta ex lumine fidei, vel naturæ debemus admittere in Deo huiusmodi distinctiones virtuales. Secundo ergo hæc virtualitas, a, non est formaliter immensa; quia de ipsa independenter ab intellectu verificatur, quod non sit in loco &c. & reliquis; eo prorsus modo, quo de natura verificatur, quod non generet: absurdum autem putari debet, aliquod prædicatum diuinũ intrinsecè nõ formaliter immensũ, sicuti absurdũ putari debet, aliquod prædicatum diuinum non esse formaliter æternum, Omnipotens: & oro so te, quomodo redargues asserentem, omnipotentiam esse cumulum infinitarum potentiarum virtualiter distinctarum, quarum qualibet non sit formaliter omnipotens? idem dico de æternitate.

Quomodo possit rei indiuisibili non totaliter correspondere.

11 Concesso igitur antecedente, distinguo consequens: ergo creatura penetrata diuinæ immensitati correspondet toti immensitati totaliter; nego: non totaliter; concedo primam, & nego secundam consequentiam: ad probationem adhibeo eamdem distinctionem; quod correspõdet toti indiuisibili, & totaliter; correspondet adæquatè; concedo; si correspondeat non totaliter; nego. Illud hic explicandum est, & meo quidem iudicio habet non leuem difficultatem; quo videlicet modo aliquod possit correspondere toti indiuisibili, & non totaliter; seu quid differant correspondere indiuisibili, & correspondere totaliter. Verum hoc omnes premit; nam primo quilibet effectus correspondet toti omnipotentiæ, & non totaliter; cum etiam alij effectus sint ab illa possibiles: secundo in homine manus vnitur toti animæ, non tamen totaliter; quia etiam brachium vnitur animæ; quod doctissima Thomistarum schola extendit ad animas brutorum perfectorum.

12 Sciendum igitur est, aliquod indiuisibile præsertim spirituale, posse eam amplitudinem perfectionis habere, vt valeat simul à diuersis formis siue intrinsecis, siue etiam extrinsecis suscipere plures denominationes, quarum forma-

rum

rum nulla adæquet amplitudinem illius indiuisibilis: aliter illud nō posset simul ab alia forma recipere aliam denominationē. Sic idem intellectus, licet indiuisibilis, simul per diuersos actus cognoscit obiecta præmissarum, & conclusionis, quinimò idem punctum indiuisibile materiale simul terminat plures actus diuersarum potentiarum, quorum nullus adæquatur illius capacitati. Diuina igitur immensitas talis perfectionis est, vt quamuis quælibet creatura toti illi penetretur, non tamen adæquet amplitudinem perfectionis ipsius, quæ adhuc remanet cum infinita capacitate se penetrandi cum infinitis alijs creaturis pluribus, & pluribus sine fine, quarum tamen vna sit extra aliam. Hæc igitur creatura est in hoc determinato loco, seu habet hunc determinatū locū intrinsecū, quia licet penetretur toti diuinæ immensitati; non tamen adæquat illius capacitatem: neque enim exigit vt quælibet creatura existēs fiat sibi intimè præsens, quod eueniret, si adæquaretur diuinæ immensitati.

Immēsitas est prima vbicatio, & aliarū regula.

13 Dices tertiò: sufficienter omnia saluantur, si cum Pallauicino dicamus rem potius esse in hoc, quàm in illo loco: quia habet ad primam vbicationem immutabilem vltimi, seu primi corporis hanc determinatam potius, quàm aliam relationem; quæ relatio erit proculdubio locus intrinsecus, & vbicatio. Nego assumptum: certum enim est cœlum, & vniuersum non esse absolutè nullibi, & tamen non dicunt relationem ad aliquam aliam vbicationem superiorem. Rursus locus intrinsecus Angeli creati saltem miraculosè sine corporibus, non posset explicari per ordinem ad illam formam immutabilem primi corporis. Demum negari non potest, quin verū sit, & certum, quod supra docuimus de penetratione cum Deo; & quin ea penetratio fundet inadæquatè dictas relationes; & per illas explicetur locus intrinsecus rerum cum maiori vniuersalitate, & iuxta principia magis recepta: ergo quamuis verum sit, quod supra de præsentia immutabili primi corporis cum Pallauicino docuimus; non ideò tamen talis forma rectè assignatur pro prima regula, & mensura vbicationum omnium; quamuis respectu nostri intellectus, in ordine præsertim ad cognoscendas vbicationes rerum corporearum in particulari, sit regula magis nota.

14 Dices quarto: nos Immensitatem Dei cognoscimus ex creaturis, earumque vbicatione: ergo malè, & cum periculo circuli explicauimus deindè vbicationes creaturarum per ordinem ad Diuinam immensitatem. Retorqueo argumentum, nos Omnipotentiam Dei cognoscimus dependenter à creaturis: ergo malè deindè harum dependentias explicamus per ordinem ad Diuinam Omnipotentiam. Ad antecedens igitur dico: nos à posteriori ex creaturis existentibus, & defectibilibus cognoscere per discursum existentiam Dei sub conceptu primi entis, à se, includentis omnem perfectionem, & excludentis omnem imperfectionem, & consequenter cognoscimus hoc primum ens, eiusque perfectiones, esse primam mensuram, ac regulam omnium aliarum rerum, quæ extra ipsum poni possunt; ac proindè optimè aliarum rerum perfectiones, & prædicata, si hoc primum ens benè cognosceretur, posse per ordinem ad illud explicari. Hinc; nego primam consequentiam. Nam negauerim tamen à nobis illam Dei immensitatem, propter imperfectionem nostri intellectus, & dependentiam à sensibus, concipi per similitudinē extensionis corporeæ: cæterum in se est perfectio omninò absoluta secundum esse, ad quam dicunt ordinem omnes aliæ vbicationes, profectò relatiuæ. Primus autem eius conceptus explicatur absolutè, vel per hoc, quod sit primus locus infinitus, vel extensio indiuisibilis absolutè infinita, includens in genere extensionis omnem perfectionem, & excludens omnem perfectionem, qui conceptus est per se notus, vel supponitur aliundè notus, nec explicari debet per vbicationes creatas, quamuis extensionem illam concipiamus ad modum extensionis creatæ, & essentialiter trahat illud aliud prædicatum: necessitatem videlicet, vt quæcumque existant, Deo penetrentur.

15 Dices quintò: cum Pallauicino: cum mouetur aliquod corpus, non solùm mutatur distantia, & propinquitas huius corporis cum reliquis; sed reliquorum etiam cum hoc: ergo non est ratio cur potius dicatur mutari, & moueri hoc corpus, quàm illud. Nego consequentiam: quia quamuis mutetur distantia omnium corporum; tamen hoc tantùm corpus intrinsecè aliter se habet, ac prius; mutatio enim illa fit per formā nouam, quæ tantùm ex suo conceptu, & immediatè dicit essentialem connexionem cum existentia huius, non aliorum corporum: & sanè si fingeremus aliquod punctum immobile tamquam primam regulam, reliqua eodem modo se haberent in ordine ad illud punctum, ac antea: non autem hoc corpus, quod mouetur.

16 Dices octauo: si vbicationes sunt forma relatiua; assigna mihi absolutum, in quod tandē resoluuntur, & per quod explicantur. Respondeo, esse diuinam immensitatem, & entitates absolutas, & limitatas creaturarum, vt facilè colligi potest ex dictis.

17 Vrgebis: ipsa Diuina immensitas explicatur per spatium imaginarium: est enim præsentia diuina, qua Deus correspondet omni spatio imaginario. Sed contra: spatium imaginarium non potest esse quid distinctum à Deo, & ratio veluti à priori diuinæ immensitatis: sed potius sicuti Deus est primum ens, & ratio à priori aliorum entium; ita immensitas est primus locus, prima item ratio, & mensura omnis alterius loci etiam immaginarij; si tamen hic est aliquid à Deo distinctum. Verum, vt de spatio imaginario, quod est secundum, de quo in titulo proposuimus, aliquid dicamus;

Explicatur spatium imaginarium.

18 Sciendum est spatium imaginarium, vel esse chimeram fictam ab aliquibus, tamquam aliquod corpus tenue, & absolutè infinitè ex omni parte extensum, immobile, æternum, cui reliqua omnia corpora existentia penetrentur; fictam, inquam, ad explicandas rerum præsentias, & distantias, quod non improbabiliter indicat nomen ipsum: vel esse Deum ipsum immensum, quem ex imperfecto nostro modo cognoscendi imaginamur, & concipimus ad similitudinem corporis tenuissimi infinitè extensi. Non est igitur spatium imaginarium aliquis conceptus realis à Deo distinctus, & non inuoluens conceptum mentis imperfectum.

Spatium imaginarium non est ens medium æternum.

19 Instabis primo: spatium imaginarium nō est ens reale, neque pura carentia; sed quid medium, æternum, & à Deo dependens: quia si Deus deficeret, ipsum etiam deficeret: ita Albertinus apud Lynceum l. 7. phys. tract. 1. cap. 2. Sed contra: quia non potest explicari, verum huiusmodi entia media sint creata, vel increata, vt videbimus in metaphysica. Secundo, hoc ens medium vel haberet partes, vel non? si secundum; ergo non possumus per ordinem ad diuersas eius partes explicare diuersas rerum præsentias: & est eadem cum immensitate difficultas. Si primum? certè hæ partes non penetrantur: ergo vna est extra aliam; ergo sunt in diuerso loco: quid autem est vnam occupare diuersum locum, seu, si vis, esse diuersum locum ab alia; nisi fundare diuersam relationem distantiæ? quod præstare per se possunt vbicationes reales sine vllo ordine ad spatium imaginarium: sicuti sine vllo ordine ad alium locum id præstant per se spatij imaginarij partes.

Neque vbicationes possibiles.

20 Instabis secundo, spatium imaginarium sunt vbicationes rerum possibiles. Sed contra, quia vbicationes possibiles duo dicunt, & ipsas vbicationes contingentes, quæ aliquando sunt, aliquando non sunt, & suam possibilitatem necessariam: iam verò non possunt esse spatiū imaginarium vbicationes ipsæ contingentes: quia spatium imaginarium admittitur tamquam prima regula, & mensura ipsarum vbicationum; ex qua possimus illas distinguere, ac constituere, quod non conuenit vbicationibus secundum se. Possibilitas autem vbicationum est Deus, & eius omnipotentia, ac proinde etiam immensitas, quod coincidit in nostram explicationem. Quod si dicas vbicationes possibiles, & consequenter spatium imaginarium esse carentias cōtingentes vbicationum; primo supra exclusimus huiusmodi puras carentias: secundo res, quando existunt, sunt in spatio imaginario, non in carentia vbicationis, nisi velimus dicere, quod tunc vbicatio existat cum sua carentia. Tertio etiam ipsæ carentiæ concipiuntur esse in loco: esse inter se distantes, proximæ, ac correspondere spatio imaginario: ergo non sunt ipsum spatium imaginarium.

21 Instabis tertio, spatium imaginarium est conceptus realis à Deo diuersus: quędam videlicet carentiæ inamouibiles, & necessariæ excludentes terminum impossibilem. Panormi enim non solùm sunt carentiæ amouibiles vbicationum panormitanarum, sed etiam inamouibiles vbicationum messanensium, romanarum, & similium: hæ igitur carentiæ inamouibiles sunt spatium imaginarium; & prima mensura distinguendi, & constituendi vbicationes, itaut per hanc vbicationem, Petrum esse Panormi, nihil aliud sit, quàm suam eius vbicationem correspondere carentiæ panormitanę inamouibili, & excludēti à Panormo terminos impotentes ibi esse, v. g. vbicationes messanenses, romanas, &c. harum autem carentiarum partes sunt essentialiter diuersæ, vtpotè addictę diuersis locis.

22 Sed contra primo; quia huiusmodi carētias inamouibiles, & necessarias contradistinctas ab omni conceptu reali positiuo, supra reiecimus. Secundo, partes harum carentiarum aliquæ inter se distant, aliquæ sunt immediatæ, aliquæ magis, aliquæ minus inter se elongantur: peto ergo quid est has carentias subire hanc totam varietatem? est ne occupare locum diuersum, & distantem? & iam debes admittere alium nescio quem tertium locum præter imaginarium, per respectum ad quem explices distantiam carentiarum: & vrgeris vlterius; quia, cum locus ille tertius constet partibus distantibus, debes cum periculo processus in infinitum explicare, quid sit partes illius distare, & per ordinem ad quid distent.

Neque carentia chimeræ.

23 Instabis quarto, spatium imaginarium est carentia chimeræ per totum, & in immensum diffusa. Verum contra hanc carentiā facit primo, quia mihi est impossibilis omnis conceptus necessarius extra Deum. Secundo, huiusmodi carentia, vel est diuisibilis, vel indiuisibilis? si primum; adhuc debes explicare, quomodo illius partes inter se distent: si indiuisibilis erit profectò simillima diuinæ immensitati, & quoad explicandam præsentem difficultatem non magis apta: ergo congruentius recurrimus in explicandis rerum præsentiis ad diuinam immensitatem, & limitationem creaturarum, de quibus nobis constat, quàm ad illas carentias adeò incertas.

Neque negatio repugnātiæ ad existendū in loco.

24 Instabis quintò: spatium imaginarium est negatio repugnantiæ ad existendum in loco. Sed contra primo, quia hęc negatio repugnantiæ non est, nisi possibilitas vbicationis, de qua supra diximus. Secundo per motum non tendit mobile ad acquirendam negationem necessariam repugnantiæ, benè autem ad acquirendum locum. Tertio iam explicas locum per locum, dum rerum vbicationes, & loca intrinseca explicas per negationem repugnantię ad existendum in loco.

Vbicationes creatæ seipsis sunt locus intrinsecus creatus.

25 Ex dictis infero, vbicationes se ipsis esse locum realem intrinsecum cuiusque rei creatæ, illicque præcisis nullum esse locum creatum, vt facilè colligi potest ex dictis: quælibet autem illarum est formaliter potius hic, quam alibi: imò est ipsissimum hic: quia se ipsa fundat relationem ex-

extremitatis, & distantiæ ab alijs rebus, vt patet ex dictis. quid autem sit esse simul loco, vel distare, plus, aut minus, constat experientia.

26 Infero secundo, si nomine spatij imaginarij intelligimus Dei immensitatem; omnia, & Deum ipsum esse in spatio imaginario: omnia enim sua amplitudine complectitur diuina immensitas, & Deus maximè est in se, & sua immensitate supra omnes cœlos. Quod si nomine spatij imaginarij intelligamus aliquam chimæram, certum mihi videtur, neque Deum, neque vllam aliam rem esse realiter in spatijs imaginarijs; quis enim dicat me, imò Deum nunc realiter esse in chimera; cum qua iuxta probabilem aliquorum opinionem habeo oppositionem; si minùs maiorem, certè quidem æqualem, ac cum meo non esse.

Quomodo cognitio chimæræ dicat ordinem ad chimæram.

29 Dices primo, cognitio chimæræ, quamuis realis, dicit tamen transcendentalem ordinem ad chimæram impossibilem; ergo præsentia realis poterit transcendentaliter referri ad spatium imaginarium, quamuis impossibile, & per hoc dici, quod sit in illo. Nego consequentiam; quia relatio cognitionis realis ad chimæram impossibilem est tantùm relatio secundum dici, ratione cuius nequit intelligi talis cognitio sine chimæra, cum sit eius formalis expressio: at relatio vbicationis ad spatium imaginarium, deberet esse realis: ratione cuius realiter diceretur res esse in illo, tamquam in loco: relatio enim rei ad locum est realis, & tendit ad formaliter vniendum, aliqua saltem vnione, rem cum loco. Quod si nos ex nostra imperfectione nequimus explicare vbicationes, nisi per respectum ad spatium imaginarium; solùm hinc infertur, nostram cognitionem imperfectam, qua illas vbicationes explicamus, dicere ordinem transcendentalem secundum dici ad spatium chimæricum: quod vltrò concedo.

Ostenditur Deum esse supra cœlos

30 Dices secundo: non potest probari Deū physicè esse supra cœlos. Nego assumptum: & probo: quia fide sanctum est, Deum esse immensum, & vbique, hoc est non solùm à nullo prorsus loco, & corpore distantem; sed etiam, vt ex Scripturis, & Patribus probant Theologi, supra omnes cœlos; ideoque S. Augustinus *lib. 11. de Ciuit. cap. 3.* approbat sententiam antiquorum Philosophorum asserentium, Deum esse in infinitis spatijs extra mundum, sicuti fuit in infinitis temporibus ante mundum. Et quidem illud Iob 11. *Excelsior cœlo est*; & 22. *Mente cogita, quod Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur.* & 3. *Regum* 8. & 2. *Paral.* 2 & 6. *Quem cœli cœlorum capere non possunt*: non possunt nisi destartè intelligi de excessu quo ad perfectionem, non autem quo ad extensionē. Ideoque Concilium Ephes. *tom. 1. cap. 6.* ex sententia Cyrilli Alexandrini docuit, *Diuinam naturam corporis expertem, omnique termino, & loco etiam imaginario superiorem esse.* Vbi nomine loci imaginarij intelligit Concilium locum possibilem maiorem, & maiorem, quem nos imaginari possumus: & Diu. Gregorius Nazianzenus *apolog. 1.* docet: *Deum in vniuerso, & extra vniuersum esse.* & Sanctus Hilarius *lib. 1. de Trinitate*: *Inest Deus interior, excedit exterior.* & S. Gregorius Magnus *hom. 8. in Ezechielem*: *Deus*, inquit, *implet, & supercxcedit omnia.* S. Dionys. *cap. 9. de diuinis nominibus* docet: *Deum omnia penetrare, & super omnem magnitudinem se diffundere*: & infra: *Deus extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & superexpanditur.* & clarissimè S. Augustinus *lib. 7. confess. cap. 5.* *Dum Deum*, inquiens, *immensum concipio, ante oculos mentis meæ pono massam creaturarum omnium veluti spongiam, & Deum tamquam mare immensum vsquequaque infinitum, & ex omni parte ambientem, atque penetrantem huiusmodi creaturam.* Et sanè, si diuina immensitas non esset huiusmodi, posset Deus mutari, quia posita extra cœlum aliqua creatura inciperet de nouo esse, vbi antea non erat: quinimò neque immensus esset, sed mensurabilis, sicuti mensurabilis est mundus, extra quem Deus non diffunditur.

31 Dices tertio, omnis præsentia constituit rem in loco: non reali: ergo imaginario: res igitur est in loco imaginario. Distinguo maiorem: constituit rem in loco increato; concedo: creato; subdistinguo; extrinseco; nego: intrinseco; subdistinguo: formaliter; concedo: ipsa enim præsentia est locus intrinsecus rei: alio modo; nego: tum data minori de loco reali extrinseco, nego consequentiam de loco imaginario distincto à Deo.

SECTIO TERTIA.

Vtrum præsentia localis sit aliquid distinctum à re locata, & loco extrinseco, siue creato, siue increato.

1 QVærimus, vtrum ea forma, qua Petrus v. g. penetratur diuinæ immensitati, & quæ fundat hanc relationem distantiæ, propinquitatis à reliquis corporibus vbicatis, & penetratis cum eadem diuina immensitate, & communiter dicitur vbi, vbicatio, locus intrinsecus; sit aliquod realiter superadditum entitati rei locatæ, & loci siue creati, siue increati: loquimur autem de vbicatione rerum indifferētium, vt sint in hoc, vel illo loco.

2 Prima sententia docet, rem esse in loco per suam entitatem, & entitatem loci tantùm nullo alio accidente superaddito; ita cum nominalibus Fonseca, Soncina, Sotus, & recentiores nonnulli. Secunda Suarij, Vasquez, Albertini, Hurtadi, Arriagæ, Ouiedi, Giattini, Comptoni, Lynceis Mauri, Quiros, & aliorum docet, rem esse in loco præter rei entitatem, & loci, dicere accidens quoddam, quod aliqui putant esse modum, alij cum Arriaga rem.

Vbicatio realiter distinguitur à loco, & re locata.

3 Dico cum secunda sententia: probatur: in corporibus sublunaribus datur virtus productiua vbicationis: ergo vbicatio est quid creatū realiter distinctum, tum à corpore locato, tum à loco.

Datur in creatmis virtus productiua motus localis, & vbicationis.

à loco. Consequentia probatur: terminus productus per illam virtutem necessariò debet esse quid positiuum, & quidem creatum; virtutes enim causatiuæ non sunt per se, & primariò nisi ad effectus positiuos; ad carentias enim inducendas sufficit vel defectus causæ, vel virtus productiua effectus positiui incompossibilis cũ termino aliquo, ac proindè trahẽtis carentiã illius. Rursus effectus productus per illam virtutem non potest esse ipsum corpus locatum, & multo minus locus extrinsecus; quis enim dicat, cum ego acquiro aliquem locum, me, aut locum de nouo produci? Probo igitur antecedens: corpora sublunaria insensata habent virtutem sibi intrinsecam, & innatam, qua mouentur sursum, et deorsum ad loca sibi debita; in animalibus autem est prętcrea virtus productiua motus progressiui; & sanè non minus constat de virtute productiua motus tum naturalis, tum progressiui in corporibus insensatis, & sensitiuis, quàm de virtute calefactiua in igne: & dum mouemur, experimur aliquid agere, & pati: aliter, cur defatigamur, & spiritus insumimus; nisi quia illos applicamus ad agendum? ergo in his corporibus datur virtus productiua vbicationis. Probatur consequentia, vbicatio non est nisi correspondentia ad locum, modo supra explicato: sed motus localis sursum, & deorsum, ac progressiuus est quædam forma, qua mobile successiuè correspondet, & formaliter ponitur in pluribus partibus loci: ergo motus localis est formaliter vbicatio: sed datur in corporibus sublunaribus virtus productiua motus localis: ergo datur in sublunaribus virtus physicè productiua vbicationis.

4 Dices primo: hoc argumentum probare de vbicatione fluente, non de permanente: quæ est quies in proprio loco: quęstio autem est de permanente. Sed contra primo, quia quæstio est de vbicatione absolutè dicta. Contra secundo directè: vbicatio illa fluens, qua corpus palmare v.g. ponitur in primo palmo loci fluenter, est eadem cum vbicatione permanente, qua in eodem primo palmo loci ad longum tempus perseueraret: ergo si corpora hæc sublunaria habent virtutem productiuam vbicationis fluentis, habebunt virtutem productiuam etiam vbicationis permanentis. Antecedens probatur: vbicatio, qua totum corpus ponitur in primo palmo loci, est fluens, quia post ipsam sequitur alia vbicatio, qua corpus correspondet secundo palmo loci, & est incompossibilis cum prima, quæ ideo debet destrui: sed post illam primam vbicationem potest non sequi alia vbicatio incompossibilis: quia potest res non vlterius progredi: ergo potest illa eadem vbicatio, quæ est fluens, & labilis, hoc est durans ad instans, esse permanens, & ad longum tempus durans. Profecto ista prima per se non habet, nisi constituere rem in hoc loco; per accidens autem est, quod post illam sequatur alia incompossibilis.

5 Confirmatur: quando vltimo terminatur motus; certè ponitur primo res in hac determinata parte loci, in qua perseuerat per vbicationem vltimo productam per motum; sicuti successiuè correspondet partibus antecedentibus loci per vbicationes antecedẽtes successiuè productas: ergo in mobili est virtus productiua illius vbicationis vltimæ: sed illa vbicatio vltima est permanens: ergo est in mobili virtus productiua vbicationis permanentis: minor probatur post illam vltimam vbicationem non sequitur alia illi incompossibilis: ergo illa debet durare, & esse permanens. Et quamuis cesset motus, hoc est noua productio nouæ vbicationis; non debet tamen cessare causalitas illius vltimæ vbicationis: quæ causalitas non esset amplius motus, sed conseruatio formæ vltimo productæ per vltimam partem motus: aliter si cessaret illa vbicatio, & adueniret eius carentia, deberet res ab hoc loco remoueri: cessante enim forma, qua subiectum factum est ab hoc loco indistans, & adueniente eius contradictorio, debet cessare illa indistantia, & remoueri subiectum. Sic igitur arguo cum summa triumphantis philosophia *dist.* 5. *cap.* 8. §. 2. vel ex motu præcedẽti aliquid remansit in mobili, vel nihil: si aliquid; hoc erit vbi permanens: si nihil, ita se res habebit per motum, ac ante: sed ante motum non erat hic, ergo neque post motum erit hic; quod est falsum.

Potentia loco motiua est principaliter ad quietem.

6 Contra principalem responsionem arguo tertio: potentia loco motiua tendit in corporibus sublunaribus ad constituendam rem in aliquo loco permanenter: ergo non minus est potentia productiua vbicationis fluentis, quam vbicationis permanentis. Antecedens probatur: ad hunc enim finem concessa est à natura corporibus sublunaribus potentia loco motiua, vt ea media non solùm acquirant vbicationes illas fluentes medias sibi aliquo modo violentas; sed maximè, vt acquirant vbicationem permanentem, & quietem in proprio loco. Consequentia probatur: potentia quæ principalius data est ad acquirendam vbicationem permanentem, quàm fluentem; magis principaliter est causatiua permanentis, quam fluentis: sicuti quia potentia calefactiua principalius data est ad acquirendum calorem perfectum, quam ad calorem, & calefactionem imperfectam successiuè positam; ideò non solùm est causa productiua caloris, & calefactionis successiuè positi, sed etiam caloris perfecti, in quo quiescit. Et confirmatur voluntas non solùm est principium amoris, desiderij, intentionis, electionis mediorum, & similium actuum, qui sunt veluti quidã motus in finem, sed etiam gaudij, & fruitionis, quæ est quies in fine iam acquisito: ergo potentia realis loco motiua horum corporum sublunarium, non solùm est principium motus localis, & vbicationis fluentis, sed etiam quietis, & vbicationis permanentis.

7 Confirmatur secundo, & explicatur. Corpora hæc mobilia non solùm inclinant ad motum localem, quo tendunt ad proprium locum, sed etiam, & quidem efficacius, ad quietem

tem

rem in loco sibi naturali: ergo si habent virtutē productiuam motus localis, & fluentis vbicationis, habent etiam virtutem productiuā quietis, & vbicationis permanentis.

8 Hinc confirmo tertio, meam doctrinam, & rationem: est in corporibus maior inclinatio ad quietem in proprio loco, quàm ad motum localem: ad hunc enim non inclinant, nisi vt ad medium, ad illam autem veluti ad finem: ideoque efficaciter quantum est ex se renituntur ne illam quietem, & coniunctionem cum proprio loco amittant, vt patet ex difficultate, quam experimur, dum à proprijs locis illa remouere conamur: ergo à fortiori debet esse quid positiuum vbicatio permanens, quàm fluens: terminus enim directus inclinationis naturalis, non minus ac potentiæ productiuæ in ente positiuo debet esse positiuus: quia inclinatio illa non est, nisi ad bonum, & perfectionem rei; perfectio autem rei positiuæ non potest esse nisi positiua: vel si id nunc renuis profecto à fortiori debet esse quid positiuum id, ad quod magis inclinat, quàm id, ad quod minus inclinat ipsum ens positiuum. Illud autem ad quod hic, & nunc ponendum inclinat, & quod debet producere virtus hæc motiua, non est vel decretum Dei, vel locus ipse extrinsecus, vel substantia mobilis, quæ omnia iam supponuntur posita: ergo aliquid aliud, vbicatio videlicet permanens, quam inquirimus.

Ratio allata in motu violento, et in spiritibus locum habet.

9 Dices secundo, hoc argumentum probare tantùm de motu locali, & vbicatione permanente corporum, non spirituum: & corporū quidem, non qualicumque, sed naturali, & debita. Sed contra: quia motus violenti procedunt etiam à virtute motiua: & ob eamdem rationem ab aliqua virtute extrinseca, & quidem motiua debent procedere vbicationes permanentes violentæ: virtus enim productiua motus violenti vel ordinatur ad ponendum corpus stabiliter in aliquo loco; & sic ob allatas rationes debet esse productiua vbicationis permanentis; vel non ordinatur ad talem finem, sed tantùm ad motum aliquem violentum, qui terminetur tandem in quietem debitam corpori moto; & in ea suppositione, iam quies ex dictis procedit à virtute naturali mobilis. Quoad spiritus autem militat eadem ratio, & fortasse efficacius: quia habent natiuam vim mouendi se, & quiescendi pro libito: cuius virtutis terminus non potest esse, nisi aliquod positiuum creatum distinctum à loco extrinseco, & ipsa substantia mobilis; qualis etiam est terminus virtutis, qua alia à se loco mouent, & faciunt, vt quiescant in aliquo loco.

Et quando res primo producitur

10 Dices tertio: ergo ad minus quando res primo producitur, & ponitur in aliquo loco, non debet admitti vbi distinctum. Nego: quia tunc habetur virtus productiua vbi vel intrinseca, vel extrinseca, quam nos supra ex motu probauimus: ergo debet illud vbi producere.

11 Hinc facilè reijciuntur, qui docent rem esse in loco, esse locum, & rem, prout connotantem locum, seu rem cum loco, seu eum loco coniunctam: nam ly connotare, & ly cum, & ipsa coniunctio, vel dicit aliquem terminum positiuum ab illa virtute, de qua supra, procedentem, & habemus intentum: vel non, & non satisfit argumento. Reijciuntur etiam qui docēt rem esse in loco, dicere rem locum, motum antecedentem, qui nunc non fit, sed præcessit; carentiam motus sequentis, decretum Dei de ponenda re in hoc loco, ac carentiam miraculi: positis enim his omnibus non potest non haberi res in hoc loco. Contra enim est, quia ex hoc modo discurrendi sufficeret solùm decretum Dei. Deindè non assignant terminum positiuum illius virtutis, & inclinationis, nisi velint esse carentiam miraculi, de qua non curo: iam enim illa carentia miraculi est aliquod positiuum, per quod res affigitur loco, & est ipsum vbi quod inquirimus. Quod autem posito decreto cum reliquis non possit non haberi vbicatio, nihil iuuat aduersarios, ad probandum non dari vbicationem distinctam; & sanè quis non videt ex positione causæ completæ, malè argui carentiam effectus distincti.

Reijciuntur aliorum opiniones.

12 Tertio reijciuntur, qui docent, rem esse in hoc loco, dicere actionem, qua res formaliter intelligatur potius procedere ab hac virtualitate Diuinæ Omnipotentiæ, & immensitatis, quàm ab alia. Primo quia huiusmodi virtualitates supra reiecimus. Secundo iam admittis vbi distinctum à loco, locato, & reliquis, sed illud identificas cum actione productiua rei, de quo nunc non curo. Tertio iam res, cum producit suam vbicationem, produceret se ipsam: quia poneret actionem, qua ipsa causatur. Si autem dicas illam actionem procedere ab impulsu, quem res sibi imprimit, ergo iam res causaret se mediatè, causando impulsum, quid deindè est principium actionis, qua res ipsa causatur.

13 Quarto reijciuntur, qui docent esse hic, dicere locum, locatum, & indistantiam. Contra enim est; nam nisi hæc indistantia sit quid positiuum, & vbi à nobis intentum; non assignat terminum illius virtutis motiuæ, &c. Demum reijcitur sententia Alberti Magni *de principijs trac. 2. cap. 1.* docentis apud Gratinum *q. 12. art. 2.* rem esse in loco per relationem quamdam resultantem ex ambitu, & approximatione loci respectu locati; quia iam præcisa illa relatione, in eius fundamento, nempè in dicta approximatione, saluatur adæquatus conceptus vbicationis.

14 Objicies primo: agens mobile independenter ab vbicatione est in loco: ergo non datur talis vbicatio: antecedens probatur: mobile independenter ab vbicatione, qua ponitur in hoc loco, est proximè potens producere in se vbicationem in hoc loco: ergo iam independenter ab vbicatione est in hoc loco: probo cōsequentiam: omne agens potens agere in aliquo loco, debet supponi in priori signo ad effectum, & su-

& independenter ab illo in eodem loco: esse enim in hoc loco, est vna ex conditionibus requisitis ad agendum in hoc loco. Confirmatur debet assignari determinatiuum agentis ad producendam hanc potius vbicationem in hoc loco, quàm aliam in alio: hoc autem determinatiuum non potest esse, nisi præsentia in tali loco: ergo ad producendam vbicationem in tali loco determinatur agens, & mobile à præsentia in tali loco: ergo iam vbicatio est superflua, supponit enim rem loco præsentem.

Determinatiuum vbicationis.

15 Respondeo, nos loqui posse, vel de vbicatione, quam mobile ab intrinseco acquirit per virtutem sibi intrinsecam, vt cum lapis mouetur deorsum: in quo casu idem lapis est mouens, & motum: vel de vbicatione, quam mobile acquirit ab extrinseco, vt cum lapis sursum violenter proijcitur, aut cum quis equo, vel curru fertur: in primo casu, dico mobile, & agēs determinari in hoc instāti ad producendā potius hanc, quā illā vbicationē, non à præsentia in hoc loco, quæ est effectus nūc ponēdus; sed à propria virtute, & decreto Dei volentis ad exigentiam huius mobilis, & reliquarum circumstantiarum concurrere potius ad hanc, quàm illam vbicationem. Si agens sit liberum, poterit etiam determinari à sua voluntate; si sit cognoscitiuum, non liberum, poterit determinari, & compleri ad motum, & vbicationem sequentem à multis sensationibus variè illud inclinantibus.

16 Simili modo discurro si corpus moueatur ab extrinseco: determinatur enim ad hunc potius motum, & vbicationem à virtute mouētis impressa cum hac, vel illa directione à reliquis circumstantijs, & nonnunquam, etiam à voluntate libera mouentis, vel dirigentis cursum; ipsum autem mouens non est necesse, vt sit in eodem loco cum mobili: sufficit enim si supponatur in loco proximo, vnde possit imprimere virtutem, vel secum trahere mobile. Quod si loquamur de mobili primo producto; dico, determinari ad hoc potiùs vbi, quàm aliud, à causa, & reliquis circumstantijs, in quibus producitur: hinc patet ad confirmationem de determinatiuo.

17 Ad principale argumentum, nego antecedens; ad probationem, nego consequentiā: ad rationem in contrariū, concedo illam de alijs effectibus distinctis á præsentia; non autem de præsentia. Quidquid enim sit dicta præsentia, certè in priori signo, cum mobile intelligitur proximé potens habere præsentiam in loco, nō debet intelligi illa præsentia: igitur, vt præsentia in loco sit conditio, adoperandos alios effectus in hoc loco, certè quidem talis non erit, quando effectus ponendus est ipsa præsentia, vt patet consideranti.

Vbicatio est modus.

18 Obijcies secundo, non potest explicari vtrum vbicatio sit modus, vel res? ergo non datur. Respondeo: probabilius est, esse modum, quàm rem; quia ex vno capite nullum habemus argumentum, quod sit indifferens, ad plura subiecta: ex alia vero saltem vnio, qua illa vbicatio vnitur subiecto, est modus subiecti: ergo iam in tali vnione identificantur illa duo prædicata, & quod sit addicta huic subiecto, & quod sit affixa huic loco: si enim est vnio huius vbicationis, iam essentialiter respicit hanc vbicationē, & hunc locum, & ea posita iam intelligitur res in hoc loco: ergo verè in illa vnione modali, præcisa re, quam vnit, habemus prædicatum vbicationis: ergo non est necessitas admittendi illum terminum absolutum, quę sit vbicatio res. Confirmatur vlterius; vbicatio se ipsa formaliter est actuale exercitium vbicandi; neque enim potest existere, & actu non vbicare subiectum: ergo verè est modus. Antecedens probatur; quia aliter posset existere, & non vbicare, & sic non iam esset actualis vbicatio, quàm vis vbificatiua.

19 Dices, illa vnio non formaliter, sed tantùm exigitiuè vbificat: sicuti vnio formæ ignis cum ligno non constituit formaliter, & adæquatè, sed solùm exigitiuè ignem: quia essentialiter exigit formam ignis. Sed contra: quia forma ignis confert subiecto formaliter vim calefactiuam, & productiuam ignis, quam habet in se etiam extra subiectum, & quam certum est non habere vnionem; neque verò in ea vnione extrema, nempè forma, & materia exigunt aliud prædicatum, quam esse actuale exercitium viuendi. At vnio vbicationis habet etiam illud prædicatum, quod essentialiter ex se sit vbicatio sui, & addicta loco, & fundans distantiam; quem effectum formalem debet cōmunicare subiecto capaci. His adde, causas, & subiectum vbicationis non exigere in illa, nisi prædicatum actualis exercitij, & formaliter auferentis indifferentiam: quia per hoc adæquatè satisfit indigentiæ subiecti: ergo asserere, quod vbicatio sit forma absoluta, est contra exigentiā causarum, & subiecti.

Vbicatio non identificatur cum actione productiua, neque cum duratione.

20 Instabis: ex hoc discursu posset quis inferre vbicationem identificari cum actione productiua, & duratione; sicuti identificatur vnioni sui cum subiecto. Respondeo, vbicationem absolutè non posse identificari cum actione productiua rei vbicatæ, saltem defacto. Quia defacto actio productiua vbicationis, & ipsa vbicatio dependet vel efficienter, vel saltem materialiter à re vbicata: actio autem productiua rei vbicatæ non pendet materialiter, vel efficienter à re vbicata. Vtrum autem illa identitas sit possibilis; nolo nunc quærere. Si verò loquamur de actione, qua producitur vbicatio; sunt qui illos conceptus realiter identificent; quia actio illa productiua vbicationis est essentialiter addicta loco: ergo est vbicatio. Sed respondere posset, esse vbicationem intransitiuam sui, non transitiuam subiecti: sicuti odium peccati, in multorum sententia, est volitio, & amor intransitiuus sui, non peccati. Neque vrget, quod vnio vbicationis sit vbicatio etiam transitiua subiecti: quia actio ex suo conceptu non ordinatur ad communicandam subiecto vbicationem, sed ad dandum esse ipsi vbicationi;

cationi; vnde formaliter in se non habet aliquod prædicatum faciens formaliter ad vbicandum subiectum, sicuti habet vnio vbicationis, quæ tota formaliter est ad vbicandum subiectum: quare cum ipsa sit vbicatio, non est cur, non constituat illud vbicatum. His adde actionem productiuam vbicationis respicere essentialiter diuersos terminos, ac respiciat vbicatio: nam actio illa respicit essentialiter causas vbicationis, quas non respicit vbicatio: ideoque variata causa vbicationis debet quidem variari illa actio, non vbicatio: ergo illa actio ex conceptu suo non est vbicatio subiecti. Hæc ratio non militat in vnione vbicationis.

21 Hinc colligo: non benè vbicationem constitui in conflato ex loco, locato, decreto Dei, motu iam præterito, carentia motus sequentis, & accidente aliquo superaddito producto per virtutem, de qua supra diximus: sed adæquatè sitam esse in illo accidente superaddito, & de nouo producto: quia mobile proximè potens producere illam præsentiam non est indifferens ad hunc, vel illum effectum, sed determinatus ad hunc, nempè ad vbicationem in hoc loco: ergo illud, quod sequitur, est se solo adæquatè vbicatio in tali loco. Neq; actio productiua illius accidentis est pars vbicationis, sed productio vbicationis: quia est productio termini, quem exigit ille actus primus, qui terminus est vbicatio.

22 Quæ omnia suadent, vbicationem non necessariò identificari cum duratione sui, & hāc durationem, quamuis sit vbicatio intransitiua sui, non tamen esse vbicationem subiecti: quia non est facilè concedendum vbicationem esse essentialiter fluentem; quod eueniret, si identificaretur cum duratione. Et ratio vlterior est: quia de ratione vbicationis est, tantùm esse addictam loco, seu esse locum: de ratione autē durationis est esse addictam tempori; nemo autem dixerit locum semper variari, sicuti semper variatur tempus: ergo neque dicendum est, quod vbicatio fluat continuo, sicuti duratio.

23 Instabis, vbicatio fluens identificatur cum actione, qua producitur: est enim motus, qui essentialiter includit actionem: ergo etiam permanens. Nego assumptum: ad probationē ibi insinuatam, nego vbicationem esse formaliter motum, sed ad summum erit terminatiuè talis: est enim terminus successiuè productus per actionem illam fluentem.

SECTIO QVARTA.

Quot sunt in quolibet composito vbicationes?

1 PLura sunt in quolibet composito non solùm substantialia, vt materia, forma, & vnio substantialis; sed etiam accidentalia, vt quantitas; & reliqua accidentia; quinimò nullum est ens creatum, licet substantialiter simplex, in quo non inueniantur plura accidentia: sensus igitur præsentis quæstionis est, vtrum omnia, quæ sunt in quolibet composito, & ente creato, vbicentur pluribus vbicationibus, an omnium vna sit vbicatio. Secundam partem sequuntur Vasquez, Albertinus, Maurus, Pallauicinus, & alij recentiores: primam docet Suarius *disp. 51. met. sect. 5.* Hurtadus *disp. 14. s. 4. phys.* Arriaga, Ouiedus, *Summa Triumph. phys. dist. 5. c. 8. s. 2. n. 7.* Quiros *tract. 3. phys. disp. 74. sect. 2. n. 70.*

2 Dico cum secunda sententia, omnia, quæ sunt in composito, & quolibet ente creato, saltem defacto, & naturaliter distinctis vbicationibus vbicari: probatur, esse in loco, non fundatur in aliquo prædicato speciali competente potiùs vni parti, quàm alij; sed in prędicato communi entis creati, vt vidimus: nullum enim est ens creatum, quod illicò, vt est, præcisè quia creatum est, non exigat penetrari diuinæ Immensitati, & saltem naturaliter esse in loco: ergo quodlibet ens creatum debet per formam sibi immediatè adhærentem esse in loco, & non præcisè, quia vnitur alteri, cui immediaté competit esse in loco. Rursus quodlibet ens creatum præcisè per suum esse creatum, completé, & adæquatè exigit esse in loco, seu fundat necessitatem adæquatam, vt sit in loco: ergo quodlibet ens creatum independenter ab alio quocunque, exigit esse immediatè in loco: ergo quodlibet ens creatum exigit habere vbicationem distinctam ab vbicatione alterius cuiuscumque; aliter non fundaret se solo per suum esse creatum necessitatem adæquatam, vt sit in loco; sed deberet expectare aliud compleṅs talem exigentiam, & necessitatem.

Distincta distinctis vbicationibus vbicantur.

3 Dices primò, res, quæ sunt in corpore, sunt in loco circumscriptiuè: ita, vt tota res correspondeat toti loco, & pars parti: sed hoc vbi circumscriptiuum non possunt habere à se, sed à quantitate: ergo saltem omnia materialia, quæ sunt in loco, sunt in loco per vnum vbi quantitatis. Confirmatur, quia si spoliarentur quantitate redigerentur in punctum: ergo esse modo dicto in loco circumscriptiuè non habent à se, sed à quantitate.

Quantitas determinat res materiales ad vbi circūscriptiuum, sed distinctum à proprio.

4 Distinguo minorem: formaliter; nego; causaliter, seu determinatiuè; concedo minorē, & nego cōsequentiam: quia res materiales exigunt vnionem cum quantitate; exigunt etiam vbi circumscriptiuum, sed distinctum ab vbicatione quantitatis: sicuti habent esse distinctum ab esse quantitatis. Hinc patet ad confirmationem; permisso enim res materiales ad indiuisibile redigendas, si spoliarentur quantitate; ex hoc solùm sequitur, à quantitate determinari ad vbi circumscriptiuum; non autem, ne habeāt proprium vbi distinctum ab vbi quantitatis.

5 Dices secūdo: potest duplex effectus, vt vidimus, dependere per eamdem actionem ab eodem principio adęquato: ergo possunt omnia, quę sunt in composito vbicari per vnicam vbicationem: sicuti per vnam quantitatem redduntur quanta, & per vnam albedinem alba.

Dato antecedente, nego consequentiam; ratio disparitatis est: quia termini producti cum non præexistant productioni, & causæ: sicuti quamuis distincti, non exigunt vnam, aut duas causas, ita neque vnam, aut duas actiones: & sicuti independenter ab effectu ex se habent causæ, quod vna producat simul plures effectus, vel multæ multos; ita independenter ab effectu exigunt producere per duas, vel vnam actionem duos effectus; quod si id renuas, nego antecedens. Ad reliquas paritates ex quantitate, albedine, & similibus dico; dari vnam quantitatem, & albedinem: quia reliqua, quæ sunt in composito non habent aliquod prædicatum, ratione cuius exigant esse immediatè quanta independenter ab omni alio in genere causæ formalis: sicut habent prædicatum, vt vidimus, quo quælibet exigit esse in loco: idem dico de albedine, & similibus.

6 Dices tertio; non omnia, quę sunt in composito, mouentur per se: multa enim mouentur per accidens ratione vnionis, quam habent cum aliquo, quod per se mouetur: sic moto homine, non mouentur per se intellectio, & alij actus spirituales existentes in illo: ergo nõ omnia sunt in loco per se; sed multa per accidens ratione vnionis, quam habent cum aliquo, quod per se est in loco: ergo multa sunt formaliter in loco per vnicam vbicationem, quæ sit proprietas vnius ex illis. Distinguo antecedẽs; non omnia, quæ sunt in composito mouentur per se ratione formę, qua successiuè constituuntur in loco; nego: omnia enim habent propriã vbicationem distinctam ab vbicationibus aliorum: ratione alicuius determinatiui antecedentis ad habendam potius hanc, quàm aliam vbicationem; concedo: sic moto corpore intellectiones, & alij actus spirituales non determinãtur à natiua sua virtute ad motum, & vbicationẽ successiuam; sed totum compositum vel à grauitate, vel ab imperio voluntatis determinatur ad motum, & vbicationem successiuam: & consequenter omnia, quę sunt in composito propter naturalem vnionem, quam inter se habent determinantur singula ad suas vbicationes item successiuas: quamuis determinatiuum per se non conueniat nisi vni parti, vel toti. Hinc nego primam, & secundam consequentiam.

7 Instabis, quando sursum proijcitur lapis, omnia vbicantur per vnam vbicationem quantitatis, & materiæ: illa enim vbicatio successiua versus locum superum est violenta formę, & reliquis accidentibus lapidis, & solùm non est violenta quantitati, & materiæ de se indifferenti: ergo non potest inesse, nisi soli materiæ, & quantitati: aliter forma, & reliqua accidentia lapidis vnirentur, & causarent materialiter formam sibi violentam, quod videtur absurdũ. Nego assumptum, ad cuius probationem concedo, illam vbicationem esse violentam formæ, & reliquis accidentibus lapidis; nego tamen consequentiam: nullum enim puto absurdum subiectum causare materialiter aliquod accidens sibi secundum aliquod prædicatum violentum, quo tamen hic, & nunc indigeat: si tamẽ determinetur ab aliquo principio extrinseco ad illud accidens: quia adhuc illud accidens esset contra inclinationem subiecti. In casu igitur nostro omnia, quę sunt in lapide, exigunt, quatenus sunt entia creata habere aliquam vbicationem, & immediatè correspondere diuinæ immensitati; quare cum non possint habere, ob violentiam extrinsecam, vbicationem connaturalem, subiacent violentæ: quæ tamen non est absolutè violenta, sed inadæquatè, quatenus per illam, licet non fiat satis omni exigentię lapidis, fit tamen satis exigentiæ inadęquatæ, & quidem efficaci prædicati generici entis creati.

10 Ex quibus patet moto homine tum animam, tum intellectiones, & alios actus spirituales acquirere nouam præsentiam, vtique spiritualem, & fortassè etiam indiuisibilem: si loquamur de anima: ratio est: quia rebus spiritualibus non videtur congruere, nisi præsentia spiritualis independens videlicet à corpore, & quę ablato corpore adhuc perseueret; sicuti res ipsæ spirituales sunt à corpore independentes: quod si anima spiritualis potest vniri corpori, & per vnionem materialem, vt volunt nonnulli; id est, quia non eodem modo anima indiget vnione ad corpus, ac vbicatione; sine vbicatione enim absoluté esse non potest; ergo si vbicatio est materialis, & addicta corpori, etiam anima erit addicta corpori, & materialis: quod repugnat eius spiritualitati, & immortalitati; at sine vnione ad corpus optimè conseruari potest.

SECTIO QVINTA.

Vtrum eadem res possit simul esse in duplici loco adæquato?

1 DVpliciter aliquod potest esse in loco, primo definitiuè, ita vt tota res sit in toto loco, & tota in qualibet parte; qui modus propriè conuenit rebus spiritualibus indiuisibilibus: sic anima rationalis tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Secundo circumscriptiuè, quando videlicet res ita est tota in toto loco, vt pars illius tantùm sit in parte loci.

2 Iam verò certum est saltem miraculosè posse idem corpus esse in vno loco circumscriptiuè, in alio, vel etiam in pluribus definitiuè: nã Christus Dominus in cælo est circumscriptiuè, sub diuersis autem speciebus consecratis definitiuè. De duplici autem præsentia circumscriptiua partem negatiuam etiam in ordine ad potentiam absolutam defendit Vasquez 3. *part. disp.* 169. c. 5. affirmatiuam tuentur Scotus, Suarius, Conymbricenses, Ouiedus, & alij passim. Dixi loco adæquato: nam indubitatum est eamdem rem posse per diuersas sui partes occupare diuersa loca inadæquata. Dixi simul: simul ipsa enim experientia constat corpus successiuè esse in pluribus locis adæquatis.

3 Dico

Non potest idē corpus naturaliter esse in duplici loco circumscriptiuè.

3 Dico primo, non potest idem corpus naturaliter circumscriptiuè esse in duplici loco adæquato; quia alter ex his locis est supra exigentiam corporis, quod sicuti vnum est, ita vnum exigit locum. Quare si duo Angeli eiusdem virtutis simul impellant corpus in partes diuersas; corpus illud nullius impulsum sequeretur; quia non est maior ratio cur sequatur potiùs impulsum vnius, quàm alterius.

Potest miraculosè.

4 Dico secundo; non repugnat, miraculosè idem corpus simul esse circumscriptiuè in duplici loco adæquato; quia constat idem corpus posse simul esse in duplici loco, in altero quidē circūscriptiuè, in altero verò definitiuè; quinimò in duplici definitiuè; ergo etiam in duplici circumscriptiuè; maiorem enim repugnantiā habet corpus, vt sit in duplici loco definitiuè, seu in vno definitiuè, in alio circumscriptiuè; quàm in vtroque circumscriptiuè; plura enim iura naturæ violantur, vt ita dicam, in primo, ac in secundo casu.

Distinctio loci est naturaliter indiciū distinctionis.

5 Objicies primo cum Mauro: si corpus posset miraculosè circumscriptiuè bilocari, falsificaretur principium proprium, vnde per sensum colligimus distinctiones rerū homogenearum: hoc autem repugnat: ergo, &c. maior probatur principium illud est, locorum diuersitas, videlicet, quæ sunt in diuerso loco, sunt distincta realiter: quod principium falsificaretur posita possibilitate replicationis per vbi circumscriptiuum. Distinguo maiorem; falsificaretur principium illud nullo intercedente miraculo; nego: intercedente miraculo; concedo: & quia miracula non sunt supponenda, ideò absolutè verum est illud principium, & vt tale assumi potest ad probandam rerum distinctionē. Falsum autem assumunt nonnulli, ea esse circumscriptiuè in loco, quæ ita sunt in vno loco, vt non sint in alio: hoc enim est in quæstione; quod si contendas te id intelligere nomine præsentiæ circumscriptiuæ; formam videlicet, qua res circumscribitur, & excluditur ab omni alio loco, nolo tecum de nomine contendere; dummodo mihi concedas possibile, eamdem tum posse occupare modo dicto duo, vel plura loca adæquata. Præterea esse in loco definitiuè nō est ita definiri loco, vt res sit hic, non alibi: ergo esse circumscriptiuè non est ita circumscribi, vt sit hic, & non alibi; imò Christus Dominus est et circumscriptiuè in cęlo, & simul alibi definitiuè.

6 Objicies secundo, si est possibilis replicatio dicta, ergo vbicatio medietatis æquat vbicationem totius, quod apertè repugnat. Distinguo: vbicatio medietatis replicatæ æquat vbicationem totius non replicati; concedo: vbicatio medietatis non replicatæ; nego: nullum vero absurdum est, quod pars replicata adæquet totum non replicatum. Neque vbicatio multiplicata est mensura rei vbicatæ.

7 Objicies tertio; res posita in duplici loco separaretur à se ipsa. Nego: quia per replicationem corpus formaliter ponitur in duplici loco; non quia fiat duplex, vel sit in foro sine sua entitate; sed quia habet duas vbicationes.

8 Objicies quarto: non potest corpus acquirere locum se maiorem: ergo non potest esse in duplici loco. Distinguo antecedens: naturaliter, & per vnicam præsentiam; concedo: miraculosè, & per duas; nego. His adde, corpus per duas præsentias non occuparurum spatium maius se, sed duo spatia, quæ non facerent vnum.

9 Objicies quinto: si corpus posset replicari per vbi circumscriptiuum, posset esse vbique: ergo & esse immensum. Distinguo antecedens; si esse per infinitas replicationes vbique, aliundè non repugnat; concedo: si repugnat; nego antecedens, & consequentiam. Quia esse immensum non est vtcumque esse vbique, sed semper actu, & necessario occupare quodcumque spatium, & penetrari cum quacumque re existente; quod soli Deo conuenit. Ex ijs autem, quæ diximus de duplici actione adæquata, colliget fortassè quis, repugnare duas vbicationes adæquatas eiusdem rei, simul existentes, & respicientes idem corpus, & spatium; sed nolo in hoc immorari.

10 Objicies sexto cum Vasquez: si corpus posset supernaturaliter habere duas præsentias adæquatas, posset moueri naturaliter duplici motu: corpus enim graue vtrobique extra centrum existens vtrobique grauitaret; ergo vtrobique descenderet iuxta exigentiam suæ grauitatis.

11 Respondeo cum Ouiedo, dupliciter Deū in hoc casu posse se gerere; primo, vt velit cōseruare vtrāque præsentiā tum contra exigētiam alterius; vtraque enim petit, propter incompossibilitatem mutuam, destructionem alterius; tum contra exigentiam omnis agentis creati exigentis lapidem esse in hoc, vel illo loco: & in hac suppositione lapis non posset ab agente naturali moueri: agens enim naturale non potest naturaliter producere motum, nisi destruendo priorem vbicationem, quam non potest in hoc casu destruere. Secundo potest Deus nolle conseruare præsentias illas contra exigentiam agentis naturalis petentis aliò rem transferre, & tunc corpus moueretur, quia verè grauitaret; neque impediretur à duabus præsentijs, quæ deberent ambæ destrui per aduentum nouæ vbicationis sibi incompossibilis; sicuti cum præsentia antecedens est vna, non impedit, ne producatur alia subsequens sibi incompossibilis, per quam ipsa destruatur.

12 In eo igitur casu lapis moueretur vnico motu, qui formaliter destrueret præsentias antecedentes; moueretur autem ex ea parte, quæ est centro vicinior, elementa enim petunt locum naturalem, per lineam breuiorem, quam possunt: quod si ex vna parte medium magis resisteret, quam ex alia, vt si idem corpus pendulum Romæ in aere, Panormi sit supra tegulas, tunc mouebitur ex ea parte vbi minor est resi-

sentia. Si verò cætera sint paria, in eo casu Deo incumbet, motum in hanc potius partem, quàm in illam determinare; cum nulla sit maior ratio ex parte obiecti. Quod si Christus Dominus naturaliter in cælo moueretur, id non præiudicat nostræ doctrinæ: quia eius præsentia eucharistica non naturaliter consequatur. Vnde probabile est, Petrum bilocatum in duabus partibus huius aulæ, non posse per duos motus naturaliter moueri, & sibi ipsi occurrere; sed per vnum motum sequentem, qui destrueret vbicationes antecedentes.

23 Objicies septimo: corpus bilocatum posset ne dici distans à se ipso, & occurrere sibi saltem miraculosè? Respondeo negatiuè: quia distare & occurrere videntur importare terminos distinctos: solùm igitur dici posset illud corpus habens duas vbicationes, vnam ab alio distantem; sicuti homo albus, & quantus habet duas formas accidentales inter se dissimiles, non tamen est sibi dissimilis.

24 Aduerto, posse quidem idem corpus virtute rarefactionis, etiam naturaliter, modo occupare maius spatium, quàm antea; non ideò tamen posse occupare duo spatia dissita simul æqualia illi maiori spatio, ad quod per illam rarefactionem extenditur: cuius ratio præcipuè fundatur in experientia; & confirmatur: quia hoc modo Angelus diuidendo suam sphæram in partes minores, & minores posset simul esse in omnibus partibus vniuersi; & per vbicationem, quam acquirit in terra, non amittere vbicationē cælestem; quod tamen est contra modū loquendi scripturarum, & Patrum, ex quibus habemus Angelos descendisse de cœlo, quod indicat ipsos reliquisse cœlum.

SECTIO SEXTA.

Quæ in nouo loco debent, vel possint rem bilocatam sequi?

MVlta possunt in corpore bilocato supponi ante bilocationem; multa sequi ad illam. Quærimus igitur vtrum, hæc omnia debeant, vel possint cum corpore bilocato bilocari; & quidem in ordine ad potentiam, tum absolutam; tum ordinariam.

Quæ sunt addicta loco, non bilocantur bilocato corpore.

2 Dico primo: ea, quæ sunt in corpore bilocato, sed affixa essentialiter loco; ne supernaturaliter quidem possunt bilocari: probatur: quia non possunt amittere suam essentiam, quæ sita est in esse hic, & non alibi: hanc autem amitterent, si alibi simul cum locato bilocarentur.

Reliqua, quæ sunt naturaliter vnita rei bilocatæ replicātur cum illa.

3 Dico secundo: omnia alia, quæ sunt vnita naturaliter corpori bilocato, nec sunt essentialiter, aut naturaliter dicto modo addicta loco, debent naturaliter replicari replicato corpore. Probatur: quia vnio, saltem naturalis, exigit, vt vbicumque est vnum extremum, sit etiam aliud, si illa vnio sit adæquata; si autem inadæquata, vt vnum extremum nequeat adæquatè mutare locum, quin secum habeat aliud; quod maximè confirmatur authoritate Tridentini definientis sess. 13. cap. 3. *Poni sub speciebus panis sanguinem, & sub speciebus vini corpus, animam autem sub vtrisque, propter naturalem connexionem, & concomitantiam, qua corporis Christi partes, non amplius morituri, inter se copulantur*: ergo accidentia, & reliqua à loco absoluta, quæ subiecto bilocato vniuntur, debēt bilocari; id videlicet exigente vnione naturali; qua omnia illa copulantur.

4 Dices, hic concurrunt duæ exigentiæ, alia fundata in incapacitate, & limitatione accidentis vniti v. g. albedinis, quæ exigit tantum occupare vnum locum, ideoque vbicatio, quæ correspondet vni loco sibi adæquato, exigit ne ponatur alia vbicatio: alia est exigentia vnionis naturalis inter illud accidens, & subiectum, exigentis, vt vbicumque est vnum extremum, sit etiam aliud: cur igitur prævalet secunda exigentia? Confirmatur posita replicatione vnius extremi, aliud non acquirit maiorem capacitatem naturalem, neque maiorem virtutem in ordine ad locum; ergo non magis post replicationem illius, quam ante potest naturaliter esse in duplici loco. Respondeo ad principale argumentum rationem esse: quia exigentia ne res sit in duplici loco est negatiua, & potius non exigentia: est enim limitatio subiecti non exigens simul esse alibi: at vnio est exigentia positiua, vt extrema sint simul: exigentia autem positiua est fortior, quàm negatiua: sicuti ens prævalet nō enti. Hinc ad confirmationem, nego consequētiam: quia quamuis corpus per replicationem non acquirat maiorem capacitatem; semper tamen habuit necessitatem trahendi secum in eodem loco, quæ essent sibi dicto modo vnita.

Potest miraculosè replicari vnum ex vnitis non replicato alio.

5 Dixi naturaliter loquendo; quia miraculosè, præsertim si velimus negatiuè procedere, potest bilocari materia non bilocata forma, & quocumque alio accidente illi vnito, & debito. Nunquam tamen concesserim, posse, replicari vnionem non replicatis partibus vnitis: vt facilè colligi potest ex dictis de vnione.

6 Ex dictis infero primo, destructo absolutè accidente alicuius subiecti replicati, in neutro loco tale accidens possideri ab illo subiecto; aliter non esset destructum accidens, sed tantùm eius vbicatio.

7 Secundo, si rei replicatæ applicetur in altero loco ignis, calorem productum debere replicari simul cum actione in alio loco, propter vnionem tum caloris, tum actionis cum illo subiecto. Neque hinc sequitur actio in distans: quia tum effectus productus, tum subiectum est præsens agenti.

Corpus bilocatū per vbi circūscriptiuū non potest ab aliquo agēte moueri, quia cesset esse bilocatū.

8 Tertio sequitur, corpus bilocatum non posse naturaliter ab vllo agente moueri, quin cesset esse bilocatum: vbicatio enim circumscriptiua subsequens acquisita per motum sequentem est incompossibilis cum omni alia vbicatione circumscriptiua eiusdem rei; alter possent plures tales vbicationes naturaliter poni simul

mul. Dixi circumscriptiua, quia fortasse vbicatio sacramentalis Christi Domini sub speciebus, quamuis sit miraculosa ex pluribus capitibus, non est tamen incompossibilis cum alijs vbicationibus eiusdem Christi sacramentalibus; ne cogamur dicere, quod naturaliter deberent ad motum vnius particulæ consecratæ destrui omnes præsentiæ Christi Domini sub alijs speciebus.

Quæ nequeūt esse simul in eodem subiecto, nequeunt & si illud bilocetur.

9 Dico tertio, quæ habent oppositionem, vt simul sint in eodem corpore, & subiecto existente in vno loco, nequeunt simul in illo inueniri, quamuis bilocetur. Sic quia calor, & frigus ambo vt 8. non possunt, ob specialem repugnantiam, quam habent inter se, simul esse in mea manu tantùm Panormi existente, non possunt esse in eadem bilocata Panormi, & Romæ, ita vt Panormi mea manus sit calida, Romæ frigida. Ratio est, quia multiplicatio vbicationem non auget virtutem, neque capacitatem rei: ergo non potest facere, vt subiectum sit capax formarum, quarum alias est incapax. Ob eamdem rationem non potest facere, vt in diuersis locis producat plures effectus, quàm in eodem.

Quomodo corpus bilocatum æquiualeat pluribus.

10 Instabis corpus, & ens quodlibet replicatum æquiualet pluribus: ergo potest in vno loco calefieri, in alio frigefieri, &c. non minus ac si esset duplex ens. Distinguo antecedēs, æquiualet pluribus in ordine ad aliquos effectus; concedo: quoad omnes; nego antecedēs, & consequentiam: aliqua sunt, quæ repugnant simul esse in eodem subiecto non ex oppositione, quam habent inter se, vel ex incapacitate, & impotentia subiecti ad illa simul; sed quia subiectum non inuenitur in pluribus locis, in quibus possint illi applicari plura agentia, vel passa, vt est v. g. simul videre arcem panormitanam, & messanensem; supposito quod in oculo sit vis simul videndi plura obiecta, & in ordine ad hos effectus corpus bilocatum æquiualet duobus: quia nullam habet impotentiam ad simul videnda illa obiecta, nisi defectum applicationis, qui defectus cessat posita bilocatione. Aliqua verò sunt, quæ repugnant simul esse in eodem subiecto, vel ab eodem agente ex defectu capacitatis, vel potentiæ ad illa simul; & quæ sunt huiusmodi non possunt simul poni à corpore, & qualibet alia re bilocata, ob datam rationem.

11 Instabis iterum, homo potest in vno tempore esse iustus, in alio iniustus, in vno frigefieri, in alio calefieri: ergo poterit simul in vno loco esse iustus, & iniustus in alio, &c. Nego consequentiam: & primo vrgeo aduersarios; quamuis homo possit naturaliter esse successiuè in pluribus temporibus, non tamen potest simul esse in duplici loco adæquato: ergo quamuis possit naturaliter homo in pluribus temporibus successiuè recipere illas formas, non ideò poterit naturaliter simul in diuersis locis illas habere. Ratio disparitatis est: quia si homo simul sit iustus, & peccator in diuersis locis, simul absolutè verificatur: homo est iustus, homo est peccator: & simul absolutè coniungerentur res, & eius extinctiuum: at si in diuersis instantibus sit iustus, & peccator, non verificatur vllo modo coniunctio iustitiæ cum peccato. Et ratio est: quia quæ sunt in diuerso tempore nullo modo communicant, & sunt simul: quæ autem sunt in diuerso loco adhuc communicant, & sunt absolutè simul.

12 Ex hoc infert non improbabiliter Quiros, corpus album bilocatum fortassè nō posse vtrobique naturaliter videri: quia non potest vtrobique emittere species visiuas sui. Infero præterea corpus, quod in vno loco existens habet vires attollendi pondus centum librarum, non posse in duplici loco existens attollere duplex pondus centum librarum, alterum in vno, alterum in alio loco: quia non habet vires, & capacitatem attollendi ducentas libras, nec per replicationem augentur vires, quæ dum totæ insumuntur in vno loco, nihil possunt in alio. Ideoque puto falsum corollariū Giattini, quod si in vna lance stateræ ponatur pondus centum librarum, in alia pondus vnius libræ centies replicatum, neutra lancium sit præponderatura: ratio est, quia multiplicatis vbicationibus, non augetur grauitas: ergo non augetur impulsus: ergo necessariò præponderabit illa, in qua est pondus centum librarum. *Nonnulla corollaria.*

13 Quæ diximus, intelliguntur, vt patet, de ijs, quæ naturaliter sequuntur posita replicatione: cum quo benè cohæret, corpus bilocatū possè miraculosè moueri ex vtraque parte, & sibi occurrere: neque in occursu corpus secum penetraretur: quia licet sit idem corpus, tamen partes, quæ deberent correspondere eidem loco, non essent eædem: nam in occursu brachium sinistrum correspondet dextero, &c. Quod si dum corpus replicatum miraculosè mouetur in vno loco per impetum in se receptum, quiesceret in alio; probabiliter docent nonnulli, naturaliter loquendo ratione vnionis illum impetum replicandum in alio loco: quia impetus est forma absoluta à loco: neque absolutè impetus secundum se esset otiosus: quia causaret motum; neque otiosa esset secunda vbicatio; vtpotè exacta ab vnione.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum duo corpora possint penetrari?

1 ID naturaliter fieri non posse, constat experientia, quā videmus, vnum corpus alteri resistere, illudque impedire ne progrediatur: quod profectò nō eueniret, si possent naturaliter penetrari: loquor de corporibus completis habentibus magnitudinem, & quantitatem distinctā: nam alias plura accidentia materialia penetrantur inter se, & cum materia, & forma. *Naturaliter, non miraculosè copugnat corporum penetratio*

2 Dices primo. Vbicatio Petri, quamuis respiciat eumdem locum cum vbicatione Pauli, non habent tamen oppositionem, quia non respiciunt

spiciunt idem subiectum. Respondeo hanc non esse propriam contrarietatem ob dictam rationem; est tamen oppositio quædam fundata in natura vbi circumscriptiui corporis, quod sicuti habet constituere vnam partem quantitatis extra aliam, ita exigit constituere distantiam ab omni alio corpore.

3 Dices secundo, vas aqua plenum numos aliquos sine effusione recipit, & plenum cinere tantumdem aquæ capit, quantum si cinis non esset: ergo numi, & aqua penetrantur cum alio corpore. Dato primo casu, nego consequentiã; nam vel numi expellunt partes aeris delitescẽtis in aqua, vt patet ex bullis, quæ nonnunquã eleuantur; vel condensantur partes aquæ; vel demum aqua attollitur supra orificium vasis, cuius labia ob siccitatem resistunt, ne diffluat. Ad secundam dico falsum esse tantumdem aquæ capere vas plenum cinere, ac vacuum; non negauerim tamen, multum aquæ infundi posse in vas, quod apparet plenum cinere, idque non quia aqua penetretur cum cinere, sed quia & exiliunt partes aeris, quæ in magna copia delitescebant in cinere, & ipse cinis condensatur: ac demum multæ illius partes subtiliores euaporant.

4 Aduerto hic primo, vnum corpus aliud loco pellere imprimendo illi impulsum, quo medio illud excludit à loco, in quem corpus pellens ingreditur. Secundo fines huius impenetrabilitatis esse duos, primus est, vt corpora diutius conseruentur, & possint obiecto corporum, se ab aggredientibus defendere; quod nequirent posita penetrationis possibilitate, & facilius à contrarijs penetratis corrumperentur. Secundus est mundi pulcritudo, quæ præcipuè consurgit, ex proportione, & situ partium cum debita distantia; ad quam vel in primis conducit corporum impenetrabilitas. His positis.

5 Dico miraculosè posse duo corpora penetrari, quam conclusionem esse fide certam affirmat summa Triumph. *Philos. dist. 5. cap. 8. sect. 3. n. 17.* quamuis contrarium docuisse videantur Durandus *in 4. dist. 44. q. 6.* & Paludanus ibidem apud Quiros *cit. sec. p. n. 2.* Probatur ex mysterijs Natiuitatis, Resurrectionis, & Ascentionis, & hoc modo explicatur dos subtilitatis in Beatis. Dices hæc omnia accidisse sublata extensione, & vbicato corpore ad modum spiritus per præsentiam definitiuam. Sed contra; quia penetrationes, de quibus loquuntur scripturæ, sunt corporum, quæ circumscriptiuè existebant in loco; neque cum corpus Christi penetrauit cœlos, eius partes sunt inter se penetratæ. Secundo magis repugnat naturis corporum, quod penetrentur per vbicationes definitiuas, quam per circumscriptiuas; nam in primo casu, & vnum corpus confunditur cum alio, & partes eiusdem corporis inter se confunduntur, at in secundo casu, retenta partium distinctione locali, tantùm vnum corpus confunditur cum alio.

6 Dices, non potest explicari verum corpora grauia v.g. simul penetrata possent moueri? Respõdeo, posse simul naturaliter moueri deorsum, quia simul grauitant, & nullum est impedimentum motus deorsum. Quod si vnum esset corpus graue, aliud leue, & nulla virtus alteri præualeret, non possent moueri; sin vna virtus præualeret alteri, illud corpus, cuius virtus præualeret, traheret secum ad suum locum naturalem aliud corpus minoris virtutis.

Corpora penetrata non possũt naturaliter loco separari.

7 Vrgebis cum Vasquez: si duo illa corpora moueri naturaliter possent, vel simul mouerentur, vel vnum velocius alio? si primum? ergo simul de nouo acquirerent aliud spatium, & consequenter de nouo penetrarentur naturaliter, quod repugnat: si secundum? ergo etiam daretur noua penetratio; quia dum vnum corpus mouetur velocius alio ad dissoluendam penetrationem, partes inferiores corporis velocioris, deberent pro aliqua particula temporis penetrari cum partibus superioribus corporis tardioris, quare inter partes infimas vnius corporis, & superiores alterius haberetur noua penetratio, quæ prius non habebatur. Respondeo, posita penetratione duo illa corpora simul mouenda, vt supra dicebam; quia penetratio inter illa duo corpora non potest auferri ab aliquo agente naturali, vt probat aduersarius: quare semel posita, naturaliter perseueraret; nec illa corpora exigunt talem dissolutionem, quæ cum sit sua natura miraculosa, non potest cadere sub exigentiã naturalem corporum. Repugnantia igitur corporum est ad penetrationem primam, non ad illius perseuerantiam. Ratio est; quia corpus non penetratum exigit acquirere locum per expulsionem corporis præexistentis ab eo loco, in quem ipsum tendit, vt constat experientia; non exigit autem corpus penetratum expellere à se, vel à loco aliud corpus iam sibi penetratum: cum posita semel penetratione non sit sibi impedimento, ne acquirat locum, ad quem inclinat. Ex quibus facilè assignatur disparitas inter replicationem, & penetrationem: cum in replicatione non solùm in prima positione, sed etiam in illius conseruatione res sit in loco, cuius non est naturaliter capax ex sua limitatione.

8 Quæres obiter primo: vtrum vbicatio possit replicari, & poni in alio loco saltem miraculosè, non quidem amittendo esse hic, quod essentialiter includit, sed acquirendo simul esse alibi per aliam formam accidentalem? Respõdeo negatiuè: probatur; vna vbicatio affixa vni loco essentialiter habet, & includit distantiam ab vbicatione affixa alteri loco; vel ad minus implicat, quod vbicatio addicta vni loco essentialiter exigat indistantiam ab vbicatione addicta alteri loco: sed hoc eueniret, si vbicatio Romana, posset replicari Panormi; vbicatio enim, qua replicaretur Panormi est Panormitana, & locus ipse Panormitanus, & tamen essentialiter exigeret, & poneret indistantiam sui ab vbicatione Romana, quam secum necessario traheret Panormi: quin imò non esset ratio, cur

Vbicatio non potest in alio loco poni.

per

per illam vbicationem potius Romana Panormi, quàm Panormitana poneretur Romæ. Per illam enim non minus vbicatio Panormitana fieret præsens loco Romano, dum fit præsens vbicationi Romanę; quam vbicatio Romana fieret præsens Panormitano, dum fit præsens vbicationi Panormitanę.

Volente Deo conseruare hanc vbicationem, nō debet simul produci alia ad exigentiam agentium naturaliū.

9 Quæres secundo: vtrum volente Deo efficaciter conseruare vbicationem, a, Petri, teneatur, vt author naturę ponere in Petro vbicationem, b, si adsit agens creatum exigens efficaciter, quantum est de se, talem vbicationē producere? Respondeo, non teneri: quia posita illa voluntate, & conseruatione alterius vbicationis; efficacior est exigentia vbicationis conseruatę, & incapacitatis subiecti, ne ponatur alia vbicatio, quam sit exigentia illius agentis: nam exigentia agentis licet magna, potest superari per exigentiam alterius agentis creati validioris exigentis oppositum; at exigentia vbicationis, & subiecti ne simul ponatur alia vbicatio, à nullo alio agente creato superari potest.

Potest idē vbi respectu diuersorum esse circumscriptiuum simul, & definitiuū.

10 Quæres tertio: vtrum idem vbi possit esse circumscriptiuum, & definitiuum simul respectu diuersorum. Respondeo me non videre in hoc vllam repugnantiam, quod videlicet idem vbi afficiat ita duo subiecta, vt alterum ponat totum in toto loco, & totum in qualibet parte loci, alterum autem verò ita ponat totum in toto loco, vt singulæ illius partes respondeāt tantùm singulis partibus loci; hoc autem est ponere in loco vnum definitiuè, alterum circūscriptiuè: sistendo igitur in argumento negatiuo, puto probabilem partem affirmatiuā: quamuis non negauerim non ita facilè mihi persuasum iri, vnam vbicationem posse effectus formales adeò oppositos tribuere etiam diuersis subiectis.

Non potest idē corpus esse in eodem loco simul definitiuè, & circumscriptiuè etiam per duas vbicationes.

11 Quæres quarto: vtrum idem corpus per duas vbicationes possit simul in eodem loco circumscriptiuè, & definitiuè vbicari; ita vt per vnam vbicationem totum sit in loco, & singulæ partes in singulis tantùm partibus loci, per aliam verò totum in toto, & totum in singulis partibus loci? Respondeo, in his vbicationibus me non videre apertè prædicata contradictoria, nisi fortassè illa, quod singulæ partes sint realiter in singulis locis, & non sint realiter in singulis locis: quia singulæ tam sunt in omnibus partibus loci: neque diuersitas formæ potest mitigare hanc contradictionem; sed potius ostendit illarum formarum simultatem repugnare. Quare vbicatio circumscriptiua, vel impediretur à suo effectu formali constituēdi singulas partes subiecti locati in singulis partibus loci, vel à suo definitiua, constituendi videlicet singulas in toto loco.

SECTIO OCTAVA.

De Vacuo.

Definitur vacuum.

1 VAcuum dupliciter sumi potest, primo negatiuè, pro quadam inanitate interminata, omni corpore spoliata; talis est inanitas illa, quam extra coelum imaginamur. Secundo propriè, & priuatiuè, pro quadam inanitate, seu priuatione corporis lateribus inclusa: vt si Deus nullo corpore subrogato destrueret aerē inclusum lateribus huius aulę. Definitur communiter: *locus priuatus corpore.* sicuti enim locus physicus plenus est superficies corporis cōtinentis, & consequenter repleti alio corpore: ita vacuum est superficies corporis nullo alio corpore repleti. Est igitur vacuum quoddam veluti concretum dicens, vt subiectum corpora lateralia, & vt formam carentiam omnia corporis intercepti.

2 Hinc infero, si Deus destrueret corpora contenta intra latera huius aulæ, & loco eorum poneret Angelos etiam virtualiter extensos, hāc aulam adhuc perseueraturam vacuam, quia non repleretur corpore. Idem euenturum putant nonnulli, si Deus conseruaret in eo loco aerem destitutum quantitate, vel quantitatem destitutam præsentia locali circumscriptiua: quia videlicet corpus tunc non existeret ad modum corporis; neque per illud medium possent deferri influxus cælestes, aut vnum corpus expellere loco aliud præcedens; sed de hoc nolo aliquid definire.

Nō datur vacuum.

3 Non dari in rerum natura vacuum probāt experientiæ satis claræ, quarum vnam, vel alteram adducam: si alterum fistulæ orificium aquæ immergas, & ex altero aerem ore trahas, aqua contra natiuam grauitatem sursum attollitur, nō ob aliam profectò rationem, quam ad occupandum locum ab aere relictum. Secundo si follium orificium arctissimé constringas, non poteris illorum latera diuidere, & attollere, nisi disrumpantur; idque quia aer non habet aditum ad explendam aream illam, quæ vacua relinqueretur; qui plura velit legat Conimbr. *l. 4. c. 9. q. 1. art. 2. & 3.*

Probatur experientia.

4 Huius rei ratio communis hoc modo proponitur in summa Triumph. Philos. *cit. sec. 4. n. 3.* Natura in mundo maximè intendit vnitatem, quę ex his corporibus haberi potest: sed non possunt omnia hęc corpora facere vnum essentiale, vel continuum: benè autem vnum per contiguationem, & immediationem quoad locum: ergo maximè natura intendit in mundo sensibili illam corporum contiguitatem, cui repugnat vacuum etiam paruum, & ad minimum tempus: vnde quamuis corpora ita sint instituta, vt alia exigant esse sursum, alia deorsum, alia esse densa, alia rara; tamen his omnibus legibus cedunt, vt vnitatem illam contiguitatis intactam conseruent, & ad replendum vacuum, & grauia ascendunt, & leuia descendunt, & densa rarefiunt, & rara condensantur.

Et ratione

5 Ratio vlterior est: quia vnitas dicta est bonum valdè magnum, non leuiter conducens ad pulchritudinem vniuersi, & ad mutuam corporum actionem, & passionem, qua pulchritudo illa, & varietas, non aufertur, sed potius conseruatur. Præterea meliùs per plenum, ac effi-

efficacius propagantur Influxus cælestes in hæc inferiora; videlicet per lineas breuiores, & rectas; ad quem agendi modum inclinant corpora cælestia, quę non nisi per accidens, & valdè raro agunt per lineam obliquam; cum videlicet directus progressus impeditur per corpora opaca; quę tamen sunt aliundè necessaria: sed nulla est necessitas vacui, per quod obliquè deferendi essent influxus cęlestes.

6 Dices, hęc ratio impugnat vacua magna, non minima. Nego: quia etiam minima impedirent dictam vniuersi contiguitatem; quę sita est in indiuisibili, Et si natura necessariò uincit magna uacua adhibendo media ardua; à fortiori debet uincere minima. Quod si in animalibus admittuntur parui pori, non magna vulnera; est quia parui pori sunt ualdè necessarij, & utiles; at magna uulnera disponunt ad dissolutionem totius.

Soluuntur experientiæ in contrariũ adminiculo raritatis, densitatis, & admixtionis aëris, vel alius corporis

7 Ex raritate autem, densitate, & admixtione aeris solui possunt multi casus, qui afferuntur in contrarium. Et primo, si uerum est, quod refert Aristoteles dolium tantumdem uini capere, siue uinum sit inclusum utribus, siue non; idest, quia inclusum condensatur, & extra utres rarescit, ac admittit plures partes aeris, quas excludebat in utre. Secundo, cum scinduntur lapides durissimi, inueniuntur quidem aliquæ concauitates, quę tamen ante scissionem replebantur aere, uel alio corpore, & exhalationibus tenuissimis, quę diffluũt cum scinditur lapis, quod ex odore, quem in scissione experimur, nonnulli haud improbabiliter colligunt. Tertio, cum ingentes lapides unico ictu scinduntur ea scissio, cum fiat per motum localem, non nisi in tempore fit; quare benè potest aer aliquo modo attenuatus accurrere ad replẽdum illud spatium intermedium inter partes lapidis scissi.

8 Quarto, si sint duę tabulę perfectè planę, & immediatè se tangant; vel vt putant nonnulli, non potest vna eleuari sine alia sibi immediata; sicuti non potest quis per fistulam trahere sursum aerem, quin simul trahat aquam immediatè illi adhærentem: vel si potes possibilem huiusmodi eleuationem; dico illam non fieri in instanti, sed cum aliqua successione: fit enim per motum localem: locus igitur medius inter tabulas repletur aliquibus partibus earumdem rarefactis, & aere attenuato, qui vndique occurrit ad replendum uacuum. Demum cum stylum è cera extraho ad replendum locum à stylo relictum, accurrunt partes ceræ sequentes cum aliquo aere incluso, & rarefacto.

9 Cæterum in confirmationem primæ responsionis facit, quod ipse non semel expertus sum: nam si vas aliquod plenum aqua operiatur operculo aliquo ligneo; & deinde inuertatur, ita vt lignum immediatum orificio vasis respiciat perpendiculariter terram, fundum autem vasis cęlum; certè operculum ligneum non diuellitur à vase; sed sustinet aquam, idque; quia aer non potest accurrere ad replendum totum illud medium: ideoque si tantisper vas inuertatur vnde possit aer paulatim ingredi; statim cadit lignum, & diffluit aqua: ergo corpora immediata non possunt diuelli, nisi aer promptus sit accurrere ad replendum vacuum.

10 Quamuis autem virtus, qua tabulę resistunt, ne separentur, sit finita, non potest superari ab agente aliquo naturali: nullum enim agens naturale, licet validissimum, potest pręualere efficaci intentioni naturæ, quę expetit dictam vnitatem: atque enim exigentia partis, quale est illud agens naturale, debet pręualere exigentię totius naturę.

Soluitur experiẽtia de mercurio.

11 Obijcies primo: sit tubus aliquis vitreus, qui vnum tantum habeat orificium, ex vna parte, ex alia uero sit omninò clausus, & impleatur mercurio, seu argento uiuo; tum si illud orificium claudas digito, & ita clausum immergas in uas plenum argento uiuo, erepto digito experieris argentum uiuum, tubo contentum, multis uicibus sursum, deorsum moueri, ac tandem quiescere relicta superiore parte tubi uitrei, quæ profecto non potest esse nisi uacua omni corpore: cum enim uitrum non sit porosum, ut docent experti, non potest aer per poros occurrere ad replendum illud spatium.

12 Respondeo, partem superiorem fistulæ, quæ est immersa, plenam esse aere, qui ingreditur, dum egreditur argentum uiuum: uibrationes autem illas sursum, deorsum mercurij oriri ex pugna argenti uiui cum aere, dum alterum est alteri impedimento, ne ad suum locum pergat. Addit Summa Triumphantis philosophiæ *sec. 5. n. 7.* experientia comprobari supra argentum uiuum in fistula existere humorem quẽdam, qui uirtute caloris rarefactus, & occupans plus loci, facit ut argentum uiuum magis descendat: condensatus uerò uirtute frigoris est causa, ut argentum uiuum ascendat: eadem circa hoc est mens Mauri. His adde totam illam uacuitatem repleri luce: ergo est repleta corpore: neque enim lux utpotè qualitas corporea, potest esse extra corpus.

Motus fit in pleno.

13 Obijcies secundo: non admisso uacuo, non potest dari motus localis: nam uel mobile mouetur in uacuo; & iam datur uacuum, uel in pleno; & iam datur corporum penetratio. Respondeo, corpora moueri in pleno: quia implent modo locum, quem implebant corpora expulsa; dum enim corpus mouetur, pellit loco, in quem ipsum ingreditur, aerem, qui antea occupabat illum locum: eo modo quo piscis pellit loco partem aquæ anteriorem; & hęc occupat partes laterales piscis, & quę occupabat partes laterales, succedit ex parte posteriori per quemdam circulum in locum piscis. Non negauerim tamen in huiusmodi circulo partes anteriores aeris condensari, quę uerò à tergo occurrunt ad replendum locum corporis rarefieri; quod iuuat non leuiter motus productionem: quare ad motum muscæ non debent moueri omnia, quę sunt in mundo; sufficit enim si moueantur partes corporis immediati, & ad distan-

distantiam determinatam; quantum videlicet sufficit, vt per circuitum relinquatur locus corpori mobili, & occupetur locus ab ipso relictus. Partes igitur aeris post aliquam distantiam, ita tenuiter rarefiunt, & condensantur, vt non valeant mouere alias partes circumstantes.

A qua virtute mouentur corpora ad replendum vacuum.

14 Quæres hic primo; à quonam virtute moueantur corpora ad occupandum vacuum? Quamuis, vt dicam in loco, aer habeat virtutem naturalem descendendi infra aquam, & terram; & aqua infra aliquas particulas terræ ad occupandum vacuum; negare tamen non possum, sæpè corpora moueri violenter ad talem repletionē: si quis enim vas vacuū inuersū velit ex aqua extrahere, experietur non mirorem difficultatem, & pondus, ac si illud extraheret plenum aqua, sed orificio ad cælum conuerso: ergo aqua illa, quæ sequitur vas inuersum ad replendum vacuum, æquè resistit, ac aqua, quæ extrahitur in vase pleno habente orificium conuersum ad celum: ergo æquè violenter mouetur: ergo non potest, primo vniuersaliter hic motus procedere ab intrinseca virtute corporum, quæ sequuntur.

Non sēper à naturali.

Neque secundo dici phylosophicè potest, quod procedat à Deo, vel ab Angelo: aliter cut motus elementorum non dicimus procedere à solo Deo, vel Angelis.

Non à solo Deo, vel Angelo.

15 Neque tertio; corpora, quę mouentur, virtute quadam magnetica trahunt corpora sibi contigua; aliter non deberent dissociari ad præsentiam alterius corporis, sicuti non dissociatur à ferro magnes, etiā præsente aere; at nos videmus corpus, quod magna vi eleuatum ex aquis trahit secum magnā vim aquæ, illicò post paululum temporis separari ab aqua, quæ diffluit succedente aere.

Neque vniuersaliter à virtute magnetica.

16 Neque quarto dici potest, quod moueātur corpora adhærentia ab illo corpore, quod expellitur per motum corporis antecedētis, v.g. ab aere expulso à vase, ad quod sequitur aqua; quia aqua simul sequitur vas, & mouetur cum illo; & tamen in eo instanti, in quo mouetur, non potest ille aer expulsus esse applicatus, ad sursum pellendam aquam; quia non potest hic aer in eodem tempore esse sub aqua: cum enim fuerit distans ab illo loco, non potest ad eum accedere, nisi post aliquod tempus per motum successiuum.

Neque à corpore expulso.

17 Igitur dicendum est illa corpora sequentia moueri, vel per virtutem impressam à corporibus immediatis, quæ mouentur; si hæc moueantur ab intrinseco: sicuti enim habent vim se mouendi ad loca propria, expellendo ab illis alia corpora, ita & trahendi alia ad repleondum locum, quem relinquunt. Si verò motus fit violentus ab extrinseco, ac corpus, quod sequitur, moueatur violenter; dico vtrumque motum procedere ab illo principio extrinseco, quod mouet primum corpus: ideoque maiorem vim adhibemus, quando cum aere attrahenda per fistulum est etiam aqua, ac quando solus aer trahendus est.

Mouentur corpora sequētia per virtutem vel naturalē corporum præcedentiū, vel per impressam ab extrinseco.

18 Determinatur tamen agens ad trahendū vtrumque ex naturali adhærescentia corporum, quam supra probauimus: sicuti qui trahit funem, trahit etiam lapidem alligatum, & qui fastigium columnæ, erigit etiam reliquas partes illi continuatiuè vnitas.

19 Quæres secundò: vtrum miraculosé dari possit vacuum? Respondeo affirmatiuè, si enim corpora possunt miraculosè penetrari, & bilocari, cur non poterunt disiungi? quæ in rē prorsus obscura, & de possibili, est satis bona congruentia.

Potest miraculosè dari vacuū.

20 Quæres tertio: vtrum grauia, & leuia moueri possint in vacuo? Respondeo non posse, si sint affixa, & contigua alijs corporibus: natura enim abhorret à corporum disiunctione: nam ea disiunctio esset nouum vacuum. Posita disiunctione, & separatione possent vtique moueri: haberent enim virtutem motiuam expeditam: vacuum enim non impedit motum, cum auferat plenum, & corpus expellendum: quod potius est aliquod impedimentum motus.

Grauia, et leuia mouerentur in vacuo.

21 Dices primo: si grauia, & leuia mouerentur in vacuo, mouerentur in instanti: tota enim ratio successionis in motu locali est resistētia medij. Nego assumptum, & illud quod in contrarium affertur; est quidem resistentia medij causa successionis in motu; non tamen vnica, aut necessaria: nam intercapedo ipsa præcisa resistētia medij est maior mobili: ergo non potest mobile simul esse in illa: ergo præcisa resistentia adhuc mobile erit in illa successiuè.

22 Instabis, virtus mobilis non determinat velocitatem motus, nisi vt coniuncta cum resistentia medij. Nego assumptum, quod est in quæstione: en instantiam. Corpora gloriosa successiuè mouentur, & non determinantur ad successionem à resistentia medij. His adde sine intercapedine nullam futuram successionem: ergo potius intercapedini, quam resistentiæ tribuenda est successio.

23 Aduerto hic primo, virtutem motiuam concessā esse corporibus, præcipuè, vt tēdant ad loca sibi naturalia: quod obtinerent per motum in vacuo, in quo leuia sursum, grauia deorsū tenderent sine periculo actionis in distans. Secundo, non esse absurdum, quod posito miraculo virtutes naturales naturaliter operentur, vt patet in speciebus eucharisticis.

24 Illud fortasse non est improbabile, quod docet Maurus, corpora, quamuis inæqualis grauitatis, moueoda per vacuum æquali velocitate: quod probat experientia, qua videmus, pilam plumbeam per aquam, quod est medium magis resistens, velocius descendere pila lignea; quam per aerem, quod est medium minus resistens: ergo probabile est, quod vbi nulla est resistentia medij, grauia æquali velocitate descendant.

DISPVTATIO XV.

De Tempore.

POst locum aggredior explicationem temporis, quæ est alia circumstantia vniuersalis, in

in qua fit omnis motus, in ordine ad quem naturam definiuit Aristoteles l. 2.

SECTIO PRIMA.

Quid est tempus?

Definitur tempus.

1 DEfinitur ab Aristotele 4. *phys.* t. 128. *Numerus motus secundum prius, & posterius*; hoc est tempus, est multitudo partium motus; quod exprimunt primæ particulæ (*numerus motus*) quæ partes sibi immediatè succedant cum ordine prioris, & posterioris; ita vt nulla pars temporis formaliter, vt pars temporis, coexistat alteri parti eiusdem temporis; quod exprimunt sequentes particulæ: *secundum prius, & posterius*.

2 Ex quibus patet plures partes motus occupantes eamdem, vel diuersas partes subiecti, non esse tempus, si simul coexistant: tēpus enim essentialiter constituitur per prioritatem, & posteritatem partium.

Motus est numerus non numerans, sed numeratus

3 Ex dictis infero, tempus non esse numerum numerantem, & veluti actiuum, qui formaliter consistit in actu intellectus numerantis, & veluti componentis plures vnitates inter se ad faciendum aliquem numerum: sed esse numerum numeratum, & passiuum: non quidem formaliter, & proximè, quomodo dicit multitudinem vnitatum per actum intellectus in vnū numerum compositam: sed radicaliter, & remotè, in quo sensu dicit multitudinem secundum sua prędicata intrinseca potentem ob actu intellectus componi ad faciendum aliquem numerū: in hoc igitur vltimo sensu tempus est numerus: quia licet nullus intellectus cogitaret, aut numeraret partes motus, adhuc illę modo dicto coordinatæ essent tempus.

4 Quando igitur Aristoteles hic t. 131. docuit, quod *si anima non esset, tempus non esset possibile*; non locutus est de tempore secundum sua intrinseca; sed quatenus est mensura, sub qua ratione constituitur per actum animæ; mensura enim ex 10. m. c. 2. est id, quo cognoscitur quantum: nimirum id, cuius quantitate perspecta cognoscimus, quantum sit aliud, hoc autē res non habet ex se, sed ab anima assumente aliquod quantum determinatum, v. g. vlnam, vt ex illo dignoscat quātitatem aliarum rerum; tempus igitur in ratione mensuræ constituitur per actum animæ assumentis aliquem motum determinatum, vt per illum possit cognoscere quanta sit aliarum rerum duratio.

Omnis duratio finita est motus.

5 Infero secundo, omnem durationem rei permanentis esse tempus hic definitum: quia omnis huiusmodi duratio est motus quidam successiuus habens partes priores, & posteriores, non potentes coexistere. At sermo est de duratione finita, quia duratio infinita neque numerus est, neque numerabilis, cum omnes eius partes non possint successiuè percurri.

6 Hinc sicuti quælibet res temporanea habet suam durationem peculiarem sibi intrinsecam; ita habet suum tempus sibi intrinsecum: quinimò res temporales permanentes rigorosè nullum aliud tempus habent, nisi intrinsecum iam dictum: quia cessante quocumque alio motu, adhuc fluit illarum tempus: quod non potest esse nisi duratio; contra verò præcisa hac duratione, quamuis intelligantur reliqua, non intelligitur res habere tempus. Ex quo vt benè ponderat S. August. 11. conf. tempore Iosue cessante cœlorum motu, fluebat rerum tempus, & reuera bellum illud gerebatur in tempore.

Omnis successio motus est tempus.

7 Infero tertio: omnem successionem motus esse tempus: illa enim successio dicit plures partes inter se incompossibiles priores, & posteriores. Igitur non omnis motus diuisibilis formaliter est tempus; nam si simul producantur tres partes caloris, ille motus est diuisibilis, & non est tempus. Rursus si successiuè producantur tres partes caloris, illæ productiones non sunt tempus, quia poterant simul poni. Idem proportionaliter dico de motu locali; nam productio vbicationis in diuersis partibus temporis facta, poterat miraculosè tota simul poni: ergo formaliter motus, prout est acquisitio termini de nouo facta, non est tempus; tantùm ergo eius successio erit tempus. Hæc autem successio est suo modo motus: quia est multitudo partium incompossibilium semper constituens subiectum aliter se habens, ac prius.

Tempus potest esse breue, vel longum, sed nō velox, vel tardum, sicuti potest motus.

8 Hinc patet, cur motus possit esse velox, vel tardus, non verò tempus: nam motus potest habere plures partes simul existentes, vel minus interruptas, & erit velocior, aut pauciores simul existentes, vel magis interruptas, & erit tardior; quæ interruptio, & simultas partiū non habet locum in tempore; quod si vnicum est, erit successio partium incompossibilium, non interrupta; potest tamen tempus esse breue, vel longum, quia ea successio potest habere plures, vel pauciores partes.

Duplex tēpus cōmune extrinsecum, proprium intrinsecū.

9 Infero quarto, quod sicuti datur duplex locus alius extrinsecus, & communis omnibus rebus saltem corporeis, alius proprius, & intrinsecus cuique rei locatæ; ita possumus distinguere duplex tempus, aliud commune omnibus rebus corporeis, quod dici potest extrinsecum: quia pręter subiectum, cui inhæret, dicitur etiā tempus aliarum rerum, quibus intrinsecè non inest; & id præcipuè, quia est tempus nobis magis notum; per comparationem ad quod possumus dignoscere breuitatem, vel diuturnitatem operationum, ac durationum aliarum rerum corporearum.

Tempus vniuersale sunt circulationes cælestes.

10 Hoc tempus vniuersale est duratio motus cælestis: quia circulationes cœlestes fluentes cum tanta velocitate, & tarditate, sunt ex vna parte notissimæ, stabiles, ac perpetuę, valdeque vniformes; ex alia verò illis correspondent omnes mutationes, & durationes aliarum rerum corporalium: ergo benè dici possunt tēpus vniuersale, & inseruire ad mensurandum durationem, & tempus intrinsecum aliarum rerum. Hinc dicimus plus, vel minus rem durasse:

rasse: quia per suam durationem correspondet plutibus, vel paucioribus mutationibus corporis cælestis.

12 Aliud est tempus intrinsecum duratio videlicet cuiusque rei propria. Verumque autem tempus definiuit Aristoteles: tum ne dicamus eius definitionem esse mancam: tum quia verè definitionis verba possunt benè vtrique aptari, vt colligi potest ex dictis. Quando autē dicitur vnum esse tempus, sermo est de tempore extrinseco. Hinc cohærentes ad dicta de loco probabiliter cum Pallauicino libello de Angelis;

Tempus tū intrinsecū, tū extrinsecum hic definitur.

13 Infero quinto: dari primam aliquam durationem creatam, quæ non supponat aliam, quę sit veluti primum tempus, seu initium omnis temporis, à quo dependeant omnes aliæ durationes sequentes, & in ordine ad quod explicentur rerum durationes, ita vt dicantur res esse potius in hoc tempore, quàm in alio, quia seruant tantam, & non aliam distantiam, & propinquitatem cum prima illa duratione, seu initio temporis, & inter se comparatæ dicantur esse in eodem, vel diuerso tempore, vnam ab alia præcedi, quia seruant eamdem, vel diuersam distantiam ab illo initio; vel quia vna plus alia accedit, vel recedit ab eodem. Reliquæ igitur durationes sunt veluti quędam formæ relatiuæ respicientes tāquam primum analogatum illud initium, & ab eodem dependentes.

Prima duratio est mensura reliquarū.

14 Huius rei ratio est: quia certum est pręcessisse illud initium temporis, quod non est nisi primum instans durationis primę productionis rerum præcedentis omnia quęcūque opera Dei, & independentis ab exigentia cuiuscumque entis: quia nullum supponit præcessisse: post illud verò secutas fuisse omnes alias rerum durationes: non est autem præsumendum merè per accidens, & ad libitum post illud secutas cum sua successione, & ordine rerum aliarum productiones, & conseruationes, ex quibus mira hæc pulchritudo, & varietas consurgit: ergo verè reliquę productiones successiuè positæ sunt dependentes ab exigentia illius primi instantis: non quidem adęquatè, ne dicamus primum illud instans, se solo absolutè determinasse omnes effectus futuros, eorumque durationes: sed mediatè, sed inadęquatè, quatenus videlicet immediatè sequentes durationes fuerunt positæ ad exigentiam illius, reliquę verò ad exigentiam aliarum mediatè, vel immediatè dependentium ab illo primo instanti. Et ipsæ quidem actionum liberarum durationes pendent à duratione agentis liberi, cuius duratio saltem mediatè ab illa prima duratione, seu instante dependet. Loquor autem de agente libero corporeo. Reliqua, quæ hic addi possent, facilè colligi possunt ex dictis de loco.

15 Vrgebis primò, tempore non solùm mensuramus motum, sed etiam quietem: ergo tempus malè dicitur numerus motus potiùs, quā quietis. Nego consequentiam: tempus enim dicitur numerus, non quia tempore mensuramus alia, sed quia includit multitudinem partium motus de materiali, & de formali earum successionem, quæ etiam motus quidam, & mutatio est.

16 Vrgebis secundo: Aristoteles c. de quantitate numerat tempus inter species quantitatis continuæ: ergo non est numerus, quæ est species quantitatis discretæ. Nego absolutè consequentiam; si loquamur de numero numerato radicaliter, & remotè sumpto. Tempus enim per Aristotelem est quantitas non physicè, sed moraliter continua: cum enim eius partes non coexistant, non possunt vniri ad faciendum ens absolutè, & physicè vnum: moraliter autem dicitur quantitas continua; quia partes illius sibi immediatè succedunt sine vlla interruptione, ideoque videntur continuari; cum quo benè cohæret, tempus esse modo dicto numerum.

17 Vrgebis tertio: tempus numquam est: ergo est fictitium. Antecedens probatur: numquā eius partes existunt: ergo numquam est. Distinguo antecedens: numquam phisicè est totum; concedo; moraliter, & per partes assentialiter fluentes; nego.

18 Vrgebis quarto: non potest tempus formaliter esse duratio finita: ergo falsa explicatio à nobis tradita. Antecedens probatur: duratio est in tempore, tempus autem non est in tēpore. Secundo res sunt in tempore, non autem in duratione: sed per durationem sunt in illo. Tertio tempus est mensura durationis. Nego antecedens: ad primam probationem distinguo assumptum: omnis duratio est essentialiter in tempore extrinseco; nego: aliqua est in tempore extrinseco; concedo: omnis tamen est tempus intrinsecum. Nolo autem de nomine quarere, verum hoc sufficiat, vt omnis duratio dicatur esse in tempore intrinseco, seu in seipsa. Eamdē distinctionem adhibeo ad secundam probationem: res omnis essentialiter est in tempore extrinseco; nego; nam ipse motus primi cœli cum sua successione non est in alio tempore extrinseco; aliter abiremus in infinitum in temporibus temporum: aliqua est in tempore extrinseco; transeat. Ad tertiam probationem: patet ex dictis, quid sit tempus esse mensuram durationis: verificatur enim de tempore extrinseco, & quo ad aliquas durationes, idque tantum respectu nostri intellectus, qui non habet faciliorem viam dignoscendi rerum durationes breuiores, aut longiores quam comparando illas cum tempore extrinseco sibi valde noto.

19 Cæterum etiam hic recurrendum est ad Dei æternitatem, sicuti agentes de loco recurrimus ad eiusdem immensitatem. Deus igitur ratione suæ æternitatis essentialiter exigit, vt omnis creatura existens sibi coexistat: quid autem sit, vnum coexistere alteri, est satis notum, nec vlterius explicabile; quisque enim in se experitur suos actus sibi coexistere.

Explicanda est duratio creata per æternitatem Dei.

20 Quia tamen quælibet res creata finita est, ideo finitè exigit coexistere Deo, ita videlicet, vt non exigat coexistere omni alij, cui

Deus coexistit: vel si nullum aliud ens sit, ita tamen per formam hanc Deo coexistit, vt non posset coexistere cum alijs similibus entibus possibilibus, quæ suis specialibus formis Deo coexisterent. Quare hoc ens, an affectum tali forma, qua Deo similitate coexistit, necessario fundat cum alijs entibus possibilibus, quæ afficiantur suis coexistentijs relationem, vel simultatis, vel prioritatis, vel posterioritatis: duratio igitur est talis coexistentia fundans dictas relationes, & esse potius nūc, qui alias est habere talē determinatā coexistētiā cū æternitate Dei, quæ inadæquatè fūdet potius has, quā illas relationes coexistentiæ, prioritatis, & posterioritatis cum alijs rebus; simili ferè modo, quo supra dicebamus de loco, & vbicatione.

SECTIO SECVNDA.

Quid addat realiter duratio supra rem durantem, tempus extrinsecum, ac Dei æternitatem?

Status quæstionis.

1 Loquimur de duratione creata non solum pro vt significat perseuerantiā in esse, sed etiā sūpta pro qualibet corrīspōdētia ad tēpus, seu coexistentia ad æternitatem; quamuis indiuisibili, & instantanea. Et quærimus, per quid res constituitur durans per suam entitatem, an per aliquod superadditum?

Variæ sententiæ.

2 Primo nonnulli docent durationem esse carentiam superadditam rei duranti, & tempori. Alij secundo docent durationem supra rem durantem addere rationem mensuræ. Tertio alij docent durationem nihil aliud esse, quam existentiam rei durantis, & temporis, siuè demum hoc sit tempus reale actu existens, siue possibile, siue imaginarium, ita Suarius, Vasquez, Valentia, Molina, quos citat, & sequitur Hurtadus, & Ouiedus *contr.* 16. *p.* 1. § 3. Nōnulli recurrunt ad decretum Dei asserentes durare Petrum hodie, nihil aliud esse, quam entitatem Petri, temporis hodierni, & decretum Dei, quo vult Petrum durare hodie: & vt vno verbo rem totam absoluant, dicunt durare Petrū hodie esse totum illud, quod per alios est rationabile fundamentum, vt ponatur modus, vel res illa superaddita.

3 Demum nonnulli cum S. Bonauentura, Conimbricensibus, Runto, alijsque apud Arriagam *disp.* 15. Quibus adhæret Lynceus, Pennanel, Comptonus, Grattinus, Cardinalis de Lugo de *Incar. disp.* 29. *s.* 1. Maurus *q.* 32. docent creaturam durare per durationem distinctā perpetuo fluentem.

Datur causa productiua durationis. Ex hoc benè infertur duratio distincta.

4 Dico cum hac vltima sententia, durationem rerum indifferentium ad existendum nunc, vel alias, & ad longius, vel breuius tempus esse aliquod positiuum superadditum entitati rei durantis, decreto Dei, & tempori quocumque modo explicetur tempus siue per motum primi mobilis, siue per spatium imaginarium, siue per æternitatem Dei. Probatur datur virtus non solum causatiua rei creatæ secundum se, sed etiam durationis: ergo debet dari terminus productus per illam virtutem: hic autem terminus non potest esse nisi positiuū à nobis supra explicatū: ergo debet admitti illud positiuum á nobis supra explicatum; prima consequentia patet, ne dicamus illam virtutem frustra collatam; ac præterea confirmatur ex probatione antecedentis: quia experimur à nobis non solum exire ipsum actum secundum se, sed etiam perseuerantiam eiusdem: experimur enim nos non solum habere in nostra potestate, & virtute ponere, vel nō ponere actum, sed eodem prorsus modo perseuerare, vel non perseuerare in actu posito. Et confirmatur, quia nisi haberemus virtutem actiuam perseuerandi, vel non perseuerandi in actu posito, non essemus liberi ad perseuerandum, & non perseuerandum in illo: libertas enim creata essentialiter includit vim effectiuam, vt suppono, & colligunt Theologi ex doctrina Tridentini *sess.* 6. *can.* 4. contra hæreticos: hoc autem esse absurdum patet: aliter per maiorem durationem in actu bono homo non plus mereretur, aut demereretur.

5 Secundo vniuersalius probo illud antecedens: aliquæ causæ creatæ sunt, quæ habent virtutem causandi primo suos effectus, non autem conferendi illis perseuerantiam in esse; aliquæ vero sunt, quæ non solum conferunt effectui primum esse; sed etiam sunt necessariæ, vt effectus perseueret in esse; nec minus ad illorum præsentiam videmus conferri esse effectui, quam conferri perseuerantiam in esse; ergo datur in causis non solum virtus causatiua esse, sed etiam perseuerantiæ, & durationis. Et quidem quis non videt, plus virium requiri ad dandum esse, & perseuerantiam in illo, quam ad dandum tātum esse: & plus debere effectum causæ à qua recipit non solum esse, sed etiam perseuerantiā in esse; quam illi à quo solum recipit esse: & creaturæ ob summam dependentiam, quam habent à Deo vtrumque ab illo recipiunt: ideoque semper nouo à diuina liberalitate beneficio assidue afficiuntur, dum perseuerant in esse, vt docent SS. PP. ergo datur tum in Deo, tum in creaturis vis causatiua, & actu causans hanc perseuerantiam in esse. Confirmatur quia in conseruandis nostris actibus, & conferenda illis perseuerantia experimur difficultatem, & defatigamur: ergo signum est, quod exerceamus nostras vires.

6 Minor sub sumpta primi argumenti probatur: quia illa virtus respicit, vt terminum à se causatum perseuerantiam in esse; ergo illa perseuerantia in esse, non potest esse aliqua carentia, quæ vtpotè purus defectus a nulla causa præsertim necessaria, per se inducitur; neque est terminus directus alicuius virtutis, sed ad summum sequitur ad positionem alicuius rei quæ positiua incompossibilis cum contradictorio illius carentiæ. Rursus terminus positiuus causatus per talem virtutem non est ipsa existentia rei perseuerantis secundū se, tum quia ipsa existen-

sentia non est perseuerantia: tum quia multæ virtutes sunt, quæ dant existentiam, & non perseuerantiā. Neque demum terminus huius virtutis causatiuæ est aliquod decretum diuinum, vtpotè increatum; aut tempus extrinsecum; siue creatum, siue increatum, & æternitas; siue imaginarium; hæc enim omnia sunt independentia ab illa virtute; neque sunt formaliter perseuerātia illius rei: vt patet consideranti.

Allata ratio vim habet etiam respectu primæ durationis.

7 Dices, hoc argumentum non probat primam correspondentiam, qua dum primo producitur res, correspondet potiùs vni, quàm alteri instanti, esse quid positiuum distinctum: sed solùm perseuerantiam in esse illo primo accepto. Nego assumptum: virtus enim causatiua creata exigit non vtcumque producere rem, sed etiam in hoc potius tempore, quàm illo: & potest dari causa, quæ habeat vim producendi rem, non tamē in hoc, vel illo instanti: & causa quæ ad vtrumque inclinet, tum ad producendam rem, tum ad producendam illam in hoc potius instanti quàm in alio. Confirmatur, quia eiusdem rationis est correspondentia ad primum, ac ad reliqua instantia: ergo si datur virtus causatiua specialiter respiciens correspondentiam ad reliqua; debet dari virtus, quæ respiciat correspōdentiam ad primum instans.

8 Dices iterum, perseuerantiam esse nouū, & nouum esse rei, seu rem veluti continuatæ potius, seu nouam, & nouam actionem causatiuam rei. Sed contra; quia iam admittis durationem esse quid positiuum distinctum à re durante, tempore, decreto Dei, & toto fundamento durationis; sed illam identificas cum actione; quam aliundè debes affirmare esse affixam tempori, & essentialiter ftnentem: aliter non esset perseuerantia, quam inquirimus. Secundo ista continuata positio est terminus alicuius virtutis causatiuæ, de quo sub his alijs vocibus redeunt argumenta superiora. Tertio impugnatur aliter: nolla res eadem perseueraret, sed semper esset noua, & alia, & sic non eadem anima, quæ peccauit, puniretur, sed noua.

9 Dices tertio: ratio allata probat durationem distinctam: at non probat esse intrinsecam rei duranti. Respondeo me nunc tantùm quærere de distinctione: esse intrinsecam probo; quia est accidens: ergo debet inesse alicui subiecto: non, nisi rei duranti, cui absolutè bona est.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiectiones.

1 Obijcies primo: Deus durat hoc anno, & tota æternitate præcisè per suam entitatem, & existentiam temporis, vel anni: ergo etiam poterit Petrus durare per annum præcisè per suam entitatem, & entitatem temporis. Nego consequentiam: quia posita entitate Dei, & temporis, non potest Deus non coexistere illi tempori, & causa productiua illius temporis, per hoc ipsum, quod producat illud tempus, iam producit coexistentiam temporis cum Deo: neque potest intelligi causa potens causare, aut actu causans hoc tempus, quin intelligatur posse, & actu causare coexistentiam hanc determinatam huius temporis cū Deo: at potest absolutè existere hoc tēpus, & hæc res quin coexistāt; neque causa potens causare, & actu causans hoc tempus, & hanc rem intelligitur formaliter posse, aut actu causans perseuerantiam huius rei, hanc & non aliam, in hoc, non in alio tempore; ergo illa perseuerantia est aliquid aliud, & quidem positiuum distinctum à decreto Dei, vt vidimus.

2 Obijcies secundo: si duratio est quid positiuum distinctum modo dicto à re durante; vel est modus, vel res: neutrum dici potest: ergo. Respondeo esse modum, quod probat paritas vbicationis, & eædem rationes. At eodem modo soluenda sunt, quæ contra hunc modum afferuntur, ac soluimus *disp. præcedente sec. 3.* quæ contra modum vbicationis obijciebantur.

3 Obijcies tertio, posito fundamento proximo, quod per nos trahit durationem, iam res durare. Distinguo antecedens: durat formaliter, nego; causaliter, concedo.

Cur Deus potius ponit hanc, quàm illā durationē.

4 Obijcies quarto: si duratio est modus distinctus, posset nunc Deus ponere in me durationem crastinam: quia Deus antequam producat, seu in priori signo ad productionem quamcumque est indifferens ad producendum potius hanc, quàm illam durationē: ergo, quandocūque, voluerit, poterit in posteriori signo producere, potius hanc durationē, quàm illam; aliter à quo determinatur Deus ad producendum mundum, potius cum hac duratione, quàm cum illa? ergo, duratio ipsa est indifferens, vt ponatur potius in hoc tempore, quàm in illo; & solùm determinatur, vt sit nunc potius, quàm alias à libero Dei decreto. Nego sequelam: ad probationem distinguo assumptum: Deus in priori signo ad productionem quamcumque est indifferens ad producendum potius hanc, quàm illam durationem, cum simultate ad alias durationes, vel illarum carentias incompossibiles cum hac duratione, nego; cum exclusione illius simultatis, concedo antecedens; & nego consequentiam: duratio hæc essentialiter est hoc tempus, & non aliud incompossibile cum alijs durationibus, vel illarum carentijs contingentibus; quare Deus ab æterno est indifferens ad producendam, vel non producendam hanc durationem; sed si vult producere illam necessariò debet illam producere post has durationes, vel carentias contingentes illarum, & ante illas alias, vel earundem carētias. Determinatur igitur Deus ad ponendam potius hanc, quàm illam durationem à suo libero decreto; quo, supposita scientia simplicis intelligentiæ repræsentantis omnia tempora, & durationes possibiles, liberè voluit, hanc durationem, & tempus, cum potuerit velle oppositum.

5 Obijcies quinto: res, est indifferens ad existendum, & non existendum, & tamen exi-

sten-

Res non est formaliter indifferens ad existendum.

stentia non est distincta: ergo quamuis sit indifferens ad durandum tanto, vel tanto tempore; non ideo durabit duratione distincta. Nego antecedens: res enim sicuti praecisa existentia non est, ita neque est verè, & absolutè indifferens indifferentia sibi intrinseca, vt existat, vel non existat. Caeterum res omnes creatae dicuntur indifferentes ad existendum, vel non existendum, extrinsecè: quia non necessariò sunt;& omnipotentia Dei, in qua intelliguntur praeexistere, & est illarum aliqua possibilitas, est indifferens ad illas producendas, vel non producendas.

6 Objicies sexto: omnis indifferentia rei ad durandum hoc, vel illo tempore sufficienter tollitur per fluxum temporis, & ipsam entitatē rei: causam autē posse,& de facto producere durationem, est producere rem ipsam, & fluxum temporis: ergo nulla est necessitas admittendi durationem distinctam. Antecedens probatur; arbor iuxta ripam posita constituitur propinqua, & immediata modo huic parti fluminis,seu aquę fluentis, modo illi, praecisè per ipsum fluxum aquae: & causa, quae ponit arborem, & illum fluxum aquae, ponit successiuè illam immediationem ad aliam, & aliam partem aquae de nouo accedentem; ergo à pari. Nego antecedens, ad cuius probationem. Nego consequentiam: quia aduersarius iam supponit in antecedente vbi intrinsecum arboris, quo constituitur in tali determinata parte ripae, quo posito accedentes nouae, & nouae partes aquae fiunt illi successiuè immediatae: ergo debent supponere etiā in consequenti rem habere suam determinatam durationem intrinsecam, qua fluente constituitur coexistens tempori extrinseco secum fluenti.

A quo determinatur res ad hanc, vel illam durationē.

7 Objicies septimo: res est indifferens ad hanc, vel illam durationem: à quo igitur principio determinatur ad hanc potius, quàm illam? Respondeo ad primum instans durationis determinari causaliter à suis causis; & ne abeamus in infinitum, vltima demum resolutio facienda est in voluntatem Dei: semel autem existens determinatur suo modo à duratione praesenti, & reliquis circumstantijs, ad durandum tempore immediatè sequenti, & non alio praecedente, vel longè post futuro.

8 Objicies octauo: carentia Petri est indifferens, vt duret hoc, vel illo tempore;per quid igitur determinatur ad hoc, vel illud tempus? Respondeo, per carentiam durationis Petri, contingentem, & additam huic, vel illi tēpori.

Duratio nō est rei existentia.

9 Objicies nono: possumus dicere, quod duratio non distinguatur ab existentia rei, & quod vtraque distinguatur realiter ab essentia,& sit realiter ex natura sua fluens, & addicta tempori. Nego assumptum,primo, quia existētia non distinguitur ab essentia, vt suppono ex metaphysicis; secundo, quia existentia est ipsū esse absolutum rei: ergo in rebus permanentibus debet esse permanens; aliter tales res non haberent esse absolutè permanens: ergo non potest identificari cum duratione, quam infra probabo essentialiter successiuam.

10 Objicies decimo: non potest explicari verum res successiuae durent duratione distincta. Respondeo, res successiuas non affixas tempori, vt est calefactio successiua ligni; sicuti etiam motus localis, qui invariatus potest breuiori, vel longiori tempore fieri; durare duratione distincta, quia non est idem in illis rebus esse, & durare, vt patet considerandi: neque causa, quę intelligitur potens, & actu producens illas partes motus, intelligitur formaliter potens, & actu producens durationem.

Soluuntur reliquae obiectiones, & deciditur vtrum duratio distinguatur ab actione causatiua?

Actio distinguitur à duratione.

11 OBjicies vndecimo: non potest explicari vtrum duratio distinguatur ab actione productiua rei durantis? Respondeo, distingui realiter: probatur variata duratione, perseuerat eadem actio causatiua rei durantis: quia perseuerat idem terminus, & idem principium, ad quos tantum dicit ordinem actio causatiua. Neque verò variari debet modus, dum perseuerant eius principia, & termini, ad quos dicit ordinem: quoties enim aliquis conceptus ex genere suo non est essentialiter successiuus, & perseuerant eius causae, & termini, ad quos est ordo transcendentalis, debet perseuerare: nam videtur ex natura sua exigere perseuerantiam: aliter quis dicere poterit,no multiplicemus entia; etiam substantiam identificari cum duratione.

12 Instabis, ad minus actio conseruatiua est duratio. Respondeo,actionem conseruatiuam non esse formaliter durationem termini conseruati, sed illam trahere: actio enim conseruatiua est actio causatiua rei durans ad tantum tempus, & actio productiua durationis eiusdem rei, quae necessariò sequitur ad actionem causatiuam rei durantem ad tantum tempus. Et sanè, vt id obiter notem, non eadem duratione durat Angelus, ac actio causatiua illius; cum enim Angelus habeat entitatem suam distinctam ab entitate actionis, debet etiam habere proprietatem, seu accidens commune, quod sequitur praecisè ad puram rationem entis creati, distinctum realiter à praedicato simili, quod conuenit actioni; duratio autem est praedicatum aliquod commune omni enti creato fundatum praecisè in ratione entis creati.

Explicatur libertas voluntatis ad durationē actus.

13 Dices cum Delugo: homo non meretur solùm per actus supernaturales substantiam, sed etiam per durationem: quo enim plus perseuerat in bono, plus meretur: ergo duratio actus vitalis supernaturalis est exercitium libertatis: ergo est actio, qua producitur actus supernaturalis; nullo enim alio modo exercetur libertas, quàm per actionem terminatam ad actum vitalem. Distinguo antecedens; sed etiam per durationem liberè positam, concedo: non liberè positam, nego: & distinguo primum consequens: ergo duratio, vt liberè posita est exercitium libertatis, con-

concedo: duratio ipsa secundum se; subdistinguo: est formaliter exercitium libertatis; nego: terminatiuè; concedo: cum enim potentia libera formaliter, vt libera sit actiua, eius exercitium vel est actio, vel includit actionem; cum igitur duratio secundum se non includat actionem, hoc modo sumpta non est formaliter exercitium libertatis, sed ad summum terminatiuè; quia est terminus alicuius actionis liberæ voluntatis, & terminatur ad actionem liberam voluntatis, quā reddit durantem. Eadem autem duratio vt liberè posita includit actionem, quæ liberè producitur ab eadem voluntate; & quamuis duratio illa non sit actus vitalis, est tamen modus quidam essentialiter addictus actui vitali. voluntas autem habet libertatem, & vim actiuè ponendi non solum actum vitalem, sed etiam modos aliquos eidem addictos, & necessarios, vt sunt actio, duratio, &c. aliter non esset absolutè libera respectu illorū actuū; absolutè tamen verificatur, quod libertas illius formaliter sit circa actus vitales: dum enim producit durationem, vbicationem, & similes illorum modos, non egreditur lineam actuum vitalium. Idem proportionaliter dico de actibus intellectus.

14 Illud hic obiter primo addo: modū durationis necessariò esse accidens debitum alteri: quod probat eius fluxibilitas: substantia enim vt pote ens per se intentum à natura, malè esset constituta, si nequiret in se subsistere. Secundo, me in allatis responsionibus circa distinctionem durationis ab actione, &c. locutum esse de facto; non quia putem oppositum possibile, sed quia nolo id quærere.

15 Obijcies duodecimo: si duratio est accidens distinctum: ergo poterit res aliqua spoliari omni duratione, & esse numquam. Secundo, posset dari aliqua duratio permanens, & essentialiter addicta spatio temporis diuisibili, in cuius nulla parte posset desinere; diuisa enim ea distinctione non esset, cur alterum horum, vel vtrumque repugnet. Petit hoc argumentum solutionē duplicis quæstionis, vtrum videlicet possit res spoliari omni duratione, & vtrum possit dari duratio creata permanens. Sit igitur.

SECTIO QVARTA.

Vtrum res creata possit spoliari omni duratione.

Repugnat creaturæ nunquam. 1 COmmunior sententia, quam sequor, negat rem vllam creatam posse spoliari omni duratione. Probatur, omnis res creata essentialiter debet coexistere æternitati Dei: ergo debet durare: coexistere enim æternitati necessariò est durare, vel semper, si ea semper coexistit æternitati, vel aliquando, si aliquando coexistit. Antecedens probatur, perfectio æternitatis Dei essentialiter exigit, vt quælibet res existens sibi coexistat: ergo quælibet habet necessitatem coexistendi diuinæ æternitati. Antecedens probatur exigere essentialiter, vt omnis res creata existens sibi coexistat, est aliqua perfectio nullam inuoluens imperfectionem, & ex numero illarum, quæ dicuntur simpliciter simplices: neque enim est in hoc prædicato aliqua imperfectio: ergo debet admitti in Deo, in quo est necessitas admittendi omnes perfectiones simpliciter simplices, nullam dicentes imperfectionem. Antecedens confirmatur essentialiter exigere omnes creaturas à se immediatè dependentes, est perfectio simpliciter simplex, nullam inuoluens imperfectionem, spectans ad amplitudinem diuini dominij, & omnipotentiæ: ergo etiam essentialiter exigere sibi coexistere omnes creaturas existẽtes est perfectio simpliciter simplex spectans ad amplitudinem Diuinæ æternitatis.

3 Vrgebis propositiones contrariæ in materia contingenti possunt ambæ falsificari: sed hæ propositiones, vtrumque nempe Petrus, & duratio est; neutrum est; sunt contrariæ in materia contingenti: ergo possunt ambæ falsificari: ergo potest alterum sine altero esse: non duratio sine Petro: ergo Petrus sine duratione. Distinguo minorem: illæ propositiones sunt in materia contingente, si loquamur de duratione aliqua determinata; concedo, & in hoc sensu vtraque propositio falsificari potest; quia potest Petrus esse sine hac determinata duratione: si loquamur de aliqua duratione sub disiunctione, nego; nam si Petrus est, necessariò trahit secum aliquam durationem, sicuti necessariò trahit aliquam dependentiam à Deo.

SECTIO QVINTA.

Vtrum possit dari duratio creata permanens, & indiuisibilis?

1 DVrationem esse permanentem, & eamdem indiuisibilem non solum posse, sed actu corespondere tempori diuisibili, seu quod idem est pluribus mutationibus, & contradictorijs; ipsa enim correspondentia ad plures mutationes, & contradictoria, sine quibus intelligi nequeunt mutationes, non potest intelligi, quod aliquod perseueret, & coexistat tempori diuisibili. Et certè cum tempus diuisibile constet partibus prioribus, & posterioribus, necessariò includit plures mutationes constantes partibus, in compossibilibus.

2 Illud autem hic aduerto durationem indiuisibilem permanentē se ipsa formaliter, & adæquatè esse correspondentiam sui ad tempus diuisibile, sicuti seipsa formaliter, & adæquatè est duratio; aliter si ad correspondendum tempori fluenti indigeat aliquo distincto fluente, nō se ipsā formaliter, & adæquatè est duratio; sed talis cōstituitur per illud superadditum, de quo redit quæstio, vtrum sit aliquod permanens, vel fluens? Et nemo quidem dixerit, illos, qui docent rem durare formaliter per suam entitatem, & entitatem temporis fluentem, admittere durationem permanentem.

Ex

Status quæstionis.

3 Ex his apertè colligitur durationem permanentem per horam, v. g. non posse in illa hora à Deo destrui: aliter esset, & non esset actualis permanentia pro illa integra hora: posset enim dari sine illo prædicato actualis permanentiæ. Hinc vniuersaliter quæritur, vtrum repugnet aliqua creatura ab intrinseco indestruibilis, siue semper, siue ad tempus, idque siue, quia est formaliter in sua entitate indiuisibilis duratio sui ad tempus, vel semper permanens; siue quia exigit essentialiter, vt duret ad aliquod tempus; aut etiam ad totam æternitatem, licet per durationem distinctam, & essentialiter successiuam. His positis.

Repugnat duratio creata essentialiter permanens.

4 Dico primo: repugnat duratio essentialiter permanens. Probatur creatura, quæ se ipsa formaliter, & adæquatè est correspondentia sui ad tempus diuisibile; & ad plures mutationes, & contradictoria; repugnat: sed duratio creata permanens est huiusmodi, vt vidimus: ergo repugnat. Maior probatur: creatura, quæ quandocumque est, correspondet duplici, imò pluribus contradictorijs, est repugnans: sed creatura, quę seipsa formaliter, & adæquatè est correspondentia sui ad tempus diuisibile, & ad plures mutationes; & contradictoria, quan documque est, correspondet duplici, imò multis contradictorijs; aliter non esset seipsa formaliter, & adæquata correspondentia ad illas mutationes, & contradictoria: sed indigeret aliquo distincto ad illam denominationem: ergo, &c. maior videtur certa, quia iam simul pro eodem indiuisibili tempore traheret secum duo contradictoria; & omnes partes mutationis inter se essentialiter incompossibiles.

5 Obijcies: duratio Dei est perfectio adæquatè intrinseca Deo, & permanens, & tamen non facit vt Deus simul coexistat duplici contradictorio: ergo duratio permanens creata non debet coexistere duplici contradictorio. Nego consequentiam: quia duratio permanens Dei est indiuisibilis eius æternitas, & indefectibilitas, ratione cuius Deus exigit quidem coexistere cuilibet rei existenti: sed non est ipsa actualis, & adæquata coexistentia sui, cum creaturis: quare non est necesse vt quandocumque ipsa est, sint plura contradictoria. At duratio permanēs creata, quam nos putamus impossibilem, est actualis correspondentia sui ad plures mutationes: ex quibus patet Deum fluenter, & successiuè correspondere creaturis per fluxum, & successionem non receptam in ipso Deo, quod repugnat eius immutabilitati, sed per fluxum ipsarum creaturarum incompossibilium, & essentialiter fluentium.

Repugnat creatura essentialiter indestruibilis: quod probatur ex imperfectione creata.

5 Dico secundo: repugnat creatura ab intrinseco essentialiter indestruibilis, quocumque ex dictis modis explicetur: dictum adeo certum ex authoritate sacra, vt ob id Arriaga t. p. tom. 2. trat. de Ang. disp. 2. sect. 2. num. 6. reliquerit opinionem contrariam, quam prius docuerat in physica; hic breuiter confirmo: nullum ens creatū intentionaliter existens in mente diuina, potest Deum necessitare ad sui positionem: idque ob suam imperfectionem ratione cuius habet infinitum ferè meritum ne sit, & vt repudietur à perfectissimo agente; qualis est Deus, qui nullius indiget: ob suam enim imperfectionem, creatura est perfectionis valdè exilis: caret enim infinita perfectione, ac est veluti infinitè imperfecta: ergo qualibet creatura iam posita, & intentionaliter existens in ordine ad tempus sequens, ob suam imperfectionem non potest Deum necessitare ad sui conseruationem pro tempore sequenti. Cōsequentia probatur: quia sicuti ob suam ferè infinitam imperfectionem habet meritum penè infinitum, vt à Deo contemnatur eius primū esse, & ne efficaciter Deus illam amet, & velit: ita ex eadem, iam posita, habet infinitū ferè meritum, vt à Deo contemnatur eius sequens conseruatio, & ne Deus conseruationem illam amet, & efficaciter velit.

Abaleitas est principium defectibilitatis.

6 Hinc patet primo, quod sicut esse ab alio, & ex nihilo, est radix omnis imperfectionis creaturæ; ita est radix contingentiæ tum quoad primum esse, tum quoad conseruari: & sicut qualibet creatura est immediatè ab alio non solum, quoad primum esse, sed quoad conseruationem: ita est immediatè contingens tum quoad primum esse, tum quoad conseruari: demum sicuti primum esse est diuersum à conseruatione, ita diuersa est contingentia primi esse, ac conseruationis.

7 Patet secundo: Deum non posse, necessitate cum absoluta impotentia ad oppositum necessitari ad simul immediatè liberè volendū primam rei alicuius creatę productionem, & eiusdē conseruationem: ita vt si liberè velit primam productionem, necessariò debeat velle eiusdem sequentem conseruationem: quia videlicet quæcumque res creata volita, & primo posita habet ob suam imperfectionem infinitum ferè meritum ne conseruetur à Deo. Supponimus hic primam productionem esse distinctam in re temporali à conseruatione. Cæterum necessitas Dei, vt si velit rem, velit simul conseruationem, est omnino antecedens, & inimpedibilis: nam licet possit non velle rem, in nullo tamen casu potest, velle rem sine conseruatione.

8 Patet tertio, creaturam essentialiter indestruibilem esse, & non esse creaturam: non quia esset Deus, (de quo puncto nunc non curo,) sed quia haberet prædicatum essentialiter repugnans cum imperfectione creata: sicuti ens, quod intentionaliter existens in mente Dei essentialiter exigeret primo produci in aliquo determinato, vel indeterminato tempore licet productum posset à Deo ad libitum destrui; esset, & non esset creatura, non quia immediatè esset Deus, sed quia haberet prædicatum essentialiter repugnans imperfectioni creaturæ.

Exigentia rerum intentionaliter existentium.

9 Duo hic aduerto primum, non nouum esse, quod res intentionaliter existentes, in Deo, id est à Deo perfectissimè cognitæ, & si non dum intelligantur in se existere, aliquid exigant: nam sicut intentionaliter existens exigit propter se

ama-

amari: alia exempla, quæ afferri possent, vt breuitati consulam, omitto.

10 Secundum est, res multas naturaliter necessariò primo existere, vt sunt multi effectus, qui primo producuntur ad exigentiam causarum naturalium: multas item necessario naturaliter conseruari ad exigentiam, vel causarum naturalium, vel sui ipsarum iam existentium: at quis inde argumentum desumat ad probandum, quod Deus agens perfectissimum, & nullius indigens necessitetur ad amorem efficacem vel primæ existentiæ vel conseruationis post primam existentiam creaturę, quæ ob suam imperfectionem meritum pene infinitum habet, ne sit, & ne conseruetur, & vt absolute contemnatur.

11 Obijcies primo, non est absurdum, quod posito modo, Deus necessitetur ad positionem rei modificatæ: ergo neque, quod posita prima alicuius rei existentia necessitetur illam conseruare. Dato antecedente: circa cuius intelligentiam multa dici possent; nego consequentiam: ratio est, quia modus habet meritum, vt simul sit cum re modificata: at neque modus, neque res modificata, neque vlla prorsus creatura possibilis meritum habet, vt dicto modo à Deo efficaciter ametur.

12 Hinc soluitur argumentum, quod viros doctissimos magni fecisse vidi, desumptũ ex eo, quod non repugnat creatura essentialiter inconseruabilis, quale est instans: at quam debilis hinc sit consequentia ad creaturam essentialiter indestruibilem; iam patet ex dictis: quia instans ne conseruetur habet meritum satis fundatum in sua veluti maxima imperfectione: imò id necessariũ est, ne detur aliquod ens creatum indiuisibile per se ipsum formaliter permanens, qualis esset duratio essentialiter permanens, seu instans per se ipsum formaliter extensum ad tempus diuisibile. At, vt vidimus, nulla creatura potest habere meritum, vt à Deo dicta ratione efficaciter ametur.

Solvitur argumentũ ex connexione essẽtiali cũ decreto de nõ destruẽdo.

13 Obijcies secũdo, decernat Deus conseruare ad mensem, vel etiam in æternum primum actum intellectus, quem elicit Petrus, cui suum hoc decretum sufficienter reuelet: Petrus autem per actum fidei essentialiter verum credat diuinæ reuelationi, & decreto reuelato: hic profecto actus fidei est essentialiter indestruibilis, vtpotè essentialiter connexus cum non destructione sui; est enim essentialiter connexus cum decreto, & reuelatione essentialiter infrustrabilibus de ipso non destruendo, quæ essentialiter connectuntur cum ipsius non destructione: sicuti si daretur actus essentialiter connexus cum decreto infallibili de ipso numquam illuminando, esset essentialiter tenebrosus: neque verò posset illuminari idque ex suis intrinsecis. Hoc argumentum, vt vim vllam habeat, debet supponere decretum ferri etiam in actum reflexum supra ipsum decretum, & cum eodem decreto essentialiter connexum: aliter si decretum non habeat pro obiecto hunc actum, & eius non destructionem, & si hic actus essentialiter connectatur cum hoc decreto, non tamen essentialiter connectetur cum sua non destructione; quia hæc non est obiectum volitum per decretum.

14 Respondeo decretum reuelatum, quod assumunt aduersarij, repugnare: quia vt supponunt aduersarij, & ego puto verum, ex eo decreto, & tota illa suppositione verè sequitur actus essentialiter indestruibilis: aliter nihil conuincent: ergo verè decretum illud, & ea suppositio repugnat: repugnat enim suppositio, ex qua sequitur aliquod repugnans, qualem esse creaturam, & actum indestruibilem iam supra probauimus. Legatur Theologus verè mirabilis Antonius Peres *disp.* 2. de voluntate Dei *c.* 5. *n.* 58. *ad* 67. *vbi n.* 59. asserit hoc argumentum à se adhuc Theologiæ auditore primo obiectum, non paucos turbasse, sed immeritò cum totum negotium in id tandem resoluatur, vt assignetur repugnantia eius, cuius possibilitas, asseritur.

15 Obijcies tertio, imperfectio Angeli nõ facit, vt Angelus semel ab æterno creatus posse non conseruari per æternitatem à parte ante; sed ea imperfectione non obstante debet per æternitatem conseruari: ergo imperfectio creaturæ non facit, vt posita debeat posse non conseruari, sed potest accidere, vt posita, non obstante sua imperfectione, exigat essentialiter conseruari. Respondeo ex hoc etiam capite fortasse repugnare creaturam ab æterno. Secundo in æternitate non datur prima productio distincta à conseruatione: sed ipsa productio, quæ datur, neque prima est, & est formaliter æternitas, vel saltem æterna: igitur ab æterno non est formaliter, & rigorosa conseruatio: quare falsum est assumptum ab aduersario. Tertio nullum est instans determinatum in quo Deus non possit creaturam ab æterno positam destruere: igitur non verificatur de creatura imperfecta liberè posita ab æterno, quod necessitet Deum ad amorem efficacem suæ conseruationis: sicuti necessitat sua creatura, quod autem posita ab æterno dicat necessitatem ad æternitatem sui, quæ formaliter non est conseruatio, sed positio æterna, est necessitas omnino consequens, & suppositionis, ratione cuius ex suppositione, quod sit æterna, non potest non esse ęterna: sicuti ex suppositione, quod Petrus sit, non potest non esse.

Ex æternitate creaturæ non benè infertur creatura indestruibilis.

16 Breuiter Deus poterat velle efficaciter, vel efficaciter nolle Angelum imperfectum: rursus indifferens est, vt Angelo volito velit efficaciter æternitatem, vel nolit efficaciter æternitatem à parte ante: at ex suppositione, quod efficaciter velit æternitatem à parte ante, sicuti non potest non efficaciter velle æternitatem, ita non potest non efficaciter velle infinitas durationes sine prima quæ necessario iuxta communem sententiam includuntur in illa æternitate: quod si eas infinitas durationes, declinando à proprietate loquendi, velis vocare conseruationem, iam Deus dum liberè, & sine vlla necessitate vult efficaciter ęternitatem, sine vlla necessitate aliunde orta quam ex suo decreto, efficaciter vult conseruationem.

17 Demum ex suppositione, quod æternitatem à parte ante tantum (nam si velit vtrinque æternam non est opus præter supra dicta, aliquid addere) velit, adhuc est indifferens, vt velit illam à parte post terminatam ad hoc, vel illud instans: ideoque non necessitatur independenter à suo libero decreto, velle illam terminatam, ad hoc, vel ad illud instans: igitur in casu de æternitate nulla est necessitas orta ab obiectis: sed singuli termini sunt liberè positi ex sola efficacia diuini decreti independenter ab exigentia essentiali creaturæ: nam neque positio essentialiter exigit æternitatem, & infinitas illius durationes, neque æternitas est suppositio antecedens illas durationes, vel si vis etiam conseruationem, sed formaliter est ipsa multitudo durationum, & si vis etiam conseruatio: neque multitudo infinita durationum essentialiter exigit à parte post hunc determinatum terminum, ita vel ita protensum: sed ea determinatio prouenit à libertate Dei: nihil igitur imperfectum hic interuenit, quod Deum necessitet ad sui efficacem amorem. Secus accidit in creatura indestruibili aduersariorum, vt patet ex dictis.

18 Duo aduerto: primum facilè solui paritates, quas in contrarium posset quis afferre, vel concesso antecedente, si illud sit certum, vel distincto, si illud sit dubium, & concedi quidem debet si supponatur pro illo ratio, secus debet negari: semper tamen neganda est consequentia, & ratio disparitatis est ratio pro nostra conclusione facta. Secundo in sententia Aristotelis de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus, & si sit necessitas, vt res producta duret ad aliquā partem indeterminatam temporis, sicuti in ea producitur; nulla tamen est necessitas, vt duret ad aliquam determinatam: neque datur post productionem pars aliqua determinata, aut determinatum instans, in quo Deus non possit rem productam destruere: simili ferè modo, quo dicebamus de creatura æterna.

IN LIBRVM SEXTVM

Physicorum Aristotelis.

QVartum librum excipit sextus, de ijs enim, quæ spectant ad quintum satis diximus in tertio, agentes de motu, eiusque speciebus. Nō immerito igitur post plenam motus, temporis, ac loci cognitionem aggreditur Aristoteles ad explicandam continui compositionem, & essentiam; omnia enim illa sunt species quædam continui, & quantitatis, sit igitur.

DISPVTATIO XVI.

De compositione continui.

HÆc est omnium, in quibus versatur philosophia, meo iudicio difficillima quæstio. Ego post, nonnulla de quantitate, & essentia cōtinui disputata; exponam varia doctorum placita, ac terminorum significationes; ne nouis subinde terminis obiectis hæreamus: tum quid quæque præseferat sententia, quibus telis impetatur, expendam. Non ausim autem id de me polliceri, vt certi aliquid definiam.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit quantitas?

Rudis noti quantitatis.

1 QVantitas ruditer, & vniuersalissimè sumpta significat, omne, quod habet aliquam molem, ratione cuius possit subire has denominationes magni, vel parui; longi, vel breuis, lati, & similes: & quia omne, quod est huiusmodi, potest aliqua certa regula cognosci, quantum sit, & mensurari; ideò nomine quantitatis venit omne, quod potest quocumque modo mensurari per aliam regulam nobis sensibilem, & illi suo modo applicabilem.

Eius diuisio prima.

2 Quantitas, ita late accepta alia habet actu partes, alia tantum virtute; prima est quælibet res formaliter composita ex partibus realiter distinctis: de qualibet enim huiusmodi re, quæri vtiliter potest, quanta suo modo sit, & quot partes contineat; & comparari cum alia qualibet habente item partes realiter distinctas, & quæri vtra sit maior, & plures partes contineat. Secūda est res indiuisibilis, sed æquiualens pluribus realiter distinctis, vt est in multorum sententia vbicatio animæ rationalis, quæ licet sit indiuisibilis; quia tamen constituit animam in loco diuisibili septem palmorum v.g; æquiualet in correspondentia ad totum vbicationi diuisibili corporis septem palmaris.

3 Secundo diuiditur quantitas in discretam, & continuam: vtraque constat pluribus partibus; primæ tamen partes non vniuntur, neque faciunt vnum absolutè dictum: & talis est omnis numerus rerum siue materialium, siue spiritualium. Huius consideratio spectat ad arithmeticos. Secundæ vero partes vniuntur, & faciunt aliquod vnum absolutè dictum, nō quodcumque, sed continuum. Continuum igitur erit cum plures partes vniuntur ad faciendum vnum non essentiale, sed integrale; vnum autem integrale est, cuius partes; ita vniuntur, vt per diuisionem præcise consideratam, & formaliter sumptam, tantum desinant constituere maius: quod confirmatur exemplo omniū ferè compositorum integralium, quæ nobis innotescunt: si enim pure separes partes integrales ligni, nihil aliud cessat esse, quam totum illud maius, quod prius existebat; reliqua prædicata essentialia remanent, cum partes post separationem adhuc perseuerent essentialiter lignum, sicuti erant antea: idem euenit si separes duas partes caloris, & sic de similibus.

Quid est totum integrale.

4 Quamuis autem abscissum brachium à reliquo corpore desinat viuere, id tamen non fit, quia præcise amittitur vnio brachij cum reliquo corpore, sed quia etiam consequenter amittitur vnio

vnio essentialis inter materiam bracchij, & animam, quam vnionem sine præiudicio doctrinæ possum concedere dependere ab illa vnione integrali: quia adhuc saluatur, quod præcise, & formaliter ex vi separationis partium integralium, non debet amitti aliud prædicatum.

5 quod si à me quæras quid sit compositum essentiale? Respondeo necessario constare pluribus partibus diuersæ speciei inter se per penetrationem vnitis, quarum saltem altera, vt naturaliter existat, & possit omnia sua munera exercere, indigeat sua comparte, vel aliquo alio eius vicem gerente: ita tamen, vt per diuisioné, nõ pure cesset maius quid præcedens, sed etiam aliqua alia denominatio.

6 Tertio: quantitas continua corporea; quæ est proprium subiectum huius disputationis; alia est successiua habens partes post partes, & incõpossibiles saltem ratione alicuius formæ sibi accidentalis: alia permanens habens omnes suas partes coexistentes.

7 Alia quartò est intensiua habens omnes suas partes in eadem parte loci, vel subiecti inter se penetratiuè vnitas: alia extensiua, cuius videlicet partes ita ordinantur, & continuantur, vt vna sit in loco diuerso à loco alterius, nec possint plures in eodem loco naturaliter esse.

Definitur continuum corporeum permanens ac extensū.

8 Continuum seu quantitatem permanenté extensiuam 5. m. r. 13. in concreto definiuit Aristoteles illis verbis. *Quantum dicitur, quod est in eis, quæ insunt diuisibile, quorum vtrumque, aut vnumquodque vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Videlicet quantum, & ipsa quantitas, quæ se ipsa formaliter quanta est; est physicè diuisibilia in suas partes, non quacumque diuisione, sed sensibili facta per intromissionem alterius corporis, & orta ex resistentia partium illius ad penetrationem: alia enim composita, vel non sunt hoc modo diuisibilia, vel eam diuisibilitatem non habent nisi à quantitate, cuius primarium prædicatum est impenetrabilitas, ad quam sequitur impenetratio: nam quæ penetrari possunt, nequeunt loco diuidi, & separari per intromissionem alterius, sed quolibet adueniente, in se illud excipiunt: nequeunt itē in diuersa loca distrahi per impulsum, qué alia corpora imprimunt, vt acquirant locum ab illis occupatum, dum per impenetrationem non resistunt.

9 Adduntur illa verba: quorum vtrumque, & vnumquodque, vnumquid, & hoc aliquid aptum est esse: quæ verba ponuntur ab Aristotele iuxta sua principia de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus; quacumque enim diuisione facta in illa sententia partes adhuc perseuerant diuisibiles, & sunt quantitas: sed vt melius intelligatur essentia quantitatis sit.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur prædicatum essentiale proprium quantitatis.

1 INquirimus prædicatum essentiale metaphysicum, quod videlicet, ita sit propriū quantitatis, vt illam distinguat ab omni alio, & sit prima radix omnium aliarum proprietatum, & prædicatorum, quæ communiter eidem quantitati tribuuntur.

Quantitatis essenti. non est p. riū pluralitas.

2 Primo igitur Thomistæ docent, essentiam quantitatis sitam esse in eo, quod constet pluribus partibus. Sed contra: nam etiam materia, & forma substantiales (quas nunc suppono distinctas á quantitate) habent partes à se, independēter à quantitate: aliter illas non possent recipere formaliter à quantitate; sicuti quia anima rationalis caret partibus, non potest illas recipere per vnionem ad quantitatem. Confirmatur: quia res quælibet non est quid diuersum à suis partibus: ergo sicuti formaliter habet à se suum esse, ita, & suas partes.

Neque actualis extensio.

3 Secundo alij docent essentiam quantitatis consistere in actuali extensione, & impenetratione, tum partium inter se, tum cum alio corpore. Sed contra: de facto quantitas corporis Christi Domini est sub speciebus panis, & vini sine illa extensione, & impenetratione: ergo essentia quantitatis non consistit in ea extensione, & impenetratione actuali; aliter ne de potentia quidem absoluta posset quantitas inueniri sine illa extensione.

Neque ratio mensuræ.

4 Tertio alij docent, essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ. Sed contra: ratio mensuræ est denominatio extrinseca procedens ab applicatione vnius quantitatis ad aliam, quæ formaliter dicit actum intellectus applicantis: sed actus intellectus, & hæc applicatio non sunt de essentia quantitatis: ergo neque ratio mensuræ. Dices hanc esse mensuram actu mensurantem: de essentia autem quantitatis est tantum mēsura in actu primo, ratione cuius quantitas potest ex se applicari ad mensurandum aliam rem. Sed contra: quantitas potens applicari ad mensurandum aliam rem, dicit extensionem actualem, quantitas enim inextensa non est apta applicari: sed actualis extensio non est de essentia quantitatis: ergo, &c. Dices iterum, quantitaté constitui per hoc, quod possit remote applicari ad mensurandam aliam rem, hoc autem non dicit actualem extensionem, sed exigentiam illius. Sed contra: quia satius fuisset dicere, quantitatem sitam essentialiter esse in exigentia actualis extensionis, de quo infra.

Neque extreitas partium quo ad se.

5 Quarto nonnullus putat, effectum formalem, & primarium quantitatis esse extreitatem partium quoad se, sitam in ordinata vnione partium, ita vt vna vniatur immediatè duabus; alijs verò mediatè tantum: quidquid tandem sit, vtrū correspondeant eidem loco. Sed contra: quia non est de essentia quantitatis extreitas partium quo ad se veluti in actu secundo, & actualis; plures enim partes quantitatis possunt carere ea ordinata vnione, & penetrari sine vlla prorsus vnione: neque est de essentia quantitatis, eadem extreitas partium quo ad se, aptitudinalis, & veluti in actu primo; nam etiam materia exigit habere partes in ordine vnitas; vnio enim inordinata est non solum inepta, sed etiam incommo-

17 Demum ex suppositione, quod æternitatem à parte ante tantum (nam si velit vtrinque æternam non est opus præter supra dicta, aliquid addere) velit, adhuc est indifferens, vt velit illam à parte post terminatam ad hoc, vel illud instans: ideoque non necessitatur independenter à suo libero decreto, velle illam terminatam, ad hoc, vel ad illud instans: igitur in casu de æternitate nulla est necessitas orta ab obiectis: sed singuli termini sunt liberè positi ex sola efficacia diuini decreti independenter ab exigentia essentiali creaturæ: nam neque positio essentialiter exigit æternitatem, & infinitas illius durationes, neque æternitas est suppositio antecedens illas durationes, vel si vis etiam conseruationem, sed formaliter est ipsa multitudo durationum, & si via etiam conseruatio: neque multitudo infinita durationum essentialiter exigit à parte post hunc determinatum terminum, ita vel ita protensum: sed ea determinatio prouenit à libertate Dei: nihil igitur imperfectum hic interuenit, quod Deum necessitet ad sui efficacem amorem. Secus accidit in creatura indestruibili aduersariorum, vt patet ex dictis.

18 Duo aduerto: primum facilè solui paritates, quas in contrarium posset quis afferre, vel concesso antecedente, si illud sit certum, vel distincto, si illud sit dubium, & concedi quidem debet si supponatur pro illo ratio, secus debet negari: semper tamen neganda est consequentia, & ratio disparitatis est ratio pro nostra conclusione facta. Secundo in sententia Aristotelis de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus, & si sit necessitas, vt res producta duret ad aliquam partem indeterminatam temporis, sicuti in ea producitur; nulla tamen est necessitas, vt duret ad aliquam determinatam: neque datur post productionem pars aliqua determinata, aut determinatum instans, in quo Deus non possit rem productam destruere: simili ferè modo, quo dicebamus de creatura æterna.

IN LIBRVM SEXTVM

Physicorum Aristotelis.

Quartum librum excipit sextus, de ijs enim, quæ spectant ad quintum satis diximus in tertio, agentes de motu, eiusque speciebus. Nō immerito igitur post plenam motus, temporis, ac loci cognitionem aggreditur Aristoteles ad explicandam continui compositionem, & essentiam; omnia enim illa sunt species quædam continui, & quantitatis, sit igitur.

DISPVTATIO XVI.

De compositione continui.

Hæc est omnium, in quibus versatur philosophia, meo iudicio difficillima quæstio. Ego post, nonnulla de quantitate, & essentia cōtinui disputata; exponam varia doctorum placita, ac terminorum significationes; ne nouis sub inde terminis obiectis hæreamus: tum quid quæque præseferat sententia, quibus telis imperatur, expendam. Non ausim autem id de me polliceri, vt certi aliquid definiam.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit quantitas?

1 Quantitas ruditer, & vniuersalissimè sumpta significat, omne, quod habet aliquam molem, ratione cuius possit subire has denominationes magni, vel parui; longi, vel breuis, lati, & similes: & quia omne, quod est huiusmodi, potest aliqua certa regula cognosci, quantum sit, & mensurari; ideò nomine quantitatis venit omne, quod potest quocumque modo mensurari per aliam regulam nobis sensibilem, & illi suo modo applicabilem. *Rudis noti quantitatis.*

2 Quantitas, ita late accepta alia habet actu partes, alia tantum virtute; prima est qualibet res formaliter composita ex pluribus realiter distinctis: de qualibet enim huiusmodi re, quæri vtiliter potest, quanta suo modo sit, & quot partes contineat; & comparari cum alia qualibet habente item partes realiter distinctas, & qua ri vtra sit maior, & plures partes contineat. Secūda est res indiuisibilis, sed æquiualens pluribus realiter distinctis, vt est in multorum sententia vbicatio animæ rationalis, quæ licet sit indiuisibilis; quia tamen constituit animam in loco diuisibili septem palmorum v.g; æquiualet in correspondentia ad suum vbicationi diuisibili corporis septem palmaris. *Eius diuisio prima.*

3 Secundo diuiditur quantitas in discretam, & continuam: vtraque constat pluribus partibus; primæ tamen partes non vniuntur, neque faciunt vnum absolutè dictum: & talis est omnis numerus rerum siue materialium, siue spiritualium. Huius consideratio spectat ad arithmeticos. Secundæ vero partes vniuntur, & faciunt aliquod vnum absolutè dictum, nō quodcumque, sed continuum. Continuum igitur erit cum plures partes vniuntur ad faciendum vnum non essentiale, sed integrale; vnum autem integrale est, cuius partes; ita vniuntur, vt per diuisionem præcise consideratam, & formaliter sumptam, tantum desinant constituere maius: quod confirmatur exemplo omniū ferè compositorum integralium, quæ nobis innotescunt: si enim pure separes partes integrales ligni, nihil aliud cessat esse, quam totum illud maius, quod prius existebat; reliqua prædicata essentialia remanent, cum partes post separationem adhuc perseuerent essentialiter lignum, sicuti erant antea: idem euenit si separes duas partes caloris, & sic de similibus. *Quid est totum integrale.*

4 Quamuis autem abscissum brachium à reliquo corpore desinat viuere, id tamen non fit, quia præcise amittitur vnio bracchij cum reliquo corpore, sed quia etiam consequenter amittitur

vnio

vnio essentialis inter materiam brachij, & animam, quam vnionem sine præiudicio doctrinæ possum concedere dependere ab illa vnione integrali: quia adhuc saluatur, quod præcise, & formaliter ex vi separationis partium integralium, non debet amitti aliud prædicatum.

5 quod si à me quæras quid sit compositum essentiale? Respondeo necessario constare pluribus partibus diuersæ speciei inter se per penetrationem vnitis, quarum saltem altera, vt naturaliter existat, & possit omnia sua muneta exercere, indigeat sua comparte, vel aliquo alio eius vicem gerente: ita tamen, vt per diuisionē, nō pure cesset vnius quid præcedens, sed etiam aliqua alia denominatio.

6 Tertio: quantitas continua corporea; quæ est proprium subiectum huius disputationis; alia est successiua habens partes post partes, & incōpossibiles saltem ratione alicuius formæ sibi accidentalis: alia permanens habens omnes suas partes coexistentes.

7 Alia quartò est intensiua habens omnes suas partes in eadem parte loci, vel subiecti inter se penetratiuè vnitas: alia extensiua, cuius videlicet partes ita ordinantur, & continuantur, vt vna sit in loco diuerso à loco alterius, nec possint plures in eodem loco naturaliter esse.

Definitur continuum corporeum permanens ac extensiuè.

8 Continuum seu quantitatem permanentē extensiuam 5. m. c. 13. in concreto definiuit Aristoteles illis verbis. *Quantum dicitur, quod est in ea, quæ insunt diuisibile, quorum vtrumque, aut vnumquodque vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Videlicet quantum, & ipsa quantitas, quæ se ipsa formaliter quanta est; est physicè diuisibilis in suas partes, non quacumque diuisione, sed sensibili facta per intromissionem alterius corporis, & orta ex resistentia partium illius ad penetrationem: alia enim composita, vel non sunt hoc modo diuisibilia, vel eam diuisibilitatem non habent nisi à quantitate, cuius primarium prædicatum est impenetrabilitas, ad quam sequitur impenetratio: nam quæ penetrari possunt, nequeunt loco diuidi, & separari per intromissionem alterius, sed quolibet adueniente, in se illud excipiunt: nequeunt itē in diuersa loca distrahi per impulsum, quē alia corpora imprimunt, vt acquirant locum ab illis occupatum, dum per impenetrationem non resistunt.

9 Adduntur illa verba: quorum vtrumque, & vnumquodque, vnumquid, & hoc aliquid aptum est esse: quæ verba ponuntur ab Aristotele iuxta sua principia de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus; quacumque enim diuisione facta in illa sententia partes adhuc perseuerant diuisibiles, & sunt quantitas: sed vt melius intelligatur essentia quantitatis sit.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur prædicatum essentiale proprium quantitatis.

1 INquirimus prædicatum essentiale metaphysicum, quod videlicet, ita sit propriū quantitatis, vt illam distinguat ab omni alia, & sit prima radix omnium aliarum proprietatum, & prædicatorum, quæ communiter eidem quantitati tribuuntur.

Quantitatis essentia non est pluralitas.

2 Primo igitur Thomistæ docent, essentiam quantitatis sitam esse in eo, quod constet pluribus partibus. Sed contra: nam etiam materia, & forma substantiales (quas nunc suppono distinctas á quantitate) habent partes à se, independēter à quantitate: aliter illas non possent recipere formaliter à quantitate; sicuti quia anima rationalis caret partibus, non potest illas recipere per vnionem ad quantitatem. Confirmatur: quia res quælibet non est quid diuersum à suis partibus: ergo sicuti formaliter habet à se suum esse, ita, & suas partes.

Neque actualis extensio.

3 Secundo alij docent essentiam quantitatis consistere in actuali extensione, & impenetratione, tum partium inter se, tum cum alio corpore. Sed contra: de facto quantitas corporis Christi Domini est sub speciebus panis, & vini sine illa extensione, & impenetratione: ergo essentia quantitatis non consistit in ea extensione, & impenetratione actuali; aliter ne de potentia quidem absoluta posset quantitas inueniri sine illa extensione.

Neque ratio mensuræ.

4 Tertio alij docent, essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ. Sed contra: ratio mensuræ est denominatio extrinseca procedens ab applicatione vnius quantitatis ad aliam, quæ formaliter dicit actum intellectus applicantis: sed actus intellectus, & hæc applicatio non sunt de essentia quantitatis: ergo neque ratio mensuræ. Dices hanc esse mensuram actu mensurantem: de essentia autem quantitatis est tantum mēsura in actu primo, ratione cuius quantitas potest ex se applicari ad mensurandum aliam rem. Sed contra: quantitas potens applicari ad mensurandum aliam rem, dicit extensionem actualem, quantitas enim inextensa non est apta applicari: sed actualis extensio non est de essentia quantitatis: ergo, &c. Dices iterum, quantitatē constitui per hoc, quod possit remote applicari ad mensurandam aliam rem, hoc autem non dicit actualem extensionem, sed exigentiam illius. Sed contra: quia satius fuisset dicere, quantitatem sitam essentialiter esse in exigentia actualis extensionis, de quo infra.

Neque extreitas partium quoad se.

5 Quarto nonnullus putat, effectum formalem, & primarium quantitatis esse extreitatem partium quoad se, sitam in ordinata vnione partium, ita vt vna vniatur immediatè duabus; aliæ verò mediatè tantum: quidquid tandem sit, verū correspondeant eidem loco. Sed contra: quia non est de essentia quantitatis extreitas partium quo ad se veluti in actu secundo, & actualis; plures enim partes quantitatis possunt carere ea ordinata vnione, & penetrari sine vlla prorsus vnione: atque est de essentia quantitatis, eadem extreitas partium quo ad se, aptitudinalis, & veluti in actu primo; nam etiam materia exigit habere partes eo ordine vnitas; vnio enim inordinata est non solum inepta, sed etiam incommo-

da ad constitutionem compositi substantialis; exigeret enim, vt eadem pars simul quoad locũ corresponderet multis alijs sine ordine. Confirmatur: formæ viuentium materiales, ac diuisibiles, sicuti, vt exerceant sua munera incompossibilia exerceri in eodẽ loco, exigũt habere partes extensas quoad locum; ita & quoad se.

Neque exigentia extensionis. 6 Quinto alij putant quantitatem constitui principaliter per exigentiam extreitatis localis, ratione cuius determinatè exigat vnã partẽ extra aliam: substantiæ autem, & reliqua entia materialia, licet independenter à quãtitate possint habere vnam partem extra aliam quoad locum, non tamen id exigunt: vna enim pars substantiæ, & qualitatis non repugnat penetrationi cum alia. Antequam iudicium de hac opinione feram; aduerto aliud esse extensionem, aliud impenetrationem, si enim vnus homo cum alio penetraretur, vterque temaneret extensus, nõ tamen impenetratus: ratio est: quia extensio solum dicit ex partibus componentibus vnam esse extra aliam; impenetratio verò dicit actualẽ exclusionem cuiuscumque alterius ab eodem loco: diuersus igitur conceptus est, res impenetrabilis, & res exigens extensionem: neque aliquis dicet hominem respectu Angeli non esse extensum; quia potest cum illo penetrari.

Sed exigentia impenetrationis. 7 Dico igitur: essentia quantitatis non consistit in exigentia extensionis, sed in exigentia impenetrationis seu in impenetrabilitate: prima pars probatur: exigentia extensionis non conuenit omni quantitati: possibilia enim est quantitas indiuisibilia: imò per Zenonem continuum non constat nisi indiuisibilibus: quantitas autem indiuisibilis sicuti nõ habet partes, ita neque exigit extensionẽ localẽ, qua vna ipsius pars sit extra locum aliarum. Ad minus igitur hæc explicatio non habet locum in omnium sententia: quarè cum non positiuè probetur vera, & necessaria; non est cur teneamur illam admittere.

8 Secunda autem pars confirmatur, quia impenetrabilitas conuenit ex vno capite soli quantitati; reliqua enim accidentia facilè penetrantur cum alio simili; & substantia ipsa non ex se est impenetrabilis, & ideo sub speciebus consecratis, quamuis desinat esse substantia panis, perseuerat integra impenetrabilitas reliquorum accidentium: ergo impenetrabilitatem non habent reliqua accidentia à substantia, neque à se: ergo habent à quantitate. Est etiam ex alio capite hæc impenetrabilitas primarium prædicatũ quantitatis, & radix aliorum: quia ex impenetrabilitate oritur, quod quantitas diuidi possit diuisione sensibili, tum per violentam intromissionem alterius corporis, tum per violentam distractionem localem: ex eadem oritur, quod per vires agentis naturalis non possint partes illius spoliari extreitate, quo ad locum, ex quo proficiscitur ratio mensuræ aptitudinalis, tum actiuæ, tum passiuæ. Quando autem Aristoteles quãtitatem explicat, vel per diuisibilitatem partium, vel per rationem mensuræ, non tradit exactam quantitatis definitionem, quod inde constat mari

potest, quia non semper eodem modo explicat.

Respectu cuius quãtitas est impenetrabilis. 9 Dices, non potest explicari respectu cuius quantitas sit impenetrabilis: nam dicere: quod quantitas sit impenetrabilis cum alia quãtitate, est circulus vitiosus, & supponens iam perfectè, & clare cognitum id, cuius, vtpotè ignoti, cognitionem quærimus? Respondeo cũ Ouiedo, quantitatem esse impenetrabilem cum alio eiusdem speciei cum ipsa & cum quacumque alia entitate, quæ habeat similem impenetrabilitatem cum alio eiusdem speciei secum. Et quidem per hanc explicationem primo soluitur ratio dubitandi; iam enim independenter à cognitione essentiæ quantitatis possum cognoscere quid sit duas res esse eiusdem speciei, quid item sit repugnare penetrationi. Secundo: quia fortasse puto esse possibiles quantitates diuersæ speciei; addidi secundas particulas, videlicet: quantitatem non solùm esse impenetrabilem cũ alio eiusdem speciei, sed cum quocumque alio habente similem impenetrabilitatem.

10 Vrgebis omnis quantitas habet hoc, quod sit impenetrabilis cum alio eiusdem speciei, & nulli, quod non sit quantitas, id conuenit: ergo sufficienter explicatur essentia quantitatis per hoc tantum, quod sit impenetrabilis cum alio eiusdem speciei. Distinguo antecedens: omnis quantitas habet hoc tantum, vt sit impenetrabilis, cum alio eiusdem speciei; nego: hoc, & aliam impenetrabilitatem supra explicatam; concedo: quarè cum vna ex his impenetrabilitatibus non sit radix, aut proprietas alterius, vtraque æque primo debet ingredi conceptum quantitatis.

11 Vrgebis iterum: Deus est impenetrabilis cum alio eiusdem speciei; & vna vbicatio, cum alia vbicatione; & tamen nec Deus, nec vbicatio sunt quantitates: ergo non benè per hæc prædicata explicatur essentia quantitatis. Respondeo Deum non esse formaliter impenetrabilem cum alio Deo eiusdem speciei, quia si esset alius Deus, vterque in eodem loco esset cum verò Deo: impenetrabilia ergo sunt, quę si simul existant, vnum valeat aliud loco pellere, nec possint simul occupare idem spatium. Quarè neque duæ præsentiæ locales respicientes loca diuersa sunt formaliter impenetrabiles, quia non potest vna pellere loco aliam, & illi succedere. Vbicationes autem respicientes idem spatium, si simul existant, non possunt non penetrari: cætera, quæ sunt in composito non sunt impenetrabilia à se, sed à quantitate cum qua vniuntur.

Effectus formalis quãtitatis. 12 Hinc colliges effectum formalem quantitatis esse constituere rem, cui vnitur, impenetrabilem, si tamen illa sit capax huius denominationis: effectus enim formalis non est nisi denominatio obiectiua, quæ in rebus compositis identificatur adæquatè cum forma, subiecto capaci, & vnione: ratio autem vlterior esse potest, quia accidentia reliqua, & substantia sunt in eodem loco cum quantitate: ergo cum pars substantiæ, & accidentis diuisibilia correspondeat parti quantitatis.

titatis, & tota toti quantitati, tota substantia, & accidens perit esse, vbi est tota quantitas, & pars vbi est pars: quarè cum vna pars quantitatis exigat esse extra aliam, & tota vna quantitas extra aliam totam, etiam vna pars substantiæ, & aliorū accidentium respiciens diuersam partem quantitatis, erit extra aliam, & tota vna substantia, ac accidens vnitum huic toti quantitati erit extra aliam totam substantiam, & accidens vnita alij quantitati. Forma autem spiritualis indiuisibilis, licet non habeat partes diuersas correspondentes diuersis partibus quantitatis; tamen vnita quantitati, nec potest se liberè ab illa separare, nec potest perseuerante illa vnione sui ad quantitatem cum re aliqua corporea non vnita eidem quantitati penetrari.

13 Hinc infero, lineam, si in sententia Aristotelis sit penetrabilis cum alia linea, non tamē habeat partes inter se penetrabiles, participare solùm inadæquatè essentiam quantitatis; quia nō participat omnem modum impenetrabilitatis, cum possit penetrari cum alio eiusdem speciei: si autem neque partes lineæ inter se, neque vna linea cum alia penetrari queat, patet lineam participare integrè quantitatis essentiam: eodem modo discurro de superficiebus. Puncta verò cum in sententia Aristotelis sint omninò penetrabilia, impenetrabilia in sententia Zenonis; ideo in prima sententia non participant, in secunda participant essentiam quantitatis.

14 Illud hic obiter notandum punctum, lineam, superficiem, & corpus inter se differre, quod punctum excludit à se omnes partes, vtpotè indiuisibile, & omnem dimensionem saltem formalem: linea autē est multitudo punctorum in longum extensa habens tantum vnam dimensionem, & ideo dicitur magnitudo ad vnū: superficies est multitudo linearum vnitarum per latus; & diuisibilis est tantum in longum, & latum, & ideo dicitur magnitudo ad duo. Corpus demum est multitudo superficierum inter se vnitarum, ita vt vna sit supra aliam, & est diuisibile in longum, latum, & profundum; ideoque dicitur magnitudo ad tria.

15 Infero secundo: tempus non esse propriè speciem quantitatis à nobis explicatæ; tempus enim, vel est fluxus durationum, vel motus cœli: in neutro autem sensu participat rationem quantitatis; primo quia possunt durationes diuersarum rerum penetrari quo ad tempus, possunt enim plures condurare. Idem dico de motibus. Secundo quamuis eiusdem rei vna duratio non sit simul cum alia; id tamen non oritur ex impenetrabilitate, sed ex affixione ad tempus; impenetrabilia enim sunt, quæ possunt eumdem locum occupare, de quo contendunt, quia simul esse in illo nequeunt; quare impenetrabilia quo ad tempus sunt, quæ non possunt eidem tempori simul correspondere, vt duo contradictoria æmuibilia: quamuis hæc etiam aliunde deficiant ab impenetrabilitate quantitatis: quia possunt simul alijs rebus eiusdem speciei coexistere. Hinc patet quid dicendum sit de motu locali, alterationis, & nutritionis: possunt enim plures illorum motuum partes simul respicere eumdem locum, vel impediuntur à quantitate, vel saltem non participant impenetrabilitatem quantitatis iam dictam.

16 Infero tertio, neque orationem vocalem esse propriè quantitatem, quia vna oratio non excludit aliam ab eodem tempore. Infero quartò neque numerum propriè participare rationē quantitatis; numerus enim est ens mere per accideus constatum ex pluribus nulla vnione connexis, quod secundum probabilem opinionem importat, vt suum constitutiuum, actum intellectus numerantis: hoc autem qoid habet impenetrabilitatis? Verum quia in suprадictis omnibus negari non potest aliqua imperfecta impenetrabilitas, ideo non immerito ad quantitatem reducuntur.

SECTIO TERTIA.

Vtrum quantitas sit accidens distinctum à reliquis?

1 Loquimur de quantitate, quam supra diximus esse principium impenetrationis & quærimus primo: verū sit accidens, & consequenter distincta ab omni substantia? Secundo: vtrum distinguatur à reliquis accidentibus? In qua re tres sunt opiniones: prima Nominalium apud Suariū *disp. 4. sect. 2.* qui cū suo Okamo docent: quantitatē non esse quid simplex distinctū à reliquis conceptibus corporeis; sed quamlibet rem materialem identificare sibi suam specialē quantitatem; itavt tot sint quantitates in quolibet composito, quot sunt entitates corporales: quarè quantitas per hos authores partim est substantia in substantia, partim accidens in accidente. *Secundo:* alij, quibus adhærere videtur Arriaga *disp. 5. in sec. 1.* docent: quantitatem identificari cum materia prima. Tertio demum alij communiter docent quantitatem esse accidens simplex, & vnicum in quolibet composito contradistinctum à substantia.

2 Dico primo: quantitas non est prædicatū aliquod commune identificatum cum qualibet re corporea, vt vult prima opinio. Probatur: quia alias, vel homo non esset absolutè quantus, vel quælibet alia res corporea esset per plures quantitates adæquatè quanta; verumque autem est absurdum; ergo: probo sequelam: v. g. quantitas adæquata, & sufficiens constituere ens aliquod absolutè quantum, est qualibet res corporea, & iam cum in quolibet composito sint plures res corporeæ, in quolibet composito erunt plures quantitates adæquatæ inter se penetratæ: quod est contra exigentiam quantitatis, quæ si participat essentiam adæquatam quantitatis, necessariò exigit non penetrari cum alio similem essentiam participante: & sicuti admittis in eodem composito plures quantitates adæquatas inter se penetratas, quid repugnat plura corpora adæquata penetrari? vel quantitas adæqua-

Quantitas non est aggregatum omniū quæ sunt in cōposito.

quata est conflatum ex omnibus, quæ componunt corpus aliquod, & in illo insunt, vel vt partes substantiales, vel vt accidentia debita; & iam homo non est absolutè, & adæquatè quantus: quia non constat omnibus partibus, & accidentibus corporeis: anima enim rationalis, & eius proprietates sunt spirituales. Confirmatur, si auferas ab homine, vel alio ente corporeo aliquod accidens materiale, non ideò illud cessat esse absolutè quantum, etiam si nullum aliud accidens subrogetur loco illius: ergo quantitas adæquata corporum nō conflatur adæquatè ex omnibus accidentibus, & partibus corporeis.

3 Dices omnia, quæ sunt in alijs corporibus distinctis ab homine, sunt materialia, & corporea, nec ideò vel reliqua sunt magis corporea, quàm homo, vel hic non est absolutè corporeus: ergo etiam quamuis omnia, quæ sunt in alijs entibus materialibus sint quantitas, & non omnia, quæ sunt in homine sint quantitas, adhuc homo potest dici quantus absolutè, sicuti dicitur absolutè corporeus. Nego consequentiam: plura enim corporea existētia in eodē composito non constituunt plura corpora, aut magis corpus, sicuti non exigunt plures quantitates, aut maiorem impenetrabilitatem.

Quantitas non identificatur cū aliquo substantiali.

4 Dico secundo: quantitas non identificatur cum materia, aut aliquo alio substantiali. Probatur: quia in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento remanet post consecrationem tota impenetrabilitas, sicuti erat ante consecrationem, vt patet experientia, & nihil substantiæ panis, vel vini ibi remanet: sed impenetrabilitas est quantitas: ergo post consecrationem remanet quantitas sine vlla substantia antecedente: ergo quantitas distinguitur a substantia. Confirmatur, & explicatur: quia non habemus argumentum dicendi, quod in Eucharistia perseuerent reliqua accidentia, & non perseueret quantitas; nō minus enim per sensum experimur vnum, quàm aliud.

5 Confirmatur vlterius, & explicatur: non magis facit, hoc Sacramentum esse signum verè sensibile, quod possint sensibus percipi reliqua accidentia, quam quod possit percipi hoc accidens impenetrabile: ergo sicuti ne dicamur à Deo præstigijs illudi, affirmamus non solùm nos sensibus exprimere, sed verè existere alia accidentia; ita debemus dicere, nos non solùm sensibus exprimere quantitatem, & illam impenetrabilitatem, sed verè ibi esse talem formam: à qua impeditur manus, ne vlterius progrediatur, & à qua obiectiuè oritur illa sensatio.

6 Dices: quando species Eucharisticæ remoto igne reducunt se ad suum naturale temperamentum dicimus Deum supplere, ad occultandum mysterium, defectum causæ creatę: ergo idem possumus dicere de impenetrabilitate. Nego consequentiam, quia Tridentinum definit, quod remaneant species, hoc est principium obiectiuum nostrarum sensationum, quia hoc est id, quod pertinet, & sufficit ad sensibilitatem huius Sacramenti: de eo autem quod est causa, & principium huius obiecti sensibilis, nihil clarè definiuit, imò implicitè definiuit, non manere; quia definiuit totam substantiam perire; ideoque recurrimus ad Deum, vt principium particulare illius frigoris. Idem dicendum in casu, quo quis nutriretur, & viueret solis speciebus Eucharisticis: benè enim Deus tunc suppleret defectū substantiæ: quia non definit Concilium, quod ibi manet principium nutritionis: sed tantùm species, idest obiecta sensibilia per ipsam comestionem. Et in casu, quo nihil aliud comedentes, nutriremur, non ex Concilio, sed à posteriori colligeremus, nos nutritos speciebus Eucharisticis; quia videlicet nutriti sumus, & non alio cibo.

7 Hinc malè quis inferet, ad vitandum miraculum in recuperatione accidentium, admittendam esse qualitatem aliquam permanentem, quæ sit radix, & principium illorum accidentiū; nam primo: non vitatur miraculum, sed aliud fortasse maius admittitur; quod videlicet illa qualitas, & actu non causetur ab essentia, à qua tāquā rigorosa proprietas magis rigorosè exigit procedere, quā exigāt procedere reliquæ qualitates, vel à substātia, vel ab alia qualitate: cū illa accidentia nō sint proprietates, neque substantiæ, neque illius qualitatis. Secundo: ego non probo existentiam quantitatis, ne multiplicentur miracula: sed ex sensatione, qua ibi experimur quantitatem; vt patet consideranti.

SECTIO QVARTA.

Varias propono sententias de compositione continui, & explico terminos.

1 De partibus continui tum permanentis, tum successiui quæstio penè insolubilis est, sint ne finitę, & indiuisibiles, an infinitæ, & semper diuisibiles: explicabo igitur in hac sectione sententias celebriores, quas in examen adducam sectionibus sequentibus.

Proponitur sententia Aristotelis de cōpositione continui.

2 Primo igitur celeberrima in hac materia est sententia Aristotelis docentis: continuum constare partibus semper diuisibilibus, ita ut quacunque diuisione facta, semper partes prioris diuisionis, sint in alias absque fine diuisibiles. Aristotelem sequuntur omnes ferè Philosophi, & Theologi: qui tamen, vt verum fatear, magis inter se discrepant, quàm cum patronis indiuisibilium: aliqui enim putant ante diuisionem partes componentes continuum actu non distingui, neque actu esse partes, sed totum cōtinuum esse vnum ens actu simplex, potentia verò multiplex: alij verò docent, partes continui ante diuisionem, & quamcumque designationem esse actu inter se distinctas: sunt preterea qui exclusis punctis realibus admittunt in continuo tantùm partes: alij defendunt partes continuatas, & terminatas punctis realibus, quæ continuatiua, & terminatiua vocant; alij admittunt puncta tantùm terminatiua: & ex admitten-

Pugna Aristotelicorum inter se.

tibus

tibus puncta sunt, qui defendunt, illa esse finita, & qui docent eorum infinitatem. Non cessant hic Peripatheticorum dissidia: adhuc enim quærunt, vtrum partes vniantur vnione distincta, sint ne puncta, res, an modi, destinguantur ab vnione partium?

Expositio Mauri.

3 Quæ omnia, & singula adeò difficilem habent intellectum, & solutionem, vt Maurus profitens se Peripatheticum, apertè tamen sententiam, quæ communiter tribuitur Aristoteli, tāquam non Aristotelicam deserat, asseratque continuum componi ex partibus actu finitis, & formaliter indiuisibilibus, sed in potentia infinitis, & semper diuisibilibus: quia videlicet, vt ipse explicat, quamuis qualibet pars sit formaliter indiuisibilis; possunt tamen ex illa extrahi nouæ, & nouæ partes semper minores: quæ extractio fit non per diuisionem realem partis antecedentis, & indiuisibilis in plures alias, sed per reductionem illius ad minus, & minus spatium: & hanc fuisse mentem Aristotelis, dum docebat partes infinitas non actu, sed potentia esse in continuo: legatur Maurus à *quæstione 37. ad 41. physicæ*.

Explicantur partes aliquotæ, & proportionales.

4 Notanda autem hic in vestibulo est celebris apud Aristotelicos partium diuisio in aliquotas, & proportionales. Pars aliquota est, quę aliquoties repetita adæquat totum; exemplum sit in quantitate vlnari, cuius palmus est pars aliquota: quia octies repetita adęquat vlnā; sicuti numerus binarius est pars aliquota duodenarij: quia sexies repetitus explet duodenariū: contra numerus quinarius non est pars aliquota numeri duodenarij: quia repetitus vel non attingit, vel excedit numerum duodenarium: duo igitur requiruntur ad partem aliquotam, primo, vt sit ęqualis alijs aliquotis à se cōtradistinctis: secundò, vt post aliquot repetitiones adæquet totum.

5 Pars proportionalis est, quę similem respectum dicit ad suum totum, ac dicit alia ad suum siue commune vtrique, siue diuersū. Sciendum autem est proportionem esse quandā comparationem, ratione cuius sicuti hoc cum illo, eodem modo se habeat hoc aliud comparatum cum illo alio, vt si quis dicas sicuti se habent duo ad quatuor, ita decem ad viginti: sicuti enim duo duplo exceduntur ad quatuor, ita decem à viginti: ex quo inferes in omni proportionalitate interuenire quatuor terminos, vel ad minus tres. Ratio est, quia proportionalitas includit duas comparationes, quæ si communicant in aliquo termino, necessario dicunt tres terminos: vt si quis dicat, sicuti se habent duo ad quatuor, ita quatuor ad octo; sin minus; necessariò interueniunt quatuor termini, vt si quis dicat sicuti se habet vnum ad duo, ita decem ad viginti.

6 Sciendum est secundo, in continuo posse esse multiplicem proportionalitatem: & primo quidem sicuti totum vlnare est diuisibile in duas partes ęquales inter se, sed minores toto, ita post diuisionem quęlibet pars est diuisibilis in duas alias partes inter se ęquales, & minores parte diuisa; sic semivlna diuisibilis est in duos bipalmos inter se æquales, & minores semivlna, & quilibet bipalmus diuisibilis est in duos palmos minores, sed inter se æquales, & quilibet palmus in duos semipalmos, & sic in infinitum iuxta principia Aristotelicorum, qui aliud non significant, dum docent quantitatem esse diuisibilem in infinitum in partes minores, & minores, ac in æquales: quia partes secundæ diuisionis semper sunt minores partibus primę.

Quomodo aliquota à proportionali distinguitur.

7 Ex quibus benè infert Ouiedus *contr. 17. phys. p. 2. n. 12.* partem aliquotam nè inadęquatè quidem intrinsecè distingui à proportionali, sed tantùm extrinsecè per diuersum respectum, & diuersum modum comparationis ad totum: idem enim palmus est pars aliquota vlnę, quia octies repetitus adęquat totum; & proportionalis, si comparetur vt membrum tertiæ diuisionis ad membra duarum diuisionum antecedentium: sicuti enim vlna est diuisibilis in duas semivlnas, & semivlna in duos bipalmos, ita bipalmus in duos bipalmos.

Partes aliquotæ in quolibet toto non sunt determinatæ tot, & nō plures.

8 Infero secundo, quod sicuti nulla inuenitur certa magnitudo, infra quam non possit dari pars minor, & proportionalis, si comparetur cum diuisionibus antecedentibus; ita non potest dari certa magnitudo partis aliquotę, infra quam non possit dari minor, quæ sit item aliquota: si enim dicas v. g. partem aliquotam vltimā quantitatis vlnaris esse palmum, quia octies repetitus adæquat vlnam: ego dicam esse semipalmū: quia per sexdecim repetitus vices adæquat eādem vlnam: si autem dicas esse semipalmum, ego dicam esse quadrantem, qui per triginta duas repetitus vices reddet vlnam, & sic in infinitum: quare æquè non datur terminus paruitatis in partibus proportionalibus, ac in aliquotis. Pars igitur aliquota dicitur æqualis, si comparetur cum alijs sibi coaliquotis, non quia non possit dari alia minor item aliquota, & æqualis alijs partibus minoribus, quæ reddant cum illis totum. Differentia igitur inter proportionales, & aliquotas est, quia proportionales inter se comparatæ non seruant æqualitatem, quam seruant inter se aliquotę.

9 Secundo, partes dicuntur proportionales, quia sunt communicantes. Scias igitur cōtinuum bipalmare v.g. diuisibile esse, & in partes non communicantes, quarum vna nihil alterius habeat, vt si diuidatur in quatuor semipalmos omninò distinctos; & diuisibilem esse in partes cōmunicantes, quarum vna habeat aliquid alterius; vt si bipalmum primum diuidas in duos palmos adæquatè distinctos, tum assignes à medietate primi palmi ad medietatem secundi aliū palmum; tum tertio à medietate extrema primi semipalmi ad medietatem extremam, secundi semipalmi assignes alium palmum, & sic in infinitum: certè in quantitate illa bipalmari assignabis plures, & plures palmos inadæquatè distinctos, & communicantes: proportionalitas autē in eo sita est, quod sicuti palmus communicans

habet

habet aliquod commune cum primo palmo, ita habet aliquod commune cum secundo, & sicuti primus palmus communicans habet aliquod cũ vtroque palmo commune, ita etiam secundus palmus communicans: attamen in noua, & noua assignatione palmorum sine fine sequentium, semper quid minus de novo accipitur à sequenti palmo, quam acceptum antea fuerit.

10 Vnde patet partes communicantes posse esse inter se æquales, nec quamcumque æqualitatẽ pugnare cum partibus proportionalibus: possunt item partes communicantes esse inter se inæquales: si enim in quantitate quadripalmari diuisa in duas partes æquales bipalmares, post primum palmum primæ quantitatis bipalmaris, & ante vltimum secundæ assumantur prius quantitatem bipalmarem communicantem cum vtraque, tum à palmo cum dimidio primæ quantitatis bipalmaris ad palmum cum dimidio, & quadrante secundæ quantitatis assumam aliam quantitatem bipalmarem, cum quadrante certè hæ erunt ambæ partes communicantes, sed inequales.

Quomodo partes proportionalis sit in determinata, & aliquota determinata. 11 Hurtadus partes proportionales vocat indeterminatas: sed contra, quia in rerum natura non datur ens vagum, & indeterminatum ad plura. Præterea certum est hanc numero partem habere terminum determinatũ, ratione cuius perseuerans nec augeri, nec minui possit; si enim hoc fiat, non erit hæc numero pars, sed alia omnino diuersa. Quod si dicas partem proportionalem, vt sic non habere terminum determinatũ: quia potest in quacumque parte minori, & minori inueniri proportio; id etiam verificatur de parte aliquota semper enim in minori, & minori quantitate inueniri potest pars aliquota, quæ cum alijs sibi æqualibus adæquet aliquod totũ: solum igitur pars aliquota potest dici determinata: quia determinat magnitudinem compartiũ sibi æqualium: pars verò proportionalis non determinat magnitudinem suarum compartium, proportionalium: potest enim seruare proportionem cum infinitis partibus minoribus, & minoribus in infinitum: cæterum quęcumque pars proportionalis est hoc determinatum singulare.

12 Ex quibus infero, quod licet non detur in continuo in infinitum diuisibili numerus determinatus partium aliquotarum: quolibet enim numero partium aliquotarum assignato semper potest dari numerus illarum maior, licet minorum partibus priori a diuisione, vt vidimus; adhuc in quantitate finita v. g. bipalmari quælibet pars aliquota determinata v. g. digitalis habet tot, & non plures partes sibi æquales, coaliquotas, nec communicantes; contra verò partium proportionalium quælibet seorsum sumpta; si continuum est in infinitum diuisibile, comparabilis eo in eadem quantitate cum minoribus, & minoribus in infinitum. Ideoque partes proportionales licet actu non distinguatur ab aliquotis, nihil tamen prohibet esse infinitas. Legatur Ouiedus *contr*. 15. *phys. p*. 2. *à n*. 2.

Sententia Zenonis. 13 Secunda sententia fuit Zenonis, cui ex antiquis adhæsere Leucippus, Democritus, & Pythagoras, quibus, inquit, Quiros *disp.* 67. *sec.* 1. *n*. 5. subscribunt omnes ferè recentiores in manuscriptis, forsasse loquitur de Hispanis. His adde Basson, Tellez *disp.* 35. *phys. s.* 1. Cornelium de S. Petro *trac.* de continuo *sect.* 2. *n*. 1. Spinulam *disp.* 14. physicæ Herice 1. *p*. 4. Hi igitur omnes docent continuum constare puris punctis indiuisibilibus: quæ ex antiquis nonnulli docebant esse numero finita, alij infinita. Non multum ab hac opinione abhorrent Arriaga, Franciscus Alphonsus, & Ouiedus, qui à *p*.7. videtur acerrime Zenonem tueri quãuis tandem nõcludat se libentius, quoad continuum permanẽs adhærere Aristoteli, quoad successiuum Zenoni. Omnium demum, quos ego legerim postremus eamdem sententiam, & non illaudabili quidem labore defendit Quiros *disp. cit.*

Recentiorũ de punctis uirtualiter extensis sententia. 14 Tertio, doctissimi quidam recentiores difficultatum pondere pressi, docent continuum componi quidem ex partibus tantum finitis, & formaliter indiuisibilibus, sed virtualiter extẽsis quoad locum, itaut possint correspondere spatio diuisibili, seu loco cui correspondere valeat res diuisibilis secundum diuersas sui partes.

Recentiorũ de minimis physicis. 15 Quarto demum, sunt nonnulli recentiores, qui componentes continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus, asserunt tamen deueniẽdum tandem ad aliquas partes adeo minimas, quæ vlterius diuidi nequeant in partes minores, quamuis illas includant.

SECTIO QVINTA.

Examinatur sententia Aristotelis.

Partes cõtinui sunt actu distinctæ. 1 Svppono primo partes constituentes continuum esse actu realiter inter se distinctas ante omnem designationem, & separationem.

2 Probo suppositionem, quæ possunt realiter separari sunt actu realiter distincta ante omnem separationem, & designationem: sed partes continui possunt realiter separari: ergo partes continui sunt realiter distinctę ante omnem separationem, & designationem. Minor conceditur ab omnibus; maior probatur signum euidens distinctionis est separabilitas. Et confirmatur partes post separationem realiter distinguuntur ergo etiam ante separationẽ: consequentia probatur: separatio non mutat rerum essentias, sed tantum destruit unionem: ergo quæ post separationem sunt distinctæ, ante separationem sunt etiam distinctæ. Ratio vlterior est: quia vnio continuatiua partium non est illarum identitas, & multo minus est identitas partium carentia designationis. Neque enim talis vnio est summa partium communicatio, & quod earumdem altera pars communicetur sibi, quantum alteri. Confirmatur si duo realiter identificantur, saltem de facto; ita se habent, vt totum esse vnius, sit totum esse alterius: ergo ita se habent, vt nõ pos-

posse amitti esse vnius, quin amittatur esse alterius: ergo si per separationem, & destructionem amittitur esse vnius, debet amitti esse alterius: sed partes continui, quæ possunt diuidi, non ita se habent; ergo non identificantur.

3 Illud hic aduerto: ad tollendam æquiuocationem, cum continui pars quælibet in sententia Aristotelis, quam examinamus, sit etiam continua, & diuisibilis, quamlibet includere plures partes, & vniones, quibus constituitur, ex quo solùm sequitur, quod non distinguatur adæquatè ab illis partibus, quas includit, & quibus constituitur: non autem, quod non distinguatur adæquatè à compartibus, cum quibus constituit aliud continuum maius: vnde sic arguo: pars continui non eodem modo comparatur cum sua comparte, ac cum partibus, ex quibus componitur: ergo licet non distinguatur à partibus, quas includit, debet tamen distingui realiter ab illis, cum quibus componit continuũ maius. Hinc sic vrgeo secundo: implicat partem non esse quid minus toto: ergo implicat partes continui ante designationem non distingui à suis compartibus, cum quibus constituunt totum: si enim identificarentur, iam quælibet pars esset totum adæquatè sumptum, & consequenter non esset quid minus: quod enim identificatur cum omnibus partibus totius, est ipsum totum adæquatè sumptum: cum totum adæquatè sumptum non sit aliud præter omnes suas partes.

4 Neque dicas, ante designationem non esse actu partes, & totum, sed pure vnum continuum. Contra enim est: ante designationem habetur actu compositum, & continuum: ergo habetur actu totum, & partes: neque enim fingendum est has denominationes totius actualis, & partium item actualium esse extrinsecas ab actu intellectus designantis. Et quamuis, vt putas, ibi non sit quantitas palmaris actu: quia hæc per te constituitur per designationem, & carentiam vlterioris extensionis; est tamen actu in illo existens quantitas illa designabilis per suum hunc actum, & separabilis: ergo est illa, & aliquid vltra: quod tu ipse fateris, dum ais, illam quantitatem non esse terminatam: hoc autem, quod includit ipsam, & aliquid vltra, quis non videt actu esse compositum, & quid totum maius illa. Aduertitionum responsiones facile excludes: si aduertas ad distinctionem inter vnionem, & identitatem.

5 Attamen: contra recurrentes ad designationem, afferentesque partes ante designationē non distingui, sicut post designationem vrgeri specialiter potest: quia non est necesse, vt partes designentur à quocumque intellectu, sed sufficit, si designentur aliqua designatione ab aliquo intellectu: sed omnes partes designabiles, actu designantur ab aliquo intellectu, nempè diuino: qui cognoscens omnes designationes, & diuisiones possibiles distributiuè sumptas non potest non videre partes designatas, seu alias nō designatas, & intentionaliter diuidere: si enim videt intellectum potentem designare vnam partem, & aliam; iam etiam intellectus Diuinus sumit vnam, & aliam partem, easque designat. Hoc, & supra facta argumenta impugnant identitatem partium minimi.

6 Suppone secundo: in continuo admittendas esse superficies, lineas, puncta: probatur de superficiebus: duo corpora immediatè se tangunt: sed non se tangunt per partes diuisibiles secundum profunditatem: ergo se tangunt per partes secundum profunditatem indiuisibiles: sed partes indiuisibiles secundum profunditatē, in quibus se tangunt superficies; sunt latæ, & lōgæ: ergo se tangunt per superficies: & cum contactus debeat fieri per aliquod reale: dantur vtique superficies reales. Minor primi syllogismi probatur, si partes, secundum quas se tangunt duo corpora, non essent secundum profunditatem indiuisibiles, sed diuisibiles, haberent partes priores, & posteriores; sed non possunt duo corpora immediatè se tāgere per partes, quæ habeant partes priores, & posteriores: ergo, &c. Maior est certa: pars enim diuisibilis constat pluribus partibus, quarũ vna est extra aliam quo ad locum, & consequenter si comparentur ad aliud corpus, vna est prior, & propinquior, quā alia: ergo. Minor probatur: vel omnes partes priores, & posteriores sunt immediatè alij corpori, vel non? si primum: ergo partes priores, & posteriores partis, in qua sit contactus, sunt penetratæ inter se; implicat enim omnes esse æquè immediatas respectu eiusdem corporis, & non occupare idem spatium; si enim vna occupat spatium propius, aliud remotius, illa non, hæc erit immediata, vt patet. Si secundum: quæro; de illa, quæ est immediata, sit ne diuisibilis, an indiuisibilis? si secundum habeo intentum: si primum redit argumentum.

Dantur superficies.

7 Respondent aliqui cum Hurtado, contactum inter duo corpora fieri per partes diuisibiles, & indeterminatas: quia videlicet nulla datur pars determinata, quæ sit immediata, & in qua determinatè accepta fiat contactus immediatus: duo igitur corpora se tangunt in partibus diuisibilibus, sed minoribus, & minoribus, quas partes vocant inadæquatas, & dicunt contactum fieri secundum partes inadæquatas indiuisibiliter sumptas: alij verò dicunt fieri contactum in parte diuisibili indiuisibiliter accepta.

Impugnatur pars indeterminata.

8 Contra: pars, quæ tangit, est hæc, & non alia: ergo est determinata: determinatio enim rei non est, nisi vltima differentia, & indiuiduatio, qua constituitur potius hæc, quam alia: antecedens probatur: pars, quæ tangit, est aliquod ens reale existens: sed omne ens reale existens est hoc, & non aliud; quodlibet enim est essentialiter indiuiduum: ergo pars, quæ tangit, est hæc, & non alia.

9 Dices non benè quis argueret: oculus necessarius ad videndum, est ens reale: ergo est hic, & non alius: ergo, neque bene proceditur, dum dicitur, pars tangens est ens reale existens; ergo est hæc, & non alia. Sed contra, quia etiā oculus necessarius ad videndum est vnum, ac

indiuiduum, quod sit hic, & non aliud. Verum tamen est, quod non potius sit hic oculus necessarius ad videndum, quam ille: pars autem tangens non solùm debet esse indiuidua; sed potius hæc, quam alia: ratio disparitatis est, quia oculus necessarius ad videndum est ex vna parte vnus; ex alia verò non est oculus, actu videns; sed potens videre; quæ potentia inuenitur in duplici oculo indiuiduo: ergo non est maior ratio, cur vnus præ alio sit necessarius ad videndum. Contra verò pars tangens aliud corpus, non solum est vna, quia omnia alia est superflua; sed etiam vna actu tangens, quæ vt actu immediatè tangens, excludit omnem aliam immediatè tangentem, ne penetrentur: sicuti in actuali exercitio videndi, aut vterque oculus determinatè videt, aut vnus præ alio: vnde fieri possunt hæ propositiones: ambo oculi vident, aut hic oculus videt, ille non videt. Confirmatur, quia Deus distinguit inter partem immediatam, & tangentem, & non tangentem: pars autem immediate tangens, quid tandem est?

10 Secundo contra est: hæc pars indeterminata, & inadæquata, vt loqueris, in qua fit contactus, est per te semper diuisibilis: ergo habet partes priores, & posteriores, de quibus redit Argumentum. Dices Argumentum esse fallax, dum enim dico: hæc pars habet partes priores, & posteriores; iam sumo partem determinatam. Sed contra: per te pars quamuis indeterminata, est diuisibilis: ergo indeterminatio non pugnat, sed necessario per tè componitur cum partibus prioribus, & posterioribus, de quibus redit Argumentum. Dices iterum de parte indeterminata non potest quæri, vtrum eius partes sint immediatæ, vel non: quia per quæstionem tollitur indeterminatio. Contra indeterminatio non aufert à partibus, quod qualibet habeat plures partes; cur, ergo non potest quæri, verũ hæ omnes partes sit immediatæ? Dices tertio, quæstionem mutare subiectum primi antecedentis; nam cum dicis: pars indeterminata stat cum diuisibilitate: ergo cum prioritate, & posterioritate partium; in consequenti accipis partem determinatam. Sed contra pars indeterminata includit multiplicitatem partium: ergo earumdem prioritatem, & posterioritatem: neque enim multiplicitas est præscindibilis ab hoc ordine prioritatis, & posterioritatis, qui ordo essentialiter dicit immediationem, & mediationẽ contactus: non mutatur igitur in quæstione subiectum antecedentis. Quare non multum iuuant aduersarios partes diuisibiles indiuisibiliter sumptæ, sicuti neque indiuisibilia extrinseca; omnia enim hæc includunt multiplicitatem partium, & illum ordinem.

11 His adde Giattinũ, & Maurum Aristotelicos putare impossibile, continuum esse multitudinem multitudinum: quia, inquit Giattinus, hoc est penitus inexplicabile: semper enim explicas multitudinem per multitudinem, quã tamen debes explicare. Et profectò sicuti omnes effectus resoluntur tandẽ in aliquam primam causam: omnes conclusiones in aliqua prima principia complexa per se nota: & omnia composita essentialia in aliqua prima principia incõplexa; ita omne diuisibile tandem resolui debet in aliqua prima, seu vltima, & indiuisibilia, in quibus tandem pedem figat diuisio, & intellectus.

12 Ex eodem contactu facilè ostẽditur existentia lineæ; sint duo corpora per palmum ex omni parte quadrata, & vnum super ponatur alteri: iam per istum contactum designantur duæ superficies sibi immediatæ, vt supra ostendimus: tum quadratum, quod extabat supra aliud, apponatur illi ad latus: in eo casu habetur duplex superficies, vtraque cœlum respiciens, altera ad latus alterius quadrati: ergo necessario danda est linea, in qua se tangunt: superficies enim per latus se tangentes nõ possunt se tangere immediatè, nisi per lineam. Ex linea autem sic descendo ad punctum: si lineæ ex oriente in occidentem protensæ ex altera fronte apponatur aliquod corpus; immediatè non poterit illud tangere nisi in puncto; neque enim illud tangeret in superficie, quia linea caret superficie; neque in linea, quia non omnes partes lineæ sunt immediatæ corpori; sed tantum alterum eius extremum. His positis.

Datur lineæ, & puncta.

13 Primo aliqui sententiam Aristotelis impugnant; si continuum constaret partibus in infinitum diuisibilibus, hoc lignum palmare esset infinitè extensum, quod repugnat. Sequela probatur: primo, quia actu continet infinitas partes aliquotas adæquatè inter se distinctas, & non penetratas: ergo est infinitè extensum: antecedẽs probatur: partes aliquotæ, quæ sunt in hoc palmo, omnes actu existunt, & non sunt tot, & non plures: ergo sunt actu infinitæ. Antecedens quo ad primam partem patet; sicuti enim totum actu est, ita actu sunt omnes eius partes aliquotæ. Secunda probatur: quia si dicas palmum constare 20. partibus aliquotis; ergo dicam constare 40. reuera enim palmus diuidi potest in 40. partes non communicantes, æquales inter se; eadem est ratio de 80. 100. & 1000 partibus, & sic in infinitum: ergo numerus partium aliquotarum, æqualium videlicet, & non communicantium non est determinatus; ita vt sint tot, & non plures. Vbi aduerte argumentum non comparare partes secundæ diuisionis, cum partibus primæ, sic enim sunt partes proportionales: sed partes eiusdem diuisionis inter se.

Primum argumentũ contra Aristotelẽ

Dices in quacumque diuisione partes aliquotæ sunt finitæ. Distinguo antecedens; ita vt quælibet sit diuisibilis in alias aliquotas omnes inter se æquales, &c. Concedo; ita vt non sit hoc modo diuisibilis, nego: hoc autem sufficit, vt partes aliquotæ non sint determinatæ, & finitæ; sicuti quamuis post quamlibet diuisionem partes proportionales actu diuisæ sint finitæ, tamen quia semper quælibet potest diuidi in alias minores, & minores, ideo partes proportionales continuum componentes nõ sunt finitæ; quare nõ minus est indeterminatus numerus partiũ ali-

aliquotarum, quam proportionalium; eqoe enim non poteris aſſignare numerum determinatum partium aliquotarum, ac proportionalium.

14 Quare ſic vrgeri poteſt Ariſtoteles; ſi continuum contineret infinita puncta actu exiſtentia, vnum poſt aliud, & non penetrata, eſſet infinite extenſum: ergo etiam eſt infinite extenſum continuum continens partes infinitas aliquotas; plus enim ſpatij occupant infinitæ aliquotæ, quam infinita puncta: ſed palmus continet infinitas partes aliquotas, ergo eſt infinitè extenſus.

15 Probatur ſecundo, eadem ſequela: continuum totum actu exiſtens, ex quo poſſunt per totam æternitatem extrahi nouæ, & nouæ partes inter ſe non communicantes, quamuis minores, & minores, eſt actu infinitè extenſum, ſicuti eſt actu infinitus numerus, ex quo ſine fine poſſunt extrahi nouæ, & nouæ collectiones licet minores, & minores: potiori iure quam ſit infinitus numerus, ex quo poſſunt extrahi nouæ, & nouæ ſingulæ vnitates: ſed ex continuo palmari poteſt Deus per totam æternitatem extrahere nouas, & nouas, & nouas partes inter ſe adęquatè diſtinctas, & non communicantes, quamuis minores, & minores; nam incipiendo ab hoc die poteſt hodie deſtruere ſemipalmum, cras quadrantem adæquatè diſtinctum á ſemipalmo hodie deſtructo, poſtridie ſemiquadrantem adæquatè contradiſtinctum a partibus antecèdenter deſtructis: & ſic in infinitum.

19 Hoc argumentum, vim habet non ſolum admiſſa diſtinctione partium, quam defendo: ſed ea negata: continuum enim, ex quo poſſunt extrahi plures, & plures partes modo dicto, eſt vtique infinitum, quamuis partes non diſtinguâtur: ſicuti infinitum eſt, ſi contineat infinitos palmos, vnum extra alium, quamuis non diſtinctos. Hoc argumentum, vrget etiam minimum phyſicum, vt quivis poteſt facilè intelligere.

Examinantur vniones partiũ proportionalium.

17 Secundum argumentum contra Ariſtotelem, deſumitur ex vnione partium, hoc modo: ſi partes quantitatis eſſent in infinitum diuiſibiles, vel vnirentur vnione diuiſibili, vel indiuiſibili? certè cum poſſint exiſtere ſeparatæ debēt vnione diſtincta vniri, & cum inter diuiſibile, & indiuiſibile non detur medium, hæc vnio neceſſario, vel eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis. Sit igitur diuiſibilis: ergo conſtabit pluribus partibus, quæ vel vniuntur vnione diuiſibili, vel indiuiſibili: non primum aliter redit argumentum, & proceſſus in infinitum: ergo deueniendum tandē eſt ad aliquam vnionem indiuiſibilem, de qua infra dicam. Confirmatur partes vnionis extenſæ, quæ immediatè vniuntur, non poſſunt vniri, niſi in aliquo indiuiſibili: vna enim pars continui non poteſt eſſe immediata alteri niſi in indiuiſibili, vt ſupra probaui in ſecunda ſuppoſitione; ad vniendas autem indiuiſibilis ſufficit vnio indiuiſibilis. Eodem argumento inpugnaris, ſi dicas, partes vnionis vniri ſeipſis immediatè, non vnione diſtincta. Et ne neges partes determinatas continui immediatè vniri, ſumo virgā, cuius medietas ſit viridis, medietas arida, certè pars viridis eſt hęc, & non alia, & pars ſicca, eſt hæc, & non alia; ergo ſunt determinatæ, & immediatè vniuntur: de qua vnione redit argumentum ſupra factum.

18 Si verò dicas, vniones eſſe indiuiſibiles? iſtæ vniones vel vniunt tantum partes indiuiſibiles, vel etiam diuiſibiles? Si indiuiſibiles? iterum peto, vel vniunt partem indiuiſibilem cum alia indiuiſibili, vel cum diuiſibili: ſi ſecūdum? contra eſt: non poſſunt partes partis diuiſibilis omnes immediatè vniri indiuiſibili, niſi penetrentur: ſi enim vna eſt extra aliam; ergo non omnes immediatè vniuntur: quare, vel deueniendum eſt ad indiuiſibile, quod immediatè vnitur indiuiſibili, vel fatendum eſt partes partis diuiſibilis penetrari: vel ſaltem debes concedere punctum adæquari parti diuiſibili, & eſſe in loco maiori ſe: quæ omnia ſunt abſurda. Quod ſi recurras ad partem diuiſibilem, indeterminatam, indiuiſibiliter, & inadæquatè acceptam; iam ſupra reiectus es.

19 Quod ſi dicas vniones haſce vnire tantum inter ſe partes indiuiſibiles: ergo iam datur vnum indiuiſibile immediatè poſt aliud; hæc enim indiuiſibilia immediatè vniuntur, & vnū eſt extra aliud.

Tertium contra Ariſtotelē argumentum

20 Hinc elicitur tertium contra Ariſtotelem argumentum: ſupra probauimus, dari ſuperficies, lineas, & puncta: iam verò, vel ſuperficiei immediatè vnitur alia ſuperficies integra, vel pars diuiſibilis? non ſecundum, quia pars diuiſibilis non poteſt eſſe immediata alteri ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquod indiuiſibile, vt probauimus: ergo ſuperficiei indiuiſibili vnitur immediatè altera ſuperficies item indiuiſibilis: ergo totum corpus conſtat ex ſuperficiebus indiuiſibilibus: idem argumentum fit de lineis, & punctis.

Argumentum Requeſenij contra Ariſtotelem.

21 Omiſſis alijs argumentis, quæ contra continuum permanens Ariſtotelicum fiunt; proponam argumentum Requeſenij mei doctiſſimi præceptoris, à quo quidquid ſcio, me didiciſſe fateor. Sit columna longa palmum, lata ſemipalmum, poſtea diuide eius latitudinem à ſummo ad imum in partes minores, & minores: tum ſic: ex hac columna ſunt extrahibiles ſucceſſiuè infiniti palmi in longitudine, quorum vnus adæquatè ab alio diſtinguitur: ergo dicta colūna habet in palmum sed actam longitudinem ſimpliciter infinitam: conſequentia probatur: quia illi palmi infiniti inter ſe adæquatè diſtincti omnes actu continentur in illa columna.

22 Reſpondent, argumentum non concludere: quia, inquiunt, ad infinitum requiruntur partes ęquales ſecundum illam dimenſionem, ſecundum quam fit diuiſio: argumentum autem diuerſo modo procedit; nam diuidit latitudinē, & numerat partes æquales ſecundum longitudinem. Sed contra: ſtatim, vt habeo infinitos palmos æquales vnum extra alium, debent occupare ſpatium infinitum: ergo faciunt infinitam extenſionem, & materialiter ſe habet, quod diui-

sa sit latitudo, & numerentur longitudines; dummodo verificetur, palmos, qui longitudinem explent, esse infinitos, æquales, & contradistinctos; neque enim hæc conditio requiritur ex ratione infiniti, ad quam sufficiunt conditiones prædictæ, per quas sufficienter infinitum distinguitur á finito.

23 Respondebis secundo, non esse extrahibiles infinitos palmos, sed plures, & plures sine fine, semper tamen finitos. Sed contra quantitas, ex qua extrahibiles sunt plures, & plures palmi sine fine, continet infinitos palmos actu: aliter si essent finiti actu tot, & non plures, post extractionem illorum finitorum, non possent alij denouo extrahi.

Continuũ successiuũ constat ex puris punctis.

24 Demum contra continuum successiuum, constans partibus in infinitum diuisibilibus multa passim congeruntur, & quidem: quod dentur in tempore indiuisibilia clarè demonstrant productiones Angelorum, & animæ rationalis; qui cum indiuisibiles sint, non possunt produci nisi in instanti: si enim in tempore producuntur, cum tempus habeat partes priores, & posteriores, iam in priori parte producta est tota res: quæ pars prior, si diuisibilis est, redit de ea argumentum suprafactum. Præterea potest Deus centum Angelos vnum immediatè post aliud producere, in quo casu iam dantur centum puncta vnũ post aliud. Sed vniuersaliter probatur tempus, & quodlibet ens successiuum constare partibus purè indiuisibilibus: existente vna parte, nulla alia existit: ergo qualibet est indiuisibilis: antecedens probatur: existente vna parte, aliæ sunt futuræ, vel præteritæ; aliter non essent partes essentialiter successiuæ: ergo existente vna parte nulla alia existit; aliter coexistunt: prima consequentia probatur: quia si est diuisibilis, non sumis partem, quæ est, sed eas etiam, quæ fuerunt, & quæ erunt; quodlibet enim diuisibile in continuo successiuo constat ex esse futuro, & præterito: ergo præsens, vt contradistinctum à præterito, & futuro, non est nisi indiuisibile: vndé sic arguo: pars, quæ existit, nulla alia coexistente, est indiuisibilis: sed qualibet pars continui successiui existit nulla alia illi coexistente; aliter partes continui successiui coexisterent: ergo qualibet pars continui successiui est indiuisibilis.

25 Vrgeo rursus: qualibet pars continui successiui aliquando est præsens: ergo qualibet pars continui successiui est indiuisibilis; hoc est non dicens plures partes priores, & posteriores consequentia probatur: pars, quæ aliquando est præsens, est indiuisibilis; quia contradistinguitur à futuro, & præterito, ac proindè non dicit plures partes priores, præteritas, & posteriores futuras; quod autem in continuo successiuo non dicit partes priores, & posteriores est indiuisibile; aliter constaret partibus coexistentibus; quod est contra rationem entis successiui. Hoc argumentum acutissimè proponit, & mira eloquentia ac profunditate promouet S. Augustinus *l*. 11. confessionum a c. 11. ad finem vsque libri; vt patet legenti.

26 Dices partes existere ratione instantium; sed contra: vel partes existunt ratione instantiũ, quia tantum existunt instantia; quod ego intendo; vel quia existunt partes existentia instantium: quod est falsum, nam essentia non distinguitur ab existentia: ergo sicuti partes habent essentiam ab essentia instantium distinctam: ita, & existentiam: deinde existentia instantis est indiuisibilis: ergo formaliter nõ potest reddere existentem, rem diuisibilem essentialiter successiuã: nam in prima parte illius partis diuisibilis minore, & minore iam absorta est existentia instantis; reliquæ partes, qua existentia instantis existunt? Legatur Quiedus *p*. 6. *à n*. 3.

Examinantur minima physica.

Impugnantur minima physica

28 Supponendum est authores minimorum diuisos esse in duas classes; aliqui enim cum Giattino docent, minima constitui per vnionem indiuisibilem constituentem ex partibus indeterminatis incompletis, & confusis partem determinatam, & simul vnientem hanc partem cum alia determinata. Alij cum summa Philosophiæ triumphantis *dist*. 3. *sec*. 5. possunt docere partes continui continuari, & vniri vnione quadam diuisibili, indiuisibiliter tamen afficiente omnes partes; ita vt vna pars illius non possit affici vnione hac quin eadem afficiatur alia: ne autem concedant ablata vna parte Oceani debere amitti totam vnionem, qua omnes illius partes constituuntur: putant in vnico continuo non vnicam esse, huiusmodi vnionem diuisibilem indiuisibiliter afficientem omnes illius partes: erunt igitur tot vniones, quot sunt partes adeò minimæ continui, vt non possint vlterius diuidi; quarè illa extensio erit minima illarum, quæ possunt ab alijs diuidi, & maxima illarum; quæ non possunt naturaliter à se mutuò diuidi: & sanè cum vires agentium naturalium sint limitatæ, deuenire tandem debemus ad aliquam partẽ adeo paruam, vt non possit vlterius diuidi virtute agentis naturalis.

29 Vt autem vnum minimum, cum alio continuetur requirirunt aliam vnionem; item diuisibilem, quæ vtriusque minimi partes indiuisibiliter afficiat; verum, vt ex his duobus minimis, fiat extensio, cum alio tertio minimo, nõ requiritur noua vnio afficiens indiuisibiliter omnia tria minima, sed sufficit alia, quæ afficiat nouum hoc 3. minimum, & alterum ex primis duobus: illud videlicet, cum quo hoc. 3. debet immediatè vniri; & ratio est: quia hoc tertium non debet immediatè vniri; nisi cum altero ex primis: ergo non requiritur nisi vnio afficiens illa duo: quarè per separationem vnius minimi non debet destrui nisi vnica vnio spectans ad constitutionem illius continui, & vniens tantum duo minima.

30 Ex quibus inferre quis posset tantum actu distingui ex partibus continui, quę constituunt diuersa minima: non quæ spectant ad idẽ minimum: quia tantum primæ comparantur vt

hac,

hæc, & hæc res: secundæ autem, cum participēt prorsus eadem prædicata, non actu distinguuntur, sed tantum potentia, quia possunt spectare ad diuersa minima, & participare diuersa prædicata. Verum omissis ijs, quæ spectant ad distinctionem, de qua satis supra diximus;

31 Primo, contra huiusmodi minima redeunt integra argumenta de contactu: vnum enim minimum per quid est immediatum alteri? Secundum se totum? an secundū aliquid sui? Rursus partes minimi in ente successiuo sunt simul, vel successiuè? quidquid dixerant, redeunt argumenta supra facta. Tertio Angelus indiuisibilis, creatus actione indiuisibili, non potest creari in toto minimo, quia in priori parte, iam absoluta est creatio; quare vel recurrendum est ad partes indeterminatas minores, & minores sine fine, vel ueniendum tandem est, ad aliquod indiuisibile. Hęc circa sententiam Aristotelis indicasse sit satis.

SECTIO V.

Examinatur sententia Zenonis.

1 PRimo loco reijciendi sunt: qui continuum ex infinitis punctis componunt: nam vel punctum additum puncto facit extensionem, vel non? Si primum: ergo infinita puncta, ex quibus constat continuum per hos authores, actu facient infinitam extensionem: si secundum: ergo neque infinita puncta facient extensionem.

2 Vniuersaliter primo impugnatur opinio Zenonis ab Aristotelicis: si continuum constat punctis indiuisibilibus, non est extensum: hoc est absurdum: ergo. Maior probatur: indiuisibile additum indiuisibili non facit extensionem: ergo continuum constans puris indiuisibilibus non est extensum: antecedens probatur: punctū indiuisibile, additum puncto indiuisibili penetratur cum illo: ergo non facit extensionem: antecedens probatur: punctum indiuisibile additum puncto tangit illud secundum se totum: puncti enim nulla datur pars: ergo penetratur cum illo: consequentia probatur: contactus adęquatus duorum corporum est eorum penetratio: sed vnum punctum adæquatè tangit aliud: ergo penetratur cum illo. Confirmatur: non possunt omnes partes quantitatis palmaris tangere immediatè omnes partes alterius quantitatis palmaris, sine penetratione: ergo neque punctum tangere adæquatè punctum sine penetratione.

Quomodo cum compositione ex puris punctis cohæreat extensio continui.

3 Respondebit quis, negando sequelam: ad probationem dicet punctum additum puncto facere extensionem, licet illud secundum se totū tangat; sicut vnitas indiuisibilis addita vnitati facit numerum, quamuis secundum se totam illi addatur: aliud enim est totam hanc rem esse immediatam alteri secundum se totam, aliud esse in eodem loco cum illa: penetratio est correspondentia duorum ad idem spatium loci, ratione cuius fundent eamdem relationem distantiæ, & propinquitatis respectu omnium aliorū: puncta igitur erunt sibi inuicem adæquatè immediata, sed vnum adæquatè extra aliud: neque verum vniuersaliter est adæquatum contactum duorum esse illorum penetrationem. Corpus enim Christi Domini existens sub speciebus consecratis est secundum se totum immediatū manui Sacerdotis: nec tamen cum illa penetratur. Pręterea si detur aliud corpus existens modo indiuisibili, sicuti Corpus Christi in Eucharistia, & postea fiat immediatum hostiæ consecratæ; certè illa duo corpora essent sibi adæquatè immediata, non tamen penetrata.

4 Ad confirmationem, nego consequentiā; ratio disparitatis est: quia quantitas palmaris habet partes extra partes: ergo non potest vltimum punctum vnius quantitatis palmaris esse immediatum vltimo puncto alterius quantitatis palmaris; quin sit in eodem loco cum penultimo eiusdem: eadem autem est ratio de reliquis punctis sequentibus: quarè, vel vtriusque palmi puncta sunt omnia dissoluenda, & intermiscenda: vel sequitur est penetratio.

5 Instabis, vel punctum tangitur ab alio sibi immediato versus omnem partem, tum orientalem, tum occidentalem, &c. vel versus vnam orientalem videlicet, & non occidentalem? Si primum: ergo punctum tangens punctum, illud ambit in sphęram: si secundum, ergo in puncto tacto dantur partes occidentalis, orientalis, &c. quarum vna tangitur, alia minime. Respōdebit quia punctum, vtpotè indiuisibile tangi secundum se totum; habere tamen diuersas correspondentias extrinsecas, ratione quarum dicitur tangi versus orientem, & non versus oc tem; quia videlicet illi apponitur aliud corpus versus orientem, & non versus occidentem: vnde benè dici potest, punctum habere diuersa latera extrinseca; quod Arriaga putat naturę lumini euidens: sicuti igitur diuersitas operationū nō facit animal intrinsecè in homine realiter diuersum ab rationali, neque multiplicitas operationum Angelorum officit eorum simplicitati; ita posse puncto eidem plura correspondere, non officit eiusdem indiuisibilitati.

6 Secundo eamdem sententiam, impugnabis cum Giattino: si continuum constaret puris punctis, non posset explicari figurarum diuersitas; nam duo puncta vnum immediatè post aliud, vel faciunt lineam rectam; & sic nulla datur linea perfectè curua, habens partes omnes inæqualiter prominentes. Rursus tertium, punctum additum duobus antecedentibus, vel est immediatum tantum vni, vel ambobus? Si primum: ergo necessario facit cum illis lineam rectam. Secundum dici nequit: quia faceret cum illis non lineam, sed potius quamdam superficiem veluti triangularem. Vel illa duo puncta faciunt lineam curuam, & sic nulla erit possibilis linea perfectè recta: sed in qualibet linea, tot erunt lineolę curuę quot binaria punctorum. Secundo non posset fieri angulus, quia duo puncta non faciunt angulum, tertium superadditum, vel est immediatum tantum vni puncto,

Quomodo compositio ex puris punctis cohæreat, cū varietate figurarū.

cto, & sic facit lineam rectam; vel vtrique; & sic facit superficiem.

7 Huic difficillimo argumento, vix apparet quid probabiliter responderi possit. Diceret tamen quis, duo puncta inter se immediatè vnita conflare quidem lineam, non tamen curuam, vel rectam: nam linea curua, & recta in eo mihi differre videntur, quod extrema lineæ curuæ ita distant inter se, vt inter illa possit duci linea minor, quam ipsa sit: at extrema lineæ rectæ ita distant, vt stante ipsa linea recta, non possit inter illius extrema duci linea minor: vnde extrema lineæ rectæ non possunt magis distare, sine additione nouarum partium mediarum, extrema autem lineæ curuæ, possunt magis distare, si linea ex curua fiat recta: duo igitur puncta, non constituunt lineam curuam: quia nulla facta additione partes non possunt magis distare, nec stante priori situ potest inter illa duci linea minor; rursus non constituunt lineam rectã; quia sunt indifferentia stante sua positione, vt sint partes lineæ curuæ, vel rectę: quare duo puncta immediata sunt principium omnis figuræ, & possunt per additionem aliorum, constituere modo lineam rectam, modo curuam, modo angulum, & sic de reliquis.

8 Cuius rei ratio est: quia idem punctum quamuis formaliter, & intrinsecè indiuisibile, & correspondens spatio item indiuisibili, habet tamen diuersas correspondentias extrinsecas, ratione quarum potest correspondere, & veluti circumuallari diuersis punctis sicuti enim ab eodem puncto possunt incipere diuersæ lineæ ad diuersas, & oppositas partes, ita potest immediatè circumuallari pluribus punctis: quod concedere debent Aristotelici: sumamus enim partem quantitatis minimam figuræ veluti orbicularis: certè ab hac parte possunt incipere plures lineæ, ita vt quælibet pars cuiuslibet lineæ immediatè sequens post illam partem sit illi æqualis: illa igitur pars in hoc casu circumuallaretur pluribus partibus sibi æqualibus: quia licet sit vna pars; habet tamen plures partes, & facies exteriores, ratione quarum potest terminare plures lineas inter se oppositas: & tale debet ab omnibus concedi centrum circuli.

9 Confirmatur præterea: quia licet Deus, eiusque æternitas, & immensitas sit indiuisibilis: & tum ego, tum Petrus existentes correspondeamus eidem toti æternitati, & immensitati Dei; non tamen est necesse, vt simul simus in eodem loco, & tempore: quia non adæquatè & totaliter correspondemus æternitati: eodem modo licet punctum sit indiuisibile, non est necesse, vt quodlibet illi immediatum, illud vndique ambiat: quarè quodlibet punctum potest à pluribus alijs ambiri. His positis.

10 Dico duo puncta, iam vnita, posse per additionẽ tertij facere lineã, vel rectam, si tertiũ additur secundo, ita vt perpendiculariter respiciat primum; vel curuam, si tantisper declinet, vel etiam angulum, si paulo plus declinet: hos autem varios modos declinationis, quamuis appareant in re indiuisibili impossibiles; tamen non esse absolutè improbabiles colligi potest ex dictis; sicuti duæ lineæ in sententia Aristotelis, quamuis semper se tangant in eadem parte proportionali minori, & minori, quæ est omnium prima; tamen per diuersam declinationem possunt modo constituere angulum obtusum, modo acutum, modo rectum.

11 Illud autem aduerto, tria puncta collocata, cum aliqua declinatione; ita constituere lineam curuam, vt sint indifferentia ad constituẽdum hunc circulum, maiorem, vel minorem, & per additionem quarti puncti determinari magis ad circulum maiorem, vel minorem, pro varia declinatione, qua potest quartum punctum superaddi tertio, & sic de reliquis: negari tamen non potest deueniendum tandem esse ad aliquã punctorum multitudinem ita dispositam, vt determinet magnitudinem determinatam perfecti circuli: quod etiam fateri debẽt aduersarij. Ex quibus patet male hinc inferri aream clausã illis punctis ita declinatis futuram infinitam. Rursus, quia per additionem punctorum sequẽtium reliqua omnia antecedentia determinari possunt ad maiorem, vel minorem distantiam à centro, sed æqualem; ideo adhuc circulus cõpactus esset perfectè sphæricus.

12 Ad illud, quod molestissimè vrgetur; videlicet tertium punctum additum secundo distare à primo per punctum; concedo antecedẽs: nego tamen inde sequi, quod tantisper declinatum debeat fieri immediatũ primo puncto: quia potest ita declinari, vt solum mutet vnam faciẽ, & non rotetur circa secundum punctum. Nego ergo, quod minus distat absolutè à primo puncto; semper enim distat per punctum, quamuis non eodem modo, neque ex eadem parte, ac prius.

13 Instabis inter primum, & tertium punctum: iam declinatum non potest duci linea breuior, quam ante declinationem. Respondeo id ita esse: quia inter duo illa puncta absolutè non potest duci linea: cum distent per punctum; quarè, quod supra diximus de linea breuiori, quæ duci possit inter extrema lineæ curuæ, intelligendum est de linea curua constante aliqua magna quantitate punctorum, & quę absolutè sit curua: at lineæ illę breuissimę vix participãt rationem rectæ, vel curuæ absolutè dictæ, sed potius sunt quędam linearum illarum initia adhuc indifferentia ad rectitudinem, vel curuitatẽ, vel ad fundandam tantam, vel tantam curuitatẽ: non debent igitur in his casibus comparari singula singulis punctis, sed collectiones alicuius considerationis cum similibus collectionibus.

14 Hinc patet non illico tertium punctum, constituere cum duobus antecedentibus angulũ, si tantisper declinet: neque enim omnis declinatio punctorum est sufficiens ad constituendum angulum. Sed præterea requiritur, vt supponãtur antecedenter duæ lineæ, vel ambę rectę, vel altera recta, altera curua; hac autem suppositione facta quęcumque inclinatio linearum constituit angulum.

15 Ter-

Quomodo cum sententia Zenonis cohæreat velocitas, & tarditas motus.

15 Tertio, sic vrgent Aristotelici: si quantitas componitur ex indiuisibilibus Aquila non monetur velocius testudine: quod est falsum sequela probatur: in singulis instantibus, tum punctum aquilæ, tum punctum testitudinis conficiunt vnicum punctum spatij: ergo si per horam amba moueantur, & hora constet 1000. punctis, æque conficiet mille puncta spatij aquila, ac testudo. Antecedens probatur: aliter si aquilę punctum conficit in instanti temporis duo puncta spatij; ergo punctum aquilæ est simul in duplici loco, seu in loco maiori se: si vero punctū testitudinis in duplici instanti tantum est in vnico puncto; vel quiescit: vel alterum punctum motus non est acquisitiuum noui loci.

16 Hoc argumentum sic contra Aristotelicos vrget, & retorquet Ouiedus: quia eadē tēporis mora dū aquila, & testudo æque continue, & sine interruptione mouentur æquale loci spatiū conficient.

Recursus ad morulas

17 Ouiedus idē p. 7. §. 2. n. 22. Arriaga *sect. 9. disp. 16. n. 223.* secuti Galenum, *l.* 1. de cognoscendis pulsibus, & Valesium *l.* 3. *c.* 8. docent vnum corpus velocius alio moueri: quia motus vnius paucioribus morulis interrumpitur, quam motus alterius: quare motus summe velox erit oū mobile ita per 10. instantia moueatur, vt in nullo quiescat: & in singulis instantibus per singula motus indiuisibilia acquirat singula spatij puncta. Supponit Ouiedus ad defensionem huius responsionis, motum non percipi sensu, sed colligi per discursum comparando præsentem sensationem de distantia mobilis cū præterita. A fortiori docet sensu non percipi carentias, & quietem.

18 Contra hanc responsionem, vrgent Aristotelici: sit rota christallina radiata: quodlibet punctum vltimæ superficiei rotæ velocius mouetur, quam punctum interius respondens eidē puncto superiori: nam eodem temporis spatio, quo punctum interius conficit circulum interiorem minorem, & redit ad idem indiuisibile loci, punctum exterius conficit circulum exteriorem maiorem, ac proinde plus spatij transit: cum sic: si hæc velocitas maior oritur ex paucioribus morulis, dum mouetur punctum exterius, quiesceret interius: ergo radius ille rotæ frangi, & ad minus inflecti deberet: & puncta inferiora non correspondèrent amplius eisdem punctis superioribus, sed ab illis discontinuarentur, quod est contra experientiam.

Quomodo puncta circuli interioris comparantur cū punctis superioris.

19 Pro responsione notabit quis, in circulo punctum inferius debere poni directe, non tantum sub vno puncto circuli superioris, sed sub pluribus; aliter tot deberent esse puncta circuli inferioris, quot sunt puncta circuli superioris. Hoc concedere etiam debent Aristotelici: nam pars aliquota huius determinatæ magnitudinis circuli inferioris, non correspondet directè vni tantum parti aliquotæ eiusdem determinatæ magnitudinis circuli superioris; aliter tot essent partes aliquotę huius determinatæ magnitudinis in circulo inferiori, quot in circulo superiori. Profecto centrum correspondet omnibus punctis circumferentiæ: ergo quo magis aliquod punctum distat à circumferentia, eo pluribus illius punctis correspondet; ita vt illa plura puncta, circa hoc veluti circa centrum aliquo modo moueri possint: ex quo docēt nonnulli, quodlibet punctum inferius esse suo modo centrum saltem inadæquatè respectu aliquorum punctorum circuli superioris.

20 Ex hoc infero, quod sicuti quamuis singulæ partes rotæ, dum circulariter mouetur, mutent locum, non tamen mutat locum centrū, nisi cum totus globus alio per motum rectum transfertur; quidquid sit verum sine mutatione loci in eo motu circulari centrum in se ipso, quadam veluti vertigine circumagatur: ita non est necesse, vt punctum inferius mutet locum, dum mouentur singula puncta exteriora, quibus correspondet; nisi postquam tota illa pars superficiei, cui correspondet, relinquat totum prius spatium, & acquirat aliud omninò contradistinctum: & tunc punctū inferius transit ad secundum punctum loci.

21 Hinc duo saluantur primum, quod eo temporis spatio, quo pars illa periferiæ, quæ correspondet puncto inferiori, conficit suum circulum maiorem, punctum conficit circulum minorem. Secundum, quod nulla sequitur discontinuatio; sicut enim centrum non discontinuatur, neque inflectitur quamuis ipsum non mutet locum; mutent tamen locum singulæ partes circumferentiæ: ita punctum circuli medij non discontinuatur, neque sequitur inflexio; si dum ipsum non mouetur, mouentur tamen puncta circuli maioris ipsi directè correspondentia.

22 Hic totus discursus confirmari potest; nam in omnium sententia: si partes eiusdem virgæ moueantur motu recto vna velocius alia, certè necessario sequetur discontinuatio: at si motu circulari tota virga moueatur, non sequitur vlla discontinuatio, quamuis partes aliquæ velocius rotentur, quam aliæ: ergo in ordine ad discontinuationem partium mobilis, non eodem modo discurrendum est de motu recto, ac de motu circulari: ergo licet si motu recto vna pars mutet locum, alia verò minimè, sequatur discontinuatio: poterit in circulari vna pars mutare locum; licet alia non mutet locum; idque sine vlla discontinuatione. Hæc omnia, quamuis fatear intellectu difficilia, & à vulgari sensu abhorrentia, satis probabiliter ostenduntur ex dictis. Ex quibus facile est respondere in forma ad argumentum ex motu rotæ.

Quomodo Zenonis sententia cohæreat principijs mathematicis.

23 Quarto loco vrgent Zenonem Peripathetici multis demonstrationibus mathematicis: verum vt se quis ab his tricis expediat, dicet in aliqua sphæra solida actu non dari lineas puras, & puras superficies, aut pura puncta, quia pura puncta sunt puncta separata ab alijs, nec componentia lineam, puræ lineæ sunt lineæ separatæ ab alijs, nec componentes superficies, & puræ superficies sūt superficies actu separatæ ab alijs, nec

nec componentes corpus. In ea igitur sphæra solida datur vnum tantum corpus solidum compactum ex pluribus superficiebus, lineis, & púctis inter se vnitis; ergo non est necesse, vt actu dentur in illa sphæra tot lineæ rectè ductæ ad centrum à peripheria, quot sunt puncta peripheriæ; sed Deus videt totum illud corpus cōpactum ex innumeris pene punctis conficientibus plures superficies, & lineas breuiores, & grandiores, quæ lineæ inter se coeuntes constituunt plures angulos, qui anguli explentur alijs lineolis, & punctis: solum igitur verum est à quolibet puncto peripheriæ seorsim sumpto duci posse lineam rectam ad centrum, quæ si per centrū transeat ad punctū oppositum, & distantissimū eiusdem peripheriæ designabit lineam diametralem secantem per medium totum circulum; neque aliud possunt ostendere demostrationes, & principia mathematica: mathematici enim solum volunt à quolibet puncto exteriori posse duci lineam rectam ad centrum: & has lineas distributiuè ducibiles designat linea; dum in girum circumuoluitur: si autem simul ducantur omnes lineę, sicuti ex necessitate coincidūt plures lineæ in partibus antecedentibus centrum; ita inflectunt viā, & constituunt plures angulos.

24 Eodem modo, non potest fieri comparatio: inter singula puncta, vel binaria vnius circuli cum singulis punctis, & binarijs alterius; sicuti per Aristotelicos non possunt comparari partes aliquotæ circuli superioris cum aliquotis inferioris, & videri, quæ, & quot inferiores superioribus correspondeant, sed comparandus totus circulus, cum toto: Deus autem videt, in circulo maiori 20. puncta, quę non videt in minori, & aliquam determinatam multitudinem punctorum circuli inferioris excedi vno, vel duobus punctis à determinata multitudine punctorum circuli superioris, illi correspondente. Profecto sicuti idem punctū potest abiri à pluribus ex diuersis lateribus; ita determinata multitudo inferioris circuli suo modo ambitur, licet inadæquatè, à maiori multitudine punctorum circuli superioris: quia videlicet veluti ex diuersis lateribus illi correspondet: quare pro qualibet tali determinata multitudine concipi debet aliquod punctum, quod ex diuersis lateribus correspondeat duplici puncto circuli superioris; neque hoc est absurdum cum necessarium omnino sit ad explicationem figuræ circularis etiam iuxta sententiam Aristotelis in partibus aliquotis.

25 Hinc in quadrangulo qualibet duæ lineę ex vno ad alterum latus cadentes designant in diametro tria puncta: quia cum nō recta, & perpendiculariter transeant per diametrum, sed obliquè, non solum designant vnum punctum per, quod transeunt; sed etiam ex diuersa facie seu latere attingūt aliud. Cæterū idem debet dicere aduersarij, si diameter contineat triginta partes aliquotas, & costa 20. eiusdem magnitudinis.

26 Ex quo in casu de circulis sphæræ non debet de facto supponi aliquod punctum inferius cui directè correspondeant duo superiora puncta enim non ponuntur perpendiculariter vnum post aliud; sic enim facerent lineas rectas non curuas: ergo non possunt puncta punctis cōparari; inter multitudines autem, quamuis non seruetur æqualitas, seruatur tamen proportio, ad constituendas duas lineas curuas circa idem centrum. Excessus igitur ille puncti insumitur indiuisibiliter in inflexione lineæ superioris. Quamuis autem hæc difficile intelligantur: negari tamen nequit, quin vera sint. Cæterum fateri etiam debemus deueniendum tandem esse ad aliquod punctum, vel plura puncta circuli inferioris, quæ ex diuersis lateribus vniantur pluribus punctis circuli superioris.

27 Attamen non leuiter perstringunt Zenonem, quæ docent mathematici de Pyramide, & Triangulo Isoscele, Ouiedus, negat possibiles huiusmodi perfectos triangulos, & pyramides: & se ab his tricis facilè expedit, asserens numquam mathematicos ostendisse illarum possibilitatem, aut necessitatem.

28 Alia multa ex authoritate præsertim sacra contra Zenonem obijciunt Aristotelici: præsertim Cōcilium Constantiense *tom. 3 conc. sess.* 15. & Augustinum. Sed Concilium, quoad hoc punctum non fuit approbatum à Martino 5. Augustinus, non asserit opinionem Aristotelis: sed ea supposita tamquam vulgari multa iuxta illā dixit. Et profecto si Augustinus contradicit Zenoni, non est cur Zenonem sequamur.

SECTIO SEXTA.

Examinantur puncta virtualiter extensa.

Puncta virtualiter extēsa correspondent spatio reali.

1 Contra hæc pucta virtualiter extensa argumentatur primo Arriaga *sect. 9. sub. 1. n.* 137. spatium diuisibile occupatum à puncto vel est spatium reale, vel imaginarium?

2 Respondere fortasse quis posset à puncto virtualiter extensó occupari spatium diuisibile reale, & asserere, quodlibet ex punctis virtualiter extensis habere determinatam extensionē, qua adæquatur tot punctis Zenonicis pluribus, vel paucioribus sine vlla extensione vnitis. Aliquod igitur punctum extendet se per decem puncta Zenonica, aliud per tria. Locus igitur realis, idest superficies corporis continentis circumdans punctum potest esse diuisibilis in plura puncta virtualiter extensa: & continere octo puncta, quorum quodlibet extendatur per duo puncta Zenonica, & potest esse indiuisibilis, sed virtualiter extensa æque ac punctum in illa contentum. Punctum igitur plus minusque extenditur virtualiter, si habeat vbicationem indiuisibilem æquiualentem vbicationi plurium, vel pauciorum ex punctis Zenonicis, quid autem sit æquiualere vbicationi plurium, vel pauciorum punctorum Zenonis est res aliunde nota: & clarius intelligi potest ex ijs, quæ diximus de loco.

3 In-

Puncta virtualiter extensa fariunt diuersas figuras.

3 Instabis secundo: hæc puncta non possunt facere diuersas figuras. Nego assumptum: nam etiam puncta omnino indiuisibilia, vt supra vidimus, possunt constituere diuersas figuras; ergo à fortiori puncta virtualiter extensa.

Tempus non constat punctis virtualiter extensis.

4 Argumentatur secundo, *sub.* 3. à n. 156. idem Arriaga: tempus, & continuum successiuū non potest constare punctis virtualiter extensis: ergo neque continuum permanens, vel præsentia localis poterit esse virtualiter diuisibilis, & extensa. Nego consequentiam: quia durationē permanentem indiuisibilem, & virtualiter extensam supra *f.* 4. repugnare probauimus; vbi etiam ostendimus non repugnare vbicationes indiuisibiles virtualiter extensas.

Puncta rarefiunt, & condensantur.

5 Argumentatur præterea Arriaga: ergo puncta rarefiunt: ergo fiunt maiora seipsis: quod est absurdum. Distinguo secundum consequens: fiunt maiora seipsis per nouam vbicationem, concedo; alio modo, & entitatiue, nego; sicuti nullum est absurdum, vt docent nonnulli, Angelum secundum suam substantiam inuariatum, modo occupare totam aulam, modo illius partem.

6 Illud hic aduerto: ita puncta virtualiter extensa correspondere spatio diuisibili; vt vnū nullo modo actu communicet in loco cum alio; nulla enim est necessitas penetrationis horum punctorum inter se. Secundo virtualem extensionem esse in se formaliter indiuisibilem; sed æquiualere extensioni diuisibili: cum enim corpus virtualiter extensum sit in se formaliter indiuisibile, videtur illi conformior extensio indiuisibilis, quam diuisibilis. Tertio hanc virtualē extensionem nō esse ita propriam spiritus, vt apud omnes certum sit, illam nullo modo conuenire rei corporeæ: doctissima enim Thomistarum schola; dum admittit animas brutorum perfectorum indiuisibiles; docet, eas esse virtualiter extensas, quas tamen omnes fatentur esse materiales.

Quomodo cum punctis virtualiter extēsis saluetur velocitas, & tarditas motus.

7 Iam vero argumenta de velocitate, & tarditate motus, quæ fiunt contra Zenonem, & nos supra tenebamus soluere, facilius diluuntur, si continuum permanens componatur partibus indiuisibilibus virtualiter extensis modo supra explicato: nam supponamus puncta aquilæ esse æque virtualiter extensa, ac puncta testudinis: certè eodem tempore, quo mouetur aquila, mouetur testudo; sed ita vt quodlibet punctum aquilæ acquirat in quolibet momento vbicationem nouam omnino extra primam vbicationē, vel communicantem cum illa in minima parte virtuali: testudinis autem punctum acquirat nouam vbicationem omnino diuersam à prima, vetuti indiuisibilem, sed communicantem secundum plures partes virtuales cum priori vbicatione, quam communicet vbicatio aquilæ de nouo acquisita. Vbicationē autem nouam nō communicare cum prima, est existentia huius vbicationis nouæ omnino à prima distincta, sed talis conditionis vt si coexisterent, vna omnino esset extra aliam: communicare dicit, quod si ambæ existerent, vna non esset extra aliam, sed plus minusue intra illam.

8 Aquila igitur velocius mouetur, quam testudo: quia aquilæ punctum pro singulis instantibus acquirit nouam vbicationem, vel omnino extra primam, vel minima in parte communicantem cum priori; at punctum testudinis vel non mouetur pro singulis instantibus (morulas enim in motu locali vix negari posse puto) vel acquirit nouas vbicationes multis partibus cōmunicantes cum prioribus.

9 Eadem puncta virtualiter extensa saluant faciliori modo motum circularem rotæ; dici enim potest, in quolibet instanti moueri, mutando locum, non solum punctum circuli exterioris, sed etiam interioris: sed ita vt punctum exterius quolibet instanti acquirat nouam vbicationem, vel omnino extra priorem, vel non ita communicantem cum illa; sicuti communicat vbicatio noua puncti interioris cum priori sua vbicatione; quæ varietas in motu non solum non infert discontinuationem, vel inflexionem; sed est omnino necessaria, vt punctum interius seruet eamdem proportionem cum pluribus exterioribus, ac seruabat prius: vt facile colligi potest ex supradictis adhoc argumentum pro sententia Zenonis.

10 Eadem puncta impugnat Hurtadus *disp.* 4. *de gen* §. 36. quia non potest assignari terminus intumescentiæ horum punctorum; & quis facile defenderet, punctum posse ad vlnam intumescere? quæ videntur prorsus ridicula, imo nulla parma esset impenetrabilior aliquo ex dictis punctis indiuisibilibus, sed ad aliquam magnitudinem intumescentibus; nullo enim ictu posset scindi. Respondeo puncta esse valdè limitata, nec posse plus æquo intumescere: sed tantum ad molem valde exilem, quanta videlicet sufficit naturæ ad motus velocitatem, & tarditatem, & ad saluandam rarefactionem, & condensationē; omnis enim maior capacitas est gratis admissa, & contra finem à natura intentum: ad hos autem fines non requiritur extensio ita magna, sed sufficit valdè exilis, & vix sensibus perceptibilis. *Virtualis extensio est limitata.*

11 Contra eadem puncta virtualiter extensa multa vrget Quiros *sect.* 4. sed facile solui possunt ex dictis. Solū addo in contactu plani, & sphærici vnū punctū non adæquatè correspondet alii, sed per figuram quam iam semicircularem attolli supra illud: ratione enim virtualis extensionis illa puncta, quamuis tota se mutuo tangant, non est tamen necesse, vt totaliter se tangant: quare inter vnum, & aliud potest ex aliquo latere intercipi aliquod punctum.

12 Vrgeri præterea potest contra puncta virtualiter extensa: quia non potest explicari quomodo hæc puncta inter se vniantur. Respondeo quamuis *l.* 1. *disp.* 5. *f.* 3. permiserim duo puncta vniri per duas seminiones; tamen, & consequentius doctrinæ ibi traditæ, & probabilius puto vniri vnione quadam indiuisibili; tatio est quia vnio ex essentia sua est actuale exercitium vniendi; ergo non videtur posse consistere nisi *Quomodo vniuntur puncta virtualiter extensa.*

nec componentes corpus. In ea igitur sphæra solida datur vnum tantum corpus solidum compactum ex pluribus superficiebus, lineis, & punctis inter se vnitis; ergo non est necesse, vt actu dentur in illa sphæra tot lineæ rectè ductæ ad centrum à peripheria, quot sunt puncta peripheriæ; sed Deus videt totum illud corpus compactum ex innumeris pene punctis conficientibus plures superficies, & lineas breuiores, & grandiores, quæ lineæ inter se coeuntes constituunt plures angulos, qui anguli explentur alijs lineolis, & punctis; solum igitur verum est à quolibet puncto peripheriæ seorsim sumpto duci posse lineam rectam ad centrum, quæ si per centrũ transeat ad punctũ oppositum, & distantissimũ eiusdem peripheriæ designabit lineam diametralem secantem per medium totum circulum; neque aliud possunt ostendere demostrationes, & principia mathematica: mathematici enim solum volunt à quolibet puncto exteriori posse duci lineam rectam ad centrum: & has lineas distributiuè ducibiles designat linea; dum in girum circumuoluitur: si autem simul ducantur omnes lineæ, sicuti ex necessitate coincidũt plures lineæ in partibus antecedentibus centrum; ita inflectunt viã, & constituunt plures angulos.

24 Eodem modo, non potest fieri comparatio: inter singula puncta, vel binaria vnius circuli cum singulis punctis, & binarijs alterius; sicuti per Aristotelicos non possunt comparari partes aliquotæ circuli superioris cum aliquotis inferioris, & videri, quæ, & quot inferiores superioribus correspondeant, sed comparandus totus circulus, cum toto: Deus autem videt, in circulo maiori 20. puncta, quę non videt in minori, & aliquam determinatam multitudinem punctorum circuli inferioris excedi vno, vel duobus punctis à determinata multitudine punctorum circuli superioris, illi correspondente. Profecto sicuti idem punctũ potest ambiri à pluribus ex diuersis lateribus; ita determinata multitudo inferioris circuli suo modo ambitur, licet inadæquatè, à maiori multitudine punctorum circuli superioris: quia videlicet veluti ex diuersis lateribus illi correspondet: quare pro qualibet tali determinata multitudine concipi debet aliquod punctum, quod ex diuersis lateribus correspondeat duplici puncto circuli superioris; neque hoc est absurdum cum necessarium omnino sit ad explicationem figuræ circularis etiam iuxta sententiam Aristotelis in partibus aliquotis.

25 Hinc in quadrangulo qualibet duæ lineę ex vno ad alterum latus cadentes designant in diametro tria puncta; quia cum nõ rectæ, & perpendiculariter transeant per diametrum, sed obliquè, non solum designant vnum punctum per, quod transeunt; sed etiam ex diuersa facie seu latere attingũt aliud. Cæterũ idem debet dicere aduersarij, si diameter contineat triginta partes aliquotas, & costa 20. eiusdem magnitudinis.

26 Ex quo in casu de circulis sphæra non debet de facto supponi aliquod punctum inferius cui directè correspondeant duo superiora puncta enim non ponuntur perpendiculariter vnum post aliud; sic enim facerent lineas rectas non curuas: ergo non possunt puncta punctis cõparari; inter multitudines autem, quamuis non seruetur æqualitas, seruatur tamen proportio, ad constituendas duas lineas curuas circa idem centrum. Excessus igitur ille puncti insumitur indiuisibiliter in inflexione lineæ superioris. Quamuis autem hæc difficile intelligantur: negari tamen nequit, quin vera sint. Cæterum fateri etiam debemus deueniendum tandem esse ad aliquod punctum, vel plura puncta circuli inferioris, quæ ex diuersis lateribus vniantur pluribus punctis circuli superioris.

27 Attamen non leuiter perstringunt Zenonem, quæ docent mathematici de Pyramide, & Triangulo Isosceles, Ouiedus, negat possibiles huiusmodi perfectos triangulos, & pyramides: & se ab his tricis facilè expedit, asserens numquam mathematicos ostendisse illarum possibilitatem, aut necessitatem.

28 Alia multa ex authoritate præsertim sacra contra Zenonem obijciunt Aristotelici: præsertim Cõcilium Constantiense *tom. 3 conc. sess. 15.* & Augustinum. Sed Concilium, quoad hoc punctum non fuit approbatum à Martino 5. Augustinus, non asseruit opinionem Aristotelis: sed ea supposita tamquam vulgari multa iuxta illã dixit. Et profecto si Augustinus contradicit Zenoni, non est cur Zenonem sequamur.

SECTIO SEXTA.

Examinantur puncta virtualiter extensa.

1 **C**Ontra hæc pũcta virtualiter extensa argumentatur primo Arriaga *sect. 9. sub. 2. n. 137.* spatium diuisibile occupatum à puncto vel est spatium reale, vel imaginarium?

Puncta virtualiter extẽsa correspondent spatio reali.

2 Respondere forasse quis posset à puncto virtualiter extenso occupari spatium diuisibile reale, & asserere, quodlibet ex punctis virtualiter extensis habere determinatam extensionẽ, qua adæquatur tot punctis Zenonicis pluribus, vel paucioribus sine vlla extensione vnitis. Aliquod igitur punctum extendet se per decem puncta Zenonica, aliud per tria? Locus igitur realis idest superficies corporis continentis circumdans punctum potest esse diuisibilis in plura puncta virtualiter extensa: & continere octo puncta, quorum quodlibet extendatur per duo puncta Zenonica, & potest esse indiuisibilis, sed virtualiter extensa æquè ac punctum in illa contentum. Punctum igitur plus minusque extenditur virtualiter, si habeat vbicationem indiuisibilem æquiualentem vbicationi plurium, vel pauciorum ex punctis Zenonicis, quid autem sit æquiualere vbicationi plurium, vel pauciorum punctorum Zenonis est res aliunde nota: & clarius intelligi potest ex ijs, quæ diximus de loco.

3 In-

Puncta virtualiter extensa faciunt diuersas figuras.

3 Instabis secundo: hæc puncta non possunt facere diuersas figuras. Nego assumptum: nam etiam puncta omnino indiuisibilia, vt supra vidimus, possunt constituere diuersas figuras; ergo à fortiori puncta virtualiter extensa.

Tempus non cōstat pūctis virtualiter extensis.

4 Argumentatur secundo, *sub.* 3. à n. 156. idem Arriaga: tempus, & continuum successiuū non potest constare punctis virtualiter extensis: ergo neque continuum permanens, vel præsentia localis poterit esse virtualiter diuisibilis, & extensa. Nego consequentiam: quia durationē permanentem indiuisibilem, & virtualiter extensam supra *l.* 4. repugnare probauimus; vbi etiam ostendimus non repugnare vbicationes indiuisibiles virtualiter extensas.

Puncta rarefiunt, & cōdensantur.

5 Argumentatur præterea Arriaga: ergo puncta rarefiunt: ergo fiunt maiora seipsis: quod est absurdum. Distinguo secundum consequens: fiunt maiora seipsis per nouam vbicationem, concedo: alio modo, & entitatiue; nego: sicuti nullum est absurdum, vt docent nonnulli, Angelum secundum suam substantiam inuariatum, modo occupare totam aulam, modo illius partem.

6 Illud hic aduerto: ita puncta virtualiter extensa correspondere spatio diuisibili; vt vnū nullo modo actu communicet in loco cum alio; nulla enim est necessitas penetrationis horum punctorum inter se. Secundo virtualem extensionem esse in se formaliter indiuisibilem; sed æquiualere extensioni diuisibili: cum enim corpus virtualiter extensum sit in se formaliter indiuisibile, videtur illi conformior extensio indiuisibilis, quam diuisibilis. Tertio hanc virtualē extensionem nō esse ita propriam spiritus, vt apud omnes certum sit, illam nullo modo cōuenire rei corporeæ: doctissima enim Thomistarum schola; dum admittit animas brutorum perfectorum indiuisibiles; docet, eas esse virtualiter extensas, quas tamen omnes fatentur esse materiales.

Quomodo cum punctis virtualiter extēsis saluetur velocitas, & tarditas motus.

7 Iam vero argumenta de velocitate, & tarditate motus, quæ fiunt contra Zenonem, & nos supra tentauimus soluere, facilius diluuntur, si continuum permanens componatur partibus indiuisibilibus virtualiter extensis modo supra explicato: nam supponamus puncta aquilæ esse æque virtualiter extensa, ac puncta testudinis: certè eodem tempore, quo mouetur aquila, mouetur testudo; sed ita vt quodlibet punctum aquilæ acquirat in quolibet momento vbicationem nouam omnino extra primam vbicationē, vel communicantem cum illa in minima parte virtuali: testudinis autem punctum acquirat nouam vbicationem omnino diuersam à prima, vtpotè indiuisibilem, sed communicantem secundum plures partes virtuales cum priori vbicatione, quam communicet vbicatio aquilæ de nouo acquisita. Vbicationē autem nouam nō cōmunicare cum prima, est existentia huius vbicationis nouæ omnino à prima distincta, sed talis conditionis vt si coexisterent, vna omnino esset extra aliam: communicare dicit, quod si ambæ existerent, vna non esset extra aliam, sed plus minusue intra illam.

8 Aquila igitur velocius mouetur, quam testudo; quia aquilæ punctum pro singulis instantibus acquirit nouam vbicationem, vel omnino extra primam, vel minima in parte communicantem cum priori; at punctum testudinis vel non mouetur pro singulis instantibus (morulas enim in motu locali vix negari posse puto;) vel acquirit nouas vbicationes multis partibus cōmunicantes cum prioribus.

9 Eadem puncta virtualiter extensa saluant faciliori modo motum circularem rotæ; dici enim potest, in quolibet instanti moueri, mutando locum, non solum punctum circuli exterioris, sed etiam interioris: sed ita vt punctum exterius quolibet instanti acquirat nouam vbicationem, vel omnino extra priorem, vel non ita communicantem cum illa; sicuti communicat vbicatio noua puncti interioris cum priori sua vbicatione; quæ varietas in motu non solum non infert discontinuationem, vel inflexionem; sed est omnino necessaria, vt punctum interius seruet eamdem proportionem cum pluribus exterioribus, ac seruabat prius: vt facile colligi potest ex supradictis adhoc argumentum pro sententia Zenonis.

Virtualis extensio est limitata.

10 Eadem puncta impugnat Hurtadus *disp.* 4. *de gen* §. 26. quia non potest assignari terminus intumescentiæ horum punctorum; & quis facile defenderet, punctum posse ad vlnam intumescere? quæ videntur prorsus ridicula, imo nulla parma esset impenetrabilior aliquo ex dictis punctis indiuisibilibus, sed ad aliquam magnitudinem intumescentibus; nullo enim ictu posset scindi. Respondeo puncta esse valdè limitata, nec posse plus æquo intumescere: sed tantum ad molem valde exilem, quanta videlicet sufficit naturæ ad motus velocitatem, & tarditatem, & ad saluandam rarefactionem, & condensationē; omnis enim maior capacitas est gratis admissa, & contra finem à natura intentum: ad hos autem fines non requiritur extensio ita magna, sed sufficit valdè exilis, & vix sensibus perceptibilis.

11 Contra eadem puncta virtualiter extensa multa vrget Quiros *sect.* 4. sed facile solui possunt ex dictis. Solū addo in contactu plani, & sphærici vnū punctorū non adæquatè correspondet alij, sed per figuram quamdam semicircularem attolli supra illud: ratione enim virtualis extensionis illa puncta, quamuis tota se mutuo tangant, non est tamen necesse, vt totaliter se tangant: quare inter vnum, & aliud potest ex aliquo latere intercipi aliquod punctum.

Quomodo vniuntur puncta virtualiter extensa.

12 Vrgeri præterea potest contra puncta virtualiter extensa: quia non potest explicari quomodo hæc puncta inter se vniantur. Respondeo quamuis *l.* 1. *disp.* 5. *s.* 3. permiserim duo puncta vniri per duas semiuniones; tamen, & consequentius doctrinæ ibi traditæ, & probabilius puto vniri vnione quadam indiuisibili; ratio est: quia vnio ex essentia sua est actuale exercitium vniendi: ergo non videtur posse consistere nisi

nec componentes corpus. In ea igitur sphæra solida datur vnum tantum corpus solidum compactum ex pluribus superficiebus, lineis, & punctis inter se vnitis; ergo non est necesse, vt actu dentur in illa sphæra tot lineæ rectè ductæ ad centrum à peripheria, quot sunt puncta peripheriæ; sed Deus videt totum illud corpus compactum ex innumeris pene punctis conficientibus plures superficies, & lineas breuiores, & grandiores, quæ lineæ inter se coeuntes constituunt plures angulos, qui anguli explentur alijs lineolis, & punctis: solum igitur verum est à quolibet puncto peripheriæ seorsim sumpto duci posse lineam rectam ad centrum, quæ si per centrũ transeat ad punctũ oppositum, & distantissimũ eiusdem peripheriæ designabit lineam diametralem secantem per medium totum circulum; neque aliud possunt ostendere demostrationes, & principia mathematica: mathematici enim solum volunt à quolibet puncto exteriori posse duci lineam rectam ad centrum: & has lineas distributiuè ducibiles designat linea; dum in gyrum circumuoluitur: si autem simul ducantur omnes lineæ, sicuti ex necessitate coincidũt plures lineæ in partibus antecedentibus centrum; ita inflectunt viã, & constituunt plures angulos.

24 Eodem modo, non potest fieri comparatio: inter singula puncta, vel binaria vnius circuli cum singulis punctis, & binarijs alterius; sicuti per Aristotelicos non possunt comparari partes aliquotæ circuli superioris cum aliquotis inferioris, & videri, quæ, & quot inferiores superioribus correspondeant, sed comparandus totus circulus, cum toto: Deus autem videt, in circulo maiori 20. puncta, quę non videt in minori, & aliquam determinatam multitudinem punctorum circuli inferioris excedi vno, vel duobus punctis à determinata multitudine punctorum circuli superioris, illi correspondente. Profecto sicuti idem punctũ potest ambiri à pluribus ex diuersis lateribus; ita determinata multitudo inferioris circuli suo modo ambitur, licet inadæquatè, à maiori multitudine punctorum circuli superioris: quia videlicet veluti ex diuersis lateribus illi correspondet: quare pro qualibet tali determinata multitudine concipi debet aliquod punctum, quod ex diuersis lateribus correspondeat duplici puncto circuli superioris; neque hoc est absurdum cum necessarium omnino sit ad explicationem figuræ circularis etiam iuxta sententiam Aristotelis in partibus aliquotis.

25 Hinc in quadrangulo quælibet duæ lineæ ex vno ad alterum latus cadentes designant in diametro tria puncta: quia cum nõ rectæ, & perpendiculariter transeant per diametrum, seu obliquè, non solum designant vnum punctum per quod transeunt; sed etiam ex diuersa facie seu latere attingũt aliud. Cæterũ idem debẽt dicere aduersarij, si diameter contineat triginta partes aliquotas, & costa 20. eiusdem magnitudinis.

26 Ex quo in casu de circulis sphæræ non debet de facto supponi aliquod punctum inferius cui directè correspondeant duo superiora: puncta enim non ponuntur perpendiculariter vnum post aliud; sic enim facerent lineas rectas non curuas: ergo non possunt puncta punctis cõparari; inter multitudines autem, quamuis non seruetur æqualitas, seruatur tamen proportio, ad constituendas duas lineas curuas circa idem centrum. Excessus igitur ille puncti insumitur indiuisibiliter in inflexione lineæ superioris: Quamuis autem hæc difficile intelligantur: negari tamen nequit, quin vera sint. Cæterum fateri etiam debemus deueniendum tandem esse ad aliquod punctum, vel plura puncta circuli inferioris, quæ ex diuersis lateribus vniantur pluribus punctis circuli superioris.

27 Attamen non leniter perstringunt Zenonem, quæ docent mathematici de Pyramide, & Triangulo Isosçele, Ouledus, negat possibiles huiusmodi perfectos triangulos, & pyramides: & se ab his tricis facilè expedit, asserens numquam mathematicos ostendisse illarum possibilitatem, aut necessitatem.

28 Alia multa ex authoritate præsertim sacra contra Zenonem obijciunt Aristotelici: præsertim Cõcilium Constantiense *tom. 3 conc. sess. 15.* & Augustinum. Sed Concilium, quoad hoc punctum non fuit approbatum à Martino 5. Augustinus, non asserit opinionem Aristotelis: sed ea supposita tamquam vulgari multa iuxta illã dixit. Et profecto si Augustinus contradicit Zenoni, non est cur Zenonem sequamur.

SECTIO SEXTA.

Examinantur puncta virtualiter extensa.

1 Contra hæc puncta virtualiter extensa argumentatur primo Arriaga *sect. 9. sub. 1. n. 137.* spatium diuisibile occupatum à puncto vel est spatium reale, vel imaginarium?

Puncta virtualiter extẽsa correspondent spatio reali.

2 Respondere fortasse quis posset à puncto virtualiter extenso occupari spatium diuisibile reale, & asserere, quodlibet ex punctis virtualiter extensis habere determinatam extensionẽ, qua adæquatur tot punctis Zenonicis pluribus, vel paucioribus sine vlla extensione vnitis. Aliquod igitur punctum extendet se per decem puncta Zenonica, aliud per tria? Locus igitur realis idest superficies corporis continentis circumdans punctum potest esse diuisibilis in plura puncta virtualiter extensa: & continere octo puncta, quorum quodlibet extendatur per duo puncta Zenonica, & potest esse indiuisibilis, sed virtualiter extensa æque ac punctum in illa contentum. Punctum igitur plus minusque extenditur virtualiter, si habeat vbicationem indiuisibilem æquiualentem vbicationi plurium, vel pauciorum ex punctis Zenonicis, quid autem sit æquiualere vbicationi plurium, vel pauciorum punctorum Zenonis est res aliunde nota: & clarius intelligi potest ex ijs, quæ diximus de loco.

3 In-

Puncta virtualiter extensa faciunt diuersas figuras.

3 Instabis secundo: hæc puncta non possunt facere diuersas figuras. Nego assumptum: nam etiam puncta omnino indiuisibilia, vt supra vidimus, possunt constituere diuersas figuras; ergo à fortiori puncta virtualiter extensa.

4 Argumentatur secundo, *sub. 3. à n. 156.* idem Arriaga: tempus, & continuum successiuũ non potest constare punctis virtualiter extensis: ergo neque continuum permanens, vel præsentia localis poterit esse virtualiter diuisibilis, & extensa. Nego consequentiam: quia durationě permanentem indiuisibilem, & virtualiter extensam supra *s. 4.* repugnare probauimus; vbi etiam ostendimus non repugnare vbicationes indiuisibiles virtualiter extensas.

Tempus non cõstat pũctis virtualiter extensis.

Puncta rarefiant, & cõdensantur.

5 Argumentatur præterea Arriaga: ergo puncta rarefiunt: ergo fiunt maiora seipsis: quod est absurdum. Distinguo secundum consequens: fiunt maiora seipsis per nouam vbicationem, concedo: alio modo, & entitatiue, nego: sicuti nullum est absurdum, vt docent nonnulli, Angelum secundum suam substantiam inuariatum, modo occupare totam aulam, modo illius partem.

6 Illud hic aduerto: ita puncta virtualiter extensa correspondere spatio diuisibili; vt vnũ nullo modo actu communicet in loco cum alio; nulla enim est necessitas penetrationis horum punctorum inter se. Secundo virtualem extensionem esse in se formaliter indiuisibilem; sed æquiualere extensioni diuisibili: cum enim corpus virtualiter extensum sit in se formaliter indiuisibile, videtur illi conformior extensio indiuisibilis, quam diuisibilis. Tertio hanc virtualě extensionem nõ esse ita propriam spiritus, vt apud omnes certum sit, illam nullo modo cõuenire rei corporeæ: doctissima enim Thomistarum schola; dum admittit animas brutorum perfectorum indiuisibiles; docet, eas esse virtualiter extensas, quas tamen omnes fatentur esse materiales.

Quomodo cum punctis virtualiter extẽsis saluetur velocitas, & tarditas motus.

7 Iam vero argumenta de velocitate, & tarditate motus, quæ fiunt contra Zenonem, & nos supra tentauimus soluere, facilius diluuntur, si continuum permanens componatur partibus indiuisibilibus virtualiter extensis modo supra explicato: nam supponamus puncta aquilæ esse æque virtualiter extensa, ac puncta testudinis: certè eodem tempore, quo mouetur aquila, mouetur testudo; sed ita vt quodlibet punctum aquilæ acquirat in quolibet momento vbicationem nouam omnino extra primam vbicationě, vel communicantem cum illa in minima parte virtuali: testudinis autem punctum acquirat nouam vbicationem omnino diuersum à prima, vtpotè indiuisibilem, sed communicantem secundum plures partes virtuales cum priori vbicatione, quam communicet vbicatio aquilæ de nouo acquisita. Vbicationě autem nouam nõ cõmunicare cum prima, est existentia huius vbicationis nouæ omnino à prima distincta, sed talis conditionis vt si coexisterent, vna omnino esset extra aliam: communicare dicit, quod si ambæ existerent, vna non esset extra aliam, sed plus minusue intra illam.

8 Aquila igitur velocius mouetur, quam testudo; quia aquilæ punctum pro singulis instantibus acquirit nouam vbicationem, vel omnino extra primam, vel minima in parte communicantem cum priori; at punctum testudinis vel non mouetur pro singulis instantibus (morulas enim in motu locali vix negari posse puto); vel acquirit nouas vbicationes multis partibus cõmunicantes cum prioribus.

9 Eadem puncta virtualiter extensa saluant faciliori modo motum circularem rotæ; dici enim potest, in quolibet instanti moueri, mutando locum, non solum punctum circuli exterioris, sed etiam interioris: sed ita vt punctum exterius quolibet instanti acquirat nouam vbicationem, vel omnino extra priorem, vel non ita communicantem cum illa; sicuti communicat vbicatio noua puncti interioris cum priori sua vbicatione; quæ varietas in motu non solum non infert discontinuationem, vel inflexionem; sed est omnino necessaria, vt punctum interius seruet eamdem proportionem cum pluribus exterioribus, ac seruabat prius: vt facile colligi potest ex supradictis ad hoc argumentum pro sequentia Zenonis.

10 Eadem puncta impugnat Hurtadus *disp. 4. de gen s. 36.* quia non potest assignari terminus intumescentiæ horum punctorum, & quis facile defenderet, punctum posse ad vlnam intumescere? quæ videntur prorsus ridicula, imo nulla parma esset impenetrabilior aliquo ex dictis punctis indiuisibilibus, sed ad aliquam magnitudinem intumescentibus; nullo enim ictu posset scindi. Respondeo puncta esse valdè limitata, nec posse plus æquo intumescere: sed tantum ad molem valde exilem, quanta videlicet sufficit naturæ ad motus velocitatem, & tarditatem, & ad saluandam rarefactionem, & condensationem; omnis enim maior capacitas est gratis admissa, & contra finem à natura intentum: ad hos autem fines non requiritur extensio ita magna, sed sufficit valdè exilis, & vix sensibus perceptibilis.

Virtualis extensio est limitata.

11 Contra eadem puncta virtualiter extensa multa vrget Quirns *sect. 4.* sed facile solui possunt ex dictis. Solũ addo in contactu plani, & sphærici vnũ punctorũ non adæquaté correspondet alij, sed per figuram quamdam semicircularem attolli supra illud: ratione enim virtualis extensionis illa puncta, quamuis tota se mutuo tangant, non est tamen necesse, vt totaliter se tangant: quare inter vnum, & aliud potest ex aliquo latere intercipi aliquod punctum.

12 Vrgeri præterea potest contra puncta virtualiter extensa: quia non potest explicari quomodo hæc puncta inter se vniantur. Respondeo quamuis *l. 1. disp. 5. s. 3.* permiserim duo puncta vniri per duas semiuniones; tamen, & congruentius doctrinæ ibi traditæ, & probabilius puto vniri vnione quadam indiuisibili; tum sic: quia vnio ex essentia sua est actuale exercitium vniendi: ergo non videtur posse consistere nisi in

Quomodo vniuntur puncta virtualiter extensa.

nec componentes corpus. In ea igitur sphæra solida datur vnum tantum corpus solidum compactum ex pluribus superficiebus, lineis, & punctis inter se vnitis; ergo non est necesse, vt actu dentur in illa sphæra tot lineæ rectè ductæ ad centrum à peripheria, quot sunt puncta peripheriæ; sed Deus videt totum illud corpus cõpactum ex innumeris pene punctis conficientibus plures superficies, & lineas breuiores, & grandiores, quæ lineæ inter se coeuntes constituunt plures angulos, qui anguli explentur alijs lineolis, & punctis: solum igitur verum est à quolibet puncto peripheriæ seorsim sumpto duci posse lineam rectam ad centrum, quæ si per centrũ transeat ad punctũ oppositum, & distantissimũ eiusdem peripheriæ designabit lineam diametralem secantem per medium totum circulum; neque aliud possunt ostendere demostrationes, & principia mathematica: mathematici enim solum volunt à quolibet puncto exteriori posse duci lineam rectam ad centrum: & has lineas distributiuè ducibiles designat linea; dum in girum circumuoluitur: si autem simul ducantur omnes lineæ, sicuti ex necessitate coincidũt plures lineæ in partibus antecedentibus centrum; ita inflectunt viã, & constituunt plures angulos.

24 Eodem modo, non potest fieri comparatio: inter singula puncta, vel binaria vnius circuli cum singulis punctis, & binarijs alterius; sicuti per Aristotelicos non possunt comparari partes aliquotæ circuli superioris cum aliquotis inferioris, & videri, quæ, & quot inferiores superioribus correspondeant, sed comparandus totus circulus, cum toto: Deus autem videt, in circulo maiori 20. puncta, quę non videt in minori, & aliquam determinatam multitudinem punctorum circuli inferioris excedi vno, vel duobus punctis à determinata multitudine punctorum circuli superioris, illi correspondente. Profecto sicuti idem punctũ potest ãbiri à pluribus ex diuersis lateribus; ita determinata multitudo inferioris circuli suo modo ambitur, licet inadæquatè, à maiori multitudine punctorum circuli superioris: quia videlicet veluti ex diuersis lateribus illi correspondet: quare pro qualibet tali determinata multitudine concipi debet aliquod punctum, quod ex diuersis lateribus correspondeat duplici puncto circuli superioris: neque hoc est absurdum cum necessarium omnino sit ad explicationem figuræ circularis etiam iuxta sententiam Aristotelis in partibus aliquotis.

25 Hinc in quadrangulo qualibet duæ lineę ex vno ad alterum latus cadentes designant in diametro tria puncta: quia cum nõ rectæ, & perpendiculariter transeant per diametrum, sed obliquè, non solum designant vnum punctum per quod transeunt; sed etiam ex diuersa facie seu latere attingũt aliud. Cæterũ idem debẽt dicere aduersarij, si diameter contineat triginta partes aliquotas, & costa 20. eiusdem magnitudinis.

26 Ex quo in casu de circulis sphæræ non debet defacto supponi aliquod punctum inferius cui directè correspondeant duo superiora puncta enim non ponuntur perpendiculariter vnum post aliud; sic enim facerent lineas rectas non curuas: ergo non possunt puncta punctis cõparari; inter multitudines autem, quamuis non seruetur æqualitas, seruatur tamen proportio, ad constituendas duas lineas curuas circa idem centrum. Excessus igitur ille puncti insumitur indiuisibiliter in inflexione lineæ superioris. Quamuis autem hæc difficile intelligantur: negari tamen nequit, quin vera sint. Cæterum fateri etiam debemus deueniendum tandem esse ad aliquod punctum, vel plura puncta circuli inferioris, quæ ex diuersis lateribus vniantur pluribus punctis circuli superioris.

27 Attamen non leuiter perstringunt Zenonem, quæ docent mathematici de Pyramide, & Triangulo Isoscele, Ouiedus, negat possibiles huiusmodi perfectos triangulos, & pyramides: & se ab his tricis facilè expedit, asserens numquam mathematicos ostendisse illarum possibilitatem, aut necessitatem.

28 Alia multa ex authoritate præsertim sacra contra Zenonem obijciunt Aristotelici: præsertim Cõcilium Constantiensẽ *tom. 3. conc. sess. 15.* & Augustinum. Sed Concilium, quoad hoc punctum non fuit approbatum à Martino 5. Augustinus, non asseruit opinionem Aristotelis: sed ea supposita tamquam vulgari multa iuxta illã dixit. Et profecto si Augustinus contradicit Zenoni, non est cur Zenonem sequamur.

SECTIO SEXTA.

Examinantur puncta virtualiter extensa.

1 Contra hæc pũcta virtualiter extensa argumentatur primo Arriaga *sect. 9. sub. 1. n. 137.* spatium diuisibile occupatum à puncto vel est spatium reale, vel imaginarium? *Puncta virtualiter extẽsa correspondent spatio reali.*

2 Respondere fortasse quis posset à puncto virtualiter extensõ occupari spatium diuisibile reale, & asserere, quodlibet ex punctis virtualiter extensis habere determinatam extensionẽ, qua adæquatur tot punctis Zenonicis pluribus, vel paucioribus sine vlla extensione vnitis. Aliquod igitur punctum extendet se per decem puncta Zenonica, aliud per tria? Locus igitur realis, idest superficies corporis continentis circumdans punctum potest esse diuisibilis in plura puncta virtualiter extensa: & continere octo puncta, quorum quodlibet extendatur per duo puncta Zenonica, & potest esse indiuisibilis, sed virtualiter extensa æque ac punctum in illa contentum. Punctum igitur plus minusque extenditur virtualiter, si habeat vbicationem indiuisibilem æquiualentem vbicationi plurium, vel pauciorum ex punctis Zenonicis, quid autem sit æquiualere vbicationi plurium, vel pauciorum punctorum Zenonis est res aliunde nota: & clarius intelligi potest ex ijs, quæ diximus de loco.

3 In-

Puncta virtualiter extensa faciunt diuersas figuras.

3 Instabis secundo: hæc puncta non possunt facere diuersas figuras. Nego assumptum: nam etiam puncta omnino indiuisibilia, vt supra vidimus, possunt constituere diuersas figuras; ergo à fortiori puncta virtualiter extensa.

Tempus non constat punctis virtualiter extensis.

4 Argumentatur secundo, *sub.* 3. *à* n. 156. idem Arriaga: tempus, & continuum successiui non potest constare punctis virtualiter extensis: ergo neque continuum permanens, vel præsentia localis poterit esse virtualiter diuisibilis, & extensa. Nego consequentiam: quia duratione permanentem indiuisibilem, & virtualiter extensam supra *l.* 4. repugnare probauimus; vbi etiam ostendimus non repugnare vbicationes indiuisibiles virtualiter extensas.

Puncta rarefiunt, & condensantur.

5 Argumentatur præterea Arriaga: ergo puncta rarefiunt: ergo fiunt maiora seipsis; quod est absurdum. Distinguo secundum consequens: fiunt maiora seipsis per nouam vbicationem, concedo; alio modo, & entitatiue; nego; sicuti nullum est absurdum, vt docent nonnulli, Angelum secundum suam substantiam inuariatum, modo occupare totam aulam, modò illius partem.

6 Illud hic aduerto: ita puncta virtualiter extensa correspondere spatio diuisibili; vt vnũ nullo modo actu communicet in loco cum alio; nulla enim est necessitas penetrationis horum punctorum inter se. Secundo virtualem extensionem esse in se formaliter indiuisibilem; sed æquiualere extensioni diuisibili: cum enim corpus virtualiter extensum sit in se formaliter indiuisibile, videtur illi conformior extensio indiuisibilis, quam diuisibilis. Tertio hanc virtualẽ extensionem nõ esse ita propriam spiritus, vt apud omnes certum sit, illam nullo modo cõuenire rei corporeę: doctissima enim Thomistarum schola; dum admittit animas brutorum perfectorum indiuisibiles; docet, eas esse virtualiter extensas, quas tamen omnes fatentur esse materiales.

Quomodo cum punctis virtualiter extẽsis saluetur velocitas, & tarditas motus.

7 Iam vero argumenta de velocitate, & tarditate motus, quæ fiunt contra Zenonem, & nos supra tentauimus soluere, facilius diluuntur, si continuum permanens componatur partibus indiuisibilibus virtualiter extensis modo supra explicato: nam supponamus puncta aquilę esse æque virtualiter extensa, ac puncta testudinis: certè eodem tempore, quo mouetur aquila, mouetur testudo; sed ita vt quodlibet punctum aquilæ acquirat in quolibet momento vbicationem nouam omnino extra primam vbicationẽ, vel communicantem cum illa in minima parte virtuali: testudinis autem punctum acquirat nouam vbicationem omnino diuersam à prima, vtpotè indiuisibilem, sed communicantem secundum plures partes virtuales cum priori vbicatione, quam communicet vbicatio aquilæ de nouo acquisita. Vbicationẽ autem nouam nõ cõmunicare cum prima, est existentia huius vbicationis nouæ omnino à prima distincta, sed talis conditionis vt si coexisterent, vna omnino esset extra aliam: communicare dicit, quod si ambæ existerent, vna non esset extra aliam, sed plus minusue intra illam.

8 Aquila igitur velocius mouetur, quam testudo; quia aquilæ punctum pro singulis instantibus acquirit nouam vbicationem, vel omnino extra primam, vel minima in parte communicantem cum priori; at punctum testudinis vel non mouetur pro singulis instantibus (morulas enim in motu locali vix negari posse puto) vel acquirit nouas vbicationes multis partibus cõmunicantes cum prioribus.

9 Eadem puncta virtualiter extensa saluant faciliori modo motum circularem rotæ; dici enim potest, in quolibet instanti moueri, mutando locum, non solum punctum circuli exterioris, sed etiam interioris: sed ita vt punctum exterius quolibet instanti acquirat nouam vbicationem, vel omnino extra priorem, vel non ita communicantem cum illa; sicuti communicat vbicatio noua puncti interioris cum priori sua vbicatione; quæ varietas in motu non solum non infert discontinuationem, vel inflexionem; sed est omnino necessaria, vt punctum interius seruet eamdem proportionem cum pluribus exterioribus, ac seruabat prius: vt facile colligi potest ex supradictis adhoc argumentum pro sententia Zenonis.

Virtualis extensio est limitata

10 Eadem puncta impugnat Hurtadus *disp.* 4. *de gen* §. 36. quia non potest assignari terminus intumescentiæ horum punctorum; & quis facile defenderet, punctum posse ad vlnam intumescere? quæ videntur prorsus ridicula, imo nulla parma esset impenetrabilior aliquo ex dictis punctis indiuisibilibus, sed ad aliquam magnitudinem intumescentibus; nullo enim ictu posset scindi. Respondeo puncta esse valdè limitata, nec posse plus æquo intumescere: sed tantum ad molem valde exilem, quanta videlicet sufficit naturæ ad motus velocitatem, & tarditatem, & ad saluandam rarefactionem, & condensationẽ; omnis enim maior capacitas est gratis admissa, & contra finem à natura intentum: ad hos autem fines non requiritur extensio ita magna, sed sufficit valdè exilis, & vix sensibus perceptibilis.

11 Contra eadem puncta virtualiter extensa multa vrget Quiros *sect.* 4. sed facile solui possunt ex dictis. Solũ addo in contactu plani, & spherici vnũ punctorũ non adæquatè correspondet alij, sed per figuram quamdam semicircularem attolli supra illud: ratione enim virtualis extensionis illa puncta, quamuis tota se mutuo tangant, non est tamen necesse, vt totaliter se tangant: quare inter vnum, & aliud potest ex aliquo latere intercipi aliquod punctum.

Quomodo vniuntur puncta virtualiter extensa.

12 Vrgeri præterea potest contra puncta virtualiter extensa: quia non potest explicari quomodo hæc puncta inter se vniantur. Respondeo quamuis *l.* 1. *disp.* 5. *s.* 3. permiserim duo puncta vniri per duas semiuniones; tamen, & consequentius doctrinæ ibi traditæ, & probabilius puto vniri vnione quadam indiuisibili; ratio est: quia vnio ex essentia sua est actuale exercitium vniendi; ergo non videtur posse consistere nisi

nec componentes corpus. In ea igitur sphæra solida datur vnum tantum corpus solidum compactum ex pluribus superficiebus, lineis, & pũctis inter se vnitis; ergo non est necesse, vt actu dentur in illa sphæra tot lineæ rectè ductæ ad centrum à peripheria, quot sunt puncta peripheriæ; sed Deus videt totum illud corpus cõpactum ex innumeris pene punctis conficientibus plures superficies, & lineas breuiores, & grandiores, quæ lineæ inter se coeuntes constituunt plures angulos, qui anguli explentur alijs lineolis, & punctis: solum igitur verum est à quolibet puncto peripheriæ seorsim sumpto duci posse lineam rectam ad centrum, quæ si per centrũ transeat ad punctũ oppositum, & distantissimũ eiusdem peripheriæ designabit lineam diametralem secantem per medium totum circulum; neque aliud possunt ostendere demostrationes, & principia mathematica: mathematici enim solum volunt à quolibet puncto exteriori posse duci lineam rectam ad centrum: & has lineas distributiuè ducibiles designat linea; dum in girum circumuoluitur: si autem simul ducantur omnes lineæ, sicuti ex necessitate coincidũt plures lineæ in partibus antecedentibus centrum; ita inflectunt viã, & constituunt plures angulos.

24 Eodem modo, non potest fieri comparatio: inter singula puncta, vel binaria vnius circuli cum singulis punctis, & binarijs alterius; sicuti per Aristotelicos non possunt comparari partes aliquotæ circuli superioris cum aliquotis inferioris, & videri, quæ, & quot inferiores superioribus correspondeant, sed comparandus totus circulus, cum toto: Deus autem videt, in circulo maiori 20. puncta, quę non videt in minori, & aliquam determinatam multitudinem punctorum circuli inferioris excedi vno, vel duobus punctis à determinata multitudine punctorum circuli superioris, illi correspondente. Profecto sicuti idem punctũ potest abiri à pluribus ex diuersis lateribus; ita determinata multitudo inferioris circuli suo modo ambitur, licet inadæquatè, à maiori multitudine punctorum circuli superioris: quia videlicet veluti ex diuersis lateribus illi correspondet: quare pro qualibet tali determinata multitudine concipi debet aliquod punctum, quod ex diuersis lateribus correspondeat duplici puncto circuli superioris: neque hoc est absurdum cum necessarium omnino sit ad explicationem figuræ circularis etiam iuxta sententiam Aristotelis in partibus aliquotis.

25 Hinc in quadrangulo qualibet duæ lineæ ex vno ad alterum latus cadentes designant in diametro tria puncta; quia cum nõ rectas & perpendiculariter transeant per diametrum, sed obliquè, non solum designant vnum punctum per quod transeunt; sed etiam ex diuersa facie seu latere attingũt aliud. Cæterũ idem debet dicere aduersarij, si diameter contineat triginta partes aliquotas, & costa 20. eiusdem magnitudinis.

26 Ex quo in casu de circulis sphæræ non debet de facto supponi aliquod punctum inferius cui directè correspondeant duo superiora puncta enim non ponuntur perpendiculariter vnum post aliud; sic enim facerent lineas rectas non curuas: ergo non possunt puncta punctis cõparari; inter multitudines autem, quamuis non seruetur æqualitas, seruatur tamen proportio, ad constituendas duas lineas curuas circa idem centrum. Excessus igitur ille puncti insumitur indiuisibiliter in inflexione lineæ superioris: Quamuis autem hæc difficile intelligantur: negari tamen nequit, quin vera sint. Cæterum fateri etiam debemus deueniendum tandem esse ad aliquod punctum, vel plura puncta circuli inferioris, quæ ex diuersis lateribus vniantur pluribus punctis circuli superioris.

27 Attamen non leuiter perstringunt Zenonem, quæ docent mathematici de Pyramide, & Triangulo Isosçele, Ouiedus, negat possibiles huiusmodi perfectos triangulos, & pyramides: & se ab his tricis facilè expedit; asserens numquam mathematicos ostendisse illarum possibilitatem, aut necessitatem.

28 Alia multa ex authoritate præsertim sacra contra Zenonem obijciunt Aristotelici: præsertim Cõcilium Constantiense *tom. 3 conc. sess. 15.* & Augustinum. Sed Concilium, quoad hoc punctum non fuit approbatum à Martino 5. Augustinus, non asseruit opinionem Aristotelis: sed ea supposita tamquam vulgari multa iuxta illã dixit. Et profecto si Augustinus contradicit Zenoni, non est cur Zenonem sequamur.

SECTIO SEXTA.

Examinantur puncta virtualiter extensa.

Puncta virtualiter extẽsa correspondent spatio reali.

1 COntra hæc pũcta virtualiter extensa argumentatur primo Arriaga *sect. 9. sub. 1. n.* 137. spatium diuisibile occupatum à puncto vel est spatium reale, vel imaginarium?

2 Respondere fortasse quis posset à puncto virtualiter extenso occupari spatium diuisibile reale, & asserere, quodlibet ex punctis virtualiter extensis habere determinatam extensionẽ, qua adæquatur tot punctis Zenonicis pluribus, vel paucioribus sine vlla extensione vnitis. Aliquod igitur punctum extendet se per decem puncta Zenonica, aliud per tria? Locus igitur realis idest superficies corporis continentis circumdans punctum potest esse diuisibilis in plura puncta virtualiter extensa: & continere octo puncta, quorum quodlibet extendatur per duo puncta Zenonica, & potest esse indiuisibilis, sed virtualiter extensa æque ac punctum in illa contentum. Punctum igitur plus minusque extenditur virtualiter, si habeat vbicationem indiuisibilem æquiualentem vbicationi plurium, vel pauciorum ex punctis Zenonicis, quid autem sit æquiualere vbicationi plurium, vel pauciorum punctorum Zenonis est res aliunde nota: & clarius intelligi potest ex ijs, quæ diximus de loco.

3 In-

Puncta virtualiter extensa faciunt diuersas figuras.

3 Instabis secundo: hæc puncta non possunt facere diuersas figuras. Nego assumptum: nam etiam puncta omnino indiuisibilia, vt supra vidimus, possunt constituere diuersas figuras; ergo à fortiori puncta virtualiter extensa.

Tempus non constat punctis virtualiter extensis.

4 Argumentatur secundo, *sub.* 3. *à n.* 156. idem Arriaga: tempus, & continuum successiuũ non potest constare punctis virtualiter extensis: ergo neque continuum permanens, vel præsentia localis poterit esse virtualiter diuisibilis, & extensa. Nego consequentiam: quia duratione permanentem indiuisibilem, & virtualiter extensam supra *s.* 4. repugnare probauimus; vbi etiam ostendimus non repugnare vbicationes indiuisibiles virtualiter extensas.

Puncta rarefiunt, & condensantur.

5 Argumentatur præterea Arriaga: ergo puncta rarefiunt: ergo fiunt maiora seipsis: quod est absurdum. Distinguo secundum consequens: fiunt maiora seipsis per nouam vbicationem, concedo; alio modo, & entitatiue, nego; sicuti nullum est absurdum, vt docent nonnulli, Angelum secundum suam substantiam inuariatum, modo occupare totam aulam, modo illius partem.

6 Illud hic aduerto: ita puncta virtualiter extensa correspondere spatio diuisibili; vt vnũ nullo modo actu communicet in loco cum alio; nulla enim est necessitas penetrationis horum punctorum inter se. Secundo virtualem extensionem esse in se formaliter indiuisibilem; sed æquiualere extensioni diuisibili: cum enim corpus virtualiter extensum sit in se formaliter indiuisibile, videtur illi conformior extensio indiuisibilis, quam diuisibilis. Tertio hanc virtualē extensionem nō esse ita propriam spiritus, vt apud omnes certum sit, illam nullo modo cōuenire rei corporeæ: doctissima enim Thomistarum schola; dum admittit animas brutorum perfectorum indiuisibiles; docet, eas esse virtualiter extensas, quas tamen omnes fatentur esse materiales.

Quomodo cum punctis virtualiter extēsis salbetur velocitas, & tarditas motus.

7 Iam vero argumenta de velocitate, & tarditate motus, quæ fiunt contra Zenonem, & nos supra tentauimus soluere, facilius diluuntur, si continuum permanens componatur partibus indiuisibilibus virtualiter extensis modo supra explicato: nam supponamus puncta aquilę esse æque virtualiter extensa, ac puncta testudinis: certè eodem tempore, quo mouetur aquila, mouetur testudo; sed ita vt quodlibet punctum aquilæ acquirat in quolibet momento vbicationem nouam omnino extra primam vbicationē, vel communicantem cum illa in minima parte virtuali: testudinis autem punctum acquirat nouam vbicationem omnino diuersum à prima, vtpotè indiuisibilem, sed communicantem secundum plures partes virtuales cum priori vbicatione, quam communicet vbicatio aquilæ de nouo acquisita. Vbicationē autem nouam nō cōmunicare cum prima, est existentia huius vbicationis nouæ omnino a prima distincta, sed talis conditionis vt si coexisterent, vna omnino esset extra aliam: communicare dicit, quod si ambæ existerent, vna non esset extra aliam, sed plus minusue intra illam.

8 Aquila igitur velocius mouetur, quam testudo; quia aquilæ punctum pro singulis instantibus acquirit nouam vbicationem, vel omnino extra primam, vel minima in parte communicantem cum priori; at punctum testudinis vel non mouetur pro singulis instantibus (moru las enim in motu locali vix negare posse puto) vel acquirit nouas vbicationes multis partibus cōmunicantes cum prioribus.

9 Eadem puncta virtualiter extensa saluant faciliori modo motum circularem rotæ; dici enim potest, in quolibet instanti moueri, mutando locum, non solum punctum circuli exterioris, sed etiam interioris: sed ita vt punctum exterius quolibet instanti acquirat nouam vbicationem, vel omnino extra priorem, vel non ita communicantem cum illa; sicuti communicat vbicatio noua puncti interioris cum priori sua vbicatione; quæ varietas in motu non solum non infert discontinuationem, vel inflexionem; sed est omnino necessaria, vt punctum interius seruet eamdem proportionem cum pluribus exterioribus, ac seruabat prius: vt facile colligi potest ex supradictis adhoc argumentum pro sententia Zenonis.

Virtualis extensio est limitata.

10 Eadem puncta impugnat Hurtadus *disp.* 4. *de gen* §. 26. quia non potest assignari terminus intumescentiæ horum punctorum, & quis facile defenderet, punctum posse ad vlnam intumescere? quæ videntur prorsus ridicula, imo nulla parma esset impenetrabilior aliquo ex dictis punctis indiuisibilibus, sed ad aliquam magnitudinem intumescentibus; nullo enim ictu posset scindi. Respondeo puncta esse valdè limitata, nec posse plus æquo intumescere: sed tantum ad molem valde exilem, quanta videlicet sufficit naturæ ad motus velocitatem, & tarditatem, & ad saluandam rarefactionem, & condensationē; omnis enim maior capacitas est gratis admissa, & contra finem à natura intentum: ad hos autem fines non requiritur extensio ita magna, sed sufficit valdè exilis, & vix sensibus perceptibilis.

11 Contra eadem puncta virtualiter extensa multa vrget Quiros *sect.* 4. sed facile solui possunt ex dictis. Solū addo in contactu plani, & sphærici vnũ punctorũ non adæquaté correspondet alij, sed per figuram quamdam semicircularem attolli supra illud: ratione enim virtualis extensionis illa puncta, quamuis tota se mutuo tangant, non est tamen necesse, vt totaliter se tangant: quare inter vnum, & aliud potest ex aliquo latere intercipi aliquod punctum.

Quomodo vniuntur puncta virtualiter extensa.

12 Vrgeri præterea potest contra puncta virtualiter extensa: quia non potest explicari quomodo hæc puncta inter se vniantur. Respondeo quamuis *l.* 1. *disp.* 5. *s.* 3. permiserim duo puncta vniri per duas semiuniones; tamen, & consequentius doctrinæ ibi traditæ, & probabilius puto vniri vnione quadam indiuisibili; ratio est: quia vnio ex essentia sua est actuale exercitium vniendi; ergo non videtur posse consistere nisi

in indiuisibili, vt fusius prosecutus sum loco cit. Verum si duobus punctis addatur tertium, non debet dari alia vnio virtualiter extensior complectens omnia puncta, sed sufficit noua vnio amplectens hoc tertium punctum, & alterum ex illis duobus: & ratio est: quia hoc tertium non debet vniri immediatè nisi alteri ex duobus.

Quid de demonstratiõnibus mathematicis. 13 Demonstrationes mathematicæ, quæ aliquam solutionem habent, vt vidimus in sententia Zenonis, facitiorem proculdubio inuenient in hac sententia, in qua habebit locum Pyramis, & triangulus isosceles.

14 Demum lubet hic explicare, quomodo dentur in hac sententia lineæ, puncta, superficies, & quidem si loquamur physice, puncta sunt virtualiter extensa; lineę constant punctis virtualiter extensis: & superficies lineis virtualiter latis. Mathematicè verò non dantur puncta, lineę, & superficies, nisi per designationem, quia apprehendimus aliquod nullam habens dimensionem iuxta sententiam Zenonis cum omnimoda indiuisibilitate tum quoad se, tum quoad locum; aliquod autem habens vnam tantum, &c. hæc enim apprehensio sufficit ad constituendas diuersas figuras à mathematicis considerabiles; ideoque vna linea physicè sumpta continet fortasse decem lineas mathematicas sibi identificatas, quia æquiualet decem lineis Zenonicis. Mathematica enim, vt notat Giattinus, considerat non lineas actuales, sed possibiles, & ducibiles. Quarè à centro ad quodlibet punctum peripherię duci possunt lineæ inter se æquales, sed quæ communicent in circulis medijs, at sine vlla inflexione, vt supra fusius considerauimus. Ex quibus patet illud, per quod se physicè tangunt duo corpora in hac sententia esse aliquod physicè indiuisibile, quod secundum se totum est immediatum alteri corpori, sed non totaliter; quia non ita est immediatum, vt non ęquiualeat pluribus indiuisibilibus Zenonicis, quorum aliquod sit totaliter immediatum, alia vero distent ab eodem corpore.

15 Verum, quidquid sit, non possum absolutè probare hæc puncta virtualiter extensa: tum quia videntur voluntatie adinuenta: tum quia iam aperitur via asserêdi idem corpus posse naturaliter esse in dupliei loco adæquato: tū quia ille modus essendi videtur proprius rei spiritualis; tum quia quis hinc defendere poterit corpus celeste esse vnum indiuisibile affectum diuersis accidentibus; sicuti anima rationalis indiuisibilis videt in oculo, audit in aure. Verum hæc facile quiuis soluet Maius pondus facit quod allatæ solutiones non sunt ita firmæ, multas pariuntur difficultates, & multa supponunt non facile intelligibilia:

Quid in hac materia sentiendum. 16 In re igitur adeo perplexa dico, si standum sit authoritati, sententia Aristotelis est cæteris præferenda; si rationi, quæ minores ex illa patitur difficultates est sententia de punctis virtualiter extensis; si præcipuè, vt contendit Maurus, sit ex mente Aristotelis; post illam secundum locum obtinet sententia Zenonis.

In librum septimum, & octauum Physicorum Aristotelis.

MVlta in his libris solent agitari de sphæra & actiuitate causarum, ac de nonnullis conditionibus ad agendū requisitis: multa item de modis, quibus res incipiant, & desinant; verum de his agemus cum de ortu, & interitu, & de causis generationis, & alterationis successiuæ, hic tantum disputabimus, quę ad æternitatem, & inceptionem entis creati spectant.

DISPVTATIO XVII.

De æternitate creaturæ.

OPortet distinguere duo entium genera, aliud permanentium, & aliud successiuorum; de vtroque enim quæstio est, verum potuerit esse ab æterno: nā quod de facto nullum ens creatum fuerit ab æterno, sanctum side est; nec alicuius momenti ratio afferri potest pro sententia Aristotelis, qui turpiter lapsus putauit Deum esse agens necessarium, & ex necessitate mundum ab æterno produxisse.

SECTIO PRIMA.

Vtrum possibile fuerit ens creatum successiuum ab æterno?

1 DVæ igitur sunt in hoc negotio opiniones, prima affirmat potuisse ab æterno esse ens successiuum, ita Thomistæ cum S. Thoma q. 3. de potentiam ar. 14. sed inuestigandus diligenter est eius sensus propter distinctionem, qua in corpore vtitur: & alij non pauci. Secunda negans est adminus æque communis, quam sequuntur Suarius, Quiros, Maurus, & alij.

2 Dico cum secunda sententia, non potuit ens successiuum esse ab æterno. Probatur. Ens successiuum ab æterno dicit numerum infinitum durationū priorum, & priorum sine fine iam transactum: ergo primo dicit infinitum iam successiuè insumptum, & totum absolutū, quod repugnat. Ergo secundo dicit partes priores, & priores infinitas, & omnes iam positas: ergo dicit etiam infinitas partes posteriores etiā successiue absumptas: tum sic vrgeo: collectio omnium durationum posteriorum, quæ transierunt, vipote infinita, & successiua, est æterna à parte ante, & simul non est æterna, quia collectio omnium posteriorum ex suo conceptu supponit aliud ante se: quod autem supponit aliud ante se, non est ęternum, vt patet: habet enim initium sui esse determinatè positum post illud, a quo præceditur. *Repugnat ens successiuum ab æterno: illud ens esset vtrinque terminatum primam, & vltima parte*

3 Respondebis ad primam consequentiam, consequens non esse absurdū, quod videlicet infinitum in numero absoluatur tempore infinito. Sed contra: quia iam redit argumentum de tempore: quia absurdum est, quod tempus infinitū absoluatur totum, & successiuè. Confirmatur; om- *Totum, quod successiue pertransitur necessario habet primam, et vltimam partem.*

omne quod totum successiuè pertransitur, & numeratur cum ordine prioris, & posterioris necessario debet habere primum, & vltimum: ergo necessario est finitum: ergo repugnat duratio infinita, tempus infinitum, motus infinitus à parte ante. Vltima consequentia probatur, quia essent infinita vt supponimus, & non essent infinita: quia haberent primum, & vltimum. Prima consequentia etiam patet: probandum igitur remanet primum illud antecedens vniuersale, quod sic confirmo: quod totum successiuè cum illo ordine pertransitur, & numeratur, ita se habet, vt nihil sit vel ante, vel post ipsũ spectans ad ipsũ, & non numeratũ; aliter nõ esset totum successiuè transactum, & numeratum: sed quod totum successiuè pertransitur; ita vt nõ habeat aliud post se, neque ante se spectans ad ipsum, iam habet primum, & vltimum; ergo totum, quod successiué cum illo ordine numeratur, & pertransitur, habet primum, & vltimum. Minor probatur, quod totum ita successiuè pertransitur, vt excludat omne aliud ante se, & omne aliud post se spectans ad ipsum, non excludit aliud ante se, & post se, nisi ratione vnius partis; ergo iam habet partem primam, quæ excludat aliam ante se, vt vltimam, quæ excludat aliam post se. cõsequẽtia est certa. Antecedens probatur: & quidem si totum successiuè percurratur, non potest excludere aliam partem post se sequentem, nisi detur vltima: omnes enim partes, quæ non sunt vltimæ, non excludunt aliam post se, sed potius illam trahunt: ergo etiam totum illud non excludit aliam ante se, nisi ratione alicuius primę: quæ enim non sunt primæ non excludunt, sed potius supponunt aliam ante se.

4 Confirmatur, quod excludit aliud ante se, si totum successiuè pertranseatur, & fluat, nõ excludit illud ratione singularum partium: singulæ enim partes maxima ex parte supponunt ante se aliam, neque ratione omnium partium collectiuè sumptarum, quia collectio omnium partium non è simul: ergo non tota collectio ratione sui adequatè potest excludere aliã ante se, & aliam post se; probo consequentiam. Quoties collectio omnium partium ita se habet, vt qualibet parte ablata adhuc perseuerat eadem denominatio, tunc illa denominatio non prouenit formaliter á tota collectione: si enim denominatio numeri duodenarij perseuerat etiam ablato à collectione omnium Apostolorum vno Apostolo; certè denominatio numeri duodenarij non habetur á collectione omniũ Apostolorum. Sed ablata ab eo, quod totum successiué pertrãsitur; vna parte ex medijs, adhuc habetur, quod non supponat aliud ante se: ergo hæc denominatio non procedit à collectione omnium partiũ, quæ successiuè percurruntur; ergo tantum ab vna parte.

Quod cum ordine totum successiue absoluitur habet primũ, & vltimã partem.

5 Confirmatur iterũ si totum cum ordine successiue pertransitur; ergo iam deuenimus ad vltimum, & primum quæ ordinem claudant: aliter non totum est ordinatum, aut transactum: neque enim intelligi potest, quod totum sit cum ordine successiuè transactum, & quod non detur primum, & vltimum extra quæ ordo non extendatur: si enim vlterius ordo extenderetur; ergo non esset totum cum ordine transactum. Et videre extra totum ordinatum non dari aliud, nõ est idem, ac videre extra totum collectionem non dari aliud; quia si collectio sit confusa, non ordinata, extra totam collectionem non videtur aliud; & tamen non verificatur, quod extra totum ordinem non videtur aliud: ergo videre nõ dari aliud extra totum ordinem, est videre totũ ordinem, & extra illum nihil vlterius dari, quod necessario dicit primum, & vltimum; cum prętertim ordo necessario includat primum, & vltimum: vt vidimus cum de infinito.

6 Illud hic aduerto, singulas partes esse in casu nostro posteriores, licet simul sint priores respectu diuersarũ: Deus igitur qui videt pertrãsisse partes posteriores, & posteriores sine fine; videt pertransisse collectionem infinitam, & posteriorem; sicuti enim finita posteriora constituunt collectionem finitam posteriorem; ita infinita posteriora constituunt infinitam collectionem posteriorem.

Vnde, & quando distributio valet ad collectiuum.

7 Vt id percipiatur; sciendum, est aliquas denominationes conuenire singulis partibus, vt singulæ sunt; si videlicet ita conueniunt singulis partibus, vt per quamlibet additioné vnius partis ad aliam, & consequenter per quamlibet minimam collectionem, illico fiat recessus ab illa denominatione: sic denominatio, simplicis, ita conuenit singulis partibus, vt per additionem etiam minimam illico fiat recessus ab illa denominatione: idem euenit in denominatione vnius; seu vnitatis, & numeri: quamuis enim singulæ partes sint vnicæ; tamen per quamlibet additionem, & collectionem fit recessus ab illa denominatione, & constituitur numerus: idem euenit in denominatione indiuisibilis, & similibus: aliquæ autem denominationes ita conueniunt singulis partibus, vt per additionem vnius partis ad aliam participantem similem denominationem, non fiat recessus ab illa denominatione, vt esse substantiã, esse ens, esse factum. Iam cum singulis partibus conuenit aliqua denominatio prioris generis, ea profectò non conueniet toti collectioni. Si verò singulis partibus conueniat denominatio posterioris generis, ea profectò conueniet etiam toti collectioni; aliter quis posset descendere, totum nõ esse factum, singulas partes esse factas, totum esse chimæram singulas partes esse reales: denominatio autem posterioris, seu supponentis aliud prius, est secundi generis: ergo si conuenit singulis partibus, conueniet etiam toti collectioni. Idem dico de denominatione temporanei.

8 Eodem feré modo aliquæ denominationes conueniunt collectioni, vt collectio est, & huiusmodi denominationes non possunt conuenire singulis partibus: sic si collectio 60. minutorum est hora; non ideo quodlibet minutum est hora: & ratio est quia collectio non est quodlibet minutum, sed plura, quæ realiter saltem inadæ-

quatè distinguuntur à quolibet: aliquæ vero denominationes conueniunt collectioni, sed proficiscuntur à singulis partibus, nec per recessum á collectione amittuntur: & huiusmodi denominationes conueniunt etiam singulis partibus: vt patet consideranti: denominatio autem posterioris, & temporanei in ente successiuo est huius secundi generis.

9. Secundo sic impugno creaturam successiuam æternam à parte ante: si potuisset ab æterno dari duratio successiua, potuisset ab æterno Deus singulis instantibus creare singulos Angelos: neque video cur id iure negari ab Aduersarijs possit: existerent igitur nunc infiniti Angeli per totam æternitatem à parte ante creati; quæro ergo: vel aliquis horum Angelorum esset æternus, vel nullus: hoc secundum est prorsus imperceptibile; si primum ergo illud instans determinatum, cui correspondet hic Angelus fuit æternum, & primum omnium: quod repugnat; aliter instantia omnia fuissent in tempore, ac proinde primũ illud instans tota æternitate præcessisset reliqua instantia, & ipsum solum fuisset æternum: quod repugnat conceptui instantis, vt patet.

10 Hinc demum confirmo meam conclusionem: non possum concipere totam æternitatem à parte post absolutam, quin concipiam vltimum aliquod instans, quod illam claudat: ergo neque totam æternitatem à parte ante absolutam, quin concipiam aliquod instans primũ: ergo non possum concipere totam æternitatem successiuã iam positam, quin concipiam aliquã chimeram: ergo verè æternitas successiua tota cum ordine posita, est quid chimericum.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Obiectiones.

1 Obijcies primo, non repugnat ens successiuum æternum à parte post: ergo neque ens successiuum æternum à parte ante. Nego consequentiam: quia ens successiuum æternum à parte post non est aliquod totum chathegorematicè existens, & iam transactum totum cum ordine: sed dicit durationem v. g. finitam semper, & sine fine augmentabilem, sed finitè; ita vt quæ iam data est, vel quæ dabitur semper sit finita, licet maior, & maior sine fine. Ad quod non est necesse, vt concipiatur, vel detur aliqua vna collectio durationum infinita: & cum successione ordinata. Oppositum accidit in duratione æterna à parte ante: vt vidimus.

2 Obijcies secundo, duratio à parte ante est possibilis maior, & maior sine fine; ergo possibilis est duratio successiua ab æterno. Nego consequentiam: en instantiam: initium mundi potuit esse prius, & prius sine fine. nec tamen initium mundi, & temporis potuit esse ab æterno.

3 Obijcies quarto: omnia argumenta supra facta probant non potuisse ab æterno dari fluxũ carentiarum; hoc autem est absurdum: nam ante creationem mundi præcesserunt infinitæ carentiæ successiuè fluentes, neque enim datur aliqua prima carentia, quę non supponat aliam ante se. Nego maiorem: ad rationem in contrarium: dico, me ante mundi constitutionem non admittere aliquem conceptum realem, siue positiuum siue negatiuum á Deo distinctum: vt fusius dicebam *disp.* 4. non igitur datur ab æterno fluxus carentiarum.

SECTIO TERTIA

Vtrum Potuerit ab Æterno esse aliqua creatura Permanens.

1 Dico repugnare creaturam permanentem æternam à parte ante. Probatur: repugnat, vt vidimus, creatura successiua æterna: ergo repugnat creatura permanens æterna. Probo consequentiam: creatura permanens æterna formaliter sumpta includit successiuam æternam: ergo si repugnat successiua, repugnat etiam permanens. Antecedens probatur: creatura æterna formaliter sumpta, vt æterna includit æternitatem: sed æternitas non est nisi creatura successiua æterna: ergo creatura permanens æterna includit creaturam successiuam æternam. Minor probatur: hæc æternitas non potest esse nisi duratio æterna creaturę: duratio autem creaturæ est, & creatura, & successiua; est enim defectibilis: & supra probauimus, repugnare durationem permanentem creatam, & indiuisibilem. Confirmatur hæc duratio æterna potest prius, & prius sine fine deficere in tempore: ergo necessario est successiua dicens partes priores, & priores sine fine, quarum singulæ poterant deficere non deficientibus præcedentibus. *Repugnat creatura permanẽs æterna à parte ante*

2 Obijcies primo, potuit Deus ab æterno generare Verbum; ergo, & producere creaturã. Nego consequentiam; quia generatio Verbi nõ includit aliquod æternum successiuum: sicut includit æternum creatum. Illud hic aduerto Deũ non creando mundum ab æterno, non fuisse impotentem, neque inuidum, cum non habuerit dolorem de alieno bono tamquam imminutiuo proprij: bonum enim indefectibile Dei est incapax diminutionis: nec Deus capax doloris. Nec Demum fuit iniustus: cũ nihil ex iustitia debeat sed omnibus ex libertate largiatur.

3 Obijcies secundo, mundus non fuit creatus ab æterno: ergo neque in tempore: consequentia probatur; ita se habet voluntas antiqua ad effectum antiquum, sicuti noua ad nouum: ergo à permutata proportione; ita se habet volũtas antique ad effectum nouum; sicuti voluntas noua ad effectũ ãtiquũ: sed voluntas noua nõ potest habere effectũ antiquũ; ergo neque voluntas æterna, & antiquissima Dei effectum nouũ. Nego consequentiam: ad probationem permissio antecedente, nego consequentiam; si voluntas æterna, & antiqua perseuerat, & non sit præterita: nam hoc modo in permutando proportionem

rem non stat constantia terminorum; nam voluntatem nouam supponimus nõ fuisse eum producendus erat effectus veius: ac voluntas antiqua adhuc supponitur perseuerare dum nouus effectus ponitur.

4 Obijcies tertio, mutabilitatẽ arguit posse velle, vel nolle rem sub eisdem circumstantijs: sed eædem circumstantiæ fuerant, vt fieret mundus in tempore, a, ac in alio quocumque tempore in infinitum antecedente; ergo si Deus voluit mundum existere in tempore, a, nõ potuit velle eius productionem antecedentem. Nego maiorem: libertas enim non arguit in Deo mutabilitatem: ad libertatem autem spectat, quod Deus possit sub eisdẽ circũstantijs velle, vel nolle rem: non defuit autem Deo speciale motiuum, licet nobis occultum, propter quod voluerit mundũ producere potius in hoc, quam alio tempore.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

POst traditã octo libris de physico anditu exactã corporis naturalis in cõmuni cognitionẽ, incipit Aristoteles agere de speciebus illius. & primo quidem loco in his libris agit de mundo, qui omnes has species corporis complectitur; deinde fuse disputat de corpore cœlesti; demum nonnulla, quæ ad elementa, eorum loca, virtutesque spectant, subnectit. Nos omissis elementis, de quibus fuse secundo de generatione disseremus, breuiter hic de mundo, eiusque sistemate, & perfectione, tum de corpore cœlesti disputabimus.

DISPVTATIO PRIMA, *De Mundo.*

SECTIO PRIMA. *Quid sit mundus, & de eius sistemate.*

Quotuplex est mundus

1 MVndi nomen, quód pulchrum sonat, primus adinuenisse fertur Pythagoras, cui adhæsit Aristoteles lib. de mundo ad Alexandrum: quinque autem mundi distingui possunt, primus Archetypus, & est diuina mens cõplectens ideas rerum omnium: secundus Angelicus complectens collectionem omnium Angelorum. Tertius elementaris, qui complectitur omnia elementa, & corpora sublunaria. Quarto mundus sumitur pro vniuersitate rerum corporearum, & solet nonnunquam appellari vniuersum, seu mundus magnus; in qua acceptione certum est nõ includi, vt partes eius intrinsecas, Deum, & Angelos; licet dicat ordinem ad illos tamquam ad causam sui, & motus. Quintus demum est mundus paruus, seu homo, qui in sua substantia licet exigua continet perfectiones omnium feré creaturarum; nam est cum elemẽtis, viuit cum plantis, sentit cum brutis, intelligit cum Angelis, vt docet S. Gregorius.

2 Iam veró in præsenti solum est sermo de mundo in quarta acceptione, & definiri cum Aristotele potest *lib. de mundo ad Alexandrũ cap. 2. compages è cœlo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur:* non est igitur mundus ens simpliciter, & absolutè vnum, sed per accidens cum aliqua connexione, ratione dependentiæ vnius partis ab alia, & omnium à Deo ordinante cuncta ad vnum finem. Mundus igitur duo dicit vnum, tamquam subiectum, nempè multitudinem corporum, ex quibus constat, aliud veluti formam; & est partium ordo, vnde oritur pulchritudo, quæ per se placet, & infinitam artificis sapientiam, ac virtutem declarat.

Est mũdus concretum ex subiecto, & forma.

3 Vnicũ defacto dari mundum, indicant Sacræ litteræ dum de mundo, tamquã de vnico semper loquuntur in singulari. Neque habemus vllum indicium à priori, aut à posteriori alterius mundi: res autem adeo magna, non deberet nos latere.

4 Potuit tamen Deus alium mundum creare: & turpiter errauit Aristoteles, falso nisus principio, asserens Deum, vtpotè agens necessarium, ab æterno produxisse, quod potuit: si autẽ esset alius mundus, illius elementa non appeterent, esse in hoc mundo: vel quia ille nõ coexisteret huic mundo; vel quia esset diuersæ speciei à nostro: & consequenter eius partes exigerent diuersum locum à partibus huius mundi: vel quia, & si eiusdem rationis ac nostra; elementa tamẽ illa haberent ibi suum locum naturalem, & terra quiesceret in centro; aer super illam, & aquam moueretur, &c.

Potuit Deus creare alium mundum.

5 De sistematè mundi est insignis Pithagoreorum, ac Copernici sententia asserens solem in medio mundi immobilem: terram volui circa solem; & ex hac reuolutione sequi dierum, noctiumque vicissitudines. Copernicus immediatè post solem posuit orbem mercurij: deinde orbem veneris; tertio orbem magnum, in quo constituit terram cum elementis, ac etiam lunam; quarto orbem martis; quinto iouis; sexto saturni: septimo stellarum fixarum. Alia multa de diuturnitate horum motuum addit, quæ apud ipsum legantur.

Sistema mundi Copernici.

6 Contraria opinio, quod terra immota quiescat in centro, sol vero circa illam voluatur; videtur omnino certa ex sacris Scripturis Ecclesiast. 1. *Terra in æternum stat: oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Hæc tu re non ita philosophica attigisse sit satis; qui plura velit legat Auersam *q. 31. sect.* 2. Negandum est Pithagoræ centrum grauitatis esse locum perfectissimum; licet tale sit centrum operationum, principium videlicet vnde illæ incipiunt.

SECTIO SECVNDA. *Deciduntur nonulla de mundo.*

1 QVæres primo; quantus est mundus? Respondeo contra veteres ab Aristotele

Mũdus finitus.

l. 1.

quatè distinguuntur à quolibet: aliquæ vero denominationes conueniunt collectioni, sed proficiscuntur à singulis partibus, nec per recessum á collectione amittuntur: & huiusmodi denominationes conueniunt etiam singulis partibus: vt patet consideranti: denominatio autem posterioris, & temporanei in ente successiuo est huius secundi generis.

9 Secundo sic impugno creaturam successiuam æternam à parte ante: si potuisset ab æterno dari duratio successiua, potuisset ab æterno Deus singulis instantibus creare singulos Angelos: neque video cur id iure negari ab Aduersarijs possit: existerent igitur nunc infiniti Angeli per totam æternitatem à parte ante creati; quæro ergo: vel aliquis horum Angelorum esset æternus, vel nullus? hoc secundum est prorsus imperceptibile; si primum ergo illud instans determinatum, cui correspondet hic Angelus, fuit æternum, & primum omnium: quod repugnat; aliter instantia omnia fuissent in tempore, ac proinde primū illud instans tota æternitate præcessisset reliqua instantia, & ipsum solum fuisset æternum: quod repugnat conceptui instantis, vt patet.

10 Hinc demum confirmo meam conclusionem: non possum concipere totam æternitatem à parte post absolutam, quin concipiam vltimum aliquod instans, quod illam claudat: ergo neque totam æternitatem à parte ante absolutam, quin concipiam aliquod instans primū: ergo non possum concipere totam æternitatem successiuā iam positam, quin concipiam aliquā chimeram: ergo verè æternitas successiua tota cum ordine posita, est quid chimericum.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Obiectiones.

1 Obijcies primo, non repugnat ens successiuum æternum à parte post: ergo neque ens successiuum æternum à parte ante. Nego consequentiam: quia ens successiuum æternum à parte post non est aliquod totum cathegorematicè existens, & iam transactum totum cum ordine: sed dicit durationem v. g. finitam semper, & sine fine augmentabilem, sed finitè; ita vt quæ iam data est, vel quæ dabitur semper sit finita, licet maior, & maior sine fine. Ad quod non est necesse, vt concipiatur, vel detur aliqua vna collectio durationum infinita: & cum successione ordinata. Oppositum accidit in duratione æterna à parte ante: vt vidimus.

2 Obijcies secundo, duratio à parte ante est possibilis maior, & maior sine fine; ergo possibilis est duratio successiua ab æterno. Nego consequentiam: en instantiam: initium mundi potuit esse prius, & prius sine fine. nec tamen initium mundi, & temporis potuit esse ab æterno.

3 Obijcies quarto: omnia argumenta supra facta probant non potuisse ab æterno dari fluxū carentiarum; hoc autem est absurdum: nam ante creationem mundi præcesserunt infinitæ carentiæ successiuè fluentes: neque enim datur aliqua prima carentia, quæ non supponat aliam ante se. Nego maiorem: ad rationem in contrarium: dico, me ante mundi constitutionem non admittere aliquem conceptum realem, siue positiuum siue negatiuum á Deo distinctum: vt fusius dicebam *disp.* 4. non igitur datur ab æterno fluxus carentiarum.

SECTIO TERTIA

Vtrum Potuerit ab Æterno esse aliqua creatura Permanens.

1 Dico repugnare creaturam permanentem æternam à parte ante. Probatur: repugnat, vt vidimus, creatura successiua æterna: ergo repugnat creatura permanens æterna. Probo consequentiam: creatura permanens æterna formaliter sumpta includit successiuam æternam: ergo si repugnat successiua, repugnat etiam permanens. Antecedens probatur: creatura æterna formaliter sumpta, vt æterna includit æternitatem: sed æternitas non est nisi creatura successiua æterna: ergo creatura permanens æterna includit creaturam successiuam æternam. Minor probatur: hæc æternitas non potest esse nisi duratio æterna creaturæ: duratio autem creaturæ est, & creatura, & successiua; est enim defectibilis: & supra probauimus, repugnare durationem permanentem creatam, & indiuisibilem. Confirmatur hæc duratio æterna potest prius, & prius sine fine deficere in tempore: ergo necessario est successiua dicens partes priores, & priores sine fine, quarum singulæ poterant deficere non deficientibus præcedentibus.

Repugnat creatura permanēs æterna à parte ante

2 Obijcies primo, potuit Deus ab æterno generare Verbum; ergo, & producere creaturā. Nego consequentiam; quia generatio Verbi nō includit aliquod æternum successiuum: sicut includit æternum creatum. Illud hic aduerto Deū non creando mundum ab æterno, non fuisse impotentem, neque inuidum, cum non habuerit dolorem de alieno bono tamquam imminutiuo proprij: bonum enim indefectibile Dei est incapax diminutionis: nec Deus capax doloris; Nec Demum fuit iniustus: cū nihil ex iustitia debeat sed omnibus ex libertate largiatur.

3 Obijcies secundo, mundus non fuit creatus ab æterno; ergo neque in tempore: consequentia probatur; ita se habet voluntas antiqua ad effectum antiquum, sicuti noua ad nouum: ergo a permutata proportione; ita se habet voluntas antique ad effectum nouum; sicuti voluntas noua ad effectū ātiquū: sed voluntas noua nō potest habere effectū antiquū; ergo neque voluntas æterna, & antiquissima Dei effectum nouū. Nego consequentiam: ad probationem permisso antecedente, nego consequentiam; si voluntas æterna, & antiqua perseuerat, & non sit præterita: nam hoc modo in permutando proportionem

nem non ſtat conſtantia terminorum; nam voluntatem nouam ſupponimus nõ fuiſſe cum producendus erat effectus vetus: ac voluntas antiqua adhuc ſupponitur perſeuerare dum nouus effectus ponitur.

4 Objicies tertio, mutabilitatẽ arguit poſſe velle, vel nolle rem ſub eiſdem circumſtantijs: ſed eædem circumſtantiæ fuerant, vt fieret mundus in tempore, a, ac in alio quocumque tempore in infinitum antecedente; ergo ſi Deus voluit mundum exiſtere in tempore, a, nõ potuit velle eius productionem antecedentem. Nego maiorem: libertas enim non arguit in Deo mutabilitatem: ad libertatem autem ſpectat, quod Deus poſſit ſub eiſdẽ circũſtantijs velle, vel nolle rem: non defuit autem Deo ſpeciale motiuum, licet nobis occultum, propter quod voluerit mundũ producere potius in hoc, quam alio tempore.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

POſt traditã octo libris de phyſico auditu exactã corporis naturalis in cõmuni cognitionẽ, incipit Ariſtoteles agere de ſpeciebus illius. & primo quidem loco in his libris agit de mundo, qui omnes has ſpecies corporis complectitur; deinde fuſe diſputat de corpore cœleſti; demum nonnulla, quæ ad elementa, eorum loca, virtuteſque ſpectant, ſubnectit. Nos omiſſis elementis, de quibus fuſe ſecundo de generatione diſſeremus, breuiter hic de mundo, eiuſque ſiſtemate, & perfectione, tum de corpore cœleſti diſputabimus.

DISPVTATIO PRIMA, *De Mundo.*

SECTIO PRIMA. *Quid ſit mundus, & de eius ſiſtemate.*

Quotuplex eſt mundus

1 MVndi nomen, quod pulchrum ſonat, primus adinueniſſe fertur Pythagoras, cui adhæſit Ariſtoteles lib. de mundo ad Alexandrum; quinque autem mundi diſtingui poſſunt, primus Archetypus, & eſt diuina mens cõplectens ideas rerum omnium: ſecundus Angelicus complectens collectionem omnium Angelorum. Tertius elementaris, qui complectitur omnia elementa, & corpora ſublunaria. Quarto mundus ſumitur pro vniuerſitate rerum corporearum, & ſolet nonnumquam appellari vniuerſum, ſeu mundus magnus; in qua acceptione certum eſt nõ includi, vt partes eius intrinſeceas, Deum, & Angelos; licet dicat ordinem ad illos tamquam ad cauſam ſui, & motus. Quintus demum eſt mundus paruus, ſeu homo, qui in ſua ſubſtantia licet exigua continet perfectiones omnium ferè creaturarum; nam eſt cum elemẽtis, viuit cum plantis, ſentit cum brutis, intelligit cum Angelis, vt docet S. Gregorius.

2 Iam verò in præſenti ſolum eſt ſermo de mundo in quarta acceptione, & definiri cum Ariſtotele poteſt *lib. de mundo ad Alexandrũ cap. 2. compages è cælo, terraque coagmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur;* non eſt igitur mundus ens ſimpliciter, & abſolutè vnum, ſed per accidens cum aliqua connexione, ratione dependentiæ vnius partis ab alia, & omnium à Deo ordinante cuncta ad vnum finem. Mundus igitur duo dicit vnum, tamquam ſubiectum, nempè multitudinem corporum, ex quibus conſtat, aliud veluti formam; & eſt partium ordo, vnde oritur pulchritudo, quæ per ſe placet, & infinitam artificis ſapientiam, ac virtutem declarat.

Eſt mũdus concretum ex ſubiecto, & forma.

3 Vnicũ defacto dari mundum, indicant Sacræ litteræ dum de mundo, tamquã de vnico ſẽper loquuntur in ſingulari. Neque habemus vllum indicium à priori, aut à poſteriori alterius mundi: res autem adeo magna, non deberet nos latere.

4 Potuit tamen Deus alium mundum creare: & turpiter errauit Ariſtoteles, falſo niſus principio, aſſerens Deum, vtpotè agens neceſſarium, ab æterno produxiſſe, quod potuit: ſi autẽ eſſet alius mundus, illius elementa non apparerent, eſſe in hoc mundo: vel quia ille nõ coexiſteret huic mundo; vel quia eſſet diuerſæ ſpeciei à noſtro: & conſequenter eius partes exigerent diuerſum locum à partibus huius mundi: vel quia, & ſi eiuſdem rationis ac noſtra; elementa tamẽ illa haberent ibi ſuum locum naturalem, & terra quieſceret in centro: aer ſuper illam, & aquam moueretur, &c.

Potuit Deus creare alium mundum.

5 De ſiſtemate mundi eſt inſignis Pithagoreorum, ac Copernici ſententia aſſerens ſolem in medio mundi immobilem; terram volui circa ſolem; & ex hac reuolutione ſequi dierum noctiumque viciſſitudines. Copernicus immediatè poſt ſolem poſuit orbem mercurij: deinde orbem veneris; tertio orbem magnum, in quo conſtituit terram cum elementis, ac etiam lunam; quarto orbem martis; quinto iouis; ſexto saturni: ſeptimo ſtellarum fixarum. Alia multa de diuturnitate horum motuum addit, quæ apud ipſum legantur.

Siſtema mundi Copernici.

6 Contraria opinio, quod terra immota quieſcat in centro, ſol vero circa illam voluatur; videtur omnino certa ex ſacris Scripturis Eccleſiaſt. 1. *Terra in æternum ſtat: oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens, girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Hæc in re non ita philoſophica attigiſſe ſit ſatis; qui plura velit legat Auerſam *q. 31. ſect.* 2. Negandum eſt Pithagoræ centrum grauitatis eſſe locum perfectiſſimum; licet tale ſit centrum operationum, principium videlicet vnde illæ incipiunt.

SECTIO SECVNDA. *Deciduntur nonulla de mundo.*

1 QVæres primo; quantus eſt mundus? Reſpondeo contra veteres ab Ariſtotele

Mũdus finitus.

l. 1.

quatè distinguuntur à quolibet: aliquæ vero denominationes conueniunt collectioni, sed non sciscuntur à singulis partibus, nec per recessum à collectione amittuntur: & huiusmodi denominationes conueniunt etiam singulis partibus: vt patet consideranti: denominatio autem posterioris, & temporanei in ente successiuo est huius secundi generis.

9 Secundo sic impugno creaturam successiuam æternam à parte ante: si potuisset ab æterno dari duratio successiua, potuisset ab æterno Deus singulis instantibus creare singulos Angelos: neque video cur id iure negari ab Aduersarijs possit: existerent igitur nunc infiniti Angeli per totam æternitatem à parte ante creati; quæro ergo: vel aliquis horum Angelorum esset æternus, vel nullus? hoc secundum est prorsus imperceptibile; si primum ergo illud instans determinatum, cui correspondet hic Angelus, fuit æternum, & primum omnium: quod repugnat; aliter instantia omnia fuissent in tempore, ac proinde primū illud instans tota æternitate præcessisset reliqua instantia, & ipsum solum fuisset æternum: quod repugnat conceptui instantis, vt patet.

10 Hinc demum confirmo meam conclusionem: non possum concipere totam æternitatem à parte post absolutam, quin concipiam vltimum aliquod instans, quod illam claudat: ergo neque totam æternitatem à parte ante absolutam, quin concipiam aliquod instans primū: ergo non possum concipere totam æternitatem successiuā iam positam, quin concipiam aliquā chimeram: ergo verè æternitas successiua tota cum ordine posita, est quid chimericum.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Obiectiones.

1 OBijcies primo, non repugnat ens successiuum æternum à parte post: ergo neque ens successiuum æternum à parte ante. Nego consequentiam: quia ens successiuum æternum à parte post non est aliquod totum chategorematicè existens, & iam transactum totum cum ordine: sed dicit durationem v. g. finitam semper, & sine fine augmentabilem, sed finitè; ita vt quæ iam data est, vel quæ dabitur semper sit finita, licet maior, & maior sine fine. Ad quod non est necesse, vt concipiatur, vel detur aliqua vna collectio durationum infinita: & cum successione ordinata. Oppositum accidit in duratione æterna à parte ante: vt vidimus.

2 Obijcies secundo, duratio à parte ante est possibilis maior, & maior sine fine; ergo possibilis est duratio successiua ab æterno. Nego consequentiam: en instantiam: initium mundi potuit esse prius, & prius sine fine. nec tamen initium mundi, & temporis potuit esse ab æterno.

3 Obijcies quarto: omnia argumenta supra facta probant non potuisse ab æterno dari fluxū carentiarum; hoc autem est absurdum: nam ante creationem mundi præcessissent infinitæ carentiæ successiuè fluentes, neque enim datur aliqua prima carentia, quæ non supponat aliam ante se. Nego maiorem: ad rationem in contrarium dico, me ante mundi constitutionem non admittere aliquem conceptum realem, siue positiuum siue negatiuum à Deo distinctum: vt fusius dicebam *disp.* 4. non igitur datur ab æterno fluxus carentiarum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Potuerit ab Æterno esse aliqua creatura Permanens.

1 DIco repugnare creaturam permanentem æternam à parte ante. Probatur: repugnat, vt vidimus, creatura successiua æterna: ergo repugnat creatura permanens æterna. Probo consequentiam: creatura permanens æterna formaliter sumpta includit successiuam æternam: ergo si repugnat successiua, repugnat etiam permanens. Antecedens probatur: creatura æterna formaliter sumpta, vt æterna includit æternitatem: sed æternitas non est nisi creatura successiua æterna: ergo creatura permanens æterna includit creaturam successiuam æternam. Minor probatur: hæc æternitas non potest esse nisi duratio æterna creaturæ: duratio autem creaturæ est, & creatura, & successiua; est enim defectibilis: & supra probauimus, repugnare durationem permanentem creatam, & indiuisibilem. Confirmatur hæc duratio æterna potest prius, & prius sine fine deficere in tempore: ergo necessario est successiua dicens partes priores, & priores sine fine, quarum singulæ poterant deficere non deficientibus præcedentibus.

Repugnat creaturæ permanēs æterna à parte ante

2 Obijcies primo, potuit Deus ab æterno generare Verbum: ergo, & producere creaturā. Nego consequentiam; quia generatio Verbi nō includit aliquod æternum successiuum: sicut includit æternum creatum. Illud hic aduerto Deū non creando mundum ab æterno, non fuisse impotentem, neque inuidum, cum non habuerit dolorem de alieno bono tamquam imminutiuo proprij: bonum enim indefectibile Dei est incapax diminutionis: nec Deus capax doloris. Nec Demum fuit iniustus, cū nihil ex iustitia debeat sed omnibus ex libertate largiatur.

3 Obijcies secundo, mundus non fuit creatus ab æterno; ergo neque in tempore: consequentia probatur; ita se habet voluntas antiqua ad effectum antiquum, sicuti noua ad nouum: ergo à permutata proportione; ita se habet volūtas antiquæ ad effectum nouum; sicuti voluntas noua ad effectū ātiquū: sed voluntas noua nō potest habere effectū antiquū; ergo neque voluntas æterna, & antiquissima Dei effectum nouū. Nego consequentiam: ad probationem permisso antecedente, nego consequentiam; si voluntas æterna, & antiqua perseuerat, & non sit præterita: nam hoc modo in permutando proportio-

nem

nem non stat constantia terminorum; nam voluntatem nouam supponimus nō fuisse cum producendus erat effectus vetus: ac voluntas antiqua adhuc supponitur perseuerare dum nouus effectus ponitur.

4 Obijcies tertio, mutabilitatē arguit posse velle, vel nolle rem sub eisdem circumstan- jis: sed eadem circumstantiæ fuerant, vt fieret mundus in tempore, a, ac in alio quocumque tempore in infinitum antecedente; ergo si Deus voluit mundum existere in tempore, a, nō potuit velle eius productionem antecedentem. Nego maiorem: libertas enim non arguit in Deo mutabilitatem: ad libertatem autem spectat, quod Deus possit sub eisdē circūstantijs velle, vel nolle rem: non defuit autem Deo speciale motiuum, licet nobis occultum, propter quod voluerit mundū producere potius in hoc, quam alio tempore.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

POst traditā octo libris de physico auditu exactā corporis naturalis in cōmuni cognitionē, incipit Aristoteles agere de speciebus illius. & primo quidem loco in his libris agit de mundo, qui omnes has species corporis complectitur; deinde fuse disputat de corpore cœlesti; demum nonnulla, quæ ad elementa, eorum loca, virtutesque spectant, subnectit. Nos omissis elementis, de quibus fuse secundo de generatione disseremus, breuiter hic de mundo, eiusque sistemate, & perfectione, tum de corpore cœlesti disputabimus.

DISPVTATIO PRIMA, *De Mundo.*

SECTIO PRIMA. *Quid sit mundus, & de eius sistemate.*

1 MVndi nomen, quod pulchrum sonat, primus adinuenisse fertur Pythagoras, cui adhæsit Aristoteles lib. de mundo ad Alexandrum; quinque autem mundi distingui possunt, primus Archetypus, & est diuina mens cōplectens ideas rerum omnium: secundus Angelicus complectens collectionem omnium Angelorum. Tertius elementaris, qui complectitur omnia elementa, & corpora sublunaria. Quarto mundus sumitur pro vniuersitate rerum corporearum, & solet nonnumquam appellari vniuersum, seu mundus magnus; in qua acceptione certum est nō includi, vt partes eius intrinsecas, Deum, & Angelos; licet dicat ordinem ad illos tamquam ad causam sui, & motus. Quintus demum est mundus paruus, seu homo, qui in sua substantia licet exigua continet perfectiones omnium ferè creaturarum; nam est cum elemētis, viuit cum plantis, sentit cum brutis, intelligit cum Angelis, vt docet S. Gregorius. *Quotuplex est mundus*

2 Iam verò in præsenti solum est sermo de mundo in quarta acceptione, & definiri cum Aristotele potest *lib. de mundo ad Alexandrum cap. 2. compages è cœlo, terraque coagmentatis, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur*; non est igitur mundus ens simpliciter, & absolutè vnum, sed per accidens cum aliqua connexione, ratione dependentiæ vnius partis ab alia, & omnium à Deo ordinante cuncta ad vnum finem. Mundus igitur duo dicit vnum tamquam subiectum, nempè multitudinem corporum, ex quibus constat, aliud veluti formam; & est partium ordo, vnde oritur pulchritudo, quæ per se placet, & infinitam artificis sapientiam, ac virtutem declarat. *Est mūdus concretum ex subiecto, & forma.*

3 Vnicū defacto dari mundum, indicant Sacræ litteræ dum de mundo, tamquā de vnico sēper loquuntur in singulari. Neque habemus vllum indicium à priori, aut à posteriori alterius mundi: res autem adeo magna, non deberet nos latere.

4 Potuit tamen Deus alium mundum creare: & turpiter errauit Aristoteles, falso nisus principio, asserens Deum, vtporè agens necessarium, ab æterno produxisse, quod potuit: si autē esset alius mundus, illius elementa non appeterent, esse in hoc mundo: vel quia ille nō coexisteret huic mundo; vel quia esset diuersæ speciei à nostro: & consequenter eius partes exigerent diuersum locum a partibus huius mundi: vel quia, & si eiusdem rationis ac nostra; elementa tamē illa haberent ibi suum locum naturalem, & terra quiesceret in centro; aer super illam, & aquam moueretur, &c. *Potuit Deus creare alium mundum.*

5 De sistemate mundi est insignis Pithagoreorum, ac Copernici sententia asserens solem in medio mundi immobilem; terram volui circa solem; & ex hac reuolutione sequi dierum, noctiumque vicissitudines. Copernicus immediatè post solem posuit orbem mercurij: deinde orbem veneris; tertio orbem magnum, in quo constituit terram cum elementis, ac etiam lunam; quarto orbem martis; quinto iouis; sexto saturni; septimo stellarum fixarum. Alia multa de diuturnitate horum motuum addit, quæ apud ipsum legantur. *Sistema mundi Copernici.*

6 Constans opinio, quod terra immota quiescat in centro, sol vero circa illam voluatur; videtur omnino certa ex sacris Scripturis Ecclesiast. 1. *Terra in æternum stat: oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Hæc in re non ita philosophica attigisse sit satis; qui plura velit legat Auersam q. 31. *sect.* 2. Negandum est Pithagoræ centrum grauitatis esse locum perfectissimum; licet tale sit centrum operationum, principium videlicet vnde illæ incipiunt.

SECTIO SECVNDA. *Deciduntur nonulla de mundo.*

1 QVæres primo; quantus est mundus? Respondeo contra veteres ab Aristotele *l. 1.* *Mūdus finitus.*

quatè distinguuntur à quolibet: aliquæ vero denominationes conueniunt collectioni, sed non sicficiuntur à singulis partibus, nec per recessum á collectione amittuntur: & huiusmodi denominationes conueniunt etiam singulis partibus: vt patet considerant: denominatio autem perfectionis, & temporanei in ente successiuo est huius secundi generis.

9. Secundo sic impugno creaturam successiuam æternam à parte ante: si potuisset ab æterno dari duratio successiua, potuisset ab æterno Deus singulis instantibus creare singulos Angelos: neque video cur id iure negari ab Aduersarijs possit: existerent igitur nunc infiniti Angeli per totam æternitatem á parte ante creati: quæro ergo: vel aliquis horum Angelorum esset æternus, vel nullus? hoc secundum est prorsus imperceptibile; si primum ergo illud instans determinatum, cui correspondet hic Angelus, fuit æternum, & primum omnium: quod repugnat: aliter instantia omnia fuissent in tempore, ac proinde primū illud instans tota æternitate præcessisset reliqua instantia, & ipsum solum fuisset æternum: quod repugnat conceptui instantis, vt patet.

10 Hinc demum confirmo meam conclusionem: non possum concipere totam æternitatem à parte post absolutam, quin concipiam vltimum aliquod instans, quod illam claudat: ergo neque totam æternitatem á parte ante absolutam, quin concipiam aliquod instans primū: ergo non possum concipere totam æternitatem successiuā iam positam, quin concipiam aliquā chimeram: ergo verè æternitas successiua tota cum ordine posita, est quid chimericum.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Obiectiones.

1 Obijcies primo, non repugnat ens successiuum æternum à parte post: ergo neque ens successiuum æternum à parte ante. Nego consequentiam: quia ens successiuum æternum à parte post non est aliquod totum chategorematicè existens, & iam transactum totum cum ordine: sed dicit durationem v. g. finitam semper, & sine fine augmentabilem, sed finitè; ita vt quæ iam data est, vel quæ dabitur semper sit finita, licet maior, & maior sine fine. Ad quod non est necesse, vt concipiatur, vel detur aliqua vna collectio durationum infinita: & cum successione ordinata. Oppositum accidit in duratione æterna à parte ante: vt vidimus.

2 Obijcies secundo, duratio à parte ante est possibilis maior, & maior sine fine: ergo possibilis est duratio successiua ab æterno. Nego consequentiam: en instantiam: initium mundi potuit esse prius, & prius sine fine. nec tamen initium mundi, & temporis potuit esse ab æterno.

3 Obijcies quarto: omnia argumenta supra facta probant non potuisse ab æterno dari fluxū carentiarum; hoc autem est absurdum: nam ante creationem mundi præcesserunt infinitæ carentiæ successiuè succedentes, neque enim datur aliqua prima carentia, quę non supponat aliam ante se. Nego maiorem: ad rationem in contrarium dico, me ante mundi constitutionem non admittere aliquem conceptum realem, siue positiuum siue negatiuum à Deo distinctum: vt fusius dicebam disp. 4. non igitur datur ab æterno fluxus carentiarum.

SECTIO TERTIA

Vtrum Potuerit ab Æterno esse aliqua creatura Permanens.

1 Dico repugnare creaturam permanentem æternam à parte ante. Probatur: repugnat, vt vidimus, creatura successiua æterna: ergo repugnat creatura permanens æterna. Probo consequentiam: creatura permanens æterna formaliter sumpta includit successiuam æternam: ergo si repugnat successiua, repugnat etiam permanens. Antecedens probatur: creatura æterna formaliter sumpta, vt æterna includit æternitatem: sed æternitas non est nisi creatura successiua æterna: ergo creatura permanens æterna includit creaturam successiuam æternam. Minor probatur: hæc æternitas non potest esse nisi duratio æterna creaturæ: duratio autem creaturæ est, & creatura, & successiua; est enim defectibilis: & supra probauimus, repugnare durationem permanentem creatam, & indiuisibilem. Confirmatur hæc duratio æterna potest prius, & prius sine fine deficere in tempore: ergo necessario est successiua dicens partes priores, & priores sine fine, quarum singulæ poterant deficere non deficientibus præcedentibus. *Repugnat creatura permanēs æterna à parte ante*

2 Obijcies primo, potuit Deus ab æterno generare Verbum: ergo, & producere creaturā. Nego consequentiam; quia generatio Verbi nō includit aliquod æternum successiuum: sicut includit æternum creatum. Illud hic aduerto Deū non creando mundum ab æterno, non fuisse impotentem, neque inuidum, cum non habuerit dolorem de alieno bono tamquam imminutione proprij: bonum enim indefectibile Dei est incapax diminutionis: nec Deus capax doloris; Nec Demum fuit iniustus: cū nihil ex iustitia deberet, sed omnibus ex liberalitate largiatur.

3 Obijcies secundo, mundus non fuit creatus ab æterno: ergo neque in tempore: consequentia probatur; ita se habet voluntas antiqua ad effectum antiquum, sicut noua ad nouum: ergo à permutata proportione; ita se habet volūtas antique ad effectum nouum; sicuti voluntas noua ad effectū átiquū: sed voluntas noua nō potest habere effectū antiquū; ergo neque voluntas æterna, & antiquissima Dei effectum nouū. Nego consequentiam: ad probationem permissa antecedente, nego consequentiam; si voluntas æterna, & antiqua perseuerat, & non sit præterita: nam hoc modo in permutando proportionem

nem non stat constantia terminorum; nam voluntatem nouam supponimus nō fuisse cum producendus erat effectus vetus: ac voluntas antiqua adhuc supponitur perseuerare dum nouus effectus ponitur.

4 Objicies tertio, mutabilitatē arguit posse velle, vel nolle rem sub eisdem circumstantijs: sed eædem circumstantiæ fuerant, vt fieret mundus in tempore, a, ac in alio quocumque tempore in infinitum antecedente; ergo si Deus voluit mundum existere in tempore, a, nō potuit velle eius productionem antecedentem. Nego maiorem: libertas enim non arguit in Deo mutabilitatem: ad libertatem autem spectat, quod Deus possit sub eisdē circūstantijs velle, vel nolle rem: non defuit autem Deo speciale motiuum, licēt nobis occultum, propter quod voluerit mundū producere potius in hoc, quam alio tempore.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

POst traditā octo libris de physico auditu exactā corporis naturalis in cōmuni cognitionē, incipit Aristoteles agere de speciebus illius. & primo quidem loco in his libris agit de mundo, qui omnes has species corporis complectitur; deinde fuse disputat de corpore cœlesti; demum nonnulla, quæ ad elementa, eorum loca, virtutesque spectant, subnectit. Nos omissis elementis, de quibus fuse secundo de generatione disseremus, breuiter hic de mundo, eiusque sistemate, & perfectione, tum de corpore cœlesti disputabimus.

DISPVTATIO PRIMA, De Mundo.

SECTIO PRIMA.
Quid sit mundus, & de eius sistemate.

Quotuplex est mundus

1 MVndi nomen, quód pulchrum sonat, primus adinuenisse fertur Pythagoras, cui adhæsit Aristoteles lib. de mundo ad Alexandrum; quinque autem mundi distingui possunt, primus Archetypus, & est diuina mens cōplectens ideas rerum omnium: secundus Angelicus complectens collectionem omnium Angelorum. Tertius elementaris, qui complectitur omnia elementa, & corpora sublunaria. Quarto mundus sumitur pro vniuersitate rerum corporearum, & solet nonnunquam appellari vniuersum, seu mundus magnus; in qua acceptione certum est nō includi, vt partes eius intrinsecas, Deum, & Angelos; licet dicat ordinem ad illos tamquam ad causam sui, & motus. Quintus demum est mundus paruus, seu homo, qui in sua substantia licet exigua continet perfectiones omnium ferè creaturarum; nam est cum elemētis, viuit cum plantis, sentit cum brutis, intelligit cum Angelis, vt docet S. Gregorius.

2 Iam verò in præsenti solum est sermo de mundo in quarta acceptione, & definiri cum Aristotele potest *lib. de mundo ad Alexandrū cap. 2. compages è cælo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur*: non est igitur mundus ens simpliciter, & absolutè vnum, sed per accidens cum aliqua connexione, ratione dependentiæ vnius partis ab alia, & omnium à Deo ordinante cuncta ad vnum finem. Mundus igitur duo dicit vnum, tamquam subiectum, nempè multitudinem corporum, ex quibus constat, aliud veluti formam; & est partium ordo, vnde oritur pulchritudo, quæ per se placet, & infinitam artificis sapientiam, ac virtutem declarat.

Est mūdus concretum ex subiecto, & forma.

3 Vnicū defacto dari mundum, indicant Sacræ litteræ dum de mundo, tamquā de vnico sēper loquuntur in singulari. Neque habemus vllum indicium à priori, aut à posteriori alterius mundi: res autem adeo magna, non deberet nos latere.

Potuit Deus creare alium mundum.

4 Potuit tamen Deus alium mundum creare: & turpiter errauit Aristoteles, falso nisus principio, asserens Deum, vtporè agens necessarium, ab æterno produxisse, quod potuit: si autē esset alius mundus, illius elementa non appeterent esse in hoc mundo: vel quia ille nō coexisteret huic mundo; vel quia esset diuersæ speciei à nostro: & consequenter eius partes exigerent diuersum locum à partibus huius mundi: vel quia, & si eiusdem rationis ac nostra; elementa tamē illa haberent ibi suum locum naturalem, & terra quiesceret in centro; aer super illam, & aquam moueretur, &c.

Sistema mundi Copernici.

5 De sistemate mundi est insignis Pithagoræorum, ac Copernici sententia asserens solem in medio mundi immobilem; terram volui circa solem; & ex hac reuolutione sequi dierum, noctiumque vicissitudines. Copernicus immediatè post solem posuit orbem mercurij: deinde orbem veneris; tertio orbem magnum, in quo constituit terram cum elementis, ac etiam lunam; quarto orbem martis; quinto iouis; sexto saturni: septimo stellarum fixarum. Alia multa de diuturnitate horum motuum addit, quæ apud ipsum legantur.

6 Contraria opinio, quod terra immota quiescat in centro, sol vero circa illam voluatur; videtur omnino certa ex sacris Scripturis Ecclesiast. 1. *Terra in æternum stat: oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem*. Hac in re non ita philosophica attigisse sit satis; qui plura velit legat Auersam q. 31. *sect.* 2. Negandum est Pithagoræ centrum grauitatis esse locum perfectissimum; licet tale sit centrum operationum, principium videlicet vnde illæ incipiunt.

SECTIO SECVNDA.
Deciduntur nonulla de mundo.

Mūdus finitus.

1 QVæres primo; quantus est mundus? Respondeo contra veteres ab Aristotele

l. 1.

quatè distinguuntur à quolibet: aliquæ vero denominationes conueniunt collectioni, sed non sufficiuntur à singulis partibus, nec per recessum à collectione amittuntur: & huiusmodi denominationes conueniunt etiam singulis partibus; vt patet consideranti: denominatio autem posterioris, & temporanes in ente successiuo est huius secundi generis.

9 Secundo sic impugno creaturam successiuam æternam à parte ante: si potuisset ab æterno dari duratio successiua, potuisset ab æterno Deus singulis instantibus creare singulos Angelos: neque video cur id inte negari ab Aduersarijs possit: existerent igitur nunc infiniti Angeli per totam æternitatem à parte ante creati; quæro ergo: vel aliquis horum Angelorum esset æternus, vel nullus? hoc secundum est prorsus imperceptibile; si primum ergo illud instans determinatum, cui correspondet hic Angelus, fuit æternum, & primum omnium: quod repugnat; aliter instantia omnia fuissent in tempore, ac proinde primû illud instans tota æternitate præcessisset reliqua instantia, & ipsum solum fuisset æternum: quod repugnat conceptui instantis, vt patet.

10 Hinc demum confirmo meam conclusionem: non possum concipere totam æternitatem a parte post absolutam, quin concipiam vltimum aliquod instans, quod illam claudat: ergo neque totam æternitatem à parte ante absolutam, quin concipiam aliquod instans primû: ergo non possum concipere totam æternitatem successiuâ iam positam, quin concipiam aliquâ chimeram; ergo verè æternitas successiua tota cum ordine posita, est quid chimericum.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Obiectiones.

1 OBijcies primo, non repugnat ens successiuum æternum à parte post: ergo neque ens successiuum æternum à parte ante. Nego consequentiam: quia ens successiuum æternum à parte post non est aliquod totum chategorematicè existens, & iam transactum totum cum ordine: sed dicit durationem v. g. finitam semper, & sine fine augmentabilem, sed finitè; ita vt quæ iam data est, vel quæ dabitur semper sit finita, licet maior, & maior sine fine. Ad quod non est necesse, vt concipiatur, vel detur aliqua vna collectio durationum infinita: & cum successione ordinata. Oppositum accidit in duratione æterna à parte ante: vt vidimus.

2 Obijcies secundo, duratio à parte ante est possibilis maior, & maior sine fine; ergo possibilis est duratio successiua ab æterno. Nego consequentiam: en instantiam: initium mundi potuit esse prius, & prius sine fine. nec tamen initium mundi, & temporis potuit esse ab æterno.

3 Obijcies quarto: omnia argumenta supra facta probant non potuisse ab æterno dari fluxû carentiarum; hoc autem est absurdum: nam ante creationem mundi præcesserunt infinitæ carentiæ successiuè fluentes, neque enim datur aliqua prima carentia, quę non supponat aliam ante se. Nego maiorem: ad rationem in contrarium dico, me ante mundi constitutionem non admittere aliquem conceptum realem, siue positiuum siue negatiuum à Deo distinctum: vt fusius dicebam *disp.* 4. non igitur datur ab æterno fluxus carentiarum.

SECTIO TERTIA

Vtrum Potuerit ab Æterno esse aliqua creatura Permanens.

1 DIco repugnare creaturam permanentem æternam à parte ante. Probatur: repugnat, vt vidimus, creatura successiua æterna: ergo repugnat creatura permanens æterna. Probo consequentiam: creatura permanens æterna formaliter sumpta includit successiuam æternam: ergo si repugnat successiua, repugnat etiam permanens. Antecedens probatur: creatura æterna formaliter sumpta, vt æterna includit æternitatem: sed æternitas non est nisi creatura successiua æterna: ergo creatura permanens æterna includit creaturam successiuam æternam. Minor probatur: hæc æternitas non potest esse nisi duratio æterna creaturę: duratio autem creaturæ est, & creatura, & successiua; est enim defectibilis: & supra probauimus, repugnare durationem permanentem creatam, & indiuisibilem. Confirmatur hæc duratio æterna potest prius, & prius sine fine deficere in tempore: ergo necessario est successiua dicens partes priores, & priores sine fine, quarum singulæ poterant deficere non deficientibus præcedentibus.

Repugnat creatura permanēs æterna à parte ante

2 Obijcies primo, potuit Deus ab æterno generare Verbum: ergo, & producere creaturâ. Nego consequentiam; quia generatio Verbi nô includit aliquod æternum successiuum: sicut includit æternum creatum. Illud hic aduerto Deû non creando mundum ab æterno, non fuisse impotentem, neque inuidum, cum non habuerit detrimentum de alieno bono tamquam imminutiuo proprij: bonum enim indefectibile Dei est incapax diminutionis: nec Deus capax doloris: Nec Demum fuit iniustus: cû nihil ex iustitia debeat, sed omnibus ex libertate largiatur.

3 Obijcies secundo, mundus non fuit creatus ab æterno: ergo neque in tempore: consequentia probatur; ita se habet voluntas antiqua ad effectum antiquum, sicuti noua ad nouum: ergo à permutata proportione; ita se habet volûtas antiquę ad effectum nouum; sicuti voluntas noua ad effectû âtiquû: sed voluntas noua nô potest habere effectû antiquû; ergo neque voluntas æterna, & antiquissima Dei effectum nouû. Nego consequentiam: ad probationem permisso antecedente, nego consequentiam; si voluntas æterna, & antiqua perseuerat, & non sit præterita: nam hoc modo in permutando proportio-

nem

nem non ſtat conſtantia terminorum; nam voluntatem nouam ſupponimus nō fuiſſe cum producendus erat effectus vetus; ac voluntas antiqua adhuc ſupponitur perſeuerare dum nouus effectus ponitur.

4 Obijcies tertio, mutabilitatē arguit poſſe velle, vel nolle rem ſub eiſdem circumſtantijs: ſed eædem circumſtantiæ fuerant, vt fieret mundus in tempore, a, ac in alio quocumque tempore in infinitum antecedente; ergo ſi Deus voluit mundum exiſtere in tempore, a, nō potuit velle eius productionem antecedentem. Nego maiorem: libertas enim non arguit in Deo mutabilitatem: ad libertatem autem ſpectat, quod Deus poſſit ſub eiſdē circūſtantijs velle, vel nolle rem: non defuit autem Deo ſpeciale motiuum, licet nobis occultum, propter quod voluerit mundū producere potius in hoc, quam alio tempore.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE COELO, ET MVNDO.

POſt traditā octo libris de phyſico auditu exactā corporis naturalis in cōmuni cognitionē, incipit Ariſtoteles agere de ſpeciebus illius. & primo quidem loco in his libris agit de mundo, qui omnes has ſpecies corporis complectitur; deinde fuſe diſputat de corpore cœleſti; demum nonnulla, quæ ad elementa, eorum loca, virtuteſque ſpectant, ſubnectit. Nos omiſſis elementis, de quibus fuſe ſecundo de generatione diſſeremus, breuiter hic de mundo, eiuſque ſiſtemate, & perfectione, tum de corpore cœleſti diſputabimus.

DISPVTATIO PRIMA.
De Mundo.

SECTIO PRIMA.
Quid ſit mundus, & de eius ſiſtemate.

Quotuplex eſt mundus

1 MVndi nomen, quód pulchrum ſonat, primus adinueniſſe fertur Pythagoras, cui adhæſit Ariſtoteles lib. de mundo ad Alexandrum; quinque autem mundi diſtingui poſſunt, primus Archetypus, & eſt diuina mens cōplectens ideas rerum omnium: ſecundus Angelicus complectens collectionem omnium Angelorum. Tertius elementaris, qui complectitur omnia elementa, & corpora ſublunaria. Quarto mundus ſumitur pro vniuerſitate rerum corporearum, & ſolet nonnumquam appellari vniuerſum, ſeu mundus magnus; in qua acceptione certum eſt nō includi, vt partes eius intrinſecas, Deum, & Angelos; licet dicat ordinem ad illos tamquam ad cauſam ſui, & motus. Quintus demum eſt mundus paruus, ſeu homo, qui in ſua ſubſtantia licet exigua continet perfectiones omnium ferè creaturarum; nam eſt cum elemētis, viuit cum plantis, ſentit cum brutis, intelligit cum Angelis, vt docet S. Gregorius.

2 Iam verò in præſenti ſolum eſt ſermo de mundo in quarta acceptione, & definiri cum Ariſtotele poteſt *lib. de mundo ad Alexandrū cap. 2. compages è cælo, terraque coagmentata, atque ex ijs naturis, quæ inter ea continentur*: non eſt igitur mundus ens ſimpliciter, & abſolutè vnum, ſed per accidens cum aliqua connexione, ratione dependentiæ vnius partis ab alia, & omnium à Deo ordinante cuncta ad vnum finem. Mundus igitur duo dicit vnum, tamquam ſubiectum, nempè multitudinem corporum, ex quibus conſtat, aliud veluti formam; & eſt partium ordo, vnde oritur pulchritudo, quæ per ſe placet, & infinitam artificis ſapientiam, ac virtutem declarat.

Eſt mūdus concretum ex ſubiecto, & forma.

3 Vnicū defacto dari mundum, indicant Sacræ litteræ dum de mundo, tamquā de vnico ſemper loquuntur in ſingulari. Neque habemus vllum indicium à priori, aut à poſteriori alterius mundi: res autem adeo magna, non deberet nos latere.

Potuit Deus creare alium mundum.

4 Potuit tamen Deus alium mundum creare: & turpiter errauit Ariſtoteles, falſo niſus principio, aſſerens Deum, vtporè agens neceſſarium, ab æterno produxiſſe, quod potuit: ſi autē eſſet alius mundus, illius elementa non appeterent, eſſe in hoc mundo: vel quia ille nō coexiſteret huic mundo; vel quia eſſet diuerſæ ſpeciei à noſtro: & conſequenter eius partes exigerent diuerſum locum a partibus huius mundi: vel quia, & ſi eiuſdem rationis ac noſtra; elementa tamē illa haberent ibi ſuum locum naturalem, & terra quieſceret in centro; aer ſuper illam, & aquam moueretur, &c.

Siſtema mundi Copernici.

5 De ſiſtemate mundi eſt inſignis Pithagoræorum, ac Copernici ſententia aſſerens ſolem in medio mundi immobilem; terram volui circa ſolem; & ex hac reuolutione ſequi dierum, noctiumque viciſſitudines. Copernicus immediatè poſt ſolem poſuit orbem mercurij: deinde orbem veneris; tertio orbem magnum, in quo conſtituit terram cum elementis, ac etiam lunam; quarto orbem martis; quinto iouis; ſexto ſaturni: ſeptimo ſtellarum fixarum. Alia multa de diuturnitate horum motuum addit, quæ apud ipſum legantur.

6 Contraria opinio, quod terra immota quieſcat in centro, ſol vero circa illam voluatur; videtur omnino certa ex ſacris Scripturis Eccleſiaſt. 1. *Terra in æternum ſtat: oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens, girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Hæc in re non ita philoſophica attigiſſe ſit ſatis: qui plura velit legat Auerſam *q. 31. ſect. 2.* Negandum eſt Pithagoræ centrum grauitatis eſſe locum perfectiſſimum; licet tale ſit centrum operationum, principium videlicet vnde illæ incipiunt.

SECTIO SECVNDA.
Deciduntur nonulla de mundo.

Mūdus finitus.

1 QVæres primo; quantus eſt mundus? Reſpondeo contra veteres ab Ariſtotele

l. 1.

l. 1. tex. 33. relatos, esse finitum: quia cœlum Empyreum est terminus mundi: quod esse finitum argumēto est: quia supra illud ascendit Christus Dominus.

2 Quæres secundo de figura Cæli? Plerique docent terram esse planam vsque ad Cæli latera distensam: nec Cælum esse perfectè sphæricum, sed ad modum fornicis supra terram attolli. Erit igitur cœlum figuræ cmyeieli. Nec mundus erit, nisi semiglobus: ita apud Auersam *sect.* 4. doctissimi ex orthodoxis Patribus Iustinus Martyr, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Theophilactus, Theodoretus.

Est figuræ rotundæ. 3 Contraria tamen sententia est omnino sequenda. Probatur ex scripturis, quæ passim mundum, orbem, appellant: orbis autem est sphæricæ figuræ. His adde illud Prou. 8. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos.*) Ecclesiastes 25. *Gyrum Cæli circuiui* Ecclesiastici 1. *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem lustrans vniuersa. Incircuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur?*

Terra, & aqua constituunt vnū globum. 4 Aduerto terram, & aquam debere duos globos, vnum intra alium facere: defacto tamen vnum conficere: idque ad conseruationem hominum, & brutorum. Hic globus non est perfectus, sed aliquæ partes prominent, vt montes, alia iacent, vt valles.

Quæ vniuersi figura. 5 Si Empyrei superficies vt volunt nonnulli, est quadrata vniuersum est absolute figuræ, quadratæ; secus erit rotundæ.

Terra non violenter pendet, sed quiescit. Homines vbique recto feruntur corpore. 6 Dicitur autem Psal. 105. & Isa. 40. Deus, *extendisse Cælos sicut pellem, & tanquam tabernaculum:* tum propter facilitatem, qua illos creauit: tum quia aptos illos ad nostram habitationem veluti tabernaculum extendit. Legatur S. Aug. 2. de Gen. ad litt. c. 9. At terra non violenter pendet in medio; sed, tamquam in loco sibi debito, quiescit in centro; ad quod suo pondere fertur, si inde euelleretur: Homines autem, qui terram incolunt, recto vbique corpore feruntur: capite videlicet in Cælum verso, pedibus terram premunt.

7 Quæres vtrum sine miraculo possit hic mundus in perpetuum conseruari? Respondeo affirmatiue: quia dum corrumpuntur hæc indiuidua, alia consurgunt perseuerantibus speciebus, quibus per se hic mundus constat. Non est autē necesse vt a parentibus filij gignantur debiliores: & oppositum aliquando accidit: ergo non necessario deueniendum ad alios generationi ineptos.

Mundus substantialiter non desinet. 8 Quæres 4. vtrum hic mundus sit tandem desiturus? Respondeo certum esse, Deum, sicuti hunc mundum libere conseruat, ita posse illum annihilare. Hinc 2. Machab. 8. *ipse potest vniuersum vno nutu delere.* Certum item est corpora Beatorum, & damnatorum in æternum perseueratura. Reliquas substantias corporeas actuales Hurtadus citans multos Patres *disp.* 3. de Cælo *sect.* 7. putat substantialiter desinendas, eoque modo iuxta locutionem scripturarum Deū, nouos cælos, & nouam terram creaturum. Verum his authoritatibus contrariæ, & probabilioris sententiæ authores alias opponunt forsasse clariores, & scripturas allatas ab Hurtado intelligunt de mutatione accidentali: ac demum suam mentem ratione non infirma confirmant: quia ex vna parte certum est post diem iudicij futurum mundum; ex alia hic mundus, qui defacto datur est naturaliter æternus: ergo nè dicamus, quod contra suam exigentiam destruendus sit, asseramus illum secundum suam substantiam perseueraturum. Verum hoc indicasse sit satis.

9 Quoad perfectionem mundi, certum est illum esse perfectum, vtpote à perfectissimo principio, cuius perfecta sunt opera, procedens. Et vt supponat hæc perfectionem spectant etiam corruptiones, & generationes, quin, & ipsa monstra, & peccati permissio, ac damnatorum pœna. His autem non præiudicat, quod caligantibus oculis hanc mundi pulchritudinē, & perfectionem non assequamur. *Mundus est perfectus.*

DISPVTATIO SECVNDA.

De substantia, & Natura Corporum Cælestium.

1 Inter præcipuas philosophiæ partes cæli cognitio numerari debet. Cælum dicitur à cælando, vel quia cælat, quæ intra se continet, vel quia sideribus insculptum, ac veluti cælatum est. Et proprie significat eam mundi visibilis partem, quæ supra elementa residet, & sidera continet, quæ propterea cælestia corpora dicuntur.

2 Cæli corporumque cælestium existentia est satis certa, & à sacris litteris declarata. At non bene sentiunt, qui docent astra vel ferri per vacuum, a quo natura abhorret, vel esse substātias intellectiuas: quia substantiæ intellectiuæ sunt spiritus, qui neque lucem corpoream in se habent, nec possunt illam alijs immediate communicare: infra autem fusius forsasse dicam, corpora cælestia non esse animata.

3 A veritate item aberrant: qui admittunt primum cælum luminosum; secundum non luminosum, sed passim perforatum: quo videlicet per illa foramina primum cælum in hæc inferiora lucem transmittat: hi profecto negant astra esse corpora calestia. Sunt enim vero hæc aniles fabulæ, non solida recte philosophantium placita. Contradicunt enim 1. astronomicis observationibus docentibus sidera esse alijs alia altiora, quod in hac sententia nequit verificari. Secundo Scripturis, quæ videntur loqui de astris, tamquam de corporibus solidis, & in cœlo existentibus ac circumvolutis, quod non cohæret cum foraminibus quos dicti authores confingunt.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Corpora Cœlestia sint composita, ex materia, & forma.

1 Si corpora cœlestia essent natura sua corruptibilia, omnino dicendum esset, constare

stare materia, & forma substantiali: non enim apparet quomodo corpus substātialiter simplex sit substantialiter generabile, & corruptibile; vt fusius dixi *lib.* 2. physicorum. In opposita autem suppositione, est valde dubium, verum sint substantialiter simplicia, vel composita.

Celi sint compositi. 2 Verum ex ijs quę dicebam *l.* 1. *phys. disp.* 5. *sect.* 4. probans repugnare substantiam corpoream substantialiter simplicem; iam constat cœlum esse compositum ex materia, & forma. Et confirmatur, quia Aristoteles apud Aversam *q.* 33. *sect.* 5. videtur docere omne corpus, & præcipue cœlum esse compositum ex materia, & forma, & 2. *m. tex.* 10. *Quecumque, inquit, mutantur materiam habent, sed diuersam: nam, & ipsorum sempiternorum, quæ non sunt generabilia, est materia, sed non quæ generationi subijci potest.*

3 Nono autem *met. tex.* 1. & 2. *met. t.* 14. solum cœlis negat materiam, quæ sit potentia proxima ad corruptionem: & ideo docet in cœlo esse subiectum ad summum in ordine ad motum localem. Cæterum, & si generatio, & corruptio substantialis sit caput sufficiens ad inferendam compositionem substantialem, non tamen est vnicum. Sicuti neque cœli perfectio est caput sufficiens substantialis simplicitatis.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum cœlum substantialiter differat à corporibus sublunaribus?

Cœlum est substantialiter diuersum ab elementis. 1 Ex veteribus multi cœlum dixerunt esse naturæ igneæ, & aqueę, nonnulli aereæ, vel terreæ. Peripatetica, & vera opinio docet cœlū substantialiter differre ab elementis: quod probatur ex influxu vniuersali cœlorum in hæc inferiora; & eorundem loco supra reliqua corpora elementaria, & mixta: neutrum autem horū alicui elemento, vel mixto competit.

2 Habet cœlum aliquas elementorum proprietates, sed non cum imperfectionibus elemētorum: quia & si fortasse sit solidum, lucidum ac splendens; sed non est graue sicut terra, neque leue sicut ignis, neque fluit sicut aqua, & aer; agit in omnia elementa, & nihil ab illis patitur; producit in alijs qualitates contrarias, sed non recipit.

Cœlum non esse factum ex aquis. 3 Dices cœlum est factum ex aquis, ergo est naturæ aqueę. Nego consequentiam: neque quia aer factus est ex aquis, est naturę aqueæ. Antecedens autem non est absolute verum: nam ex Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*: quod autem creatum est in principio, nō est ex alio prius creato: quod de cœlo empyreo, quod reliqua sua magnitudine comprehendit, & sua virtute tamquam Dei vniuersale instrumentum fouet, est certum: de reliquis cœlis res est dubia: de firmamento ex Scripturis non constat factum fuisse ex aquis: quomodo autem aquarū aliquæ sint supra, alię sub firmamento, spectat ad sacros interpretes, quos consulere debēt harū ce-

tum studiosi. Legatur Suar. *disp.* 15. *met. sect.* 1. 2 *n.* 21.

4 Noto hic primo: lucem non esse ignis strictam proprietatem. Secundo partem cœli à cœlo reuulsam, ac in terram depressam, forsasso non ascensuram: neque enim admittenda est ea virtus naturalis, quæ numquam naturaliter deduci potest in actum. At si ea virtus admittatur non propterea erit eiusdem rationis, ac leuitas ignis: cum non respiciat eumdem terminum. Tertio cœlos non esse formaliter calidos, & frigidos: sed ad summum virtualiter.

Quomodo inter se differant corpora cœlestia 5 Si comparemus inter se cœlos, & præter empyreum, non admittas nisi vnum fluidum; empyreum est diuersæ speciei ab illo, quia empyreum est magna ex parte solidum, illud fluidum; & si empyreum est ex parte superiore fluidum; ea fluiditas erit diuersæ speciei à fluiditate cœli inferioris: quia fluiditas empyrei ordinatur ad commodam habitationem corporum beatorū; at cœli inferioris ad motum astrorum. Si præter empyreum admittas multos alios cœlos solidos; rationabiliter asseruntur specie diuersi, quia ordinantur per se ad motus, & influxus specie diuersos; quos determinatè ex natura sua exigunt, cum semper promant similes. Ex quibus facilè colliges substantialem astrorum inter se diuersitatem.

SECTIO TERTIA.

Vtrum cœlum sit ingenerabile, & incorruptibile.

1 Videlicet virum virtute agentis naturalis possit dependenter à subiecto produci, aut destrui.

Cœlum est ingenerabile, & incorruptibile. 2 Dico esse ingenerabile, & incorruptibile: hanc sententiam, & si in pari alioqui causā, mihi reddit probabiliorem authoritas: eam enim sequuntur plures Theologi, & expresse tradit S. Dionys. 4. de diuin. nom. Et confirmatur, quia in cœlis habemus satis bonum incorruptionis argumentum. nempe tot sęculorum reuolutionibus nullam passas fuisse alterationem, aut corruptionem. Et sane cœlum est principium omnium generationum, & corruptionum sublunarium: cum igitur huiusmodi generationes sint ex natura rei futurę perpetuæ, perpetuum debet esse illarum principium vniuersale. Et cum hi effectus per tot sęcula vniformiter processerint, & vniformiter in futurum procedere exigant: videntur supponere vniformitatē in suo principio vniuersali, quale est cœlum: ergo debent supponere, quod vna pars cœli non agat in aliam ad illam substantialiter immutandam, alter iam inducta esset difformitas principij. Demum ex motu cœlorum nō possemus aliquid certi enunciare, neque circa ipsas eclypses.

Quomodo elementa sint causæ vniuersales. 3 Notandum autem primo etiā elementa esse quidem causam vniuersalem, sed non eodem modo, ac cœlum: nam cœlum ab suam nobilitatem est pura causa actiua, non præbsus suam-

ma-

materiam ad generationem, & corruptionem sublunarium: at elementa ad mixtionem in mutua pugna suā materiam exhibent, quod præstare nequeunt nisi corrumpantur.

Et aer dicitur cælum.

4 Secundo in Scripturis aerem non raro vocari cœlum: sed non sumptum pro causa vniuersali horum inferiorum. De sole etiam dicitur, quod exurat montes, & ex sufflet igneos radios, non quia sit formaliter ignis, sed propter effectus quos producit valde similes effectibus ignis. Illud autem Psal. 101. de cælis *Ipsi peribunt* intelligis S. August. 12. *de ciuit.* c. 4. comparatiue: quia comparatione Dei sunt caduci: sicuti illud Christi Domini Matth. 24. *Cælum, & terra trāsibunt, verba autem mea non præteribunt.* Obtenebratio autem solis, & lunę in die iudicij, sicut & solis in morte Christi, sunt mutationes accidentales, & miraculosæ.

Et sol igneus.

Quid de quibusdam nouis in cęlo apparentis.

5 Sicuti accidentalis mutatio putari potest facta in cathedra Cassiopeæ anno 1572. quando ibi apparuit noua Stella lumine, ac splendore valdè insignis, & præter solem, & lunam superans reliqua sidera, cui simile quid referunt S. Aug. Plin. Nicephorus: quia videlicet aliqua pars cœli valdè condensata lumen maius ad nos remiserit per reflexionem: cessauit autem illud lumen videri, quia paulatim ea pars ad suam natiuam dispositionem se reduxit. His adde corpus medium magis densum, & vaporibus, ac exhalationibus oppletum; potuisse eam variationem in sensibus causare. His pręterea adde multas ex his mutationibus fuisse miraculosas, vt notāt Conymbricenses, Maurus, Arriaga, & alij apud Quiros *disp.* 99. *n.* 12.

Quid de cometis.

6 Cometæ demum iuxta veram, & communem sententiam non sunt corpora cælestia, sed sublunaria: vapores, videlicet, & exhalationes ad supremam aeris partem prope cœlum eleuatæ: vbi solis lumini obiecta quasdam veluti stellas formant, & varias exhibent figuras.

SECTIO QVARTA.

Vtrum materia cœli sit diuersæ rationis à nostrate?

Materia cœli est diuersę rationis à nostra.

1 ESse diuersæ rationis cum pluribus defendo: & moueor: quia nostra est capax plurium formarum, quam capacitatem non habet materia cœli: corpus enim incorruptibile, quale est cœlum, exigit materiam incapacem aliarum formarum: aliter agentia naturalia contraria possent illam disponere ad propriam formam, & consequenter ad corruptionem pręsentis compositi, & vnionis. Neque aliunde efficacius probari potest corruptibilitas compositi, & vnionis, quam ex hac capacitate materię

2 Objicies primo, Deus licet indifferens ad volitionem mūdi, eam semel cōceptam immutabiliter retinet; & Omnipotentia indifferens ad creandum Angelum, semel tamen creatum non potest naturaliter annihilare; & natura humana Christi Domini licet naturaliter capax alterius subsistentiæ; tamen insolubiliter subsistit subsistentia diuina: & quamuis præcisa vnione peccabilis, per vnionem tamen ita peccare repugnat, vt nulli potentia valeat peccatum admittere: ergo quamuis materia sit commune subiectum indifferens ad omnes formas; adhuc potest indissolubiliter vniri alicui formę. Nego consequentiam. Et ad primam quidem paritatem disparitas est quia spectat ad immutabilitatem Dei, vt immobiliter velit, quod semel efficaciter decreuit, neque quoad volendum de nouo subiacet actioni agentium naturalium sicuti subiacet einatum sua materia, quæ non posset sine iniuria, & contra exigentiam agentium naturalium eximi ab illa subiectione. Ad secundam de Omnipotentia patet, quia quod Angelus non annihiletur, non est contra, imo potius est iuxta exigentias causarum secundarum, quod non militat in materia. Ad tertium de Vnione hypostatica dico, fieri transitum ad statum supernaturalem, in quo est vnio, & humanitas vnita: nemo autem dixerit, quod materia nostras miraculosè vniatur formæ cæli. Idem proportionaliter dico ad exemplum de impeccabilitate.

3 Objicies secundo, datur in cœlo raritas, densitas, fluiditas, lumen, & quantitas: ergo datur materia eiusdem rationis cum nostra: illa enim accidentia similia nostris nō videntur posse recipi, nisi in materia eiusdem rationis cum nostra. Et quidem vbi sunt accidentia eiusdem rationis, debent & substantiæ esse eiusdem rationis. Nego consequentiam: dantur enim quædā accidentia, quæ ex suo conceptu specifico æquè bene inueniri queant in subiectis specie diuersis, vt si dentur duo subiecta capacia 10. accidentiū similium, & 10. dissimilium. Identitas igitur subiectorum non colligitur ex quacumque similitudine accidentium, sed ex adæquata.

Quod cœlū ex aquis factum.

4 Objicies tertio, Patres quorum meminit summa triumphantis philosophiæ *l.* 2. *disp.* 8. *c.* 7. *n.* 1. ex Cornelio à Lapide, Tannero, Scheiner, docentes cœlos factos esse ex aquis; ergo ex materia eiusdem rationis cum nostra. Et sane Deus cum secunda die creauit firmamentum, non est supponendum, quod creauerit nouam materiam: quod autem illud firmamentum non sit aer, sed cœlum stellatum, patet: quia in eo dicitur Deus posuisse solem, & lunam. Respondeo hoc argumentum solum probare alios cœlos, non empyreum habere materiam eiusdem rationis, ac nostram; certum enim est empyreum non fuisse factum ex aqua secunda die, sed prima creatum à Deo. Secundo probabilis est, & vt talis a Sancto Augustino laudatur, illorum interpretatio, quos sequitur Suarius, qui dicunt nomine firmamenti secūda die creati venire aerē, quem vocari cęlum, & latinę linguæ periti docēt, & declarat ipse sacer textus eodem cap. 1. Gen. dum appellat volucres cœli. Præter hoc autem firmamentum, & cœlum dari sidereum; in quo Deus posuit solem, & lunam tamquam certum supponendum: hoc autem factum esse secunda die ex aquis nullo modo colligitur ex Sacris

aris litteris. Nullum autem est absurdum ponere duo firmamenta diuersa, & quod de vno loquatur facer textus in vno loco, de alio in alio eiusdem capitis; sicuti nullum est absurdum, quod eodem capite facer textus bis loquatur de cælo, & primo loquatur de vno cœlo, deinde de alio. Patres autem, qui in contrarium afferuntur, reddunt sua authoritate satis probabilem contrariam sententiam. Ceterum pro nostra explicatione stat Augustinus, qui l. 2. de Gen. ad lit. c. 4. vt innuimus, allatã interpretationẽ iudicat laudabilissimã, & videtur, ni fallor, supponere eã esse pluriũ opinionẽ. Neque putandũ est Suariũ in sãctis Patribus versatissimũ docuisse contra illorum communem sensum firmamentum stellarum non factum ex aquis. Quare nomine cęli, & firmamenti facti ex aquis ad diuidendum aquas ab aquis intelligunt Patres aerem: neque huic opinioni contradicit Ambrosius *l. 1. exam. c. 6.* negans cęlum esse quintam substantiam distinctã ab elementis; nomine enim cęli non potest intelligere, nisi aerem: nam si nomine cæli intelligat stellatum, vel empyreum; contra communem sensum negasset illa distingui substantialiter ab elementis.

SECTIO QVINTA.

De forma cælorum.

Formæ corporum cælestiũ sunt ab intrinseco diuersæ à sublunaribus.

1 EX dictis constat cœlos habere formam specie diuersam à formis corporum sublunarium: tum quia cęlorum, ac corporum cælestium formæ sunt ab intrinseco incorruptibiles: tum quia habent modum operandi, & quidem stabilem, longe diuersum à modo operandi corporum sublunarium: solum igitur hic quæri potest, vtrum hæc forma cæli sit anima: non defuerunt enim ex antiquis, qui cælo concesserint animam tantum vegetatiuam, illudque, vel potius solẽ nutriri dixerint vaporibus aqueis, & exhalationibus terrestribus; alij tribuére cęlo animã sensitiuam; Plato vero etiam rationalem, contra quos omnes.

Corpora cælestia non sunt animata.

2 Dico cælos nullam habere animam: probatur, nullum habemus vitæ cælorum indicium. Et sanè corpora animata adeò magna, si viuerent aliquod Iudicium suæ vitæ tribuerent: ergo non sũt animata. Antecedẽs cõfirmatur preterea; quia nõ viuunt vita vegetatiua, neque enim augentur, nutriuntur, aut generant; quę omnia sunt signum corruptibilitatis, cuius est expers cælum. Neque sensitiua: tum quia hęc includit vegetatiuã: tum quia cum indigeat organis corporeis, & spiritibus ad functiones vitæ exercendas, non est à corruptibilitate separabilis. Neque demum vita intellectiua: tum quia hæc in corporibus supponit vegetatiuã, & sensitiuã: tũ quia anima intellectiua, vtpote spiritualis, deberet posse naturaliter cõseruari extra materiã: ergo iã cęli possent corrũpi. Aristoteles si aliquid aliquando in contrariũ docuisse videtur, intelligendus est de intelligentia assistente. Legãtur Conymbr. *l. 2. c. 1. q. 1. ar. 1.* & sequentibus, & Auersa *cit. sect. 7.*

Quomodo cælestia sint sublunaribus corporibus perfectiora.

3 Quæres vtrum corpora cœlestia sint perfectiora sublunaribus? Respondeo corpora cælestia superare sublunaria, primo quoad independentiam; sublunaria enim omnia dependent à cælestibus, hæc à solo Deo. Secundo quoad locum, sunt enim in loco nobiliori: absolutè tamen loquendo certum videtur cælestia esse perfectiora sublunaribus inanimatis, tum ex perfectiori modo operandi, tum quia in inanimatis nõ est aliquod prædicatum præcellens, ratione cuius debeant præferri cœlestibus. Si autem comparentur cum viuente intellectiuo corporeo sunt longé illo inferiora: cum in eius bonum ordinentur: neque habeant operationes intelligendi, & volendi valde nobiles, & æstimabiles. Sin demum cum plantis, & brutis; res est mihi valde dubia; præsertim si loquamur de plantis: vegetare enim non est operatio adeò nobilis, vt vegetatiua facultas videatur excedere, vel cõpensare incorruptibilitatẽ, & independentiam cęlorum: quibus prædicatis valdè inclino, vt præferam esse cognoscitiuũ, & appetitiuum, quæ sunt principia operationũ immanentium, quibus subiectum se mouet, & agit, & non meré à generante mouetur, & agitur. Cæterum nolo hic aliquid certi statuere

DISPVTATIO TERTIA.

De corporum Cælestium varietate structura, & nonnullis eorum affectionibus.

1 AB astris notioribus ad cælum ignotius gradum faciemus. Sciendum autem est ex astris alia inter se comparata semper eumdem tenorem, ac distantiam seruare, ideoque dici sidera fixa; non quia nullo motu agitentur: alia sunt quę inter se, & cum alijs non semper eamdem distãtiam, & propinquitatem seruant, sed modo magis, modo minus distant; & hæc appellantur errantia, seu planetæ græco vocabulo: quodlibet tamen habet suum motum regulatum.

SECTIO PRIMA.

Quot, & quæ sint Astra cælestia?

1 SIdera inerrantia seu fixa, tot occurunt intuẽtibus nocte serena cęlum, vt appareant innumerabilia, quod videtur docuisse Sacra Scriptura, Gen. 15. *suspice cælum, & numera stellas si potes*: fuit tamen ex antiquis nonnullus, qui stellas fixas numerare sic ausus, easque in duodecim signa Zodiaci distribuere; assignando cuique signo suas: in vniuersum autem numeratæ sunt stellæ fixæ 1022. Primus vero qui stellas hasce numerauit, fuisse dicitur Hipparcus, a quo Plinius l. 2. naturalis historiæ c. 26. Posteriores Astrologi multo plures stellas fixas agnouerũt. Tico enim Brahe, & Galilæus suis instrumẽtis experti sũt multo plures esse stellas, & quæ prius vnica putabantur, esse conflatas ex pluribus mi-

notioribus stellis: quin imo viam lacteam esse fasciam quamdam minutis stellis compaginatã, tubo optico se comprehendisse fatentur. Rem totam concludat S. Augustinus qui 16. de ciuit. c. 13. *Stellæ inquit dinumerari non possunt, quia nec omnes eas videri credendum est, nã quãto quisque acutius intuetur, tanto plures videt, vnde & acerrime intuentibus aliquas occultas esse existimatur.*

2 Astra errãtia cõmuniter numerãtur septẽ, luna mercurius, venus, sol, mars, iuppiter, saturnus: distinguuntur autem à fixis, quia non, sicut illa, scintillant. Galilæus circa Iouem obseruauit alias quatuor errantes, alias duas circa saturnum: hæ tres stellæ saturnum constituunt; quæ vero mouentur circa Iouem, habẽt proprios epicyclos. Circa solem etiam ex maculis, quæ in diuerso loco singulis diebus illum obscurant, colligunt nonnulli dari alias stellas errantes. Cometas immerito quis inter stellas errantes numerauerit.

3 Quoad ordinem vero harum stellarum; certum videtur, fixas esse supra omnes planetas, quod ex vniformitate motus, & aspectus, & ex quadam eclypsi, quam per suppositionem planetarum patiuntur, videtur, clare colligi. Ex quo vlterius infertur non omnes stellas esse in eodẽ plano, & cum eadem distantia à centro. Cæterũ vtrum omnes fixæ sint in eodem plano, valde dubium est: licet enim semper vniformiter moueãtur cum eadem distantia, ac sine vlla aspectus varietate; non ideo inferri potest, esse in eodem plano, potest enim cum inæqualitate, ac superioritate vnius respectu alterius benè coherere vniformitas motus, distantiæ, & aspectus.

4 De planetis videtur probabilis ordinatio illa, qua luna infra omnes ponitur, supra lunam venus, mercurius, & sol; ita tamen, vt sol sit supra lunam, venus autem, & Mercurius voluantur circa solem, per suum epicyclum. Et ideo, vt colligitur ex modernis obseruationibus, modo sunt altiores, modo infra ipsum. Supra solem autem sequitur mars, quem proxime excipit iuppiter, cui tandem succedit saturnus. Et quidem de infimo loco lunæ prope nos probatur: quia per lunam patiuntur eclypsim reliqui omnes planetæ: ergo est infra omnes, aliter non posset aspectum illorum sui corporis obiectu impedire. Ipsa vero eclypsatur quidem, sed non, nisi interpositione terræ inter ipsam, & corpus solare. De Mercurio respectu solis confirmatur: quia compertum est per coniunctionem Mercurij aliqua ex parte solem passum esse eclypsim. Hæc ratio eclypsis efficax est, si procedit de omnibus planetis: vereor autem, vt id vnquam experti fuerint Astrologi in marte respectu iouis, & in ioue respectu saturni. Verum de his consulantur Mathematici.

SECTIO SECVNDA.

De numero cælorum.

Quæ sunt cæli. 1 Multi admittunt supra sidereum aliud cœlum, nempe primum mobile, quod motu diurno conficit circulum ex oriente in occidentem, & secum trahit alia corpora inferiora: cuius rei hanc assignant rationem. Astra non solum mouentur ab oriente in occidentem, sed etiam ab occidente in orientem: ergo mouentur duplici motu, quorum alter est proprius cuique globo, alter communis omnibus, & dicitur motus raptus; ergo præter omnes sphæras sidereas, admittenda est alia, quæ suo motu communi omnibus stellis, illas rapiat ab oriente in occidentem. Quin imo cum aliqui animaduerterint stellas fixas ferri motu quodam, quem trepidationis vocant, ab vno ad alium polum; ideo admittunt inter primum mobile, & globum siderum fixorum, cælum, quod christallinum vocant, quia veluti chrystallus vndequaque transparet; ad cuius motus absolutionem multas annorum myriadas requirunt. Hoc cælum à meridie ad aquilonem vergens secum trahit stellas fixas. Verum cur etiam non trahit secum stellas errantes? Præterea, qua vnquam ratione efficaci ostendent astronomi, dari hæc corpora, & vnum per motum trahere secum aliud? cur potius non dicimus quamlibet stellam ita à sua intelligentia, ac etiam forsasse iuxta propriam exigentiam, ferri, vt modo declinet, modo accedat ad polum: id, quod omnino affirmare cogitur, qui cælum fluidum admittunt.

Confirmatur existentia empyrei. 2 Existentia autem empyrei inde probatur: quia datur cælum, quod est sedes Beatorum, & quod communiter vocant empyreum: huiusmodi autem non potest esse sidereum creatum tantum ad conseruationem mundi inferioris, & ad generationes, & corruptiones causandas: congruentius igitur admittitur aliud cęlum longe sublimius, & præstantius, quod sit sedes Beatorum. Aliqui putant hoc cęlum esse totum solidum; sed hi debent explicare, quomodo loquantur Beati, & an sint supra cælum, vel cum cælo penetrati? quomodo item, si sunt supra cœlum, per medium vacuum emittantur species? Alij putãt esse totum fluidum, & consequẽter corpora Beata futura stabilia supra fluiditatẽ empyrei, quod non excedit conditionem corporum Beatorum. Alij demum cum Auersa putant esse parte inferiori solidum, superiore fluidum, vt videlicet omnia supradicta benè concordent.

Quot sunt reliqui cæli. 3 De reliquis autem Cælis innumeræ ferè sunt sententiæ, profectæ, ni fallor, ex distantia cœlorum à nostris sensibus: quidam enim valde plures cælos, quam stellas admiserunt: Quin imo nonnulli singulis stellis 180. cælos assignabant. Communis aliorum opinio octo cælos stellis assignat, & supremum quidem stellis fixis, reliquos septem errantibus, seu planetis: Alij quodlibet cælum totale adhuc subdiuidunt in plures partiales; & Ptholomeus quidem assignat cuilibet astro tres cœlos partiales, duos extremos, & vnum medium, quod non habet omnes suas partes æquales; sed aliquas magis alijs prominentes, ideoque affirmat cęlos extremos ex parte interiori, qua medium ambiunt, habere etiam partes inæqualiter prominentes, vnde se-

qui-

quitur cælum medium, non esse perfectè sphæricum, neque habere partes concentricas, & æqualiter distantes à centro. Addit Ptholomæus, duos extremos moueri motu raptus, & secum trahere medium, quod dicunt deferens: quia in ipso resident Planetæ; & mouetur, tum motu raptus, ex oriente in occidentem, tum motu proprio, ex occidente in orientem.

4 Contra hanc constitutionem videtur facere: quia si cælum medium non est vndequaque æquale, non videtur, quomodo possit in gyrum ex occidente in orientem volui, nisi vel discindat orbes ambientes, vel discindatur ab illis, si admittantur solidi, & planeta stet in medio tamquam nodus in tabula. In hac opinionum varietate.

Tres sunt cæli.

5 Dico: non esse distinguendos tot cælos, quot sunt planetę, sed vnicum tantum esse cęlum sidereum, & in vniuersum tres tantum dari cęlos sidereum, aereum, & Empyreum. Hæc est multitudo cælorum, quæ frequenter indicatur in Scripturis. Huius autem conclusionis ratio, præter authoritatem Patrum, quos refert, Hurtadus *disp.* 2. *sect.* 9. quæ in re omnino, dubia est mihi magni ponderis; est: quia nulla est ratio admittendi tot cęlos sidereos: omnia enim bene saluari possunt per vnicum sidereum cælū. Neque debemus admittere distincta principia in ordine ad illam motus varietatem, quam in cęlis, & astris experiuntur astronomi. Confirmatur authoritate Apostoli, qui ad supremum cęlū raptus, vbi vidit arcana Dei, dicit se raptum vsque ad tertium cœlum: ergo signum est, præter tertium cælum, nullum aliud admittendum, & consequenter tres tantum esse cælos: ex quo vlterius infertur vnicum tantum esse cælum sidereum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum celi sint solidi, vel fluidi?

Si cęlum sidereum est fluidum saluantur sine absurdo planetarū obseruati motus.

1 DIco primo: si cęlum sydereum (nam de Empyreo supra dixi) ponatur fluidum, rectè omnia cohærent, quæ ex ratione humana, & experientia de motu cęlorum dicimus. Probatur: quia ex vna parte, si cæli sint fluidi, benè saluantur omnia, quæ de motu inæquali Planetarum circumferuntur sine vllo periculo fractionibus, penetrationis, aut vacui: ex alia verò hęc fluiditas non pugnat cum incorruptibilitate substantiali cęlorum; tantum enim ex illa sequitur corruptibilem esse vnionem continuatiuam cœlorum, ex quo non sequitur, cęlos esse absolutè corruptibiles: sicuti quamuis corruptibilis sit vnio continuatiua partium materiæ, non inde sequitur esse corruptibilem ipsam materiam. Cęterum qui cęlos fluidos defendunt, debent dicere cęlos non moueri, sed astra, quæ in illo existunt, tamquam pisces in aqua, vel aues in aere; motu tamen non irregulari, sed omnino vniformi. Quiros *disp.* 69. *n.* 21. concedit cælos motu astrorum ob suam fluiditatem edere sonum, sed à nobis non perceptum ob distantiam.

Si consideremus authoritatem scripturarum probabilius est solidum.

3 Dico secundo: si consideremus authoritatem Diuinarum Scripturarum, soliditas cęlorum est valde probabilis: nam scripturis nomine cęlum appellatur passim firmamentum, quod, quamuis possit intelligi de incorruptibilitate, & stabilitate, quia eodem motu valde regulari circumuoluuntur astra; negari tamen non potest, quin talis acceptio sapiat aliquam impropriietatem.

Ad rationem desumptam ex obseruationibus astronomicis, quod aliqua astra modo infra, modo supra solem moueantur, id non bene cohæret cum soliditate cęli, neque aliquam fractionem vel penetrationem; admitti enim possunt aliqui Epicycli, seu circuli excentrici, in quibus sit Planeta defixus tamquam nodus in tabula, qui circuli sint in ipsa crassitie cęli, & voluantur circa solem secum deferentes planetam, ideoque hic aliquando appareat supra solem, aliquando infra. Cæterum omnes hi planetæ debent esse cum sole in eodem cęlo, vel si cęli sunt plures, illorum motus debent esse æquales: aliter, si vnum alio velocius suum circulum conficeret, discinderet in partes circulos exteriores.

4 Aduerto hic, si cęli sunt solidi, præter cęlum solis & stellarum circa illum errantium, dari cęlum stellarum fixarum, quod illas secum deferat: hoc enim cælum non potest esse vnum corpus cum cælo solis: mouetur enim diuerso motu, sicuti diuerso motu mouentur illius stellæ: ergo ob eamdem rationem, si planetæ, qui non habeant suos epiclyclos, moueantur diuerso motu ab alijs, debetur illis proprium cælum; ideoque in hac suppositione de soliditate cęlorum, non essent tres tantum cæli: nisi sub secundo comprehendas omnes orbes stellarum.

5 Demum præ reliquis rem præclare componeret, qui diceret, cælum planetarum esse fluidum ob rationes allatas in primo dicto, firmamentum autem stellarum fixarum esse solidum, sicut empyreum; & in eo sensu optime saluaretur cælos esse tres, planetarum videlicet, firmamentum, & empyreum.

SECTIO QVARTA.

De quantitate, & reliquis accidentibus corporum cælestium.

1 SI, vt supra vidimus, corporibus cælestibus competit materia diuersæ rationis à nostra, non est cur illi concedamus quantitatem similem nostræ, vtpotè debitam, & radicatam in substantia essentialiter diuersa.

Cæli magnitudo à nobis immensurabilis.

2 Quæres tamen primo quanta sit magnitudo corporum cælestium? Respondeo verbis Plinij l. 2. naturalis *hist.* c. 23. *Mirum quo procedat improbitas cordis humani paruulo aliquo inuitata successu, aufique diuinare solis ad terram spatia; eadem ac cœlum agunt, vt protinus mun-*

di quoque ipsius mensura veniat ad digitos. Res igitur lubrica, & periculo erroris plus nimis exposita est, cælum, cælestiaque metiri: nam vt bene notat Hurtados, eadem obiectum in eadem distantia à diuersis oculis videtur modò maius, modò minus, quin imo idem ab eodem diuersitate, vel varia organi dispositione respectu eiusdem oculi. Quare rectè Plinius clamos cæterum *Furor est inquit mensuram eius animo quosdam agitasse, & prodere ausos:* solum fortasse cognosci potuit certò, esse maiorem luna: quia sua vmbra illam omnino obscurat: quæ ratio supponit solem maiorem terra, & luna.

Quæ nam figura cælorum.

3 Quæres secundò quam figuram iudicant corpora cælestia? Respondeo cælum sidereum esse sphæricum, quod patet ex eo, quod primum illud circumferentia ambiat, & hoc quidem quoad superficiem concauam: quamuis id ipsum nõ videatur certum, posita eius soliditate: sicuti neque de conuexa aliquid certi dari in eadem opinione potest. Si autem cæli ponantur solidi, quò sine fractione, penetratione, aut periculo vacui exercere possint omnes suos motus adeo varios; debet poni perfecte sphærici: si enim essent vel quadrati, vel ouales, deberent, vel omnes, eodem motu æque veloci moueri, & consequenter planetæ deberent omnes æquali tempore conficere suum cursum; si sint tamquam nodi in tabula fixi: aut deberent frangi, vel penetrari; nec sine periculo vacui, dum ex inæqualitate motus aliquando angulus, vel apex oui vnius corresponderet lateri, vel medio oui alius. Præterea si essent quadrati, sol primo mane quò magis ascenderet ab oriente, eo magis à nobis elongaretur, saltem ad aliquod tempus, quia magis ascenderet ad angulum à nobis distantiorem; ergo quo magis ascenderet, eo minus illuminaret. Et hæc de cœlo sidereo: de empyreo nonnulla supra diximus.

Et Astrorum.

4 De astris communis Peripatheticorum opinio cum Aristotele docet esse sphærica: hæc enim figura vt potè perfectior videtur corporibus cælestibus congruentior: neque contemnendum est contra Peripatheticorum scholam, dum nulla pro alterutra parte suppetit ratio efficax. Galilæus tamen fatetur, se suo perspicillo vidisse, stellas non adeo perfecte rotundas.

De cælorũ densitate, & raritate.

5 Quæres tertio: vtrum cæli sint densi, & rari. Respondeo non repugnare cælis raritatem, & densitatem, vt nimirum sub paruis dimensionibus multum habeant materiæ, vel sub magnis parum. Cæterum sit ne ita de facto, quis diuinare valet? Verũ tamẽ est, quod dẽsitas, & raritas, sicut in corporibus sublunaribus oriuntur à calore, & frigore, nihil tamẽ prohibet, quin in cælis oriãtur ab alijs causis, & si nobis ignotis: at quis hęc diuinare valet?

Sint ne corpora cælestia opaca, vel diaphana?

6 Quæres quarto: vtrum corpora cælestia sint opaca vel diaphana, seu transparentia? Respondeo substantiam cęli esse diaphanam; per illam enim videmus stellas fixas positas in loco superiori. Lunam vero esse opacam, argumento est eclypsis solaris, quæ fit interpositione lunę: illa autem obscuritas nõ eueniret, si luna nõ esset opaca. Deinde si luna esset diaphana, semper tota illuminaretur, sicuti pila vitrea, quacumque parte opponatur soli, semper tota illustratur: igitur per reflexionem radiorum solarium, qui dum in lunam impingunt non vltra, sed illinc progressi in terram diriguntur, nos illuminamur à luna. Non est autem necesse, vt semper omnes radij ab eodem corpore reflectantur ad idem punctum.

7 De alijs autem stellis incertum est, vtrum sint transparentia: nam quamuis lucentia, non ideo transparentia; ignis enim est quidem lucidus, sed opacus. Illud certum esse debet, quæ eclypsim causant in alijs, esse opaca.

Qualitates corporum cælestium.

8 Circa qualitates cælorum suppono nunc, in illis potentias ad operandum, & solum addo aliquid de stellarum scintillatione. Communis sensus est fixas stellas omnes scintillare, non vero planetas, vno excepto mercurio: nonnulli tamen affirmant omnes, excepta luna, scintillare, solemque ad instar metalli ebullientis, feruere etiam in medio, præsertim circa ortum, & occasum.

Quid de scintillatione.

Rationem assignat Aristoteles remotionem illarum à nostro aspectu, propter quam vibrantur, veluti effugere, & tremere. Sed contrarium, quia Mercurius, qui vna excepta luna, & Venere, est nobis propinquior, scintillat. Præterea stellæ fixæ possent magnitudine compensare distantiam. Tertio stella in ore canis omnium lucidissima, & maxima, plus cæteris scintillat. Demum in opeico in specię stellę magis scintillare videntur, quamuis appareant maiores. Adijciunt non solum stellas reuolui circa cęlum, sed etiam in se ipsis, eoque scintillare magis, quò velociore circumuolutione in se agitantur. Demum addet nonnullus stellas scintillare: quia sunt veluti quædam corpora fluida solidis vasis contenta, quæ continua agitatione ita voluuntur, vt feruere videantur.

9 De qualitatibus, quæ in nobis inueniuntur, & sunt obiectum tactus, & aliorũ sẽsuũ quarũ aliquæ sũt primæ, vt frigus, calor, humiditas, siccitas; aliæ secundę, vt mollities, color, odor, &c. communiter docent non inueniri in cælis: primæ enim sunt elementares disponentes ad corruptionem, & generationem, quę locum non habet in cęlo. Secundę vero nascuntur à primis, ideoque deficientibus illis deficient.

Quis cælorum color.

10 Circa colorem, cælum ipsum nobis apparet cęruleum, aliqua astra rubent, aliqua flauescunt, &c. Communis tamen opinio docet, hos colores non esse reales, sed apparentes, sicuti colores iridis.

De cælorũ concentu.

11 Pythagoras sonos suauissimos à cęlis edi affirmabat: ab illo non multum discrepat Quiros; & illud Iob. 38. *concentum cæli quis dormire faciet?* videtur fauere huic sensui. Verum hic concentus intelligi potest de optima cælorum dispositione, & regularissimo astrorum motu, de quibus Dauid; *Cæli enarrant gloriam Dei.* Et sane quis in cælum conscendit, & ad nos reuersus illius soni nunc tum retulit? Cęterum hic

so-

sonus non irrationabiliter colligitur ex corporum motu.

DISPVTATIO IV.

De motu, & influentijs cælorum.

SECTIO PRIMA.

De loco, cœlorum, & motu.

Locus cælorum.

1. LOcus cœlorum proprius videtur esse supra omnia corpora. Non propterea cælum est leue; neque si aliqua illius pars ad nos descenderet sua virtute, sursum ascenderet, sed pulsa ab inferioribus corporibus exigentibus, cœlum existere supra reliqua corpora ad illorũ conseruationem.

De motu cælorum.

2. De motu, certũ est corpora cœlestia moueri; vt patet ex pluribus locis sacræ Scripturæ, quorum aliqua supra retulimus contra Copernicum. Deinde maior, & minor distantia inter eadem astra, quam diuerso tempore experimur, est clarum indicium, quod corpora celestia moueantur.

Quotuplex est cœlorũ motus.

3. Triplex illis motus communiter assignatur, primus raptus, quo ab oriente in occidentẽ rapiuntur à primo mobili: secundus naturalis cuique planetæ ab occidente in ortum: tertius trepidationis à septentrione ad meridiem, vel é contra, cuius triplicis motus sunt quædam obseruationes astronomicæ. Verum falsum omnino puto astra moueri duplici motu simul, alias deberent simul relinquere, & acquirere plura loca, quod naturaliter repugnat. Mouentur igitur vnico motu, qui totam illam variationem ab astronomis obseruatam diuerso tempore causare potest. Hæc diuersitas potest prouenire à causa motus, siue illa sit vna, quæ iuxta exigentiam vniuersi astrum adeo diuersimode moueat, siue sint plures, quæ per diuersos impulsus attẽperando concursum, diuersos illos motus producant, successiue tamen. Quare luna ita mouetur, vt numquam vnica die suum circulum absumat; idemque si hodie prima hora supra horizontem apparet, cras in eodem loco secunda hora apparebit, & quia non nisi post triginta circiter dies ad idem punctum reuertitur, ideo recte dicitur spatio triginta dierum suum cursum conficere: idem proportionaliter dico de reliquis planetis. Hic motus naturalis est corporibus cœlestibus: est enim ipsorum exigentiã: creata enim vt partes vniuersi in bonum illius, exigunt per motum conducere ad tale bonum.

Vnicus reuera est astrorum.

Et ipsis naturalis.

4. Iam verò certum est cælum moueri ab intelligentijs extrinsece assistentibus: ita communiter Patres, adstipulantur etiam phylosophi; & quod caput est videntur indicare sacræ litteræ Matth. 24. *virtutes cælorum commouebuntur* Iob. 9 *sub quo curuantur omnes qui portant orbem*. Non ideo tamen cœlis neges vim intrinsecam se inadæquate mouendi: si enim cœlis concedimus virtutem intrinsecam productiuam caloris, & similium qualitatum, cur illis denegabimus vim intrinsecam se ipsos mouendi: preterea sicuti connaturale est cælis influere in hæc inferiora, ita & producere seipsis motum, qui est omnino necessarius ad hos influxus regulatè producendos.

Mouentur ab Angelis.

Num in cælis sit virtus intrinseca se mouendi.

5. Licet cęlum haberet virtutem se ab intrinseco mouendi, posset tamen ab extrinseco determinari ad hunc potius motum, quàm illũ: sicuti quamuis oculus habeat virtutem intrinsecam videndi, potest tamen à specie determinari ad videndum potius hoc, quàm illud obiectum. Post diem iudicij cessat motus; quia cessat finis huius motus, vel quia recedit illa concausa: nõ quia non sit in cælis vis intrinseca productiua talis motus, saltem inadæquata: erit vero post illum diem connaturalis cælo quies: quia non repugnat motum, & quietem pro diuerso statu esse connaturales eidem subiecto.

Quomodo motus cœli procedat ab intelligentia.

6. Intelligentia igitur requiritur ad motum cælorum, vel vt causa actiua adæquata, iuxta communem sententiam, vel vt inadequata, iuxta aliorum sententiam, quam tamen ab omni nota defendunt recentiores nonulli, non sufficit autem vna intelligentia ad tot, & adeo diuersos motus. Congruẽter igitur docent nonnulli, quodlibet corpus habere suam intelligentiam, à qua circumuoluatur, siue demum intelligentia illa etiam in gyrum cum corpore vertatur, vt congruentius ad sua principia debent, docere, qui defendunt cælum esse fluidum, siue in vno loco fixa sium cælum cieat agiterque. Has intelligentias ex illo Matth. 24. *virtutes cælorum commouebuntur*, putat S. Thomas, esse Angelos secundi ordinis secundæ Hierarchiæ, qui virtutes appellantur.

Non quelibet parua virtus sufficit mouere cælos.

7. Non ideo poterit puerulus extra cælum positos illud voluere: quia licet in cælo nullam reperiat medij resistentiam in ordine ad motũ: adhuc tamen magna virtus requiritur, vt per corpus adeo ingens diffundatur motus, & impulsus; sicuti licet lumen non habeat contrariũ, tamen non sequitur, exiguam lucernam posse totum orbem illuminare; virtus enim agentis, vt pote limitata, non potest ad quamlibet distantiam extendere suas operationes.

SECTIO SECVNDA.

De operatione corporum cœlestium.

Corpora cœlestia non agunt inter se actione corruptiua.

1. CErtum videtur corpora cælestia inter se non agere, & pati actione corruptiua, quod derogaret eorum incorruptibilitati: multi autem effectus, quos ex varia astrorum coniunctione produci videmus, possunt optime saluari sine actione vnius corporis cælestis in aliud, ex mera coniunctione ipsorum astrorum; plures enim, vel pauciores causæ magis, vel minus vnitæ possunt magis, minusque operari, variosque effectus edere.

2. De actione vero illuminatiua, certum est ca-

Preter empyreum, reliqui cæli illuminantur á sole, & astris: nec propria luce fulgent.

cælum empyreum nõ illuminari ab astris Apoc. enim 21. dicitur *ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam.* De alijs autem cælis probabile est illuminari á sole, & astris, nulla enim est ratio cur sol & astra non communicent illis suam lucem: hac autem illuminatione posita, non est cur propria luce fulgeant: cum presertim luce qua gaudent, sit satis obtusa, & exilis.

De luce lunæ variæ opiniones.

3. De luna quotidiana experientia docet illuminari à sole: cum enim è diametro illi opponatur, tota illustratur, cum eumdem obliquè respicit, plus minusque illustratur pro situs varietate: & si interponatur tellus, luce prorsus spoliatur. Idem colligitur ex eclypsi solis.

4. Sunt qui docent lunam esse globum media ex parte luminosum, ideoque nobis modo lucere, modo non, modo sub vno, postea sub alio aspectu apparere: quia ille globus in seipso semper reuoluitur, & modo nobis ostendit totam faciem illuminatam, modo dimidium illius.

5 Aliqui, quia tempore Eclypsis vident lunam aliquo modo flauescere, & quando non tota á sole perfunditur luce, adhuc in reliquo corpore retinere quẽdã alborẽ; docent, lunã aliqua propria luce frui. Alij dicunt lunam illud lumen á venere accipere. Tertio alij quibus præluxisse videtur Galileus, putant illum alborem in luna procedere á terra per reflexionem radiorum solarium, ita vt si luna tota illustretur á sole, illuminet terram: cum vero parum ab illo conspicitur, reliquæ partes illustrentur illo albore ex reflexione radiorum è terra in cælum redeuntium. Et addit Galileus: plus illustrari lunam à terra, quam terram à luna: putat enim lunam esse magis montuosam, & asperam, quam terram. Demum alij docent lumen illud in luna procedere à partibus cæli vicinis, & à sole illuminatis: ideoque lunam eo magis illuminari, & albescere ex parte soli opposita, quo magis soli est propinqua: quia illæ partes cæli magis vicinæ plus luminis a sole recipiunt, & consequenter maiorem illius intensionem lunæ communicant. Sed multa, quæ hic addi possent de luce, e scintillatione astrorum pertinent ad astronomis.

Corpora cælestia influunt in hæc inferiora.

6 De influxu celestium corporum in hæc inferiora nemo potest dubitare: Gen. cap. 1. dicitur *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Et Deut. 4. *Quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.* Confirmatur: sol hæc omnia suo lumine perfundit, calore fouet, accessu, & recessu temporum vicissitudines causat. idem animaduerti potest in luna, & reliquis astris. legatur Plinius l. 2. c. 49. Ratio est: quia congruum videtur inferiora hæc à superioribus regi, motusque inferiores, ac varios illo constanti, & immutabili regulari.

7 Iam vero cælum empyreum videtur tantũ creatum, vt sit sedes Beatorum, & ob hunc finẽ est cæteris corporibus inanimatis perfectius: nulla ergo est ratio cur illi cõcedamus influxũ in hæc inferiora: sicuti nulla fortasse efficax ratio euincet impossibilitatem talis influxus: sola igitur astra, & reliqui cœli in hæc inferiora influunt: si sistamus in ratione, quæ nobis elucet.

Empyreum non influit in hæc inferiora.

8 De virtute, qua astra influunt in hæc inferiora, dico: duo esse præcipua illorum instrumenta, motum, & lucem: & de motu quidem est satis probabile, illum non esse virtutem productiuam harum mutationum inferiorum, sed solam applicationem virtutis astrorum, vt congrue operentur: si enim sol, & astra perseuerarent in eodem loco immota, pars illa, quæ à sole respiceretur plus æquo feruerer, & facile abiret in cineres, sicuti torpesceret, & in aquas dissolueretur pars opposita.

Influunt per motũ, & lucem, sed motus est pura applicatio.

9 Quod si post diem iudicij cessabunt operationes cælorum, id erit non præcise ex defectu motus, sed ex Diuina dispositione.

10 Iam vero lux est virtus, per quam cælestia corpora operantur, vt patet experientia: Sol enim per lucem illuminat hæc inferiora: & videmus astra pro varietate luminis, quod habet, vel innatum, vel á sole receptum, varie operari. Operantur etiam per alias qualitates.

Lux est virtus operatiua cælorum.

11 At hæ qualitates dicuntur occultę, non quia nobis non innotescant à posteriori, & per effectus astrorum, qui sunt adeo diuersi, vt non videantur posse oriri á sola luce: alia enim astra frigus, alia calorem, alia humiditatem, alia siccitatem inducunt: multa præterea operantur stellæ in terræ visceribus, quò non perueniunt radij solares, multa in vno hemysphærio, dum sunt in alio. Dicuntur igitur huiusmodi qualitates occultæ: quia non ita sensibus percipiuntur, sicuti lux, & calor: non sufficit igitur vnicum instrumentum lucis tot causis, & effectibus: gratis autem admittet quis luces stellarum specie differentes, quæ diuersitas cum sit nobis ignota, non obuiat incommodo recursus ad virtutes occultas. Quod si Aristoteles nusquam meminit harum qualitatum, nusquam item illas negauit: lucem autem esse productiuam, quamuis negetur à multis; fusius probabo in *lib. de generatione.*

Et aliæ qualitates occultæ.

12 Dices ex varietate, qua luna illuminatur a sole, ac terram respicit, varios experimur effectus, præsertim in eclypsibus: ergo lux sufficit ad omnes effectus. Nego consequentiam: operationes enim lunæ imminuto lumine potius augentur, vt patet in eclypsi: erit igitur lumẽ causa plurium effectuum, non omnium. His adde illam varietatem in effectibus posse tribui non luci, sed diuersis aspectibus, & coniunctionibus. Præterea varijs stellis debent tribui varij influxus. Quidam vero effectus totaliter proueniunt ab astris, alij etiam ab alijs causis.

De effectibus astrorum.

13 Quo ad effectus astrorum, dico primo, astra producere in his inferioribus præter lucem, & calorem, multa accidentia Iob. 37. *ab interioribus orietur tempestas, & ab arcturo frigus.*

Pro-

Probatur experientia, qua videmus ad ortum aliquorum siderum corpora inferiora humefieri, exsiccari, frigefieri, &c. ad quod non sufficit, si hæc sidera non producant calorē: quia hic posset ab alijs causis cōseruari: ergo potius debet produci frigus, & reliquæ qualitates. Confirmatur: quia frustra videretur, tanta corporum cælestium multitudo constituta, si omnia ad calorīs productionem ordinarentur.

Dubiū est vtrum substantia astrorum immediate causet substātias sublunares. 14 Dico secundo, est valde dubium, vtrum immediatè per suam substantiam concurrant astra ad productionē alicuius formę substantialis: omnia enim facile saluari possunt per accidentia dispositiua, vt ex ijs, quę diximus de causis colligi potest: non est tamen improbabile, quod etiam ipsa stellarum substantia immediatè concurrat ad formas substantiales. Vtrque modus dicendi saluat illud Aristotelis 2. *phys. t. 26. sol, & homo generant hominem*: probabilius tamen est, in generatione viuentium cœlum esse causam remotam, cū sufficiens sit pro causa proxima viuens, quod generat, cui inseruiunt, tāquam instrumenta, dispositiones, & accidentia à sole, & astris producta.

Neque omnes operationes inferiores immediate dependent à corpore cælesti. 15 Ex dictis infero primo: non omnes operationes rerum inferiorum immediate dependere á corporibus cęlestibus, neque cessaturas cessante motu cœlorum; quis enim dicat hominem deambulare tunc non posse, vel lapidem in medio aere detentum non descensurum: cum præsertim ignis eque calefaciat presente, ac absente sole: retinerent enim etiam tunc hæc inferiora vim agendi, & resistendi. Non negauerim tamen cessante motu celorum non diu duraturas harum rerum inferiorum vices, sed breui omnia abitura in vnum ex quatuor elementis, & in hoc sensu intellige Aristotelem cum cœlum appellauit *vitam vniuersi*, & illud Rabbi Moysi *cœlum est in mundo veluti in homine cor*. in eodem sensu accipe eumdem Philosophum dum *sect. 12. probl. 25. Sol inquit author, & parens motuum est*, & S. Dionysium c. 4. de Diuinis nominibus, *Solis*, inquit, *radius ad generationem sensibilem corporum confert, & ad vitam mouet; nutrit, auget, perficit.*

Quomodo agant in hominē, & in animā. 16 Infero secūdo: corpora cælestia per suas virtutes immediaté agere in corpora humana, & consequenter mediaté in animam. Probatur, quia sicuti reliqua corpora subduntur influxibus cælestibus, ita & humanum: anima autem, vpote spiritualis, & immortalis, sicuti etiam Angeli, non possunt immediate subijci actioni cælorū. Quoniam vero anima quamdiu est corpori alligata depender ab illo in operando, & à diuersis corporis organis, & dispositionibus inclinatur ad diuersos affectus, ideo corporum cęlestium influxus mediate animam attingunt, dum commouendo humores, illam potius mediate inclinant ad vnam, quam ad aliam partem.

Sed non necessitant. 17 Certum tamen fide est, corpora cælestia non vrgere hominem aliqua necessitate ad operandum: neque item specialiter illum inclinare ad aliquam operationem pro aliquo determinato tempore: nam ex eo quod aliquis ex cœlorū influxibus receperit hanc naturalem corporis complexionem, solum inferri potest in communi, quod sit inclinatus ad iram, ad furtum, &c. nullo autem pacto, quod hoc tempore digladiabitur, alio disputabit, cum naturalis illa inclinatio sit indifferens ad hoc, vel illud tempus, & sæpe ex accidentibus improuisis exeat in actū, vel retardetur ab illo.

18 Præterea astra non habent rationem signi, vnde dignosci possint futuri hominum euētus: nulla enim est talis connexio inter astra, & hominum futuros euentus. Quare meritò hæc astrologia iudiciaria damnatur à Deo Deut: 18. Isai. 47. Hieremiæ 10. à summis item Pontificibus, & sacris canonibus. Quin imo nec probabiliter possunt ex astris prædici humani euentus: astra enim neque causa sunt, neque effectus horum euentuum, & turpissimos lapsi sunt in errores, qui obseruandis ad hunc finem astris operam dederunt. *Nequeunt ex astris hominum euentus diuinari.*

19 Genesis autem primò, dum dicuntur astra facta *in signa, & tempora, & dies, & annos* solum docemur, astra significare, & facere temporum successiones, & vicissitudines. Isaiæ 34. & Apoc. 6. cæli appellantur libri: quia in illis veluti legitur Diuina sapientia, bonitas, & potentia: in quo sensu *Cæli enarrant gloriam Dei*, &c. Fabulosum autem est, quod refertur in volumine inscripto Narratio Moysis, Iacob dixisse filijs: legi in libris cæli quæcumque vobis cuētura sunt: hoc enim opus recēsetur inter libros apocryphos. Cæterū nomine libri, vel tabulæ intelligi potest Diuina reuelatio. Diuinationes astrologorum vt plurimum vanę, & fallaces sunt. Quod si aliquando effectum sunt sortiti, id casu factum est, vel arte, & dolo demonis omni conatu in id incumbentis, vt ad decipiendos homines animos ea'ucinant, quę prædicta sunt.

Appendix De maculis solis, & lunæ, & de via lactea.

De lunæ maculis. 1 Conspicimus in luna quasdam maculas hominis faciem referentes, quę cum sint stabiles, non possunt oriri à vaporibus medijs, qui variantur, nec ad cælum pertingunt, neque ex foedibus, quas contrahit, dum nutritur exhalationibus, & vaporibus, vt fabulati sunt nonnulli. Sunt qui dicunt lunā ad nos reflectere imaginem terræ cum vallibus, & montibus: ideoque maculatam apparere; alij eas maculas referunt in vmbras corporum medjantium inter solem, & lunam. Verum vniformitas maculę ostēdit hos modos esse falsos: certé variarentur maculæ, iuxta maiori, vel minori accessu ad illa corpora, cum qnia modo referrent hanc, modo illam faciem terræ. Aperte etiam falsum est, lunam esse ignis, & aeris mixturam. Dicere vero, quod luna habeat montes, & valles, & quod homines eam incolant, fabula est apud Lucianū ex Pythagoræorum fonte promanens. Fabulatur etiam

etiam Dante in suo cantu, qui maculā proficisci affirmat, quia intelligentia modo magis, modo minus se abscondit. Melius igitur hęc macula dicenda est intrinseca lunæ, orta, quia aliquæ partes lunæ sunt msgis, aliquæ minus opacæ, nimirum, vel opacæ non sunt aptæ recipere tantū lumen, vel diaphanæ non ita aptę ad lumen remittendum in hæc inferiora. Densitas, & raritas non videntur causæ sufficientes huius diuersitatis: quia corpus magis densum aliquando magis, aliquando minus lucet.


2 In sole item his temporibus beneficio tubi optici notatæ sunt aliquæ maculę valde dissimiles maculis lunæ: apparent enim tamquam quędam nubeculæ instabiles, nec semper eædē, aut ad longum tempus durantes. Aliæ enim abeunt, aliæ adueniunt; modo sunt plures, modo pauciores, modo vnicæ, modo nulla: nec seruant semper eamdem figuram: videntur enim interdum congregari, & cōspissari: interdum distrahi, & dissipari: communiter surgere solent in vno latere solis, & deinde in alio diametraliter aduerso occidere: interdum tamen aliqua circa solis medium, & emergit, & desinit: habent regulariter quemdam motum proprium sub sole; excurrunt enim à limbo orientali solis ad limbū occidentalem pro eo spatio, quo in sole conspiciuntur, quem transitum conficiunt spatio quatuordecim dierum: quę autem semel se ostenderunt suumque regularem cursum peregerunt, non amplius deprehensæ sunt reuerti.

3 Aliqui putant has maculas esse imsginarias: alij esse vapores, & exhalationes, & ex his nonnulli docent hos uapores tantum ascendere supra elementa, & soli suppositas illius lucem aliquo modo impedire; nonnulli dicunt illos uapores residere in eodem cælo, ac solem, ideoque in illo apparere. Galilæus putabat has maculas esse quosdam solis halitus, eiusdem cum illo substantiæ, eumque offuscantes. Alij docent has maculas oriri ex corporibus quibusdam opacis, quæ soli subijciuntur: sunt qui docent hanc macularum uarietatem prouenire ex diuersis cæli partibus, qui circa solem per epicyclos circumuoluuntur. Alij damum putant vere esse in corpore solari has maculas, eamque variationem subire per mutationem tantum accidentalem, qua aliquæ partes solis fiunt per actionem aliorum astrorum nunc magis, nunc minus opacę, idque fieri posse affirmant successiue; neque videtur omnino improbabile hunc influxū, & operationē aliorum siderum in corpus solare esse successiuum: solisque partes continua agitatione fluitare, ac vmbras efficere: sed quis in tanta distantia valeat rem diuinare?

4 De via lactea variæ etiam sunt authorum opiniones. Et primo quidē non est, vt fabulantur Pyihsgorici, exustio facta in cęlo ex casu alicuius stellę, vel solis. Secundo non est lumen ingenitum quorumdam astrorum lucem à solę non participantium; quia inumbrantur à terra; ideoque apparent alba, & minus lucida: terra enim non potest sua vmbra tantam altitudinem attingere, neque fasciam adeo vastam solis conspectu priuare. Tertio non est visio quædam solis in illo spatio, tamquam in speculo; neque enim in illa via solem conspicere videmur.

5 Aristoteles docet esse impressionem metheorologicam ortam ex vaporibus, & exhalationibus inferiorum corporum, qui halitus illuc virtute astrorū attrahuntur, & per receptionem luminis albicant. Verum hęc opinio communiter reijcitur: quia non potest explicari cur potius in hac, quam in illa parte sint ioti halitus illuminati? cur æque in omnibus partibus nō illuminentur, & albicent, cum ex omni parte stellis æque lucidis subijciantur? quomodo hi halitus adeo vniformiter sine vlla variatione in tanta sublimate conseruentur?

6 Probabilius igitur est, viam lacteam esse in ipso cælo congeriem stellarum minutarum, vt obseruauit Galilæus, quæ ob suam tenuitatem non adeo intense luceant, sed albicent: existere autem in eadem altitudine cum stellis fixis; alter si esset, vel altior, vel inferior aliquam varietatem aspectus causaret, ex vi cuius aliqua stella fixa ex vno loco appareret esse in via lactea, ex alio vero extra illā, vt quiuis facile poterit deprehendere in corporibus, quorum vnum est altius alio.



IN

IN LIBROS ARISTOTELIS

DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE,



SEV DE ORTV, ET INTERITV.

HI libri de generatione, & corruptione, seu, quod idem est, de ortu, & interitu inscribuntur: toti enim sunt in explicanda natura generationis, & corruptionis.

DISPVTATIO PRIMA.

De generatione, & corruptione Substantiali.

OMissa generatione perfectissima Verbi, de qua fusè Theologi. Generatio creata tripliciter sumi potest: primo nimis latè, ita vt significet quamcumque productionem dependentem à subiecto; in quo sensu etiam productio accidentis dicitur ab Aristotele *hic lib.* 1. *t.* 11. generatio. Secundo nimis pressè pro viuentis productione. Tertio demum pro productione substantiæ dependenter à subiecto tamquam à causa à materiali.

SECTIO PRIMA.

Quid sit generatio substantialis?

Definitio generationis.

1 DIco, Generatio creata substantialis in communi est actio productiua substantię dependens à causa materiali; ita quam plures recentiores. Probatur: productio substantiæ dependenter à subiecto in tota sua latitudine non est creatio, quæ dicit independentiam à subiecto: non est alteratio, quæ est productio accidentis: ergo est verissima generatio substantiæ, de qua loquimur.

Cui competat allata definitio.

2 Hinc infero primo, tum productionem totius substantialis, tum vnionis, tum formæ, tum suppositi item substantialis esse generationē hic definitam, si dependeant à subiecto; & inter se differre per respectum, quem dicunt ad diuersū terminum. Quod si velis generationem latissime sumptam, pro vt cōprehendit etiam sub se productiones accidentium, & tantum distinguitur à creatione, definire; dicas esse productionem termini dependentem à causa materiali.

Exponitur Aristotelis definitio.

3 Infero secundo; definitionem, quam ex Aristotele hic l. 1. t. 23. communiter afferunt; *mutatio totius in totum nullo sensibili manente, vt subiecto eodem*; non esse omnino adæquatam: sensus enim illius est; generatio est productio substantialis vnius totius, & corruptio alterius: illæ autem particulæ, nullo sensibili manente vt subiecto eodem, vel significant nullum accidens sensibile prioris compositi manere sub nouo, vel non manere in generatione prius compositum substantiale, quod absolutè dicitur subiectū sensibile. In quo sensu hæc definitio non comprehendit sub se omnes generationes, sed tantum conuersiuas, præter quas fortasse non agnouit alias Philosophus; cum admiserit generationes æternas. Non est autem primo, cur dicamus de essentia generationis esse mutationem: cur item ad generationem requiramus præcessisse aliud compositum, quod corrumpatur? nam si Deus nunc primo crearet materiam, & ex illa, vel se solo, vel simul cum alio agente creato educeret formam substantialem, illa productio formę nō esset creatio, sed verissima generatio; nec tamē includeret mutationem, aut corruptionem alterius compositi. His adde Aristotelem loco citato non definijsse puram generationem, sed etiā corruptionem: eius verba sunt apud Conymbricenses. *At cum totum mutatur, nec sensibile quid quam, vt subiectum idem, permanet, sed perinde euenit, ac cum ex toto semine sanguis, aut ex tota aqua aer, aut ex toto aere aqua fit, iam quod est tale, generatio huius est, & illius corruptio.*

Non omnis viuentium generatio comprehenditur sub hac definitione.

4 Infero tertio generationem viuentium in tota sua latitudine non comprehendi sub allata definitione; nam generatio Verbi æterni est verissima generatio viuentis, nec tamen est productio substantię dependens à subiecto; & multo minus mutatio totius in totum.

Generatio viuentium definitur.

5 Quęres: quid est igitur generatio viuentium? Respondeo communem esse apud Theologos, ac Philosophos definitionem, quam affert S. Thomas 1. *p. quest.* 27. *ar.* 2. *Origo viuentis à viuente tamquam à principio coniuncto in similitudinem naturæ*. In qua definitione ly origo tenet locum generis; id enim conuenit cuicumque productioni, etiam increatæ, quæ si est processio, est necessario origo: ly viuentis à viuente, significat tum principium generans, tū terminum generatum debere esse vtrumque viuens. Additur, tamquam à principio coniuncto; vt significetur aliquid generantis, & in creaturis, suo modo spectans ad eius integritatem, & elaboratum ac productum in bonum geniti, debere manere in eodem genito; quod in hominibus, brutis, & plantis fit per semen. Ob defectum huius conditionis neque productio Adami à Deo facta; neque productio Euæ ex Adami costa fuerunt veræ generationes; nā in prima defuit principium coniunctum; in secunda vero licet aliquid Adami remanserit in Eua; illud tamen non erat ex natura sua ordinatum, vt instrumentum, in bonum Euæ, eiusque productionem.

6 Dicitur demum in similitudinem naturæ, vt significetur generans, & genitum debere esse

Nn eius-

eiuſdem naturę; ac generantē per generationem tendere in terminum ſibi ſimilem. Hæc autem ſimilitudo in caſibus per ſe, eſt ſpecifica athoma; in caſibus autem valde per accidens, & veluti monſtruoſis, vt euenit in productione muli, & mali piri, poterit ſufficere ſimilitudo ſecundum genus infimum cum maxima affinitate in accidētibus, & figura, quæ indicant magnam ſimilitudinem in natura.

7 His addo: ſecundum Hurtadum *diſp.* 1. de generatione *ſect.* 2. §. 14. eam ſimilitudinem ſufficere ad generationem, quæ facit filium participem bonorum parentum, ſic mulus tantam habet ſimilitudinem cum equa, & aſino, vt particeps fiat blanditiarum, quas feræ ſolent filijs impertiri: in hominibus autem ſufficit ea ſimilitudo, quæ fundat mutuam beneuolentiam ſpecialem. Pręterea apud eundem Hurtadum §. 15. notat Vaſquez, filium dici imaginem Patris; non è contra: quia filius ex ipſa intentione naturæ ordinatur ad repræſentandum Patrem iam præxiſtentem, vt ſui eſſe principium; & ex S. Auguſtino imago debet eſſe expreſſa, ideſt producta ab eo, cuius eſt imago; quod bene competit filio reſpectu patris; non è contra. Demū aduerto ex Alphonſo, ſemen habere vim producendi filios in lineamentis corporis parentibus ſimiles: eſt enim quędam pars deciſa á parentibus valde actuoſa, & referens eorum temperamentum: ideoque, niſi aliunde impediatur, ſimile temperamentum producit in filijs; ex ſimilitudine autem temperamenti oritur ſimilitudo in externis lineamentis, ex quibus facilè poteſt dignoſci pater.

Mutatio aptitudinalis non eſt de eſſētia generationis.

8 Quæres ſecundo: Vtrum ſit de eſſentia generationis mutatio aptitudinalis? Nonulli apud Ouiedum defendunt, de eſſentia generationis eſſe, vt ſit radicaliter mutatio; quia quamuis, vt vidimus, non omnis generatio ſupponat præceſſiſſe in ſubiecto priuationem ſui; id tamen exigit: quia nimirum generatio exigit materiam præuialteratam; hæc autem præuia alteratio non fit in inſtanti, ſed ſucceſſiuè; quia ſubiectum naturaliter non diſponitur, niſi ſucceſſiuè, ad formam.

9 Sed contra: quamuis de facto pręuia alteratio fiat ſucceſſiue; ea tamen ſucceſſio non exigitur á generatione, quę tantum exigit ſubiectū ita vel ita diſpoſitum; ſiuè demum ea diſpoſitio fiat in inſtanti, ſiuè ſucceſſiue: cum præſertim ſucceſſio proueniat á contrario reſiſtente, & impediente generationem: vnde ſic argumentor: illud exigitur á generatione, quod eſt ipſi vtile, & non noxium; ſed illa ſucceſſio non eſt vtilis, imò nocet generationi: ergo non exigitur à generatione.

SECTIO SECVNDA.

Quęnam actio ſit formaliter generatio totius ſubſtantialis? Vbi de termino formali generationis.

1 SIcuti compoſitum ſubſtantiale eſt conflatum quoddam conſtans pluribus rebus, nempe materia, forma, & vnione; ita adæquata eius productio eſt productio omnium illarum partium: quemadmodum enim implicat totum adęquate conſtitutum ſine aliquo ex illis tribus; ita intelligi nequit adæquata productio totius non intellecta productione omnium illorum: & ſicuti, cum producitur ignis de nouo, materia non primo producitur, ſed tantum vnio, & forma; ita formaliter non habetur prima productio adęquata totius, ſed partialis; licet habeatur adæquata dependentia illius á ſuis cauſis, quæ conſiſtit in conſeruatione materiæ, & productione formæ, & vnionis.

Totum adęquate non generatur ſed genitum denominatur tum ab actione cauſatiua vnionis, tū a cauſatiua formę.

2 Ex quibus patet, totum adæquatè non generari; quia adęquatè non cauſatur per actionem dependentem à ſubiecto: actio enim cauſatiua materiæ, non eſt dependens á materia: quare ab hac actione non poteſt totum denominari genitum. Solum igitur reſtat, quod tale denominetur ab actione cauſatiua formæ, & vnionis. Et quidem, vt verum fatear, vtraque actio dependens á materia poteſt dici generatio totius; ſicuti enim ſi vnum agens cauſaret formam, alterum vnionem, re vera vtrumque diceretur cauſare totum: ita totum poteſt dici genitum nō ſolum per actionem cauſatiuam vnionis dependenter à materia, ſed etiam per ſimilem actionē cauſatiuam formę. Non negauerim tamen diuerſo modo reſpici totum à generatione vnionis, ac à generatione formæ: nam generatio vnionis, cum ſecum trahat materiam, & formam, non poteſt haberi, niſi ſit totum genitum: at poteſt haberi generatio formæ ſine toto genito; poteſt enim Deus producere formam dependenter á ſubiecto, & illam non vnire: in quo caſu iam haberetur generatio formæ, non tamen totum genitum, non ex defectu formæ denominantis, ſed ſubiecti.

Cur totum dicitur genitum: non creatum: neque eductum.

3 Dices: Cur igitur non denominatur cōpoſitum creatum á creatione materiæ, ſicuti denominatur genitum à generatione formæ? Pręterea cum illa cauſalitas ſit ſimul eductio, & generatio; cur potius denominat compoſitum genitum, non eductum? Reſpondeo ad primum, rationem eſſe, quia creatio explicatur per terminum negatiuum, nempè per independentiam à ſubiecto; negatio autem eſt malignantis naturæ excludens quidquid inuenit poſt ſe: ergo creatio, & independentia à ſubiecto debet excludere à termino, quem denominat creatum, omnem dependentiam à ſubiecto: compoſitum autem pręcisè per creationem materiæ non excludit a ſe omnem dependentiam a ſubiecto: ergo per creationem materiæ, quam includit, non poteſt conſtitui creatum. Ad hoc autē vt dicatur genitum, ſufficit dependentia à materia quæcumque: eſt enim hic terminus poſitiuus. Ad ſecundum dico iuxta communem ſenſum, cui ſtandum eſt in acceptione vocum, illud propriè educi, quod reſpicit aliud à ſe contradiſtinctum, ex quo veluti extra ducatur, ad quod ſufficit, ſi quocumque modo cauſalitas dependeat à ſubiecto

cto subsistentante. Illud hic adnecto generationē veluti vltimam, & completiuam totius esse tantum generationem vnionis; quia hæc est, qua posita absolutè non potest non poni compositum.

Terminus formalis generationis est vel forma, vel vnio vel vtraque.

4 Hinc infero primo, solutionem alterius partis quęstionis, quæ est de termino formali generationis, qui videlicet propriè, & per se causatur per generationem. Et quidem si loquamur de generatione formæ, vel vnionis; eius terminus formalis est forma, vel vnio: si vero loquamur de generatione totius substantialis; dico esse vel formam, vel vnionem, vel vtramque; quia actio causatiua tum vtriusque, tum alterutrius dependens à subiecto est sufficiens denominare totum genitum, vt diximus. Eadem doctrina, seruata proportione, accommodari potest suppositis creatis.

5 Vrgebis: Neque solus finis cui, neque solus finis qui, est integer finis; sed ex vtroque integratur vnus finis: ergo à pari nec sola forma, nec sola vnio, sed vtraque indiuisibiliter est terminus formalis generationis. Nego consequentiam: quia neuter finis seorsim satisfacit intentioni agentis: at sola vnio, vel sola forma possunt terminare actionem dependentem à subiecto, & sufficientem denominare totum genitum, si illud existat.

Generatio substantialis non est præuia alteratio.

6 Infero secundo, generationem totius substantialis non esse formaliter præuialterationem, vt volunt Thomistarum nonnulli. Sciendum autem est, priusquam producatur forma substantialis, & vnita subiecto constituat totum, præcedere quasdam mutationes accidentales, per quas subiectū acquirendo noua accidentia disponitur ad nouam formam substantialem: hę autem mutationes dicuntur præuiæ alterationes; quia & constituunt subiectum alterum, & formam substantialem, vel tantum natura, vel etiam tempore præcedunt. His positis.

7 Probatur corollarium: Præuialteratio est productio accidentium, quæ antecedenter disponunt materiam ad nouam formam: sed talis productio non est generatio apta denominare totum genitum; non enim habet pro termino aliquod constituens totū substātiale; accidētia enim, quæ sūt eius terminus formalis, nō constituūt totū substātiale: ergo re vera illa præuialteratio nō est formaliter generatio totius, nisi tantū remotè; quia nimirū per illā causantur accidētia, quæ deinde causant vnionem, vel formam. Confirmatur: accidentia pręcedunt natura generationem, cuius sunt aliquando causa, & non præcedunt natura præuialterationem; aliter essent in priori naturæ ad se ipsa, seque ipsa causarent, causando generationem, quæ est ipsa præuialteratio, & actio productiua ipsorum accidentium: ergo præuialteratio non est generatio substantialis.

8 Hinc reijcio illorum responsionem, qui dicūt, non puram præuialterationem, sed vt terminatam ad formam, vel vnionem substantialē esse generationē; reijcio inquā: quia pręuialteratio, vt terminata, nō est pura productio accidētium, sed etiā formæ vel vnionis: ergo iam admittis aliam actionem distinctam, in qua sola sita est generatio: quia hæc sola est productiua alicuius, quod formaliter constituit totum: siuè demum hanc actionem superadditam appelles resultantiam instantaneam, siuè emanationem, seu quocumque alio nomine designes.

9 Dices iterū: Hanc resultantiam non esse generationem, sed connotatum illius: quo posito pręuialteratio, quæ non est generatio, fit generatio. Contra hæc cōnotata plura alibi diximus, quæ non sunt inutiliter repetenda. Deinde, supra iam probauimus præuialterationem non esse formaliter generationem. Præterea pręcisa quocumque alio, & posita hac emanatione, habetur formaliter generatio; actio nimirum productiua substantiæ dependenter à subiecto: ergo nō est connotatum generationis, sed formaliter ipsa generatio.

10 Obijcies primo: si generatio nō est præuialteratio, homo non generat hominem; quia non præstat aliud, quam alterare subiectum: anima enim creatur. Nego sequelam, & eius probationem; homo enim generat hominem; quia medio semine, & alijs instrumentis attingit productionem vnionis substantialis inter animam, & corpus.

Quomodo generatio est successiua.

11 Obijcies secundo: Philosophus docet, productionem instantaneam esse terminum alterationis, & generationis: ergo non est formaliter generatio. Respondeo, Philosophum velle mutationem instantaneam esse terminum alterationis, & genarationis causalis: qualis est pręuialteratio, quæ respicit, vt terminum intrinsecum, & proximum, accidentia; vt extrinsecum verò, & remotū, vnionem, & formam substantialē. De generatione item causali intelligendus est, dum numerat generationem inter motus successiuos, sicuti dum docet, id, quod generatur, non esse, dum generatur; esse vero id, quod corrumpitur: dum enim successiuè disponitur materia, & non sunt completæ dispositiones; neq; defecit forma vetus, nec aduenit noua. Demum, quando docet actiones vitales non esse generationes: quia fiunt in instanti, & non sunt motus; solum voluit non esse generationes, quia non supponūt motum successiuum, sicuti supponunt actiones generatiuæ.

Subiectum generationis naturæ est materia

12 Quæres hic quodnam sit subiectum generationis. Respondeo: si loquamur de totius substantialis generatione, esse materiam, à qua sustentatur vnio, & forma materialis, vt suppono, & consequenter à qua sustentatur causalitas, per quā oritur; neque enim aliud est sustētari formam, vel vnionem, quam earum causalitates sustentari. Neque dicas formam sustentari quidem à materia, non autem vnionem; quia ex vna parte materia est primum subiectum: ergo congruenter illi conceditur vis sustentandi tum formas, tum vniones substantiales. Deinde in homine vnio materialis congruentius sustentatur à sola materia; quæ instituta videtur vt subiectum vniuersale actionum agentis naturalis, & non ab

anima spirituali, quæ ob suam spiritualitatem videtur ad id improportionata: ergo est in materia vis sustentandi vnionem: ex alia vero parte eũ forma nõ sit instituta vt subiectũ totius substantialia, sed vt actus; non est cur illi concedamus vim sustentandi vnionem: ergo saltem de facto in sola materia est vis sustentatiua substantiæ: ac proinde ipsa sola est subiectum generationis naturæ.

Sed quod est subiectum generationis suppositi?

13 Si vero loquamur de generatione suppositi, qua videlicet producitur dependenter ab aliquo subiecto subsistentia, vel vnio illius ad naturam; dico, quod si in composito est duplex subsistentia positiua altera propria formæ, altera materiæ; probabile est subiectum generationis, qua causatur subsistentia formæ, esse formam, & qua subsistentia materiæ, esse materiam; quia probabile est in eo casu subsistentiam materiæ sustentari à materia, cuius est proprietas, & subsistentiam formæ à forma, cuius item est proprietas: quod si vnica sit subsistentia; probabile est sustentari tantum à materia ob similem rationem, qua id diximus de vnione communi: loquor autem de subsistentia materiali, non de spirituali, qualis fortasse est humana propria solius animæ, aliunde repugnat sustentari à materia, vt suppono.

14 Infero demum tertio subiectum denominationis, seu quod denominatur genitum in generatione totius physicæ esse totum physicum; in generatione suppositi esse suppositum.

15 Quę diximus de termino formali, & totali, seu denominationis in generatione substantiali, accommodari proportionaliter possunt resurrectioni, seu reproductioni substantiali, & generationi accidentali.

SECTIO TERTIA.

Vtrum generatio substantialis sit conuersio?

Definitio cõuersionis

1 Conuersio communiter definitur à Philosophis, & Theologia transitus vnius rei in aliã, seu desitio vnius rei in aliã: quarè ad cõuersionẽ necessario requirũtur duo termini positiui, alter à quo, alter ad quẽ; requiritur etiã aliquod tertiũ cõmune, circa quod terminus ad quẽ succedat termino à quo: demũ requiritur, vt terminus à quo, & ad quem habeant oppositionem, ratione cuius terminus à quo desinat ex vi termini ad quem. Exemplum sit, cum ex ligno fit ignis: in quo casu quia lignum desinit esse ex vi ignis, propter oppositionem, quam habent circa tertiũ commune, nempe materiam, & subiectum; rectè dicitur lignum conuersum in ignem. Contra verò si casu quodam ad aduentum lucis destruatur albedo parietis; non dicitur albedo conuersa in lucem: quia nõ definit ex vi lucis, & propter oppositionẽ, quam inter se habent circa tertiũ commune: vnde patet in conuersione ligni in ignem, & in reliquis communiter interuenire duas mutationes, alteram positiuam, qua ex nõ igne fit ignis, alteram priuatiuam, qua ex ligno fit non lignum.

Conuersio alia & physica alia moralis

2 Diuiditur conuersio in physicam, & moralem; moralis est inter duos terminos habentes oppositionẽ non ex natura rei, & intrinsecam, sed moralem, extrinsecam fundatam in decreto alicuius principij lib eri: sic si Deus decreuisset ad lucis aduentum semper destruere quantitatem; hæc diceretur conuerti in lucem conuersione morali: eodem modo cum Canonicus fit Episcopus; Canonicatus moraliter conuertitur in Episcopatum: quia desinit ex vi Episcopatus propter oppositionem moralem, quam habent fundatam in libera dispositione iuris. Conuersio physica est inter terminos ex natura sua repugnantes circa aliquod tertium commune. Hęc autem rectè subdiuiditur in accidentalem, quæ est inter terminos accidentales, vt cum lignum ex calido fit frigidum; & substantialem inter substantiales, vt cum ex ligno fit ignis. Præterea alia est formalis, alia materialis, alia totalis: formalis est inter duas formas; si videlicet manente eodem subiecto vna forma aquæ v. g. transit in aliam ignis: materialis esset cum eadem manente forma vna materia succederet loco alterius.

3 Totalis est inter tota, cum vnum totum succedit alteri: vt si calidum fiat frigidum, & lignum ignis. Demum si in conuersione tota substantia termini à quo pereat, tum secundum formam, tum secundum materiam, illa erit transubstantiatio; qualis ex definitione Tridentini est cõuersio Eucharistica, in qua tota substantia panis, & vini conuertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi Domini.

4 Vt autem definire possimus, quid requiratur ex parte vtriusque termini, vt vnus dicatur conuerti in alium; sciendum est, in conuersione ligni in ignem intercedere ex parte termini à quo corrupti desitionem tum formæ, tum vnionis eiusdem cum materia; quæ vnio est aliquod munus, seu exercitium formæ circa subiectum; ex parte verò termini ad quem, productionem tum formæ ignis, tum vnionis. Ideoque dici potest non solum lignum conuerti in ignem, sed vnam formam, & vnionem in aliam.

Conuersio alia entitatiua alia modalis.

5 Quæritur igitur primo: Vtrum ad conuersionem requiratur, vt terminus, qui dicitur conuersus, destruatur secundum suam entitatem; an sufficiat, si desinat exercere aliquod munus circa subiectum commune, quamuis aliundè perseueret in esse: ita vt forma ligni conseruata extra materiam possit dici conuersa in formam ignis: & anima rationalis in formam cadaueris. Secundo quæritur: vtrum terminus ad quem debeat incipere secundum suam entitatem; an satis sit, si incipiat secundum munus.

6 Dico primo in omni conuersione intercedere desitionem alicuius rei, & productionem alterius: quia semper desinit vel aliqua res, vel munus ex vi alicuius, vel de nouo positi, vel antecedenter producti, & existentia.

7 Dico secundo: terminus à quo conuersionis, vt secundum se dicatur conuersus, debet secundum se desinere, quod si desinat tantũ à munere, non erit secundum se terminus à quo conuer-

uersionis, sed ratione muneris, à quo desinit; quod idem est ac munus ipsum desinens esse terminum à quo. Probatur, possumus distinguere has duas conuersiones, vnam, qua terminus à quo secundum se, & entitatiue conuertatur in aliud; alteram, qua terminus à quo non secundum se, sed ratione muneris conuertatur in aliud: at non alio modo possumus has conuersiones distinguere, nisi quia prima dicit terminum à quo desinere secundum esse, secunda verò à munere: ergo vt aliquod dicatur absolutè, & secundū esse conuersum debet desinere ab esse: vt autem dicatur secundum munus conuerti, sufficit desitio muneris. Maior probatur: quia verè illi duo conceptus, & per intellectum, & realiter sunt diuersi, & separabiles: minor etiam patet ex ipsa omnium explicatione.

Ad conuersionem non requiritur productio termini formalis, ad quem.

8 Dico tertio, vt vnum secundum se, & entitatiue conuertatur in aliud, non est necesse hoc aliud secundum se produci; sed sufficit si exerceat aliquod munus, ratione cuius exigat destructionem illius. Probatur: quamuis hæc entitas de nouo non ponatur; si tamen ratione muneris, quod exercet circa tertiū commune, exigit destructionem, & destruit terminum à quo, verè dicitur substituta loco prioris entitatis: quod sufficit, vt illa entitas iam destructa possit dici conuersa in hanc; quia in hoc casu non solum munus succedit loco muneris, sed etiam entitas loco entitatis.

9 Dices primo: ergo forma ligni non solum potest dici conuersa in formam ignis, sed etiam in vnionem. Nego consequentiam, quia transire in aliam rem dicit, rem, in quam fit transitus, poni loco rei transeuntis: vnio autem non ponitur loco formę, sed vnionis; quamuis ex vnione sequatur destructio formæ.

10 Dices iterum: Cum forma antecedente non opponitur forma sequens; sed vnio illius cum subiecto: ergo non conuertitur in formam sequentem. Antecedens probatur: forma ligni potest absolute existere, & coexistere cum forma ignis. Distinguo antecedens; cum forma antecedente non opponitur sequens, quo ad esse; concedo: in ordine ad subiectum; nego. Si enim entitates illę formarum non opponerentur in ordine ad subiectum, possent simul vniri: ergo non solum vniones, sed formarum etiam entitates habent illam oppositionem, vt ita dicam, relatiuam.

11 Dices tertio: in conuersione totali debet produci terminus totalis ad quem: ergo etiam in conuersione formali terminus formalis ad quem. Nego consequentiam: quia nisi in conuersione totali ratione alicuius partis ponatur aliquod totum de nouo, non habetur aliquod exigens destructionem prioris totius; quod non militat in formali. Quare in hoc casu non eodē modo se habet simpliciter ad simpliciter, ac secundum quid ad secundum quid; quod axioma solum habet locum vel in rebus quantis, & extensis; vel vbi non obstat aliqua ratio in contrarium: vnde quamuis homo vir sit absolute perfectior puero; non tamen anima vnius est perfectior anima alterius.

12 Dices quarto: non vna forma mutatur in aliam, sed subiectum mutatur; seu potius vnū totum in aliud: ergo non vna forma in aliam; sed vnum totum conuertitur in aliud. Dato antecedente; nego consequentiam: illud enim mutatur, quod transit de vno in aliud extremum, perseuerans sub vtroque quale est subiectum; illud conuertitur, quod transit à se in aliam rem, & fit aliud: vt suppono ex communi vocum acceptione: hoc autem conuenit tum toti respectu totius, tum formæ respectu formæ.

13 Colligo ex dictis primo spectata ratione negatiua conuersionem saluari saltem miraculosè posse sine vlla noua productione: vt si Deus ad primam introductionem caloris non destruat frigus, quod fieri posse, hic supponimus; sed elapso aliquo tempore ad exigentiam caloris iam introducti, destruat frigus, certe frigus posset dici conuersum in calorem; sicuti destructum ex vi illius; nec tamen calor de nouo produceretur; sed supponeretur iam productus.

14 Colligo secundo: Conuersionem essentialiter saluari in desitione vnius rei ex vi alterius: quare importat suspensionem concursus circa vnam rem: quæ suspensio non quocumque modo, sed ex vi exigentiæ alterius fiat. Hæc exigentia identificatur cum ipso termino, vel cum eo munere, ratione cuius exigit non esse priorem rem. Vndè vlterius colligo, conuersionem non intrinsecè, & essentialiter dicere aliquam actionem productiuam: quidquid sit verum illam necessario connotet.

Conuersio non dicit formaliter actionem.

15 Ex his facilè erit soluere principalem quæstionem, vtrum generatio sit conuersio? Patet enim primo, generationem ex suo conceptu generico non esse conuersionem; cum non necessario dicat desitionem alicuius termini positiui præteriti. Secundo: neque in conceptu essentiali conuersionis includi generationem: non enim includit essentialiter aliquam actionem positiuam, nec proinde generatiuam. Tertio; conuersio includit essentialiter mutationem negatiuam saltem impropriè dictam, ratione cuius aliquod subiectum physicum, vel quasi subiectū transit de forma positiua ad carentiam illius. Dixi saltem impropriam, vel quasi subiectum, propter mysterium Eucharistiæ, in quo accidentia panis transeuntia ex pane in Corpus Christi non sunt proprie subiectum substantiæ panis, vel corporis: ergo non est proprie mutatio. Ex quo vlterius sequitur, non omnem mutationem essentialiter includere conuersionem: cum enim aer ex tenebroso fit lucidus; habetur mutatio non conuersio, quia non deficit terminus positiuus à quo. Cum his tamen cohęret, quamlibet ex generationibus, quæ defacto eueniunt, coniungi cum conuersione; vt patet consideranti.

Non omnis generatio est formaliter conuersio: omnis conuersio est essentialiter aliqua mutatio.

16 Quæres: Vtrum Deus conuerti possit in creaturas, & creatura in Deum? Circa primum certum est, Deum secundum se non posse conuerti in creaturas; quia non potest deficere ab esse.

Deus non potest conuerti in creaturas, neque creaturæ Deū-

esse. Circa secundum, pars negatiua est communis: quia ad conuersionem requiritur, vt terminus ad quem de nouo producatur, vel sit intrinsecè perfectibilis; quorum neutrum habet locum in Deo. Contrarium putat probabile Compronus; in cuius principijs si persona diuina assumeret aliquam naturam creatam, quæ præcessisset cum sua subsistentia ante assumptionem, & destrueret illam subsistentiam; vere hæc subsistentia potest dici conuersa in personam diuinam. Sed in quæstione de nomine sufficit hæc innuisse. Ex his aperte colligitur, quodlibet non posse conuerti in quodlibet.

SECTIO QVARTA.

Vtrum generatio dependeat à dispositionibus?

1 EXperientia docet, ignem applicatum ligno non statim illud comburere; sed prius pedetentim illud exiccare, & calefacere, quod est præuialterare, & disponere materiam ad productionem formæ. Negari igitur non potest, generationem primo productiuam dependere aliquo modo ab illis accidentibus; aliter frustra insumeretur tantus labor ab agente, disponendo materiam.

Non solum quæ tempore præcedũt sed etiam, quæ in eodem instanti coexistũt sunt in priori ad generationem.

2 Accidentia autem, à quibus dependet generatio, non sunt tantum, quæ præcedunt ipsam generationem; sed etiam quæ in eodem instanti inueniuntur in subiecto; quia etiam accidentia, quæ pro eodem instanti existunt, sunt in priori signo ad generationem, & determinant agens ad productionem formæ: ergo in eo instanti generatio dependet ab illis. Probo antecedens: accidentia, quæ sunt in eo instanti exigunt productionem formæ: ergo sunt in priori signo, & determinant ad illam: hoc enim sufficit ad illam prioritatem, & determinationem. Antecedens probatur; aliqua completa dispositio exigit efficaciter productionem formæ: hæc enim non potest exigi efficaciter ab incompleta, quæ, vtpote incompleta, est inefficax: sed completa dispositio non possunt esse nisi accidentia, quæ existunt in instanti generationis: illa enim, quæ præcedunt, sicuti existunt sine forma, ita non sunt ad illam completa, & efficax dispositio. Rursus si aliqua dispositio est completa; est vtique efficax: ergo necessario secum trahit terminum; aliter non esset efficax.

3 Dices. Hanc dispositionem requiri, vt expellantur accidentia formæ opposita, quod fit per accidentia præcedentia. Sed contra; in instante antecedente vel sunt sufficienter expulsa accidentia ad formam oppositam, vel non? si primum; ergo debuit forma produci in illo instanti, in quo nullum est impedimentum: si secundum; ergo sufficienter expelluntur in hoc instanti: ergo in hoc, non in antecedente habentur accidentia, quę sufficienter, & efficaciter expellunt opposita, & disponunt ad nouam formam.

4 Quæres hîc Vtrum inter dispositiones ad primam generationem sit quantitas? Respondeo affirmatiuè, si subiectum actionis sit diuisibile, vt communiter euenit: probatur, agens, vt agat, debet supponere subiectum diuisibile cum extreitate partium quo ad locum: ergo debet supponere subiectum quantum. Consequentia probatur; quia extreitas illa cum impenetratione est effectus quantitatis. Antecedens probatur; agens naturale naturaliter agens in subiectum diuisibile debet supponere subiectum illud in suo statu naturali: subiectum autem diuisibile, ac materiale necessario dicit partes extra partes: carentia enim huius extreitatis est contra exigentiam subiecti diuisibilis materialis.

Vbi subiectum actionis est diuisibile, & materiale, quantitas est necessario dispositio ad generationem.

5 Est igitur quantitas dispositio necessario requisita ad hoc, vt actio naturaliter procedat: videtur enim determinare agenti subiectum diuisibile, in quod naturali modo agat. Non facile autem concesserim quantitati vim actiuam in formas substantiales, sicuti neque materiæ; videtur enim quantitas esse proprietas materiæ merè passiuè exacta ad recipiendam naturali modo actionem agentis: præter quam quod intrinseca indifferentia quantitatis ad omnes formas tum substantiales, tum accidentales, videtur illam reddere valde similem materiæ. Et quidem si virtute actiua polleret, plus æquo dignificaretur: esset enim instrumentum vniuersale effectiuum omnis formæ materialis; quod non est facile concedendum. Quæ ratio non militat in reliquis accidentibus: in quibus præterea cognoscimus specialem quamdam vim, & inclinationem ad formas determinatas.

Quantitas non influit actiue in formas.

SECTIO QVINTA.

De subiecto dispositionum ad generationem requisitarum; & vniuersaliter de subiecto accidentium.

1 ESset hic agendum de subiecto generationis; verum cum idem sit subiectum generationis, ac termini per illam producti; ideo nihil hic addendum est ijs, quæ de subiecto vnionis, & formæ substantialis diximus in physicis tum l. 1. agentes de vnione, tum l. 2. agentes de causa materiali, & efficiente. Solum igitur nunc inuestigabimus subiectum dispositionum; & harum occasione extenditur quæstio ad omnia accidentia præsertim materialia. Quærimus autem non solum subiectum inhæsionis, seu sustentationis, à quo materialiter causantur, sed etiam vnionis, seu adhęsionis, cui immediate vniuntur accidentia.

2 Et sanè certum est deueniendum tandem esse ad aliquam substantiam, quę sit immediatum subiectum alicuius accidentis: nam si vnum accidens est subiectum alterius; certè illud primũ accidens debet esse in subiecto; omne enim accidens, sicuti est entis ens, ita est in aliquo subiecto, cui accidere intelligatur: de hoc igitur secundo subiecto redit quæstio; sit ne accidens, an substantia? Quarè, ne procedamus in infinitum,

Aliqua substantia est immediatum subiectum alicuius accidentis.

tum, deueniendum tandem est ad aliquod primum subiectum substantiale, cui immediatè vniatur saltem aliquod primum accidens alicuius tertei.

3 Hinc reijciuntur Ianellus, & Soncinas asserentes, quodlibet accidens habere suum subiectum accidentale, & eiusdem secum rationis; ita vt quantitas habeat pro subiecto quantitatē, & qualitas qualitatem. Reijciuntur, inquam, quia de qualitate, & quantitate subiectis, cum sint accidentia, redit quæstio; in quo alio subiecto recipiantur. Quando autem Phylosophus 14. m. t. 26. *docuit esse eadem principia omnium generum, & in vnoquoque genere dari potentiam propriam receptiuam illius generis, & prædicamenti:* loquutus est de vnoquoque genere concretiue sumpto; quia in vnoquoque genere dantur tria principia materia, forma, & priuatio, quæ simul sumpta ita spectant ad hoc genus, vt non pertineant ad aliud; non quod, quodlibet principium sit ita proprium huius generis, vt ad aliud pertinere non possit, si materia recipiat aliam formam. His positis.

Quantitas sustētatur à sola materia.

4 Dico primo; quantitatem non sustentari à forma substantiali, vel accidentali, sed à sola materia. Est contra Thomistas quo ad formam substantialem. Probatur: quantitas est in priori signo ad omnes illas formas, quæ primo producuntur: ergo non potest pro eo instanti sustentari ab illis formis, ne detur mutua prioritas: ergo pro illo primo signo adæquatè dependet à materia, tanquam à subiecto sustentante: ergo etiam pro sequentibus instantibus dependet ab eadem, materia tamquam à causa materiali adæquata: perseuerantibus enim ijsdem causis non mutatur sustentatio: ergo superfluè omnino admittitur in formis, siue substantialibus, siue accidentalibus vis illa sustentatiua quantitatis, quæ numquam posset reduci in actum.

Neque reliqua accidētia, quę disponunt ad formam sustentantur a forma.

5 Ex dictis infero, neque alia accidentia absoluta, quibus disponi potest materia ad generationem formæ, sustentari à forma; quia forma saltem pro primo instanti dependet ab illis accidentibus: ergo illa pro primo instanti non dependent a forma: ne detur mutua causalitas: ergo iam indepēdenter à forma sustentātur adęquatè ab alia causa; hæc autem sustentatio perseuerat etiam post illud instans ob allatas rationes: ergo numquam sustentantur à forma: ergo omnino superflue ponitur in forma substantiali vis sustentandi illa accidentia; quæ numquam reduci possit in actum.

Accidētia reliqua cōmuniasque disponunt ad generationem formæ sustentantur à quantitate

6 Dico secundo, probabile est, reliqua accidentia absoluta, ac communia, & quæ non sūt modi; præcipuè verò, quæ disponunt ad productionem formæ, sustentari à quantitate: probatur: quia quantitas imitatur naturam materię actualis, & ideo iuxta satis probabilem opinionem est eius proprietas in quarto modo: quin imò aliqui, licet me contradicente, illas inter se realiter identificarunt: videtur autem esse quoddam accidens incorruptibile, & æquè, vt materia, trāsiens ex vno ad aliud ex extremis oppositis adiuuans actiones omnium agentium naturalium: rursus non minus penetratur cum formis illis accidentalibus, ac materia cum substantialibus: ergo videtur habere sufficientem proportionem, dum nihil obstat, vt sustentet illa accidentia; nō minorem profectò quam habet materia respectu formarum substantialium.

7 Dices: Eodem modo comparatur cum accidentibus reliquis materia, & quantitas: ergo non est ratio, cur potius quantitas, quam materia sit causa sustentans accidentia. Respondeo, negando antecedens; reliqua enim accidentia intelliguntur immediatè aduenire quantitati, & ea mediante materiæ: in priori enim signo intelligitur esse materia, vtpotè subiectum absolutè primum, cui immediatè aduenit quantitas tamquam proprietas: huic autem accidunt immediatè dispositiones, de quibus loquimur: non enim accidunt materiæ secundum se, sed iam quantæ: ergo debent respicere vt subiectum immediatum quantitatem: materiam vero, vt mediatum. In quo videtur satis congruè dispositus ordo naturę, vt videlicet materia, quæ est absolutè primum subiectum, sit subiectum omnium formarum tum substantialium, tum accidentaliū: cum eo tamen discrimine, vt respectu formarū substantialium, cum quibus debet immediatè cōstituere vnū, sit subiectū immediatū non solū vnionis, sed etiā substentationis: respectu verò accidentalium, quæ sunt eius proprietas, sit etiam subiectum immediatum; respectu verò aliorum, quæ accidunt magis immediatè alicui eius proprietati, qualis proprietas est quantitas, quæ maxime sapit naturam materiæ, sit subiectum mediatum.

Est hoc cōgruum vt sine nouo miraculo saluetur mysterium Eucharistiæ.

8 Confirmatur: nam hæc sententia illud habet commodi non vulgaris: quia bene explicat quomodo siue nouo miraculo accidant in speciebus Eucharisticis mutationes quædam ad pręsentiam agentium creaturum; vt cum calefiunt, & frigefiunt: si enim quantitas sit subiectum accidentium, facilè saluatur illas qualitates naturaliter produci ab agentibus creatis, quibus cōmuniter tribuuntur tales actiones, & non miraculosè à Deo creari ad occultandum mysterium; idque cum quadam veluti sensuum illusione, dū agentia, quę verè agere apprehendimus, non agunt. Illud hic aduerto; ex eo quod detur primum aliquod agens vnicum immediatè concurrens ad omnes effectus creatos, non bene inferri, quod detur primum aliquod subiectum, & vnicū immediatè sustentans omnes formas, vt omnes fateri debent: neque enim ratio summæ perfectionis, quę nos cogit ad asserendum primum de Deo; vrget in materia ad asserendum de ea secundum.

Non sicut datur vnū primum agens vniuersalissimum, ita & vnum primū vniuersalissimum subiectum.

9 Dico tertio: quantitas solum immediatè vnitur materiæ, reliqua verò accidentia absoluta, de quibus supra loquuti sumus, solū quantitati. Probatur: subiectum immediatè sustentans debet etiam immediatè sibi vnire terminum sustentatū: sustentatio enim exigit vnionem termini sustentati, & ad illam ordinatur: sanè, vt dicebam

in

in physica, causa sustentans causat cum penetratione: & res nulli magis exigit penetrari, quã cui immediate vnitur: sed materia ex accidentibus solum immediatè sustentat quantitatem: quantitas autem reliqua accidentia; vt vidimus: ergo quantitas solum immediatè vnitur materiæ, reliqua accidentia communia quantitati.

Dicta accidentia dũtaxat quãtitati immediate vniuntur.

10 Instabis: quantitas penetratur in eodem loco tum cum forma, tum cum materia: reliqua accidentia penetrantur non solum cum quantitate, sed etiam inter se, & cum materia, & forma; ergo non est ratio, cur quantitas vniatur potius materiæ, quàm formę, & reliqua accidentia potius quantitati, quam alijs rebus. Consequentia probatur: signum à posteriori vnionis essentialis aliud non habemus, quàm penetrationem, & mutuam perfectibilitatẽ penetratorũ: cum igitur in casu nostro quantitas æquè penetretur cũ materia, ac cum forma, & reliqua accidentia æquè cum quantitate, ac cum materia, & forma; non est maior ratio dicendi, quod potius vnum, quàm aliud sit subiectum vnionis. Idem argumentum fit de sustentatione, quam non aliundè colligimus, nisi quia vnum indigeat alio ad essendum, & cum illo penetretur.

11 Nego consequentiam: maior enim ratio desumitur in ordine ad vnionem ex sustentatione: in ordine ad sustentationem ex ijs, quæ diximus in prima, & secunda conclusione. Ad rationem in contrarium dico; penetrationem duorum, cum mutua perfectibilitate: quæ in eo sita est, quod quodlibet illorum, vtpote imperfectũ, sit capax maioris perfectionis; ac præterea cum exigentia saltem ex parte alterius extremi, ratione cuius vnum exigat penetrari cum alio; hęc inquam, omnia esse signum à posteriori vnionis naturalis intrinsecę inter illa duo: quibus si accedat quod vnum indigeat ad sui existentiã existentia alterius, ita vt non possit sine illo existere, est etiam signum, quod vnum materialiter causetur ab alio.

12 Quod si plura duobus inter se dicto modo penetrentur; non illico infertur, quod omnia immediatè vniantur; sed solum, quod vel detur aliquod vnum, cui reliqua immediatè vniuntur, & ratione cuius tantum mediatè inter se vniantur: vel quod, cum quadam gradatione, vnum immediatè vniatur alteri, & huic secundo vel vniatur omnia alia, vel gradatim procedendo vniatur aliud tertium; & sic de reliquis. Ex quo nõ sequitur immediata vnio omnium inter se: quomodo autem id de facto eueniat, aliundè colligẽdum est. Idem dico de dependentia, & sustentatione; vt omittam vel omnia dependeant ab vno immediatè; vel quod detur illa gradatio. In casu autem nostro res penetratæ sunt plures duabus: quare ex pura penetratione nihil certi inferri potest de subiecto mediato, vel immediato vnionis, aut sustentationis, sed aliundè, vt probabiliter me fecisse arbitror, colligi debet.

13 Ex dictis infero: in instãti reali primæ generationis distingui posse hæc omnia signa: primo intelligitur materia; deinde quantitas ab illa causata, tum accidentia, quæ disponunt materiam, & causantur à quantitate; ac demum ipsa generatio. Secundo infero quantitatem dici proprietatem compositi; quia est proprietas alterius ex eius partibus, nempe materiæ.

14 Dices primo: forma sustentat suas proprietas; ergo & quantitatem. Nego consequentiam: quia proprietates formæ non supponuntur in priori signo ad formam, sicuti quantitas. Vt autem forma reddatur quanta sufficit, si sit in eodẽ subiecto cum quantitate: alias non solum materia, & forma, sed omnia alia, quę redduntur quanta, deberent esse subiectum quantitatis; & omnia, quæ dicuntur alba, deberent esse subiectum albedinis: ex quo sequeretur non minus, albedinem esse subiectum quantitatis, quàm albedinis quantitatem.

15 Dices secundo: quantitas non est actus primus materiæ; aliter esset forma substantialis: ergo non debet immediatè recipi in materia: aliter vel esset æquè actus primus, ac forma substantialis; vel esset illa prior. Distinguo antecedens; non est actus primus ordine intentionis; cõcedo: ordine executionis; nego antecedens, & rationem in contrarium adductam, simul cum consequentia. Quantitas cum non intendatur à natura per se, sed radicetur in materia tamquam proprietas; & ordinetur ad formam substantialem tanquam dispositio, est absolutè accidens, & entis ens propter aliud intentum. At forma ignis respicitur tamquam finis per se intentus: quod autem habet rationem finis, potest ordine executionis supponere media.

Quantitas est ordine executionis primus actus materiæ.

16 Dices quarto: De ratione substantiæ est substare accidentibus: ergo omnia accidentia debent recipi in forma. Nego primo antecedens; nã Deus est substantia; substantiæ item sunt vnio, & subsistentia creata; nec tamen substant alicui accidenti. Nego secundo consequentiam: sufficit enim, si forma substet accidentibus sibi proprijs. Quando autem Aristoteles 4. m. t. 14. docuit, *accidens non accidere accidenti, neque esse susceptiuum contrariorum*; solum voluit, hæc nõ conuenire accidenti tamquam primo subiecto, & vltimo fini, propter quẽ alia intẽderentur. Neque dicas accidentia debere immediatè recipi in eo, quod disponitur ad vnionem cum forma substantiali: nam mediatè etiam recepta, possunt illud determinare.

17 Dices quinto; ergo sicuti quantitas est subiectum primarum qualitatum, ita primæ sunt subiectum secundarum. Nego consequentiam: neque enim primæ qualitates sunt proprietas materiæ perseuerans, & stabilis, sicuti est quantitas.

Secundę qualitate non recipiuntur i primis.

18 Dices sexto: Accidentia debent recipi in toto; ergo non in sola materia, & quantitate. Probatur antecedens; quia accidens est entis ens, est ens secundum, & ens non absolutè, sed secundum quid: ergo supponit totum, in quo recipiatur. Nego antecedens: ad probationem dico, accidens dici entis ens, ens secundum, ens non absolutè, sed secundum quid; quia intenditur pro-

pter

pter aliud à se distinctum, quod perficiat, vel ad quod disponat: ex quo male infertur, quod debeat supponere totum; cum dispositio, & medium ex natura sua præcedat finem. Illud hic aduerto, ens primum simplex esse incorruptibile; quia cum non dependeat à subiecto, non potest corrumpi per aduentum contrarij, à quo ex subiecto expellatur; neque per defectum causæ, cum creetur à Deo: ens autem primum compositum posse corrumpi per aduentum contrarij expellentis vnam partem, eamque seperantis ab alia.

19. De accidentibus modalibus, si debeant sustentari, dico sustentari ab eo subiecto, quod intrinsecè modificant; quia dum nihil obstat, nō debemus distinguere subiectum vnionis à subiecto sustentationis. De proprietatibus probabilius est vniri, & sustentari ab essentia, vnde fluunt; sicuti de actibus vitalibus spiritualibus, quod procedant, & immediatè recipiantur, & sustententur ab anima. Verum de his in libris de anima.

DISPVTATIO SECVNDA.

De corruptione substantiali.

1 CVm generationem comitetur corruptio; meritò post illius notitiam huius explicationem aggredimur.

SECTIO PRIMA.

Quod sit corruptio?

Definitur corruptio.

1 ESt igitur corruptio substantialis prima rei substantialis in aliud, seu in non purum nihilum, desitio: desitio autem prima rei est cessatio omnis actionis circa rem aliquam immediatè ante existentem: dixi cessatio omnis actionis: quia non sufficit, si desinat vna actio, & alia succedat: ea enim erit corruptio actionis, non termini. Non addidi, conseruatiuæ; quia, præcisa illa particula, iam intelligitur conceptus corruptionis: & vt bene notat Comptonus, res primò nunc producta potest immediatè post destrui, in quo casu nulla intercedit actio conseruatiua, vt patet consideranti. Dixi, prima; quia tunc solum res dicitur destrui, cum primo non est per cessationem omnis influxus circa ipsam; in reliquis autem instantibus, res non dicitur destrui, sed perseuerare eius non esse; sicuti tunc res dicitur produci, cum primo causatur.

Quomodo distinguitur ab annihilatione.

2 Iam verò hæc prædicata conueniunt quidem corruptioni, sed non soli: extenduntur enim etiam ad annihilationem, & formaliter explicant conceptum destructionis: habent igitur locū differentiæ illę particulæ, in aliud, seu in nō purum nihilum: quapropter res, quæ corrumpitur non abit simpliciter in nihilum, vel quia aliquid eius remanet, vel quia in aliud conuertitur: sic substantia panis, & vini in conuersione Eucharistica non annihilatur: licet enim desinat tum secundum formam, tum secundum materiā; perseuerant tamen multa accidentia illius propria; ac conuertitur in substantiam corporis, & Sanguinis Christi.

3 Quæ verò annihilantur, abeunt simpliciter in nihilum: quia neque conuertuntur, & fiunt aliud; neque aliquid illorum remanet: vt si Deus destrueret substantiam Angeli cum omnibus accidentibus. Tunc autem aliquid rei perseuerat, cum post destructionem remanet vel subiectum, á quo res necessario exigit dependere, & ex cuius potentia educitur; vel aliquod accidēs, quod naturaliter res destructa exigit: quare si anima rationalis destrueretur, & remaneret materia prima cum accidentibus corporalibus, annihilaretur; quia anima non dependet à subiecto, & potest naturaliter conseruari sine illis accidentibus; ideoque valde impropriè sunt aliquid animæ: corrumperetur autem, si post destructionem eius perseueraret potentia intellectiua distincta.

Causa destructionis est Deus.

4 Causa efficiens corruptionis non est, nisi Deus, qui ad exigentiam causarum secundarum suspendit concursum à conseruandare. Certè quidem res non potest destrui, nisi ab eo, à quo dependet: cum autem forma vetus nō dependeat à causa productiua formę nouæ; non potest destrui ab illa causa, quę tantùm exigit positionem sui termini, non formaliter destruere terminum oppositum. Negari tamen non potest quin causa secunda creata productiua formæ nouæ sit suo modo causa efficiens remota corruptionis: quia proximè producit formam nouam, à qua exigitur corruptio antiquę; sicuti etiam dispositiones, dum actiuè concurrunt ad productionem nouæ formæ. Causa autem materialis non semper interuenit in corruptione; vt patet, cum corrumpitur tota substantia panis, & vini in conuersione Eucharistica. Quod si post corruptionē perseueret subiectū, à quo dependebat forma corrupta; potest dici causa materialis corruptionis. Causa finalis in his corruptionibus nobis notioribus est nouū compositū. Demū forma de nouo producta, quæ nihil producendo formaliter exigit eam destructionem, causa formalis dici potest; iuxta ea quæ diximus *lib. 2. phys.*

Corruptio vnius non est formaliter generatio alterius.

5 Quæres: Vtrum corruptio sit formaliter generatio? Non comparamus generationem, & corruptionem eiusdem rei, quas certum est non solùm formaliter, sed etiam realiter distingui, tanquam esse & non esse; cum re uera corruptio dicat carentiam omnis actionis etiam generatiuæ termini corrupti: sed corruptionem vnius v.g. ligni, cum generatione alterius v.g. ignis; in quo sensu dico corruptionem vnius, non esse formaliter generationem alterius; quia desitio omnis actionis circa vnum, non est formaliter positio actionis circa alium terminum oppositū: & potest saltem miraculosè corrumpi vnum extremum, & non generari aliud.

6 Quando igitur Aristoteles *2. phys. t. 78. & 5. de gen. t. 17. & 24.* docuit, generationē

vnius esse corruptionem alterius; locutus est in sensu causali, & cōcomitanti; quia hæc duo communiter, ac naturaliter non separantur: quærit enim cur mundus non desierit, cum semper aliquid corrumpatur? & respondet; quia corruptio vnius, est generatio alterius.

7 Aduerto hic, generationem vnius formæ substantialis non semper coniungi cum corruptione alterius: cum enim moritur homo, generatur forma cadaueris, & non corrumpitur forma hominis, nempe anima rationalis: in accidentibus autem ne respectu compositi quidē habet locum dictum axioma: adueniente enim luce fit lucidū de nouo; quamuis nullum corrumpatur concretū positiuum accidentale. Præterea quamuis odiū opponatur amori, & scientia errori; sicuti amās odio habenti, & sciens erranti; tamen amor, & amans non debet supponere odium, vel odio habens, quod corrumpatur per amorem: sicuti neque scientia, & sciens, errautem, & errorem; quarè etiam composita accidentalia opposita possunt desinere sine productione oppositi; & produci sine desitione oppositi.

8 Dices primo: eadem via physica est, quæ ducit ad esse vnius, & ad non esse alterius; sicuti eadem est via, quæ ducit Thebas Athenis, & Athenas Thebis. Distinguo assumptum; eadem est positiuè via, nego; negatiue, concedo: non enim sunt duæ viæ positiuæ, via enim, quę ducit ad non esse, est carentia viæ, non via propriè dicta. Ad rationem in contrarium dico; nomine viæ posse primo significari spatium interceptum; & hoc profectò idem est. Secundò motus Atheuis Thebas, & Thebis Athenas; & hic est diuersus: neque enim eodē motu moueor Athenas versus, ac versus Thebas: generatio autem, & corruptio sunt via secundo, non primò modo. Ex eo autē quod generatio substantialis vnius comitetur modo dicto corruptionem alterius; male quis infert, tot nunc esse composita substantialia, quot fuerunt in prima rerum productione: sæpe enim multa producuntur specie diuersa, & non corrūpitur nisi vnum specie compositum; vt cum Deus ex magna aquæ massa produxit tot species, & genera piscium & volatilium.

9 Hinc facile est decidere, quid sit corruptibile; quod nimirum subesse potest corruptioni; & quidem erit naturaliter corruptibile, quod potest naturaliter, & iuxta exigentiam causarum secundarum illi subesse: miraculosè, si id tantùm miraculosè accidere potest. Solum quæri potest de principijs corruptibilitatis; seu vnde oriatur, quod aliquod sit absolutè corruptibile; ab aliquo ne eius principio intrinseco, an ab extrinseco, vel ab vtroque? Non loquimur autem de principio formali, & constitutiuo corruptibilitatis, quod est ipsum esse rei, quod potest ex vi agentium naturaliū desinere, & est proculdubio illi maximè intrinsecum, sed de principio causali, & veluti inductiuo corruptionis. Verum quia hæc quæstio præcipuè agitatur de homine potius spectat ad medicos, ad quos lectorem remitto.

Definitur corruptibi

SECTIO SECVNDA.

Vtrum corruptio sit naturalis?

1 SI naturale sumatur pro vt opponitur supernaturali, miraculoso, vel artificiali; certum est, corruptionem esse regulariter naturalem, cum regulariter fiat ad exigentiam causarum secundarum. Si verò naturale sumatur pro conueniente, & exacto, nagari nequit, quin corruptio vnius termini saltem mediatè sit connaturalis termino opposito, & eiusdē principio productiuo; cum enim forma opposita exigat esse in subiecto, & hanc vnionem illius cum subiecto exigat principium eiusdem causatiuum; subiectum autem sit incapax vtriusque formę; vtrique exigunt saltem indirectè, & veluti mediatè, destrui vnionem prioris formæ: & consequenter etiam ipsam formam, si sit ex dependentibus ab illa vnione. Potest item expulsio formæ, & consequenter etiam corruptio, esse naturalis subiecto, si forma corrumpenda sit contra exigentiā subiecti, erit autem innaturalis, & violenta, si eadem forma sit iuxta illius exigentiam: sic connaturalis est aquæ expulsio caloris, innaturalis, & violēta expulsio frigoris. Hæc sunt ferè certa.

Multi modi quibus corruptio potest dici naturalis vel violenta, & innaturalis.

2 Duo autem dubia: primum est; vtrum corruptio possit per se intendi ab aliquo agente naturali? & quidem si illud agens sit liberum, pars affirmatiua videtur ferè certa; quia potest agens liberum per se intendere mortem, & destructionem alterius, quam apprehendit, vt sibi bonam: si autem sit agens necessarium, quod absolutè intelligitur sub nomine agentis naturalis; dico nullum agens naturale per se, & directè tēdere in destructionem alterius: quia virtus effectiua data à natura est rebus ad producendum, non ad destruendum: ergo sua virtute agens naturale non tendit nisi ad positionem effectus, quē intendit; & non nisi indirectè ad destructionem alterius, quatenus videlicet est incompossibile cum termino, quem intendit causare. Confirmatur: quia agens naturale non conseruat effectum, qui debet destrui: ergo non potest illum immediatè destruere, suspendendo concursum in illū: neque enim potest suspendere concursum, quem non præstat, nec habet in sua potestate.

Non potest agens naturale directè intendere corruptionem.

3 Secundum dubium est, verū aliquod ens, siue substantiale, siue accidentale possit naturaliter exigere destructionem sui; non quidem pro eo tempore, quo est, sicuti enim quando est, & ex suppositione quod sit, non potest non esse; ita non potest exigere, ne sit; sed in ordine ad tempus subsequens, ita vt in instanti, A, præcedēti v.g. exigat, ne sit, & vt destruatur in instanti B sequenti?

4 Pro solutione oportet distinguere duas entium classes: alia enim sunt essentialiter addicta tali tempori, imo sunt tale tempus essentialiter repugnans esse alias; ita vt eorum esse, sit esse nunc, & non alias; & hæc quidem entia, si exigunt suum esse, tantū exigunt esse nunc, quia tantum ipsum nunc est ipsorum esse; & si exigerent

Instantia non possunt exigere suum non esse.

rent suum non esse, exigerent non esse nunc; quia sicuti illorum esse est ipsum nunc, ita illorum nō esse est ipsum non nunc: quare non esse subsequens non est non esse, seu carentia ipsorum secundum se: alias, vt vidimus in physicis, non posset esse illud nunc: erit igitur carentia alicuius chimæricæ coniunctionis, videlicet nunc præcedentis cum nunc sequenti. Ex quibus patet huiusmodi entia non posse exigere suum non esse: quia non possunt exigere suum non esse pro eo tempore pro quo sunt; ita vt exigant, vt suū non esse tunc ponatur: neque vt ponatur pro tēpore sequenti, quia pro tempore sequenti illorū non esse est impossibile, vt vidimus.

Nulla creatura potest sui destructionē exigere.

5 Secunda classis est eorum entium, quæ nō sunt addicta tempori, sed possunt esse in hoc, vel illo tempore; & de his etiam mihi probabilius apparet, quod non possint naturaliter exigere destructionem sui pro tempore sequenti: quod sic ostendo. Vel pro tempore sequenti potest à Deo conseruari huiusmodi ens; vel non potest à Deo conseruari? si secundum; ergo exclusio ipsius à tempore sequenti excludit aliquam chimæram; excludit enim coniunctionem entitatis illius cum tempore sequenti, quæ est chimæra; ergo dum exigit illud non esse sequens, non exigit non esse sui: ipse enim non est chimæra etiam per aduersarios. Vt igitur exigeret suum non esse, deberet exigere, vt illud poneretur pro tempore antecedenti quando est.

Nulla res potest esse violenta sibi.

6 Si primum; sic vrgeo: conseruatio illa, quam Deus potest per se ponere, non est violēta rei conseruatæ: ergo non est contra eius exigentiam; esset autem, si exigeret destrui: exigēti enim destructionem est violenta conseruatio; non minus ac calor est violentus aquæ exigenti frigus. Antecedens probatur: terminus conseruationis non est violentus rei conseruatæ: ergo neque conseruatio: si enim aliquis terminus non est violentus subiecto, neque potest esse illi violenta per se saltem omnis productio, & conseruatio termini: cum enim productio, & conseruatio sit in ordine ad terminum, non aliunde, per se loquendo, possumus colligere aliquam productionem, vel conseruationem esse, vel non esse violentam subiecto, nisi ex eo quod res conseruata sit, vel non sit talis: sicuti non aliunde possumus colligere aliquam vnionem esse, vel non esse violentam subiecto, nisi quia terminus vnitus sit, vel non sit huiusmodi. Antecedens probatur: terminus conseruatus in hoc casu est ipsū esse rei: nullum autē esse rei potest esse violentum rei, cuius est esse; aliter eadem res esset violenta sibi: quod fortasse magis repugnat, quā quod idem causet se ipsum, destruat se ipsum, & similia, quæ putantur ab omnibus impossibilia.

7 Dices; potest dari aliqua res, quæ exigat durare ad tempus determinatum v. g. ad horam, qua transacta non sit illi debita conseruatio: vt sunt virtus impressa, species, sonus, & aliæ qualitates, presertim si sint actus vitales: ergo potest res exigere suam destructionem pro tempore sequenti; non minus enim repugnat, quod esse, & conseruatio sit non debita rei, quam quod sit violenta. Nego consequentiam, & eius probationem: quia nulli rei creatæ debetur primum esse; quia non supponitur præcedere cum iure ad esse; sed ad summum debetur causis exigentibus esse effectus; ergo quod alicui suū esse non sit debitum, nullum est absurdum; at quod alicui suum esse sit violentum, & oppositum sibi, nemo cordatus non iudicabit absurdum.

8 dices: vbicatio potest esse violenta rei vbicatæ; ergo & duratio sequens rei duranti; ergo potest non obstante allata ratione res appetere distructionem sui. Distinguo antecedens; potest omnis vbicatio esse violenta rei vbicatæ, nego; aliqua; quia impedit vbicationem exactā, concedo: vt dum graue detinetur in aere & impeditur ab vbicatione propria in centro; in quo casu vbicatio est violenta; non quia vbicatio rei est, sed quia rem ponit in loco contrario, & impedit vbicationem debitam: tum nego consequentiam: quia non est, vnde tempus sequens sit malum rei; neque duratio sequens impedit aliam durationem debitam eidem rei. Hinc confirmo vniuersaliter hanc secundam partem meæ doctrinę: duratio sequens est perfectia rei non minus ac prima; sunt enim eiusdem rationis; & neutra impedit bonum debitum rei; neque vero carentia sequens durationis est bona rei; aut illam perficit neque impedit malum rei; quia non excludit formaliter aliquod impediens bonum rei; malum autem non est nisi impedimentum boni debiti; sed excludit durationem sequentem, quæ formaliter non impedit bonum rei; sed potius extendit totum eius bonū; nempè totū eius esse. Quin imo potius carentia impedit bonū rei; quia absolutè impedit; ne res sit in instanti sequenti; quod bonum rei est, non minus ac esse in primo instanti: eiusdem enim rationis est esse in primo, ac in secundo instanti, si formaliter secundum se considerentur.

9 Vbi primo addo, posse agens liberum apprehendere suam durationem sequentem esse sibi malam; ideoque appetitu elicito directè appetere, ne sit. Secundo si ex aliquibus accidētibus & circumstātijs redderetur rei veluti infelix conseruari & durare: ex hoc solū inferri, quod possit appetere carentiam illarum circumstantiarum; non suæ durationis. Tertio, quęstionem esse de appetitu directe. Quarto, esse rei, cum sit ipsa res, & totum bonum ipsius, non posse esse malum rei; cum nulla res possit esse sibi mala. Ex quo sequitur, malum rei procul dubio parandum, non esse. Quæ si bene considerētur satis valide confirmant meam dotrinam & facile soluunt aduersariorum rationes: si quas tamen habeant.

In corruptione substātiali nō datur resolutio vsque ad materiam primam.

SECTIO TERTIA.

Vtrum in corruptione substantiali detur resolutio vsque ad materiam primam?

1 IN corruptione substantiali dari resolutionem vsque ad materiam primam, est, ni-

hil prioris compositi neque substantiale, neque accidentale pæter materiam primam manere in genito. Ita euenire in omni corruptione substantiali defendunt Thomistæ. Contrariã opinionem, quam sequor defendunt Suarius, Hurtadus, Auersa, & alij quam plures, videtur autem expressa sententia Aristotelis, qui *lib. 1. de gen. t. 24.* docet, *quando corruptum, & genitum communicant in aliqua qualitate, illam remanere in genito: vt si aqua conuertatur in aerem, vel è contra; eadem perspicuitas, quæ erat in corrupto remanet in genito.* Dices manere eamdem specie, non numero qualitatem: contra, quia cum id sit apud omnes certum, non poterat vocari in dubium à Philosopho, qui nihil scitu dignum enunciasset definiendo manere eamdem speciequalitatem.

2 Probatur: in corruptione substantiali manet causa efficiens, & subiectum aliquorum accidentium, quæ fuerunt in corrupto: ergo debent manere aliqua accidentia: si enim manet causa necessaria, & adæquata effectus, debet perseuerare effectus. Antecedens probatur, multa accidentia, quæ sunt dispositiones ad formam nouam, præcesserunt in corrupto: sed horum accidentium manet in corruptione causa efficiens, & subiectum: ergo in corruptione manet causa efficiens, & subiectum multorum accidentium, quæ fuerunt in corrupto. Maior patet ipsa experentia, qua videmus priusquam lignum conuertatur in ignem, disponi per calorem, & siccitatem. Rursus non solum in corrupto, sed etiam in genito habetur quantitas. Minor probatur; causa efficiens horum accidentium vel est Deus, vel agens extrinsecum, nempè ignis, qui adhuc perseuerant: causa vero materialis, & sustentatiua non est forma corrupta, vt supra vidimus: sed vel materia, vel quantitas: ergo nulla deficit causa neque materialis, neque efficiens.

Exponitur Aristoteles

3 Obijcies primo multa Aristotelis testimonia, primum est ex hoc libro *t. 26.* vbi docet, *in generatione, & corruptione nullum manere sensibile, vt subiectum idem*: ergo debet destrui omne accidens; alias aliquod remaneret sensibile. Respondeo, id verificari, quia non remanet compositum substantiale, quod corrumpitur, & dicitur absolute sensibile, vt supra innuimus; quæ est explicatio Doctorum non ignobilium. Secũdum testimonium est ex primo phisicorum, vbi definitur materia, *primum subiectum, ex quo fit aliquid cum insit, & si hoc corrumpitur, in hoc abibit vltimum*. Respodeo hunc locum esse conditionatum; quia si omnia corrumpantur, materia erit vltimũ, in quod resoluantur. Tertiũ est ex 5. *phis. t. 8.* vbi habetur, *quod materias ex qua educta fuit forma, non fit ens neque in actu neque in loco*: ergo destruitur vbicatio prior. Respondeo materiam ex se sicuti non identificat sibi formam substantialem, ita neque vbicationem: hoc autem quid iuuat resolutionẽ vsque ad materiam primam? Quartum est ex capite de substantia, vbi docet, *corruptis primis substantijs omnia corrumpi*: ergo in corruptione indiuiduorum omnia accidentia pereunt. Nego cõsequentiam: sensus enim Aristotilis est, corruptis totaliter primis substantijs, corrumpi omnia; aliter si sẽsus esset absolutus in omni corruptione non solum accidẽtia, sed etiam materia, quæ inuoluitur in ly omnibus, deberet corrumpi. Est alius sensus non contemnendus, corruptis primis substantiis, videlicet indiuiduis, corrumpi omnia alia predicata illis identificata.

4 Obijcies secundo: accidentia communia inhærent toti composito: ergo destructo composito debent destrui; quia destruitur eorum subiectũ. Nego primo antecedens; cuius falsitas patet ex dictis. Rursus nego consequentiam; licet enim corrumpatur vnum compositum, succedit tamen aliud; à quo æquè bene sustentari possunt, ac à primo.

Non repugnat quod accidens mutet subiectum inadæquatum

5 Instabis contra secundam responsionem: accidens non potest transire de subiecto in subiectum: ergo non possunt accidentia communia, quæ prius sustentabantur á composito corrupto, sustentari à producto. Distinguo antecedens; non potest transire de subiecto adæquato ad subiectũ adæquatum, & per transitum localem; transeat: de subiecto inadæquato, & per transitum virtualẽ, nego. Non potest accidẽs virtute propria relinquere subiectũ existens, & localiter se mouendo transire ad aliud subiectum: quia naturaliter deberet corrumpi actio, qua dependebat á primo subiecto. Neque dependeret á secũdo subiecto, quia si accidens intelligitur moueri ad secundum subiectum, iam independenter ab illo est, quia ex illo motu iam intelligitur esse, non dum intellecto aliquo influxu subiecti; aliter prius intelligeretur esse in subiecto, & ab illo depẽdere, quã ad illud moueri; quod est falsũ, & vim habet quamuis accidẽs moueatur ab extrinseco. Cæterũ quid repugnat, quod idem accidens prius sustentetur ab vna causa, deinde ab alia; si præsertim causa, quæ mutatur, sit non adæquata, sed inadæquata? sicuti potest effectus, qui modo efficienter causatur ab vna causa; causari deinde efficienter ab alia. Confirmatur: posita aduersariorum principijs vtraque forma, tum corrupta, tum producta, habet vim sustentandi accidentia; ergo si vna forma succedit alteri, non est, cur aliquod accidens nõ possit saltem inadæquatè modo sustentari ab vna, modo ab alia. Cæterum sicuti subiectum absolutè adæquatum non potest naturaliter deperdi; ita neque accidens potest mutare subiectum adæquatum; quemadmodum neque potest adæquatè, & totaliter mutare causam efficientem.

Quomodo substantia sit prior accidentibus

6 Obijcies quinto: prius est esse simpliciter, quod est esse substantiale, quam esse secundum quid, quale est accidens: ergo prius materia recipit formam substantialem, quam accidentalẽ: ergo omnes formæ accidentales consequuntur esse formæ substantialis; ergo omnes producuntur post illam. Respondeo, antecedens intelligi de prioritate intentionis, non executionis, ex quo nihil inferri potest contra allatam doctrinam.

7 *Instabis*: ex Aristotele substantia est prior acci-

accidentibus definitione, natura, cognitione, tēpore. Respondeo, hunc textum probare aliquādo extitisse substantiam spoliatam omni accidēte, quod negant aduersarij. Sensus igitur est, substantiam in tota sua latitudine acceptam, etiam pro vt includit primum ens, nempe Deum, habere respectu accidentium has omnes prioritates: non est igitur necesse, vt qualibet substantia fruatur illis omnibus prioritatibus respectu cuiuscumque accidentis.

8 Obijcies sexto: aliqua accidentia corrumpuntur ad corruptionem substantiæ; ergo omnia. Nego consequentiam: illa tantum debent corrumpi, quę expelluntur per aduentum contrarij, non igitur omnia.

DISPVTATIO TERTIA.

De aggeneratione, & diminutione.

Aggeneratio est quasi partialis quędam generatio, qua subiectum fit maius: sicuti autē generatio propriè significat productionem substantię: extenditur autem ad significandam etiā productionem accidentis; ita aggeneratio propriè est accretio substantiæ, & extenditur ad exprimendam etiam accretionem accidentalem. Cæterum, ne vocum similitudo pariat confusionem, accretio substantialis dicitur simpliciter aggeneratio; accidentalis, augmentatio: quæ duplex est, aut extensiua, qua accidens magis extenditur; aut intensiua, qua videlicet eadem qualitas augetur in eadem parte subiecti. Totidem modis dicitur diminutio, quæ aut substantialis est, aut accidentalis; & hæc aut intensiua, aut extensiua. Agemus igitur in præsenti tantū de aggeneratione, & diminutione substantiali, ac de accidentali extensiua; acturi deinde de intensiua.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Aggeneratio, & diminutio substantialis.

Definitur aggeneratio, & diminutio, substantialis.

1 Communiter aggenerationem substantialem definiunt, motum à minori ad maiorem substantiam; diminutionem verò, motum a maiori ad minorem substantiam. Vtraque definitio est bona: & in prima quidem motus habet locum generis; reliquæ verò particulæ differentiæ; & distinguunt aggenerationem a substantiali generatione, quæ ex genere suo non est motus a minori ad maiorem substantiā; sed simpliciter productio substantię dependens à subiecto: distinguunt etiam ab augmentatione, quæ non est motus ad substantiam. Demum distinguunt à diminutione, quæ est motus a maiore ad minorem substantiam. Ex quibus facile elicitur sensus secundę definitionis.

Quinam est formalis terminus à quo aggenerationis & ad quē diminutionis.

2 Solùm hic aduerto, minorem substantiam, qui est alter terminus horum motuum, duo importare, vnum positiuum, alterum negatiuum: substantia enim ex se non est minor; sed talis constituitur per carentiam vlterioris substantię. Quod si quæras; quinam sit terminus à quo aggenerationis, & ad quem diminutionis, ipsa substantia, vel carentia vlterioris substantiæ? Respondeo: si loquamur de termino à quo, & ad quem materialiter sumpto, esse vtrumque indiuisibiliter acceptum; vtrumque enim denominatur terminus à quo, & ad quem. Si verò loquamur de termino à quo, & ad quem formaliter sumpto; dico esse carentiam; quia ille est terminus formalis à quo, qui formaliter deperditur; ille terminus formalis ad quem, qui formaliter acquiritur; sed sola carentia formaliter deperditur in aggeneratione; & sola carentia formaliter acquiritur in diminutione: ergo sola carentia est terminus formalis à quo in aggeneratione, & terminus ad quem in diminutione.

3 Dices iterum: fieri potest, vt eodem tempore compositum tantumdem substantiæ amittat per diminutionem, quantum acquirit per aggenerationem; in quo casu neque diminutio est motus à maiori ad minorem; neque aggeneratio à minore ad maiorē substantiā. Distinguo minorē, diminutio nō est in eo casu per se motus a maiori ad minorē substantiā, &c. nego: per accidens; concedo. Diminutio per se semper tendit ad minuendā substantiā, destruendo aliquā eius partē; per accidens autem est, quod in eodem instanti damnum diminutionis resarciatur per aggenerationem: eodem modo proportionaliter discurro de aggeneratione.

SECTIO SECVNDA.

De augmentatione, & diminutione quantitatiua.

1 Aggenerationem substantialem comitatur augmentatio quantitatiua; sicuti diminutionem substantiæ diminutio quantitatis. Quando autem Aristoteles docuit, *viuentia semper nutriri, non semper crescere*, solum voluit, quod aliquando per accretionem, quæ nutritionem comitatur, viuens non fit maius; quia videlicet non nunquā tantūdem quantitatis acquirit per augmentationem, quantum amittit per diminutionem. Non est igitur sensus, quod in nutritione animalis acquisita noua materiæ, & formæ parte, non acquiratur noua pars quantitatis: cum enim materia de nouo acquisita debeat quantitate informari, non potest haberi noua materia sine noua quantitate.

Definitur accretio, et decretio.

2 Definitur igitur accretio quantitatiua, *Motus a minori ad maiorem quantitatem*; decretio, *motus a maiori ad minorem quantitatem*: vtriusque definitionis sensus patet ex dictis de aggeneratione.

In accretione non producitur noua quantitas.

3 Iam vero in accretione non interuenit noua productio quantitatis; cum enim pars aquæ alteri additur, fit maior quantitas, nec tamen producitur aliqua pars quātitatis. Et sanè sicut viuens fit substantialiter maius sine noua productione materiæ; ita quantitatiue crescit sine no-

na

na productione quantitatis. Et confirmatur: quia: quantitas, quæ erat ſub alimento, non debet corrumpi; cum perſeuerent omnes eius cauſæ: ergo non debet produci noua quantitas.

4 Neceſſariò tamen accretio dicit actionē cauſatiuam vnionis continuatiuæ inter partes quantitatis.

5. Ex his infero, accretionem realiter diſtingui à decretione, tanquam actionem poſitiuā à negatiua. Secundo, accretionem formaliter ſumptam diſtingui ab aggeneratione, tamquam actionem poſitiuam ab alia poſitiua; tum quia termini eſſentialiter diſtinguūtur; tum quia productio vnionis quantitatis, & materiæ debet ſupponi in priori naturæ ad productionem vnionis formæ cū eadem materia; ſicuti enim vnio quantitatis ad materiā eſt diſpoſitio, & in priori naturæ ad vnionem formę cum eadem materia: ita actio productiua illius eſt in priori ſigno ad actionem productiuam huius; nam inter actiones non eſt alia prioritas, quam illa, quæ eſt inter terminos: ergo etiam probabile eſt, vnionem continuatiuam partium quantitatis debere cum ſua cauſalitate præcedere ad vnionem continuatiuam partium vnionis, & formę ſubſtantialis.

SECTIO TERTIA.

De Termino magnitudinis, & paruitatis extenſiuę in ſubſtantia.

Explicantur termini magnitudinis, & paruitatis intrinſeci, & extrinſeci.

1 INquirimus, verum quælibet ſubſtantia materialis habeat terminum ſuæ magnitudinis, & paruitatis; ita vt neque poſſit ad quācumque materiam, & quantitatem maiorem, & maiorem extendi: neque contrahi ad quamcumque minorem, & minorem. Quæ quæſtio habet etiam locum in prima productione formarum ſubſtantialium; verum videlicet, cum primo producuntur, ita exigant materiam, & quantitatem; vt nō poſſint produci in minori, & minori; neque in maiori, & maiori.

2 Sciendum autem eſt, duplicem dari terminum magnitudinis, & paruitatis, intrinſecum, & extrinſecum. Terminus magnitudinis intrinſecus eſt ille, quem ſubſtantia poteſt attingere, & vltra quem non poteſt extendi: terminus extrinſecus eſt, quem ſubſtantia non poteſt attingere, & infra quem poteſt quemlibet maiorem, & maiorem attingere. Terminus intrinſecus appellatur, *maximum, quod ſic*; quod videlicet poteſt ſubſtantia attingere; terminus verò extrinſecus magnitudinis dicitur minimum, quod non: prima videlicet magnitudo, ad quam non poteſt ſe forma, & ſubſtantia dilatare. Exemplum ſit in homine, cuius terminus magnitudinis ponamus eſſe ſeptem palmos; hic profecto erit terminus intrinſecus, & maximum quod ſic: quia videlicet homo poteſt ſe extendere ad ſeptem palmos, & non vltra: magnitudo autem primo excedens ſeptem palmos eſt terminus extrinſecus, & minimum, quod non poteſt attingi ab homine.

3 Eodem modo terminus paruitatis extrinſecus eſt illa materia, & quātitas, in qua res vltimo conſeruari poteſt: & infra quam non poteſt in minori; & dicitur minimum quod ſic; minima videlicet pars, in qua ſubſtantia eſſe poteſt. Terminus verò paruitatis extrinſecus eſt illa materia, & quantitas, in qua vltimo non poteſt, & ſupra quam eſſe poteſt ſubſtantia: exemplum ſit in eodem homine, cuius terminum paruitatis ponamus eſſe palmum; certè quantitas palmaris eſt terminus quantitatis intrinſecus, & minimum quod ſic: talis videlicet extenſio, in qua homo vltimo inueniri poſſit, & infra quam non poſſit. Extenſio autem immadiatè minor palmari erit terminus paruitatis extrinſecus, & maximum, quod non; quia in illa ita non poteſt inueniri homo, vt in quacunque maiori poſſit.

4 Aduerto in ſententia Ariſtotelis cōponentis continuū ex partibus in infinitū diuiſibilibus, ſi res habeat terminū intrinſecum ac determinatū magnitudinis, & paruitatis, non poſſe habere terminū determinatū magnitudinis, & paruitatis extrinſecū: ſicuti ſi habeat determinatū terminum magnitudinis, & paruitatis extrinſecū, non poſſe habere terminum determinatum magnitudinis, & paruitatis intrinſecum; quia aſſignata aliqua magnitudine determinata, quæ ſit prima, ad quam non poteſt attingere ſubſtantia, v.g. ſeptem palmari in homine, non poteſt aſſignari alia determinata, & immediatè minor, quæ vltimo attingatur; quacumque enim aſſignata infra ſeptem palmos, ſemper poteſt aſſignari alia maior item infra ſeptem palmos, propter diuiſibilitatem in infinitum: His poſitis.

5 Dico primo: in ſentētia Ariſtotelis de compoſitione continui ex partibus in infinitum diuiſibilibus; indiuiſibile materiæ, & quantitatis eſt terminus extrinſecus paruitatis omnium corporum; infinita verò extenſio eſt terminus magnitudinis omnium corporum. Prima pars probatur; quia in ſententia Ariſtotelis repugnat ſaltem naturaliter, indiuiſibile ſeparatum: ergo repugnat corpus indiuiſibile; ergo indiuiſibile quantitatis, & materiæ eſt terminus adeo extus, vt ad illum nunquam deſcendant corpora. Eodē modo, quia ſaltem naturaliter repugnat infinita extenſio; non poterunt corpora illam pertingere: punctum autem non poteſt dici maximum, quod nō; neque enim poteſt dari aliquod minus, quod non attingatur: ſicuti neque quantitas infinita minimum quod non; quia non poteſt dari aliqua quantitas, quæ nequeat attingi, & ſit maior quantitate infinita in tota ſua latitudine ſumpta.

Corpora non viuentia non habent terminum intrinſecum magnitudinis aut paruitatis.

6 Dico ſecundo: corpora non viuentia abſolutè conſiderata non habent terminum magnitudinis, & paruitatis, ſi ſiſtamus intra terminos materiæ, & quantitatis diuiſibilis, & finitæ; quare quodlibet tale corpus poterit naturaliter eſſe nō ſolùm in quacumque magnitudine finita maiori, & maiori; ſed etiam minori, & minori ſemper

tamen

tamen diuisibili. Est communior opinio; probatur; partes corporis non viuentis, non ita se habent, vt vna ab alia pendeat; neque item requirunt in materia organorum diuersitatẽ ad diuersa munera exercenda: ergo non viuentia absolutè considerata possunt semper intra limites infinitatis crescere; & intra limites diuisibilitatis decrescere. Neque enim vllum est caput, vnde coarctentur ad tantam magnitudinem,& paruitatẽ: cum videamus extendi sine mensura, & redigi in minutissimas partes, nec tamen destrui.

7 Dices primo: aqua habet determinatam intensionem qualitatis, vltra quam non potest, se extendere: ergo habet determinatam extensionẽ. Nego consequentiam: cum enim aqua sit finitæ perfectionis,& capacitatis, non debentur illi nisi finita accidentia. Quæ ratio non militat in extensione; nam quod forma substantialis per nouas sui partes occupet nouam materiam, & quãtitatem; non arguit, quod aliqua forma sit infinitè perfecta; sed solum quod possit semper, & semper multiplicari.

8 Vrgebis: aqua ordinatur intrinsecè ad cõstitutionem huius vniuersi: ergo debet habere terminũ magnitudinis, ratione cuius seruet proportionem cum alijs partibus ad constituendum idem vniuersum. Nego consequentiam; nam hæc aqua, quæ in tãta magnitudine cum reliquis elementis constituit hoc vniuersum, poterat in maiori magnitudine constituere aliud vniuersum maius cum alijs elementis item maioribus: sicuti eadem vnitas est indifferens ad constituendum cum alijs, & alijs vnitatibus hunc, vel illum numerum maiorem, vel minorem. Et ad summum hoc argumentum probat, aquam, non absolutè consideratam, in quo sensu nos loquimur, sed vt partem huius vniuersi habere terminum magnitudinis; de quo puncto nunc non controuerto.

9 Dices secundo, corpora non viuentia non possunt in quacumque minori extẽsione exercere suas operationes: ergo ad minus habent terminum paruitatis. Nego antecedens: quælibet enim pars ignis ab alijs separata potest non solum producere suas vbicationes, & alia accidentia sibi debita; sed etiam agere in materiam extrinsecam per suas qualitates, nisi à validiori agente impediatur. Alij secundo negant consequentiam: quia potest aliquod conseruari; quamuis nihil valeat in subiecto extraneo operari.

10 Instabis: ignis in minutissimas partes cõcisus illico extinguitur: ergo signum est, quod ad sui conseruationem indigeat determinatæ extensione. Nego consequentiam: extinguuntur enim partes diuisæ, quia facillimè superantur ab agente contrario. Non negauerim ob has rationes oppositum esse probabile.

11 Dico tertio, corpora viuentia habent terminum magnitudinis in generatione, & augumẽtatione totali; paruitatis in decretione, & diminutione. Prima pars probatur: partes corporis viuentis habent mutuam cõnexionem, & sibi mutuo auxiliantur; ergo non possunt poni in quacũque maiori, & maiori distantia; aliter non possẽt se inuicem iuuare.

Habent viuentia (margin note, partly illegible)

12 Secunda pars de termino paruitatis in generatione, & deminutione, probatur: formæ vitales requirunt corpus varijs organis instructũ: at organa adeò diuersa, & dispositiones ita oppositæ non possunt in quacunque materia minori, & minori reperiri; neque temperamenta adeò diuersa cerebri frigidissimum, & cordis calidissimum possunt diù subsistere nimis propinqua.

13 Aduerto primo, in aggeneratione partiali, seu nutritione nõ dari terminum paruitatis; sed quęcunque pars alimenti, licet minor, & minor, poterit nutrire substantiam aliti: ratio est, quia in prima generatione non sufficit quęcunque minima materia, & quantitas ad omnes illas dispositiones, quas statim in primo ingressu anima requirit; at in aggeneratione partiali, cũ nõ totũ animal, sed pars producatur; non requiritur tota illa dispositionum varietas; sed sufficit dispositio vnius tantum partis carnis, vel ossis.

In nutritione non datur terminus paruitatis.

14 Aduerto secundo; non viuentia, quæ habent aliquam connexionem cum viuentibus, habere aliquem terminum, vt patet in cadaueribus, quæ non possunt crescere in infinitum: quod tunc euenit, quando ratione duritiei, & siccitatis resistunt continuationi. In quo sensu limitandum est secundum dictum. Non est tamen necesse, vt omne nõ viuens ortum ducens à viuente habeat terminum magnitudinis, & paruitatis: vt patet in oleo, siue fiat ex oliuis, siue ex piscibus, &c. quia nimirum non intercedit duritiei resistens.

Affinis viuentibus habent aliquando nõ nullum terminum magnitudinis.

15 Dices primo. Hi termini magnitudinis, & paruitatis, sunt intrinseci vel extrinseci? Respondeo in sententia Zenonis de compositione continui ex punctis indiuisibilibus intercedere terminos tùm intrinsecos, tùm extrinsecos: nam in hac sententia assignari potest quantitas, quam potest homo determinatè attingere; & supra quam nequeat extendi, & determinata quantitas, quam homo ita non possit attingere, vt possit immediatè minorem. Idem proportionaliter euenit in termino paruitatis. In sententia autem Aristotelis admisso termino intrinseco, nõ potest admitti extrinsecus; vt supra vidimus.

16 Dices secundo: perueniat homo ad maximum quod sit, & mordeatur à serpente: vtique eius caro intumesceret: ergo excederet terminũ suę magnitudinis. Nego consequentiam; intumesceret enim caro, nõ quia anima informaret nouas partes materię; sed vel quia rarefierent antiquę; vel quia admiscerentur aliæ nouæ, quę tamẽ non animarentur.

17 Dices tertio: assigna mihi hos terminos magnitudinis, & paruitatis. Respondeo, nos non debere illos assignare: tantum enim cognoscimus illorum necessitatem veluti indeterminatè, & in confuso: Deus autem, vtpotè sapientissimus artifex, & fortassè etiam Angeli determinatè cognoscunt, quinam sit terminus magnitudinis, & paruitatis singulorum viuentium.

18 Illud hic addo; quod si daretur animal immodicæ magnitudinis, per magnum stomachũ, posset illi præparari cibus sufficiens quoad quãtitatem, non autem facilè distribui; sicuti vnica ingens

in prægrandi palatio sufficeret ad præparandos omnibus cibos: qui tamen non possent facile distribui per singulas partes.

DISPVTATIO IV.

De Alteratione, & intensione.

1 Actio productiua accidentium, per quæ disponitur subiectum ad nouam formam, dicitur alteratio; quia subiectum, dum per illam transit ex veteribus ad noua accidentia, fit alterum. Dicitur etiam intensio; quia non illico, sed pedetentim subiectum disponitur ad formam substantialem; & successiuè calefit, transeundo à minori ad maiorem calorẽ; qui motus, & transitus dicitur intensio. Vtraque igitur actio, est præsentis disputationis materia.

Quid sit alteratio.

2 Alteratio igitur definiri commodè poterit cum Rubio l. 1. *de gen. c. 4. tract. 3. q. 1. Motus physicus, qui inter qualitates contrarias versatur*; hoc est, mutatio, per quam subiectum intelligitur transire de vna qualitate contraria ad aliam. Et primę particulæ, motus physicus, obtinent locum generis; sequẽtes distinguunt illã à reliquis mutationibus: nam generatio vel non est motus, vel non versatur inter qualitates cõtrarias: sicuti neque productio qualitatum nõ habentium contrarium versatur inter qualitates contrarias. Præterea si nunc primo producatur simul materia cum dispositionibus ad formam ignis, illa non erit alteratio: quia subiectum non fit alterum, nec transit de vna qualitate contraria ad alteram.

Alteratio dicit duas mutationes.

3 Hinc patet, alterationem dicere duas mutationes, alteram positiuam, qua primo dependenter a subiecto producitur vnio, vel qualitas; alteram negatiuam, qua primo desinit dependẽtia vnionis, vel qualitatis opposita. Cæterum alteratio potest, & extendi ad diuersas partes subiecti, & intendi in eadem: ideoque duplex est, altera extensiua, intensiua altera.

Definitur intensio, et remissio qualitatis.

4 Intensio, sumpta pro actione productiua qualitatis intensæ, etiam non corruptiua, est *productio qualitatis perfectioris respicientis idem indiuisibile loci*: remissio verò est *productio qualitatis imperfectioris respicientis idem indiuisibile loci*: sicut enim qualitas intensa est qualitas perfectior, remissa imperfectior, vt omnes fateri debent; ita intensio erit actio causatiua qualitatis perfectioris; remissio imperfectioris. Dixi, *idẽ indiuisibile loci*: quia puto probabile, qualitatẽ posse intendi extra subiectum.

5 Non negauerim tamen, communiter intensionem accipi pro transitu qualitatis ab imperfectiori ad gradum perfectiorem; remissionẽ verò pro transitu à perfectiori ad imperfectiorem: in quo sensu remissio est productio qualitatis imperfectioris supponens perfectiorem; & intẽsio est productio perfectioris supponens imperfectiorem. Cæterum negari non potest, quod neque qualitas intensa debet supponere præcessisse remissam; neque remissa præcessisse intensam: quare si intensio est productio qualitatis intensæ, & remissio remissæ; neutra debet supponere talem præcedentiam. Dicitur igitur qualitas perfectior, non quia supponat aliam antecedentẽ imperfectiorem: sed quia est absolutè in se perfectior alia, quæ dari posset.

SECTIO PRIMA.

Quid sit qualitas intensa, & remissa?

1 Videmus calorem nunc esse magis, nunc minus perfectum; primum vocamus intensum; secundum remissum; quærimus nunc, quid sit hæc maior, & minor perfectio caloris? Extenditur quæstio ad qualitates perfectiuas, & ad spirituales, etiam intentionales, in qua re.

Re[illegible] sententia Ægydij cõfundentis intensionẽ cum extensione.

2 Prima sententia est Ægydij quodl. 2. q. 24. & 1. *de gen. q. 18. & 23.* asserentis, intensionem, seu qualitatem perfectam tunc haberi, quando plures partes eiusdem subiecti informãtur eadem qualitate. Sed contra primo: hæc sententia confundit intensionem cum extensione; neque erit ratio, cur quantitas palmaris non sit summe intensa, seu non constituat lignum summe intense quantum. Secundo: anima rationalis, & Angeli sunt indiuisibiles; & tamen possunt habere gratiam modo minus, modo magis intensã.

Neque fit intensio per maiorẽ expulsionẽ contrarij.

3 Secunda sententia Platonis docet, vnam qualitatem magis intendi formaliter per maiorẽ expulsionem contrarij a subiecto. Sed contra; quia aliquando intenditur qualitas, & non plus expellitur contrarij, vt euenit, cum augetur lux, & gratia sanctificans. Neque dicas, expelli alias, & alias carentias lucis, & gratiæ: quia huiusmodi carentiæ debent expelli per suum contradictorium, quod non potest esse lux, & gratia prima, cum qua componuntur: ergo erit noua, & noua pars lucis, & gratię superaddita priori: ergo iam lux, & gratia intensa dicit plures partes.

4 Vrgebis authoritatem Aristotelis 5. *phys. t. 19. magis*, inquit, *aut minus est, ex eo quod plus, aut minus contrarij inest*; & 2. *Top. c. 4. quæ contrarijs*, inquit, *sunt impermixtiora, sunt magis talia; vt albius quidẽ nigro impermixtius*. Respõdeo, Aristotelem solùm velle, quod maior intensio vnius qualitatis coniungatur cum minori intensione alterius; non autem quod in eo formaliter sita sit intensio; cum hæc sit actio positiua: impermixtio autem oppositi sit actio negatiua. Et sane ideo minus qualitatis oppositæ habetur; quia plus est huius qualitatis: ergo plus huius qualitatis non est formaliter, sed solum causaliter, illud minus oppositæ. Cum autem *secundo de cælo* docuit, *remotionem vniuscuiusque fieri propter impotentiam*; solum voluit, defectum effectus prouenire ex defectu causæ.

Neque intẽsio fit per productionẽ qualitatis perfectioris destructa imperfectio-

5 Tertia sententia docet, qualitatem intendi aliud nõ esse, quam produci qualitatem perfectiorem, & corrumpi imperfectiorem; remitti autem produci imperfectiorẽ, & corrumpi perfectiorem. Ita Durandus, cui non improbabiliter adhærent alij. Sed contra primo: remissio nõ

sit

net remis ... per pro ... ctionem perfectio ... is destru ... ta perfe ... tiore.

fit vniuersaliter per acquisitionē qualitatis imperfectioris, & deperditionem perfectioris: ergo neque intensio per acquisitionem perfectioris, & deperditionem imperfectioris. Antecedens probatur: quando aqua, igne remoto, & admota niue, fit paulatim frigida, remissio caloris non fit per productionem caloris imperfectioris, & destructionem perfectioris: neque enim datur causa productiua illius caloris imperfectioris: non enim potest esse vel nix, vel aqua, quæ potius intendunt productionem frigoris; non Deus, qui, vt author naturæ, non operatur nisi ad exigentiam causarum secundarum: in casu autem nostro nulla est causa secunda exigens productionem illius caloris imperfectioris; non ignis iam remotus, non aqua vel nix, vtpotè exigētia oppositum.

5 Dices primo, calorem illum imperfectū, vt vult Maurus, produci ab aqua; cui, ne detur transitus de vno ad aliud extremum sine medio, indita à natura est vis producendi illum calorē medium imperfectum: sicuti virga, vel trabs violenter incuruata, si expediatur vinculis, paulatim se reducendo ad rectitudinem sibi debitā, prius sine vllo absurdo producit plures, & plures vbicationes suæ naturæ aliquo modo repugnantes. Sicuti autem virga tunc non dicitur se incuruare, quia per illas medias vbicationes accedit ad suam rectitudinem; ita neque aqua dicitur se calefacere, quia per illos calores imperfectiores, & imperfectiores à se productos accedit ad natiuam frigiditatem.

6 Nego assumptum: neque enim vlla est ratio, cur admittamus in aqua vim productiuam caloris sibi contrarij. Neque in productione qualitatū transitus de vno ad aliud extremū sine medio est absurdus: nā aer apertis fenestris cubiculi, statim fit ex tenebricoso lucidissimus. Respondebis id ita esse: quia productioni lucis nihil resistit. Sed contra: si semel qualitas opposita præcedens tota debet destrui, nihil est quod resistat productioni nouæ qualitatis; nec magis resisterent in hac sententia luci tenebræ, quàm calor præcedens frigori sequenti; ambo enim debent totaliter desinere. Quare sicuti tenebræ, ne detur transitus ille, non exigunt lucem paulatim intēdi; ita neque calor exiget paulatim produci frigus. Deberet igitur statim à principio produci frigus intensissimum à niue: quod est contra experientiam.

7 Ad paritatem dico: virgam pedetentim ad rectitudinem naturalem se redigere: quia habetur necessitas successionis in motu locali; neque enim possunt simul acquiri a mobili plures partes loci: aliter esset in loco maiori se: quod non militat in motu ad qualitates: partes enim qualitatis non habent aliquam inter se oppositionem: & cessante resistentia contrarij posset, & deberet statim produci qualitas perfectissima.

8 Instabis: natura prius producit effectum imperfectum, deinde perfectum: sic prius producit formam embryonis, deinde viuentis: ergo nix frigidissima prius debet producere frigus remissum, deinde magis perfectum. Distinguo antecedens: natura prius producit effectum imperfectum, quam perfectum, si illico potest perfectum; nego: si nequeat illum statim habere; concedo antecedens: & ad exemplum in contrariū, dico: naturam intendentem formam viuentis disponere materiam ad illam, tum vt expellantur dispositiones oppositæ: tum vt forma substātialis introducatur cum exigentia determinata ex parte subiecti, qui est modus cōnaturalis nunc agendi: dum autem disponit talem materiam expellendo dispositiones oppositas, introducuntur dispositiones sufficientes ad formam embryonis, cuius materia successu temporis tandem disposita ad formam viuentis, & ablatis omnibus impedimentis, virtute agentium naturalium transit à forma embryonis ad formam viuentis: at in casu nostro destructo toto calore antecedente, non est à quo impediatur nix, & aqua à productione frigoris intensissimi.

9 Dices Secundo: producto frigore à niue non corrumpi calorem præcedentem: sed misceri frigori: ideoque remitti; remissio enim fit per mixtionē contrarij. Ita discurrit Quiros *disp. 73. s. 1. n. 5.* Sed contra: calor summus remittitur per productionē frigoris perfectioris, & perfectioris; ergo idem calor est summus, dum dicit carentiā omnis frigoris: erit magis vel minus intensus infrā summum, dum admiscetur frigori perfectiori, vel imperfectiori: ergo calor intensus non differt à remisso per suam perfectionem indiuisibilem; sed per extrinsecam, & aduentitiam carentiam frigoris; ergo etiam frigus intensum, & remissum non differunt per suum esse positiuum intrinsecū, sed per similem carentiā caloris; ergo tota perfectio caloris & frigoris positiua est vnica, & indiuisibilis; ergo quando tu dicis admisceri frigus calori; habetur tota perfectio positiua frigoris simul cum tota perfectione positiua caloris: nec dabilis est maior perfectio caloris, vel frigoris: ergo primo, non est cur illud subiectum dicatur magis frigidum, quam calidum, vel è contra: Ergo secundo, nō potest calor præcedens magis misceri frigori, cū frigus, quod de nouo aduenit, sit prorsus idem cum præcedente. Ergo tertio, calor nunquam posset totaliter expelli: non per frigus præsens, cum quo componitur: neque per aliud subsequens cum non detur nouum frigus: aliter frigus constaret partibus antecedente, & sequente, quod negat.

Impugnatur sententia asserēs remitti calorem per admixtionem frigoris.

10 Secundo impugno Durandi sententiam argumento Scoti satis efficaci: habitus producit actū, à quo intenditur: ergo in eodem instanti coexistunt simul pars habitus præcedens, à qua procedit actus, & pars habitus causata ab actu: neque enim dicendū est, quod idē habitus, qui producit actum, producatur ab actu: aliter primo daretur mutua causalitas. Secundo actus ille procederet ab habitu non remisso, sed intenso. Quod efficacius vrget in supernaturalibus; nam gratia, & habitus supernaturales causant actum supernaturalē, per quem intenduntur; quis autem dicat actum in eo casu corrumpere gratiam, & habitum præcedentem, à quibus procedit.

11 Dicero autem, quod habitus præcedens corrumpatur in tempore sequenti; vel quod intensus non producatur, quando primo est actus, sed tempore sequenti, est ad libitum sine vllo fundamento in re grauissima philosophari. Præterea cõtra primũ: si habitus imperfectus cõponitur pro primo instanti cum acquisito de nouo; cur expelletur pro secundo instanti? Neque dicas: in tẽpore sequenti illum habitũ esse superfluũ. Cõtra enim est primo: quia posset cum nouo cõponere vnum principiũ. Deinde, quod semel extitit, & habuit causam sui esse, exigit semper esse, dum non aduenit forma contraria incõpossibilis: neque titulo superfluitatis est reijciendũ. Demũ contra secundũ; si actus non valuit producere habitum intensum, dum primo est; cur illum producet tempore sequenti? cum præsertim probabile sit quod actus tempore sequenti dependeat ab eisdẽ causis, à quibus primo extitit: aliter non erit ratio, cur tempore sequenti perseueret idem actus.

Impugnatur maior, & minor radicatio.

12 Quarta est sententia Thomistarum asserentium, qualitatem intensam esse, quæ magis radicatur in subiecto; remissam autem, quæ minus radicatur. Sed contra: non potest explicari, in quo consistat hæc maior radicatio.

Explicantur, & impugnantur varij modi maioris radicationis.

13 Respondent primo; magis radicari qualitatem; quia acquirit nouam terminationem. Secundo; quia acquirit perfectiorem existentiam. Tertio; quia magis vnitur subiecto, vel ab eo magis educitur. Quarto demum, magis radicari per modum quemdam superadditum, qui per se ipsum præstat hunc effectum formalem. Sed contra terminationem facit: quia vel hæc terminatio est quid positiuum, & quid tandem est? quomodo item augetur, & fit per illam qualitas perfectior? vel quid negatiuum; & assigna terminũ negatum. Rursus, quomodo variatur ita vt modo reddat qualitatem magis, modo minus intensam?

14 Contra reliquas responsiones vrgeo; hæc perfectior existentia, maior vnio, eductio, & hic modus superadditus vel sunt aliquod indiuisibile, quod per se ipsum immediatè præstet talem effectum, vel sunt plures partes existentiæ, vnionis, eductionis, & modi superadditi? Si primum; ergo sicuti qualitas intenditur per productionem existentiæ, vnionis, eductionis, & modi perfectioris; ita remittitur per productionem imperfectioris, & destructionẽ perfectioris, qui est sensus Durandi in 1. *dist.* 17. *q.* 7. *n.* 25. supra impugnatus. Et sanè, dum aqua paulatim frigefit, quod agens producit illas existentias, vniones, modos, & eductiones caloris imperfectiores?

15 Dices, calorem producere illas existentias, vniones imperfectiores, &c. Sed contra primo; gratis admittitur in calore vis productiua illarum vnionũ sui imperfectiorũ ad præsentiam frigidi validissimi, potentis producere vniones perfectissimas oppositas: quibus frigus totaliter radicetur. Confirmatur primo, quia hoc modo vnio imperfectior caloris eamdem oppositionem haberet cum vnione perfecta eiusdem caloris, quam habet cum vnione ad frigus. Confirmatur iterum: ergo in calore est virtus causatiua harum vnionum perfectiorum, & perfectiorum, quas obsessus à frigore, inuerso ordine incipiendo à perfectioribus successiuè producit: ergo soluta obsidione potest successiuè in se producere perfectiores, & perfectiores vniones, quæ continentur iam in eius virtute, & sunt illius bonum stabiliens, & firmans eius existentiam, & durationem: quod esse falsum patet; aliter calor remissus posset se intendere contra experientiam.

16 Si dicas secundũ, videlicet hanc maiorẽ perfectionẽ vnionis, existentiæ, &c. consistere in pluribus partibus illius; iã cõcedis vnioni partes, quas denegas qualitati; & debes soluere plura ex nostris argumentis. Secundo, potest qualitas magis, & minus intendi extra subiectum, & certè si accidẽtia eucharistica carent subiecto, adhuc calor vnius hostiæ est maior calore alterius; & nemo dixerit extra subiectũ æqualem futuram gratiã collatam Virgini, & infanti nunc primum baptizato: hæc autem maior intensio extra subiectum nõ potest saluari per plures partes vnionis eductionis, &c. quibus magis radicetur in eodem subiecto.

17 Tertio; calor magis intensus producit diuersos effectus in subiecto extrinseco, ac calor minus intensus: nam magis intensus tandem producit ignem: ergo diuersa, & maior virtus est in calore magis intenso, ac in minus intenso: ergo nõ differunt tantum ratione plurium, & pauciorum vnionum, eductionum, &c. Vltima consequentia probatur: vniones, eductiones, &c. non sunt virtus causatiua. Quod si dicas illas vniones esse causatiuas talium effectuum; ego dicam esse formaliter calorem; ac proinde calorẽ constare pluribus partibus. Neque dicas producere diuersos effectus: quia est diuersa applicatio; nam maior vnio ad subiectum proprium non facit, vt calor ille indiuisibilis sit magis applicatus subiecto extrinseco: ergo non facit, vt in eo producat maiorem effectum.

18 Dices: quamuis anima rationalis sit vna; tamen vnita diuersis partibus materiæ constituit diuersos effectus formales: nam in oculo cõstituit potentiam visiuam; in aure auditiuam: ergo quãuis calor sit indiuisibilis; tamen si pluribus, vel paucioribus, aut perfectioribus, vel imperfectioribus, vnionibus, existentijs &c. insit subiecto; constituet illud magis, vel minus calidum. Nego consequentiam: quia anima rationalis solum ex se habet esse formam adæquatè constitutiuam hominis essentialiter sumpti, quare cuicumque portioni materiæ vniatur, semper constituit hominem; non est tamẽ adæquatè constitutiua potentiæ visiuæ, auditiuæ &c. sed ad hos effectus formales indiget alijs formis, & accidentibus: quare mirum non est, si cum diuersis accidẽtibus constituat diuersas potentias saltem non ita remotas: at vnio caloris constituit quidem calidũ, sed non eodem modo, ac calor: nam per puram inexistentiam in subiecto non intelligitur constitutum.

totum calidum, sed dumtaxat vnitum; vnio enim, vt vnio, non habet nisi formaliter vnire; aliter esset formaliter calor, & sic formaliter fieret magis calidum per plures partes caloris, nempè vnionis, quę esset formaliter calor; quod negant aduersarij: at calor per sui inexistentiam in subiecto constituit calidum. Sicuti igitur vnio nō est calor constituens formaliter calidum, ita neque maior vnio est maior calor constituens magis calidum, sed magis vnitum.

Vnio formaliter nō intēditur.

19 Quin imò falsò supponitur, quod vnio possit crescere in suo genere, & respectu eiusdem termini: quia totum munus vnionis est determinare formam ad faciendum vnum cum subiecto: qui effectus formalis est indiuisibilis: sicuti indiuisibilis est effectus formalis penetrationis, & similium modorum. Confirmatur: quia vnio non potest concipi inter eosdem terminos maior, nisi quia est tenacior, & indissolubilior: hoc autem nihil iuuat ad intensionē, nam facilius destruitur lumen, & calor intensus, quam remissus.

20 Hinc patet, cur idem indiuisibile obiectum per plures cognitiones possit constitui magis, & minus cognitum: sicuti intellectus magis, vel minus cognoscens: quia crescunt cognitiones, quæ per sui inexistentiam in subiecto intelliguntur constituere intellectum cognoscentem, & per puram sui existentiam obiectum cognitum. Demum potentijs intentionalibus ob suam perfectionem permitti potest vis tendendi diuerso modo per diuersos actus in idem indiuisibile obiectum; quod concedi sine argumento non debet potentijs realibus.

21 Confirmatur: si multiplicentur vniones eiusdem animæ cum eadem parte materiæ, non reddunt illa materia magis animata: quia nō est perfectior anima: eadem est ratio de maiori existentia, eductione, modo, &c. His demū adde ex principijs aduersariorum iam impunè posse aliquem defendere, animam suscipere intensionem, & vnam partem hominis esse magis animatam alia: quia in vna est perfectior vnio inter animā & corpus, quam in alia; idque colligi potest ex perfectiori operatione, quæ ibi exercetur.

22 Dices iterum: vniones illas esse formaliter calorem; ex eorum præter plures partes caloris modalis identificatas cum vnione non debēt admitti plures partes caloris realis; sed sufficit vnus indiuisibilis. At contra, ergo iam calor intenditur per additionem caloris ad calorem. Secundo gratis dicis vnionem caloris esse calorem modalem, sicuti vnio animæ ad corpus non est anima modalis; aliter in homine essent duæ animę, modalis, & realis.

Impugnatur maior explicatio qualitatis.

23 Respondebis demum cum aliquibus apud Ouiedum *contr. 4. de gen. p. 1.* magis qualitatem radicari per maiorem explicationem sui in eadem parte subiecti, per quam tollitur confusio, & potentialitas qualitatis, & reducitur ad maiorem vnionem, ac proinde subiectum illi magis subijcitur. Sed contra: quid est hæc maior explicatio? quid maior actualitas? quinam sunt nodi, quibus in eadem parte subiecti confundebatur qualitas? quomodo fit successiuè hæc explicatio? quid est subiectum magis subijci, & qualitatem reduci ad maiorem vnitatem? his ergo reiectis.

Intensio actus vitalis non fit per additionem partis ad partem.

24 Dico primo: satis probabile est, de facto actus vitales non intendi per additionem partis ad partem, sed vnum esse alio perfectiorem per se ipsū indiuisibiliter sumptū: probatur: quia ex vna parte nulla ex rationibus supra allatis, quibus probauimus qualitatē intensam, nō sitam esse in indiuisibili, militat contra actus vitales: ex alia verò nullus actus vitalis est perfectibilis per alium: ergo perfectio cuiuslibet actus vitalis cōsistit in indiuisibili. Consequentia probatur; quia si perfectio actus vitalis esset diuisibilis, vnus actus vitalis veluti partialis esset perfectibilis per aliū: sicuti vna pars qualitatis est perfectibilis per aliam. Antecedens probatur: nam actus vitalis non est perfectibilis per alium versantem circa obiectum diuersum; neque per alium versantem circa idem obiectum: ergo non est perfectibilis per alium actum: antecedēs probatur quoad primam partem; quia visio, cognitio, & amor versantes circa Petrum non fiunt perfectiores, & maiores per amorem, cognitionem, & visionem versantem circa Paulum: neque enim, quia amo de nouo Paulum, intelligor præcisè per hoc plus amare Petrum, quam antea: ratio autem esse potest, quia sicuti qualitates respicientes diuersas partes subiecti nō faciunt vnā qualitatē intensiuè perfectiorem; ita neque duo actus respicientes diuersum obiectum faciunt vnum intensiuè perfectiorem. Et ratio vlterior esse potest: quia perfectio cuiuslibet actus est in ordine ad suum obiectum: ergo non potest perfici per actum versantem circa aliud obiectum.

Ratio vniuersaliter probans actus vitales non eo modo intendi.

25 Probatur nunc quoad secundam partē; & vniuersaliter confirmatur conclusio: quilibet actus vitalis est ex genere suo actuale exercitiū potentiæ erga suum obiectum: ergo nullus est perfectibilis circa idem, vel etiam diuersum obiectum; aliter non esset actuale exercitium, sed etiam potentia vlterius perfectibilis circa suum obiectum. Et hinc est, quod amor inefficax circa obiectum aliquod, quamuis centies, & millies replicetur, non constituit amorem efficacem, neque minus efficacem, seu magis inefficacem; & centum cognitiones obscuræ circa idem obiectum non vniuntur ad constituendam aliquam cognitionem claram, vel obscuriorem, neque plures actus fidei vnum euidentem constituunt: quæ omnia sunt signa, quod claritas vnius actus non augetur per claritatem alterius; nec obscuritas per obscuritatem.

Qualitates actiuæ nō vitales præsertim materiales intenduntur per additionem partis ad partem.

26 Dico secundo: reliquæ qualitates actuales, præsertim materiales, & actiuæ intenduntur per pluralitatem partium vnitarum vnione penetratiua. Probatur; quia argumenta supra facta contra qualitates absolutè indiuisibiles probant has qualitates constare pluribus partibus. Confirmatur: quia cum successiuè augetur calor manus, hoc augmentum non potest esse per productionem caloris perfectioris, & destructionem

imperfectioris, vt vidimus: ergo necessario fiet per multiplicationem partium caloris, in eadem manu: sicuti extensio fit per additionem nouæ qualitatis, in diuersa parte subiecti ad priorem. Aduerto me positiuè impugnasse modos intensionis supra relatos; ac positiuè etiam pro meo modulo probasse meã conclusionem. Verum autẽ ex cogitabilis sit alius modus intensionis, qui possit positiuè probari, & nequeat positiuè efficaciter impugnari, quis diuinare potest?

27 Obijcies primò qualitas est forma accidentalis: sed forma accidentalis est purus actus: ergo qualitas est purus actus: sed purus actus nullam habet potentialitatem; ergo qualitas nullã habet potentialitatẽ: sed quod caret potẽtialitate caret partibus: ergo qualitas caret partibus. Distinguo minorẽ, forma accidentalis est purus actus excludens rationẽ subiecti, cum quo constituat suum effectum formalem; concedo: est purus actus excludens omnem compositionem; nego minorem: & eadem distinctione adhibita ad alias propositiones; nego vltimam consequentiam.

28 Obijcies iterum; essentiæ rerum consistunt in diuisibili: ergo etiam essentia qualitatis: ergo non constat pluribus partibus. Respondeo, hoc argumentum probare continuum non cõstare pluribus partibus: essentiæ igitur rerum consistunt in indiuisibili: quia qualibet includit hæc & non alia prædicata essentialia, quibus variatis implicat rem perseuerare: cum hoc autem bene cõponitur, quod aliqua res dicat plures partes integrales similes & includentes eadem similia prædicata essentialia: sic explicato antecedente, & distincto primo consequenti, nego secundam consequentiam.

Quomodo plura accidẽtia inadæquata possunt esse in eodẽ subiecto.

29 Obijcies tertio: omnes hi gradus solo numero differunt: ergo non possunt esse in eodẽ subiecto: accidentia enim solo numero differẽtia non possunt esse in eodem subiecto. Distinguo antecedens; solo numero differunt, & sunt accidentia adæquata nõ potentia inter se vnita constituere aliquod maius; nego: & non sunt talia; concedo antecedens; & nego consequentiam. Ad rationem in cõtrarium dico; plura accidẽtia adæquata nõ posse esse in eodem subiecto; aliter non essent adæquata: quæ ratio non militat de inadæquatis; quales sunt partes eiusdem qualitatis.

Quomodo maior simplicitas est maior perfectio.

30 Obijcies quarto: si intensio fieret per additionem gradus ad gradum, qualitas remissa esset perfectior, quam intensa: vbi enim est maior simplicitas, ibi est maior perfectio: in qualitate autem remissa est maior simplicitas. Nego sequelam; ad rationem in contrarium, distinguo illam propositionem: vbi est maior simplicitas non ordinata ad aliud, cum quo faciat vnum perfectius, & a quo perficiatur, est maior perfectio; transeat. eo modo ordinata; nego. in qualitate autem remissa est maior simplicitas, sed perfectibilis per additamentum aliarum partium: quod arguit magnam imperfectionem. Cæterum argumentum probat materiam esse homine perfectiorem, quia est simplicior.

Rarefactio augetur sine noua quantitate sed nõ sine maiore vbicatione.

31 Obijcies quinto: in rarefactione augetur extensio sine productione nouæ quantitatis: ergo etiam in intensione augetur qualitas sine productione nouæ qualitatis. Nego consequentiam: in rarefactione enim non fit magis quantum, sed magis extensum: ergo licet non augeatur quantitas, adhuc poterit haberi maior rarefactio, si habeatur maior extensio: at in intensione subiectum fit magis quale, quod in qualitatibus, de quibus loquimur, non potest alio modo explicari, quam per productionem nouæ partis qualitatis in eodem subiecto.

Explicatur Aristoteles.

32 Obijcies sexto: Aristoteles 4. *phys. t.* 84. docet, *ex calido fieri magis calidum nullo facto in materia calido, quod non erat antea.* Respondeo, id verum esse; quia magis calidum non fit per additionem noui subiecti calidi, sed noui caloris.

33 Instabis: 6. *phys.* habetur: *in solo motu qualitatis esse posse indiuiduum, & indiuisibile:* ergo qualitas, quæ producitur, est indiuisibilis. Respondeo, Aristotelem solum voluisse, qualitatem non esse per se, & necessario diuisibilem secundũ extensionẽ, & motum ad qualitatẽ posse terminari ad inextensum: quod non pugnat cum multiplicatione partium penetratarum.

34 Obijcies septimo: remissio non debet fieri per destructionem qualitatis perfectioris, sed per productionem mediæ: sic remittitur frigus, quia producitur qualitas media, nempe tepor. Nego assumptum: semper enim debet destrui frigus, siue adueniat qualitas media, siue extrema; vtraque enim opponitur cum perfectione frigoris.

Cur vnio non intendatur.

35 Obijcies octauo: plures vniones non reddunt animam magis vnitam: ergo plures qualitates non reddunt subiectum magis quale. Nego consequentiam; quia per quamlibet vnionem anima vnitur quantum vnibilis est, neque vnica vnio, vtpotè modus, & actuale exercitium, est perfectibilis per aliam, sicuti vna qualitas inadæquata per aliam item inadæquatam. Illud hic aduerto, maiorem perfectionem vnius substantiæ supra aliam, v.g. vnius angeli supra alium, non sitam esse in maiori partium multitudine; sed in maiori perfectione indiuisibili: ille enim non est excessus intra eamdem speciem secundum magis, & minus, sed specificus, vel etiam genericus secundum prædicata essentialia.

36 Obijcies nono: non potest explicari vtrũ hi gradus qualitatis sint similes, & omnino homogenei; vel dissimiles, & heterogenei: ergo nõ dantur. Vt soluam hanc difficultatem, sit.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum gradus qualitatis constituentes illam intensam sint similes, vel dissimiles?

1 PVto partes eiusdem qualitatis v. g. caloris facientes intensionem esse similes, & homo

mogeneas non solum quoad perfectionem, sed etiam quoad ordinem; ita vt neque vnus sit perfectior alio, vt volunt aliqui; neque sint inter se diuersæ perfectionis, quamuis æqualis, vt opinātur non nulli; neque demum vnus sit natura sua primus, ita vt non possit in subiecto supponere alium priorem; alius secundus qui necessariò supponat primum, & supponatur ad tertiū. Probatur: plures partes qualitatis nullo ex dictis modis dissimiles faciunt vnā qualitatem extensam, si vniantur diuersis partibus subiecti, & respiciant diuersum locum; ergo si vniantur penetratiuè inter se, & respiciant eamdem partem subiecti, facient vnam qualitatem intensam: per illum enim diuersum vnionis modum sufficienter distinguūtur intensio, & extēsio: ergo ad intensionē gratis omnino requiritur dissimilitudo partium qualitatis.

2 Cōfirmatur, & explicatur: quandocūque plura agentia inadæquata concurrunt ad eumdē effectum, non supponentem in illis diuersitatem specificam; vt illa agentia faciant vnum agens, non debet necessario in illis supponi aliqua ex dictis dissimilitudinibus: sic plures lapilli positi in lance non debent habere aliquam dissimilitudinem ex dictis, vt per modum vnius principij causent magnum impetum, & motū: sicuti neque homines trahentes eamdem nauim: sed in casu nostro plures partes qualitatis materialis actiuæ, de qua loquimur, facientes intensionem, constant vnum principium adæquatum effectus, qui non supponit in illis diuersitatem specificam ergo &c.

3 Et ratio est; quia quælibet virtus, inadæquata in sua specie, per additionem alterius omninò sibi similis augetur intra suam speciem commodius, quam per additionem dissimilis.

4 Confirmatur: partes qualitates facientes intensionem debent ex suis intrinsecis habere summam similitudinem, cuius sunt naturaliter capacia duo indiuidualiter distincta: sed duo indiuidualiter distincta sunt naturaliter capacia similitudinis excludentis omnem dissimilitudinē, tum quoad ordinem, tum quoad perfectionem supradictam; vt patet in partibus caloris dispersis in diuerso subiecto; & in sexcentis alijs exemplis: ergo partes qualitatis facientes intensionem debent dicere eam similitudinem, quæ excludat dictas dissimilitudines. Maior, in qua sita est difficultas, probatur: partes qualitatis facientes intensionem constituunt vnā formam ordinatam ad vnionem cum vnico subiecto: forma autem, quæ est hoc modo vnica, vel debet esse indiuisibilis, vel debet cōstare partibus habentibus summā similitudinē, quā pollere naturaliter possunt res distinctæ: ergo &c. Minor probatur; quæ penetratiuè vniuntur ad constituendam vnicam formam, debent inter se cōmunicare summa cōmunione, quæ sit infra identitatem, quæ est absoluté summa: ergo debent excludere omnem dissimilitudinem, quam possunt naturaliter excludere duo indiuidualiter distincta. Antecedens probatur; quæ constituunt vnicam formam, sunt, vt ita dicam, magis vnū inter se; quàm, quæ vniuntur, ad faciēdum vnum essentiale tamquam materia, & forma; & magis, quàm, quæ constituunt vnam extentionē respicientes per diuersas sui partes diuersas partes subiecti, cum neque vna pars sit subiectum alterius, neque vna in loco distincto à loco alterius: ergo debent summe communicare communicatione naturaliter possibili infra summam, propriam identitatis.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primo; plus perfectionis est in quolibet gradu homogeneo, quàm in heterogenio: ergo ne dicamus, gradus habere illam maiorem perfectionem; debemus dicere esse heterogeneos. Antecedens probatur: quilibet gradus homogeneus, si existat solus, potest producere aliquid qualitatis; si existat simul cū alijs, potest simul cum illis producere reliquos gradus; at heterogeneus primus v.g. non potest producere nisi vnum gradum, nempè alium primum.

2 Dato primo antecedente; nego consequentiam: quia iam probauimus necessitatem homogeneitatis argumento positiuo: ergo nisi hæc maior perfectio, & multiplicatio prędicatorum in homogeneis probetur positiuè absurda, debemus illam amplecti, si necessario sequatur homogeneitatem: quod si putas, non sequi; amittis medium terminum.

3 Obijcies secundo: maior virtus est in octo gradibus caloris vnitis in eadem parte subiecti, ac sit in octo dispersis in diuersis partibus subiecti: ergo si octo dispersi sunt eiusdem rationis, vniti erunt diuersæ rationis. Antecedens probatur: octo gradus vniti producunt calorem valdé intensum sufficientem ad formam ignis, quē non producunt dispersi. Nego consequentiam: licet enim maior virtus sint octo gradus vniti in eadem parte subiecti, quàm dispersi; singuli tamen inter se comparati sint eiusdem rationis, siuè sint vniti, siuè dispersi; maior enim virtus non sunt octo gradus vtcumque, sed vniti vnione penetratiua, quæ vnio, quamuis non sit virtus actiua, est tamen forma constitutiua maioris virtutis; quia per illam plures partes virtutis fiunt vnica virtus, vtique maior: ita enim vniuntur partes, vt mutuo penetrentur, & perficiantur, ac fiant vnum agens: sicuti ex corpore, & anima vnione penetratiua vnitis fit vnum ens potens exercere operationes sensitiuas, quas alioqui non possent illę partes exercere, quamuis vnirentur vnione extensiua, vel essent in locis immediatis; nec tamen vnio earum est virtus. Vnio igitur in casu nostro non est pura conditio, sed maioritas virtutis, vt qua.

4 Instabis: etiam partes extensæ vniuntur, & tamen sex gradus extensiuè vniti, ne vnum quidem integrum gradum valent producere: ergo si sint omnino similes, neque per vnionem

pene-

penetratiuam id præstare poterunt. Nego consequentiam; quia per illam vnionem non penetratiuam plures gradus non fiunt vna virtus maior, aut vnum agens validius; sicuti fiunt per vnionẽ penetratiuam, qua mutuo, & immediatè se plures gradus perficiunt. Et sanè ex vi vnionis extensiuæ non possunt eodem modo illi gradus applicari ad productionem eiusdem effectus; vnus enim gradus magis distat à subiecto, quàm alius; & per accidens est, quod concurrant ad eumdem effectum simul: quia nimirum illius subiectum inuenitur intra spheram actiuitatis omnium; & potest euenire casus, in quo ex partibus extensiuè vnitis vna concurrat non alia; si nimirum passum non sit intra spheram omnium; & in ordine ad hoc eodem modo se habent siuè partes qualitatis sint inter se vnitæ, siuè non: sed tantùm immediatæ, & contiguæ; non ita autem res se habet in vnione penetratiua intensionis.

SECTIO QVARTA.

Soluitur tertia obiectio, & explicatur vnio intensiua partium qualitatis.

1 Obijcies tertio: vnio hæc intensiua, vel vnit vnam partem qualitatis cum alia determinata, vel cum reliquis omnibus? si primũ, non potest explicari, cui patri vniatur pars, a, v. g. & cur potius vniatur vni, quàm alteri? Si secundum; ergo quælibet pars habet innumeras vniones, quibus vnitur innumeris alijs partibus; nam diuersa est vnio, qua pars, a, vnitur parti, b, ab illa, qua vnitur parti, c, & potest vna cessare perseuerante alia. Hoc argumentum etiam suo modo vrget partes heterogeneas.

Omnes partes qualitatis immediatè vniũtur subiecto.

2 Respondeo: in hoc negotio mihi videri satis probabile primo, quemlibet gradum siuè sit qualitas indiuisibilis iuxta sententiam Zenonis, siuè minimum aliquod physicum iuxta aliorum opinionem, vniri immediatè subiecto, quod constituit calidum, v. g. sicuti immediatè ab illo sustentatur, ac immediatè etiam constituit illud calidũ; & cum omnes gradus sint inter se similes, non est ratio, cur vnus immediatè vniatur subiecto, alter verò immediatè primo, & eo mediante subiecto.

Et diuersę quidem diuersis vnionibus.

3 Secundo, diuersas partes qualitatis diuersis vnionibus vniri eidem subiecto; quia aliquãdo potest vna ex illis partibus destrui simul cũ sua vnione nõ destructa alia; ergo non minus sunt diuersę partes qualitatis, quàm earumdem vniones. Eadem enim argumenta, quæ probant distinctionem partium qualitatum, probant vnionum diuersitatem.

4 Cuius rei ratio vniuersaliter esse potest: quia si plura prædicata ita inter se comparentur, vt ex conceptu suo in eodem supposito vnũ perseueret sine alio, & è contra; debent illa prædicata, etiam si simul existant, realiter distingui: sed in eodem supposito, v. g. ligno hac, vnio caloris, a, potest ex suo conceptu esse sine vnione caloris, b, ergo illæ vniones, quæ etiam simul existunt, debent realiter distingui. Minor est certa; quia aliquando in supposito hoc habetur vnio vnius partis sine vnione alterius. Maior autem probatur; quia si regula non est certa, non potest impugnari, qui diceret, me identificari cum mea duratione, & non esse eumdem nunc, ac etas; identificari cum mea vbicatione, & me non esse eumdem hic, ac alibi. Et ea quidem distinctio est magis congrua tum ipsis subiectis, ne statim amittant suum bonum; tum ipsis terminis, ne sint ita labiles; tum fini naturæ, quæ maximè amat in rebus esse, & perseuerantiam; & vt beneuola parens non solùm inclinat ad dandum esse, sed etiam ad illud conseruandum.

Omnes partes qualitatis facientes intensionem immediatè inter se vniuntur

5 Tertio, probabile mihi est, partes qualitatis facientes intensionem omnes vniri immediatè inter se; intensio enim non est pura vnio partium qualitatis ad idem subiectum; tum quia alter nõ posset haberi intẽsio extra subiectum; tum quia plures qualitates facientes intensionẽ debent constituere formam absolutè vnam, quod non verificatur, si purè vniantur eidem subiecto; sicuti plures cognitiones, & actus vitales vniti eidem potẽtiæ, quamuis alioqui similes, non faciunt vnum actum, quia immediatè inter se non vniuntur; & qualitates oppositæ, vt frigus, & calor, quamuis vniantur eidem subiecto, non ideò constituunt vnam qualitatem: quia videlicet per immediatam vnionem non se mutuo perficiunt; neque valent id præstare. Cuius rei ratio est: quia partes qualitatis facientes intensionem singulæ non solùm sunt incompletæ, quia non explent capacitatem subiecti: hoc enim conuenit etiam qualitatibus compossibilibus in eodem subiecto, licet non faciant intensionem; sed etiam inter se, comperatæ; ergo non solum debent posse immediatè vniri eidem subiecto, quod respondet primæ incompletioni; sed etiam inter se, quod correspondet secundę. Cęterum cum non sit ratio, cur potius hæ immediatè vniantur inter se, non illæ, debent singulæ singulis, & omnibus immediate vniri.

Et tot sunt in singulis partibus vniones, quot sunt partes cum quibus qualibet vnitur.

6 Hinc quarto probabile est, singulas partes qualitatis tot habere vniones, quot sunt partes eiusdem qualitatis, quibus vniuntur ad faciendam vnam intensionem: probatur: quia potest vna pars vnita alijs septem, v. g. amittere vnionem cum vna ex illis, non cum alijs; si videlicet vna sola corrumpatur: ergo diuersa vnione connectitur cum vna, ac cum alia: neque enim nisi gratis & irrationabiliter, vt dicebam numero quarto, dicitur, quod omnes vniantur vnica vnione indiuisibili, quæ ad destructionẽ alicuius ex prioribus, vel ad noui gradus aduentum tota destruatur, & adueniat alia noua vniens indiuisibiliter, vel reliquos gradus, vel nonum, & omnes præcedentes. Illud hic aduerto ad intelligentiam terminorum; phylosophos, quo clarius procederetur in concertationibus, diuisisse totam intensionem qualitatis in octo gradus, seu partes, de quibus facilitatis causa agendum est, ac si essét octo indiuisibilia, vel minima physica.

7 Di-

Qualitatis partes, & earũ vniones vniuntur eidem subiecto, et ab illo sustentatur.

7 Dices, non potest explicari, in quo subiecto recipiantur, & sustententur huiusmodi vniones intensiuæ. Respondeo, primo, immediatè afficere partes, quas vniunt, eisque immediatè vniri; sunt enim illarum modi eas immediatè exercentes. Secundo, est mihi satis probabile, vniri etiam subiecto, cui vniuntur partes qualitatis: quia tota qualitas intensa constituit vnam formam immediatè cõstitutiuam subiecti calidi: ergo debet subiecto immediatè vniri tota illa forma: ergo non solùm partes qualitatis, sed etiã vniones illarum debent immediatè vniri. Profectò cum forma illa constans ex vnionibus, & partibus qualitatis possit existere simul cum subiecto, & illi non vniri; tum partes qualitatis, tũ vniones intensiuę illarum vniuntur subiecto per vniones distinctas: vniones enim illæ non sunt vnio subiecti cũ qualitatibus, neque eiusdẽ subiecti secũ. Neque est absurdũ, quod ad vnionẽ detur vnio, quando vnio nõ consideratur, vt nexus extremorũ, sed vt terminus indifferens respectu alicuius, cuius non est vnio, nec actuale exercitium; sicuti nullum est absurdum, quod vnio cognoscatur, quia cognitio non supplet defectũ nexus in vnione respectu terminorum, quos ipsa nectit.

8 Quoniam verò potest destrui vnio vnius partis qualitatis, quin destruatur alia; ideò puto satis probabile, tot esse vniones, quibus hæ vniones intensiuæ vniuntur subiecto, quot sunt ipsæ vniones. Ex quo, sequitur præterea non eadem vnione vniri cum subiecto qualitatem, ac vnionem, qua vna pars qualitatis vnitur alteri: quia potest destrui vnio inter partes qualitatis, & consequenter vnio, qua talis vnio vnitur subiecto; & nõ destrui qualitas, nec vnio, qua vnitur subiecto illa pars qualitatis: ergo iam qualitas, & vnio illius ad subiectum habent causam adæquatam, & independentem à causa vnionis vnius partis qualitatis cum alia, & vnionis eiusdem vnionis cum subiecto.

9 Ex quo satis probabiliter colligo ob rationem separationis supra allatam, vniones illas diuersis causalitatibus, & eductionibus causari, tum si comparentur inter se, tum cum partibus qualitatis, quas immediatè afficiunt. Distinctionem autem vnionis ab actione eductiua probaui fusiùs in physicis.

10 Probabile demum est, subiectum sustentationis harum vnionum esse idem, ac subiectum qualitatis, quod sicuti respicit totam intensionem, vt formam vnam, quam immediatè in se recipiat, ita & quam immediatè, & adæquatè causet. Partes igitur qualitatis respectu harum vnionum intensiuarum sunt purus terminus, & subiectum veluti informationis: quia illæ vniones non debent respectu partium qualitatis exercere aliud munus, nisi nectendi illas inter se, & constituendi vnam intensionem.

11 Dices secundò: si iustus vt septem, qui per actum charitatis remissum, mereatur vnum gradum gratiæ: & iustus vt tria, qui per actum perfectiorem mereatur vnum item gradum gratiæ, nempè quartum: in hoc casu ex nostris principijs homines mererentur premium ęquale, vt patet, vnum videlicet gradum gratię, & inęquale; nam primo daretur in præmium vnus gradus, & septem vniones illius cum præcedentibus, septem item vniones vnionum cum subiecto: secundo autem vnus item gradus, sed tres tantùm vniones. Nego illa esse præmia inęqualia: ad rationem in contrariũ dico vniones illas plures, quæ dantur in primo casu non esse maius pręmium nouum, quàm pauciores in secundo; quia non sunt pluris æstimabiles ratione noui gradus, qui superadditur, sed ratione præcedentium, qui supponuntur: vnde sequitur, quod pręmium nouum simul cũ præcedentibus gradibus sit perfectius quid, & æstimabilius, quàm secundum se; quod nemo negauerit. Vniones igitur nouę non sunt absolutè maius præmium nouum, nisi trahant secum plures gradus nouæ gratiæ.

SECTIO V.

Soluuntur reliquæ obiectiones.

1 OBijcies quarto: duæ formæ omninò similes pugnant in eodem subiecto: ergo partes qualitatis non possunt esse omninò similes. Nego antecedens de formis similibus, sed inadæquatis; ordinatis videlicet ad constituendam vnam maiorem per mutuam inter se vnionem, & perfectionem; ita vt ex omnibus simul oriatur effectus aliquis formalis, quem singulæ præstare non possunt; vt euenit in casu nostro. *Quomodo duæ formæ omninò similes possint informare idem subiectum.*

2 Obijcies quinto: experimur primos gradus qualitatis velocius produci, quàm sequentes: ergo sequentes sunt perfectiores. Nego consequentiam; si verum est antecedens, de quo valdè dubito: ratio experientiæ est: quia cum producuntur primi gradus, sunt producendi pauciores vniones illorum; at cum producuntur sequentes, sunt producendæ plures vniones ad plures gradus antecedentes, ad quod requiritur maior virtus. Et ob hanc rationem velocius, & plus qualitatis precedentis expellitur initio, quàm in fine actionis; quia plus qualitatis contrariæ de nouo introducitur in primo, quàm in reliquis instantibus applicationis.

3 Obijcies sexto: diuersa intensio eiusdem qualitatis, v. g. caloris disponit ad formas substantiales specie diuersas; calor enim intensissimus disponit ad formam ignis; minus intensus ad formam viuentis; ergo illi calores non constant partibus homogeneis. Nego consequentiã: ad inducendas enim formas specie diuersas, sufficit diuersa partium multitudo, diuersæ vniones, & admixtio aliarum qualitatum specie diuersarum; nullum enim est absurdum calores numero diuersos eo modo variè combinatos disponere ad formas specie diuersas. *Quomodo diuersa intensio disponit ad diuersas specie formas.*

4 Obijcies septimo: si gradus essent homogenei, primus gradus caloris æquè pugnaret

cum

Explicatur quinā gradus expellendus sit per aduētum contrariæ quali-

cum octauo frigoris, ac cum primo: ergo ad introductionem gradus caloris, vel omnes gradus frigoris debent expelli, vel nullus. Nego consequentiam: expellendus enim est gradus frigoris, cuius actio conseruatiua deficit: deficit autem actio conseruatiua illius, cuius desitio exigitur ab actione productiua noui gradus: sicuti enim causę productiuæ noui gradus determinant potius existentiam huius gradus, quàm alterius: quia in his circumstantijs exigunt productionem huius gradus ponendi per hanc actionem potiùs, quàm alterius, vt vidimus in physicis; ita debemus dicere, quod hic gradus productus in his circumstantijs exigat destructionem potius huius, quàm alterius, idque ne recurramus ad Deum tamquā ad causam determinantem; exigit autem destructionē huius non formaliter propter oppositionem, quam ipse habeat determinatè cum illo; sed quia causæ cum omnibus circumstantijs exigūt desitionem potius huius, quàm alterius: proptereaque exigunt, vt hic ponatur per actionem oppositam potius conseruationi huius, quàm alterius.

5 Hoc autem totum rationabiliter asseritur; quia ex vna parte non recurrimus ad Deum, vt causam determinantem: ex alia verò cum actiones sint modi, congruentius ponitur in illis determinatio, & oppositio, quàm in partibus qualitatis, quæ sunt res. Secundo heterogeneitas illa inter actiones non officit summæ similitudini, quæ saluis legibus naturæ haberi potest inter duo indiuidua; nec fundat nisi diuersitatem numericam: est enim respectiua ad circumstantias solo numero diuersas, & à natura institutas, vt fundetur illud iudicium negatiuum. hoc non est hoc.

Cur qualitas non potest in infinitū augeri.

6 Obijcies octauo, si gradus essent homogenei, possent in infinitum augeri; sicuti in infinitum augeri potest extensio. Nego sequelam: capacitas enim limitata subiecti, & virtus finita agentis impedit, ne in infinitum augeantur. Sed quid dicet aduersarius de suis heterogeneis?

7 Obijcies nono: ergo si gradus dispersi ponerentur in eadem parte subiecti, facient intensionem. Concedo sequelam. Quinimo si infinitæ partes, quæ sunt dispersæ in partibus proportionalibus infinitis, redigantur in punctum; concedet fortasse Aristotelicus, futuram infinitam intensionem; sed mordicus negabit possibilitatem casus. Zenonista autem in nullo vigetur.

Aliquæ qualitates dispersæ faciunt eumdē effectū, ac vnitæ.

8 Aduerto hic primo, aliquas qualitates esse, quæ dispersæ in diuersis partibus subiecti faciunt similes effectus, ac vnitæ in eadē parte, sic lapis vnus grauis vt octo similem impulsum imprimet in lance altera stateræ, ac imprimunt in altera octo lapilli, quilibet grauis vt vnum. Verum hæc sunt agentia æquiuoca producentia effectum dissimilem, nec intendentia assimilare sibi passum. At numquam agens vniuocum producet maiorem intensionem, quàm habet in se; aliter dissimilaret sibi passum: neque habet virtutem producendi tot vniones. Quin imò neque omne agens æquiuocū sēper producet similem effectū intensiuè, ac extēsiuè: quis enim dicet eūdem calorem produci à luce siuè habeat intensionem vt octo, siuè vt vnum in octo partibus subiecti? Tota igitur diuersitas illorum agentiū desumitur à naturis illorum, quæ nobis innotescunt à posteriori.

Natura in intensione ordinatè procedit.

9 Aduerto secundo; in productione intensiua naturam ordinatè procedere: quia producit illos gradus cū eo ordine, quē exigunt causæ: nō quia seruare debeant inter se partes qualitatis aliquem ordinem perfectionis, vel dissimilitudinis, quem ordinem repugnare vnitati qualitatis intensæ supra probauimus.

10 Aduerto tertio; multitudinem partium, & vnionum extensiuarum conducere ad aliquos effectus suo modo perfectiores; nam si in phiala sit parum vini, apparet minus nigrum, quàm si sit plena. Rursus vinum mixtum aquæ non fit reuera albius, & tamen apparet minus nigrum: quia videlicet eius partes per interpositam aquā distitæ non possunt species adeò perfectas emittere.

Cur partes quātitatis penetratæ nō faciunt intensionē.

11 Demum aduerto; quod si in eadem parte subiecti penetrentur plures partes quantitatis non facient intensionem; quia non ordinantur à natura ad perficiendam eādem partem subiecti; imo naturaliter repugnant vnioni, & penetrationi intensiuæ.

DISPVTATIO QVINTA

De quibusdam ad actionem alteratiuam spectantibus

VT ab agente passum alteretur, requiritur propinquitas, dissimilitudo, & distinctio; quę cum non sint virtus actiua, sunt proculdubio conditiones: de his igitur hic breuiter disputabimus; quæ autem de alteratione dicētur, facilè, seruata proportione, ad alias actiones poterunt extendi. Oportet autem, prius multa discutere de sphæra actiuitatis, quæ cum notitia illarum conditionum non leuem habent connexionem.

SECTIO PRIMA

Supponuntur non nulla de sphæra actiuitatis.

Quid sit sphæra actiuitatis.

1 SPhæra actiuitatis est totum illud spatiū, per quod agens creatum potest suam actionem exercere; dicitur autem sphæra, quia agens, si aliunde non impeditur, est quasi punctum; à quo in omnes partes duci possunt lineæ influxus: lineæ autem æquales, quę in omnes partes ab eodem puncto proficiscuntur, conficiunt procul dubio sphęram.

Sphæra actiuitatis defacto est diuisibilis.

2 Suppono igitur primo, agentia creata habere sphæram diuisibilem suæ actiuitatis; non quia repugnat agens, quod possit agere tantū in subiectum indiuisibile sibi immediatum, de quo nunc non curo; sed quia agentia actualia regula-

riter

riter operantur in subiectum diuisibile; vt patet experientia.

Est finita.

3 Suppono secundo, hanc sphęram actiuitatis esse finitam: videmus enim ignem nō calefacere, nec lumen lucernæ illuminare ad quamcumque distantiam: hęc autem determinatio sphęrę fundatur in virtute limitata agentis, quod non potest in parte proxima producere tantum qualitatis, quantū habet in se: experiētia enim cōstat lucernam plus luminis producere in aere sibi vicino, quām distanti, ac tandem post aliquam determinatam distātiam nihil luminis producere: hoc autem non eueniret, si lucerna luminosa vt quatuor posset in parte aeris proxima producere quatuor gradus luminis: nam aer proximus, illuminatus etiam vt quatuor, posset in parte aeris sequente producere totidem gradus caloris; & sic de reliquis.

Nec actio vniformiter diffunditur.

Sed vniformiter difformiter.

4 Hinc patet, actionem ab agente creato productiuo qualitatis intensiuę diffundi vniformiter difformiter; qoia nimirum non omnes partes subiecti æquè calefiunt, sed aliæ magis, aliæ minus. Et ideò actio dicitur diffundi cum aliqua inæqualitate, & difformiter; in hac autem difformitate seruatur quædam vniformitas: primo quod, vbi nihil obstat, æquè distātes æqualem intensionem qualitatis recipiunt: secundo, quod cæteris paribus, quo partes magis distant ab agente, eo minus qualitatis recipiunt.

5 Vrgebis: agens plus distat à partibus remotis, quàm ab immediatis: ergo quamuis in partibus proximis producat tantum qualitatis, quantum habet in se, minus tamen producet in remotis. Nego consequentiam: quia defacto qualitas diffusa in medio est eiusdem rationis, & actiuitatis cum qualitate agentis principalis: ergo etiam hæc aget in partes sibi proximas, prodocendo intensionem æqualem suæ & sic de reliquis partibus; vnde actio cum omnimoda vniformitate diffunderetur.

6 Vrgebis secundo: quamuis ignis, A, producat in parte subiecti sibi proxima ignem omninò sibi similem; non ideò extendit suam actionem sine termino: ergo quamuis qualitas producat aliam qualitatem sibi omninò similem, non ideò sine termino extendet suam actionem. Nego consequentiam; quia ignis non producit ignem, nisi prius disponendo subiectum per qualitates sufficientes, quę qualitates non possunt sine termino extendi: possumus enim deuenire ad aliquam particulam ignis adeò remissè calidam, & siccam, vt non valeat sufficienter disponere materiam sequentem ad formam sibi similem; si præsertim sit validum contrarium resistens. Quamuis autem calor vt tria non possit producere calorem vt tria; tamen omnes tres gradus caloris sunt actiui: quia omnes tamquam vnum principium concurrunt ad intensionem caloris, vt duo cum dimidio v. g.

7 Vrgebis tertiò: ad minus agens penetratum passo poterit in illo producere totam intensionem, quam habet in se: quia est perfectissimè applicatum. Sunt, qui concedunt consequentiam: melius puto negandā: quia si posset in penetrato, posset in immediato, vbi præsertim penetratio compensaretur per dēsitatem, vel agētium multiplicitatem. Ratio vlterior esse potest: quia illa penetratio non est maior applicatio naturalis, sed miraculosa: ergo non exigit, nec disponit ad naturaliter producendam maiorem intensionem, vel totam; nisi aliundè probetur, quod possit agens naturaliter totam suam qualitatem alteri communicare.

Agēs cū passo sec. penetrato communicet minus qualitatis.

DVBIVM INCIDENS.

Vtrum qualitas diffundatur vniformiter difformiter per partes proportionales?

8 HInc oritur difficultas meo quidem iudicio non leuis: vtrum cęteris paribus actio diffundatur vniformiter difformiter tantum per partes ęquales, uel etiam per proportionales: quæstio precipuè locū habet in sententia Aristotelis de compositione continui ex partibus in infinitū diuisibilibus; & sensus est, vtrū actio decrescat per partes æquales, per singulos semidigitos, v. g. uel etiā per proportionales, ita ut non solùm in primo semidigito sit maior intensio, quàm in secundo; sed etiam inter partes primi semidigiti inæqualiter diffundatur qualitas: neque ualeant assignari duæ partes, quæ æqualiter calefiant; in sententia Zenonis facilis est solutio; qualitatem nimirum inæqualiter diffundi per singula puncta, ita uidelicet ut in primo puncto immediato agenti sit plus qualitatis, quàm in secundo.

9 Dico cum Ouiedo, quem sequuntur nonnulli recentiores, qualitatem diffundi uniformiter, difformiter etiam per partes proportionales. Aduerto hic me non defendere huiusmodi partes proportionales, ac proinde non teneri ad negandas tamquam absurdas consequentias, quæ ex illarum partium infinitate, & in determinatione sequuntur; sed tantum admissis illis partibus, probabilem esse hanc consequentiam: nimirum qualitatem diffundi uniformiter, difformiter etiam per partes proportionales; neque consequens afferre absurda noua, & maiora iis, quæ includit sententia Aristotelis, si tamen sunt absurda. Probatur, partes inæqualiter uicinæ, inæqualiter calefiunt, quia illis agens est inæqualiter applicatum: sed partes cuiuslibet partis determinatæ sunt inæqualiter vicinæ agenti; nullius enim partis partes penetrantur: ergo partes cuiuslibet partis determinatę inæqualiter calefiūt: ergo nulla est pars determinata, cuius partes æqualiter calefiant: ergo actio non diffunditur vniformiter difformiter tantùm per partes æquales: hoc enim dicit dari aliquam partem determinatam, cuius omnes partes æquè calefiant, v. g. sed etiam per proportionales: & sicuti nullum est absurdum, quod nullius partis partes sint æquè distantes, ita nullum est absurdum, quod nullius partis partes æquè calefiant:

difformitas seruatur etiā inter partes proportionales.

lesiant: idque vrget etiam admissis minimis: quorum sicuti non omnes partes sunt æquè immediatæ agenti; ita neque omnes debent æqualiter per actionem illius immutari: quod si hinc aliquid contra minimorum constitutionem sequitur, tu videris, qui minima defendis: certè hoc non est maius quid, quàm asserere, quod non omnes minimi partes sint æquè vicinæ agenti, quod tu concedis.

In quo recipitur sũma intẽsio, quã potest agens.

10 Obijcies primo; supponamus maximam lucem, quam potest Sol producere, esse septem gradus cum dimidio, tum sic: hanc lucem vel producet in parte diuisibili, vel indiuisibili. Respondeo, si indiuisibilia sunt extra partes, illam summam lucem produci in indiuisibili immediato corpori solari: si verò indiuisibilia, vt volunt Aristotelici, non faciunt extensionem, sed penetrentur partibus; dico illam summam lucem esse in puncto, & parte proportionali cum puncto penetrata, & immediata corpori solari; si verò nulla admittas indiuisibilia, dico illam summam intensionem recipi in parte proportionali immediata corpori solari.

11 Vrgebis: non potest intensio determinata recipi in parte indeterminata subiecti; ergo non potest summa intensio lucis à Sole producibilis, & in se determinata recipi in parte proportionali, vel in puncto penetrato cum parte proportionali. Distinguo antecedens; non potest intensio determinata etiam quoad extensionem recipi in parte indeterminata subiecti; cõcedo; sit fit indeterminata quoad extensionem; nego: sicuti forma ignis determinata quoad suũ esse substantiale potest habere partem proportionalem quoad extensionem minorem, & minorẽ sine fine, quæ recipiantur in parte indeterminata subiecti; ita & intensio determinata subiecti.

Quid sequatur ad partẽ proportionalẽ summè illuminatã.

12 Vrgebis secundo: post hanc intensionem determinatam, vt septem cum dimidio, vel sequitur immediatè alia intensio determinata, vel non. Respondeo, post intensionem illam determinatam sequi immediatè aliam; aliter daretur pars subiecti, vel aliquota, vel proportionalis non illuminata; sed illa pars, quæ sequitur est indeterminata quoad extensionẽ; quia post intensionem summam non potest assignari subiectum, in quo sit minor illa intensio, quæ immediatè sequitur: neque enim datur subiectum determinatum immediatè sequens partem proportionalem; aliter illa pars proportionalis iam determinaretur, & esset acceptibilis sola: esset enim illud subiectum, quod intercipitur inter corpus luminosum, & hoc subiectum determinatum immediatè sequens post ipsam; hoc autem interceptum est profectò aliquod determinatum determinatè acceptibile, quod negant Aristotelici, esse possibile.

13 Hæc autem minor lux non est determinatè tanta: neque enim decrementum intensionis in singulis partibus proportionalibus subiecti remotioribus fit per partes aliquotas, & determinatas intensionis: aliter sicuti partes proportionales subiecti sunt infinitæ, ita infinitæ essent partes aliquotæ, & determinatæ intensionis decrescentis; quælibet enim pars proportionalis subiecti haberet suam determinatam intensionem.

14 Vrgebis tertio: inter intensionẽ vt septẽ cum dimidio, & intensionem vt sex, intercipiuntur aliæ intensiones determinatæ, vt sex cum dimidio; vt sex cum dimidio dimidij; & reliquæ non tot quin plures: ergo dantur infinitæ partes determinatæ. Hoc argumentum vrget omnes Aristotelicos, qui vt vidimus *lib. 6. phys.* tenentur dicere partes aliquotas componentes continuum esse infinitas, seu non tot, quin plures. Nego igitur antecedens, hæ enim intensiones determinatæ sunt finitæ, tot, & non plures, quia vel sumuntur simul, vel distributiuè: si secundũ; certè quælibet est finita, & comparata cum alijs distributiuè sumptis non facit nisi numerum finitum. Si vero sumantur simul, dicunt proculdubio indeterminationem; nam licet in tota collectione inueniatur intensio, vt sex cum dimidio, quæ est determinata, inuenitur etiam intensio, quæ immediatè exceditur ab intensione vt sex cum dimidio, quæ proculdubio est indeterminata, intensio videlicet maior infra intensionem dictã. Quod si vrgeas: sumamus omnes determinatas simul sine proportionalibus; supponis quod non debes; nam determinatæ simul includũt proportionales, quibus constant.

15 Vrgebis quarto: inter intensionem vt sex cum dimidio, & intensionem vt septem, intercedit distantia: ergo vna potest accipi sine alia. Concedo consequentiam. Instas ergo quælibet constituit partem aliquotam distinctam ab aliquota alterius. Distinguo consequens aliquotam quo ad extensionem, de qua loquimur, & adæquatè; nego: inadæquatè; concedo: potest quidem quælibet pars determinata intensionis sumi sine alia item determinata; & distributiuè sumpta, à qua distat; non autem sine alijs proportionalibus antecedentibus, & sequentibus, cum quibus constituit determinatam extensionẽ. Ratio autem est; quia licet in sententia Aristotelis dentur hæ partes indeterminatæ, tamen non possunt solæ accipi, aliter determinarentur. Quare intensio vt sex, licet determinata quoad intensionem; quia tamen non est determinata quoad extensionem, non potest accipi sine alijs partibus, cum quibus constituit determinatam extẽsionem: ita tamen vt non possit assignari maior immediatè excedens, neque minor immediatè excessa. Aduerto, hic me non negare, posse dictas partes determinatas intensionis esse sibi immediatas quoad extensionem in diuersis partibus proportionalibus subiecti; sed spectantibus ad diuersas aliquotas. Solum nego tot esse partes determinatas intensionis, quot sunt proportionales subiecti; idque ob allatas rationes.

In quo subiecto recipiatur sũma intensio producta.

16 Obijcies secundo; summa intensio, quam potest agens producere, vel recipitur in indiuisibili, vel in parte diuisibili: si primũ; iterũ peto; vel intensio immediatè infra summã recipitur in

in-

indiuisibili, vel in parte diuisibili? si primū; ergo iam datur vnum indiuisibile post aliud: si secūdum; ergo iam aliqua pars habet omnes suas partes æque intense calefactas. Quod argumentum impugnat secundum membrum primi disiuncti. Respondeo, tum qualitatem illam summam, tum infra summam posse recipi in parte proportionali minori, & minori, ita vt non sit assignabilis pars, in qua determinatè sit illa intensio determinata: sicut post punctum per Aristotelem sequitur pars indeterminata minor, & minor, ac inassignabilis: quæcumque enim assignata semper habet aliquod non immediatum puncto. Breuiter illud recipit summam intensionem, quod est immediatū agenti: hoc autē immediatū non est, nisi vel punctum, vel pars proportionalis, quidquid tandem sit hæc pars proportionalis. Multa huc cōgesi possunt; sed feriūt sētētiā Aristotelis.

Anima hominis in nutritione introducitur primo in parte proportionali materiæ cibi.

17 Objicies tertiò: quando homo nutritur; pars cibi, in quam de nouo introducitur anima rationalis, non disponitur nisi vniformiter: ergo pars aliqua determinata subiecti æqualiter immutatur in omnibus suis partibus: pars enim illa cibi, in quam introducitur anima, est determinata, & aliquota. Antecedens probatur; in totam illam partem cibi determinatam introducitur anima: ergo supponit illam vniformiter dispositam; aliter non omnes partes illius materiæ essent aptæ vnioni cum anima. Nego antecedens: ad probationem in contrarium, nego, animam debere, cum nutritur homo, simul introduci in aliquam determinatam partem materiæ; sed potest in minori, & minori, vt vidimus.

In prima informatione anima occupat partem determinat ā sed non æqualiter dispositam.

18 Vrgebis: certè anima in prima informatione requirit subiectum determinatè extensum: ergo saltem in prima sui introductione requirit anima portionem materiæ determinatam vniformiter dispositam. Nego consequentiam: solum enim ex antecedente sequitur, animam non induci in materiam nisi determinatæ magnitudinis, in cuius omnibus partibus sint dispositiones sufficientes ad vnionem cum anima rationali: cæterū huiusmodi dispositiones nec nunc sunt æquales in omnibus partibus illius materiæ; nec debuerunt simul vniformiter introduci.

19 Objicies quarto: si sol vniformiter difformiter lucem produceret; lux apud nos producta deberet esse valdè tenuis. Respondeo, hanc lucem si comparetur cum illa, quam sol producit in partibus sibi immediatis, esse valdè tenuem: argumentum autem vrget etiam si qualitas difformiter diffundatur tantum per partes æquales.

20 Objicies quinto: pars proportionalis nō potest esse extra aliquotam: alioqui esset determinata: ergo non potest qualitas extendi cum difformitate inter partes proportionales. Consequentia probatur: aliter pars proportionalis esset extra aliquotam: nam pars proportionalis extensionis habens calorem vt quatuor non vnitur parti proportionali immediatè sequenti habenti minorem intensionem: calor enim maior non vnitur minori ad faciendam vnam extensionem. Nego consequentiam, inter illas enim qualitates, quamuis inæquales quoad intensionem, datur vnio extensiua ad faciendam qualitatem vnā magis extensam; ita vt omnes partes prioris intensionis, quamuis pluras, vniantur cum omnibus quamuis paucioribus sequentis intensionis.

Quomodo totum diuisibile possit æqualiter calefieri?

21 Objicies sextò: potest aliquod subiectū informari æquali calore in omnibus suis partibus; quod nō videtur quomodo eueniat, si agens agat vniformiter difformiter etiam per partes proportionales. Nego minorē: illa enim æqualis intensio posset oriri à forma intrinseca æque applicata omnibus partibus subiecti, vel à pluribus agentibus extrinsecis æquè applicatis pluribus partibus subiecti.

SECTIO SECVNDA.

Quænam propinquitas inter agens, & passum requiratur ad actionem?

Multiplex immediatio agentis ad passum.

1 EXperientia docet, agens creatum non agere in passum ad quācumque distantiam: neque enim ignis Panormitanus calefacit aerem persicum: requiritur igitur inter agens, & passum aliqua propinquitas. Sciendum autem est, agens esse immediatum passo, cum inter illa nihil mediat. Distinguunt verò communiter Doctores duas immediationes, alteram suppositi, alteram virtutis: prima est, cum inter entitatem agentis, & subiecti nihil physicé mediat, neque aliquo modo distant. Secunda, cum inter agens, & subiectum mediant alij effectus eiusdē causæ, qui possunt dici virtus illius: in quo sēsu causa secundū suam virtutem est immediata passo. Alia multa cōgeruntur à doctoribus de his immediationibus; sed ad præsens institutum sufficiunt, quæ diximus. Quæritur igitur in præsenti primò, vtrum inter agens, & passum requiratur aliqua immediatio suppositi, vel virtutis? quod idem est, ac quærere; vtrum agens possit agere in partem semotam, nihil agendo in medio? Secundo; vtrum partes agentis non solum proximæ, sed etiam remotæ agant in passum? Tertio, vtrum agens per suam virtutem immediatè agat in partes passi tum sibi proximas, tum remotas?

Variæ de actione in distans sententiæ.

2 Circa primum Scotus *in* 1. *dist.* 37. *qu. vn.* Alexander Aphrodisæus, alijque apud Suarium, & Ruuium 7. *phys. c.* 2. *qu.* 1. opinatur; posse agens creatum agere in distans non operando in medium; nec adiutum à medio cogente; dummodo passum sit intra sphæram actiuitatis agentis. Vnde inferunt, Deum, quantum est ex se, posse agere in passum distans, quamuis ob suam immensitatem, à qua determinatur ad intimam præsentiam cum omnibus rebus, non possit, dum agit, non esse maxime præsens subiecto, in quod agit. Oppositum docet S. Thomas 3. contra gentes, Molina, Suarius, Ruuius, alijque passim; non posse videlicet agens operari in passum distans, nihil operando in medio, nec adiutum ab illo. Huic sententiæ fauere videtur Philosophus 7. *phys.* vbi à *t.* 9. *ad* 23. ex inductione

ne probat, in omni motu requiri contactum, & 1. *metherolog.* c. 2. docet, mundum hunc inferiorem esse contiguum superiori, vt possit recipere actiones, & influentias illius, & 2. de anima t. 34. reprehendit Democritum asserentem, cælum à nobis videri posse si interciperetur vacuum; docet autem hoc esse impossibile; quia si medium esset vacuum, oculus non posset pati ab obiecto: quæ ratio nulla est posita actione in distans.

Defacto nullum agens potest agere in passum absolutè distans.

3 Dico igitur primo: agens naturale non potest naturaliter agere in distans, quin agat in medium, vel ab illo adiuuetur. Hæc conclusio visa est aliquibus, quorum meminit Quiros *dis.* 17. *sec.* 4. *n.* 29. euidens, & ipsa experientia sensuum comprobata: verum ipse Quiros parū fi lit experientiæ. Ego rationem fundatam in experientia sic propono; agens quo magis distat ab aliquo loco, eo minus valide agit in illum: & vltra tantam determinatam distantiā nihil agit: ergo signum est, quod diffundat suam actionem per medium; nisi enim diffunderet suam actionē per medium, non esset, cur in loco distanti, vel nihil ageret, vel satis exiliter ageret: haberet enim integras vires in ordine ad agendum in passum distans: ergo posset in illud integre agere producendo summam qualitatem, quam potest: neque enim est ratio, cur in parte distante non summe agat, si nihil qualitatis diffundit in medium: neque talis diffusio est conditio ad agendum in passum distans. Quę ratio ostendit nullū agens creatum, ac limitatæ virtutis posse dicto modo agere in distans: limitatio enim agentis creati facit, ne agens possit ad quācumque distātiam producere effectum suum perfectissimum: neque enim est aliud caput, & ratio, cur agens actuale non possit ita agere; nisi quia limitatum est: ergo nullum agens creatum limitatum poterit id præstare.

4 Confirmatur, quia si posset agens agere in distans, agentia intellectualia materialia, in quorum bonum ordinantur actiones aliorum agentiū inferiorum, non possent commode declinare actiones noxias agentium oppositorum: quid enim faceret homo existens Panormi ad declinandam actionem ignis existentis in India, cum neque cognoscat talem ignem existere, neque ad quantam distantiam valeat agere. Confirmatur, quia ex quodam lumine præsumpto, & naturaliter nobis indito, homines etiam rudes, & qui numquam versati sunt in cognitione rerum naturalium, nihil timent ab agentibus, & hostibus valdè distantibus, vel quarum actiones in medio aliquo efficaci obstaculo impediantur.

Confirmatur experientia.

5 Rationem fundatam in experientijs confirmo alijs experientijs; videmus enim multa agentia naturalia impedita ab actione per mediū diffundenda non agere in partem distantem: sed vel cessare ab vlteriori actione, vel illam reflectere in partes anteriores. Sic sol clausis fenestris, vel alio corpore opaco impeditus, non illuminat cubile, nec obiectum visibile interposito corpore opaco incapaci specierum emittit vltra species: ideoque non videmus colorata existentia post corpus opacum.

Soluuntur experientiæ in oppositum.

6 Hinc patet, vel experientias, quas adducunt in contrarium aduersarij, esse falsas; vel effectus, quos produci videmus à causis distantibus procedere à qualitate diffusa per medium, & quę cum non inueniat in medio subiectum capax actionis, sicuti inuenit in parte distanti; mirum non est si producat in parte distanti effectū, quem non producit in medio. Sic diffusa qualitate, piscis torpedo pendens ab hamo ligat brachium piscatoris, & magnes trahit ferrum; omnis rei, præter supradicta, ratio vlterior est, quia neque torpedo ligat brachium, neque magnes trahit ferrum in quacumque distantia, & intercepto quocumque corpore minus capaci talis qualitatis. Idem dico de succino trahente paleas, & quadam magnete trahente etiam carnes humanas, ita vt homo tractus prius rideat deinde moriatur. Idem dico de corporibus, quorum vnum repellit aliud: sicuti enim datur corporū sympathia, ratione cuius diffunduntur qualitates trahentes, ita & antipathia, & qualitates repellentes: eadem est ratio de fascinatione.

7 Motus autem magnetis ad septentrionem, & aliorum corporū ad alias mundi plagas procedit à diuersis influxibus cœlestibus, qui diuersimode corpora inferiora afficiunt ad hos diuersos motus edendos. Quod si verum est, aquam calidam, cum calefit, in summo lebetis esse calidam, in fundo frigidam; id non euenit in feruore calefactionis, sed initio: quia videlicet partes inferiores per calorem leuiores effectæ sursum ascendunt, & frigidiores, vtpote graues, descendunt ad imum.

8 Ex prædicta qualitatum diffusione oritur, quod Basiliscus occidat hominem distantem, & homo visus à lupo raucedinem concipiat: quod homo regio morbo laborans sanetur à quodam aue, quæ ad aspectum eiusdem hominis, saltem non ita breuem, tandem moritur: quod volucrū nonnullæ oculis pullos excludant. Sol autem, quamuis non calefaciat cœlos medios, illos tamen illuminat.

9 Quod asserunt; cadauera occisorum ad præsentiam homicidæ sanguinem effundere, vel est fabulosum, vel id procedit à qualitate per medium diffusa; quia ex nimio odio, & indignatione feruescens homicida, eos spiritus, & qualitates noxias à se emittit, quæ peruenientes ad corpus occisi sanguinem eliciunt. Volunt nonnulli id diuina virtute fieri, vt detegatur reus, & liberentur innocentes. Fabulosum item putant nonnulli cum summa triumphantia philosophiæ *l.* 2. *dist.* 6. *c.* 5. Venenum araneorum Appuliæ inficiens hominē donec moriatur araneus; cum quia difficile notari potuit idem araneus, qui effudit venenum, & periodus vitę illius: tum quia venenum durat ad multos annos, cum aranei vita non videatur ita diuturna. Dici tamen posset venenum, & araneum pendere ab eisdem causis superioribus, quæ desinentes conseruare araneum, desinunt conseruare venenum,

qua-

quarè si araneus morte violenta pereat, non debet cessare venenum.

10 Nullam praeterea habent vim aliae experientiae; nam ignis, remoto aere medio per ventum, nos calefacit; sed accedit alius aer per quē diffunditur actio. Secundo charta oleo perfusa concoquit pisces, & non comburitur impedita per olei pinguedinem combustione saltem ad aliquod tempus; at profectò calefit. Et sol ingrediens per foramen fenestrae producit lumen non solum in pariete, sed etiam in medio, licet in medio nō videatur lumē, quia lux non terminata corpore opaco nō facit speciem sui; quare si in medio apponatur corpus opacum, illico apparet lumen. Quod si solis radius ingrediens per vnam fenestram egrediatur per aliam; ita vt nulla pars lucis impingat in parietem; cubiculum non illuminabitur, sed tantum pars illa, per quam transit radius: in quo nulla est actio in distans: bene tamen hinc quis inferret, lucem non producere lucem: alias non esset ratio, cur illa transiens per medium non produceret, agendo in sphaeram, lucem lateralem. Eadem ratio probat species non producere species saltem visuales, quę diffunduntur ad modum lucis; aliter nō solum videremus obiecta è regione posita, ex quibus ad oculum duci potest linea recta, vel quorum species reflectunt; sed etiam alia, quorum species obliquè, & in gyrum producerentur ab aliis speciebus. Denique lapis bononiensis; qui remoto sole retinet lumen subobscurum est sulphureus, concepto que igne subobscurè fulget etiam noctu.

11 Obijcies primo: calor receptus in parte remota nullo modo pendet à calore recepto in proxima. Distinguo, absolutè; transeat: facta suppositione, quod agens sit distans; nego.

12 Obijcies secundo: finis causat quamuis non existens: ergo, & efficiens, quamuis non praesens. Nego consequentiam: quia finis agit per suum esse intentionale, hoc est per sui cognitionem mouens ad sui positionem: at efficiens per suum esse reale: quare sicuti finis non cognitus nec intentionaliter praesens non causat: ita neque efficiens realiter non praesens.

13 Obijcies tertio, per imaginationem rei terribilis patitur cor: ergo phantasia agit in distans. Nego consequentiam: quia vel anima, quae est vtrobique determinatur ab actu phantasiae ad productionem illius passionis, vel phantasia adiuta spiritibus agit in partes sibi immediatas, & hae in sequentes, donec actio perueniat ad cor. Hinc patet putandam fabulosam virtutem vnguenti armarij, quod applicatum panno, vel gladio sanguine vulnerum illitis, sanet vulnera absentia.

Partes distantes agentis agunt in passum si mul cum medijs, & si non agat in medias.

14 Circa secundum, dico secundo, non omnes partes agentis, quae aliquid agunt, debent esse immediatè propinquae passo: sed sufficit, si vna tantùm eius pars sit passo immediata: nec item necesse est, vt pars remota agentis, quę simul cum parte proxima agit in passum, actu agat in partem proximam. Probatur, quando nix bipalmaris lignum infrigidat, omnes partes niuis priores, & posteriores agunt in lignum: & non tantùm vltima superficies: aliter tantùm frigoris produceret nix bipalmaris, quantum sola vltima superficies, si existeret separata.

15 Dices: superficiem separatam producturam minus frigoris, quia tunc ageret per giruum in omnes partes; ideoque eius actio diuisa, esset minus efficax. Sed contra: quia si actio ignis impediatur in vna parte, non propterea est efficacior caeteris paribus in aliam; neque minus efficax in partem australem, si simul agat in meridionalem: ratio autem est: quia per hoc, quod vires applicentur in vnam partem, non minuuntur erga aliam: vnde lucerna aequè illuminat hanc partem, siue impediatur illuminatio in alias partes, siue non.

16 Ex hoc autem non sequitur actio in distans: pars enim remota, & proxima faciunt vnum agens: ergo absolutè agens nō est distans, sed passo immediatum, saltem secundum aliquā sui partem. Quod si pars proxima passo non ageret, esset actio in distans: quia inter agens, & passum daretur aliquod medium, neque agens, neque patiens.

17 Dices primo: ad operandum in hoc tempore requiritur existentia in hoc tempore: ergo ad operandum in hoc loco requiritur existentia in hoc loco: ergo non potest pars remota agere in passum. Nego consequentiam, quę, si vim haberet, probaret ad operandum in aliquo loco, requiri penetrationem agentis, & passi in eodem loco; sicuti requiritur eorundem correspondentia pro eodem tempore, quo exercetur actio. Disparitas est: quia quod simpliciter non est, non potest operari: ergo vt aliquod agens operetur, requiritur illius existentia pro instanti operationis: at quod non est in hoc loco simpliciter est; ergo, si aliundè non ei obstat nullum erit impedimentum, quare non agat.

18 Dices secundo: S. Paulus ex operatione Dei in nobis infert, Deum esse in nobis intimè praesentem. *Non longè enim*, inquit, *abest ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*. Respondeo, hunc locum ab Hurtado, & Vasquez intelligi de praesentia intentionali, in quantum facilè concipi potest à nobis per effectus: non enim longè abest à nostra cognitione, cum ab ipso pendeamus: quem sensum admittere tenentur aduersarij, ne cogātur dicere, ad actionem requiri intimam praesentiam agentis cum passo.

Agens immediatè agit in partes tu proximas, tum remotas passi.

19 Dico tertio: agens applicatum subiecto diuisibili capaci actionis tum secundum partes proximas, tum secundum remotas; potest agere in partes tum proximas, tum remotas, idque per suam virtutem immediatam. Probatur: sphaera agentis creati non est tantùm vnum indiuisibile: aliter plus aequo restringeretur sphaera actiuitatis: ergo applicatum passo diuisibili habenti partes priores, & posteriores, proximas, & remotas potest agere in illud; & consequenter in partes tum proximas, tum remotas. Ante-

tecedens probatur; & simul confirmatur conclusio quoad secundam partem, quod nimirum agens per suam virtutem immediatè potest agere in partes tum proximas, tum remotas: sol simul illuminat partes sibi proximas, ac etiam remotas: sed non nisi per suam virtutem immediatam: lux enim diffusa per medium non est productiua alterius lucis, vt supra probauimus. Et confirmatur: quia magis illuminat Sol partes è regione sibi oppositas, quàm laterales, quas directè non respicit, vt patet cum ingreditur cubiculum per fenestram: ergo in omnes partes, quas directè respicit, agit per suam virtutem, in laterales autem vel agit lux diffusa per medium, vel idem sol debiliùs per radios reflexos: ergo substantia solis agit per suam virtutem immediatè non solùm in partes sibi immediatas, & proximas, sed etiam remotas: ergo agens naturale nō habet sphæram actionis indiuisibilem.

20 Confirmatur; quia agens diuisibile agit tum secundum partes sui immediatas passo, tum secundum aliquas remotas, vt vidimus: ergo pars huius agentis agit immediatè per suā virtutem etiam in passum remotum: ergo non est, cur agens applicatum subiecto diuisibili capaci actionis non agat immediatè per suam virtutem in partes tum proximas, tum remotas illius. Legatur Arriaga *disp. 2. phys. sect. 5. subsect. 1.*

21 Dices: si agens potest per suam virtutem agere in partes tum proximas, tum remotas passi; vel adiuuatur à proximis ad agendum in remotas, vel non? si primum; ergo plus qualitatis debet produci in partibus remotis, quàm in proximis: nam ad qualitatem producendam in partibus remotis concurrit tum agens principale, tum qualitas diffusa per medium: in partibus autem proximis solùm concurrit agens principale, vel saltem cū partibus medijs paucioribus: si secundum; iam agit in distans. Respondetur, concesso disiuncto, vtrumque dici posse sine absurdo: & quidem si qualitas diffusa per medium est productiua alterius sibi similis, simul cum agente principali concurret ad producendam qualitatem in parte remota: quia in parte media est ex vno capite virtus producendi aliquā qualitatē sibi similem; rursus ipsa supponitur producta independenter à qualitate producenda in parte remota: pars enim qualitatis producitur in parte proxima independenter à qualitate producenda in remota; neque actio in medium pendet ab actione in remotum: ac demum est applicata parti remotæ: ergo debet agere in illā producendo qualitatem sibi similē.

Adiuuatur à qualitate simili per medium diffusa.

22 Ad rationem in contrarium, nego sequelam: multitudo enim agentium compensatur in eo casu per minorem applicationem. Et sanè per se loquendo, cum actio procedat vniformiter difformiter, videtur à natura determinatum agens, vt quamuis adiutum à parte antecedente, non producat in sequente maiorem, sed minorē qualitatē, quā in antecedēte. Cuius rei ratio vlterior esse potest: quia agens naturale agit in sphæram, veluti punctum: ergo quo actio magis extenditur, sicuti circulus est maior, ita plures partes qualitatis extensiuè producuntur: ergo eo minor debet esse intensio; aliter plus ageret in circulum remotum, cui est minus applicatum, quàm in proximum; quia in proximo produceret æqualem intensionem, ac in remoto, & in hoc plus extenderet suam actionē: quare si multitudo agentium mediorum compēsat minorem applicationem, faciet solùm, vt in circulo illo majori magis remoto producat tot gradus qualitatis extensiuæ, quot intensiuè producit in minori, imò fortasse plures. His adde, partes proximas solas nō producturas in partibus remotis effectum cum ea intentione, & velocitate, qua producunt, dum adiuuantur à principali agente, vt patet experientia: aer enim calidus non eodem modo calefacit, si adsit, ac si absit ignis à cubiculo.

23 Quod si qualitas diffusa per medium non est productiua similis; dico, agens principale immediatè per suam virtutem producere qualitatem tum in parte proxima, tum in remota; idque sine vlla actione in distans absurda; quia iam ageret in partes medias, quæ facerent cum distantibus vnum passum, & vnum effectum: sicuti non agunt in distans partes remotæ agentis, dū simul cū proximis, facientes vnū agens, agunt in passum à se remotū, sed immediatum partibus proximis, & medijs, quamuis in medias nō agant.

Potest agere immediatè agere in partes remotas, & si nō adiuuetur à medio.

24 Instabis, si effectus, qui producitur in medio, est diuersæ rationis, & non agit in partem remotam; poterit ne agens agere in partem remotam? Respondeo, per se loquendo, posse: quia agens sufficienter intelligitur applicatum parti distanti per effectum medium, licet diuersæ rationis. Dixi, per se: nam si qualitas producenda sit reflexiua; tunc si per obstaculum interrumpatur actio, non poterit post obstaculum produci similis qualitas, quamuis in medio producatur alius effectus: sic per solem non producitur lux in cubili post parietem; quamuis hic sit calefactus. Ratio est, quia qualitas illa, quę producenda esset post obstaculum, iam producitur ante illud per actionem reflexam.

Idque per se & si qualitas diffusa per medium sit diuersæ rationis.

25 Dico quarto: agens naturale non habens contrarium simul tempore agit in omnes partes suæ sphæræ; quamuis inter partes proximas, & remotas intercedat aliqua prioritas naturæ, quā supra probauimus. Sunt autem partes sphæræ omnes, in quas potest causa agere per suam virtutem immediatam. Probatur, agens non habens contrarium simul tempore applicatur omnibus partibus suæ sphæræ; & non est vnde ab actione impediatur; ergo potest in illas simul agere: ergo simul aget; cum enim sit agens necessarium, aget quantum potest.

Agens naturale carens cōtrario simul tēpore agit in omnes partes suę sphæræ.

26 De agentibus, quæ habent contrarium, non omninò necessarium est, vt simul agant in omnes partes suæ sphæræ: nam, supponamus sphæram illius esse palmarem, potest actio agētis esse ita exilis, & resistentia contrarij adeò valida, vt in medio producatur qualitas infra minimum, quod sufficit ad actionem.

Agens habens cōtrariū non necessariò simul agit in omnes partes suæ sphæræ.

27 In-

27 Instabis ; omnis qualitas , quæ producitur , fit in tempore successiuè ; ergo successiuè extenditur per partes sphæræ. Nego antecedens de qualitatibus , quæ non habent contrarium : quod concedo de habentibus contrariũ: nego tñ nõ posse qualitatẽ, quæ habet cõtrariũ simul extẽdi per aliquas partes subiecti: sicuti enim successiua productio qualitatis non impedit, quin simul possint produci plures partes faciẽtes intensionẽ; ita neque quin possint simul produci plures partes facientes extensionem.

Non repugnat miraculosè actio in distans.

35 Solet hic inquiri ; verum agens naturale possit miraculosè agere in distans . Ego in re valdè dubia dico , congruentius esse admittere in his agentibus eam facultatem , vt à Deo eleuari possint ad agendum in distans . Moueor præcipuè authoritate ; quia nostra hæc sententia est communior , & longè mirabiliora euenire videmus , & credimus in his creaturis . Verum de re omninò incerta , hic dubitasse sit satis.

SECTIO TERTIA.

Vtrum simile possit agere in simile.

Quomodo vna substãtia possit agere in aliam similem.

1 NOn agimus hic de similitudine substantiali : certum enim est , vnã substantiam posse agere in aliam sibi similem, producendo qualitatem : in quo casu non agit vt similis ; neque enim actio terminatur ad substantiam , in qua assimilãtur ; sed ad qualitatem , in qua dissimilãtur . Certum secundo est, non posse vnam substantiam agere in aliam sibi similem producendo formam , vel vnionem substantialem : aliter in passo essent duæ formæ, vel vniones substantiales, neque per aduentum nouæ deberet destrui antiqua : cum enim noua sit eiusdẽ rationis cum antiqua ; non est ratio , cur agens intendat introducere nouam , & destruere antiquam : sed vel nulla sequetur actio , vel noua simul perseuerabit cum antiqua.

Status quæstionis. Multiplex similitudo.

2 Quærimus igitur in præsenti ; verum simile in qualitate , v.g. calidum, possit agere in aliud sibi simile producendo aliquid caloris . Multiplex autem similitudo hic potest considerari , prima veluti specifica , si nimirum tum agens, tam passum participent eamdem speciem qualitatis , v. g. calorem . Secunda gradualis, cum agens, & passum non solùm conueniunt in specie qualitatis, sed etiam in gradu intensionis; vt duo calida , vt quatuor . Tertia est in extensione . Quarta in aliquibus conditionibus , quæ iuuant actionem , vt est densitas, & similes. Possumus etiam distinguere totidẽ dissimilitudines.

Stantibus reliquis similitudinibus potest haberi actio, si sit dissimilitudo , siue gradualis, siue specifica in qualitate .

3 Certum autem est , agens simile secundum speciem qualitatis , & secundum reliquas conditiones cum passo, posse in illud agere , si sint dissimilia quoad intensionem graduum ; si enim agens calidum vt octo extensum per octo palmos applicetur alteri rei calidæ , vt duo , sed æquè extensæ , atque eiusdem densitatis; posset in illa producere aliquid caloris , vt patet experientia , qua videmus ignem augere calorem manus minus calidæ , & ferri magis densi: vnde supposita quacumque æqualitate , vel inæqualitate in reliquis circumstantijs , si tamen habeatur hęc dissimilitudo quoad intensionem graduũ, poterit haberi actio : sicuti etiam si res sint similes in intensione graduum, sed dissimiles in specie ; vt si frigidum vt octo applicetur calido, vt octo; illa enim dissimilitudo specifica sufficit, vt vnum agat in aliud . His positis.

Agens nõ potest agere in sibi simile secundũ speciẽ, & intẽsionẽ qualitatis, licet dissimile in alijs conditionibus .

4 Dico , agens non posse agere in passum sibi simile in specie , & intensione qualitatis, producendo maiorem intensionem eiusdẽ qualitatis ; licet sint dissimilia in alijs circumstantijs extensionis , densitatis , &c. Sic ferrum calidum, vt quatuor, nõ poterit producere aliquid caloris in aere item vt quatuor calido ; poterit tamen in illo producere aliquem gradum alterius qualitatis, in qua non sunt similes. Conclusio est communis ferè omnium . Probatur, si calidum vt quatuor potest agere in aliud calidum, vt quatuor , cur potius vnum calidum , quàm aliud ageret ? ergo vel vtrumque , vel neutrum ageret: si secundum habeo intentum. Si primum ergo duo calida, vt quatuor possunt sese ad summum calorem promouere: nam post productionem quinti gradus caloris possent producere sextum , septimum , & octauum : quod est contra experientiam , & finem naturæ : sic enim partes ligni bipalmaris calidi , vt quatuor, successiuè se intendendo, disponerent materiam ad destructionem substantiæ , ad cuius tamen conseruationẽ, & in cuius bonũ data sunt accidẽtia.

5 Neque dicas , hanc intensionem impediri ex eo, quod actio semper decrescat: contra enim est; si agens calidum vt quatuor potuit producere quintum gradum , cur calidum, vt quinque non poterit producere sextum ? Neque dicas secundo , ex ijs agentibus illud acturum quod est maius , vel densius : nam maior extensio, vel densitas non est virtus actiua , sed tantùm conditio iuuans , vt actio fiat velocius , & ad maiorem distantiam, & intensius, quam alioqui fieret: ergo in calido vt quatuor denso est eadem virtus , ac in calido vt quatuor raro : ergo sicuti calidum , vt quatuor densum , & maius potest producere in calido , vt quatuor rarò quintum gradum caloris ; ita calidum rarum iam habens quintum gradum caloris , ac proindè plus virtutis , quàm calidum , vt quatuor , licet densũ, poterit in calido denso producere quintum gradum caloris ; maior enim densitas vnius suppletur cum excessu per maiorem virtutem alterius. Densum autem iam calidum vt quinque poterit in raro producere sextum gradum ; quod iam calidum vt sex , posset producere sextum gradum in denso : duo igitur calida valdè remissa possent se sine auxilio extrinseco reducere ad summam intensionem ; quod repugnat experientiæ , & fini naturæ.

6 Hinc patet non subsistere responsionem, quam pro aduersarijs affert Ouiedus ; nullum videlicet esse absurdum , quod duo calida , vt quatuor possint se mutuo intendere vsque ad

octa-

octauum gradum. Præterquam, quod iam calidū vt quatuor posset se ipsum intendere, & machinari interitum formæ, cuius est connaturale temperamentum: quin imo posset se ipsum simul calefacere, & frigefacere.

7 Obijcies primo: sit agens calidum, vt quatuor potens producere in centum partibus subiecti ducentos gradus caloris; eius tamen sphæra, vel ob incapacitatem, vel ex alio capite extrinseco restingatur ad quinquaginta partes subiecti. in hoc casu deberet plus, quā decē gradus caloris in singulis partibus producere; actionē enim, quā nō posset extendere ad centū partes subiecti, deberet restringere ad decem: ergo iam simile poterit agere in simile. Nego antecedens: neque enim actio impedita debet semper compensari, præsertim si effectus sit ex illis qui non producuntur actione reflexa.

8 Obijcies secundo: lucerna posita in medio aliarum similis intensionis magis illuminatur: ergo lucernæ circumstantes producunt in illa maiorem intensionem, quam habent in se. Sed profecto cur ipsa non magis etiam illuminat circumstantes? Nego igitur antecedens: quia sic lumen, & species possent se ipsa intendere; & exigua lucerna illuminare totum emisphærium: quin imo æqualiter partes distantes, ac vicinas. Secundo huiusmodi qualitates supra probauimus non esse actiuas similium. Igitur vel per species circumstantium, quæ, veluti in speculo, recipiuntur in lucerna media, apparet ibi maius lumen: quia ibi videntur lineæ confusa lumina aliarum lucernarum; vel substantia ignis adiuta á circumstantibus producit in se plus luminis, vel demum ibi sunt plures luces, sed non facientes intensionem; quia per diuersam lineam producuntur. Hinc, si vna lucerna ponitur post aliam, vel eius lumen non videtur, quod est mihi verius; vel si videtur, id fit non per productionem luminis in lucerna media, sed per emissionem specierum.

9 Obijcies tertio: sint tres lucernæ diuersi caloris, rubri, viridis, & cærulei, quę emittant lumen in parietem per foramen tabulæ intermediæ: foramen autem directe opponatur lucernæ mediæ, nempe rubrę: in hoc casu in pariete tria producuntur lumina, quia tria apparent: ergo paries illuminatus ab vna lucerna illuminatur etiam ab alia per actionem similis in simile. Nego antecedens; verius enim puto, ibi non esse tria lumina, nec tres colores, sed videri lumina post tabulam existentia, idque per species illorum reflexas a pariete in oculum, sicut facies hominis, apparet in speculo.

10 Obijcies quarto sint duo ignes calidi vt octo sibi e regione oppositi, distantes per palmum, ignis, a, v.g. in hoc casu producit in prima palmi parte sibi proxima calorem, vt quatuor, in secunda calorem vt tria, in tertia vt duo, in vltima proxima alteri calido producit calorem, vt vnum, & vice versa ignis, b, oppositus in parte proxima producit calorem, vt quatuor; in secunda vt tria; in tertia vt duo, & in vltima demum vt vnum. Tum sic: totum illud medium calefit æqualiter vt quinque, & calor quidem vt quatuor diffusus in parte sibi proxima ab igne, a, simul cum ipso igne, a, concurrit ad intensionem, vt quinque, quæ producitur in parte proxima igni, b. ergo iam producit maiorem intensionem ea, quam habet in se.

11 Respondeo, certum esse in hoc casu minus caloris produci in medio, quam in partibus peripheriæ vicinis agentibus: nā si scorpio vndique carbonibus ignitis circumdetur, non inueniens exitum sistit in medio, vbi videlicet inuenit minus caloris, neque potest in medio separata diminutio, quam patitur actio ex distantia vnius agentis per accessum ad aliud; quia, vt infra probabimus, post aliquod spatium actio valdé notabiliter imminuitur; quæ imminutio non potest reparari per accessum ad aliud agens, cuius actio etiam in illa distantia media, est valdè per se exilis.

12 Secundo, est mihi valdè probabile, intensionem illam, diffusam per medium, totam procedere indiuisibiliter ab vtroque agente; cū enim totum spatium sit intra sphæram actiuitatis vtriusque; iam non est, cur ex vtroque non fiat vnum agens. Tertio probabile mihi est, actionē huius agentis, a, in partes remotas non iuuari in hoc casu à qualitate per medium diffusa: quia si calidum, vt quinque immediatum agenti, a, cum eodem agente concurrit ad calidum vt quinque immediatum agenti, b, etiam hoc secundum calidum, vt quinque concurret cum agente principali ad illud primum calidum, vt quinque: ergo datur mutua causalitas absurda. Ratio autem est: quia ideo vna pars qualitatis diffusę est prior alia: quia est vicinior agenti, quam alia: quæ ratio cessat in casu nostro, nam quamuis pars, a, sit vicinior agenti a, quā pars, b, tamen pars, b, est vicinior agenti, b, quam sit pars, a: ergo non est ratio, cur potius vna quam alia sit prior.

13 Nego igitur ob datam rationem calorē vt quatuor immediatum agenti, a, concurrere ad calorem, vt vnum, vel vt quinque immediatum agenti, b.

14 Dices: cur ergo dicimus, calorem vt quatuor minus intensum simul cum agente validiori concurrere ad intensionem maiorem se? Respondeo, in casu allato id fieri non posse ob allatas rationes. Vniuersaliter autem fortasse non est absurdum, quod agens vniuocum minus intensum simul cum agente intensiore producat in alio maiorem intensionem ea, quam habet in se; quia gradus qualitatis remissæ singuli sunt eiusdem perfectionis cum gradibus singulis qualitatis intensæ: ergo sicuti singuli intensæ ratione intensionis concurrunt inadæquatè ad producendam totam intensionem in subiecto extrinseco, ita ratione coniunctionis localis cum illa maiori intensione poterunt qualitatis remissæ gradus concurrere inadæquate ad totam intensionem. Neque hic vrgent rationes allatæ contra actionem similis in simile; quia natura

Agens remissum simul cum intenso potest concurrere ad intensionem maiorem sua.

pro-

procedit modo, quo poteſt, magis vniformi in ſuis operibus: hoc enim magis conducit ad certitudinem noſtræ ſcientiæ, & contemplationis perfectionem, quæ eſt veluti finis vltimus, & primarius naturæ, ergo, vbi non eſt ratio in contrarium debemus de agentibus vniuocis eodem modo diſcurrere, ac de æquiuocis: ſed æquiuoca, vt vidimus, licet remiſſa, ſimul cum intenſis côcurrunt ad integrû intenſarum effectum: ergo etiá vniuoca: cum ceſſent rationes ſupra allatæ.

Cur ferrum candens comburat ſtupam, non aliud ferrũ.

15 Obijcies quinto: ferrum candens comburit ſtupam: ergo producit maiorem intenſionem caloris, quàm habet in ſe, videlicet ſufficientem ad productionem formæ ignis. Nego conſequentiam; nam particulæ igneæ ferri, quarum argumentum ſunt fulgor, & ſcintillæ, quæ ex ferro proſiliunt, producunt calorem ſufficiẽtem quidem ad combuſtionem, ſed non maiorem eo, quem habent in ſe. Adſunt præterea in poris ferri particulæ aeris, quæ ignitæ comburunt ſtupam. Comburitur ſtupa, non ferrum; quia & eſt magis ſicca; & eſt magis rara; non enim ſolus calor eſt diſpoſitio ad combuſtionem.

Duo calida vt quatuor non ſe mutuo immediatè conſeruant.

16 Obijcies ſexto: calidum vt quatuor applicatum ſubiecto calido vt quatuor conſeruat illius calorem: ergo ſimile agit in ſimile: conſeruare enim eſt quoddam continuatum agere. Nego antecedens, vt patet ex phyſicis. Tantum igitur duo illa calida ſimul validius reſiſtunt, & agunt in contrarium. Diſtinguo etiam conſequens; ſimile agit in ſimile conſeruando illud; tranſeat: augendo qualitatem; nego conſequentiam: quæſtio procedit in ſecundo ſenſu.

17 Obijcies ſeptimo: aer informatus ſpecie vt duo repræſentatiua coloris albi, a, poteſt informari alia ſpecie, vt duo, repræſentatiua coloris albi, b: ergo ſimile agit in ſimile. Nego conſequentiam; tum quia hæ ſpecies non ſunt omnino ſimiles, neque faciunt vnam intenſioné: tum quia non producuntur à ſpeciebus minus intenſis: ſpecies enim viſiuæ non producunt ſibi ſimiles. Eadem reſponſione vtor in actibus vitalibus, & ſpeciebus reflexis, ac directis informantibus idem ſubiectum.

18 Obijcies octauo, immergatur manus calida vt quatuor in aquam item calidá vt quatuor: in eo caſu calor aquæ ſentitur a manu: ergo agit in manum. Antecedens à multis negatur. Diſtinguo tamen conſequens; agit in manum producendo calorem; nego: producendo ſenſationem caloris; concedo: hæc autem non eſt actio ſimilis in ſimile à nobis reiecta.

19 Obijcies nono: duæ phialæ eiuſdem rationis, ſi collidantur, franguntur: ergo ſimile agit in ſimile. Nego conſequentiam: vna enim phiala per ſuam duritiem, & motum cauſat in alia impulſum in partes oppoſitas, quem impulſum non ſupponit in illa: hinc oritur diuerſa partium vbicatio, & fractio in ſequenti inſtanti, quod longe diſtat ab actione ſimilis in ſimile.

Cur aqua non aer gelaſcat.

20 Obijcies decimo: aer in hyeme producit in aqua plus frigoris, quam habet in ſe: aqua enim conuertitur in glaciem, non aer. Nego antecedens: aer enim tantum per ſuam frigiditaté facit, ne aqua ab extrinſeco caleſiat, & vt poſſit ſummam, & ſibi propriam frigiditatem recuperare. Gelaſcit autem aqua non aer: quia aer non habet omnes conditiones ad congelationem requiſitas: inter illas enim eſt aliqua craſſities, qua caret aer.

Vinum apparet, non eſt frigidius aquis putealibus.

21 Obijcies vndecimo: vinum in vaſe incluſum, & demiſſum in puteum plus frigiditatis concipit, quam habeant aquæ puteales: ergo hæ producunt maius frigus eo, quod in ſe habent. Nego áteceden s; vinum enim ob ſummá vigorẽ, & mordacitatem celerius, & fortius mouet ſenſum guſtus, & ideo apparet magis frigidum.

In puncto concurſus non datur actio ſimilis in ſimile.

22 Obijcies duodecimo: in refractione, & reflexione radiorum medium producit in puncto concurſus maiorem lucem ea, quam habet in ſe; vnde maior eſt calor in puncto, quam in toto medio: ergo iam ſimile agit in ſimile. Hoc argumentum petit explicationem refractionis, & reflexionis radiorum.

SECTIO QVARTA.

Explicatur reflexio, & refractio radiorum, & modus, quo id fiat ſine actione ſimilis in ſimile.

Explicatur quomodo fiat reflexio, & declarãtur termini.

1 SCiendum igitur eſt primo, radium luminoſum, qui à perſpectiuis definitur *linea luminoſa à diſco, ſeu corpore ſolari, & luminoſo recta procedens*, impeditũ à corpore opaco, ne perueniat ad eam diſtantiam, ad quam dirigebatur, retrocedere per reflexionem verſus ſolem; ita vt qualitas, quæ producenda erat in ſpatio vlteriore, producatur in ſpatio iam illuminato per primam actionem directam: ſicuti pila impedita à pariete, ne vlterius procedat, reucitur ad proijcientem; cum hoc tamen diſcrimine, quod pila, quæ incidit in parietem, eadem retrocedit: at qualitas, quæ reflexe producitur, eſt diuerſa tum a qualitate producta in corpore opaco, tum à qualitate directè producta.

2 Iam verò radius ille à corpore ſolari directe procedens, & incidens in corpus opacum, dicitur radius incidentiæ; reflexus autem, radius reflexionis: punctum vnde incipit reflexio, punctum incidentiæ. Hæc igitur reflexio nonnumquam fit per lineam rectam; nam ſi corpus obſiſtens perpendiculariter corpus ſolare reſpiciat; radij regrediuntur per eamdem lineam, per quã fuerunt emiſſi, quod ſi corpus obſiſtens non perpendiculariter reſpiciat ſolem, non per eamdem lineam iter reflectunt radij; ideoque in puncto incidentiæ ex radio directo, & reflexo fit angulus; demum ſi radij incidunt in corpus opacum, vel planum, vel conuexum, radij reuertuntur diſperſi ac diuiſi; ſi autem in concauum, & tertium, tunc ab illo tamquam à baſi regredientes, quo magis procedunt, eo magis vniuntur, quo vſque perueniant ad punctum, in quo omnes penetrantur: vbi apparet maior lux: & adeo ingens calor excitatur, vt valeat comburere chartas, & hic dicitur punctus concurſus.

Explicatur quomodo fiat refractio.

3 Sciendum est secundo, refractionem, quæ maxime elucet in lumine, & speciebus intentionalibus, esse veluti fractionem radiorum, qui incidentes in aliquod corpus densum, tersum, ac diaphanum, & figuræ orbicularis, vel lenticularis, inde progrediuntur, deflectentes tantisper viam: ita vt nonnunquam incipiant ab illo tamquam à basi, ac se magis restringentes coeant tandem in vnum punctum; vbi apparet maior lux, excitatur ingens calor, & dicitur punctum concursus. Hæc, & alia supponuntur hic vel certa ab experientia, vel probata ab Astronomis. Quærimus nunc verum in his casibus detur actio similis in simile?

Radij directi, et reflexi, & si sint in eodē subiecto nō faciunt intēsionē: sicuti neque vniti in puncto concursus.

4 Dico primo, radios directos, & reflexos non facere vnam intensionem, quamuis recipiantur in eodem subiecto: quia licet vniantur eidem subiecto, non tamen vniuntur inter se. Ita Alphonsus *disp. 2. de gen. sect. 7.* & plures recentiores apud ipsum *n. 81.* Probatur, nulla qualitas reflexa facit intensionem cum directa; quamuis sint in eodem subiecto: ergo neque lux reflexa cum directa. Antecedens probatur exemplo specierum: nam in eodem aere recipiuntur species directæ, & reflexæ; nec tamen faciunt intensionem: aliter visio specularis per species reflexas, quia simul oculus informaretur directis, esset clarior. Præterea si species eiusdem obiecti per varias reflexiones multiplicentur, multiplicabitur quidem visio, & obiectum apparebit veluti multiplex; nō autem clarius videbitur: ergo signū est, quod species directa cum reflexa, & reflexæ inter se non faciant intensionem.

5 Huius rei ratio à priori esse potest: quia actio reflexa est noua actio à directa, quæ per se ex directione agentis deberet respicere diuersum subiectum, & per accidens est, quod respiciat idem: ergo non est ordinata ad faciendam vnam intensionem ex qualitate directa, & reflexa. Eadem est ratio de pluribus qualitatibus cōfluentibus ad vnum punctum concursus, siue in reflexione, siue in refractione. Eadem, si quis habeat plures cognitiones eiusdem rei à diuersis principijs.

Vnde est maior calor, & alij effectus in puncto concursus.

6 Dico secundo, in reflexione, & refractione nō intercedere actionē similis in simile à nobis reiectam. Probatur in puncto concursus in partibus remotis non producitur maior lucis intensio, quam in alijs partibus; sed tantum sunt ibi plures luces, sicuti plures cognitiones in intellecto: apparet autem maior lux, quia plures luces eidē subiecto vnitæ emittunt perfectiorem speciem sui, quam dissitæ: sicuti plures partes parietis, & albedinis dissitæ non videntur à longinquo, sicuti videntur, si vniantur localiter. Ob eamdem rationem sero, si parieti illuminato, vnde reflectit lux, accedamus, possumus librum legere; quia lux directa, & reflexa simul positæ emittunt speciem perfectiorem sui, & sunt causa, vt species obiecti sint perfectiores. Maior autem calor, qui in puncto excitatur, & comburit, producitur à pluribus lucibus per actionem æquiuocam; plura enim agentia æquiuoca remissa possunt, vt diximus, facere quod præstat vnum intensum.

7 Hinc patet minus probabile esse quod aliquis forte docet; lucem videlicet non esse productiuam caloris; id enim est contra communem sensum, & fortasse etiam contra experientiam; neque rationes, quæ in contrarium afferūtur, sunt alicuius ponderis.

Cur lux intenditur.

8 Obijcies primo: ergo potest dici quod lux numquam intendatur; omnia enim saluari possunt per plures, vel pauciores luces receptas in eodem subiecto. Nego consequentiam: nam est maior lux in partibus radij directi magis vicinis soli, quam in partibus remotis, quæ maior lux debet dicere plures partes etiam inter se vnitas: neque enim illæ partes ordinantur ad informandas diuersas partes subiecti.

Cur plures luces aliquando non faciāt intensionē.

9 Obijcies secundo: non possunt in eodem subiecto esse plures partes qualitatis similes, & non facere intensionem; aliter vnde habes, plures partes caloris facere vnam intensionem? Nego assumptum, si illæ partes præstent diuersum munus, & euenit in casu nostro, in quo vna lux directe illuminat alia reflexè: præter quam quod radij illi vnisi in eodem puncto ex directione agentis ordinantur ad diuersas partes subiecti: quæ autem per accidens respiciunt idem subiectum, non debent facere intensionem; ideoque si Deus in eodem subiecto vniret plures quantitates, non facerent intensionem: quia non ordinantur ad informandum idem subiectum: hinc patet ad exemplum caloris, cuius omnes partes ordinantur ad informandum idem subiectum ab agente intendente productionem caloris perfectioris.

10 Obijcies tertio: potest dici, quod in pūcto concursus sit maior intensio lucis procedens à corpore solari habente in se plus lucis; ex quo nulla daretur actio similis in simile. Nego assumptum; supra enim positiuè probauimus, in puncto concursus non esse maiorem lucis intensionem.

Impugnatur applicatio per plures vias.

11 Dices primo: corpus solare pluribus vijs applicatur puncto concursus: ergo non est mirum, si plus lucis in eo producat: quamuis enim cæteris partibus minus qualitatis producatur in partibus distantioribus, si tamen cætera non sint paria, vel quia subiectum distans est magis capax, vel quia agens est illi magis applicatum, non est, cur in partibus remotis non possit produci plus qualitatis.

12 Nego antecedens: non enim potest commodè intelligi, quid sit solem applicari pluribus vijs illi puncto concursus; nam vel est plures radios ibi coire, vt veluti inde resultet maior intensio? & sic iam admittis multitudinem radiorū in eodem subiecto, & sine necessitate addis intensionem inde resultantem: vel est, in eo puncto produci plus luminis eo, quod in partibus immediatè antecedentibus habeatur? & sic redit quæstio; cur in partibus illis antecedentibus habea-

bea-

beatur maior intensio? præterquam quod intensio illa semper est minor per aduersarius intensione puncti: vnde remanet quæstio; cur sol per partes antecedentes minus luminosas applicetur ad producendum in puncto distantiori maius lumen côtra communem modum agendi vniformiter difformiter? Confirmatur; hinc probabiliter inferri posset in puncto concursus futurum maius lumen, quam in corpore solari; nam in illo puncto vniuntur ad faciendam vnam intensionem gradus lucis, qui produci debebant in mille partibus subiecti: ergo in illo puncto deberent esse plus quam mille gradus lucis.

Neque satis faciunt, qui ad corpus obsistens recurrunt.

13 Dices iterum: ipsum corpus obsistens est ratio, cur in puncto concursus producatur maior intensio, & vt agens principale sit ibi magis applicatum. Contra; corpus obsistens non est conditio vt in ipso producatur maior intensio: ergo neque vt producatur in puncto côcursus: neque enim explicari potest, quomodo faciat, vt agens principale magis applicetur puncto concursus; quamuis sit ratio, cur fiat reflexio, dum impedit vlteriorem progressum radiorum.

14 Aduerto hic primo in corpore obsistente apparere maius lumen, quam in puncto concursus: quia ibi per species reflexas apparet corpus solare: absolutè autem ibi nô est maior lux, aliter deberet esse maior calor, & combure charta. Secundo posse ob maiorem capacitatem subiectum magis distans recipere plus luminis; cæterum neque corpus obsistens, vnde incipit reflexio, est capacius lucis, quam aer, neque pars aeris, in qua fit concursus, capacior alijs partibus. Tertio alba magis reflectere, quam nigra; sed nigra facilius comburi; quia nigra minus disgregant partes lucis. Quarto nullà esse necessitatem, cur in alijs qualitatibus, præsertim habentibus contrarium, admittamus aliquam reflexionem. Et sanè si ea daretur, possemus illam aliqua experientia deprehendere dependenter à sensibus, est enim sensibilis, verum id potius a me supponitur. Quinto in puncto concursus non solum apparere maiorem lucem; sed etiam esse maiorem copiam radiorum; nam ibi comburitur charta, qui effectus bene præstari potest à calore producto per lucem, non autem à speciebus, quæ non sunt productiuæ caloris.

Cur ignis inclusus vehementius agat.

15 Obijcies quarto: ignis inclusus vehementius agit: quia cû est inclusus, restringitur sphæra actiuitatis: ergo etiam in puncto concursus habetur maius lumen, quia restringitur sphæra actiuitatis solis. Nego causalem antecedentis; ignis enim inclusus vehementius agit: quia retinet plures partes, quæ alioqui euolarent: rursus est minus expositum contrario.

16 Noto hic primo, agens inanime eodem modo agere vniformiter difformiter in sphæra arcta, ac in lata; æque enim flamma comburit vnam, ac centum partes, si sint intra sphæram applicatæ. Oppositû accidit in animalibus, quæ indigent ministerio spirituum, dum enim spiritus ad vnam partem accurrunt, destituentes aliâ, non possunt omnibus auxiliari.

17 Noto secundo: agens vniuocum assimilare sibi passum: vt probant allatæ rationes; neque duo calida, vt quatuor æquiualere calido, vt octo: sicut per Aristotelem, b, & A, non sunt ba, lucernam autem additam lucernæ æquè luminosæ magis illuminare, sed infra propriam intensionem: igitur in his circumstantijs non est in calido vt quatuor virtus vlterius procedendi: præsertim qui a producendo quintum deberet multo plures vniones produci; quam producendo primû; ad plures autem vniones requiritur maior virtus.

SECTIO QVINTA.

Vtrum inter agens, & passum requiratur realis distinctio?

1 CErtum est primo, inter virtutem actiuam adæquatam, & passum intercedere distinctionem ad minus inadæquatam: virtus enim actiua includit diuinam Omnipotentiam, quæ certè distinguitur à passo. Certum secundo est, idem posse agere in se ipsum actione æquiuoca, producendo effectum diuersæ rationis: sic aqua calefacta, remoto igne, se reducit ad natiuam frigiditatem, producendo in se frigus. Et in hoc sensu idem potest simul esse in actu, & potentia passiua: quia videlicet potest simul esse agens, & passum.

Idem non potest in se ipsum actione vniuoca agere.

2 Certum est tertio, posse idem agere in se ipsum actione vniuoca, sed secundum diuersas partes: sic habens vnam manum calidam potest calefacere aliam. Quæstio ergo præsens est, vtrû idem, secundum eamdem partem, possit agere in se ipsum actione vniuoca: possit ne lignum calidum vt quatuor producere in se quintum gradû caloris? In qua re sequor partem negatiuam satis communem inter doctores; alioquin posset lignum calidum vt vnum producere in se secundum, tertium, & sic peruenire ad octauum gradum caloris, & se ignefacere: quod est contra finem naturæ, & experientiam.

Quid sit actio antiperistica.

3 Obijcies: datur actio antiperistica, qua v.g. tempore hiberno aquæ puteales incalescunt, frigescunt æstiuo: sed actio antiperistica non potest saluari sine actione vniuoca eiusdem in se ipsum: ergo &c. Minor probatur, cum aquæ puteales hyeme incalescunt, causa illius caloris non potest esse substantia aquæ, quæ non est calefactiua; neque ambiens extrinsecum frigidissimum: ergo erit calor præcedens vtilis, qui se ipsum intendit ad præsentiam contrarij. Sciêdum autem est antiperistasim, ex græco fonte, significare circumobsistentiam, & obsessionem, qua videlicet agens infirmius circumuallatur validiori; ideoque impeditum, ne suam actionê extendat, reflectendo in se suâ illa actionem, vires intendit, quo validius obsistenti contrario resistat. Antiperistasis igitur est actio, qua vnum contrarium intenditur ad præsentiam alterius non est autem vna omnium mens in explicando, quo id modo fiat.

4 Pro solutione suppono, in elementis, & mixtis

Latent in mixtis, & elementis diuersa corpuscula.

mixtis latere quamplura corpuscula calida, & leoia inter se dissimilia magis vel minus densa, vapores item calidos, halitus siccos, & calidos, naturæque igneæ; videmus enim ex calce, si immisceatur aqua, exilire fumum quemdam valdé calidum, & ex locis subterraneis disruptis eleuari nubes quasdam vaporum, & exhalationum, quæ ibi violenter detentæ, vbi valent erumpere, sursum pergunt. His positis.

Cur aquæ puteales minus frigidæ hyeme, quam æstate, & similiũ experientiarum ratio datur.

5 Si loquamur de actione, qua intenditur qualitas subiecto naturalis, vt est frigus aquæ; dico, illam prouenire à substantia aquæ, quæ per propriam virtutem recuperat qualitatem sibi debitam. Quod si petas, cur aqua tempore hyemali eam qualitatem non recuperet? respondeo, quia impeditur à corpusculis calidis, quæ in ipsa delitescunt tempore hiberno, vt fugiant vim obsistentis frigidissimi, eamque calefaciunt; auolantibus autem tempore æstiuo illis corpusculis ad amicum aerem tepidiorem: aqua iam expedita contrarijs recuperat natiuom frigus. Ob eamdem admixtionem, & condensationem corpusculorum calidorũ hiberno tempore quędam cauernæ subterraneę sunt calidiores, æstiuo autem, illis auolantibus, imo illuc confluentibus, & aggregatis corpusculis frigidis, & humidis fugientibus inimicum aerem calidiorem, frigescunt. Ob similem rationem autumno poma maturescunt; spiritus enim quidam ignei fugientes aeris inclementiam, dum illorum poris se immiscent, ea concoquunt, & ad maturitatem perducunt. Ob eamdem dissipationem spirituum calidorum, tempore æstiuo, frigidiores, & ad concoctionem minus aptos, ob contrariam autẽ congregationem tempore hiberno calidiores, & ad concoctionem magis aptos stomachos experimur. Quod si ex medicorum consilio ęstate vtimur cibis frigidioribus; id est, ne externus calor adiutus ciborum calore plus ęquo noceat; hyeme vero calidioribus; ad retundendam efficacius vim frigoris externi.

6 Ex quibus colliges causam, cur per antiperistasim nonnunquam intendatur qualitas cõtraria subiecto, vt calor in aquis putealibus tẽpore hiberno, esse corpuscula illa aggregata, & condensata, quæ cum polleant virtute calefaciendi, non est mirum, si aquam calefaciant. Non est autem nouum, quod vnum contrarium, seu plures illius partes ad obsistendum validius alteri, eiusque vim declinandam, aufugiant, & alibi se condensent, & in vnum congregent; quodlibet enim naturaliter inclinat ad sui conseruationem. Hinc experimur flammã, admoto corpore frigido, in partem oppositam declinare, & aquę guttas in puluerem proiectas se in orbẽ attollere, quo videlicet, quam maxime possunt, à sicco contrario segregentur. Ex quibus facilè est responsionem in forma allato argumento dare.

Cur iniecta aqua calx feruet.

7 Instabis; si in calcem proijciatur aqua, tantus feruor excitatur, vt possit oua concoquere: hic autem feruor non potest prouenire ab aquæ substantia, quæ potius inclinat in oppositum: neque ab ipsa calce, quæ si absente contrario non feruet, & intense calet; non est, cur, presente, id præstet; ergo calor ille intensus procedit à calore remisso. Nego consequentiam: feruor enim ille, & calor oritur à corpusculis igneis, quæ delitescebant in poris calcis, & ad aduentum contrarij vniuntur, quò validius illi resistant, & dum egredi conantur, excitant feruorem illum, & motum calcis. Calor igitur ille sufficiens ad concoquenda oua non producitur à remisso, sed vel est antiquus corpusculorũ delitescentium, qui vaporè dissipatus non poterat præstare effectus, quos nunc præstat: vel nouus productus à corpusculis, quæ vnita, & validius resistunt, & producunt in se per actionem æquiuocam nouam intensionem caloris.

8 Ob eamdem rationem spiritus columbæ, impedita respiratione, concipit flammam, teste Aristotele; & febres authumnales, hyemalesque calidiores sunt, æstiuæ frigore infesta; quia hyeme calor febrilis impeditus, ne foras exiliat, magis calefacit partes corporis.

9 Tota hæc doctrina confirmatur auctoritate Aristotelis *sect. 1. problem. 29.* apud summã *triumph. philos. l. 2. dist. 9. c. 8. n. 4. Hyberno, inquit, tempore, qui frigida se insuderunt, ibi aliquantulum, dum diluerentur, friguerunt, reliquo toto die à frigore tecti sunt: & qui calida vsi sunt, frigus diutius experiuntur; caro enim spissescit, calorque introrsus se colligit, eorum, qui aqua se diluerunt frigida; contra autem ijs euenit, qui calidam admisere, caro quippe rarescit, calorque (videlicet spiritus) ad externum vsque locum euocatur.* Et satis prouide data est calori via rarefaciendi, frigori condensandi, vt corpus incalescens, rarefactum, à nimio calore se tueatur, emittendo particulas igneas, & dum ab extrinseco frigefactum condensatur, retineat particulas igneas, quibus se à frigore defendat.

Idem non potest agere in se ipsum actione corruptiua.

10 Obijcies tertio: potest idem agere in se ipsum actione corruptiua: ergo & vniuoca. Nego antecedens; vt colligi potest ex disputatione secunda: vis enim actiua tributa à natura est agẽtibus in bonum, non in destructionem. Quando autẽ Aristoteles lib. de iuuẽtute, & senectute, docuit, ignem posse dupliciter interire, & per marcorem à se ipso, & per extinctionem à contrario; solum voluit, ignem posse extingui, primo, si absumat totum pabulum, vnde flamma auolans, nec apud nos commoratur, & facile, dũ sursum pergit, suffocatur à contrarijs, quod est extingui á se ipso indirectè: secundo ab extrinseco, vt si illi iniJciatur magna copia aquæ.

DISPVTATIO SEXTA.

De successione, & continuatione alterationis.

Motus alterationis est successiuus: sed nõ statim continuus.

1 VIdimus subiectum non statim fieri summè calidum; experientia igitur duce, cogimur dicere, alterationem nõ esse motum instantaneum, sed successiuum; qui nimirum diuersis partibus respiciat diuersas temporis partes.

Non

Non statim autem, vt est successiuus, erit motus continuus: plures enim partes motus correspondentes pluribus partibus tēporis possunt interrumpi; motus autem continuus requirit partes immediatè sibi succedentes, nec interruptas. De hac igitur successione, & continuatione est hic sermo; quem extendemus ad omnes productiones.

Res aliæ in diuisibiles aliæ diuisibiles: & ex his aliæ per se, aliæ per accidens fluentes.

2 Sciendum igitur est, ex rebus, quę producuntur, alias esse entitatiuè indiuisibiles, vt Angelus, anima rationalis, &c. alias entitatiuè diuisibiles, vt ferè sunt omnes res corporeæ: & ex diuisibilibus, aliæ sunt per se fluentes, quarũ partes sunt incompossibiles, vt est duratio Petri annua: aliæ per accidens fluentes, vt calor, cuius partes, quamuis successiuè productę possunt tamen simul existere, & post motum simul conseruantur; quinimo multę simul producuntur.

Duo modi incipiēdi, & desinēdi intrinsecè & extrinsecè.

3 Sciendum præterea communiter distingui ab authoribus duos modos incipiendi, & desinendi, intrinsecè, & extrinsecè: incipiunt intrinsecè res per primum sui esse, ita vt verificetur, nunc primo res est, immediatè ante non fuit: extrinsecè per vltimum sui non esse; ita vt verum sit, nunc vltimo res non est, immediatè post erit. Desinunt intrinsecè per vltimum sui esse, & verificatur, nunc vltimo res est, immediatè post non erit; extrinsecè per primum sui non esse, vt verum sit, nunc primo res non est, immediatè ante fuit. His positis.

Multiplex quæstio.

4 Multa hic quæri possunt, primo, quę produci possunt in instanti, & quę in tempore? secundo quomodo res producta incipiat? tertio vtrum omnis motus successiuus sit continuus? Et hæ quidem quæstiones locum habent tum in sententia Aristotelis de compositione continui ex partibus in infinitum diuisibilibus; tum in sententia Zenonis de compositione ex puris punctis. Illud hic aduerto, me nolle subire onus defendendi alteram ex dictis sententijs, sed tantum exponam quid probabiliter, & consequenter dici possit, illis suppositis. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

Quæ produci possint in instanti, quę in tempore.

Res indiuisibiles, & multæ diuisibiles possunt instantaneè produci.

1 SVpponit hæc quæstio in sententia Aristotelis admittenda esse in tempore aliqua indiuisibilia, quibus negatis erit de subiecto, quod non est supponendum. In ea igitur suppositione, mihi videtur satis probabile posse instantaneè produci res omnes indiuisibiles, & diuisibiles, quorum partes non repugnant coexistere, idque etiam naturaliter, si ex vna parte sit in agente virtus causandi omnes illas partes simul, & nulla sit validior resistentia contrarij. Probatur: non est cur agens necessarium applicatum subiecto non simul producat totum effectum, quem potest simul producere.

2 Hanc doctrinam extende ad partem proportionalem, ita vt in instanti non solum produci possit determinata qualitas diuisibilis, sed etiam proportionalis, & indeterminata: tum quia non assignant aduersarij huius rei repugnantiam, vt patebit ex solutione argumentorum: tum quia maiorem improportionem habet cum instanti pars aliquota, & determinata, quā proportionalis, & indeterminata: sed pars determinata potest produci in instanti: ergo à fortiori indeterminata, dum successiuè augetur qualitas. Et sanè si post punctum sequitur, vel vt alij volunt, in sententia Aristotelis puncto penetratur pars continui indeterminata; cur non poterit pars indeterminata qualitatis produci in instanti? Aristoteles, si quando oppositum docuisse videtur, locutus est de motu essentialiter successiuo, habente terminum, cuius partes sunt incompossibiles.

In instanti produci potest pars proportionalis.

Res indiuisibilis potest produci in parte proportionali temporis.

3 Dico secundo, res indiuisibilis potest produci in parte proportionali temporis. Conclusio est certa in illorum sententia, qui negant indiuisibilia realia: in opposita autem probatur: immediatè post instans sequitur pars proportionalis temporis: sed indiuisibile potest produci immediatè post instans: ergo potest produci in parte proportionali temporis. Maior est apud Aristotelicos certa. Minor probatur: post instans potest immediatè produci pars qualitatis aliquota v.g. primus gradus: sed in hoc includuntur plura puncta indiuisibilia iuxta hāc suppositionem: ergo plura puncta indiuisibilia possunt produci in parte temporis post instans. Eadem mihi videtur ratio de parte, quæ immediatè præcedit instans. Maior confirmatur: pars aliquota potest produci in instanti, cum quo habet minorem proportionem, quàm cum parte proportionali immediatè sequenti: ergo etiam in parte proportionali. Confirmatur: quia potest Deus in instanti annihilare Angelum, & illum immediatè post reproducere: illa autē erit actio productiua rei indiuisibilis in parte proportionali.

Pars aliquota, & determinata qualitatis potest produci in parte tū aliquota, tum proportionali temporis.

4 Dico tertio, pars aliquota, & determinata qualitatis potest produci in parte temporis tum proportionali, & indeterminata, tum aliquota, & determinata. Prima pars probatur: quia si Deus in instanti suspēdat concursū ab illuminatione solis, immediatè post poterit sol illuminare aerē; est enim illi applicatus: sed immediatè post instans sequitur pars proportionalis: ergo potest sol in parte proportionali tēporis primo illuminare aerē; sed aer illuminatus cōtinet plures partes aliquotas qualitatis: ergo immediatè post instās, & in parte proportionali tēporis potest produci pars aliquota qualitatis. Secunda pars probatur: quia spatio vnius horæ potest successiuè in mea manu produci calor vt septem, in quo casu tum tempus illud est determinatum, & pars aliquota; tum calor productus.

Non potest res indiuisibilis vel pars proportiona-

5 Dico quarto, non potest pars proportionalis qualitatis, vel res indiuisibilis primo produci in parte aliquota, & determinata temporis, ita vt illa prima productio occupet totam partē aliquotam temporis. Et quidem de re indiuisibili-

liri qualitatis primo produci in parte aliquota temporis.

bili probatur: quia pars aliquota temporis, quęcumque sit, continet duas partes, in quarum prima res illa indiuisibilis iam est producta, in secunda conseruata: ergo nulla est pars determinata temporis, in qua tota primo producatur indiuisibile. Hæc ratio non militat in parte proportionali temporis, quæ est pars immediatè antecedens, vel sequens, inassignabilis, minor, & minor: neque in illa sunt duæ partes, in quarum prima sit productus Angelus, in secunda conseruatus; aliter esset pars aliquota, & determinata: & de illa prima parte, in qua est productus Angelus redeunt argumenta supra facta.

6 De parte autem proportionali probatur quia vel pars proportionalis producitur tota simul, vel successiuè? si primum? redit argumentũ suprafactum: si secundum? iterum quæro, pars illa proportionalis vel producitur cum interruptione, vel continuè? si primum? ergo est pars determinata; iam enim habet duas partes interruptas, & consequenter designabiles vna sine alia, quæ sunt prædicata partis determinatæ: si secundum? supponamus partem proportionalem occupare sua successiua productione horam; ego dicam posse occupare mensem, annum, sæculum, æternitatem. Certè infinitas partium illius si sufficienter explet horam; non est, cur non possit explere æternitatem. Confirmatur: pars proportionalis temporis cum sua successione non potest explere horam: ergo neque pars proportionalis qualitatis sua successiua productione potest explere horam. Posset quis ex infinitate partium proportionalium successiuè producibilium inferre quamlibet partem determinatam aptam esse occupare sua productione tota æternitatem. Verum hæc, & similia absurda sequentur ex infinitate partium, quam ego non defendo: sicuti neque absolutè defendo allatam doctrinam; sed tantum supposita sententia Aristotelis, supradicta omnia defendi posse sine nouo, vel maiori absurdo.

7 Obijcies primo: pars proportionalis non potest esse extra aliquotam; sed si produceretur in instanti, esset extra aliquotam: ergo non potest produci in instanti. Maior probatur: aliter esset determinata, & sola designabilis. Minor probatur: quia si pars proportionalis produceretur in instanti, haberetur pars proportionalis non aliquota: ergo pars proportionalis esset extra aliquotam.

8 Distinguo maiorem: pars proportionalis non potest esse extra aliquotam, quia debet cõponere aliquotam, concedo: quia debet esse, vbi, & quando est aliquota; nego: & distincta minore, nego consequentiam. Ratio in contrarium non probat partem proportionalem posse non componere aliquotam. Confirmatur: in sententia Aristotelis partes proportionales rerum successiuarum, successiuè existunt: ergo vna pars proportionalis non est cum alia, neque cum aliquota adæquatè sumpta; aliter esset cum alia proportionali, qua constat aliquota. Rursus, vna pars proportionalis non penetratur cum alia: ergo non est in eodem loco cum parte aliquota adæquatè sumpta: quarè nullum est absurdum in hac sententia, quod pars proportionalis sit in parte proportionali, vel etiam indiuisibili temporis, vel loci sine aliquota: absurdum autem esset, si nullam componeret aliquotam; daretur enim pars proportionalis, & indeterminata non constituens aliquod determinatum; & consequẽter acceptibilis sine compartibus, vndè iam esset determinata.

9 Objicies secundo contra secundam conclusionem, indiuisibile producitur totum simul: ergo non potest produci in parte proportionali temporis: nam pars proportionalis est diuisibilis habens partes priores, & posteriores: ergo indiuisibile, quod totum simul producitur, non potest primo produci in parte proportionali; iam enim productum est totum in parte priori, & priori.

Quomodo indiuisibile totum simul producitur in parte proportionali

10 Nego primam consequentiam: ad rationem in contrarium distinguo antecedens: pars proportionalis est diuisibilis, indeterminata, & inadæquata; concedo: determinata, & adæquata; nego antecedens: tum distinguo eã propositionẽ, habet partes priores, & posteriores determinatas, & adæquatas; nego: indeterminatas, & inadæquatas; concedo antecedens, & nego consequentiam. Distinguo item illam propositionem in parte priori, & priori iam est productum, quod totum simul producitur; ita ut pars partis prior sit pars proportionalis; concedo; ita verò sit talis; nego. Pars proportionalis habet hæc duo prędicata, primo quod sit indeterminata, quia non potest assignari, quænam sit; quælibet enim pars designabilis, est determinata, & diuisibilis in duas alias partes. Secundo, quod sit inadæquata, videlicet quod sit pars partis, quacumque enim parte assignata, semper pars proportionalis est pars illius partis. Video hunc conceptum inuoluere multas difficultates, verũ à me hæc predicata supponuntur. Non potes igitur sumere partem proportionalem, & diuidere illam in duas, & quærere vtrum effectus productus sit in priori: nam illam ipsam, quam tu appellas partem partis, est pars proportionalis, & aliquid aliud; effectus autem semper productus est in parte priori, & priori sine fine.

Pars proportionalis est indeterminata & inadequata.

11 Dices quomodo pars illa proportionalis est diuisibilis? Respondeo id à me supponi; ratio autem esse potest: quia in successiua diuisione continui, & partis aliquotæ, in qua includitur proportionalis, nunquam deuenire possumus ad indiuisibile, sed pars, minor, & minor, semper est diuisibilis.

12 Vnde patet in parte proportionali non esse ordinem prioris, & posterioris: tum quia est minor, & minor: tũ quia ille ordo videtur afferre determinationẽ partiũ: quare absolutè neganda est illa propositio: pars proportionalis habet partes priores, & posteriores: neque ob indeterminationem. Confirmatur: quando tango lignum, illud, quod est mea manui, vel puncto immediatum, est pars minor, indeterminata, & ina-

Nec habet partes priores, & posteriores.

inadæquata, quæ proinde non habet partes priores, & posteriores. Falsum igitur supponit aduersarius partem proportionalem esse totum, & habere partes priores, & posteriores: ablato autem ordine illo prioris, & posterioris, non est, cur non dicatur res tota simul producta.

Vtrum infiniti Angeli possint produci in vno quadrante.

13 Obijcies tertio; si indiuisibile posset produci in parte proportionali posset Deus spatio vnius horæ producere infinitos Angelos successiuè, & sine interruptione: consequens est absurdum: aliter spatio vnius horę infinitum successiuè percurreretur. Respondeo in sententia Aristotelis, maius absurdum esse, quod spatio vnius horæ absoluantur infinitæ partes proportionales, seu finitę in infinitum; quam quod eodem spatio absoluantur infinita puncta: infinita enim, seu finita in infinitum puncta, sunt minus quid, quàm totidem partes proportionales: siquidem punctum quodlibet per Aristotelicos minus quid est qualibet parte proportionali; ideoque docent punctum additum puncto non facere extensionem. Data igitur maiore, de qua nolo controuertere; distinguo minorem: consequens est absurdum, quod non sequatur ex principijs Aristotelicis; nego: quod immediatè ex illis sequatur; subdistinguo: ita vt in ea sententia nón sequatur simile, vel maius absurdum, quamuis res indiuisibilia non possit produci in parte proportionali; nego: ita vt sequatur tale absurdum; concedo minorem, & nego consequentiā.

14 Ego non defendo absolutè hanc doctrinam, sed tantum ita posse discurri in sententia Aristotelis sine nouis, & maioribus absurdis; quod si indeterminatio partium aliquid iuuat ne sint infinitæ, eadem indeterminatio probabit, tunc non producendos infinitos Angelos. & si Deus non potest singulis partibus proportionalibus producere singulos Angelos, iam aliundè soluis tuum argumentum sine præiudicio meæ conclusionis. Sed nolo id defendere. Sicuti autem non possunt in sententia Aristotelis sumi tres, vel quatuor partes proportionales cum immediata successione inter se; ita neque tres, vel quatuor res indiuisibiles immediatè in illis successiuè productæ.

Pars proportionalis est extrinsece determinata.

15 Hinc infero, partem proportionalem, de qua loquimur, essentialiter intrinsece indeterminatam, posse habere aliquam determinationē ab extrinseco, vel à puncto, quem sequitur, vel præcedit; vel à parte aliquota, cuius est primū, vel vltimum; & de hac parte proportionali cum hac determinatione loquimur, cum dicimus, posse res indiuisibiles primo produci in parte proportionali temporis; ita vt dici possit Angelus producitur post, vel ante instans, & in vltimo, vel primo huius partis aliquotæ. Vtrum autem possint plures res indiuisibiles produci cum immediata successione in pluribus partibus proportionalibus temporis nolo quærere. Solum addo, absurdum inde sequuturum non esse ita magnum, vt Aristotelici non admittant maius quid, tanquam verum; quarè desinet in illorum principijs esse absurdum.

16 Infero secundo, posse duas partes proportionales extrinsecè determinatas, & spectantes ad diuersas aliquotas vnam immediatè sequi post aliam, si negentur puncta intermedia: vt vltima pars meæ manus, & prima ligni cum se immediatè tangunt.

Non possunt singulę partes aliquotæ qualitatis produci in singulis proportionalibus tēporis.

17 Infero tertio, non posse successiuè produci qualitatem diuisibilem per partes aliquotas, & determinatas sui in singulis, & omnibus partibus proportionalibus temporis v. g. vnius horæ: alter cum partes proportionales temporis sint infinitæ, & quoad numerum indeterminatę, infinitæ etiam essent, & quoad numerum indeterminatæ partes aliquotę qualitatis: infinitas autem partium aliquotarum diuisibilium est diuersum, & maius absurdum apud Aristotelicos, quam infinitas partium proportionalium.

18 Obijcies quarto. Si Angelus posset incipere immediatè post instans, vel inciperet intrinsecè, vel extrinsecè? non primum: quia de parte proportionali immediata instanti non potest verificari, nunc primo est Angelus: illa enim pars neque determinata est, neque nunc. Neque extrinsecè, quia ob eamdem rationem non potest de illa parte proportionali verificari, nunc vltimo Angelus non est. Respondeo Angelum posse incipere in parte proportionali ante instans tum intrinsecè, tum extrinsecè. Ad rationem in contrarium dico verificari posse, quod Angelus primo sit immediatè ante instans in parte proportionali: neque in hoc video aliquid absurdi. ergo verificari poterit, quod incipiat intrinsecè in parte proportionali. Rursus verificari potest, quod vltimo non sit immediatè ante instans: ergo quod incipiat extrinsecè in parte proportionali præcedente instans: quamuis autem pars proportionalis sit in se indeterminata, determinatur tamen extrinsecè vel à puncto, vel á parte aliquota, cuius est vltimum: aut ab illa, quam immediatè præcedit, si negemus puncta intermedia.

19 Instabis: ergo Angelus potest durare in vna tantum parte proportionali: quia potest primo produci ante instans, & in instanti destrui. Concedo totum: neque in hoc Aristotelici debent cognoscere aliquid absurdi: si enim dantur hæ partes, quæ sunt ens indeterminatum, indeterminatè durans, & inclusum in parte determinata, & aliquota; cur non poterit dari ens determinatum durans tantum tempore indeterminato. Quæ autem diximus admissis punctis, possunt intelligi illis negatis, de partibus aliquotis, & earum vltimis, & primis.

20 Duo hic aduerto: primo, quod si res vltimo sit in parte proportionali post instans, non esse, primum post vltimum esse, erit in parte aliquota, sed inadæquatè sumpta, quod coincidit cum allata doctrina. Secundo, neque feliciter se ab his difficultatibus expedire, qui minima physica admittunt: prima enim productio non potest esse in toto minimo; aliter non esset tantum prima productio, sed conseruatio; ergo debet esse in parte minimi minore, & minore vel in puncto.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Explicantur iuxta sententiam Aristotelis rerum successiuarum inceptiones, & desitiones.

Possunt res diuisibiles permanentes tum intrinsecè tum extrinsecè incipere.

1 DIco primo, res diuisibiles, quarum partes sunt compossibiles, possunt incipere intrinsecè, tum in parte proportionali antecedente punctum, tum in puncto, tum in parte proportionali sequente punctum. Probatur; potest calor vel secundum se totum, vel secundum aliquid sui, siue id sit indiuisibile, siuè pars diuisibilis, aut aliquota, aut proportionalis, primo esse tum in puncto, tum immediatè ãte; vel post punctum: ergo potest intrinsecè incipere siue in puncto, siue in parte proportionali antecedẽte, vel sequente punctum. Rursus, potest calor vltimo non esse, quolibet ex dictis tribus modis: ergo potest incipere extrinsecè tum in puncto, tum in parte proportionali, quæ immediatè præcedit, vel sequitur punctum, quæ omnia intelligenda iuxta supradicta de inceptione Ageli.

Et tum intrinsecè tũ extrinsecè desinere.

2 Dico secundo, res permanentes possunt desinere tum intrinsecè, tum extrinsecè, tum in puncto, tum in parte proportionali puncto immediata, siuè antecedat, siuè sequatur: quia potest vltimo esse vel per se ipsam, vel per aliquod sui siuè diuisibile determinatum, aut indeterminatum; siuè indiuisibile quolibet ex tribus dictis modis: ergo potest in quolibet illorũ intrinsecè desinere. Rursus, potest primo non esse quolibet ex dictis modis: ergo potest in quolibet illorum extrinsecè desinere: quæ omnia intelligantur cũ limitationibus, & explicationibus sectione præcedente positis.

3 Illud hic aduerto, me in presenti non defendere absolutè posse qualitatem, quæ successiuè producitur, primo esse per aliquam partem proportionalem sui; ita vt initio suæ productionis tantum sit pars proportionalis. Solum igitur defendo, posse punctum, aut partem aliquotam, aut etiam proportionalem, quæ aliundè non repugnant solæ produci, primo fieri in dictis puncto, & partibus.

Extenditur dicta ad res essentialiter successiuas.

4 Dico tertio; entia essentialiter successiua possunt vtroque modo intrinsecè, vel extrinsecè incipere in dictis partibus, & puncto: nam suppositis supradictis, satis commode verificari potest de motu essentialiter successiuo, quod primo sit per aliquod sui, vel punctum, vel partem proportionalem, aut in puncto, aut immediatè ante, vel post punctum. Rursus verificari potest quod vltimo non sit in quolibet illorum: ergo potest tum intrinsecè, tum extrinsecè in quolibet illorum incipere: quæ omnia intellige iuxta supradicta.

Etiam non admissis punctis.

5 Hæc, quæ diximus admissis punctis, accomodari facile possunt illis negatis: possunt enim res, de quibus loquimur, incipere tum intrinsecè, tum extrinsecè in partibus proportionalibus spectantibus ad diuersas aliquotas, & præcedentibus, vel immediatè sequentibus aliam aliquotam. Quæ contra obijci possunt ferient sententiam Aristotelis: Illud hic aduerto pro eodem instanti vel parte, qua vna qualitas ex contrarijs secundum aliquod sui incipit intrinsecè, debere aliam, secundum quod opponitur incipienti, desinere extrinsecè: aliter vel simul essent qualitates oppositæ, si incipiente altera intrinsecè, altera desineret intrinsecè; vel si altera incipit, altera desinit extrinsecè, subiectum careret vtraque qualitate pro tempore, vel instanti.

Hoc negotium facilius est in sententia Zenonis.

6 In sententia Zenonis res est facilis; quodlibet enim potest desinere tum intrinsecè, tum extrinsecè: imo si intrinsecè desinit, necesse est, vt etiam extrinsecè desinat; & si intrinsecè incipit, opus est, vt extrinsecè incipiat: quia in hac sententia primum non esse determinatè precedit vltimum esse; & primum esse necessario, & determinatè sequitur ad vltimum non esse. Cæterum in hac sententia res indiuisibiles non possunt produci, nisi in instanti: nam si tempus est diuisibile, iam in prima parte, & puncto res indiuisibilis tota est producta; in reliquis ergo cõseruabitur: res autem diuisibiles habentes partes compossibiles possunt simul in instanti produci, vt lux; & successiuè per diuersas sui partes in diuersis punctis temporis. Idem sentiendum apparet in sententijs medijs, quæ cum aliqua limitatione non admittunt continuum, nisi compositum ex punctis.

7 Aduerto hic, posse agens præsertim validius producere indiuisibile intensionis extensum: nam cum primo applicatur, producit in aliqua parte diuisibili aliquam intensionẽ qualitatis, cuius partes, & diuisibilia debent vniri vnione indiuisibili quoad extensionem; quamuis vnio partium indiuisibilis sit etiam indiuisibilis quoad intensionem.

SECTIO TERTIA.

Vtrum qualitas successiuè intendatur, & extendatur?

1 CErtum experientia est, aliquas qualitates non solum successiuè extendi, sed etiam successiuè intendi: sentimus enim in tota manu plus caloris post aliquantulum temporis, quam initio approximationis ad ignem: sextus igitur gradus caloris, qui erat, in prima parte manus, paulatim extenditur ad secundam. Non quæro autem hic causam huius successionis, de qua dicam disput. sequenti; sed modum, quo fit: quærimus igitur, vtrum successiuè intendatur, & extendatur per partes aliquotas, an per proportionales tum sui, tum subiecti, tum temporis?

Potest qualitas in eadem parte proportionali tẽporis intendi per partẽ vel aliquotam, vel proportionalem.

2 Dico primo: potest qualitas successiuè intendi per partes proportionales, & aliquotas; ita vt in aliqua parte proportionali temporis aliquando producatur, supra antiquam qualitatem, in eadem parte subiecti, pars proportionalis qualitatis, quæ faciat quidem subiectum magis quale, sed non possit assignari quanta sit, sed erit minor, & minor: possit item in eadem parte pro-

por-

portionali temporis produci de nouo pars aliquota qualitatis.

3 Probatur: aliquando resistentia contrarij est adeo valida, & virtus agentis adeò remissa, vt non videatur ex vna parte posse impediri totaliter actio agentis, & ex alia nō videatur posse produci aliquid qualitatis determinatum: ergo satis probabile est, quod tunc producatur pars qualitatis indeterminata. Aliquando verò adeò vehemens est virtus agentis, & adeò exilis resistentia passi, vt statim intendatur qualitas: ergo signum est augmentum factum esse per partes aliquotas.

In parte aliquota temporis non acquiritur pars proportionalis qualitatis.

4 Dico secundo: in parte aliquota temporis non potest primo intendi qualitas per partem sui proportionalem: sicuti non potest qualitas, vt vidimus, per partem proportionalem sui primo produci in tota parte aliquota temporis.

Pars aliquota qualitatis, in aliquota temporis potest acquiri.

5 Dico tertio: intensio potest successiuè crescere in eadem parte aliquota subiecti per partem aliquotam temporis; ita vt in hac parte aliquota temporis adæquatè sumpta producatur pars aliquota qualitatis, quę cum sua successione totam partem aliquotam temporis, & omnes eius partes proportionales per suas partes item proportionales expleat.

6 Hæc in sententia Aristotelis; nam in sententia Zenonis potest qualitas successiuè intendi tum per additionem vnius indiuisibilis, tum per additionē pluriū: & successiuè extendi, tum per singula indiuisibilia subiecti in singulis punctis tēporis; tum simul eodē instanti ad plura indiuisibilia subiecti pro maiori, vel minori agentis virtute, & resistentia passi.

SECTIO QVARTA.

De continuatione successiua intensionis, & extensionis qualitatis.

1 QVæstio est, vtrum qualitas successiuè intendatur in eadem parte subiecti, & successiue extendatur ad diuersas continuè, hoc est sine interruptione?

In sententia Zenonis potest qualitas successiuè continuè extendi, et intendi.

2 Dico primo: in sententia Zenonis potest dari motus alterationis continuus quoad intensionem, & quoad extensionem, sed ad breuissimum tempus. Nullum enim est absurdum, si per decem instantia continua ignis extendat suam actionem in decem punctis, aut producat in eadem parte subiecti cum successione 10. vel etiā 1000. indiuisibilia qualitatis. Ratio autem est: quia agens toto illo tempore est applicatum, & potens extendere, & intendere suam actionem: ergo non est, cur illam interrumpat.

Sed ad breue tempus.

3 Hoc autem diu durare non potest: tum quia agens principale breui producet totam intensionem, quam potest; tum quia actio nonnunquam est ita exilis, vt non possit in secundo instanti produci ea qualitas in vigesimo puncto v. g. quæ sufficiens est ad extendendam actionē ad punctum sequens; & aliquādo euenire potest, vt actio in secundo instanti non extendatur ad totam sphæram, ad quam se extendit in primo: quia valdè imminuta est per reactionem contrarij virtus agentis: vndè potest quidem intendere qualitatem in partibus vicinis, non autem in remotis; ideoque non extenditur actio. Potest autem motus extensionis semel interruptus iterum resumi: quia post aliquantulum temporis possunt illæ partes remotę recipere intensionem sufficientem ad agendum in partes proximas sequentes.

Simili ferè modo potest discurri in sententia Aristotelis.

4 Dico secundo, simili ferè modo posse, probabiliter discurri in sententia Aristotelis, quod defendo cum limitationibus iam dictis. Probatur: certum esse debet in sententia Aristotelis non quamlibet partem qualitatis intensibilis minorem, & minorem sufficere ad producendum in subiecto extrinseco qualitatem similem: aliter actio deberet infinitè extendi, vt ita dicā, & lucerna exigua deberet totum aerem illuminare; quæ ratio efficacius vrget in qualitatibus non habentibus contrarium: in his autem, quæ habent contrarium, non quælibet parua intensio est sufficiens ad vincendum resistantiam contrarij: ergo non quælibet parua intensio est sufficiens agere.

5 Potest igitur agens initio suæ applicationis producere in passo adeò exilem qualitatem, vt non valeat aliquid qualitatis immediatè post producere in parte sequēti: & potest intendendo in ea parte qualitatem, simul cum illa extendere actionem ad partem sequentem: in quo secūdo casu actio successiuè intenderetur, & extenderetur sine interruptione. Rursus, potest adeò exilis esse qualitas producta in illa parte, & actio adeò debilis, vt tempore sequenti, licet intendatur, non ita tamen, vt valeat aliquid producere in parte sequenti: vndè necessario interrumpitur extensio qualitatis: quæ potest deindè resumi: cum in parte illa vltima producetur intensio sufficiens ad actionem. Præterea qualitas in illa parte producta potest tempore sequenti non intendi: quia in parte antecedente non est sufficiens intensio ad producendum in illa aliquid plus qualitatis. Deinde potest pars antecedens attingere gradum sufficientem ad producendam plus qualitatis in parte sequenti, & resumere interruptam intensionem.

6 Dixi, in sententia Zenonis actionem posse extendi continuè ab breuissimū tempus: quia si spatio vnius horę posset actio continuè extēdi, extenderetur ferè in immensum, & ad maius, vel ęquale spatium illi, quod eodem tempore sol pertransit? nam vnico puncto temporis sol nō conficit plus vnico puncto loci, & eodem modo pro quolibet puncto temporis ignis v. g. extenderet suam actionem ad nouum punctum loci, ob quam rationem neque intensio potest successiuè continuari, nisi ad satis breue tempus.

Etiā in sententia Aristotelis cōtinuatio actionis debet esse breuissima.

7 Idem proportionaliter dicendum est in sententia Aristotelis, quamuis res non sit ita clara: quia si continuè extenderetur actio, in qualibet parte proportionali horæ calefieret pars noua proportionalis subiecti, & in quali-

hac parte aliquota temporis pars noua aliquota subiecti; non minus quam in parte proportionali temporis sol conficit partem proportionalem spatij & in aliquota, aliquotam. Et quamuis infinitas partium hic afferat aliquam obscuritatem; tamen videtur seruanda proportio eadem inter partes proportionales cum proportionalibus, & aliquotas cum aliquotis, quæ inter puncta cum punctis sequatur.

Alteratio est aliquo modo continua.

8 Dico tertio, alteratio fit cum aliqua continuatione, ita vt donec cesset totaliter actio, semper, ac sine vlla interruptione producatur noua qualitas, vel in eadem parte subiecti, vel in diuersa. Probatur: toto hoc tempore supponitur in agente virtus, & in subiecto capacitas aliquid recipiendi, vel in se toto, vel in aliqua sui parte, siue hæc fuerit antecedenter alterata, siue de nouo alteretur: ergo alteratio fit continuè modo supra explicato. Ex quibus colligo semper fieri nouam intensionē, etiam si nō extendatur actio ad nouam partem subiecti, quæ fuerit intacta ab actione: nam tunc deberent ad minus intendi partes antecedentes; vt patet ex dictis. Illud hic aduerto, me non tam positiuè defendere hos modos intensionis, & extensionis continuæ, quam illos proposuisse, & vitandem ea absurda, quæ communiter obijciuntur.

Quomodo author defendat alteratam durationem.

Quomodo diffundatur sonus.

9 Obijcies: species soni producuntur primo ad certam distantiam; deinde magis augentur saltem extensiuè, nam sonus in partibus distantibus auditur non initio, sed paulo post: ergo sonus, qui primo non potuit producere species sui in subiecto remoto, producit illas tempore sequente, alter cur primo non producuntur in toto spatio, cum non habeant contrarium? ergo ista qualitas talis naturæ est, vt aliquando cesset ab actione, aliquando prosequatur illam. Transeat totum: hinc enim solum sequitur, quod actio illa non possit continuè extendi, ad longū spatium, non autem quod non possit ad breue. Quod si id ipsum tibi displiceat, non multum laboro: neque enim defendo omnes qualitates posse continuè extendi, sed aliquas præsertim ex habentibus contrarium. Cæterum de diffusione specierum suum alibi.

SECTIO QVINTA.

Vtrum qualitas possit extendi per nouas partes aliquotas, aut proportionales sui & subiecti.

Non potest continue acquiri noua pars aliquota subiecti pro singulis partibus proportionalibus temporis.

1 DIco primo, non posse actionem extendi continuè per horam v. g. pro singulis partibus proportionalibus illius ad semper nouas partes aliquotas subiecti & inter se contradistinctas: alter elapsa hora qualitas extensa esset per infinitas partes aliquotas subiecti, sicut infinitæ, seu non tot, quot partes, & quot partes proportionales horæ, in quarum singulis acquireretur noua pars aliquota subiecti. Dico tamen posse in parte proportionali temporis produci nouam extensionem determinatam qualitas, ita vt illa pars proportionalis sequatur immediatè, vel post punctum, vel post aliquam ex aliquotis: quod facilè intelligitur ex supradictis.

Sed bene possunt per aliquod tempus semper de nouo acquiri nouæ partes proportionales qualitatis.

2 Dico secundo: intensionem posse successiuè, ac continuè extendi per partes proportionales qualitatis, quæ faciant aliquam aliquotam in parte aliquota temporis, in quo seruaretur proportio inter partes proportionales qualitatis, & temporis: quarè sicuti partes proportionales vnius partis aliquotæ temporis, quamuis finitæ in infinitum, non constituunt nisi tempus valdè exile: ita partes proportionales qualitatis correspondentes non occuparent nisi subiectum valdè exile.

3 Difficultas est: vtrum possit extendi qualitas per partem proportionalem sui ad nouam partem proportionalem subiecti, ita tamen vt cesset actio. Ratio dubitandi est; quia sic iam pars proportionalis esset extra aliquotam. Probabile tamen mihi est, posse: quia hæc pars proportionalis produceretur in parte proportionali temporis vltimo constituente aliquotam: quarè sicuti pars proportionalis temporis facit vnā aliquotam cum antecedentibus; ita & pars proportionalis extensionis qualitatis constitueret vltimo aliquotam cum antecedentibus.

Potest primu produci pars proportionalis tum intensionis, tum extensionis.

4 Eodem modo nullum fortasse est absurdum, primo produci ab agente partem proportionalem extensionis qualitatis, dummodo non interrumpatur actio, donec attingat partem aliquotam. Idem dico de intensione, quia non daretur pars proportionalis extra aliquotam; sicuti partes proportionales temporis, quamuis successiuè fluant, non sunt extra aliquotam. Si autem deberet cessare actio, non puto posse partem proportionalem de nouo extendi: quia hæc pars noua proportionalis non constitueret vnam aliquotam intensionis cum qualitate producta in alio subiecto; neque cum producta in suo: quia in illo nullam supponimus aliam partes qualitatis: ergo esset pars proportionalis intensionis qualitatis extra omnem aliquotam intensionis.

5 Aduerto hic, Ouiedum *contr. 7. p. 7. n. 5.* docere alterationem continuè intendi in parte subiecti immediata agenti; quia in agente est virtus; ergo non est, cur actio interrumpatur; vnde concedit, tot partes proportionales produci in illa parte subiecti, quot sunt partes proportionales temporis, & quot partes proportionales spatij conficit sol; & in sententia Zenonis producentur totidem indiuisibilia. Cæterū cum actio intensiua in parte proxima non nimis duret, intensio non erit ita magna.

6 Obijcies cum Arriaga: prægrandis lapis trabi impositus illum frangit post multos annos; ergo signum est, quod aliquando cessauit ab actione. Respondeo, hic dari actionem, qua lapis producit in trabe impetum totum simul à principio, qui impetus causaret aliquem motū; verum hic motus localis statim cessat, quia virtus resistiua contrarij est omnino validior; quā-

nis

uis debilitata ex vetustate trabs tande cedat impulsui, & frangatur: nullum autem est absurdum motum aliquem interrumpi à resistentia contrarij, qua victa vel debilitata resumatur motus. Ob eamdem resistentiam contrarij, non ictu oculi, ignesit immensa trabs, aut deferuescit aqua calidissima.

SECTIO SEXTA.

De continuatione aggenerationis, & nutritionis.

Aggeneratio, & nutritio potest ad aliquod tempus continuè fieri.

1 EX dictis infero, aggenerationem, & nutritionem fieri continuè posse ad aliquod tempus, licet aliquando interrumpatur. Probatur. Quando augetur viuens acquirendo nouam partem materiæ, suppono perseuerare in illo multas partes alimenti non dum conuersas in eius substantiam; si enim nulla est huiusmodi pars cessabit aggeneratio ex defectu materiæ: iam verò pars illa cibi immediata parti de nouo animatę potest ita cum illa comparari, vt licet tunc quando primo illa animatur, ipsa non habeat dispositiones sufficientes ad formam viuentis, immediatè post illas habeat: pars enim antecedenter animata augetur immediatè post in intensione suarum qualitatum: ergo agendo in partem sequentem, potest illam vltimo disponere ad formam viuentis: ergo nutritio potest fieri sine interruptione, saltem pro aliqua parua mensura.

2 Aliquando autem pars cibi immediata parti de nouo animatę est adeò remissè disposita, vt nō possit immediatè post acquirere dispositiones sufficientes ad animam: vndè interrumpi debet aggeneratio. sicuti interrumpi debet, si in agente deficiant vires ad illam sufficienter disponendam pro tempore sequenti, vel adsit agens contrarium efficaciter impediens illam dispositionem, quæ ratio facilè applicari potest aggenerationi non viuentium.

In parte proportionali temporis potest acquiri pars aliquota materiæ.

3 Hinc infero secundo, in parte proportionali tēporis posse, per aggenerationē acquiri partē determinatam materiæ: quia licet in ea parte proportionali, imò in indiuisibili partes proportionales materiæ magis, minusquę distantes diuersimodè disponantur; possunt tamen omnes habere dispositionem sufficientem ad formam viuentis: dispositio enim sufficiens non consistit in indiuisibili: quod confirmatur ex prima generatione viuentis. Non possunt autem in singulis partibus proportionalibus alicuius partis aliquotæ temporis acquiri nouæ, & nouę partes aliquotę materiæ; aliter per horam acquirerentur infinitæ partes aliquotæ materiæ.

4 Obijcies primo: vltima dispositio ad quālibet aggenerationem partialem fit in instanti, & non successiuè: sed quælibet aggeneratio est simul cum vltima dispositione: ergo quælibet aggeneratio fit in instanti: ergo non successiuè, & continuè; aliter vnum instans esset immediatè post aliud; & totum componeretur ex puris indiuisibilibus. Maior probatur: in continuo non datur primum, & vltimum, nisi ratione indiuisibilium.

Indiuisibilia mixta partibus possunt aliquo modo continuari.

5 Distinguo maiorem: dispositio positiuè vltima est in instanti; concedo: præcisiuè vltimi; nego maiorem: & data minori de dispositione præcisiuè vltima, nego consequentiam. Dispositio vltima dupliciter potest accipi, primo positiuè; & in sententia admittente indiuisibilia constituitur per illud indiuisibile determinatū, quod terminat qualitatem; hæc aliquando fit in instanti, aliquando in parte proportionali temporis: multa enim indiuisibilia qualitatis producuntur in tempore simul cum qualitate; vnde quantum est ex hoc capite maior aduersariorum est absolutè falsa. Secundo dispositio est præcisiuè vltima: cum videlicet adest sufficiēns qualitas ad introductionem formæ, sed præciso termino; & hæc potest produci siuè in indiuisibili, siuè in parte proportionali. His adde, Lynceum putare punctum esse complementum extrinsecum dispositionis, illamque supponere completam ad productionem formæ: neque enim facit iuxta sententiam Aristotelis intensionem.

6 Dices hinc sequi in qualibet parte proportionali temporis produci suum indiuisibile: ex quo duo sequuntur; primum est vnum indiuisibile esse immediatè post aliud. Secundum, indiuisibilia fore infinita. Permissa prima consequentia; ad primum quod infertur dico quod sicuti vna pars proportionalis non immediatè sequitur determinatè ad aliam eiusdem aliquotæ; ita neque puncta partibus correspondentia. Ad secundum dico, fore infinita puncta eo modo, quo sunt infinitæ partes proportionales, quibus correspondent.

7 Vrgebis: supponamus dispositionem requisitam ad formam viuentis, vel ad quamlibet aliam, esse qualitatem maiorē qualitate vt quinque: tum sic: impossibile est formam produci ante completam dispositionem: sed immediatè post quintum gradum non completur dispositio: ergo tunc nō producitur forma. Minor probatur: quia post quintum gradum completur dispositio successiuè: ergo non est immediatè completa: neque enim potest simul res successiuè compleri, & esse completa; fieri, & facta esse. Nego minorem: ad probationem distinguo antecedens: dispositio completur successiuè in parte determinata; nego: indeterminata; concedo antecedens; & nego consequentiam: quidquid enim producitur supra quintum gradum, imo post illum, iam complet dispositionem, & tunc non habetur compleri dispositionem, quod est tendere ad complementum, sed ipsa completa dispositio, semper tamen in parte proportionali tēporis producitur vel aliquota qualitatis, vel proportionalis quæ cum antecedentibus, vel sequentibus faciat aliquotam.

8 Obijcies secundo: si posset motus augmentationis esse continuus per partes proportionales subiecti; sequeretur, quod materia panis ita attenuari posset, vt non remaneret habilis ad

formam panis; in quo casu simul illa portio deberet informari ab anima, & non successiuè; ac proinde non successiuè alteraretur subiectum; neque seruaretur quoad omnes illius partes difformitas diffusionis qualitatis. Nego vltimam consequentiam: quia in illa portione diuisibili potest vniformiter difformiter diffundi, qualitas, cum ea tamen intensione in singulis partibus, quæ sufficiat ad formam substantialem viuentis.

9 Obijcies tertio: augumentatio formaliter sita est in productione vnionis inter materiam antiquam, & nouam: sed hæc productio fit in instanti: ergo non potest esse motus continuus: aliter vnum indiuisibile esset immediatè post aliud contra sententiam Aristotelis, quam hic supponimus. Nego minorem: nam etiam indiuisibilia possunt produci in parte proportionali. His adde, in sententia Aristotelis, & admissis punctis continuatiuis, non esse absurdum, quod vnum punctum sit immediatè post aliud, eo modo quo partes proportionales cum sua indeterminatione immediatè inter se vniuntur; neque aliquod speciale absurdum est, admittere infinita puncta eo modo, quo admittuntur infinitæ partes proportionales. Illud, quod negare debent Aristotelici est, quod non possint pura puncta facere extensionem, idque intendunt illorum argumeta: non quod non possint dari puncta partibus mixta, quæ præsertim in successiuis habent eam immediationem, quam habent partes, quibus immiscentur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De conflictu qualitatum.

Egimus de causis, & circumstantijs actionis: agendum nunc est de pugna inter qualitates, quæ dicit plures actiones, quibus oppositæ qualitates se impugnant: multa autem præmittenda sunt de resistentia, quæ est veluti radix huius conflictus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit resistentia.

1 Resistentia est, qua vnum contrarium ad præsentiam alterius seruatur, & durat. Hanc dari in creatis est certum: non enim ad primam applicationem calidi statim perit totū frigus, sed perseuerat ad longum tempus, & ferrum cultro percussum non frangitur, nec laeditur.

Resistentia alia negatiua, alia passiua, alia actiua.

2 Diuiditur primo resistentia in negatiuam, quam alij formalem, alij passiuam vocant; & in actiuā: resistentia negatiua est incapacitas subiecti ad recipiendam formam, vt incapacitas Angeli ad calorem. Hæc propriè non est resistentia: non enim resistit, quod non potest vinci: quodlibet enim resistit, ne vincatur; quod verò est incapax actionis non potest vinci; ergo nec resistit.

3 Resistentia actiua est, qua resistens, agendo, minuit vires contrarij; adeoque impedit, ne actio cōtrarij in se sit validior, vnde diutius durat in eius præsentia. Resistentia passiua est qua resisteos nihil agendo seruatur illæsum vel ex toto, vel ex parte ad præsentiā contrarij. Vtraque autem alia est in actu primo, alia in actu secundo.

Alia in actu primo, alia in actu secundo.

4 Considerare igitur possumus in resistentia actiua, primo virtutem agendi, & imminuendi vires contrarij; secundo actionem; tertio perseuerantiam illius agentis, qui est effectus actionis, & consequenter etiam virtutis actiuæ. Virtus igitur actiua est resistentia actiua in actu primo; actio imminuens vires contrarij, est resistentia actiua in actu secundo; demum perseuerantia agentis est effectus vtriusque resistentiæ, & veluti victoria.

Perseuerātia est effectus resistentiæ.

5 Sit v. g. calidum vt octo, & applicetur niui frigidæ vt octo; in primo instanti applicationis calidum producit in niue duos gradus caloris, & nix in calido duos gradus frigoris per actionem, & reactionem. Illud igitur, quod producit duos gradus caloris in hac pugna, non sunt omnes octo gradus caloris; duo enim, qui nunc destruuntur, sicuti nunc non sunt, ita neque agunt; sed sex, qui perseuerant, & soli sunt resistentia actiua in actu primo potens imminuere, & actu per actionem imminuens vires niuis oppositæ: actio autem productiua duorum gradum caloris in niue est resistentia in actu secundo, seu actuale exercitium virtutis agentis resistiuæ, quo actu imminuuntur vires contrarij: quæ actio cum procedat ab illis sex gradibus, & eos supponat pro hoc instanti, non est ratio, quare nunc conseruentur illi sex gradus; sed imminuens nunc vires contrarij, est ratio, quare in instanti sequenti actio contrarij non sit validior, & qualitas, à qua illa actio nunc procedit, magis integra postea perseueret.

6 Dices: cur illa actualis perseuerantia non est actualis resistentia. Respondeo, quia actu resistere, est actu impedire actionem possibilē contrarij: actio enim impossibilis nec timetur, nec impediri debet: sed perseuerantia actualis non est impedimentum actionis possibilis contrarij: ergo non est actualis resistentia. Minor probatur: si illa perseuerantia esset impedimentum, res iam actu posita, & durans impediret, & exigeret, ne poneretur actio, qua actu destruatur: sed illa actio est impossibilis; posita enim existentia rei, impossibilis est actio, qua res eodem tempore destruatur; ergo illud esset impedimentum actionis actualis, quę esset impossibilis. Ex quibus infero omnem resistentiam, qua res resistit, ne corrumpatur, respicere tempus futurum: nunc enim, cum iam supponatur, implicat corrumpi.

Resistentia est ad perseuerandū tempore sequenti.

7 Ex his patet, primam victoriam, quæ habetur in instanti primo à qualitatibus, non esse propriè effectum resistentiæ; resistentia enim semper debet tempore præcedere victoriam, in quo tempore præcedenti tum agens, tum passum ha-

habent diuersas exigentias, passum se cõseruandi in tempore sequente, agens destruendi passum pro eodem tempore: si igitur agens, & passum non fuerint antecedenter applicata, sicuti id absolutè non exigunt, ita neque absolutè resistunt.

8 Dices secundo: exigentia caloris, vt conseruetur, & ne destruatur, est in tempore antecedente ad expulsionem caloris à subiecto: ergo expulsio hæc non est contra inclinationem caloris: nihil enim est contra inclinationem illius, quod actu non est. Distinguo consequens: non est contra inclinationem præsentem, concedo: contra præteritam, nego: sicuti enim hodie fieri potest contra præceptum extremum, quod nunc non est; ita, & contra inclinationem, quæ præterijt: qualitas enim per illam exigentiam præteritam veluti imposuit authori naturæ, dum aliud non obstat, obligationem conseruandi ipsã in tempore sequenti; cum præsertim Deus perfectissimè cognoscat vires, & efficaciam illius exigentiæ.

Effectus resistentiæ aliquando est præsens aliquando, futurus.

9 Potest præterea considerari alia resistentia inter duo agentia in ordine ad tertium subiectũ: sit v.g. ignis calidus, vt octo, & nix frigida itẽ vt octo; quorum vnus sit extra sphæram actiuitatis alterius; intercipiatur autem inter illa aliquod corpus spoliatum omni qualitate, quod sit intra sphæram actiuitatis vtriusque; iam ignis producens in illo medio quatuor gradus caloris impediet per suam actionem, ne nix se extendat vltra quatuor gradus frigoris. In hoc igitur casu resistentia in actu primo est virtus vtriusque causæ; resistentia in actu secundo vtriusque actio. Verùm hæc resistentia videtur terminata ad tempus præsens; dum per suam actionem, & virtutem exigit calor, ne nix vlterius procedat; neque supponit in priori conseruatam carentiã vlterioris actionis; at quando aliquis durat, & perseuerat, non potest in priori exigere durationem sui, & perseuerantiam; quia in eo priori vel non supponitur esse, & consequenter neque exigere; vel supponitur esse, & sic non potest exigere suum esse, & durationem, quam iam possidet.

10 Demum potest euenire casus, in quo habeatur talis resistentia circa medium sine vlla actione; vt euenit, si duo agentia æque valida applicãtur passo; in quo casu resistentia in actu primo est virtus vtriusque agentis; in actu secundo, est eadem virtus applicata: iam enim intellecta illa præsentia, intelligitur actu impediri actio vnius contra conatum alterius, oppositum intendentis, quamuis nulla intercedat actio in medium.

Quid sit resistentia passiua in actu primo, & in actu secũdo.

11 Resistentia passiua in actu primo est vis, seu forma informans subiectum secundum se considerata, quæ exigit ad præsentiam contrarij agentis conseruari; in actu autem secundo superaddit actualem præsentiam contrarij; cum nimirum aliquod impugnatur à contrario, & tales habet vires, vt exigat conseruari pro tempore sequenti ad præsentiam illius.

12 Hinc infero, Deum, quando agit vt author naturæ iuxta exigentiam contrarij validioris, non resistere formaliter: quia ex se non est determinatus ad illam actionem, neque illam exigit; sed operatur vt causa vniuersalis iuxta exigentiam secundarum: quarè non Deus conseruans ad præsentiam ignis calorẽ, resistit niui; sed ipse calor, qui est ad id determinatus, est & id à Deo exigit in instanti antecedẽte; quod si Deus contra exigentiam ageret; fortasse verè dici posset, quod resisteret.

Tota qualitas præsens resistit

13 Quæres primo: verum in subiecto calido vt octo omnes gradus caloris resistant frigori introducendo? Respondeo affirmatiuè; non enim est ratio, cur vnus præ alio resistat, cum omnes gradus sint similes. Confirmatur; licet defacto vnus tantum gradus sit expellendus; adhuc tamen illius expulsio est omnibus noxia; omnium enim vires debilitantur: ergo omnes resistunt: quaré cum introducitur primus gradus frigoris, frigus victoriam reportat non solum contra gradus caloris, qui expellitur, sed etiam contra omnes.

Resistentiæ formales non formaliter inter se pugnãt.

16 Quæres secundo: vtrum resistentia formalis vnius qualitatis pugnet cum resistentia formali alterius? Respondeo negatiuè; resistentia enim formalis pugnat cum ea resistentia, quæ machinatur interitum qualitatis; qualis solum est resistentia actiua qualitatis contrariæ. Non eodem modo se habent resistentiæ actiuæ, quarũ vna machinatur interitum alterius.

17 Quæres tertio; quomodo qualitates cõtrariæ se habent in resistendo? Respondeo primo, ex qualitatibus primis, in virtute actiua primum locum obtinere calorem; secundum frigiditatem; tertium humiditatem; quartum siccitatem: videmus enim passum facilius, & ad maiorem distantiã subiectũ alterari ab agente calido, quàm à frigido, humido, & sicco; facilius à frigido, quam ab humido, & sicco; facilius ab humido, quam à sicco.

18 Respondeo secundo, ex qualitatibus contrarijs posse vnam esse magis resistiuam, quam aliam: quia potest exigere diuturniorem durationem sui in subiecto, quàm alia: hæc autem maior resistentia passiua est ipsa qualitas incompossibilis cum alia, firmius hærens subiecto, quam opposita: eo modo, quo forma adamantis firmius hæret subiecto, quam forma equi.

Qualitas perfectior est, & magis actiua, & magis resistitiua quam opposita.

19 Respondeo tertio, si comparemus qualitates contrarias inter se, probabile est, eas, quæ sunt magis actiuæ, esse magis resistiuas; primo, quia sicuti ad maiorem perfectionem qualitatis sequitur maior vis actiua; ita & maior vis resistiua. Secundo si calor magis agit plus frigoris destruit, & si frigus minus agit, minus caloris destruitur: ergo calor, qui est magis actiuus, magis durat, & resistit: quia minus, & consequenter tardius destruitur: frigus verò, quod minus agit, minus durat, & citius cessat. Cum hoc autem bene cohæret, quod agens minus validum possit aliquid agere in magis validum; sicuti à pygmæo aliquid potest pati Gygas. Actio tamen semper est ab excessu maioris inæqualitatis: quia semper est à virtute superatiuã contrarij.

20 Vt-

Non sēper qualitas imperfectior absolutè vincitur

20 Vrgebis primo: ergo semper frigus vincetur á calore; ergo materia frigida, semper ignefiet. Distinguo primum consequens: si cætera sint paria; concedo: quia licet frigus totaliter non destruatur, semper tamen plus caloris producetur, quam frigoris: si cætera sint imparia; nego: potest enim frigus ob maiorem extēsionem, densitatem, & alias circumstantias, quæ iuuant, & impediunt actionem plus agere, & resistere. Ad secundam consequentiam dico, non semper calorem ignefacturum: tum quia non sufficit, sed requiritur etiam siccitas; tum quia inuenit aliquando in contrario validam resistentiam.

Vnde ignis facilius destruitur.

21 Vrgebis secundo: si calor difficilius corrumpitur, cur facilius corrumpitur ignis, quam aqua? Respondeo, quia igni per suffocationem, vel alio modo facilè materia aufertur, cui adhærens apud nos conseruatur. Terra sicca, quia ob densitatem resistit validius, rarius corrumpitur, quàm aqua; & morbi ex siccitate contracti difficilius curantur; quia auferunt humidum radicale, & constipant partes; vnde impeditur transmissio spirituum, & aliorum auxiliorum.

Agens, quod nō potuit in primo instātis vincere, perseuerātibus eisdē circumstantijs, neque potest in secundo.

22 Aduerto primo; agens, quod nullo modo in primo instanti potest vincere resistentiam passi, nō posse perseuerantibus ijsdē circūstantijs illam superare in secundo: quia idem manens, idem semper est aptum facere idem: neque potest huius rei assignari potior ratio. Exempla, quæ in contrarium adducuntur non sunt ad rem; quia semper aliquid destructum est in primo instanti, quod cum sit deperditum non potest vllo modo resistere pro sequentibus instantibus. Secundo quādo agens corrūpit ex octo gradibus caloris vnū, non applicari ad agendū in subiectum actu calidum vt octo, sed in illud, quod fuit vt octo calidum: neque debet coniungi cum illo octauo gradu. Tertio quando Aristoteles 2. *de gen. cap.* 8. docuit, calorem, & frigus esse qualitates actiuas, humiditatem, & siccitatem passiuas, locutum esse comparatiōe ad explicandam maiorem actiuitatem priorum supra reliquas: sicuti cum dixit nigredinem esse imperfectionem. Quarto, inter formas substantiales non esse propriè resistentiam propter earum indiuisibilitatē, ob quam non possunt motuo agere, & pati secūdum esse substantiale, & per aliquid sui perseuerare in præsentia contrarij agentis actione substantiali.

Inter formas substātiales non est rigorosa resistentia.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum resistentia sit causa successionis?

1 DE vtraque resistentia loquimur tum actiua, tum passiua; & quærimus, vtrum successio tum intensiua, tum extensiua in productione qualitatum ab illa oriatur? Quæstio autem non est cum successio oritur ex eo, quod agens per motum localem successiuè applicatur alijs, & alijs partibus subiecti: in hoc enim casu certum est successionem oriri quoad intensionem quidem ex maiori applicatione agentis ad easdem partes; quoad extensionem verò ex noua applicatione ad alias partes. Solum igitur quærimus, vndè oritur successiua intensio, & extensio qualitatis, cum non intercedit motus aliquis localis?

2 Dico primo, successio quo ad intensionem non oritur ex resistentia actiua contrarij. Probatur: resistentia actiua contrarij in actu primo est vis productiua qualitatis contrariæ, in actu secundo est actualis productio illius: sed neque vis productiua contrarij, neque actualis productio est causa successionis: ergo causa successionis non est resistentia actiua. Minor probatur: vis actiua exigit imminuere vires contrarij, actualis productio actu imminuit: hæc autem omnia saluari commodè possunt sine successione: ergo, &c. Minor probatur: per hoc quod imminuantur vires contrarij solum sequitur, quod contrarium non agat ita intensè, sicuti ageret integris viribus; non autem quod non producat totam eam intensionem qualitatis simul, quam producit successiuè: sicuti imminutis viribus agens luminosum adhuc simul producit totum, quod potest; quāuis minus, ac integris viribus.

Resistentia actiua non est causa successionis.

3 Dico secundo: successio intensiua in productione qualitatis oritur formaliter ex resistentia passiua contrarij: probatur: quia resistentia passiua est resistentia, qua vna qualitas petit perseuerare præsente alia contraria: sed hæc exigētia facit, ne qualitas contraria tota simul intendatur: ergo est causa successionis in intensione. Minor probatur: hæc exigentia facit, ne altera ex qualitatibus contrarijs tota simul expellatur: ergo facit, ne altera tota simul inducatur; aliter simul essent in eodem subiecto duæ qualitates contrariæ secundum gradus oppositos.

Causa successionis intensiuæ est contrarij passiua resistentia.

4 Dices primo: potest agens simul producere in secundo instanti duos gradus, & simul conseruare alios duos, quos produxit in primo: ergo poterit in primo instanti simul producere quatuor: ergo nulla est ratio successionis.

5 Dato antecedente; nego consequentiam. Ratio est: quia frigus, quod supponebatur ante pugnam vt octo, per omnes octo gradus exigebat à Deo cōseruari in præsentia contrarij, quādocumque impugnaretur; quæ exigentia est partim efficax, partim inefficax: quia in ordine ad conseruationem sex graduum est validior; quoad omnes autem inualidior contra exigentiam caloris contrarij: quarè in primo instanti producuntur tantum duo gradus caloris: sex autem grados frigoris, qui nunc existunt, exigunt conseruari ad præsentiam caloris, qui item exigit oppositum: verum hęc exigentia est eodem modo partim efficax, partim inefficax: quaré etiam in secundo instanti debet aliquid frigoris corrumpi; vires autem agentis, quamuis imminutæ, sunt tamen sufficientes ad aliquid caloris vlterius producendum contra renitentiam frigoris. Hoc autem optimè prouisum à natura est, vt nō illicò fiat mutatio substantialis, & agentia præsertim cognoscitiua sentientia se incipere altera-

rij,

ri, & disponi ad corruptionem, possint per fugam vim contrarij declinare.

6 Quamuis autem in secundo instanti calor conseruet duos primos gradus antecedenter productos; non ideo impeditur à productione noui gradus; quia habet integram virtutem, tum ad conseruandos duos antecedentes, tum ad producendum nouum sequentem: & frigus vt sex non resistit contra conseruationem duorum graduum; cum quibus benè componitur, sed contra productionem reliquorum: quare in secundo instanti calor non causat omnes illos gradus contra resistentiam frigoris, sicuti in primo; ideoque mirum non est, si in secundo instanti possit causare tres gradus; non in primo.

Si deest cõtrarij resistentia agens simul producet quantum potest.

7 Dicos iterum; agens est talis naturæ, vt non possit simul producere omnem qualitatem, sed primo primum gradum, deinde secundum, &c. & hinc oritur successio. Nego assumptum: agens enim nisi à passo impediretur, statim produceret totam qualitatem, quam posset; vt patet in agentibus, quę non habent contrarium. Confirmatur: aliquando agens habens contrarium, producit simul plus qualitatis, aliquando minus: ergo non est ex se determinatum ad productionem successiuam.

Resistentia passiua cõtrarij est causa, vt actio successiue extendatur.

8 Eadem resistentia contrarij facit, vt successiuè extendatur qualitas: si enim non adesset contrarium, statim calor produceret totū, quod potest in tota sua sphæra: ergo quod nō agat statim in vltima parte sphæræ, prouenit à contrario. Antecedens probatur: dum agens producit minus qualitatis in parte vicina, iam non potest ita extendere suam actionem, sicuti posset, si plus in illa produceret; sed quod minus qualitatis producatur in parte vicina, causa est resistentia passiua contrarij: ergo.

Cur sonus & species illius successiue extenduntur.

9 Obijcies: species soni, & ipse sonus nullum habent contrarium, & tamen successiuè extenduntur; nam prius auditur in partibus proximis, quam in remotis. Respondeo, id prouenire per motum localem aeris, qui secum defert species, vel sonum; nostra autem quæstio, vt dicebam, procedit independenter à motu locali.

SECTIO TERTIA.

Vtrum inter contraria detur actio, & reactio.

Explicantur termini.

1 PRæmitto primo: in conflictu contrariorum, quod est validius, & plus qualitatis producit, dici agens, quod infirmius, & minus producens, reagens; quæ igitur procedit à validiori, dicitur actio; quæ à minus valido, reactio. Præterea passum dicitur, quod recipit actionem validioris, quod verò minus validi, repassum: quarè passio erit actio recepta in minus valido, repassio in validiori: ergo in conflictu idem erit agens, & repassum; passum, & reagens; eadem actio, & passio; reactio, & repassio.

2 Præmitto secundo aliquando passum extensum per duos palmos v. g. non secundum se totum esse intra sphæram actiuitatis agentis, sed tantum secundum primum palmum, qui dicitur pars passa; secundus autem palmus, qui est extra sphæram agentis, dicitur pars non passa. Eodem modo non semper omnes partes repassi sunt intra spheram reagentis; quarè primus palmus repassi, qui supponitur esse intra sphæram reagentis, dicitur pars repassa; secundus verò palmus, qui est extra sphæram, dicitur pars non repassa. His positis, præsens quęstio est vtrum agens agendo aliquid repatiatur à passo?

Non omne agentes repatitur.

3 Certum autem est primo, non omne agens repati à passo: impium enim esset dicere, Deum agendo in creaturas, aliquid ab illis repati: & Angeli, dum cælum mouent, nihil patiuntur à cœlo, cum sint incapaces qualitatum materialium; quales tantum à cœlo procedunt.

Quod verificatur etiã de qualitatibus habẽtibus contrarium.

4 Quod etiam in qualitatibus contrarium habentibus verificatur: quia non semper, quod agit in passum est intra spheram actiuitatis passi: ergo non semper repatitur: rursus aliquando passum est adeo debile, & infirmum, vt non possit reagere in agens: & nisi tandem deueniamus ad aliquam partem passi, quæ non possit reagere in repassum, conflictus perpetuo duraret. Neque dicas conflictum desiturum, cum qualitas passi tota corrumpitur per actionem agentis: quia iam passum in eo vltimo instanti aliquid patitur, & non reagit; & agens aliquid producit, & nihil repatitur. His positis.

Agens aliquando repatitur.

5 Dico, agens, quod continetur intra sphæram actiuitatis passi, si hoc habeat intensionem requisitam ad agendum, aliquid repatitur ab illo. Est communis sententia omnium ferè doctorum contra Riccardum Suiset Anglum, qui ob difficultatem argumentorum, quæ infra examinabimus calculatoris nomen adeptus est. Probatur: experientia constat non solum ferrum candens immersum aquæ frigefieri; sed etiam aquā ipsam calefieri: ergo nō solum aqua agit in ferrū candens, sed aliquid etiā ab illo repatitur.

6 Probatur secundo: duo agentia contraria, alterum valdè calidum, alterum valdè frigidum approximata habent omnia requisita, vt mutuo agant, & repatiantur: ergo non est, cur impediatur hęc pugna. Antecedens probatur: vtrumque agens est alteri approximatum, vtrumque habet vires agendi in alterum, vtrumque est capax actionis alterius: ergo vtrumque habet omnia requisita ad agendum. Neque dicas actionē validioris impedire ractionem infirmioris. Contra enim est: actio validioris minuit quidem vires passi; non tamen illas omnino perdit: ergo poterit per vires residuas passum aliquid contra suum contrarium machinari.

7 Obijcies primo: statim ac frigidum vt octo applicatur calido vt quatuor, omnes gradus frigoris producũt in calido aliquid frigoris: ergo non potest in primo instanti applicationis calidum vt quatuor producere aliquid caloris in frigido: aliter deberet corrumpi aliquid frigoris, & consequenter non omnes gradus frigoris agerent. Antecedens probatur: omnes gradus applicantur ad agendum: ergo

go omnes aliquid producunt. Nego antecedens: ad cuius probationem nego item antecedens. Illi tantùm gradus agunt, & applicantur ad agendum in primo instanti, qui existunt: cum igitur non existant tunc omnes octo gradus, non debent omnes agere, & applicari. Non igitur dantur in conflictu quædam morulæ, quas admittunt aliqui, ratione quarum primo agit agens, & nihil repatitur; secundo agit tantum reagens, & nihil patitur: nam vt vidimus, etiam in primo instanti vtrumque contrarium habet omnia requisita ad agendum.

8 Obijcies secundò: virtus agentis debet superare resistentiam passi ex communi proloquio *actio procedit à proportione maioris inæqualitatis*: ergo passum, quod supponitur inferioris virtutis non potest reagere in suum contrarium; aliter simul esset inferioris, & maioris virtutis. Distinguo antecedēs: virtus agentis debet superare resistentiam actiuam passi, nego; passiuam, transeat: de sensu autem illius axiomatis aliquid dixi supra: tum nego consequentiā: quamuis enim virtus actiua vnius contrarij superet virtutem actiuam alterius, & resistitiua resistitiuam; ad actionem tamen sufficit si virtus actiua debilioris superet aliquo modo passiuam validioris.

10 Obijcies tertio, Aristoteles *secundo de partibus animaliū* docet, ignem non posse frigefieri; ergo non potest vnum contrarium repati ab alio. Respondeo, Aristotelem eo loco solum assignare discrimen inter ignem, & alia elementa, quod aqua, & terra quamuis frigida possunt sine corruptione intensè calefieri: ignis autem ob suam perfectionem non potest intensè frigefieri, nisi corrumpatur.

Ex actione, & reactione non sequitur, quod idem subiectum moueatur duobus motibus contrarijs.

11 Obijcies quarto: argumentum calculatoris: si agens agendo repateretur, idem moueretur duobus motibus contrarijs: consequens est absurdum: ergo, & antecedens. sequela probatur: sit calidum vt octo bipalmare, & frigidum item vt octo bipalmare, ita tamen vt tantū primus palmus vtriusque sit intra sphæram alterius: tum sic: In eodem instanti, quo passum reagit in partem repassi sibi proximam, producendo aliquid frigoris v.g., pars non repassa calidi aget in eandem partem repassam; quia videlicet pars non repassa habet omnes conditiones, vt agat in partem repassam; est enim illi dissimilis, & proxima: ergo pars repassa mouetur duplici motu contrario frigefactionis à passo, calefactionis à parte nō repassa. Idem argumētū fit de substantia ignis, quæ posset pro eodem instanti recuperare amissum calorē. Confirmatur: sit inter passum frigidum vt octo, & agens calidum vt octo corpus calidum, & frigidum vt quatuor; in hoc casu si daretur mutua actio, & reactio illud medium deberet simul calefieri à calore, & frigefieri à frigore: calidum enim, & frigidum vt octo non possunt vnum in alterum distans agere, nisi agendo in medium.

13 Retorqueo primo argumentum: non admissa reactione ignis agit in primum, non in secundum palmum niuis; peto ergo, secundus palmus niuis agit pro eodem instanti in primum sibi proximum, & iam dissimilem; vel non? si secundum? debes igitur etiam tu assignare rationem, cur in illis circumstantijs non agat, & solues tuum argumentum. Si primum? ergo primus palmus niuis mouetur duplici motu contrario.

14 Respondeo igitur, partem non repassam, & substantiam ignis pro eodem instanti nō agere in partem repassam producendo aliquid caloris: quia in his circumstantijs, & præsente contrario, non habent vim recuperandi aliquem ex amissis gradibus caloris; sicuti neque habent efficaciam illos conseruandi.

15 Instabis: pars non repassa, & substantia ignis habent in hoc casu vim producendi in passo vnum, vel duos gradus caloris: ergo habent vires sufficiētes producendi in parte repassa aliquem gradum caloris: gradus enim illi caloris omnes sunt eiusdem rationis. Confirmatur: pars repassa resistit non repassæ per vnum gradum; passum autem per longè plures: ergo si potest non repassa aliquid agere in passum, poterit à fortiori in repassum. Nego consequentiam: quia in passo pars nō repassa, & substātia ignis solū producunt vnū gradum caloris, & vniones longè pauciores, vel nullā partiū caloris intersecat: in repassa deberent produci cum illo gradu caloris longè plures vniones. Rursus passum sicuti impedit ne conseruetur calor præcedens, & habet vim producendi aliquid frigoris in repasso; quamuis nō habeat vim impediendi omnem actionem agentis in se; ita habet vim impediendi omnem actionem partis non repassæ in repassam, idque per frigus à se productum.

16 Ad confirmationem dico, parti non repassæ, & substantiæ ignis resistere, ne recuperent calorem amissum partis repassæ non solum gradum frigoris productum in illa, sed etiam omnes gradus frigoris existentes in passo; quod sicuti non totaliter vincitur; ita habet vires sufficientes aliquid agendi in repassum; & consequēter impediendi etiam quamcumque actionem incompossibilem cum actione sua.

17 Instabis secundo: passum agit in partem repassam: ergo, & pars non repassa poterit agere in partem repassam. Nego consequentiam: ratio ex dictis est: quia in passo supponitur virtus agendi in illis circumstantijs; ergo & destruendi aliquid qualitatis in repasso: ergo, & impediēdi ne pars non repassa, vel illam qualitatem conseruet, vel similem producat: operatur tamen aliquid pars non repassa, dum simul cum repassa agit in passum.

18 Instabis tertio: Non est ratio, cur in instanti cōflictus potius passum valeat contra exigentiam partis non repassæ producere vnum gradum frigoris; & non è contra, pars non repassa efficaciter non exigat conseruationem illius gradus caloris, qui deperditur. Respondeo, rationem esse; quia resistentia partis non repassæ non est ita magna, vt superari nullo modo possit

à paſ-

à passo contrario: quare non debet esse efficax in ordine ad omnes gradus: ergo bene possunt destrui aliqui gradus, cum plures conseruentur: maior autem virtus agentis non in eo sita est, vt valeat impedire omnem actionem passi; sed in eo quod eodem tempore plus qualitatis producat, quam passum.

19 Ad confirmationem principalis argumēti dico, corpus illud intermedium nunquam moueri duobus motibus contrārijs: nam vel supponis esse alicuius longitudinis considerabilis, & in hoc casu vtrumque agens aget in partem sibi proximam producendo aliquid qualitatis suæ: postea vero ignis cum parte corporis sibi proxima, quam calefecit, faciet vnum agens, & aget producendo aliquid caloris in alia parte corporis a se distante, & è contra nix cum parte eiusdem corporis intermedij, in qua produxit frigus, faciet vnum agens, & reaget in partem distantem: in quo nulla est motuum contrarietas. Quod si corpus intermedium sit adeo tenue, vt actio vtriusque agentis non possit in illo diuidi, dico agens validius tantum acturū in illud corpus, cum quo constituet vnum principium, & aget in passum. At si agentia supponantur æqualis virtutis, dico, nullum ex agentibus acturum in medium, sed medium vt calidum faciet vnum agens cum igne, & aget in niuem, vt frigidum faciet vnum principium cum niue, & reaget in ignem: nullum autem absurdum est, quod idem principium per diuersas sui qualitates efficiat diuersas operationes, & constituat diuersa principia.

20 Quæres, vtrum respectu partis repassę plus impediatur passum à parte non repassa, quā pars non repassa à passo? Respondeo, plus impedire passum à parte non repassa: quia maior est vis partis non repassæ, quam passi, & plus suę qualitatis pars non repassa exigit conseruari in parte repassa, quam qualitatis contrarię in eadē producat passum: hoc enim producit tantum vnū gradum frigoris; pars vero non repassa exigit in parte repassa conseruari septem caloris, & passum potēs alias producere in parte repassa tres, vel quatuor gradus frigoris impeditur à parte non repassa, ne producat nisi vnū, vel duos: pars autem non repassa impeditur á passo, ne vnus gradus caloris ex octo præxistentibus in repassa construetur.

SECTIO QVARTA.

De rarefactione, & condensatione.

Densum, et rarum nō prescindi à loco.

1 DEnsitas, & raritas non mediocriter iuuant, vel impediunt actionem, & reactionem: non incongrue igitur hic de illis agemus. Suppono autem non posse corpus fieri ex raro densum, vel ex denso rarum, nisi interueniat motus localis, & acquisitio nouæ præsentiæ: cum enim corpus ex raro fit densum, minus, cum autem ex denso rarum, plus loci occupet quam prius: quod fieri nequit sine motu locali, & noua præsentia. Quando autem primo producitur corpus rarum, vel densum, non intercedit vllus motus localis, qui necessario dicit subiectum præcessisse in alio loco; intercedit tamen necessario presentia: neque enim intelligi sine præsentia potest, quod corpus, magnum, vel paruum locum occupet.

Aristotel. rarum, densum concreto definit.

2 Definitur ab Aristotele rarum in concreto, *quod sub magnis dimensionibus parum materiæ habet*. Densum, *quod sub paruis dimensionibus multum habet materiæ*. Quæ definitiones sunt satis apertę, si aduertamus dimensionem, & mensuram quantitatiuam includere extensionem localem. Idem igitur est rarum habere sub magnis dimensionibus parum materiæ; ac habere exiguam materiam, & magnam extensionem: densum autem habere sub paruis dimensionibus multum materiæ, idem, ac habere magnam materiam, sed exiguam extensionem: quod clarè cernitur in oleo, quod calore rarefactum plus loci occupat, ac frigore constipatum.

Difficile intelligitur raritas, & densitas.

3 Non leuis autem est difficultas, explicare, quomodo idem corpus, v. g. oleum, inuariatum secundum suam entitatem, nunc sine bilocatione plus, nunc minus loci sine penetratione occupet? si enim sex partes olei modo occupent octo partes spatij, modo quatuor: ergo aliquæ illarū modo bilocantur, modo penetrantur: quæ difficultas diū torsit, & nunc etiam torquet philosophorum ingenia.

Non bene explicatur per maiores, vel minores vacuitates

4 Prima igitur sententia docet, corpus fieri rarum per quasdam vacuitates, ratione, quarum occupat maius spatium, in quantum extenditur ad plures partes inter se distantes: deinde exclusis vacuitatibus occupat minus spatij, & dicitur condensari: quia non est in partibus spatij inter se distantibus, sed proximis. Sed contra: quia inter vnam, & aliam partem corporis hæc sententia admittit spatium vacuum, à quo valdè abhorret natura: & si aer rarefit ad replendum vacuum, quomodo rarefactio sunt vacuitates?

Neque per productionem, & destructionē partium quātitatis.

5 Secunda sententia in rarefactione docet, produci nouas partes quantitatis, quæ per condensationem amittuntur. Sed contra, & peto quando in rarefactione producitur noua pars quantitatis, producitur ne noua pars materiæ? si affirmes? ergo iam admittis materiam corruptibilem, & generabilem. Præterea in noua portione materiæ de nouo producta debet admitti noua partio formæ substantialis, de nouo producta; quia materiam semper comitatur forma; & consequenter rarefactio formaliter erit augmentatio: quod non est facilè concedendum. si negas? redit difficultas; quomodo eadem portio materię inuariata modo sit sub parua quantitate, modo sub magna? Certè alterum sequi debet, vel quod plures portiones materiæ antecedenter informentur eadem portione quantitatis; vel quod post rarefactionem eadem pars materiæ informetur pluribus partibus quātitatis. Quod si dicas materiā nō habere partes: ergo est magna, quia subest magnæ quantitati; parua, quia parnæ: ergo non verificatur, quod multum, vel pa-

rum materiæ sit sub magnis, vel paruis dimensionibus.

Reijcitur bilocatio, & penetratio.

6 Eodem modò impugnantur, qui dicunt, destrui totam primam quantitatem, & aliam de nouo produci. Qui vero asserunt rarefactionem fieri per bilocationem eiusdem quantitatis; condensationem autem per penetrationem; succumbunt oneri, & admittunt id, quod vt absurdum communiter reijciunt doctores, & intendunt hic euitare.

Neque consistit in qualitate superaddita.

7 Quarta sententia docet, raritatem, & densitatem consistere in qualitate exigente, vt eadem quantitas, & materia extendatur ad maius, vel minus spatium. Hæc sententia displicet: quia illa qualitas non est formaliter rarefactio, & condensatio: non enim est forma, qua multum, vel parum materiæ est sub magnis, vel paruis dimensionibus; sed ad summum exigitiuè; remanet igitur explicandum, quid sit formalis rarefactio; quid formalis condensatio; & quomodo ex illa non sequatur bilocatio, vel penetratio absurda, qui est nodus præsentis quæstionis.

Neque fit per exclusionem, & inclusionem corpusculorum.

8 Quinta sententia est Nominalium, quos sequuntur Ouiedus, & Arriaga, docentium, rarefactionem fieri per intromissionem corpusculorum in corpus, quod rarefit, & per separationem localem partium eiusdem corporis; condensationem verò fieri per exclusionem corpusculorum extraneorum a corpore, quod condensatur; & per vnionem localem, & constipationẽ partium eiusdem corporis. Corpus igitur, quod pauciora corpuscula diuersæ rationis, & sibi nõ vnita, in se continet, est magis densum; magis verò rarum, quod plura huiusmodi corpuscula includit.

9 Sed contra primo: in hac sententia non verificatur, quod sub paruis dimensionibus sit multum materiæ, & sub magnis parum; sed quod eadem materia modo sit sub dimensionibus magis, modo minus diuisis. Secundo sequitur aerẽ esse densissimũ, si nullum habeat corpus admixtũ. Tertio, si aliqua magna materia in aula accendatur, adeo rarefit, vt frangat claustra vitrea, ad quærendum exitum: quæro, vnde ingressus est aer ad replendos adeò multos poros? Quod manifestius apparet in puluere nitrato, qui in cubilo vndique clauso, si accendatur, ita rarefit, vt omnia diruat, quò locũ sibi inueniat; certè hic nullus est aditus aeri, qui tam cito occurrat ad partes intimas. Præterea in eo priori, in quo rarefit puluis, non potest intelligi aer ingressus: aer enim ingreditur aperto iam fornice; apertio autem est in posteriori signo ad rarefactionem. Quod autem puluis rarefiat, patet: aliter cur tãto impetu parietes diruit? Quarto: spongia plena aqua esset rarissima, ac rarior, quàm cum est exiccata. Quinto: si aqua in vase, cuius orificiũ sit benè clausum, contenta, gelascat, frangitur vas, cuius fractionis commodior ratio assignari nequit; nisi quia cum aqua congelata occupet minus loci, debet aperiri aeri aditus, vt occurrat ad replendum vacuum. Hoc autem non est necessarium, si condensatio fiat per extrusionem corpusculorum: vacuum enim illud posset impleri corpusculis, quæ ex poris aquæ exiliunt. Neque dicas frangi vas ob temperamentum glaciei sibi contrarium; nam si fiat parua rimula, vnde possit ingredi aer, non frangitur vas, licet in summmo crescat congelatio: ergo fractio non prouenit à temperamento opposito glaciei.

12 Neque iterum dicas, frangi vas per motum congelationis aquæ: quia vel non est talis motus; vel non apparet quomodo sit causa fractionis: per illum enim non dilatatur, sed restringitur aqua. Quod si initio congelationis nõ frangitur vas, est; quia partes aliquæ aquæ initio rarefactæ, sufficiunt ad occupandum locum non ita magnum relictum ab alijs partibus, quæ incipiunt gelascere; quæ ratio cessat, post quam aqua perfectè gelascit; locus enim per congelationẽ tũc relictus est adeo magnus, vt nõ possint partes aeris, vel aquæ rarefactæ illud explere.

13 Non negauerim corpora hoc modo nonnumquam intumescere, vel restringi: verum id non verificatur in omni casu: neque ea est raritas, & densitas ab Aristotele hic definita, & philosophica, sed vulgaris, & impropriè dicta: sicuti valde impropriè locutus est Quiros confundens rarum cum molli, quod facilè diuiditur; densum cũ duro, quod diuisioni resistit. Æs igitur, & cera eliquata, si occupent idem spatium, quod concreta, sunt æque rara, vel densa. Partes item Corporis Christi Domini existentis sub speciebus Eucharisticis sunt quidem aliquæ molles, aliquæ duræ, non autem formaliter raræ, vel densæ. His reiectis,

Quomodo fiat rarefactio, & condensatio.

14 Dico solui omnes difficultates, quæ in hac materia occurrunt, si dicamus, rarefactionẽ formaliter fieri per hoc, quod eadem materia modo occupet maius spatium, quam antea; condensationem, si eadem materia modo occupet minus spatium, quam antea: hoc autem euenire affirmo per virtualem extensionem maiorem, vel minorem eiusdem quantitatis, & materiæ. Quod puto verum in vtraque sententia tum Aristotelis componentis continuum ex partibus in infinitum diuisibilibus; tum Zenonis non admittentis in continuo nisi pura puncta. Explicatur in sententia Zenonis: punctum physicè indiuisibile habet capacitatem occupandi nunc maius, nunc minus spatij; modo vnum indiuisibile loci, modo duo, modo tria; id autem formaliter præstatur per extensionem, seu vbicationem, quæ ita afficit punctum, vt modo illud constituat in vno puncto loci, modo in duobus, modo in tribus, &c; ita tamen, vt hoc progressu punctum non possit in infinitum extendi; idque ob suam limitationem; vt euenit etiam in spiritu, & animabus brutorum in sententia Thomistarum.

Explicatio locum habet in sententia Zenonis.

Etiam in sententia Aristotelis.

15 In sententia autem Aristotelis hæc materia determinata habet quamdam capacitatem, vt modo occupet maius, modo minus spatij; quã uis, quia in hac sententia non possunt sumi singulæ partes non inuoluentes alias, res videtur ob-

obscurior; cæterum hæc pars aliquota materiæ, & composita habet posse correspondere huic parti aliquotæ spatij, & maiori; ita vt voluti replicetur, quando occupat spatium maius. Attamen hæc materia determinata habet, & vt non posse infra tantum spatium restringi, neque supra tantum dilatari: quod constat tum à posteriori, tum quia primum probatur ex partium impenetratione; secundum ex limitatione materiæ. Hanc sententiam tenentur defendere quicumque rarefactionem tuentur fieri per maioré extensionem, vt Hurtadus, & Comptonus: eidem fauet Oviedus, expressé autem traditur ab Alphonso.

Probatur necessitas virtualis extensionis.

16 Probatur: quia exclusa ea virtuali extensione non potest intelligi quomodo eadem materia nunc sit sub magnis dimensionibus, & rarescat modo sub paruis, & condensetur; ea vero admissa optime id intelligitur: ergo in vera condensatio, & rarefactio formaliter sita est in ea virtuali extensione, vel in actione productiua illius. Et sicut communis sensus fundatus in experientia nos cogit ad admittendam verá, & formalem rarefactionem; ita & ad admittendam dictam virtualem extensionem. Ceterum in sententia Zenonia probabile est, singula puncta locari per singulas vbicationes realiter indiuisibiles, sed virtualiter extensas. In sententia autem Aristotelis partes vbicantur per vbicationes in infinitum diuisibiles proportionatas partibus: puncta autem vel non dantur, vel cõgruentius est, vt locentur per vbicationes proprias, iuxta ea, quæ docuimus in physicis, & formaliter indiuisibiles.

17 Formalis igitur condensatio, & rarefactio sunt illæ vbicationes magis minusque virtualiter extensæ. Causa autem rarefactionis per se est calor; sicuti condensationis est frigus, vt patet experientia; quamuis per accidens calor rarefaciens vnum corpus, pellat aliud, illudque condenset, & restringat ad minorem locum per motum ab impulsu procedentem. Rursus frigus, dum condensat vnum corpus, est causa, vt corpora vicina sequentia ad occupandum vacuum, rarefiant; vnde patet etiam impulsum, & motú esse causam rarefactionis, & condensationis. Quod si corpus rarius facilius diuiditur; id est, quia extensiones virtuales, quo sunt maiores, eo minus resistunt impellenti, & partes magis distant. Cæterum vnum indiuisibile virtualiter extensum non potest secundum aliquid sui esse intra sphæram actiuitatis, & secundum aliquid nó esse; cum non habeat aliquid, & aliquid: & de eo dici potest, quod de anima rationali omnes in similibus casibus tenentur dicere.

18 Vrgebis: ergo puncta, & corpora bilocantur; cur igitur non poterunt penetrari? Respondeo hanc non esse bilocationem, quæ necessario dicit, quod corpus sit in loco maiori se, hoc est in loco, quem impotens est naturaliter occupare, quod non euenit in casu nostro: supponimus enim in illis corporibus vim occupandi nunc maius, nunc minus loci. Neque hinc inferas; ergo saltem poterit res immediaté vbicari per duas vbicationes adæquatas æquiualentes vni maiori, cuius res sit capax, ne id inferas; quia vni rei vna determinata debetur vbicatio; & causæ exigentes maiorem illius extensionem, exigunt vnam vbicationem determinaté maiorem: quod confirmatur ex vbicatione Angeli: cum nego consequentiam; penetratio enim repugnat corpori.

19 Illud hic aduerto primo, Angelos non rarefieri, vel condensari; quia non habent multum, vel parum materiæ sub magnis, vel paruis dimensionibus, quæ locutiones supponunt subiectum esse diuisibile, ideoque neque punctum propriè rarescit, vel condensatur. Secundo, neque rarefieri rem replicatam: quia non est parū materiæ sub magnis dimensionibus, sed sub pluribus paruis dimensionibus. *Angeli non rarescunt.*

20 Quæres primo: cur corpora dura difficilius rarescunt? Respondeo, quia sicut tenacius retinent vnionem suarum partium; ita tenacius resistunt, ne partes plus extendantur; illa enim extensio disponit ad diuisionem. *Cur dura difficilius rarescunt.*

21 Quæres secundo, cur gelu densum supernatet aquæ? Respondeo, quia est leuius; caret enim maiori humiditate; terra autem magis grauitat ex frigore, & densitate partium: sed profecto sunt aliæ qualitates occultæ harum experientiarum causæ, quas ignoramus: non est autem improbabile, quod docet Quiros, aliquando densitatem, & raritatem fundari in ipsa rei substantia; vt in adamante, qui etiam variato temperamento perseuerat cum eadem densitate; aliquando in temperamento primarum qualitatū, si non supponatur raritas fundata in substantia. *Cur gelu supernatet*

APPENDIX.

Nonnulla, quæ spectant ad qualitates, & illarum productionem.

1 Qveres primo: vtrum qualitates habeant terminum intensionis, & remissionis? Respondeo, nos hic non loqui de termino extensionis: certum enim est qualitatem non posse extendi vltra subiectum, quod informat; sicut autem subiectum potest in infinitum extendi, ita & qualitas. De termino igitur intensionis, & remissionis communiter docent illum inesse qualitati, quem numero octonario graduum circumscribunt, eamque appellant summam intensionem. *Qualitates habent terminum intensionis*

2 Ratio autem primo est: quia agens productiuum qualitatis habet limitatam, & finitam uirtutem: ergo non potest qualitatem magis, & magis in infinitum usque intendere. Secundo, forma substantialis producenda, est limitata: ergo requirit dispositiones limitatas, & finitas: ergo qualitas, quæ ex natura sua est dispositio ad illam formam, ex natura sua est limitata, & finita. Tertio subiectum, quod defacto datur, est limitatum in ordine ad recipiendas tot partes qualitatis, & non plures; cum ordinetur ad re-

das formas, ad quas disponendum est per intensionem determinatam qualitatis. Ex quo probabiliter infertur ex suis intrinsecis qualitates, saltem quæ defacto dantur, habere terminum intensionis: cum ex suis intrinsecis respiciant hæc agentia, hanc materiam, has formas.

Et remissionis.

4 Probabile item est, qualitatea, præsertim non habentes contrarium, habere terminum intrinsecum remissionis. Ratio est: quia agens producit in vltima parte suæ sphæræ determinatam intensionem qualitatis, & vlterius non extendit actionem ad intensionem minorem in sequenti parte subiecti; ergo probabile est, illam minorē intensionem non esse saltem naturaliter possibilem: aliter cur vel à principali agente, vel à qualitate iam producta in vltima parte sphæræ non potest produci minor intensio?

Ad actionem non requiritur extensio subiecti.

5 Quæres secundo: vtrum ad actionem agentium naturalium necessario requiratur extensio in subiecto? Quæstio est de indiuisibili separato. Respondeo, non requiri: quia agens naturale potest agere in puncta vnita partibus: ergo puncta secundum se sunt capacia actionis causæ naturalis: ergo si puncta separantur à partibus adhuc poterit agens naturale agere in puncta. Consequentia probatur: quia dum est virtus actiua in causa, & capacitas in passo; non est, cur impediatur actio. Neque requiritur vt passum assimiletur agenti in extensione; sicuti neque quod assimiletur in densitate, & similibus. Ex quamuis punctum separatum miraculosè existat, cum tamen, posito illo miraculo, adhuc perseueret in agente virtus, & in passo capacitas, non est, cur repugnet actio: sicuti si Deus miraculosè conseruaret meum corpus spoliatum omni forma substantiali, quis dicet, quod non posset calefieri ab igne; & similia pati?

IN LIBR. SECVNDVM ARISTOTELIS, *De Ortu & Interitu.*

DISPVTATIO PRIMA.

De Elementorum substantia.

1 EX corporibus corruptibilibus, & generabilibus alia sunt simplicia; quæ non constant admixtione omnium primarum qualitatum contrariarum, & dicuntur elementa: alia composita, quæ exigunt dictam primarum qualitatum admixtionem, & dicuntur mixta. Fusè ergo hic agemus cum Aristotele de elementis, nonnulla attingentes de mixtis.

SECTIO PRIMA.

De natura, numero, & situ Elementorum.

Elementi definitio.

1 ELementum cum Aristotele 3. de Cælo t. 31. est id, *in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus inest, aut potentiâ, aut actu; ipsum autem est indiuisibile in diuersa secundum speciem.*

Quodlibet totum resolubile in suas partes.

2 Pro intelligentia suppono, quamlibet rem diuidi in partes, ex quibus constat; & eo modo posse diuidi in alias res, quomodo illas continet: neque enim aliquid potest formaliter diuidi in partes, quas formaliter non continet. Sic quia materia non constat formaliter pluribus partibus essentialibus, non est formaliter diuisibilis in plures partes essentiales: & quia integraliter componitur, potest diuidi in partes integrales. Suppono secundo ex dicendis, elementa formaliter non esse in mixtis, sed tantum virtualiter, quia quodlibet mixtum continet omnes primas qualitates simul, quæ diuisæ in binaria reperiuntur dispersæ in elementis. His positis explico definitionem.

3 Dicitur primò, elementum, est in quod cætera corpora diuiduntur; quia omnia mixta tandem resolui possunt in elementa. Sed quoniam mixta non formaliter, sed tantùm virtualiter continent elementa; ideò tantùm virtualiter, & extrinsecè diuiduntur in elementa, cum nihil formæ substantialis mixti perseueret in elementis.

4 Dicitur secundò, in quibus inest actu vel potentia; & sensus est elementa esse in mixtis: loquutus autem est Aristoteles cum distinctione, quia voluit definire modum, quo elementa sint in mixtis. Tertiò ipsum autē est indiuisibile secundum speciem: & sensus est elementum non posse diuidi in plura eo modo, quo potest diuidi mixtum; itaut sub quolibet tantū sint duæ ex qualitatibus, quæ in mixto continebantur; neque item resolui potest in aliquod compositum, quod pauciores in se habeat qualitates. Tria igitur requiruntur ad essentiam elementi, primò vt sit corpus completum, per quod distinguitur à materia prima: secundò, vt omnia mixta ex ipso componantur, & in ipsum resolui tandem possint. Tertiò demum, vt ipsū sit indiuisibile modo supra explicato.

Quæ ad elementi cōstitutionē requirātur

Elementa sunt quatuor.

5 Circa numerum elementorum communis sententia docet elementa esse quatuor, nec plura, nec pauciora: experimur enim existentiā ignis, aeris, terræ, & aquæ; & præterea nō habemus experientiam alterius elementi, quod vtique utpoté magnæ molis res, & maximè sensibilis, deberet sui notitiam parere.

Aer supra terram, & aquam.

6 Circa situm elementorum dico aerem, vt docet experientia, exigere esse supra terram, & aquam: videmus enim aerem in terra visceribus inclusum magnos excitare motus, vt sursum prodeat; eodem modo aer infra aquam contentus ad superficiem bullis inclusus aduolat. Ignis verò habet propriam sphæram supra aerem; videmus enim ignem semper sursum ascendere supra aerem. Terra autem ex natura sua obtinet infimum locum; aqua verò supra terram naturaliter exigit commorari, ut colligitur ex illo *Gen. 1. Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida:* ergo in prima rerum productione, quando aqua erat in suo statu naturali, terram operiebat.

7 Quæres autem primò de figura elementorum?

Terra rotunda.

torum? Respondeo primo, terram esse rotundam; quia prius illuminantur plagæ orientales; ergo terra est rotunda, non plana: consequentia probatur; quia tumor terræ rotundæ impedit, ne radius solaris, qui non illuminat nisi corpora, ad quę a Sole potest duci linea recta, illuminet eodem tempore partes occidentales. Antecedens confirmatur: quia eclypsis Lunæ eodem tempore cognoscitur ab occidentalibus, ac ab orientalibus, simulque inumbrat utramque plagam, quia eodem tempore terra interponitur inter *Lunam*, & *Solem*; & tamen, ut narrant historiæ, quando apud nos Luna passa defectum lucis est hora prima, apud illos passa est hora secunda, vel tertia: ergo signum est, quod Sol duabus horis prius ibi oritur, & occidit. Hæc autem rotunditas non est ita perfecta, ut non admittat plures partes alias alijs prominentiores; quales sunt montes, & valles inter se comparatę. Hac ratio probat etiam terram esse in medio, aliter sua interpositio non esset causa eclypsis lunaris.

Rotunda aqua.

8 Respondeo secundo, aquam esse rotundam: soluentes enim à terra illus tandem intuitum amittunt: quia impediuntur aquæ tumore; accedentibus autem prius apparent montium cacumina, quàm planities terræ: si omnia essent plana semper deberet tellus equaliter apparere: quæ rationes probant etiam aquam, & terram non esse concauam, seu vallatam: aliter quo quis magis recederet à septentrione, eo magis videret signa arctica opposita, ut patet in illis, qui dum ascendunt colles, eò plura vident in partibus oppositis, quò magis progrediuntur. Sunt igitur terra, & aqua rotundæ, & efficiunt vnum globum, aer autem ex parte concaua, qua ambiat aquam, & terram videtur esse figurę rotundæ rotundus item erit ex parte conuexa; cũ omnes eius partes extimæ equaliter debeant distare à centro vniuersi. Vnde colligitur rotunditas ignis, qui si existat in sua sphæra, continetur infra Cœlum Lunæ rotundum, & supra aerem item rotundum; ergo ad replendum vacuum debet esse rotundus.

Rotundus aer.

Rotundus ignis.

9 Quæres secundo; vtra sit altior terra, vel aqua? Respondeo certum esse altissimos mõtes esse altiores fluminibus, quia per valles fluunt, & aquis marinis, quæ propè littus existunt. Quæritur igitur de toto globo terræ vtrum sit absolutè altior globo aquæ. Respondeo terrã esse altiorem aquis, quia flumina in mare influunt è terra *psal.* 23. dicitur *Ipse super maria fundauit eum*, & 103. *qui fundasti terram supra aquas*; & 106. *qui descendunt mare in nauibus*; qua omnia ostendunt mare esse terra inferius.

Terra est altior aqua.

10 Confirmatur vlterius, si mare esset altius terra, naues soluentes à littore deberent experiri magnam difficultatem, quia semper ascendunt, & ad littora accedentes magna facilitate ferrentur, vtpotè ex altiori loco descendentes.

11 Loca Scripturarum, præsertim Psalmorum, & Iob, quæ in oppositum afferri possunt, solum probant, Deum, initio creationis mundi iuxta rerum exigentiam terram creasse infra aquas, illisque vndique circumfusam; quod non præiudicat nostræ doctrinę. *Prouerb.* 8. dum dicitur, *quando legem ponebat aquis ne transirent fines suos*; commendatur Dei prouidentia, quod aquas terræ circumfusas in illius cauitates compulerit. Quod si nauigantibus, dum terram primo vident, apparet depressior; non est, quia ita sit, sed quia est coloris subobscuri, & atri, nec ita luci peruia, vt mare: atra autem claris circumfusa apparent profunda; ideoque pictores volentes exprimere profundum quid, id præstant per atrum colorem albescente circumfusũ. Non negauerim tamen, nonnullas terrę partes esse depressiores mare, vt est Ægyptus, & Belgium: hoc autem non infert absolutè terram esse depressiorem mari; illæ enim sunt nimis paruæ telluris partes, si cum reliquis comparentur.

12 Vrgebis: ergo aqua est in statu violento; quia ex natura sua petit, vtpotè leuior, terram operire. Nego sequelam; aqua enim esset in statu violento, si terram supra se sustineret; quod nõ euenit in casu nostro: re vera enim aqua est supra terram, quamuis illam totã non cooperiat. Hoc est quidem præter aquæ naturam, non tamen contra, si consideretur secundum se: si verò consideretur vt pars vniuersi, est etiam iuxta eius exigentiam; quia bonum totius appetitur etiam à singulis partibus: ad bonum autem vniuersi spectat terram esse habitabilem; ergo ne aqua terræ totam superficiem occupet. Rursus corpora fluida, præsertim aqua, & aer, videntur à natura etiam instituta ad occupandum vacuum ab alijs corporibus relictum: est ergo iuxta illorum naturam ad talem finem descendere.

Non ideo aqua est in statu violento.

13 Flumina descendunt: quia si starent, deberent aeri præminere: quod est contra aquarũ exigentiam, contra quam etiam videtur esse, quod premantur à terra parte aliunde non fulcienda. Aquæ minerales magno impetu erumpunt, cùm aperitur terra: tum quia forsasse violenter detinebantur infra terram: tum ob magnam copiam, & aliquam nouam rarefactionem, quam statim concipiunt: vel quia impulsæ ab aquis posterioribus, quà primum data porta ruunt.

14 In summis montium apicibus exiliunt aquæ non quia mare altius sit terra; sed quia, vt pelluntur per meatum maris in cauernas subterraneas, & magna aquarum copia illuc confluentium, cùm non valeant, sursum per montiũ meatus erumpunt: vel quia siderum virtute attrahuntur; vel quia leuioribus exhalationibus sursum feruntur; vel quia terra veluti spongia aquas ad partes superiores euocat. Benè tamen notat Arriaga hic *disp.* 4. *sect.* 4. aquam non erumpere ad replendum vacuum super montium apices; ad id enim sufficit aer.

Vnde aquæ in summis montium apicibus erumpant.

15 Alij dicunt, generari ibi aquas; sed si sermo sit de fluminibus non cohærent Scripturis sacris docentibus, *Flumina ad locũ, vnde exeunt, reuerti; vt iterum fluat.*

SE-

SECTIO SECVNDA.

Vtrum, & in quo loco sit elementum Ignis?

1 PYthagoras, vt refert Aristoteles 1. Cœli t. 76. collocabat ignem in centro terræ, & Iouis carcerem vocabat. Arriaga præter ignem, qui apud nos est nullum putat dari alium ignem elementarem. Alij apud S. Augustinum 2 *de Gen. ad litt.* docent nullum ignem præter cælestem dari, & ex hoc orbes cælestes conflatos esse affirmant, quæ opinio apud Ouiedum *quæst.* 8. *de gen.* placet cuidam Anonimo asserenti Solem, Lunam, & reliqua astra nihil aliud esse præsertim partes aeris, & ignis puriores valde densas. Communis tamen sententia docet dari elementum ignis supra aerem infra lunæ concauum: ratio esse potest, quia experimur flammas semper sursum pergere supra aerem; ergo signum est, quod eius locus sit supra aerem, & infra lunam; neque est alius locus, qui commodè igni tribui possit, ex quo benè infertur, quod ibi sit elementum ignis; Deus enim fecit hunc mundum perfectum ea perfectione, quam natura sua exigit, ad quam spectat habere omnes partes in locis proprijs, dum nihil obstat.

Ignis est tam quam in loco proprio supra reliqua elementa.

2 Neque audiendus est Quiros, qui ait, ignem sursum ascendere, quia sequitur fumum præeuntem, vt illo pascatur, sicuti descendit ad accendendam lucernam infra se positam: non est, inquam, audiendus, quia ignis sæpè præit fumum, cuius forma causatur ab igne; ergo non est pabulum ignis. Neque verum est, ignem descendere ad inflammandam lucernam, sed accendi totum medium dispositum ad concipiendum ignem.

3 Ignis supra reliqua alimenta in sua sphæra existens non vorat inferiora, quia est ibi valdè rarus, eiusque actio retunditur tam ab influxibus cælestibus, tum ab humiditate, & frigiditate aeris vicini. Non propterea est otiosus, quia et inferiora moderatè fouet, & complementum, atque mundi pulchritudinem complet, neque indiget pabulo: quia quiescit in suo centro, neque à validis contrarijs oppugnatur, non est igitur ibi, sicut apud nos subministratione pabuli detinendus, & conseruandus. Quod autem ignis ibi existentis lucem non videamus, prouenit, vel ex magna distantia, vel ex maxima ipsius raritate, qua caret noster ignis, qui & propter opacitatem, & propter maiorem crassitiem ex admixtione aliorum corporum, est aptior ad mouendum sensorium nostrum potentiæ visiuæ, sicuti est ad agendum aptior: sicuti aqua rara minus frigefacit, quam gelu.

4 Aduerto quod, sicuti rota, dum circumuoluitur, trahit secum partes aliquas adhærentes aquæ, sic cœlum lunæ trahit ignem, ac proijcit etiam in partes inferiores ignem adhærescentem. Ex quo videtur sequi posse, quod in aliqua parte ignis agglutinentur exhalationes inflammabiles, quæ faciant ignem similem nostro; vnde accenditur cometa. Demum sunt, qui docent, ignem à nobis videri, licet non possimus eius lucem distinguere, quia admiscetur cum luce stellarum, & cœlorum.

Materia cometarũ.

5 Obijcies primo, Auctoritatem Aristotelis 2. Cœli t. 42. asserentis, *Cœlum suo motu atterendo aerem, excitare calorem.* Respondeo non ideo inferri, quod Cœlum sit immediatum aeri. *In lib. Meteor.* docet. *Superiores distantias plenas esse aliquo corpore, igne vero impossibile, quia exiccarentur vtique alia corpora:* & addit *quod est sursum, & vsque ad lunam dicimus esse corpus alterum ab igne, & aere.* Sed Phylosophus solum voluit totam intercapedinem inter Cœlum, & terram non esse repletam igne; alioquin omnia comburerentur; sicuti neque ibi esse tantum ignis, & aeris, sed etiam aqua.

Mens Aristotelis

6 Obijcies secundo: ignis infra lunæ concauum raperetur velocissimo motu cœli; ergo semper esset in statu violento: quod esse absurdum patet, quia nullum violentum est durabile. Nego primo consequentiam, quia illo motu non dimouens ignem à suo loco, non esset ille violentus. Secundo, ille motus violentus non est durabilis, qui affert diminutionem virium in agente, vel passo, quod non euenit in casu nostro.

Ignis non violenter circumuoluitur.

7 Lubet hic assignare rationes aliquarum experientiarum circa ignem. Et primo ignis per suffocationem extinguitur: quia & flamma euolat, & impeditur attenuatio materiæ ad flammam requisita. Secundo cinis ignem conseruat, terra suffocat; quia cinis, & comprimit exhalationes, ne euolent, & cum constet particulis tenuissimis, inter quas mediat aer, non impedit attenuationem requisitam ad incensionem aliarum exhalationum, quinimò suo aliquali calore innato fouet calorem ignis, oppositum præstat terra. Tertio, lucerna flatu extinguitur: quia dispergitur flamma accensa, & comprimuntur partes accendendæ, ne acquirant raritatem requisitam ad accensionem. Quarto, vehemens flatus extinguens flammam propter allatam rationem, accendit carbones: quia simul spiritus accensos cohibet, ne euolent ita cito; atque adeo facit vt accendant etiam alias partes carbonis, quibus adhærent.

Rationes aliquarum experientiarum de igne.

8 Demum aliquid addendum hic est de aere, quem certum est esse supra globum aqueo terreum, & vel solum, vel simul cum igne, explere totum spatium interceptum inter lunæ concauum, & superficiem globi aqueo terrei.

9 Diuiditur communiter aer in tres regiones infimam, mediam, & supremam: infima incipit à superficie terræ, & extenditur ad eum locum, quo ita pertingit radiorum solarium reflexio, vt impediant nubium coactionem, in quo sensu intelligendus est Aristoteles, dum 1. meteor. c. 3. docuit fieri nubium congregationem, vbi desinunt radij solares. Cum igitur horum radiorum vis diuersis anni temporibus diuersimodè extendatur, & modo plus, modo minus; ideo hæc infima aeris regio non semper habet eandem latitu-

Tres aeris regiones.

Prima aeris regio.

titudinem, sed modo maiorem, modo minorem.

Secunda aeris regio.

14 Secunda regio est totum illud spatium, intra quod nubes concrescunt: & cum huiusmodi spatium sit infra cacumina altissimorum montium, vt de Olympo, & Caucaso affirmant Authores; altissimi autem montium non attollantur supra terram perpendiculariter ad quatuor passuum millia; inde fit secundam aeris regionem non extendi supra terram, nisi infra quatuor passuum millia: verum etiam hæc secunda regio est inæqualis non minus ac prima.

Tertia aeris regio.

15 Tertia demum regio obtinet totum illud spatium, quod inter concauum ignis, & secundam regionem diffunditur, vbi residentes halitus quidam crassiores sunt causa, vt radij solares noctu ad nos reflectant, & aliqua luce licet sub obscura fruamur.

DISPVTATIO II.

De primis Elementorum qualitatibus.

SECTIO PRIMA.

De essentia, existentia, & numero primarum qualitatum.

Definiuntur primæ qualitates.

1 DEfiniuntur primæ qualitates tangibiles, de quibus cum Aristotele loquimur; *quæ non ex alijs, neque ex se mutuo fiunt, sed ex ipsis oriuntur cæteræ.* Non fiunt ex alijs, quia nulla illarum oritur ex mixtione aliarum qualitatum. Potest igitur prima qualitas produci ab alia qualitate, sicuti calor à luce: neque fiunt ex sese, quia nulla prima qualitas oritur per se ex commixtione aliarum primarum qualitatum: sed ex ipsis oriuntur cæteræ; quia qualitates tangibiles, quas noscimus, & quæ fiunt ex commixtione aliarum, omnes fiunt ex commixtione primarum. Lux igitur, sonus, species intentionales, & regulariter actus vitales, quæ neque tangibiles sunt, neque fiunt ex commixtione primarũ; neque sunt secundæ qualitates, neque primæ; quia, reliquæ quæ fiunt ex commixtione aliarum, non fiunt ex ipsis.

Quatuor sunt primæ qualitates.

2 Iam vero quatuor communiter admittũtur primæ qualitates, calor, frigus, humiditas, & siccitas, contra nonnullos admittentes tantũ duas frigus videlicet, & calorem; vel etiam tres, calorem, humiditatem, & siccitatem; & asserentes frigus non esse qualitatem, sed carentiam caloris. At communis sententia probatur experientia, qua per tactum experimur non solùm calorem, & frigus, sed etiam humiditatem, & siccitatem. Quod autem frigus non sit

Frigus nõ est carẽtia caloris.

carentia caloris, patet, tum, quia, carentiæ non percipiuntur sensu, vt est communior opinio; tum quia nulla carentia producit aliam, aut impedit, & retardat productionem contrarij: frigus autem producit frigus, & retardat productionem caloris. Et sanè cur potius frigus est carentia caloris, quàm calor frigoris? Quando autem Aristoteles vocat frigus priuationem, solùm significat esse imperfectius calore;

Humiditas nõ est substantia humida, neq; siccitas illius carentia.

3 Ex quibus patet, non benè Arriagam docuisse, humiditatem esse substantiam fluidam, & siccitatem eius carentiam: quia aqua congelata retinet eamdem substantiam, ac soluta; & tamen non habet eandem fluiditatem, & humiditatem: ergo verè humiditas, & fluiditas distinguitur à substantia fluida, & humida; idem argumentum probat siccitatem distinctam. Confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, vbi destructa substantia panis, & vini perseuerat illorum siccitas, & fluiditas non minus, ac perseuerant reliqua accidentia. Quid quod homo habet partes humidas, & siccas distinctas, vtique ab anima rationali?

4 Vrgebis: humiditas ex vno capite non est actiua, ex alia verò non percipitur immediatè à sensibus: omnes enim experientiæ saluari possunt per corpora fluida intermixta: ergo non est cur distinguatur à substantia. Nego antecedens quoad vtramque partem: experientia constat humiditatem non minus, ac frigus, & calorem sensibus immediatè percipi. Rursus, certum est de nouo produci humiditatem; in quocunque tandem illa sita sit: ergo humiditas non est pura admixtio corporis humidi, sed aliquid, quod à corpore humido producitur. Et certè, dum aqua producit aquam, quis negauerit humiditatem producere humiditatẽ? quare falsum est corpora humida non humefacere, nisi peruadendo aliorum corporum poros? quamuis autem substantiæ humidæ peruadant nonnunquã aliarum substantiarum poros; falsum tamen est, non esse alium humectandi modum, nisi per hanc veluti irrigationem.

5 Confirmatur, quia aquilo exiccat corpora, quod non potest præstare purè excludendo ab illorum poris corpora humida: aliter exiccando hæc corpora, humefaceret alia; ergo verè per actionem alteratiuam producit siccitatem, & destruit humiditatem. Gratis autem conceditur Aquiloni frigidissimo vim resoluendi in vapores partem corporis humidi immixti, sicuti conceditur calori; neque vero calor, & frigus possunt æqualiter causare leuitatem; præterquamquod vapores eleuari non possunt, nisi amittendo magna ex parte humiditatem. Hinc patet, cur Aquilo exiccando vestes, non prius illas humefaciat, sicuti facit calor; quia videlicet calor resoluendo humorem, est causa, vt vestes appareant humidiores, dum sursum humor eleuatur; Aquilo autem exiccat producendo siccitatem: imò ex hoc diuerso modo exiccandi satis probabiliter infertur Aquilonẽ verè producere siccitatem.

6 Illud hic aduerto, gelu solui tum calore, tum superfusa aqua; quia calor destruit frigus necessarium ad congelationem; aqua autem superfusa necessariam pro eodem effectu siccitatem, qua partes consistunt.

7 Dices, cum tangimus corpora, propriè non sentimus humiditatem, & siccitatem, sed varias caloris, & frigoris temperies. Nego assumptum, quod æquè falsum est, ac illud cum

tan-

tang mus corpora propriè noo fentimus frigus, & calorem, fed variam temperiem fiecitatis, & humiditatis. Ratio autem eft: quia variata notabiliter frigiditate, & calore aquæ, adhuc experimur in illa fimilem humiditatem; idem dico de alijs corporibus. Quando igitur Ariftoteles dixit humiditatem, & ficcitatem effe qualitates paffiuas, folùm voluit fignificare, non effe ita actiuas, vt eft frigus, & calor. Multa argumenta, quibus aduerfarij impugnant allatam elementorum definitionem, folum probant primas qualitates effectiue procedere ab alijs, quod nobis non contradicit.

SECTIO SECVNDA.

Definiuntur fingulæ qualitates.

Definiuntur primæ qualitates in particulari.

1 CAlor communiter definitur cum Ariftotele *qualitas congregans homogenea, difgregans verò heterogenea*. Frigus *qualitas cõgregans tum homogenea, tum heterogenea*; quod expreffit empedocles appellãdo calorem litem, frigus amicitiam: homogenea autem dicuntur, non quæ funt eiufdem fubftantiæ; fed quę conueniunt in aliquibus qualitatibus præcipuè grauitate, & leuitate, mollitie, & duritie, & liquabilitate, quę conducunt ad motum expreffum per aggregationem, & difgregationem; in quo fenfu pix, & cera funt homogenea. Vapor autem, & reliquę partes aquæ heterogeneæ. Calor igitur congregat homogenea, & difgregat heterogenea, quia eliquando, & attenuando partes, eft caufa, vt omnia leuia furfum, grauia deorfum ferantur: vnde fequitur difgregatio grauium à leuibus; & grauium inter fe, & leuium inter fe congregatio. Hinc fi io eodem vafe veluti concreta, & permixta fint lapides, terra, pix, & cera; vi caloris diffoluta, lapides, & terra fundum, pix, & cera partes fuperiores petant.

Quid fit congregatio homogeneorum, et heterogeneorum.

2 Frigus autem conftipando partes, impedit, ne fiat feperatio; ideoque dicitur congregare tum homogenea; tum heterogenea. Aduerto autem has non effe propriè definitiones, fed defcriptiones traditas per effectus non primarios, fed fecundarios, & fortaffe minus claras rebus explicatis, quę immediatè patēt fenfibus.

Per accidens calor difgregat homogenea, & heterogenea congregat: ficut frigus nonnumquam per accidens difgregat.

3 Dices primo calor congregat heterogenea; & difgregat homogenea; frigus etiam nonnunquam difgregat etiam homogenea. Refpondeo per accidens hæc omnia euenire: fic calor, dum abfumit partes humidas, quibus cohærefcit, eft caufa, vt frangatur vitrum; & dum rarefacit nucleum caftaneæ, eft caufa, vt frangatur cortex. Rurfus congregat in venis humores, & in fornace metalla, fed priùs reddit illa homogenea quoad liquabilitatem, & fimiles qualitates. Præterea humores in venis permifcentur à fpiritibus, qui dum ob valent euolare, omnia fuo motu mifcent. cum autem fecta vena extrahuntur, euolantibus fpiritibus, quilibet ex humoribus obtinet fuum locum. Similiter virtute caloris lutum agglutinatur paleis, quia abfumpto humido iam obduratum lutum paleas conftringit: eodem modo partes lapillis per frigus addenfatæ feparantur ab alijs, quas fecum non valent trahere; & quia frigore pelluntur à membris fpiritus, diffoluuntur artus. Demum eliciuntur lacrymæ ab oculis, dum frigus partes internas illorum conftringit.

Definitur humiditas & ficcitas.

4 Humidum definitur cõmuniter cum Ariftotele, quod difficilè terminatur termino proprio, hoc eft difficilè confiftit propria figura: facile alieno, quia facillimè accomodatur alienę figuræ; fic aqua fe fola diffluit fin vafe contineatur, illico induit illius figuram: ratio, quia fluida maximè inferuiunt ad replendum vacuum; ergo debuerunt facile terminari aliena figura ad occupandos omnes angulos, & vacuitates. Siccum facilè terminatur propria figura, difficilè aliena; fic durus lapis quadratus diú retinet figuram quadrangularem: at difficile accommodatur figuræ corporis continentis. Per accidens eft, quod aer flante valido vento, & aqua fluminis, dum præceps fertur magno impetu, non valeant contineri alieno termino.

Quid fit facile, vel difficile terminari proprio, vel alieno termino.

5 Illud aduerto primo, in fingulis mixtis neceffariò admittendũ aliquid humiditatis, quę partes connectat: nam cum folum ficcum nimis confiftat, & folum humidum nimis diffluat; neceffe eft, vt mixtum conftans pluribus partibus vnitis ex vtriufque coniunctione refultet: quẽ admodum ex farina, & aqua fit panis. Secundo quod ex primis quatuor qualitatibus frigus, & calor funt, prima mixtiua, propter fuam actiuitatem: humidum autem, & ficcum prima mifcibilia. Tertio nos hic loqui de ficco, quod eft vnũ corpus continuum: hoc profectò difficile terminatur aliena figura, vt patet in vna arcula, & vno pulueris grano: cum quo benè cohæret, quod multa corpufcula ficca, & diuuocta poffint aliena figura terminari.

6 Hinc patet, primas qualitates non confiftere io effluuio corpufculorum: tum quia producuntur fine motu locali: tum quia frigefiunt, & calefiunt corpora denfiffima, quæ nullos habēt poros, in quibus admittãt illa corpufcula. Quod fi talia corpufcula in magna copia influant, poterunt fortaffe producere illas qualitates. Verum de his plura diximus l. 1. phyficorum.

7 Patet fecundo, Ariftotelem hic definijffe primas qualitates in ordine ad mixtionem: frigus enim, & calor actiue concurrendo ad illam congregationem, & fuperationem; humiditas autē, & ficcitas, veluti pofitiuè refiftendo proprię vel alienæ figuræ, iuuat non parum mixtionem. Illud etiam hic aduerto humori congelato opponi humidum io actu fecundo; humidum enim in actu primo, nempe fubftantia aquæ, inuenitur etiam in gelu.

SECTIO TERTIA.

Quæ qualitates, & in quo gradu conueniant fingulis elementis?

1 BReuiter dico, ignem effe calidum, & ficcum; aërem humidum, & calidum; aquã fri-

frigidam, & humidam; terram demum frigidam, & siccam. Et quidē de aqua, & igne patet experientia; terram esse frigidā patet ex cauernis, & partibus subterraneis, quò non pertingit actio solis; vel antiperistiei, quas partes constat esse frigidissimas: siccitatē eiusdē demōstrat tū Scriptura, quæ illam possim aridam vocat; tum experientia, qua videmus absumptis partibus humidis in puluerem dissolui; singula autem pulueris grana tenacissimè retinere propriam figuram, quæ sunt propria siccitatis.

2 De aere est maior difficultas; & quidem, quod non sit expers omnis qualitatis, vt volunt nonnulli docentes aerem eas qualitates habere, quæ ab agente validiore introducuntur; probatur, aer est vnum ex quatuor elementis, qui propria actione iuuat generationem mixtorum; ergo habet proprias qualitates, quibus materiam disponat ad mixtionem, sicuti reliqua elementa. Deinde videmus aquam in aerem conuerti præuijs quibusdam dispositionibus, quæ profectò erunt qualitates propriæ aeris.

3 Quod autem ex primis qualitatibus competant aeri calor, & humiditas, patet; quia hæc combinatio non conuenit alij elemento. Præterea, si dicas aerem esse frigidum, & humidum, erit aqua; si calidum, & siccum, erit ignis; si frigidum, & siccum, terra. Confirmatur aer facillimè terminatur termino alieno; ergo est humidus. Confirmatur de calore: quia aqua per actionē caloris attenuata conuertitur in aerē: ergo calor est propria dispositio ad aerem; ergo est accidens proprium illius. His adde oleum, & mel, quæ sunt naturæ aereæ, esse calida, & humida.

Elementa actu non possident integras suas qualitates. 4 Illud aduerto, elemēta de facto ad rectā mundi gubernationem non possidere suas qualitates integras, sed refractas; quò videlicet sint magis apta ad mixtorum productionem; ob quam etiā rationem ita localiter sunt disposita, vt non sint sibi proxima, quæ maximè opponuntur: ideoque inter terram, & aerem residet aqua media; & inter aquam, & ignem aer vtrique per diuersas sui qualitates affinis.

Ex quo soluuntur multæ experientiæ. 5 Aer igitur nunc non obtinet calorem debitum suæ naturæ; ideoque mirum non est si attractus refrigeret cor; dolores, & torsiones stomachi exciter; flabello æstiuo tempore commotus refrigeret, dum remoto calido, succedit frigidior. In secunda regione est valdè frigidus nō ex se, sed ab halitibus terreis, & aqueis, qui ibi residentes aerem ambientem infrigidant. Hic status aeris, licet violentus, est tamen perpetuus: quia semper durat actio violenta, nempe actio contrarij: violentum enim quod tandem cessat, est, cuius causa, vel subiectum deficit. Noctu frigescit aer actione terræ, & aquæ, quæ sunt ex se frigida: cum præsertim cesset actio reflexionis solaris: idem dico de oleo, quod non ex se, sed ab extrinseco frigefactum concrescit; telæ aeri expositæ per accidens exiccantur ratione caloris absumentis partes humidas, vel venti illas secum deferentis; aut demum ratione ipsius etiā humiditatis, quæ simul cum corpore humido deorsum proprio pondere defluit.

6 Instabis; si aer esset humidus, non verificaretur illud. *Iob 42. Si continuerit Deus aquas, omnia siccabuntur:* possent enim humefieri ab aere. Nego sequelam: non enim quiennque humor potest iuuare plantarum productionem, & nutritionem; sed aqueus qui facilè admiscetur terreo subtili, & fit aptus, vt ad radices applicatus cedat in nutrimentum plantarum. Rursus aer minus humectat, quam aqua: quia est minus densus, & habet admixta plura corpuscula sicca: at partes aquæ facilius adhærent corpori.

7 Iam verò communis sententia, quam sequor, docet alteram qualitatem conuenire suo elemento in summo, alteram in gradu excellēti: probatur authoritate Aristotelis t. 23. *Sed tamen, inquit, simpliciter quatuor existētia vnius vnumquodque est. Terra enim sicci magis, quam frigidi; aqua frigidi magis, quàm humidi; aer humidi magis, quàm calidi; ignis calidi magis, quàm sicci.*

8 Vrgebis; terra est summè grauis: ergo est summè frigida; sicuti ignis summè calidus, est summè leuis. Nego consequentiam: frigiditas enim terræ, licet non summa, causat summam grauitatem ob adiunctas qualitates densitatis, duritiei, &c. Neque enim omnes causæ effectuum oppositorum debent summè opponi; quia ignis summè leuis est siccus; & tamen terra siccior, nō est leuior, sed omnium grauissima.

9 Vrgebis iterū: ergo ignis habet non solum calorē, & siccitatē; sed etiam aliquid humiditatis: ergo non est corpus simplex. Distinguo antecedens; aliquid humiditatis a se expetitum, nego; aliunde habitum, concedo antecedens, & nego consequentiam.

SECTIO IV.

Vtrum qualitates symbolæ elementorum sint eiusdem speciei?

1 Qualitates symbolæ sunt, quæ eodem nomine vocantur; vt calor ignis, & aeris; frigus terræ, & aquæ. Huiusmodi igitur qualitates, est mihi satis probabile, esse eiusdem speciei: quia calor ignis auget calorem aeris: ergo calor ignis est eiusdem speciei cum calore aeris. Cōsequētia probatur: calor enim ab igne de nouo productus est eiusdem rationis cū calore præexistente in aere; aliter non faceret cū illo intēsionē: idē calor est eiusdē rationis cū calore ignis producentis: ignis enim non producit calorem diuersæ rationis à suo: producit enim calorem, vt disponat ad formam ignis similem suæ. Idem argumentum probat calorem cælestem esse eiusdem rationis cum calore elementari, & hunc cum vitali: vnum enim intenditur per actionem alterius. Probat item, ob identitatem rationis, reliquas qualitates symbolas esse eiusdem rationis inter se. Confirmatur, omnes calores eodem modo immutant sensum, & frigus eodem modo expellit omnes calores: aliter non omni calido timendum esset ab omni frigido.

Quomodo per accidens vna qualitas aliam symbolam destruat. Et eadem producat effectus specie diuersos.

2 Dices primo: calor febrilis extinguit calorem naturalem: ergo non sunt eiusdem rationis, sed opponuntur. Distinguo antecedens; extinguit per se; nego; per accidens; concedo; sicuti per accidens extinguit se ipsum; nam dum intendit calorem supra debitum temperamentū, dissoluit partes viuentis: & debilitat organa ad functiones vitæ, præcipue ad nutritionem destinata, aperitque poros, vnde turmatim euolant spiritus animales, & vitales, quibus destitutus homo moritur; & ante mortem plerumque præcedit extinctio omnis caloris, tum naturalis, tum febrilis saltem in partibus principalibus.

3 Eodem modo per accidens flamma lucernæ inferioris extinguit flammam superioris: quia sursum petens loco pellit flammam superioris, ac substrahit illi pabulum. Rursus paruus ignis nonnunquam extinguit maiorem: quia hic attrahit ad se fumositates crassas, quibus ille nutriendus esset. Præterea parua lucerna extinguitur in fornace propter motum flammæ fornacis. Similiter æstiuo tempore (si tamen vera est experientia) lucerna extinguitur calore solis: quia aer rarefactus, per motum fortasse subtrahit à pabulo flammam. Demum ventus extinguit candelam non carbones accensos: quia, vt supra dicebam, flamma per motum à vento procedentem facilè remouetur à pabulo: at partes subtiliores ignis ab eodem vento impulsæ ingrediuntur poros carbonis. Aduerto hic, quod non se solo calor naturalis concoquit cibos, sed adiutus alijs comprincipijs potest hunc, & alios inter se diuersos effectus producere: quod sufficit ad soluendum multa quæ afferunt aduersarij.

DISPVTATIO TERTIA.

De elementorum transmutationibus, & mixtorum compositione.

DEscendimus ad operationes elementorum substantiales, quas exercent, & inter se dum pugnando vnum in aliud conuertitur, & circa mixta, quę ex elementorum pugna nonnunquam consurgunt.

SECTIO PRIMA.

Vtrum vnum elementum possit immediatè conuerti in aliud?

Vnum elementū non potest aliud totum in se conuertere.

1 NOn est sensus quęstionis, vtrum vnū elementum, v.g. terra, secundum se totum possit conuerti in aliud v.g. in aquam: tot enim sæculis id factum non est; nec parum detrimenti ea vis afferret vniuerso, si concederetur elementis. Certum autem est experientia magistra, vt docet Aristoteles, vnum elementum posse in se conuertere particulam alterius.

2 Solum igitur quæstio est de immediata vnius elementi in alterum conuersione. Sunt qui docent, elementa symbola posse immediatè conuerti in symbola; non autem dissymbola in dissymbola. Elementa symbola sunt: quæ conueniūt in vna qualitate, quæ verò in nulla, dicuntur dissymbola v.g. ignis, & terra sunt symbola; quia conueniunt in siccitate; ignis, & aqua dissymbola; quia in nulla conueniunt.

Quodlibet elementū potest in aliud immediatè cōuerti.

3 Dico primo: quodlibet elementum tum symbolum, tum dissymbolum potest immediatè conuerti in aliud. Probatur, potest elementum dissymbolum agendo per ambas qualitates vincere ābas qualitates alterius: ergo potest in eius materiā immediatè formā sibi similē inducere. Si præsertim actio vnius elemēti sit valde velox, & efficax, & resistētia alterius valde debilis. Et sanè quis dixerit exiguā guttulam aquæ iniectā in ardentissimam, & vastam fornacem prius conuerti in aerem, tum in ignem? falsum autem est, quod assumit Arriaga, carbonis ignem immersum in aquam, totum conuerti in fumum, & nullam eius particulam in aquam immediatè mutari; sicuti etiam probabile est, plures particulas lapidum conuerti in aquas fluminum.

Cur hic transitus ab extremo ad extremum nō sit absurdus.

4 Transitus autem de vno elemento, dissymbolo ad aliud dissymbolum, etiam si non fiat trāsitus per symbolum medium, non est absurdus: neque enim transitus per symbolum medium est necessaria dispositio, vt attingatur dissymbolum extremum: sicuti in motu locali transitus per medium est dispositio, vt attingamus aliud extremum, cui non intelligitur applicatum mobile, nisi prius fuerit in medio. Præterea quamuis, vt ex aqua fiat ignis requiratur notabilis intensio caloris, & siccitatis, quæ non statim ab initio producitur; non est tamen necessarium, vt in tempore medio, quo successiuè producitur ille calor, & siccitas, antequam vltimo compleatur dispositio ad formam ignis, sit dispositio completa ad aliquam aliam formam substantialem, vel mixti, vel elementi.

5 Quando autem Aristoteles docuit, ignem non posse frigefieri; solum voluit, quod ignis nō possit conseruari nimis frigefactus; non autem quod materia ignis non possit per frigefactionem transire ad nouam formam substantialem; sicuti materia, quæ erat sub aere leui, induit grauitatem, quando amissa forma aeris transit ad formā terræ.

Possunt duo elementa congrediētur producere tertiū.

6 Dico secundo: in congressu plurium elementorum posse, produci aliud elementum distinctum á congredientibus. Probatur: potest ignis ita calefacere aquam, vt in illa permaneat humiditas sufficiens ad aerem; in quo casu ex aqua per ignem impugnata fiet aer: quin imo poterit ignis, agendo, ita superare frigiditatem aquæ, & aqua reagendo ita superare siccitatem ignis, vt vtrumque conuertatur in aerem; in quo casu neutrum vincet, sed vtrumque vincetur. Causa autem productiua aeris essent aliæ partes elementorum perseuerantes, & accidentia disponentia. Quod si aer supponatur in suo statu naturali calidus, videlicet in gradu excellenti, & summè humidus; ignis non poterit illum cōuertere nisi in ignem: quia non potest introdu-

cere

cere nisi siccitatem: quod non contradicit nostræ conclusioni, quia solum docemus, in congressu duorum elementorum, non semper, sed aliquando produci tertium elementum.

Quomodo verum est quod elementū in symbolū facilius, quā in dissymbolum conuertitur.

9 Quæres: qua ratione verum sit dictū Aristotelis facilius conuerti elementum symbolum in symbolum, quam dissymbolum in dissymbolum? Respondeo me non inuenisse aliquam rationem, quæ id vniuersaliter probet; quamuis ostendi aliquo modo posse, aliquando dissymbolum difficilius conuerti, ac tardius in aliud dissymbolum, quam aliquod symbolum in symbolum, si cętera sint paria, & præcisè consideretur pugna primarum qualitatum: probatur ignis v. g. vt conuertat in se aquam, debet in illam introducere tum calorem, tum siccitatem: calor autem ob suam actiuitatem facilè introducitur, difficile siccitas, quæ est parum actiua: impeditur igitur ignis à siccitate producenda, ne ita citò, & facilè in aquam introducat totam dispositionem requisitam ad ignem. Hoc autem impedimentum non experitur ignis, si agat in elementum terræ, in quod tantum debet introducere calorem, qui citò producitur à calore ignis valdè actiuo. Hæc autem ratio non militat respectu aeris eidem igni symboli, in quem ignis debet introducere siccitatem per actionem procedentem à propria siccitate nimis tarda in agendo. Quantū igitur est ex vi huius rationis dū æqualē difficultatem experietur ignis, & cæteris paribus, nō tantūdem temporis insumet ad cōuertendum in se aërem, ac terram; & quia nulla alia mihi suppetit ratio probandi vniuersaliter hanc diuersitatem conuersionis; ideo non est mihi vniuersalis regula, omne symbolum facilius conuerti in symbolum, quam dissymbolum in dissymbolum.

Non necessario symbolum facilius in symbolum, quā in dissymbolum cōuertitur.

10 Confirmatur, æquè facile vincitur vna qualitas ab vna qualitate, ac duæ à duabus, si cętera sint paria; & si forma substantialis aquæ dissymbolæ magis resistit, quam forma symbolæ terræ; simili modo forma substantialis ignis est magis actiua contra dissymbolum, quam contra symbolum.

11 Dices primo: post pugnam, dissymbolum debet per suam formam prius producere in se duas primas qualitates amissas in pugna, vt per illas possit agere in dissymbolum, symbolum tantum debet recuperare vnam qualitatem; sed facilius recuperatur vna, quam duæ qualitates; ergo facilius conuertitur symbolum in symbolū, quam dissymbolum in dissymbolum. Minor probatur; quia pluribus intentus minor est ad singula sensus. Nego minorem; nam si forma habeat virtutem pro vtraque qualitate; non est, vnde magis retardetur ad recuperandas duas, quam vnam. Et certè si nulla sit resistentia passi, æquè in instanti recuperabitur vna, ac dupplex qualitas; ergo multitudo effectuum, si supponatur virtus adæquata, non est causa tarditatis. Quod si in animalibus æquè facilè non exercentur duæ, ac vna operatio; ratio est; quia quando exercendæ sunt plures operationes, spiritus diuiduntur in plures partes; quare qualibet operatio non potest ita velociter exerceri, sicuti si spiritus omnes in vnam partem pro illa exercenda concurrent: quod non militat in casu de forma. Prætereà si plura pondera sunt sustinenda, plures spiritus insumuntur: quæ rationes nō habent locum in productione qualitatum.

12 Dices secundo elementa symbola communicantia in vna prima qualitate, communicant etiam in multis secundis: ergo in pugna minus resistit symbolum symbolo, quàm dissymbolum dissymbolo. Sed contra; quia densitas, & durities terræ magis resistit igni, quam illi resistat mollities, & raritas aquę: ergo qualitates secundæ symbolorū nō iuuant vniuersaliter actionē. Et ob id fortasse facilius conuertitur in ignem gutta aquæ, quam minimus lapillus. Cæterum contra Aristotelem stat Albertus, Marsilius, Niphus, quos sequitur Lyncęus *l. 8. phys. tract.* 1. c. 6. n. 26.

SECTIO SECVNDA.

De mixtione substantiali.

Datur mixtio substantialis.

1 Mixtio dupliciter accipi potest; primo impropriè, pro qualibet confusione plurium diuersæ rationis, etiam per meram localem approximationem; quomodo miscentur, Frumentum, & lolium; aqua, & vinum. Secundo sumitur propriè, & philosophicè pro generatione nouæ substantiæ ex pluribus substantijs inter se diuersis, & vnitis; ita vt ex materijs illarum substantiarum, quæ corrumpuntur, fiat vnum cōtinuum, quod informetur noua forma substantiali exigente omnes primas qualitates substantiarum, quę abiere, refractas tamen, non integras: quare, si aqua, & terra ita mutuo inter se agant, & patiantur, vt ambæ desinant, & ex illis fiat viuens, rana v. g. vt aliquando euenit, dum æstate pluit; ea productio erit mixtio. Hæc experientia probat dari mixtionē, de qua loquimur.

Definitur mixtio.

2 Mixtio in hac acceptione definitur cum Aristotele. *Miscibilium alteratorum vnio:* dicitur vnio, nōn quia formaliter est talis, sed quia est actio terminata ad vniendas inter se plures materias, quæ antea informabantur multis formis, ponendo illas materias sub vna forma noua: quare terminus huius actionis erit vnio nouę formæ exigentis omnes primas qualitates refractas, & vnio substantialis continuatiua plurium materierū. Additur miscibilium alteratorum; quia hic Aristoteles definit non quamcumque mixtionem, sed procedentem ex perfecta alteratione miscibilium, quæ proindè corrumpantur. Clarius fortasse alij mixtionem definiere: *Generatio corporis mixti resultantis ex pugna, & cōgressu contrariorū elementorū:* quod autē fit, & resultat ex congressu multorum, retinet sub se vnitas ad minus earum materias.

Nō omne mixtum generatur per mixtionem.

3 Hinc patet primò, quod non quęcumque mixti generatio est mixtio; sed modó explicata. Mixta igitur dicuntur; quia exigunt mixtionem omnium primarum qualitatum; ideoque

aqua calida non est mixtum; quia licet habeat, nō tamen exigit omnes primas qualitates. Illud autē Aristotelis *omnia mixta corpora ex omnibus composita sunt simplicibus.* verum est; tum quia pugna ad mixtionem praeuia, facta est virtute primarum qualitatum: tum quia in mixto de nouo producto remanent, licet refractae, primae qualitates, quarum veluti primi fontes sunt elementa; cum quo benè cohaeret, quod possit aliquando vnum mixtum fieri ex alio.

SECTIO TERTIA.

Quomodo elementa maneant in mixto.

Mixtū non est purum aggregatū elementorum.

1 Certum est contra nonnullos ex antiquis, mixtum esse ens substantiale vnum, & non merum aggregatum plurium elementorum, quae in minutissimas partes cōcisa iuxta ponātur; hoc enim modo de medio tollerētur omnes aliae formae substantiales, etiā animae rationalis; quod est impium. Praeterea nullum mixtum essentialiter differret ab alio: omnia enim constarent omnibus elementis modo dicto commixtis: nec forma vnius mixti posset conuerti in altam, cum omnes formae mixtorum essent eiusdem rationis.

2 Iam verò non desunt ex recentioribus, qui in mixtis praeter propriam formam admittunt etiam formas elementorum. Contrarium sentiunt S. Thom, Scotus, Suarius aliique non pauci, quibus videtur clarè fauere Aristoteles 1. de gen. t. 84. vbi docet, *Elementa in mixto nec actu remanere, nec penitus interire; sed saluas manere virtutes illorū:* quibus verbis non solum excludit modum, quo non remanent, nempe actu; sed etiam addit modum, quo remanent, nempe virtute.

Elementa tantum virtualiter manēt in mixtis.

3 Dico cum secunda sententia, elementa non formaliter per suas formas substantiales, sed tantum virtualiter per suas qualitates refractas remanent in mixtis. Probatur: quia nulla materia est saltem naturaliter capax habendi simul duas formas substantiales adaequatas, vt vidimus in physicis: cum igitur forma mixti sit adaequata, vtpotè adaequatè exigens suas proprietates & passiones in aliqua determinata specie, ac proprium temperamentum, sicuti per te exigit formas elementorum; nullus erit locus in eadem materia pro formis elementorum.

Explicatur Aristoteles.

4 Obijcies primo authoritatem Aristot. qui hic l. 1. de gen. t. docet: *Miscibilia in mixtione alterari:* quod signum est, quod iudicauerit nō interire: aliter potius debuisset dicere, miscibilia corrupta vniri. Verum Aristoteles expressè se declarat, dum docet, in mixtione miscibilia nec debere penitus interire, nec penitus perseuerare; quia remanent secundum materiam, & qualitatem, non autem formaliter, & actu; alteratio autem miscibilium non excludit illorum corruptionem secundum formam. 2. de caelo negans elementis propriam figuram, aliter mixtū ex illis compositum non posset indifferenter, & diuersimodè figurari; arguit ad hominem contra Democritum afferentem, omnia cōponi ex athomis tanquam ex elementis; athomorum autem figuras esse inuariabiles; vnde rectè infert, fore vt mixta non recipiant diuersas figuras. Demum 2. *de anima t. 29.* probans dari in viuente animā, vt contineat elementa, ex quibus componitur viuens: ne ob illius defectum soluta auolent ad loca sibi naturalia: agit contra Empedoclem asserentem, elementa esse in mixtis, & animam nihil agere; ex secundo autem rectè infert contra primum, elementa auolatura.

5 Instabis: Aristoteles vult guttam vini non misceri decem millibus amphorarum aquę; quia forma vini corrumpitur; ergo si forma elementorum corrumpitur; elementa non miscentur. Respondeo aquae guttam non misceri vino; quia ex ipsa corrupta, & vino non fit nouum tertium compositum; caeterum non puto absurdum substantias corporeas non elementares, & sublunares, non esse formaliter, sed tantum radicaliter mixtas, quia exigunt primas qualitates.

Cur gutta aquę non misceatur magno vino.

6 Obijcies secundo elementa manēt in mixtis, quod saluari nō potest, quia in mixtis manent primae qualitates refractae; non enim refracta sunt virtutes elementorū, sed integrę. Respōdeo, primas qualitates, quamuis refractas, esse virtutes elementorum, quia primario conueniunt elemētis, & mixtis dependenter ab elementis.

Quomodo saluatur elementa manere in mixto.

7 Obijcies tertio; sępè quādo pereunt mixta resoluuntur in quatuor elementa: ergo elementa sunt formaliter in mixtis: res enim resoluitur in ea, quae formaliter continet. Minor probatur. quando lignum comburitur resoluitur in ignem; in aquam, videlicet in humorē quēdā; in terram, videlicet in cineres; & in fumum āereū. Respondeo omnia illa non praecontineri, sed de nouo produci: quare lignum propriè non resoluitur, sed conuertitur in illa corpora, siue demum sint elementa, siue non; quod non curo.

DISPVTATIO IV.

De virtutibus motiuis elementorum.

Inter effectus elementorum nobis notus est motus, cuius causam, nempe virtutem motiuam hic explicabimus: ex motu autem naturali ad inquirendas causas violenti progrediemur.

SECTIO PRIMA

Vtrum dentur virtutes motiuae elementorum.

Inest elementis virtus motiua

1 Certum est, inesse elementis virtutem motiuam, qua natura sua tendant ad locum sibi connaturalem: videmus enim singula elementa extra suam sphaeram detenta, si absoluātur impedimentis; magno impetu loca sibi debita petere; terram deorsum, ignem sursum, &c. Hinc fit, vt intra coeli ambitum distingui possint

ſint duo loca, ſupremus prope lunam, & infimus, quod eſt terræ centrum: ea autem corpora, quæ à terra ſurſum petunt, dicuntur leuia: quæ verò ad centrum ex partibus ſuperis deſcendũt, grauia: virtus autem cauſatiua motus ſurſum dicitur leuitas, cauſatiua motus deorſum grauitas.

2 Hinc infero, male nonnullos dixiſſe ſingula elementa moueri per quamdam vim magneticam attracta à proprio loco, cui ineſt ea vis; male, inquam, quia vis magnetica diffunditur cũ quadam inæqualitate magis intenſa in partibus vicinis, minus intenſa in partibus remotis; ergo corpus graue debet incipere ſuum motum erga terram minus velociter, ſi fuerit in parte diſtantiori, ac in propinquiori: quod eſt contra experientiam. Præterea à vi magnetica facilius traheretur modicus puluis, quam ingens ſaxum.

... aliatur vis magnetica qua elementa ad propria loca trahũtur.

3 Quando autem Phyloſophus docuit, primas qualitates eſſe actiuas, non autem leuitatem, & grauitatem, loquutus eſt de actiuitate vniuoca. Cæterum licet elementa ab intrinſeco moueantur ad ſua loca naturalia, tanquam ad ſuum bonum; abſolutè tamen verum eſt, omne, quod mouetur, ab alio moueri; tum quia ille ipſe motus ab intrinſeco procedit etiam à principio extrinſeco, nempe Deo: tum quia virtus, qua elementum mouetur, data à Deo eſt.

4 Infero ſecundo; corpora mixta habere etiam propriam grauitatem, & leuitatem, qua pergunt ad loca ſibi naturalia; videmus enim cera regulariter ſupernatare aquis. His poſitis.

5 Dico primo, grauitatem, & leuitatem eſſe qualitatem distinctam à ſubſtantia corporum grauium, & leuium. Probatur, quia in Euchariſtia remanet grauitas, quam per ſenſum experimur non minus, ac quantitatem, & reliqua accidentia; & non remanet ſubſtantia panis, & vini. Vis huius argumenti confirmatur ex ijs, quæ de diſtinctione quantitatis à ſubſtantia diximus ... virtus autem progreſſiua animalis non eſt diſtincta ab eius ſubſtantia, ſi ſupponamus potentias animæ, identificatas cum ſubſtantia animæ. Cæterum argumenta, quæ probant diſtinctionem grauitatis, & leuitatis à ſubſtantia, non probant diſtinctionem potentiæ progreſſiuæ ab anima; aliter negabo potentiam progreſſiuam eſſe identificatam animæ. Confirmatur: in homine grauitas non poteſt identificari cum materia, quæ eſt indifferens ad grauitatem, & leuitatem; neque cum anima ſpirituali, quæ neque grauis, neque leuis eſt. Hanc confirmationem indicaſſe ſufficiat.

Grauitas & leuitas realiter diſtinguitur à ſubſtãtia corporis grauis, & leuis.

6 Dico ſecundo, grauitas, & leuitas diſtinguitur à temperamento primarum qualitatum; aliter variato hoc temperamento variarentur grauitas, & leuitas; & tamen videmus aerem frigidiſſimum non plus grauitare, quam calidũ: & ferrum candens eodem impetu ferri deorſum, ac frigidum.

Et à temperamento primarum qualitatũ.

7 Dico tertio, grauitas, & leuitas neque identificantur cum denſitate, & leuitate, nec ab illis vnicè oriuntur: probatur; quia denſitas dicit neceſſariò plures partes correſpondentes loco arctiori, raritas pauciores reſpõdentes laxiori: ergo res non habet ex ſua ſpecie grauitatem, & leuitatem; ſed quia plures habet vel pauciores partes; neque cuilibet parti conueniret per ſe eſſe grauem vel leuem, ſed ex accidentaria coniunctione cum alijs: ergo neque corpori conueniret ratione ſui eſſe in tali, vel tali loco, quod non eſt concedendum.

Et à denſitate, & raritate.

8 Quando igitur Ariſtoteles dixit, graue, & durum eſſe denſum; leue, & molle rarum; ſolum voluit, vt plurimum leuitatem coniungi cum mollitie, & raritate; grauitatem cum duritie, & denſitate. Charta autem percuſſa velocius deſcendit; non quia per denſitatem fiat grauior; ſed quia expelluntur corpuſcula leuia impedientia deſcenſum.

Mens Ariſtotelis.

Cur carta percuſſa velocius deſcendit.

9 Dico quartò, grauitas, & leuitas veluti innatæ, & propriæ (nam de aſcititia eſt alia ratio) oriuntur immediatè tanquam proprietates à ſubſtantia corporis mobilis: probatur, natura eſt principium motus, & quietis: ergo vel per ſe ipſam immediatè producit hos motus ſurſum, & deorſum; vel per virtutes immediatè promanantes ab eius ſubſtantia; ſicuti quia anima eſt principium actuum vitalium, vel per ſe ipſam immediatè producit actus vitales, vel per potentias in ipſa immediatè radicatas: & ſicuti potentiæ animæ diſtinctæ non oriuntur ex temperamento primarum qualitatum; ita neque hæ virtutes naturales, & motiuæ. Confirmatur; aliter ſicuti ſiccitas, & calor in igne ſunt cauſa ſummæ leuitatis; ita quis poſſet inferre, humiditatem, & frigiditatem aquæ eſſe cauſam ſummæ grauitatis. Deinde cur facta notabili mutatione ferri in calore, & ſiccitate, dum excandeſcit ingens ille calor nõ illico inducit in ferrum leuitatem? Quod ſi aliquando oppoſitum dixiſſe videor, meminiſſe debes, me tunc reſpondiſſe argumentis aduerſariorum id aſſumentium; quare id ipſis permittebam, non ex proprio ſenſu affirmabam. Obiectiones autem quæ in contrarium adduci poſſunt, facile ſolues ex dicendis.

Grauitas, & leuitas ſunt proprietates immediate fluentes à ſubſtantia corporis mobilis.

10 Quæres; verum detur aliquod elementum leue? nonnulli putarunt nullum eſſe elementum ſimpliciter leue; ſed omnia eſſe grauia; licet alia alijs grauiora: per hos igitur ignis ſurſum pergit non propter innatam leuitatem, ſed quia truditur ab alijs corporibus grauioribus; ideoque ille motus ignis ſurſũ eſt per ipſos aliquo modo violentus.

11 Dico tamen primo, ignem non eſſe grauem, ſed abſolutè leuem: Probatur; quia nos experimur, ignem violenter deſcendere non minus ac violenter ſurſum aſcendit lapis: non minus igitur concedenda eſt grauitas lapidi, quam leuitas igni. Confirmatur; quia igni debetur aliquis locus naturalis: ergo debetur illi virtus naturalis, qua remotus à loco proprio poſſit illum recuperare: locus autem naturalis ignis eſt ſupra reliqua elementa; ergo debetur igni virtus, qua naturaliter ſurſum moueatur, quæ non eſt niſi leuitas. His addes, cum flammatum lignorum faſcem

Ignis non eſt grauis.

ſtem manu tenemus, experimur vim in manu à flamma ſurſum pergente, non ab aëre ex parte inferiori trudente.

Aer naturaliter ſupra aquã aſcendit.

12 Dico ſecundo, aër habet naturalem virtutem, qua ſupra aquã aſcendit: Probatur; quia aëri debetur aliquis locus proprius, & naturalis; ſicuti habet temperamentum ſibi proprium, & propriam formam: ergo, & virtus naturalis, qua ſi remoueatur ab illo loco, poſſit eumdem repetere; ergo debetur illi virtus naturalis, qua poſſit ab aqua aſcendere. Et ſanè ſi aëri negas virtutem ſurſum aſcendendi ab aquis, cur concedis aquæ virtutem aeris trudendi? cur item aer truſus deferet ſecum aliquas particulas aquæ? & ſi aqua eſt grauior; & petit ſua virtute eſſe ſub aere; etiam aer eſt leuior, & petit ſua virtute eſſe ſupra aquam.

Aer lapillis, & terræ viſceribus incluſus vim patitur.

13 Dices primo: aer lapillis, & in terræ viſceribus incluſus, niſi rarefiat, non facit vim, vt exeat: ergo ſignum eſt, quod non habet vim ſurſum pergendi. Nego antecedens: licet enim nõ exiliat: quia non ſuperat vim reſiſtitiuam vnionis partium terræ, & lapillorum: ſi tamen id poſſet, ac ſecum etiam trahere alia corpora ad replendum vacuum, ex illis locis exiret. Terræmotus autem, procedentes ab aere, & igne terræ viſceribus incluſis, clarè indicant, hæc elementa vim facere, vt ſua loca obtineant.

Cur aer vtribus incluſus aſcendat ſupra aquas deſcendat per aerẽ, & quieſcat in terra.

14 Dices ſecundo: aer vtribus incluſus, ſi ſit ſub aqua, ſtatim emergit ſimul cum vtribus, ſi verò ſit ſub terræ viſceribus, vel in aliqua cauitate etiam aperta non ſurſum pergit, idque, quia ab aquis, non à terra truditur: ergo aer non aſcendit niſi detruſus. Nego ſecundam partem antecedentis: aer enim incluſus aſcẽdit ab aquis, non à terra; quia aqua facilius cedunt, & trahi poſſunt, quàm terra, ad replendum vacuum, & quod ſi cauerna ſit aperta non aſcendit aer incluſus: quia non poteſt aſcendere, niſi deſcendat alius aer non incluſus, vna autem pars aeris non pellit loco aliam, neque ſupra aliam eleuatur, cum non ſit leuior. Præterea aer incluſus vtribus impeditur, ne aſcendat ab vtribus, à quibus etiam determinatur ad deſcendendum violenter per aerem: vtres enim ſunt grauiores aere: ob eamdem rationem aer hoc modo incluſus non aſcendit ſupra aquam congelatam.

Aer naturaliter deſcendit ad replendũ vacuum.

15 Dico tertio: aer naturaliter deſcẽdit ad replẽdũ vacuũ. Probatur primò author. Ariſtotelis 4. cæli, vbi ex profeſſo agens de his virtutibus t. 39. concludit: *Quapropter ſi ſubtrahatur deorſum in id fertur, quod deinceps eſt collocatum; aer quidem in locum aquæ; aqua verò in locum terræ. Surſum autem in locum ignis, ſi ignis ipſe tollatur, aer non fertur, niſi vi.* vbi expreſsè docet aerem ſurſum trahi violenter ad occupandum locum ignis: ad differentiã modi, quo fertur deorſum ad occupandum locũ aquæ. Deinde videmus, quod, quando aperitur aliqua cauerna, vel puteus, faciliùs, vel æquè facilè deſcendit aer, ac terra; & aqua ad implendam illam cauitatem; neque quiſquã opus habuit aliquo inſtrumento ad trahendum aerem deorſum, ſed ſufficit, ſi illi locum aperiat: quod non euenit in igne, quem hîc apud nos detinere, niſi arte, non valemus; ideoque ſemper debemus illi ſubminiſtrare pabulum. Confirmatur; quando deſcendimus in aliquam cauernam non experimur difficultatem à tergo, quamuis ſequatur aer ad replendum vacuum: ergo ſignum eſt, quod aer non trahitur à nobis, ſed naturaliter accurrat.

16 Congruentia huius rei eſſe poteſt: quia natura, cuius opus eſt opus intelligentiæ, produxit duo elementa fluida, aerem, & aquam, quæ iuuarent motus locales aliorum corporum, qui in ipſis exercentur: ergo debuit illis prouidere virtutes naturales, quibus iuuarent hos motus; vna autem ex virtutibus eſt vis deſcendendi, ſequendo corpora, quæ mouentur, ne detur vacuum. Debuit etiam illis concedere virtutem aſcendendi ad ſua loca, quando non inſeruiunt ad impediendum vacuum; nulla autem fuit neceſſitas, vt aqua aſcenderet contra propriam gravitatem in locum aeris ad illum effectum, qui faciliùs potuit præſtari ab aere vicino. Neque eſt neceſſitas, vt ad ſphæram ignis aſcendat aer; cum enim ibi non debeant exerceri motus corporum, & animalium, nulla fuit neceſſitas, cur aeri daretur ea vis pro ratia euentibus; ſufficit enim ſi aer poſſit trahi ab igne, vel alio corpore.

Aer aliquo modo grauis, & aqua aliquo modo leuis.

17 Hinc patet primo, aerem eſſe ſecundum quid grauem; & quia deſcendit infra ignem, & quia naturaliter mouetur deorſum ad replẽdum vacuum: & ſecundum quid leuem; quia aſcendit ab aqua, & terra, ſi hæc poſſit ſequi: abſolutè tamen eſt leuior, quàm grauior, quia aſcendit ſupra duo elementa. Patet ſecundò, aquam eſſe ſecundum quid grauem, quia deſcendit infra ignem, & aerem; & ſecundum quid leuem, quia exigit eſſe ſupra terram: abſolutè tamen eſt grauior, quàm leuior, quia petit eſſe infra duo, & ſupra vnum elementum. Patet tertio terram eſſe ſimpliciter grauem, cui nulla competit vis naturalis aſcendendi.

Quomodo aqua, & terra reſpiciant idem centrum.

18 Dices: aqua, & terra reſpiciunt idem centrum: ergo non differunt in virtute motiua. Dato antecedente, nego conſequentiam: reſpiciunt idem centrum, & medium mundi; quia per lineas rectas, & eadem via, ſi non impediantur, tendunt ad medium: cum quo bene cohæret, quod virtus motiua aquæ determinate, & per ſe exigat ponere aquam ſupra terrã; quod repugnat grauitati terræ.

Hæ virtutes motiuæ ſpecie inter ſe differunt.

19 Ex dictis infero primo, omnes has quatuor virtutes motiuas differre inter ſe ſpecie, quia quamuis virtus tum aeris, tum aquæ conueniant in eo, quod ferant corpora, quibus inſunt, deorſum, ad implendum vacuum; tamen in eo differunt, quod virtus aeris habet per ſe ferre aerem ſupra aquam, quod non conuenit virtuti aquæ, quæ diuerſitas videtur notabilis, & ſpecifica.

Sunt qualitates ſimplices.

20 Infero ſecundo, illas virtutes eſſe ſimplices; ita ut non ſolùm ſit ſimpliciter grauitas cum nulla admixtione leuitatis, virtus motiua ter-

terræ, & sic simpliciter leuitas cum nulla admixtione grauitatis, virtus motiua ignis; sed etiam sic simplex qualitas sine admixtione alterius diuersæ speciei, virtus motiua aquæ, & aeris; neque enim vnquam videmus, aerem ita pinguescere, vt descendat infra aquam; neque hanc ita attenuari, vt naturaliter ascendat supra aerem. Confirmatur; quia cum hæ virtutes, vt probauimus, sint proprietates immediatè profluentes ab essentia elementorum; non est, cur admittantur diuisibiles, & permixtæ; sicuti non sunt permixtæ potentiæ vitales. Quando igitur dicimus aquam secundum quid grauem, & secundum quid leuem, non significamus mixtionem ex grauitate, & leuitate; sed effectus diuersos illius virtutis motiuæ aquæ, qui sunt partim similes effectibus grauitatis, partim effectibus leuitatis.

Cur vapores, & exhalationes ascendunt.

21 Dices; aqua virtute solis ita attenuatur, vt supra aerem eleuetur; idem euenit in exhalationibus terrestribus; ergo grauitas aquæ habet plures partes intensibiles, & remissibiles. Confirmatur: vapor ille, quando in secunda regione addensatus, acquirit pristinam grauitatem, & deorsum descendit: ergo leuitas illa destruitur per aduentum grauitatis. Hæc autem destructio non fit tota simul; quis enim dixerit grauitatem, & leuitatem totam simul destrui, ac produci, quando videlicet sunt dispositiones veluti completæ, & esse veluti formam substantialem, quæ tota simul producitur, cum complentur dispositiones.

Preter innatas admittendæ sunt leuitas, & grauitas aduentitia.

22 Nego consequentiam: sursum enim ascendunt vapores attenuati; quia producitur in aqua quædam qualitas motiua sursum vincens exigentiam grauitatis ad quiescendum in loco inferiori, & ad ferendum aquam deorsum, sicuti virtus impressa ferens lapidem sursum non destruit lapidis grauitatem, sed vincit eius exigentiam, quæ exigit quiescere, vel ferri deorsum. Ad confirmationem, nego antecedens: in quo falsò supponis aquam amisisse, & iterum acquirere nouam grauitatem. Quod si quæras, quomodo destruatur leuitas illa aduentitia? Respondeo, vel destrui, quia cessant eius causæ, à quibus conseruatur; vel quia, dum non adsunt eius causæ, licet possit ad aliquod tempus conseruari, paulatim tamen languescit; sicuti sonus, & aliquæ species intentionales: vel quia à frigore, & alijs qualitatibus producitur noua virtus motiua deorsum opposita illi leuitati, & iuuans grauitatem aquæ ad descensum, sed hoc vltimum non ausim affirmare.

23 Dices secundo: vna aqua est grauior alia: ergo grauitas innata suscipit magis, & minus. Nego consequentiam: illa enim maior, & minor grauitas, quam experimur in aqua, non est innata, sed aduentitia.

Grauitas, & leuitas aduentitia differt specie ab innatis.

24 Infero tertiò, has leuitates, & grauitates aduentitias differre specie ab innatis: quia grauitates, & leuitates innatæ sunt veluti proprietates emanantes à formis elementorum, & ab illis naturaliter inseparabiles, quod non verificatur de aduentitijs:

Cuilibet mixto competit propria vis motiua.

25 Infero quartò, cuilibet mixto competere propriam virtutem innatam se mouendi, qua exigat esse in hoc loco, & ad illum se mouere. Quod si exigat eumdem omnino locum, ac elementum prædominans, non est, saltem ex parte termini, cur dicamus illas virtutes specie differre.

virtus motiua vnius elementi est incompossibilis cum virtute motiua alterius.

26 Infero demum quinto, non posse naturaliter componi in eodem subiecto virtutem motiuam vnius elementi cum virtute motiua alterius: sicuti enim vna forma substantialis non potest cum alia componi; ita neque virtus motiua vnius elementi cum virtute motiua alterius, ex quocunque demum capite oriatur ista incompossibilitas.

27 Dices; cur non admittimus duplicem calorem, alium innatum, alium aduentitium diuersæ speciei? Respondeo, quia frigus aquæ naturaliter nō deberet destrui, cum aqua calefit: quod esse falsum patet. Rursus cur calorem aduentitiū experimur, non frigus innatū aquæ cū illo calore cōpositū? grauitatē autē, & leuitatē non experimur in se ipsis, sed in effectu, qui potest deficere, si adueniat causa opposita validior exigens effectū oppositū, nempe motum sursum, vt patet in impulsu. Dices, vnde habes per aduentum leuitatis accidentariæ non destrui grauitatem innatam? Respondeo, quia virtus motiua sursum non opponitur cum grauitate, vt patet in virtute progressiua, & virtute impressa: illa autem leuitas non est nisi virtus motiua sursum: quando autem diximus, qualitates symbolas esse eiusdem speciei, loquuti sumus de primis qualitatibus, & de ijs, quæ non sunt virtus motiua.

28 Dices tertiò: ergo grauitati terræ opponuntur omnes aliæ virtutes motiuæ elementorū. Concedo consequentiam: vni enim formæ non solum substantiali, sed accidentali possunt esse oppositæ plures: quare ad summum ea non esset oppositio contraria. Quod si aliqua corpora videntur magis grauitare, quam terra; est per accidens: quia terra admiscetur multis corpusculis leuibus. Aduerto hic, cadauera post aliquot dies fluitare supra aquas; quia multæ illorum partes in aerem resolutæ, ea ferunt ad loca superiora; & in aliquibus lacubus bituminosis enatant lateres, quia ab illa materia viscosa, à qua detinentur, & cum qua veluti agglutinantur, impediuntur, ne deorsum descendant.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur nonnullæ quæstiones de virtute motiua, & motu naturali elementorum.

1 QVæres primo: verum elementa grauitent, & leuitent in proprijs locis? Respondeo nos nomine loci proprij intelligere totam illam capacitatem, in qua elementum est supra grauiora, & infra leuiora. Certum autem est primo, corpora grauia, & leuia in proprijs locis retinere virtutem motiuam: effectus enim huius virtutis est non solum motus, sed præcipuè quies in-

in proprio loco. Certum item est, elementa non ita grauitare, cum sunt in propria sede, vt naturaliter moueantur; ad quid enim mouentur? Quæstio igitur est de impetu, quo elementa vel se, vel alia corpora pellere conantur: licet neque moueant, neque moueantur; non enim productio impulsus necessario cum motu coniungitur: nam si quis immotus humeris lapidem sustineat, impetum lapidis in se experitur; non tamen vel homo, vel lapis necessario mouentur. Suppono autem hic illum impetum realiter distingui à grauitate. His positis.

Elementa non grauitant, aut leuitant in proprijs locis.

2 Dico, elementa in proprijs locis constituta, neque secundum se totā, neque secundum sui partes grauitare, aut vllum impetum producere: probatur; elementa grauitant, & impetum producunt, vt loca naturalia petant: ergo si sunt in proprijs locis, non debent producere talem conatum: qui ad nihil inseruiret; quod æque verificatur de toto elemento, ac de singulis eius partibus.

3 Hæc per se; quia si per accidens vna pars elementi ob mixtionē qualitatum contrariarum sit leuior, vel grauior alijs; nullum erit absurdū, si in alias grauitet, & leuitet, producendo impulsum vel motum, quo se supra, vel infra reliquas constituat.

Soluuntur multæ experientiæ.

4 Dices primo: vter inflatus in aere plus grauitat, quam vacuus & velocius descendit: ergo aer in proprio loco grauitat. Nego consequentiā, si per se loquamur: id enim euenit tum ob figuram, quam per inflationem acquirit, quæ est ad motum aptior: tum quia cum aere ingrediuntur in illum plures partes terreæ, quæ per medium aerem leuiorem grauitant. Rursus plus grauitat lignum centum palmorum, quam decē; quia continet plures partes terreas, & aqueas. Quod si nauigia vacua supernatant aquis, plena merguntur; & lignum, quod multum aeris continet diu in aquis detentum, repletisque humore poris tandem mergitur; ideft quia ligna, quæ nauigia constituunt, abundant partibus terreis: quando igitur nauigia, & alia vasa sunt aere repleta, impediuntur à leuitate aeris, quam continent, ne deorsum descendant; excluso aere per ingressum aquæ ligna illa suo pondere feruntur deorsum.

5 Dices iterum: Aristoteles expresse docet, omnia elementa in proprio loco grauitare præter ignem; & leuitare præter terram. Respondeo Aristotelem solum velle omnia elementa in suo loco retinere proprias virtutes; & quodlibet elementū habere aliquo modo leuitatem præter terram, & grauitatem præter ignem modo supradicto.

Explicatur Arist.

6 Ex dictis patet, cur terra grauitet supra lateres, & pauimentum; quia nimirum hæc includunt plures partes aereas: Attamē si sint omnino puræ, non terra grauitat supra pauimentum, sed terra, & lateres, & pauimentū grauitant supra aerem, & corpora impedientia ipsorum descensum. Cæterum tunc terra est extra proprium locum: ideoque mirum non est, si vna illius pars grauitet supra aliam. Arenæ grauitant supra hominem illis coopertum: tum quia homo continet in se plures partes aereas, & est diuersæ rationis, ac arenæ: tum quia arenæ habent multum aeris ad mixtum. Ob eamdem rationem qui ambulat supra puluerem imprimit vestigia, & grauitat; & ædificia grauitant supra terram: tum quia partes ædificij non sunt omnino puræ, tum quia impelluntur ab alijs corporibus aeris admixtis: tum demum quia sunt extra proprium centrum, & supra plures partes aeris.

Aliæ experientiæ percurruntur.

7 Dices tertio: aqua grauitat supra terram; nam si terra supra quam est aqua, excauetur, aqua illa adeo vehementer impellit terram, vt aliquando ruat, secumque deorsum ferat eamdem terram. Respondeo elementa constituta in suo loco naturali vnum non grauitare supra aliud; quare antequam terra ex parte inferiori excauetur, non grauitat supra illam aqua; post excauationem autem grauitat; quia terra impedit, ne aqua sit infra aerem; & ne aer sursum ascendat; parum autem refert quod pauimentum illud non sustineatur ab aere.

8 Quæres secundō: verum aqua grauitet in corpora natatorum? Respondeo aquam non deorsum illa pellere, sed potius sursum eleuare: verū autem hoc sit grauitare, spectat ad nomen. Quod autem corpora illa suo pondere aquam premant, & diuidant, nullum est absurdum.

Vtrum aqua grauitet in corpora natatorū.

9 Aduerto hic, primo illud ex natura sua habere elementa, vt ponderent, & descendant per medium ex sua specie leuius; ascendant autem per grauius. Hinc in aere possumus cognoscere ad trutinam grauitatem aquę, piscium, & aliorum corporum; non autem aeris: quidquid in contrarium dixerit se expertum esse Galilæus: certè aer inclusus, quem ipse ponderasse fatetur, non erat purus, sed valde alteratus, ad densatus, & admixtus pluribus partibus aqueis, quas in se conuerterat aqua, cui admiscebatur.

10 Aduerto secundo, aquam expetere in vltima superficie, qua coniungitur aeri, æqualitatem quoad omnes sui partes; & ideo si vna pars supra aliam eleuetur, non quiescit, donec ad æqualitatem omnes reducātur: quia si vna pars aquę alijs promineat, iam habet infra se aliquam particulam aeris a latere; vt igitur aerem pellat supra se, vrget alias partes aqueas infra se positas, donec omnes æqualitatem acquirant. Ob similem rationem quando amphora est plena velocius per canalem inferiorem currit aqua, quā si sit semiplena; quia nimirum, cum omnes partes aquæ sint extra suam sphæram, partes superiores longe plures quando amphora est plena, magis pellunt partes inferiores, ac quando est semiplena.

11 Quæres tertio: cur aquas tantundem ascendit in aerem, quantum descendit? Respondeo, id fortasse prouenire: quia aquæ videntur exigere quamdam æqualitatem quoad vltimam superficiem: ergo videntur habere vim altas partes impellendi ad altitudinem æqualem, vt nimirum obtineant illam æqualitatem. Hinc si aliqua

Cur aqua tantum ascendit, quantū descendit.

qua

qua fistula ex parte inferiori clausa, vi in aquā mergatur, ac deinde aperiatur pars illa inferior; aqua tantùm ascendit per fistulam, quousque adæquet alias partes, ad quem ascensum pellitur ab eisdem alijs partibus.

Cur aues in caueā dum volāt, non ponderant.

12 Quæres quarto: cur cauea auibus plena æquè ponderet in aere, ac vacua? Respondeo, id mihi videri valdè difficile, si præsertim aues stent, non volent: nam sicuti cum non volant suo pondere deorsum feruntur; ita faciunt, vt cauea illa plus ponderet, & velocius descendat cum autem volant, non ponderant in caueam, sed sua virtute in illa sustinentur supra aerem: ex quo patet, cur idem vas eodem modo ponderet in aqua plenum aqua, ac in aere plenum aere, semper enim experimur eamdem difficultatem, siue illud sustineamus in aere pendulum, siue in aqua; quia nemirum elementa non ponderant, neque descendunt nisi per medium diuerse rationis

13 Quæres quinto, cur in aqua longè velocior est motus pilę ferreæ supra motū ligneę, quàm in aere? cur itē pila ferrea triplo grauior quā lignea, non descendit triplo velociùs? Respondet Maurus, grauitatem institutam esse ad descendendum per medium leuius: maior autē, & minor grauitas solum inseruit ad superandum resistentiam medij: vnde quo maior est resistentia medij, eo corpus grauius secundum speciem velocius per illud mouetur alio corpore minus graui: sic pila plumbea longè velocius mouetur, quàm pila lignea, cum motus fit per aquā, ac cum fit per aerem; quia in aere est ferè minima resistētia medij; aer enim facilius scinditur, quā aqua. Vnde infertur in vacuo, vbi nulla est resistentia medij duo corpora grauia, licet diuersę speciei æquali velocitate omninò descensura.

14 Ratio autem cur ęquè velociter descendat pila plumbea centum librarum, ac decem, esse potest, quia pondus centum librarum mouet centum libras, & pondus vnius librę mouet vnam libram; eamdem autem proportionem habet pondus centum librarum ad mouendas centum libras, ac vnius libræ ad mouendam vnam, & tantumdem difficultatis habet maius pondus ad secandum magnum aerem, ac minus ad secādum paruum; hinc ęquè velociter mouentur per aquam pila ferrea magna, ac parua.

15 Hęc quidem vbi grauia sunt eiusdem speciei; at si sint diuersę speciei, quæ sunt natura sua grauiora, videntur habiliora ad superandum resistentiam medij; & sic velocius scindit aquā pila aurea, quamuis parua, quàm lignea immania. Illa autem sunt natura grauiora, quæ magis participant naturam elementi grauioris, & quæ si liquefiant, vel liquefactis infundantur, petunt imum. Hinc etiam est, aliqua corpora, vt pilos equorum subsistere in superficie, in medio, & in fundo aquę; quia nimirum habent grauitatem similem grauitati aquę: quare neque impellunt, neque impelluntur ab illa.

16 Quæres sexto: cur plumbum quamuis minimum v.g. vnius vnciæ, velociùs descendit per aerem, & à fortiori per aquam, quàm lignū centum librarum, cum autem vnum ponitur in vna lance, alterum in altera, lignum præponderet plumbo. Respondeo, plumbum velocius scindere mediū, quia est grauitatis diuersæ speciei, & maioris: in bilance autem lignum pręponderat, quia plures partes ligni per modum vnius agentis vehementiorem impulsum imprimunt in lancem, quæ impedit motum deorsum, quàm illa particula plumbi. Hinc patet, cur lignum, quod cum plumbo ponit bilancem in æquilibrio, in aqua attollatur; quia videlicet plus valet ad superandam maiorem resistentiam medij grauitas specifica plumbi, quàm ligni.

Plumbum vnius libræ velocius scindit aquā, quā lignum centu librarū & hoc magis premit lancē, quā illud.

Quid figura cōferat ad motum

17 Quæres septimo: quomodo se habeat figura ad motum localem? Respondeo ex Aristotele 4. *cœli c. 6.* figuram non esse causam motus; neque enim videmus omnia eiusdem figuræ sursum moueri, aut deorsum: aliquo tamen modo confert ad velocitatem, & tarditatem motus; videmus enim rotunda, & acuminata velociùs descendere per aquam, quam lata, si cæteris sint paria: quia nimirum lata debent superare maiorem resistentiam medij.

SECTIO TERTIA.

A quo principio moueantur proiecta?

Quatuor motus violenti species.

1 MVlta, quæ de motu naturali, & violento diximus *l. 2. phys. disp. 6. s. 3.* non sunt repetenda. Suppono tamen, motus violenti quatuor species numerari ab Aristotele: pulsionem, motum videlicet, quo mouens pellit mobile à loco, in quo est, & si mouens non deferat, sed sequatur mobile, dicitur impulsio; si verò per motum elongetur mobile à mouente, dicitur expulsio. Tractionem, motum videlicet, quo aliquid trahimus; & si quidem illud ad nos trahamus, dicitur attractio; sin autem ad aliam rem, vt cum iumentum capistro trahimus ad aquas, dicitur simpliciter tractio. Vectionem, nimirum motum, quo vnum corpus fert secum aliud; vt cum homo fertur naui, equo, curru. Demum vertiginem, seu circumuolutionem, seu volutationem; motum videlicet, quo mouens mobile vertit in gyrum.

Ex motibus alius directus, alius reflexus.

2 Suppono præterea, ex motibus alios esse reflexos, alios directos: reflexus est, per quem mobile postquam attingit aliquem terminum, inde resilit; motus autem, quo directè tendit, est directus: potest tamen aliquando motus directus esse naturalis; reflexus violentus: vt si lapis descendens ex turri resilit à terra, quam tetigit; aliquando directus violentus; & reflexus naturalis: vt si lapis sursum proiectus recta linea descendat; aliquando vterque violentus: vt si pila in parietem proiecta, inde per lineam transuersalem iter reflectat.

3 Inquirimus igitur in præsenti principium motus violenti, & præcipuè proiectionis: quænam videlicet sit causa illius motus, quo proiectum separatum à proijciente mouetur: nā quan-

do mobile non separatur à mouente, facilè dici potest, motum procedere ab extrinseco motore. In qua re nonnulli docent proiecta moueri initio ab ipso motore extrinseco, deindè à medio; siue hoc sit aer, siue aqua, siue aliud corpus, nulla qualitate in mobili producta; alij verò cum Suario, Vasques, Ruuio, Ouiedo, & recentioribus passim docent, hæc proiecta separata à proijciente non moueri à medio, sed à virtute quadam superaddita, quam appellant impetum, impulsum, virtutem impressam.

Motus proiectorũ est à virtute impressa.

4 Dico cum secunda sententia motum proiectorum procedere à virtute impressa per extrinsecum motorem. Probatur, quia non solum nulla est repugnantia huius virtutis impressæ, sed eius necessitatem, veluti à priori non improbabiliter suadent nonnulli: quia cuilibet corpori competit naturaliter tendere in suum locum: ergo etiam competit vis expulsiua aliorum corporum impedientium, ne ipsum acquirat proprium locum. Sicuti in animalibus datur virtus non modo tractiua humoris proficui, sed etiam expulsiua noxij; quæ profectò immota mouet, & expellit illum humorem, vel extra corpus, vel in partes ignobiliores per qualitatem illis impressam; quia in rebus inanimãtis non alio modo, quàm producendo qualitatem, vel magnes trahit ad se ferrum, vel lapis Thiamedes, de quo Plinius, illud à se repellit.

Existentia virtutis impressæ à priori.

Probatur etiã à posteriori.

5 A posteriori autem sic huius virtutis existentiam confirmo; proiectum ab aliqua causa secunda moueri debet: hæc autem non est proijciens, quod est distans, & potest non esse, dum lapis per medium mouetur: neque probabile est initio proijcientem produxisse in lapide totum motum, aliter lapis initio deberet esse in toto spatio; totus enim motus constituit lapidem in toto loco.

Multæ partes aeris, quæ in hoc negotio interueniunt

6 Vt autem reijciam eos, qui recurrunt ad medium, præsertim aerem: suppono, aduersarios in motu proiecti considerare tres partes aeris, aliam, quæ à tergo rarefit, aliam, quæ à fronte condensatur; tertiam demum, quæ à lateribus item condensatur: in motu autem impactionis, cum videlicet pila, quæ manu tenebatur, palmula proijcitur, considerant aerem medium inter palmulam, & pilam, qui vehementissimè condensatur. Docent igitur corpus projectum moueri ab aere, qui à tergo rarefactus accurrit ad occupandum vacuum, sicuti in impactione ab aere condensato inter pilam, & palmulam, qui vt rarefiat pilam propellit. Verum contra hoc vltimum facit; nam cum aer rarefiat in omnes partes, cur potius impellit pilam, & non alia corpora circumstantia. Secundo, cum aer possit condensari, quamuis non tangatur pila, cur eo modo rarefactus non promouet pilam?

Impotẽtia aeris ad mouendum proiectum.

7 Præterea circa motum proiectionis videtur incredibile corpus valdè graue ab alio proiectum sustineri ne cadat, & magno impetu ferri contra propriam inclinationem ab aere valdè tenui, & exili. Secundo, quando exploditur tormentum bellicum, pila ferrea citissimè fertur orientem versus, quamuis flet in oppositum validissimus ventus; non videtur autem, quo modo partes aeris accurrentes à tergo ad replendum vacuum tantam vim habeant, vt contra impetum venti pilam orientem versus impellãt. Cur quæso te non impellitur simul cum pila fumus. His adde, aerem potius impellere in partem oppositam; si quis enim portans vexillum currat, vexillum ab aere mouetur in partem oppositam, idem euenit in flamma; ergo ad mouendum potentior est aer à fronte condensatus, quàm ille, qui à tergo rarefit. Præterea motus deberet sẽper durare; quia semper succedunt nouæ partes aeris ad occupandum locum relictum à mobili, quæ partes semper possunt mouere sursum corpus ob paritatem rationis.

8 Dices, aeri virtutem imprimi, quæ virtus mouet sursum lapidem, & pilam. Sed contra, aer valdè commotus non habet virtutem mouẽdi minimum lapillum; ergo ille motus non potest ab aere procedere. His adde, aerem rarefactum subtus brachium, non impellere brachiũ proijcientis; ergo neque aer rarefactus à tergo lapidis illũ impellet. Ratio esse potest, quia aer rarefactus tantùm accurrit ad replendũ vacuum; ergo non est cur lapidem impellat, nam etiam si non moueat lapidem, adhùc potest replere vacuum.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur obiectiones.

Virtus impressa est potentia loco motiua distincta à grauitate, & leuitate: ac fluens.

1 Obijciès primo: hæc virtus impressa non est potentia loco motiua: nam non est grauitas: aliter semper ferret deorsum: nec leuitas, aliter sursum semper attolleret: nec composita ex vtraque: aliter ferret ad medium inter summum, & infimum. Respondeo, hanc virtutem impressam esse potentiam motiuam ab extrinseco productam, & violentam subiecto, quod remouet à suo loco naturali: eius munus est mouere quoquo versus iuxta directioné impellentis, & alias circumstantias. Simili ferè modo, quo virtus progressiua animalis habet vim producendi similes motus. Est etiam hæc virtus fluens, vnde ex hoc etiam capite distinguitur à grauitate, & leuitate, quæ sunt permanentes, & naturales subiecto; & sanè cum ordinata à natura sit ad motum fluentem, ac violentum, non debuit ea virtus institui permanens. Grauitas autem, & leuitas, cum sint à natura institutæ præcipuè ad quietem corporum in proprio loco, & secundariò ad motus, quibus illa loca quæruntur, debuerũt institui permanentes, nec habiles ad motus violẽtos appositos tum quieti, tum motui naturali.

Est eiusdẽ speciei.

2 Obijcies secundo: non potest explicari vtrum hæc virtus sit eiusdem, vel diuersæ speciei, cum producat motus adeò diuersos? Respondeo, esse eiusdem speciei, sicuti eiusdem speciei est voluntas potẽs producere actus adeò inter se distantes: nullam autem habet opposi-

tionem

tionem formalem cum grauitate, & leuitate: sicut neque voluntas cum habitu temperantiæ, licet possit producere actus intemperantiæ, est tamen diuersitas specifica inter hunc impulsum, & virtutem illam motiuam, qua magnes attrahit ferrum, quod colligitur ex determinato modo mouendi diuerso, qui illis competit.

Procedit à proyciẽte, & statim initio recipitur in toto proiecto

3 Obijcies tertio: non potest explicari à quo, in quo subiecto, quo modo, & quando producatur hæc qualitas. Respondeo: hanc qualitatem produci à projiciente, quando proiectũ est illi vnitum, nihil autem obstat, quod ab illo non sentiatur; tum quia non recipitur in manu: tum quia manus tunc est in motu projectionis, & vix valet discernere illum impetum, quamuis quilibet experiatur in se quamdam vim specialem, dum rotat lapidem, antequam separatur ab illo. Subiectum in quo recipitur est totum proiectum, sicut virtus à magnete diffusa recipitur in toto ferro. Nullum autem est absurdum statim ictu oculi produci per totum illud corpus talem impulsum, quia est qualitas non habens contrarium; sicut nullum est absurdum lucem diffundi statim per immensa aeris spatia. Debet autem projiciens pro aliquo tempore simul se cum projecto mouere, & quo vehementius proiectum per motum projicientis agitatur eo intentior qualitas producitur: quare motus localis antecedens est aliquo modo conditio, & fortasse etiam virtus, vt hæc qualitas educatur ex subiecto.

diffunditur vniformiter difformiter, & est diuisibilis tum quo ad intensionem, tum quoad extensionem

4 Instabis, diffunditurne hæc qualitas vniformiter, difformiter? Respondeo vniformiter. Vrgebis ergo partes subiecti non æquali velocitate mouentur. Nego consequentiam; quia tota illa virtus constat vnum principium æquiuocum in ordine ad causandum motum æqualem in omnibus partibus mobilis, non sequitur diuisio partium. Hinc patet, hanc qualitatem esse diuisibilem tum quoad intensionem, tum quoad extensionem. Et de intensione quidem probatur ex paritate aliarum qualitatum vniuersalis, quæ non sunt proprietates agonosibilem; quia videmus vnum proiectum, etiam si cætera sint paria, velocius moueri alio. De extensione probatur; quia recipitur in subiecto diuisibili, & si proiectum in medio motus frangatur, vtraque pars prosequitur motum; quæ experientia confirmat virtutem diffundi per totum proiectum.

Causa destructiuæ

5 Obijcies quarto: hæc qualitas non habet causam destructiuam, nam omnis qualitas destruitur vel per aductum contrarij, vel ex defectu causæ conseruantis: hic autem impulsus nõ habet contrarium; causa autem conseruatiua est Deus indefectibilis. Nego assumptum, ad rationem in contrarium dico, hunc impulsum deficere ex defectu causæ conseruantis, non quia deficiat Deus, sed quia transacto aliquo tempore, suspendit concursum conseruatiuum illius qualitatis. Et quidem, vt constat vniuersalis exigentiam rerum naturalium, rerum vniuersitas & bonum naturæ exigit vt hæc virtus ordinata dumtaxat ad motum violentum, diuturnum motus ipse violentus non debeat ad longum tempus durare. Et quidem satis probabiliter asseritur exigentiam, vt impulsus paulatim languescat, ac tandem desinat esse in subiecto, cuncti violentus. Sed notandum est hanc exigentiam subiecti, quamuis semper tandem vincat, quando abest causa extrinseca particularis præualens, & causans vel conseruans impulsum; non tamen semper eodem modo vincere; nam quando impulsus ab initio est validior, & ab validiori causa procedens tardius vincit exigentia subiecti; secus velocius.

Cui sit connaturalis hæc virtus

6 Obijcies quinto: omne accidens debet esse connaturale alicui substantiæ, in cuius bonum à natura ordinatur; sed hæc qualitas nulli subiecto est naturalis: ergo. Præterea Aristoteles docet, quod est vni violentum esse naturale alteri. Nego maiorem: motus enim ipse violentus, cui subiecto connaturalis est? ad rationem in contrarium dico, accidens esse in bonum substantiæ vel patientis, vel agentis; motus autem violentus, & virtus impressa sunt in bonũ agentis, & totius vniuersi exigentis capacitatem in agentibus, & subiectis ad huiusmodi qualitates violentas. Aristoteles loquitur de motu simplici debito corporibus simplicibus, vt sunt motus sursum, & deorsum, qui sunt naturales vni, & violenti alteri.

SECTIO QVINTA.

Soluitur sexta obiectio, & explicatur differentia quoad velocitatem inter motum naturalem, & violentum.

Vtrum successiuè decrescat.

OBijcies sexto: hic impulsus non desinit simultaliter motus proiectorum esset æquè velox in principio, ac in medio, & fine: neque successiuè; quia successiua desitio nõ habetur nisi beneficio contrarij, quod successiuè introducitur; impulsus autem, de quo loquimur, non habet contrarium. Respondeo, hũc impulsum successiuè deficere, licet non habeat contrarium, sicuti successiuè desinunt sonus, & aliquæ species intentionales: idque quia subiectum, ac bonum vniuersi ita exigit.

1 Instabis ergo, motus violentus in medio est tardior, quam in principio, quia virtus impressa successiuè desinens, minor est in medio, quam in principio.

2 Pro solutione sciendum est, motum naturalem esse velociorem in fine, quam in principio; vnde lapis eò maiorem sonitum, ac strepitum edit, & pila eò vehementius resilit, quo ab altiori loco descendunt: ob eamdem rationẽ flamma in pyramidis figuram ascendit: quia, quò magis ascendit, eò velocius mouetur, ideoque magis attenuatur, ac separentur eius partes; & aquæ decidentes è regulis initio cadunt cum maiori æqualitate, & continuitate, in medio attenuantur, & post medium ob maiorem velocitatem diuisæ, ac guttatim fluunt. Neque vrgent hanc rationem, quæ adducit Arriaga disp. 4. de

... 98. afferentium exempla diuersorum subiectorum, & in quibus cætera non sunt paria. Contra verò motus violentus, vt docet Aristoteles 2. cæli tex. 35. est velocior in medio, quàm in principio, & fine, quando tandem debilitatur proiectum, vt hic explosa ex tormento bellico pila, & lapis è funda emissus in tanta determinata distantia vehementius feriunt, ac in maiori, vel minori. Huius diuersitatis rationem, quærimus.

Maior velocitas motus naturalis, in fine prouenit ex impulsu, quem corpora in se ipsis producunt.

4. Dico quidem circa motum naturalem dico cum Conimbric. 1. *de cælo c. 9. q. 1.* causam maiorem velocitatis eius in fine esse tum grauitatē ipsam, tum impulsum quendam, quem in progressu motus, & per ipsum motum grauitas producit in mobili: sicut enim grauitas habet vim producendi huiusmodi virtutem in alieno subiecto, ita & in proprio. Confirmatur, quia concedimus animalibus virtutem producendi in se ipsis huiusmodi qualitatem, dum mouentur, idemque post longiorem motum vix possunt illam cohibere [illegible]

5. Differt autem hic impulsus à grauitate, tum quia est natura sua labilis, & cessante motu cessat; grauitas verò perseuerat: tum quia non est omnino determinata ad motum deorsum, sed potest etiam per accidens producere motū sursum, vt contingit in motu resilientiæ, de quo infra. Satis autem congruè ad finem data est ea virtus corporibus, quò faciliùs acquirant sua loca, & vincant obstacula.

6. Hic impulsus non debet post motum durare, quia post motum ad nihil deseruit: non ad motum, vt patet: nec ad quietem conseruandā, nam virtus impressa tantùm datur à natura ad motum, non ad quietem: ad quam, cum sit effectus permanens, & perpetuus, sufficienter prouisum est per qualitates permanentes radicatas in ipsa natura subiecti: habitus autem non superfluè conseruantur, inseruiunt enim ad faciliùs producendos actus sequentes: quis autem dixerit lapidem faciliùs, vel difficiliùs moueri à suo loco secundò, quàm primo? Illud addo, si lapis diu detineatur in aere, non semper augeri impulsum, quia huiusmodi impulsus non causatur, nisi per motum antecedentem, quæ est ratio, cur cessante motu debet cessare ille impulsus: quia & cessat causa productiua illius, & illæ eædem causæ, quæ exigunt, vt omninò cesset motus, exigunt vt cesset impulsus ad motum vnicè ordinatus.

Hæc maior velocitas non prouenit à sympathia, quā habet mobile cū suo loco: neq; à minori distātia à cētro

7 Hinc infero, nullam esse necessitatem dicendi causam huius maioris velocitatis in fine motus naturalis esse sympathiam, quam habet mobile cum suo loco, ad quem eò velociùs moueatur, quò magis accedit: & quidem si duo lapides decidant alter ab altiori turre, quàm alter, quando sunt in æquali distantia à solo vnus mouetur velociùs alio: vnde vnus alio maiorem strepitum facit: ergo hæc maior velocitas non oritur à virtute illa sympathica, quæ in æquali distantia æquè intensa æquales effectus deberet producere. Eadem ratio probat maiorem velocitatem non prouenire à minori distantia à centro: alioqui illi lapides in æquali distantia è centro deberent æqualiter moueri.

Neque ab aere à tergo accurrēte.

8 Neque dici tertio potest hanc maiorem velocitatem oriri ab aere à tergo accurrente ad implendum vacuum, tum quia aer æquè accurrit in principio, ac in fine; tum quia aer accurrit ad implendum vacuum, non ad causandum motum, quem vt mouebam supponit causatum. Supersunt qui recurrunt ad motum antecedentem; sed profectò motus antecedens non est, quando producitur subsequens velocior: ergo non potest per se, sed tantùm per aliquem suum effectum, quem produxit, & qui perseuerat producere illam maiorem velocitatem: hic autem effectus non est, nisi dictus impulsus.

Vnde motus resilētiæ.

9 Infero secundo causam motus resilientiæ, quo lapis incidens in pauimentum, indè regreditur, posse esse tum impulsum hunc per motum à grauitate causatum, quia cum non valeat producere vlteriorem motum deorsum, & sit valdè intensus, producit motum sursum, tum per impulsum, quem mobile recipit ab obsistente: obsistens enim prius compressum à mobili per motum sequentem dilatationis à se repellendo mobile, imprimit illi impulsum: quin imò mobile ipsum cum primum tangit obsistens compressum; per motum dilatationis sequentem imprimens in se impulsum, mouetur sursum: & probabile est aliquando hunc motum resilientiæ prouenire ab omnibus his causis. Cæterum hæ duæ vltimæ causæ non sunt vniuersales; nam si pila filo alligata à tecto descendat, resilit, nec tamen vel ipsa comprimitur, vel aer compressus repellit: aer enim compressus refugit, non repellit.

Vnde maior velocitas motus violenti in medio.

10 Circa motum violentum dico eius maiorem velocitatem in medio, quàm in principio, & in fine prouenire: quia motus productus auget impulsum producēdo nouas partes illius, & in principio quidē plus impulsus producitur à motu, quàm deperdatur: post medium autem plus deperditur impulsus antecedentis, quàm de nouo producatur à motu: quia impulsus successiuè languescit inæqualiter, itaut prius minus languescat, quàm deinde: sicuti sonus initio auditur cum eadem ferè intentione, deinde valdè languescit. Velocior igitur motus in principio, & medio est ob impulsu maiori, qui non durat in fine.

Motus est causa impulsus.

11 Aduerto hîc primo, quod motus, quando est, producit impulsum: videmus enim quo magis rotatur funda, eò validiorem vim imprimi lapidi, & vt fossam aliquam transeamus, consultò solemus aliquot retrò passus cursum incipere, vt vehementiorem impetum concipiamus. Secundò, nullum esse absurdum, quod pars virtutis antiquæ pereat, & eodem instanti alia maior recuperetur.

Causa huiusmodi velocitatis nō est impulsus à grauitate causatus.

12 Dices, cur non recurrimus ad impulsū productum à grauitate, qui vsque ad medium iuuet impulsum præcedentem ad motum velociorem? Respondeo, quia hic impulsus determina-

minaretur ad motum violentum ab impulsu producto ab extrinseco: ergo semper cresceret impulsus cum hac determinatione: ergo motus violentus semper deberet crescere: nam ab impulsu antecedente producto tum à proijciente, tum ab ipsa grauitate determinato ad motum violentum semper impulsus subsequens productus à grauitate determinaretur ad motum item violentum, maior enim semper est ille impulsus antecedens productus tanto tempore, & a duobus agentibus, quam subsequens productus in hoc instanti a sola grauitate; maior autem vim habet determinandi minorem, non è contra.

13 Grauitas igitur est productiua motus deorsum, & eiusdem recti, si aliunde non impeditur: quod si aliunde impediatur, potest producere motum deorsum obliquum, vel circularē, vt patet in campana, quæ pulsis detenta, si sursū eleuetur, deinde relicta descendit deorsum, sed linea obliqua; per motum autem illum producit impulsum, qui est causa motus circularis sursū, dum impeditur campana ne viterius descendat: est itaque in re grauitas productiua motus deorsum obliquus, dum mouetur ad propriū centrum: quando autem mouetur ab extrinseco, fieri impediri à productione motus, ita & à productione impulsus.

Causa motus circularis cāpanæ

14 Hinc patet primo, cur motus circularis campanæ paulatim languescit: nam cum descendit motus ille producitur à grauitate, & ab impulsu per motum producto: cum autem ascendit motus, procedit ab impulsu tantum, qui paulatim languescit: quare ascensus est ad partem minùs altam, & consequenter per motum descensus non ita velocem, neque ita longum non recuperatur tantumdem impulsus, quantum amittitur, ideoque secundus ascensus est tardior, & breuior.

15 Hinc patet secundo, impulsum productum à grauitate per motum suum naturalem posse producere motum grauium violentum, quod est per accidens respectu grauitatis, quæ impulsum illum producit ad motum deorsum, quāuis ab extrinseco determinetur ad motum sursum: verum autem hic impulsus sit diuersæ speciei ab impulsu producto à proiiciente, videtur quæstio dubia, & difficile decidi potest, nisi argumento negatiuo. Illud autem est probabile, non facere cum illo intensionem: quia per se ordinantur ad diuersum locum, licet sint in eodem subiecto; sicut duo cognitiones duorum hominum, quamuis non differentes specie, sunt simul in meo intellectu, nec faciunt intensionē quia repræsentant diuersa obiecta.

exponūtur multæ experientiæ.

16 Aduerto hic primo, trochum tàm vario moueri à virtute impressa, quæ producta per solutionem funiculi, determinatur ad producendos illos circulos: nulla autem est repugnantia tàm varios motus procedere ab eadem virtute, vt patet in virtute progressiua animalis. Saltus autem, quos proiectus super aquas lapis facit, procedunt à virtute impressa ad id determinata tum à prominentia aquarum, in quas incidit lapis: tum à conditione ipsius lapidis, & directione proijcientis: impulsus enim adhuc robustus impeditus ab illis circumstantijs, nè rectà ferat proiectum, causat illos saltus.

17 At inflexionis, quam proiectum in fine causat, causa est tum virtus impressa, quæ non totaliter deperdita adhuc causat aliquam violētiam: tum grauitas, quę deorsum lapidem trahit: cum enim impediatur à virtute impressa ne causet motum rectum, ex vtraque fit vnū principium illius motus circularis, & mixti. Cum proijcitur lapis in aquam, efficiuntur plures circuli in aqua, sed primus causatur immediatè ab impetu, & motu lapidis, secundus à primo, virtute cuius aquæ dum descendunt, vt æquentur reliquis, impellunt alias; tertius à secundo, & sic de cæteris.

18 Terræmotus nascitur, quia aer inclusus in terræ visceribus, imprimit rarefactus impulsum in corpora obstantia, vt ipse propriū locum petat, vnde mirabiles illos effectus edit. Ventorum vis, satis nota, alia corpora obsistentia impellit, imprimendo impulsum: idem dico de puluere tormentario. Hinc soluo exemplum de fistula arundinea, in qua aer inclusus, & impulsus ab extrinseco producit impetum in globulis stupeis: quare mirum non est si propellantur. Affertur etiam contra nos Aristoteles, verum ipse nunquam exclusit à motu proiectorum virtutem impressam, sed tantùm affirmauit moueri à medio, quod verum est, etiam admissa virtute impressa, si dicamus vtrumque suo modo concurrere.

19 Aduerto secundo, vel virtutē impressam numquam æquare vires grauitatis, vel ad breuissimum tempus; ideoque non est necesse, vt ad aliquod tempus notabile lapis proiectus pēdeat in aere quietus. Neque verò est aliqua necessitas, vt in puncto reflexionis detur quies: quod hic indicasse sit satis.



IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

Materia, & subiectū horū librorum est corpus animatum.

HOrum librorum scopus est, proprietates, & naturam corporis animati inuestigare: sicut enim in *lib. Physicorum*, Aristoteles egit de corpore naturali in communi; *in lib. de cælo* de corpore incorruptibili, & ingenerabili, qualia sunt cælestia; *in lib. de ortu, & interitu*, de corpore generabili, & corruptibili; ita in his de Anima, quos præ manibus habemus; totus in eo est Philosophus, vt corporis animati absolutam notitiam tradat. Ex quibus patet adæquatam horum librorum materiam, & subiectū esse corpus animatum. Neque obstat hos libros inscribi de Anima; eorumque tractationem omnem circa animam insumi; quia de Anima non agitur, nisi in ordine ad totum animatum, quatenus est eius forma, & actus primarius, quo incognito impossibile sit naturam corporis animati scire: intellecta autem essentia, ac proprietatibus animæ, facillimè quisque corporis animati naturam percipiet.

DISPVTATIO PRIMA.

De essentia Animæ.

OMissis de anima erroribus, quos fusè impugnat Aristoteles *lib.* 1. quænam sit eius essentia iuxta mentē eiusdē hic *lib.* 2. definiemus.

SECTIO PRIMA.

Affertur prima animæ definitio.

Prima animæ definitio.

1 EX Texto 6. c. 1. huius secundi libri hæc definitio animæ communiter circumfertur: *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*: cuius definitionis cum Toleto, Mauro, Alphonso, & alijs hic mihi videtur sensus germanus, & Aristotelis menti consonus: Anima est forma substantialis constitutiua corporis naturalis, non cuiuscumque: sed organici, & potentis exercere operationes vitales: at percurramus singulas partes.

Anima est actus, idest forma, primus, idest primarius.

2 Dicitur primo; actus primus: dupliciter potest aliquis actus dici primus; primo: si comparetur ad actum secundum, cuius est causa vel principium, in quo sensu potentia intellectiua est actus primus respectu omnium intellectionū, quæ ab ipsa causantur. Secundò per comparationem ad alios actus secundarios, qui debentur ipsi tamquam actui primario, & primæ radici, ac fini cæterorū; in quo sensu qualibet forma substātialis est actus primus, ad quem ordinantur formæ accidentales, quę ideo dici possunt actus secundarij. Vtramque rationem actus primi conuenire animæ est certum; quia & est principium operationum vitalium; & est forma substantialis primò constitutiua corporis animati, ad quam ordinantur reliquæ formę accidentales. In allata tamē definitione actus primus sumitur secundo, non primo modo: aliter potius debuisset dici actus primus operationum, quam corporis; cum anima non sit virtus productiua corporis.

Nomine corporis organici venit hic compositū substantiale animatum.

3 Dicitur secundo, corporis; nomine autem corporis intelligitur totum substantiale, cuius anima est constitutiua: quia quamuis hoc nomen corpus sit æquiuocum, et possit modo significare materiam primam, modo eamdem organizatam, modo cadauer; tamē nunc ab Aristotele non sumitur, nisi pro toto substātiali; quod facilè deprehendet, qui totam Aristotelis doctrinā cōsideret: in definitione autem verba accipiēda sunt iuxtà sensum definientis.

Non idem significat corpus in hac definitione, ac in consecratione Eucharistica.

4 Dices: id venit nomine corporis in definitione Aristotelis, quod venit nomine corporis in verbis consecrationis: sed nomine corporis in consecratione non venit corpus substantiale cōpletum: ergo neque in allata definitione. Minor probatur; aliter anima in consecratione panis veniret formaliter ex vi verborum: quia formaliter includitur in corpore expresso, per illud verbum corpus.

5 Nego maiorem, nam nomine corporis in consecratione venit illud, quod Christus Dominus promisit se daturū nobis in cibū, cum dixit Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus*, nomine autem carnis, ut notat Vasquez *tom. 3. in 3. p. disp.* 18. intellexit, carnem ipsam, ossa, cartilagines, venas, & reliquas partes solidas, ob soliditatem participantes rationem cibi, & quæ communiter veniunt nomine corporis humani, siue actu informentur anima, siue non. At nomine corporis in definitione Aristotelis non possunt venire organa, aliter abundarent verba sequentia, organici, neque materia, vt patet ex mente eiusdem.

Nomine corporis hic non venit materia artefactorum.

6 Dicitur tertio, physici, seu naturalis, vt excludatur à ratione corporis, cuius anima est actus, materia artefactorum, seu corpora artificialia.

Exigere diuersa organa in corpore est essentiale animæ, sed nō propria differentia

7 Quarto dicitur: organici; quia videlicet, anima est actus corporis, cuius plures partes sunt plura instrumenta heterogenea, & dissimilia ratione diuersi temperamenti in ordine ad plures vitæ functiones obeundas, iuxta determinatam exigentiam formæ, quæ in hac parte exigit hanc determinatam temperiem, in alia aliam. Hoc prædicatum exigendi diuersa organa, licet sit necessarium animæ, non est tamen illi proprium, sed commune cum alijs rebus: neque enim improbabile est, quod docet Quiros, embrionem exigere diuersam organizationem: Nulla tamen dabitur forma, quæ exigat organizationem completam ad actus vitales, & non sit anima; quod exprimunt sequentes particulæ.

Quid sit corpus organicū potentia vitā habens.

8 Dicitur igitur quarto: potentia vitam habentis: quæ verba explicant vltimo conditionem corporis, cuius anima est actus; vt videlicet sit corpus non quocunque modo organicum,

sed

ſed ea organizatione, quæ ſufficiens ſit ad diuerſa munera vitæ præſtanda.

Nomine vitæ venit operatio vitalis.

9 Ex dictis colligo, nomine vitæ in allata definitione non venire vitam in actu primo; aliter res formaliter explicaretur per ſe ipſam; nã vita in actu primo eſt ipſa ſubſtãtia animæ, æquè ignota, ac ipſa anima; hanc autem explicares per corpus habens potentiam ad vitam in actu primo, hoc eſt ad ipſam ſubſtãtiam animæ, quod eſt ineptum, & nihil explicat: adhuc enim debes explicare, quid ſit anima, & vita in actu primo. Si autem nomine vitæ intelligas vitam in actu ſecundo, clara æquè, atque apta erit definitio. Senſus enim erit animam eſſe actum conſtitutiuum corporis, quod ita eſt organizatum, vt nihil ex parte ipſius requiratur ad functiones vitæ exercendas. Actio autem vitalis, ſeu vita in actu ſecundo, eſt omnibus ſaltem in confuſo cognita, & clarior, quàm conceptus vitæ in actu primo, & animæ; quare benè vltimo per illam anima definiri poteſt.

9 Dices; ſi hic definitur anima per hoc, quod eſt actus primus, ac forma informans; qua ratione dicit Ariſtoteles *l.2. t.11. Amplius autem immanifeſtum ſi ſit corporis actus anima, ſicuti nauta nauis?* Reſpondeo, Ariſtotelem ad exprimendum, quod anima ſit forma informãs, illam *t. 8.* appellaſſe, quod quid erat eſſe corporis organici. Solùm igitur *loco citato* docet, non dum eſſe ſibi certum, verum anima gubernet corpus per intellectum, & voluntatem, ſicuti nauta nauim.

Quid ſit hanc definitionẽ tradi per figuram.

10 Dices ſecundo, Ariſtoteles *t. 10.* dixit, hanc definitionem traditam eſſe per figurã, hoc eſt rudiere, & pingui minerua. Reſpondeo, id dixiſſe Ariſtotelem: quia per hanc definitionem definitur anima in communi; in quo etiam ſenſu *1. de hiſtoria c.1.* poſtquam proponit ſe in decurſu hiſtoriæ acturum de differentijs animaliũ, & ſpeciebus, ſubdit; de ijs figura prius agendũ eſſe, hoc eſt in communi. Quod ſi hoc eſt rudirer tradi, & agi rem aliquam; non multum laboro: dũmodo conſtet hanc eſſe exactã, & eſſentialem definitionem animæ in communi, dum traditur per prædicata prima, & eſſentialia; eſſentiale enim animæ eſt eſſe formam corporis organici.

Quomodo verificatur quaſdam animas nullius corporis eſſe formas, vt dicebat Ariſtoteles.

8 Dices tertio: Ariſtoteles *t. 11.* docet, *quaſdam animas nullius corporis eſſe actus; eo quod ſunt ſeparabiles à materia*: ergo non omnis anima eſt actus primus corporis, &c. Reſpondeo, Ariſtotelem ibi ſolùm voluiſſe, quaſdam eſſe animas, quarum potentiæ in operando dependent immediatè à materia. Et harum potentiarum operationes ſunt neceſſariò actus corporis: quia ſunt neceſſariò connexæ cum materia, à qua dependent: alias eſſe animas, quarum potentiæ in operando non dependent immediatè à materia, & harum potentiarum operationes nihil prohibet, non eſſe actus corporis: quia poſſunt exerceri extra materiam. Quare ſenſus nõ eſt, quod aliqua anima non ſit actus, & forma; ſed quarumdam animarum operationes aliquas non eſſe actus corporis; quia extra illud exerceri valent. His poſitis.

7 Allatam definitionem probat Maurus *q.20. tom.4.* certum eſt dari corpus, ſeu compoſitum phyſicum organicum potentia vitam habens; id enim expreſsè docent actus vitales, qui primi cadunt ſub experientiam: ergo debet dari actus, ſeu forma, per quam materia determinetur ad hanc ſpeciem corporis phyſici organici; materia enim, quæ defactò datur de ſe indifferens eſt ad hanc, vel illam ſpeciem corporis ſubſtantialis; determinatur autem per actum ſubſtantialẽ: hic autem actus conſtituens tale corpus, non poteſt eſſe niſi anima: ergo verè anima eſt actus corporis organici phyſici potentia vitã habẽtis.

SECTIO SECVNDA

Secunda Animæ definitio, & explicantur vitæ gradus

Secunda animæ definitio.

1 ALiam Animæ definitionem tradit Ariſtoteles, *t.24.* Anima eſt id, quo primo viuimus, mouemur, ſẽtimus, & intelligimus cuius ſenſus eſt; anima eſt forma corporis, qua viuimus: ſeũ ita eſt forma corporis, ut ſimul ſit principium actionum vitalium; ſeu qua primo conſtituimur potẽtes viuere. Ariſtoteles autem claritatis gratia addidit operationes omnium graduũ vitæ; vt ſignificaret cuiuslibet ex his operationibus principium eſſe animam. Aduerto autem hic primo cum Alphonſo, hanc eſſe definitionem animæ in cõmuni, vt talis enim traditur ab Ariſtotele, qui aperrè fatetur, ſe nelle animã, quam ſupra definierat, iterum definire: imò per hanc ſecundam definitionem explicat primam: in prima enim dixerat animam eſſe actum primũ corporis organici potentia vitam habentis; hoc eſt operationes vitales; nunc autẽ explicat, quid ſit potentia vitam habere per ſingulas ſpecies operationum vitalium. Cæterum ex ſecunda hac definitione nobis notiori; ita probat Ariſtoteles primam quidditatiuam. Id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, intelligimus, eſt forma ſubſtantialis, & actus primus corporis organici, &c. Sed anima eſt id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, intelligimus: ergo.

Traditur à poſteriori, & per prædicatum ſecundarium

2 Secundo, hæc definitio eſt deſcriptiua, quia non traditur per differentiam eſſentialem rei definitæ, ſed per differentias ſpecierum, quæ ſub illa continentur: eidemque metaphyſicè accidunt; quis enim non videt primam, & immediatam differentiam animæ ſitam eſſe in eo, quod poſſit vitaliter operari? poſſe autẽ operari hoc, vel illo modo ſunt differentiæ ſpecierum: ſicuti eſſe principium ſentiendi eſt de eſſentia animalis in communi; eſſe autem principium huius, vel illius ſenſationis eſt differentia huius, vel illius animalis.

Eſt etiam animæ diuiſio.

3 Hæc igitur non eſt pura definitio, ſed etiã diuiſio animæ; & indè etiam deſcriptiua; quia traditur per finem ſecundarium operandi, qui eſt finis, qui; cum prima tradatur per finem primarium

marium constituendi compositum. Cæterum ex hac secunda definitione colligunt communiter, tria dari animarum genera per ordinem ad tres actus in allata definitione explicatos; alia enim est anima vegetatiua, cuius actus est vegetatio, nutritio videlicet augmentatio, & generatio. Alia sensitiua, cuius actus est sensatio; alia demum rationalis, cuius actus proprius est intellectio. Hæc autem animarum genera ita inter se comparantur, vt imperfectius secerni possit à perfectiori; perfectiùs autem includat saltem defactò imperfectius. Quare anima vegetatiua, quæ est omnium imperfectissima, inuenitur in plantis, quę neque sentiunt, & multò minus intelligunt; sensitiua verò inuenitur in brutis sine intellectiua. Contra intellectiua in homine necessariò supponit vim sentiendi, & vegetandi; sicuti sensitiua in brutis necessariò supponit vim vegetandi.

Tria animarum genera.

4 Hæc confirmari possent primo ex ijs, quæ habet S. Augustinus *serm. 27. de verbis Apost. & l. de quantitate animę c. 33.* vbi errorem illorum, qui plantis animam intellectiuam concedebant; vocat *impietatem rusticam, & errorem sacrilegum*. Secundo ex Aristotele 2. *de anima c. 3. tex. 15.* Ac demum ex Scripturis, quæ expresse indicant in plantis gradum vitæ vegetatiuæ, in brutis etiam sensitiuæ, sed excludunt ab illis intellectum: ac demum homini concedunt etiam intellectum.

Confirmantur.

5 Errauit igitur Empedocles, & Anaxagoras, quos refert Aristoteles docuisse plantas desiderio duci, sentire, ac voluptate affici. Errauerunt Manichæi, somniantes arbores anima rationali præditas, & qui eas exciderent, veluti homicidas damnantes. Quod si plantæ vtilem succum trahunt, inutilem reijciunt; id prouenit ex innata antipathia, & sympathia: eo ferè modo, quo magnes ferrum trahit; succinum paleas.

Arbores non habēt animam rationalem, neq; bruta.

6 Verum, quia Stoici, & alij denegant plantis vitam, ideò hic vlterius illarum vitam confirmo primo auctoritate Apostoli 1. *ad Corint. 15. Quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur:* vbi plantis tribuitur verificatio: & mors quæ sunt propria viuentium. Legatur S. August. 1. *de Ciuit. cap. 20.* & S. Dionysius *c. 6. de diuin. nominibus*. Secundo, auctoritate, & ratione Aristotelis hic t. 18. *Vniuersæ, inquit, plantæ videntur viuere, quippè cum videantur in se ipsis vim habere talem, atque principium; vt quoad contraria loca, tàm incrementa, quàm decrementa suscipiant, non enim quidem sursum accrescunt, deorsum vero non accrescunt, sed ad vtramque similiter differentiam in omnem partē semper nutriuntur.* Ratio igitur sic formari potest: nutritio, & augmentatio facta in omnes partes per intus sumptionem alimenti, est actus vitalis: sed plantis conuenit huiusmodi nutritio: ergo plantis conuenit actus vitalis; ergo viuunt, & sunt principium actus vitalis, ac proindè animatæ: hæc autem anima cum non sit, vt vidimus, rationalis, aut sensitiua; erit procul-dubio vegetatiua tantùm. Maior probatur. Huiusmodi nutritio exigit determinatè diuersa organa; ergo non est, cur deficiat à ratione actus vitalis.

Plātæ gaudēt quadā vera anima.

7 Ex his patet primo, omnia membra allatæ diuisionis participare veram, & propriam diuisionem membri diuisi, nempè animæ. Secundo, allatam diuisionem esse in membra realiter opposita, si nomine animæ vegetatiuæ intelligamus principium vegetandi tantùm, excludens principium sentiendi, & intelligendi; & nomine animæ sensitiuæ principium sentiendi, & vegetandi tantùm; ac demum nomine animæ rationalis principium tùm vegetandi, tùm sentiendi, tùm intelligendi. Quod si nomine animæ vegetatiuæ intelligamus principium vegetandi, præscindendo à principio sentiendi, & discurrendi; & nomine animæ sensitiuæ principium sentiendi cum præcisione à principio discurrendi; diuisio erit in membra tantùm ratione diuersa: sicuti ratione distinguuntur gradus superiores ab inferioribus: & vegetatiuum, vt sic, ac præcisum, est genus ad vegetatiuum tantū, & vegetatiuum sensitiuū. Sensitiuum itē præcisū est genus ad purum sensitiuum, & sensitiuū discursiuum. Aduerto autem, quod ly, purum, hic non affert puram carentiam, sed positiuam perfectionem innominatam, per quam vnum viuēs positiuè distinguitur ab alio.

8 Iam verò quamuis mihi probabile sit iuxtà tria animarum genera; tres tantùm dari gradus viuentium illis correspondentes: neq; enim video vrgens argumentum, quo cogamur non eodem modo discurrere de generibus animarū, ac de gradibus viuentium. Et sanè sicuti anima sensitiua, quæ est principium motus localis perfecti, non constituit diuersum genus animæ ab illa, quæ est principium motus localis imperfecti, qualis inuenitur in quibusdam animalibus imperfectis, quæ affixa eidem loco nunquam progressiuè mouentur, sed tantùm exercent motus quosdam dilatationis, & restrictionis, quibus adiuuentur ad sumendum cibum, ac exprimunt sensum doloris, & voluptatis; ita neque viuens sensitiuum, quod progressiuè mouetur, constituet diuersum gradum vitæ ab illo, quem constituūt imperfecta animalia loco affixa; quæ ideò plantanimalia vocantur.

Vtrum dentur quatuor viuētiū gradus, & tria tātum animarū genera, est quæstio potius de nomine.

9 Quamuis, inquam, id mihi probabile sit; tamen quia quæstio est de puro nomine, & qui oppositum docent sunt auctores primæ notæ, & in explicando eam diuersitatem tradunt doctrinam non contemnendam; ideò cum illis loquere, si lubet, & distingue tria genera animarum vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationalis: quinque potentiarum genera: vegetatiuæ, sensitiuæ, appetitiuæ, intellectiuæ, loco motiuæ: quatuor animatorum gradus: & sunt plantæ, bruta imperfecta, quę plantanimalia dicuntur loco affixa; nec gaudent motu progressiuo, sed cuiusdam dilatationis, & restrictionis: bruta perfecta, quæ motu progressiuo fruuntur, & homo, qui intellectu pollet. Legatur S. Thom. 2. *de anima. tex. 17. lect. 2. & 1. p. q. 78. ar. 1.* & Maur. q. 20.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Anima sit actus corporis.

1 ANimam definiuimus esse actum corporis, quod prædicatum, vtpote commune illi cum alijs formis, est eius genus: verùm quia ex antiquis non pauci negarunt animã esse actum, & affirmabant esse corpora quædam spirituosa, quæ immixta corporibus crassis sunt causa omnium actionum vitalium; ex Modernis autem Athomistæ somniant, vna hominis anima excepta, reliquas formaliter haberi per variam combinationem, & condensationem spirituum; ideò diligentiùs discutiendum est, vtrum veré detur animę, quæ sint actus corporis, illudque prædicatum sit genus essentialiter includendum in definitione animæ. Verùm contra Athomistas plura dixi *lib. 1. Phys.* nunc.

Anima est actus corporis.

2 Dico, animam esse actum corporis, non corpus. Probatur, anima est id, quo corpora constituuntur viuentia in actu primo, seu potentia exercere vitales operationes: sed id, quo corpora constituuntur potentia vitaliter operari, est forma, non corpus aliquod, vel multitudo corpusculorum: ergo, &c. Minor probatur. Id, quo viuentia actu viuunt, non est corpus spirituosum, aut multitudo corpusculorum, sed forma quædam accidentalis valdè perfecta intrinsecè vnita principio vitali; quis enim dicat, me constitui videntem totum nostrum Emisphærium per vnionem ad illud, vel ad aliquod substantiale, quod volans per aerem est visio Emysphærij? Certè quando videmus, & alias operationes vitales exercemus, experimur nos non mortuo quodam modo procedere; sed aliquid in nobis agere; hoc autem non potest esse illa visio, seu corpus completum, quod est visio; neque vnio illius; cum neutrum à nobis procedat: ergo id, quo constituuntur viuentia in actu primo, est forma substantialis, quæ sit radix omnium harum operationum vitalium.

Distinguitur à corpusculis, et spiritibus.

3 Confirmatur, corpora illa attenuata, & viuacia extra partes crassas obtinent eamdem perfectionem substantialem, vel non? Si primũ? ergo etiam extra partes crassas poterunt exercere operationes vitales: potentia enim ad illas operationes adæquatè identificatur cum illis corpusculis; vnio autem localis ad partes crassas potiùs est impedimentum operandi: ergo extra corpora crassa deberent partes illæ tenues, & spirituosæ viuere; si præcipuè localiter inter se vnirentur: si secundum proculdubio perfectio substantialis, quam per segregationem amiserũt, est forma, & anima, quam quærimus.

Anima rationalis est forma informans nõ purè assistens.

4 Hinc reijcio Platonem, & alios asserentes, animam rationalem non esse formam informantem, sed assistentem, & veluti aurigam, & nauarchum corporis; primo, quia hic est error damnatus in Concilio Viennensi sub Clemente V. *Clementina vnica* §. 3. *de summa Trinitate*, illis verbis: *Doctrinam, seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiua, verè, & per se humani corporis non sit forma, vt erroneam, & veritati Catholicæ inimicam prædicto approbante Concilio reprobamus*: & infra addit Pontifex: *Vt quisquis deinceps asserere, defendere, aut tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis per se, & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.* Eamdem doctrinam tradunt passim Patres, & Expositores. Ratio autem esse potest eadem, ac allata pro alijs formis, quia debet dari in homine principium substantiale radicale operationum, quæ maximè sunt propriæ illius, & quas à nobis prodire experimur, quales sunt intellectiones, & volitiones: harum autem operationum principium non potest esse materia, neque quæcunque forma, sed spiritualis, qualis est anima: operationes enim illæ valdè perfectę intelligendi, & volendi, quas in nobis experimur necessario sunt à principio spirituali, vt suppono.

5 Hinc reijcitur secundus Galeni error, & aliorum, quos sequuti ex Hæreticis sunt Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Caiani, atque Anstratiæ asserentium, animam non esse substantiam, sed accidentium harmoniam. Contra quos faciunt tum auctoritas Viennensis, tum ratio supra allata.

Reijciũtur errores asserentium animã esse vel accidẽtium armoniam, vel igneã, vel aereã, aut absolutè corpoream.

6 Tertia Anaximander, Anaximenses, Anaxagoras, animam aeream finxere: Zeno igneam: Cleantes, & Crisippus vniuersaliter asserebant, esse corpoream. In eumdem errorem inciderunt Apollinaris, Alexandrinus, & Tertullianus. Sed reijciuntur; quia Luc. 1. dicitur: *Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. & Matth. 25. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. & c. 27. *Emisit spiritum*. Et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. *firmiter de summa Trinitate*, hæc de Deo habentur. *Sua omnipotenti virtute vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corpoream; angelicam videlicet, & mũdanam, & deindè humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constantem.* Et Concilium aliud Lateranense sub Leone X. *sess.* 8. docet, *Non minus certum esse animam esse incorpoream, quàm immortalem, & à corpore independentem.*

7 Licet aliquando in Scripturis spiritus accipiatur pro rebus materialibus; nefas tamen est dare eam interpretationem locis citatis; cum constans Patrum interpretatio in contrarium id prohibeat. Ratio autem desumitur ex cognitione rerum spiritualium, & modo cognoscendi valdè abstracto, ex potentia discursiua, & libertate, quibus pollet homo; ex voluptate, quam de rebus spiritualibus aliquando percipimus; & ex alijs capitibus, quæ omnia eruditè satis expendit Suarez *lib. 1. de anima, c. 9.*

Neque est diuinę substantię particula.

8 Quarto, nonnulli dixere animam esse particulam diuinæ mentis, ex Dei substantia prognatam; ita Hæretici, Manichæi, Gnostici, Priscillianistæ, qui omnes damnati sunt in Concilio Braccarensi primo c. 5. & à Leone itẽ primo

Yyy epist.

epist. 91. c. 1. Contra quos ita argumentatur S. Augustinus. Si anima est particula diuinæ mentis: ergo vel Deus, & diuina mens mutatur ad mutationem animæ, quod est impium; vel anima erit incapax mutationis, & neque vel in meliùs proficiet, vel in deteriùs deficiet. Idem apertè testantur Scripturæ asserentes, Deum esse animæ conditorem.

Distinguitur ab Angelis.

9 Error Origenis asserentis animas non distingui ab Angelis: reijcitur ex diuerso modo operandi Angelorum independenter à materia, & cognoscendi sine diuisione, & compositione. Cuius oppositum tuenit in anima. Luciferiani,

Non propagatur per semen.

asserentes animas propagari per semen. Damnātur ab Augustino *lib. de hæresib. c. 28.* & S. Thom. 2. *contra gent. c. item 28. & 1. p. q. 128. art. 1.* id non solùm errorem, sed etiam hæresim vocat, & oppositum huic errori, vt verum habetur in *decretis 32. q. 2. c. Moyses*; & traditur communiter à Patribus. Contra Seleucum asserentem animas ab Angelis creari. Stant vniuersaliter Patres, qui tanquam veritatem catholicam tradunt, animas rationales à Deo creari. Legatur Ouiedus *controu. 1. de anima, p. 3. §. 2.*

Creatur cū vnione ad corpus.

10 Damnatus item est alius Origenis error, animam videlicet rationalem priùs tempore creari, quàm vniatur corpori. Damnatus, inquam, est á Leone I. *epist. 3. Concilio Constantinopolitano 5. act. 2. in epistola Sophronij*. Ratio autem est: quia animus rationalis est forma corporis: ergo petit produci cum vnione ad corpus.

Non vna anima, nō vnus est omnium hominum intellectus.

11 Auerroem astruentem in omnibus hominibus vnicum intellectū damnat Conciliū Lateranense sub Leone X *sess. 8. cit.* eius verba habes apud Ouiedum *cit. n. 23.* Ratio est; quia si vnus esset omnium hominum intellectus, omnes idem intelligerent simul eodem tempore, & modo; quod est absurdum.

Impugnatur animarum transmigratio.

12 Fabula Pythagoræ asserentis animarum transmigrationem, damnatur ab eodem Lateranensi definiente animam pro corporum multitudine esse singulariter multiplicem, multiplicatam, & multiplicandam. Rursùs hæresis damnata est, animam non eodem tempore creari cū vnione ad corpus, quod tenetur asserere Pythagoras.

Anima vnitur materiæ etiam secundum gradū intelligendi.

13 Ex Catholicis autem nonnulli docent, animam rationalem informare corpus secundum gradum sentiendi, non autem secundum gradum intelligendi, & ratiocinandi. Tribuitur Caietano *1. p. q. 76.* Cæterùm cum gradus intelligendi, & sentiendi non distinguantur in anima; implicat, quod anima vniatur corpori secundum vnum, & non secundum alium gradum.

14 Dices: anima rationalis non communicat materiæ gradum rationalis: ergo non vnitur illi, vt rationalis est. Nego consequentiam, nēque enim anima rationalis communicat materię esse vegetatiuum, sensitiuum, aut esse totius; & tamen secundum has omnes rationes illi vnitur. Dici nihilominus potest iuxta modum loquendi S. Thomæ, & Aristotelis, quod anima rationalis non sit actus corporis secundum gradum intellectiui; & quod intellectus formaliter non sit actus corporis, sicuti est sensus: quia videlicet intellectiones, & volitiones non necessariò pendent ab organo corporeo, sicuti pendent sensationes.

14 Noto primo ex eo, quod anima rationalis per se subsistat, solùm fieri, animam rationalem posse naturaliter existere sine vnione ad corpus; non autem, quod non possit vniri corpori, cum illo indigeat tùm ad cognoscendū, tùm ad opera virtutis.

15 Secundo, spiritus, & quintas essentias, quæ extrahuntur ex corporibus mixtis inanimatis, non esse spiritus, quos docent aduersarij; sed partes integrales illorum mixtorum accidentaliter defæcatas; compositas tamen ex materia, & forma.

16 Tertio, licet negemus animam esse illum tenuissimum spiritum; nos tamen admittere in corporibus viuentibus quasdam substantias, quas vocamus spiritus, & multùm iuuant animam ad suas functiones, & ab illa fouentur; sed non informantur.

SECTIO QVARTA.

Vtrum animæ omnes sint eiusdem speciei?

Animæ multæ differunt inter se specie.

1 DIco, animas non esse omnes eiusdem speciei; quia viuentia differunt specie, vt patet ex operationibus, quas adæquatè ponit quodlibet vnum viuens, quæ notabiliter differunt ab operationibus, quas adæquatè, & determinatè ponit aliud vnum viuens adæquatum, & ab altero omninò indepēdens: ergo formę, quæ sunt radices illarum operationum, & constitutiuæ viuentium, specie differunt; ea enim diuersa radix operationum nō potest esse materia communis omnibus. Confirmat Mautus; quia ridiculum est dicere, omnes artes esse eiusdem speciei, & solùm instrumenta differre specie; instrumenta enim debent esse diuersa; quia debent inseruire diuersis artibus: ergo ideò corpora animata habent diuersa organa; quia habent diuersas animas indigentes ad suas operationes diuersis instrumentis. Quod argumentum vrget Aristoteles hic *text. 13. lib. 1.*

Animę rationales inter se comparatæ omnes sunt eiusdem speciei.

2 Dices primo: omnes animæ humanæ sunt eiusdem speciei; & tamen habent corpora diuersimodi organizata. Respondeo, totam illam varietatem organizationis in corporibus humanis esse accidentariam, non exactam determinatè ab anima, sed inductam accidentaliter à causis, & materia deficientibus, aut abundantibus: cum hac autem varietate accidentali stat ea firma similitudo in præcipuis partibus; quę sufficiens est ad iudicandum illas animas esse eiusdem rationis inter se, non cum animabus brutorum.

3 Ex eadem causarum diuersitate oritur diuersitas temperamentorum; ideoque alter dicitur esse complexionis equinæ, alter leoninæ;

quia

quia á causis alter accipit temperamentum accedens ad leoninum, alter ad equinum. Ex eadem causarum imperfectione oritur, quod quis nonnumquam oriatur minus aptus ad videndum, audiendum, &c.

SECTIO QVINTA.

Quæ partes informentur Anima?

Varietas partium viuentium

1 DIximus, animam esse actum constituentium corporis physici organici, potentia vitam habentis: in corpore autem huiusmodi sunt plures partes, quarum aliæ sunt similares, & homogeneæ, quæ habeant partes omninò similes; vt sunt ossa, caro, & similes: omnes enim partes ossis sunt ossa inter se similia; aliæ verò dissimilares, & heterogeneæ, quarum partes sunt inter se dissimiles; vt est caput, quod constat carne, ossibus, neruis, &c. Dantur prætcrea partes organicæ, & non organicæ: primæ destinantur alicui particulari officio vitæ; vti cerebrum, cor, hepar, oculus; & hæ aliquando sunt dissimilares, aliquando similares, vt nerui: inorganicæ nulli vitæ peculiari functioni deputantur: vt fortasse sunt ossa, quæ licet viuant, & nutriantur; quod est commune omnibus, nullum aliud munus vitæ saltem actiué præstant.

Aliæ sunt similares, aliæ dissimilares.

Aliæ organicæ, inorganicæ aliæ

Aliæ fluidæ, solidæ aliæ.

2 Tertio, dantur partes solidæ, vt caro, ossa, &c. & fluidæ, vt sunt sanguis; & reliqui humores, pituita, colera, & malinchonia: alijque prædictarum vices in alijs viuentibus exercentes. Demum sicuti in arte dantur duo genera instrumentorum; alia, quæ sunt ex primaria intentione artis, & immediatè concurrunt ad opus artificiosum; vt gladius, & clypeus in arte militari; alia ex secundaria intentione, quæ ordinantur ad conseruanda instrumenta primi generis, vt est in eadem arte militari vagina ad conseruationem gladij: ita anima aliquibus partibus vtitur immediatè ad functiones vitæ exercendas; vt sunt cor, caput, iecur, & similia; aliquibus ad conseruationem priorum: sicuti enim in arboribus folia sũt ad protegẽdos fructus; ita in brutis, & homine pili, capilli, vngues sũt ad protectionẽ aliarum partium, & spectant ad perfectionem secundariam corporis humani. Vndè communiter docent Theologi, ea omnia venire ex vi verborum in consecratione panis, itemque beatos cum eisdem partibus resurrecturos. His positis.

Aliæ primariæ, aliæ secundariæ.

Informantur anima omnes, & solæ partes, quæ operationẽ vitalem exercent.

3 Quærimus, quænam ex his partibus constituantur ab anima viuentes? quod idem est, ac quærere; quarum partium in composito viuente anima sit actus? Certum autem est, eas partes omnes, & tantùm informari anima, quæ exercent aliquam operationem vitalem: principium enim operationum vitalium est anima: ergo vbi nulla est operatio vitalis, nulla est anima; aliter frustrá ibi esset: vbi autem est aliqua operatio vitalis, necessariò ibi est anima.

Certò animatæ partes.

4 Certum item est, ex partibus solidis anima informari carnem, neruos, cor, hepar, arterias, fibras, venas, membranas, carthilagines, cutem; quia omnia hæc nutriuntur, & crescunt per intus susceptionem alimenti; pleraque verò sentiunt: vt patet ex dolore, & voluptate. Dubitatur autem de ossibus, pilis, dentibus, vnguibus, capillis, & volatilium plumis.

Dentes, & ossa sunt animata.

5 Dico igitur primo: dentes, & ossa sunt animata. Probatur: quia per intus sumptionem alimenti in omnem partẽ crescunt; quæ est propria viuentium augmentatio: eius rei indicium est interna medulla, qua aluntur ossa, & fibræ, ac nerui, quibus dentes carni adhærent, vt indè alimentum trahant. Quinimò aliqui etiam sensum, dentibus, & ossibus concedunt ex dolore quodam valdé obtuso, quem se experiri dicunt in huiusmodi partibus. Neque obstat, quod dentes aliquando sponté cadunt, & dari nobis sunt tanquam rostra auium; cadunt enim vi morbi, & senectutis separantis partes animatas: si enim morbus, & senectus valent diuidere animam à corpore; quanto magis partes animatas inter se. Comparantur autem rostris non quoad substantiam, sed quoad munus. Præterea dentes semper crescunt, sed intra certos terminos.

Cornua, & pennæ brutorum sunt animatæ.

6 Dico secundo: cornua, & pennas brutorum esse animatas: augentur enim in omnem partem, & per intus sumptionem alimenti, ex qua parte adhærent cuti; habentque certum magnitudinis terminum; & licet in Phrygia nonnulla animalia ea facilitate moueant cornua, quã auriculas; hinc solùm infertur, quod non hæreant ossibus, non autem quod nulli parti animatæ hæreant. Aliàs dicam neque auriculas esse animatas. Confirmatur, quia in pennis inueniuntur nonnulla, quæ valdè conducunt ad nutritionem; in calamo enim pennæ cernitur maxima fibrarum, & meatuum varietas, quinimò in eius radice deprahendimus humorem quemdam sanguineum, qui cedat in alimentum illarum: idem facile discernes in cornibus, & rostris animaliũ.

Animati vngues.

7 Eadem videtur esse ratio de vnguibus; licet contrarium non videatur improbabile. Quod si vngues puerorum signantur duplici puncto, nõ probabis post aliquod tempus, & semper puncta æquè distare; quod si id contendas, erunt viuentia minùs perfecta; quia vtroque modo crescunt, & per intus sumptionem, & per appositionem materiæ.

Capilli, & pili nõ sũt animati.

8 Dico tertio, capillos non viuere; eadem est ratio de pilis. Probatur; quia nullum vitæ indicium dant, neque proportionato quodam modo in omnem partem crescunt, quinimò nec terminum magnitudinis fortasse habent; aliqui enim equi ita promissos habent capillos, vt humum verrant. Figurarum autem varietas, quam in capillis experimur, non oritur ab anima, qua informantur, sed à cute, vnde prosiliunt: si enim hæc rarior, pluribusque poris abundans sit, recti, & proxiliores erumpunt; cum autem densior est, aut non ita poris repleta rariores capilli, asperiores, & distorti oriuntur. Et ob hanc rationem ex partium constipatione in cicatricibus nulli nascuntur pili. Mouentur autem, & eriguntur ad motum cutis, cui adhærent; poros

autem, & canitates, quas aliqui in capillis euchumant; fateor, me non ita acutis oculis, vt aliquando id deprehenderim. Quod affert Arriaga, nonnumquam quosdam homines mortis timore correptos incanuisse; non euincit capillos animatos; ad hanc enim canitiem sufficit, si frigido, & venefico aliquo humore à cute trãsmisso inficiantur; quod nullum vitę indicium est. Etsi instes capillos resectos non incanescere; respondeo, id euenire ex defectu actionis cutis in resectos; non enim eodem modo cutis applicatur resectis, ac illis, qui sibi inhærent. Quare mirum non est, si eosdem in illis effectus non producat.

Oppositum est etiam probabile.

9 Probabile tamen est contrarium; tum ob rationes dictas, quas vtcunque solui: tum quia refert Arriaga, vnguentum quoddam esse ex arbore confectum, quo si vngatur caput, canescunt capilli; non canescunt autem si eodem vnguento iam resecti imbuantur: ergo canities producitur per intus susceptionem alimenti. Verùm dici potest per actionem manentem cutem infectam producere illam qualitatem in capillis. Paritas item aristarum vrget nos; sed in aristis facilius deprehendere possumus signa vitæ, & quasdam cauitates; quinimò interio videntur eiusdem omninò rationis cum reliquo corpore. Demum pili crescunt inæqualiter, nam in partibus cuti proximis sunt duriores, & asperiores, quam in partibus remotis: ergo crassiores sunt in proximis; sed contra: quia etiam calor est intensior in partibus vicinis passi, quàm in remotis.

10 Circa partes fluidas dico, sanguinem nõ animari: nomine autem sanguinis veniunt omnes quatuor humores permixti. Probatur, quia Aristoteles 2. *de part.* c. 3. docet, sanguinem esse vltimum alimentum in sanguificis. Et 2. *de gener. animalium* c. 38. & 39. ait: *Alimentum, seu nutrimentum ante augmentationem esse alterum à viuente, quod nutritur; transmutatur autem in formam viuentis adueniente nutritione.* Ex quo sic arguo. Sanguis conuertitur per nutritionem in substantiam alteri: ergo differt substantialiter à viuente; non secundum materiam; ergo secundum formam.

11 Neque dicas conuersionem sanguinis in alias partes esse accidentalem; quasi verò sanguis perseuerans substantialiter idem, acquirat noua accidentia; ne id, inquam, dicas; aliter illa conuersio, & nutritio non esset actio substantialis, neque augmentatio: quia neque noua substantia, neque noua quantitas acquireretur à viuente; sed erit pura alteratio, nec ordinata ad nouã formam substantialem; quę omnia videntur absurda. Certè si possumus, debemus saluare, quod nutritio sit actio substantialis. Recurrere autem ad gluten, rorem, cambium, in quæ prius conuertatur sanguis, est quęstionem ad alios terminos reuocare, & sine fructu; nam gluten, & alia, vel sunt animata, vel non? si secundum, ergo sanguis animatus conuertitur in partes non animatas; si primum, redit difficultas de sanguine animato, qui conuertatur per nutritioné in alias partes animatas. Confirmatur vlteriùs: quia humores non videntur habere cauitates, per quas intus sumant alimentum. Demum, si sanguis esset animatus, in consecratione calicis anima veniret formaliter ex vi verborum; significaretur enim formaliter per verbum sanguis, qui constituitur per animam.

12 Dices primo, sanguis est pars hominis: ergo est animatus. Consequentia probatur; quia cum non sit pars essentialis, erit vtique integralis informata anima. Antecedens probatur; quia in consecratione corporis Christi in Eucharistia sanguis venit concomitanter ex vi vnionis, & concomitantiæ naturalis, qua partes Christi Domini inter se copulantur iuxta dogma Tridentini *sess.* 13. c. 3. ergo verè sanguis est pars Christi Domini vnita reliquis. Secundo, Innocentius Tertius *Extrauaganti de celebratione Missarum* docet: *Aquam, & sanguinem fluxisse de latere Christi Domini, vt ostenderetur Christum habuisse humores, qui pertinent ad veram hominis constitutionem.*

13 Respondeo ex Requesenio meo doctissimo Præceptore *disp.* 5. *de beatitudine sect.* 5. Mauro *tom.* 4. *q.* 28. & alijs. Distinguo antecedens; est pars hominis primaria, nego: secundaria, concedo antecedens; & nego consequentiam. Primaria pars est, quę informatur anima, & exercet in se operationes vitales; secundaria datur, vt instrumentum primariæ, & in eius subsidium, vel vt nutrimentum, vel ad fouendum calorem, & adiuuandas actiones vitales. Sanguis igitur est pars hominis secundaria. In Beatis post resurrectionem erit non ad nutritioné, sed vt iuuet alias actiones vitales. Chilus autem omninò deficiet in patria; quia tantùm ordinatur ad nutritionem. Non potest eodem modo dici pars hominis sanguis, ac aer; tum quia non ita connectitur cum animali aer, vt sanguis; aer enim, non vt sanguis, producitur, aut dependet in conseruari ab animali; neque aer tantùm à natura institutus est ad fomentum animalium, tanquam instrumentum actionum vitalium, vt est sanguis. Demum sanguis exigit explere poros, & vacuitates corporis, quod non conuenit aeri.

Quomodo sanguis, & si non animatur concomitanter veniat in consecratione corporis Christi Domini.

14 Hinc soluitur ratio ducta ex authoritate Tridentini; sanguis enim est vera pars hominis, & Christi Domini, sed secundaria, quę connectitur, & comitatur alias; quare mirum non est, si concomitanter veniat in consecratione panis. Ad textum ex Innocentio Tertio dico, ibi non esse sermonem de constitutione essentiali, vel integrali, sed de constitutione absolutè perfecta, & in statu naturali, quæ includit non solum partes essentiales, & animatas; sed etiam alia instrumenta necessaria ad vitæ functiones exercendas, ea præsertim, quę sibi format viuens. Ideoque homo exanguis est valdè imperfectus, & veluti mortuus; caret enim pręcipuo instrumento vitæ. Hinc patet responsio ad loca aliqua Scripturæ, in quibus dicitur vita animalis sita esse in sanguine, & similia: solùm enim significatur, sanguinem necessarium esse animali, vt nutri-

nutrimentum, & instrumentum ad vitę munera. Confirmatur; quia semen dicitur pars hominis: aliter filius non esset pars diuisa à Patre; & tamen non est animatum: idem dico de lacte. Demum calor non potest dici pars hominis, ne secundaria quidem; quia neque essentialiter, neque integraliter, primario, vel secundario constituit hominis substantiam.

Sanguis in Christo assumptus est à Verbo.

15 Dices secundo: sanguis fuit assumptus à Verbo; ergo est animatus; aliter Verbum assumpsisset duas naturas alteram viuentem, alteram non viuentem. Nego consequentiam; ad rationem in contrarium dico, nullum esse absurdum, quod Verbum assumpserit plures naturas; nam in triduo fuit vnio ad corpus, ad animam, & sanguinem inanimatum, quę profectò sunt plures naturæ. Solùm igitur falsum est, quod assumpserit plures naturas substantiales nullo modo inter se connexas, & subordinatas; quod non verificatur in casu nostro, vt patet; quinimò aliquo modo sanguis cōstituit cum reliquis partibus vnam naturam; quia constituit vnum principium actuum vitalium; non est igitur sanguis alienum quid à natura humana. Præterquàmquod per effusionem sanguinis facta est Redemptio: congruum igitur fuit, sanguinem assumi.

Quomodo mouetur sanguis.

16 Dices tertio, sanguis mouetur: ergo est animatus. Nego consequentiam, tum quia motus localis fortasse nō est formaliter actus vitalis; tū quia motus ille passiuè tantum procedit à sanguine, actiuè autē ab anima, quæ per varios actus appetitus ministerio spirituum nunc illum trahit ad vnam partem, nunc ad aliam. Demum sanguis non est sensitiuus; motus autem localis proprius viuentium sequitur ad gradum sensitiuū: ergo non potest motus sanguinis esse proprius viuentium.

17 Instabis ex symbolo S. Athanasij, sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus: ergo tantùm assumpsit Deus ex parte hominis, quod anima ex parte carnis. Nego consequentiam; similitudo enim S. Athanasij solùm est in eo, quod sicuti anima, & caro vniuntur ad faciendum vnum per se; ita Verbum, & homo: nusquam autem habetur in symbolo, Verbum assumpsisse solùm partes corporis animatas; quod tamen deberet verificari ad legitimam illationem.

18 Illud hic addo, non esse verum, nunc asseruari in terris aliquas particulas sanguinis Christi, illas videlicet, quæ spectabant ad nutrimentum Christi: alter vel non assumpsit Verbum totum Christi sanguinem, quod parum tutum putat Suarius 3. *p. disp. 22. sect. 7.* vel quod fuit assumptum, iam est dimissum; quod non est gratis asserendum.

Reijcitur distinctio Caietani de sāguine puro, non nutrimentali, & animato.

19 Ex dictis infero primò; gratis diuisse Caietanum, sanguinem nutrimentalem, & impurum esse inanimatum; animatum autem esse purum: tum quia falsum videtur sanguinem purum non seruire nutritioni; tum quia nulla experientia constat, sanguinem defæcatum, vt sunt spiritus, esse animatum: quamuis autem spiritus actiuè concurrant ad nonnullas vitales actiones; probabile tamen est respectu illarum esse tantum principium extrinsecum, & concurrere medio calore, cuius præcipua sedes est in sanguine: quinimò cum spiritus sint substantialiter sanguis, & possint deficiente sanguine conuerti in substantiam animalis; non debent esse animati: cum præsertim per omnes partes corporis discurrant, & faciłè euolent apertis poris: quod signum est, non esse vnitos reliquis partibus corporis; aliter non cum magna suauitate, vt de facto euenit; sed cū non vulgari dolore ab alijs partibus perpetuò separarentur.

Quomodo ex sanguine formentur spiritus.

20. Vt autem aliquid hic de huiusmodi spiritibus obiter dicamus; sciendum est, eos esse corpuscula quædam subtilissima, ex defæcato sanguine confecta; quæ spiritus ideò vocantur, quia vel obtutum effugiunt, vel summa cum celeritate, veluti quædam leuis aura, suauissimè spirant, pulsant, ac mulcent; inseruiunt autem ad vitę munera exercenda, & promouenda.

21. Pars igitur sanguinis purior in hepate confecta transmittitur per venam cauam, aliosque meatus, primo in dexterum, deindè in læuum cordis ventriculum; ibique magis recalescens, vim quamiam vitalem concipit ad vitæ functiones iuuandas. Horum autem spirituum, qui in corde formati sunt, pars per arterias toto corpore diffunditur; pars in cerebri ventriculum transit; vbi virtute cerebri magis attenuatus sāguis redditur sensationis, & motus localis idoneus minister. Ex cerebro ergo in particulas diuisus per neruos descendit, ac diffunditur iuxta exigentiam totius, ad cuius bonum ordinatur. Virtus autem, qua in diuersas partes distribuitur, vel est rectrix, quam authumāt Medici, facitúque omnibus facultatum muneribus, ac toti corpori præsidentem; vel cum Conimbricensibus dicamus esse virtutem impellētem, & attrahentem, qua cor, & cerebrum, aliaque membra pollent. Nec id mirum putari debet: cum mirabiliores virtutes deprehendamus in rebus inanimatis, vt in magnete, reubarbaro, &c.

Tres spirituū classes.

22. His spiritibus addunt nonnulli tertium, quem naturalem vocant; & dicunt esse partes sanguinis tenuiores, & calidiores, quę ab hepate proficiscentes, adiuuant omnium partium nutritionem: sicuti enim triplex datur in anima facultas; naturalis, cuius proprium est nutrire; vitalis, cuius est pulsare, & calefacere; & animalis, cuius sunt sensus omnes, & potentia, à qua oritur motus voluntarius, qui videlicet sequitur cognitionem, & appetitum; ita tres dari debent spirituum classes dictis facultatibus, & earum muneribus accommodatè inseruientes. Sunt tamen, qui spiritus hosce naturales reijciūt; quia nullum est in hepate vasculum, quod sit horum spirituum veluti sedes.

23 Necessitatis eorumdem spirituum ratio indè oritur; quia cum animantium vita in calore consistat; eoque foueantur illorum functiones; ideoque Aristoteles lib. *de iuuent & senectute*

ctute c. 3. Mortem, caloris extinctionem definierit; quia videlicet, dum calor viget vita sustentatur, eodem intereunte concidit; animalium verò calor continuò dissipetur; necesse fuit, iacturam hanc continuò resarciri. Ad hunc igitur finem natura conseruationis auida hos spiritus prouidit, qui velut caloris geruli; illũ toti corpori diuidant. Nec item insitus calor, & spiritus nisi horum spirituum ope diu perdurare potest, qui, vtpotè tenuissimi, atque agiles, huc illuc magna celeritate discurrunt; ac totum corpus breui peruolitant calore adiuuante prediti. Confirmatur; mortuo animali, officina, quæ eo viuente spiritibus opplebatur, reperitur vacua: est autem hæc officina, cerebri, & cordis ventriculum: ergo signum est euanuisse spiritus, qui illam occupabant.

24 Ad pleniorem tamen horum spirituum intelligentiam, est hic notanda distinctio, quam communiter afferunt, spiritus, in insitum, & influentem. Insitus, qui etiam ingenitus, & implantatus dici consueuit, est, qui virtute seminis vnicuique membro ab exordio inseritur. Hunc spiritum docet Aristoteles *lib. 2. de gener. animal. c. 3.* facere, vt fœcunda sint semina, caloremque vocat; quia videlicet calidissimus est. Influens est, qui à principe aliquo membro in reliquas corporis partes continenter influit. De alimento, & sustentatione horum spirituum docent Conimbricenses *lib. 1. de gener. c. 5. q. 2. ar. 2.* quod quemadmodum lucernæ flamma, ne extinguatur, duo requirit, nempè oleum, & ambientem aerem; oleum, vt eo tamquam pabulo alatur; aerem, vt ab ipso incrementum, fomentumque accipiat; ita spiritus duo etiam exigit; alterum est humor quidam persimilis oleo, quem nonnulli primigenium vocant, quod à prima statim origine suscipiatur; radicalem alij, quod eo quasi radice animalium vita sustentetur; alterum est pertenuis aura, quæ spiritum foueat. Est item communis Auctorum opinio eos foueri odorifero halitu.

25 Dico secundo lac, & semen animalia non animantur. De semine probatur; quia idem est decisum, ac ante separationem: ergo si excisum non animatur, nec ante excisionem. Antecedens probatur in semine plantarum, ac etiã humano, quæ excisa operantur: ergo eamdem vim habent excisa, ac separata; quinimò non operantur, nisi separata: ergo formaliter, vt talia, non operantur vitaliter: alias separata ab animali non operarentur.

26 De lacte probatur: quia non ordinatur nisi ad alterius suppositi nutritionem: ergo non ordinatur ad constituendum, & integrandum viuens; quod est de ratione partis viuentis. Lac autem dicitur sanguis imperfectè coctus: non quia sit substantialiter sanguis; cum tantoperè differant in qualitatibus: sanguis enim est calidissimus, lac frigidissimum; sed ob aliquam similitudinem in virtute nutritiua. Locutus sum de semine animalis, & formaliter vt semen est: nam in plantis semen animatur, & crescit per intus sumptionem alimenti. Dicta de sanguine à fortiori intellige de adipe, rore, saliua, sudore, alijsque humoribus, quos omnes anima, vt excrementitios reijcit.

27 At certum videtur, cerebrum viuere; quia in ipso exercentur præcipuæ actiones vitales: viuit etiam medulla spinalis, quæ est eiusdem rationis, ac cerebrum, & à cerebro procidiscitur. Demum probabile est medullas reliquorum ossium viuere; quia & habent non minus, ac cerebrum quamdam soliditatem, ac determinatam figuram, quandam etiam partium heterogeneitatem; & facilè inuenies fibras, & cauitates, per quas alimentum sumant. Neque necesse est, vt medulla cedat in alimentum ossium; sed sufficit, si sit veluti receptaculum alimenti, quo & ipsa nutriatur, & ossa.

SECTIO SEXTA.

Quæ animarum sint diuisibiles?

1 QVatuor animarum genera possumus hic considerare: animam videlicet rationalem; brutorum perfectorũ, quorum partes separatæ non viuunt; imperfectorum, quorum partes separatæ viuunt, vt sunt lacertæ: ac demum plantarum. Quia verò nonnulli cum Hurtado *disp. 2. de anima sect. 3.* & Vasquez *1. p. q. 22. disp. 118. n. 30.* assumunt ad decidendam quæstionem illud principium: omne materiale esse diuisibile, & omnem substantiam spiritualem indiuisibilem: ex quo benè inferunt præter animam rationalem, reliquas animas esse diuisibiles; ideò locus ipse videtur exigere, vt ante decisionem quæstionis explicemus conceptum rei materialis, & spiritualis. Sit igitur.

SVBSECTIO I.

Explicatur conceptus rei spiritualis, & materialis.

2 SVpponendum est, primum analogatum materialitatis esse materiam primam, quam dependenter à sensibus colligimus defactò dari. Igitur illa tantùm putanda sunt materialia, & corporea, quæ participant eas conditiones, propter quas dicimus hoc subiectum esse materiam, & quidem corpoream: dicimus autem hanc materiam esse corpoream, quia repugnat penetrationi: & conceptus magis obuius, quam de re materiali, & corporea formamus, est hæc impenetrabilitas, &, quod consequens est, quia est obiectum tactus, tactui resistens. Hinc trepidantibus Apostolis ad probandam veritatem proprij corporis, Luc. 24. *Palpate*, inquit, Christus Dominus, *& videte; quia spiritus carnem, & ossa non habet, &c.* quare ea putanda sunt materialia, & corporea, quæ in quolibet suo statu naturali constituta, huiusmodi impenetrabilitatem proximè, vel remotè participant. Verùm, vt clariùs procedamus.

Materia prima est primũ materialitatis analogatũ.

3 Dico

Prima radix impenetrabilitatis est diuisibilitas materiæ in partes homogeneas.

3 Dico primo: primam radicem materialitatis, seu impenetrabilitatis esse diuisibilitatem materiæ in partes homogeneas. Probatur: prædicatum hoc impenetrabilitatis materiæ corporeæ est prædicatum secundarium respiciens locum: ergo debet fundari in aliquo alio prædicato priori, tanquam in prima radice, & in ipsa entitate rei absolutè considerata: hæc autem prima radix est diuisibilitas materiæ in partes homogeneas: quia substantia constans pluribus partibus homogeneis non potest exigere, vt illę partes vniantur intensiuè ad constituendam magis intensiuè substantiam: substantia enim non suscipit magis, & minus quoad intensionem: ergo determinatè exigit illas partes extensiuè vniri, ac proindè ne sint in eodem loco.

Omnis substantia integraliter composita est materialis.

4 Dico secundo: omnis substantia integraliter composita est materialis, & impenetrabilis. Probatur: omnis substantia integraliter composita vel habet partes integrales homogeneas, & de hac probauimus esse materialem; vel heterogeneas, & sanè huius partes cum non possint vniri naturaliter ad faciendam intensionem, cuius est incapax substantia, vt suppono; debent vniri ad faciendam extensionem: ergo partes illius sunt inter se impenetrabiles. Sunt item impenetrabiles cum partibus alterius substantiæ similis: nam si vna pars dissimilis huius substantiæ non est penetrabilis cum alia dissimili eiusdem substantiæ; neque poterit penetrari cum alia dissimili alterius. Si enim caro hominis nequit penetrari cum osse eiusdem hominis, neque penetrari poterit cum osse alterius. Rursus sicuti partes similes, & homogeneæ huius substantiæ nequeunt penetrari cum partibus similibus eiusdem substantiæ; ita neque cum similibus alterius: vt si caro Petri nequit penetrari cum carne eiusdem; non est, cur penetrari queat cum carne Pauli.

Substantia omninò indiuisibilis est spiritualis.

5 Dico tertio; substantiam indiuisibilem in partes tù homogeneas, & participantes essentiã totius, tù heterogeneas, non esse materialem, sed spiritualẽ. Probatur; quia prædicata materialitatis, & spiritualitatis, penetrabilitatis, & impenetrabilitatis, cum sint prædicata respectiua ad locum, & ad alias res, debent fundari in prædicato alio priori absoluto: sed diuisibilitas in partes homogeneas, & heterogeneas, est prædicatũ fundans impenetrabilitatẽ, & materialitatem: ergo indiuisibilitas in partes homogeneas debet fundare spiritualitatem substantiæ.

6 Huius rei ratio veluti à priori est; quia essentiæ substantiæ, vtpotè primæ in quolibet ente, sunt id, ex quo debemus determinare proprietates, operationes, & effectus reliquos. Diuersitatem autem ipsarum substantiarum non possumus alio modo discernere, nisi ex diuerso modo essendi earumdem: hic autem diuersus modus maximè consideratur penes compositionem, & simplicitatem, qui sunt gradus substantiæ, quos constat esse possibiles, & veluti contradictoriè oppositos; ita vt nulla substantia sit, quæ alterum gradum non participet; & iuxta varios gradus simplicitatis, & compositionis possumus, & debemus distinguere varios gradus substantiæ, eisque assignare varias, & oppositas proprietates, operationes, & effectus. Ergo vbi vnus modus essendi ex oppositis, quatenus talis, fundat vnam ex proprietatibus contrarijs; alius modus debet fundare oppositam proprietatem; aliter non haberemus fundamentum certum, vnde possemus determinare proprietates, & operationes substantiarũ. Sed esse substantiã cõpositã ex partibus homogeneis, vel heterogeneis formaliter arguit eius materialitatẽ, & impenetrabilitatẽ: ergo modus essẽdi oppositus substãtiæ lis excludens compositionẽ partium homogenearũ, & heterogenearum arguet oppositam proprietatem spiritualitatis, & penetrabilitatis.

Quomodo primum sit materiale.

7 Dices primo: punctum materiæ est materiale, & tamen non est integraliter compositũ. Distinguo secundam partem antecedentis; non est integraliter compositum, neque est pars cõpositionis integralis, nego: & est talis; concedo: si enim potest semel aliquod substantiale integraliter componere substantiam; iam est ex natura sua impenetrabile cum alijs cõpartibus: ergo est materiale.

Forma inseparabilis à materia necessariò est diuisibilis, & materialis.

8 Dices secundo: ergo forma indiuisibilis, quamuis naturaliter non posset existere separata à materia, esset spiritualis. Respondeo, hanc formam repugnare: quia esset, & non esset spiritualis; esset vtpotè indiuisibilis, & non esset spiritualis, quia cum ex natura sua esset addicta materiæ, ex natura sua resisteret penetrationi cum alia re, saltem mediante materia, cui per se esset addicta, & nunquam posset esse in statu proprio rei spiritualis; qui est non resistere penetrationi cum quocunque ente. Ratio sit; quia modus ille essendi substantialis excludens compositionem integralem ratione sui formaliter est tractiuus spiritualitatis penetrabilis; & facit, ne res sit necessariò addicta alicui corpori.

Accidẽtia materialia sunt integraliter extensiuè cõposita.

9 Ex dictis infero primo; accidentia materialia necessariò esse integraliter composita, cõpositione extensiua. Probatur; quia accidentia materialia fundantur quoad modum essendi tanquam in prima radice in substantia materiali: ergò debent illi tamquam primæ regulæ conformari: ergo si substantia materialis est ex essentia sua integraliter composita, eamdem compositionem debent includere accidentia materialia; aliter non essent illi proportionata. Confirmatur; sicuti substantia materialis habet plures partes, quæ licet inter se componantur ad faciendum vnum maius; vna tamen est independens ab alia; ita vna debet habere accidentia sibi propria distincta ab accidentibus alterius; ne per recessum vnius pars alia amittat sua accidentia; neque verò ex eo quod patitur vna pars, pati alia debet.

10 Dices: vna anima rationalis informat plures partes materiæ: ergo etiam vnum accidens materiale. Nego consequentiam: quia anima rationalis non est proprietas debita materiæ, & profluens ab eius essentia; sicuti sunt acci-

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere, & recipere sua accidētia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo qualibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo: accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cū ramquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cōfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nō constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem priùs non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo: vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundā partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilē, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicationes diuisibiles.

14 Dices tertio: ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagè sumptis.

15 Infero tertio; veram esse doctrinā Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia vniuntur in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquę sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

Anima rationalis nō potest corpus maius, & maius informare.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis.

Neque si simul vnam manum attollas, & alteram de primas; mouetur motibus contrarijs.

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima mouetur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorē; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo: ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectū adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadęquatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur oppo-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Obijcies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Obijcies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciús vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideó nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 *Instabis primo: si qualibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum.* Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo omnes partes animæ videant.

25 *Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori?* Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non qualibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non qualibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin qualibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

26 *Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis.* Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuæ est, vt tota, & qualibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumis Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 *Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti.* Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

 ctum;

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere, & recipere sua accidétia; eum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo qualibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo; accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cũ tamquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cõfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nõ constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem priùs non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo: vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundã partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilẽ, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicationes diuisibiles.

14 Dices tertio: ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagè sumptis.

15 Infero tertio; veram esse doctrinã Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia vniuntur in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquę sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

Anima rationalis nõ potest corpus maius, & maius informare.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis.

Neque si simul vnam manum attollas, & alteram de primas; mouetur motibus contrarijs.

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima mouetur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorẽ; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo: ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectũ adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadequatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur

oppo-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Objicies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Objicies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideó nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si quælibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo omnes partes animæ videant.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non quælibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non quælibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin quælibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentia videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuæ est, vt tota, & quælibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamliber sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere, & recipere sua accidẽtia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo qualibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo: accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cũ tamquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cõfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nõ constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem prius non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo: vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundã partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilẽ, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicatione diuisibiles.

14 Dices tertio: ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagè sumptis.

15 Infero tertio; veram esse doctrinã Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus propter corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia vniuntur in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquę sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

Anima rationalis nõ potest corpus maius, & maius informare.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis.

Neque si simul vnam manum attollas, & alteram deprimas; mouetur motibus contrarijs.

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima mouetur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorẽ; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo: ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicut brachium non est subiectũ adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadæquatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur

oppo-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnantia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; alioquin idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Obijcies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Obijcies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideó nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si quælibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo omnes partes animæ videant.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non quælibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non quælibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin quælibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquaté visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentię debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuę est, vt tota, & quælibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absoluté indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi propostionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere, & recipere sua accidētia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo quælibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo; accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cū tamquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cōfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nō constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem prius non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo; vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundā partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilē, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicatione diuisibiles.

14 Dices tertio; ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagè sumptis.

15 Infero tertio; veram esse doctrinā Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia vniuntur in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquę sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

Anima rationalis nō potest corpus maius, & maius informare.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis.

Neque si simul vnam manum attollas, & alteram deprimas; mouetur motibus contrarijs.

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima mouetur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorē; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo: ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectū adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadequatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur oppo-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

21 Obijcies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

22 Obijcies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideò nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione; quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si quælibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non quælibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non quælibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin qualibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Quomodo omnes partes animæ videant.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuæ est, vt tota, & quælibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter enim anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo ubi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moveri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, ut patet.

21 Objicies tertio: si anima indivisibilis posset informare corpus divisibile, posset illud informare, quamvis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia unio animæ ad corpus fortasse in conservari dependet ab unione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè unum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent divisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè unum. Hinc quamvis Angelus possit occupare spatium divisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis divisas.

22 Objicies quarto: cognitio materialis nõ est divisibilis extensivè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit unum indivisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diversum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod una pars visionis exprimat unam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs urget, si obiectum sit indivisibile. Rursus, ut una pars cognitionis repræsentet unam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente una parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

Quomodo cognitio materialis sit extensivè divisibilis.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideò nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visivæ; omnes utique debent informari visione; quod si perseverantibus reliquis corrumperetur aliqua pars visionis, non perseverabit adæquatè eadem visio, neque idem videns ut patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si quælibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non dividuntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

25 Instabis secundo: unde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; unde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non quælibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non quælibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin quælibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit unio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viventis videant, est; quia non omnes uniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, ubi exercetur visio.

Quomodo minor pars animæ videant.

26 Urgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitivæ est, ut tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indivisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitivæ debet esse indivisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitivæ est, ut tota, & quælibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit unica, & indivisibilis, non deberet habere nisi unicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter salvatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visivæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visivæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indivisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indivisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indivisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est divisibile, ita ut per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, ut & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diversi actus animæ rationalis attingunt diversum obiectum;

accidentia materialia ; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est iodependens ab alia ; ita iodependenter ab alia producere,& recipere sua accidētia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo quælibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius ; aliter oec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo : accidentia spiritualia esse iotegraliter continuè simplicia ; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cū tamquam proprietates profluant à substantia spirituali ; debent illi conformari io modo essendi. Cōfirmatur ; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali ; v. g. pars intellectinnis esset in toto Angelo ; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nō constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectiooem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem priùs non extendebatur?

12 Dices primo : anima iotelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideó vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem ; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo ; vbicatio angelica est spiritualia, & extensiuè diuisibilia. Nego secundā partem : ratio est ; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilē, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari oon posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicationes diuisibiles.

14 Dices tertio ; ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi : ergo gradus qualitatis oon repugnaot penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus : ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagé sumptis.

15 Infero tertio ; veram esse doctrinā Hurtadi, conceptum videlicet priorum rei materialia situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetratiooem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, noo esse de ratione rei materialis repugnare omni penetratiooi ; plura enim accidentia materialia vniuntur in eodem subiecto ; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratiooe subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis : quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret : Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum oon sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles ; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet ; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti ; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto prætereà primo, falsó supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos peoetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale ; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum ; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod oon est sensibile, neque impenetrabile ; noo tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam iotegraliter simplicem esse spiritum ; & intellectiuam ; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę noo sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstioois; nimirum animam rationalem tantum esse iodiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquę sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

Anima rationalis nō potest corpus maius, & maius informare.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima ratiooalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis.

Neque si simul vnam manum attollas, & alteram deprimas; mouetur motibus contrarijs.

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima mouetur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorē; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo ; ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectū adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadęquatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur oppo-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Obijcies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Obijcies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs viget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideó nulla est superflua. Et fanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si quælibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo omnes partes animæ videant.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non quælibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non quælibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin qualibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuæ est, vt tota, & qualibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere, & recipere sua accidētia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo qualibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo: accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cū tamquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cōfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certé nō constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem prius non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo: vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundā partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilē, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicationes diuisibiles.

14 Dices tertio: ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagé sumptis.

15 Infero tertio: veram esse doctrinā Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia vniuntur in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquę sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

Anima rationalis nō potest corpus maius, & maius informare.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis.

Neque simul vnam manum attollas, & alteram deprimas; mouetur motibus contrarijs.

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima mouetur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorē; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo; ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectū adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadæquatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur oppo-

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo ubi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnantia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nō potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Obijcies tertiò: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciendum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negāt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Obijcies quarto: cognitio materialis nō est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul producantur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideò nulla est superflua. Et fanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si qualibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo minor pars animæ videant.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non qualibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non qualibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nō prohibet, quin qualibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Proportio visionis cū principio, & cū obiecto.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuę est, vt tota, & qualibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter enim anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ità totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, etiam est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionē, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

 ctum;

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere,& recipere sua accidetia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo qualibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia.

11 Infero secundo; accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus cū tamquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cōfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nō constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem priùs non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis.

13 Dices secundo: vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundā partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilē, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatij; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicationes diuisibiles.

14 Dices tertio; iidem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagè sumptis.

15 Infero tertio; veram esse doctrinā Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicuti rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi.

16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia voluntur in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 Ex dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquæ suot materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis. *Anima rationalis nō potest corpus maius, & maius informare.*

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima moueretur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorē; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo; ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectū adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadæquatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur oppo- *Neque si simul vnam manum attollas, & alteram deprimas; mouetur motibus contrarijs.*

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Objicies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus forrasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Objicies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideó nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si quælibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo omnes partes animæ videant.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non quælibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non quælibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin quælibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquatè visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Propostio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuę est, vt tota, & quælibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absolutè indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

accidentia materialia; ergo non debet in modo essendi proportionari modo essendi materiæ: sicuti accidens materiale. His adde, quamlibet partem materiæ, & formæ materialis, sicuti est independens ab alia; ita independenter ab alia producere, & recipere sua accidẽtia; cum independenter ab illa sit virtus respectu illorum: ergo qualibet producit, & recipit accidentia distincta ab accidentibus alterius; aliter nec reciperet, nec produceret accidentia independenter ab alia.

Secus spiritualia. 11 Infero secundo: accidentia spiritualia esse integraliter continuè simplicia; aliter vna pars resisteret penetrationi cum alia. Rursus eũ tamquam proprietates profluant à substantia spirituali; debent illi conformari in modo essendi. Cõfirmatur; quia vna pars accidentis spiritualis esset in toto subiecto spirituali; v. g. pars intellectionis esset in toto Angelo; alia pars intellectionis esset item in toto Angelo: ergo vel constituerent Angelum magis intensiuè intelligentem idem obiectum (loquimur enim de intellectione circa idem obiectum) vel certè nõ constituerent illum magis extensiuè intelligentem. Quid enim est, intellectionem per nouam partem localiter extendi ad locum, ad quem priùs non extendebatur?

12 Dices primo: anima intelligit in cerebro, non in pede. Respondeo, non ideò vel intellectionem in cerebro esse extensiuè diuisibilem; vel posse cum alia intellectione extensiuè continuari.

Vbicatio Angeli spiritualis est, & indiuisibilis. 13 Dices secundo: vbicatio angelica est spiritualis, & extensiuè diuisibilis. Nego secundã partem: ratio est; quia vbicatio angelica non dicit ordinem ad locum materialem diuisibilẽ, sed ad substantiam Angeli, & fundat diuersas relationes distantiæ, propinquitatis, & correspondentiæ; & ideò saluari potest, quod Angelus modo occupet maius, modo minus spatiũ; quæ omnia fateor à nobis vlterius explicari non posse, nisi per respectum ad corpus, & proportionem ab vbicationes diuisibiles.

14 Dices tertio: ijdem gradus qualitatis, qui per nos faciunt intensionem, possunt extendi: ergo gradus qualitatis non repugnant penetrationi. Nego consequentiam; quia exigunt facere extensionem saltem cum aliquibus: ergo repugnant penetrationi saltem remotè, & cum aliquibus vagè sumptis.

15 Infero tertio; veram esse doctrinã Hurtadi, conceptum videlicet primum rei materialis situm esse in diuisibilitate extensiua; sicutì rei spiritualis in extensiua indiuisibilitate, vt supra probauimus; licet conceptus impenetrabilitatis, & resistentiæ ad penetrationem, & obiecti sensibilis per tactum, sit notior, magisque apud Vulgus proprius corporis.

Materiale non repugnat omni penetrationi. 16 Aduerto, non esse de ratione rei materialis repugnare omni penetrationi; plura enim accidentia materialia volumus in eodem subiecto; sed sufficit, si vel ratione sui immediatè, vel ratione subiecti, cui naturaliter semper exigit vniri, res repugnet alicui impenetrationi. Hinc creatio caloris est materialis: quia repugnat penetrationi, non minus ac calor, cui immediatè adhæret: Vbicationes autem immobiles duorum Angelorum non sunt propriè impenetrabiles, sed potiùs immobiles; neque vna resistit alteri, ne secum penetretur, dum illa mouetur ad occupandum idem spatium. Quod si Deus alicui reuelaret, se numquam dissoluturum vnionem inter eius animam, & corpus, & ille reuelationi crederet; talis actus fidei repugnabit penetrationi, non ratione sui, aut subiecti; sed ratione ordinis ad decretum.

17 Aduerto præterea primo, falsò supponere Quiros, Patres asserentes Angelos corporeos, putasse illos penetrabiles. Secundo, malè eumdem distinguere duas spiritualitates, aliam impropriam, & minùs strictam, quæ constituat immateriale; aliam rigorosam, quæ constituat spiritum; & quidem immateriale non spiritum putat esse, quod non est sensibile, neque impenetrabile; non tamen est intellectiuum; quod autem est intellectiuum, putat esse spirituale strictè sumptum, & spiritum. Sed alias probabo omnem substantiam integraliter simplicem esse spiritum; & intellectiuam; ac proindè nullum dari substantiam immaterialem, quę non sit spiritualis.

SVBSECTIO SECVNDA.

Respondetur quæstioni propositæ.

18 EX dictis facilis est solutio quæstionis; nimirum animam rationalem tantum esse indiuisibilem, reliquas diuisibiles. Probatur, quia sola anima rationalis est spiritualis, reliquæ sunt materiales; ergo sola anima rationalis est indiuisibilis, reliquæ diuisibiles.

19 Obijcies primo contra indiuisibilitatem animæ rationalis: ergo anima rationalis potest informare corpus maius, & maius sine fine. Nego consequentiam. anima rationalis exigit informare corpus organicum, quod habet terminum magnitudinis. *Anima rationalis nõ potest corpus maius, & maius informare.*

20 Obijcies secundo: si anima rationalis esset indiuisibilis; tota anima simul cum brachio dextero, moueretur sursum; & tota anima cum sinistro moueretur deorsum; sed motus sursum, & deorsum sunt oppositi: ergo tota anima moueretur simul duobus motibus oppositis. Distinguo maiorem: tota anima moueretur sursum, & tota deorsum ex eadem parte, & duobus motibus adæquatis; nego: ex diuersa parte, & motibus inadæquatis; concedo: & distinguo minorẽ; sed motus sursum, & deorsum ex eadem parte, & adæquati sunt oppositi; concedo: ex diuersa parte, & inadæquati; nego minorem, & consequentiam. Sicuti brachium non est subiectũ adæquatum animæ; ita neque motus solius brachij est motus adæquatus animæ: inter duos autem motus inadæquatos, quorum vnus ex diuersa parte tendat sursum: alius deorsum, nulla habetur oppo- *Neque si simul vnam manum attollas, & alteram deprimas, mouetur motibus contrarijs.*

oppositio: in tantum enim motus sursum, & deorsum repugnant simul eidem rei; quia res non potest esse in duplici loco adæquato: ergo vbi motus sunt inadæquati, cessat dicta repugnãtia. Non potest autem anima ex eadem parte simul moueri sursum, & deorsum; aliter idem brachium v. g. simul esset in duplici loco sibi adæquato, vt patet.

Anima rationalis nõ potest simul informare partes corporis diuisas.

21 Obijcies tertio: si anima indiuisibilis posset informare corpus diuisibile, posset illud informare, quamuis partes corporis essent separatæ. Nego consequentiam: quia vnio animæ ad corpus fortasse in conseruari dependet ab vnione partium integralium materiæ determinatæ magnitudinis. Rursus anima ordinatur ad faciẽdum ens absolutè vnum cum materia; quod non verificaretur, si partes materiæ essent diuisæ; neque enim subiectum tunc esset absolutè vnum. Hinc quamuis Angelus possit occupare spatium diuisibile; Theologi tamen communiter negãt, posse illum occupare partes loci distantes cum interruptione.

Quomodo cognitio materialis sit extensiuè diuisibilis.

22 Obijcies quarto: cognitio materialis nõ est diuisibilis extensiuè: ergo neque anima materialis. Antecedens probatur: singulæ partes cognitionis exprimunt idem obiectum, & eodem modo: ergo sufficit vnum indiuisibile cognitionis: reliquæ enim partes nihil diuersum præstarent. Antecedens probatur; nam non est fingendum, quod vna pars visionis exprimat vnam partem obiecti, alia aliam; quod efficaciùs vrget, si obiectum sit indiuisibile. Rursus, vt vna pars cognitionis repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam, non requiritur multitudo partium extensarum; sed sufficit, si plures cognitiones simul penetrentur. Confirmatur, deficiente vna parte cognitionis, adhuc anima denominatur cognoscens: ergo multitudo partium superfluit.

23 Nego antecedens; ad probationem nego consequentiam; quia licet omnes partes visionis, v. g. videant idem obiectum eodem modo; quia tamen non omnes informant eamdem partem organi, nec reddunt idem subiectum cognoscens; ideó nulla est superflua. Et sanè, cum omnes partes organi, & animæ informantis organum sint visiuæ; omnes vtique debent informari visione: quod si perseuerantibus reliquis corrumpatur aliqua pars visionis, non perseuerabit adæquatè eadem visio, neque idem videns vnde patet ad confirmationem.

24 Instabis primo: si qualibet pars animæ videt totum obiectum; ergo obiectum debet apparere multiplicatum. Nego consequentiam; quia partes visionis non diuiduntur: & per species eadem linea receptas producuntur.

Quomodo minor partes animæ videant.

25 Instabis secundo: vnde est, quod visio exerceatur semper in tota pupilla, si potest in parte minori? Respondeo; quia tota pupilla recipit species, & apta est videre; vnde si pars pupillæ reciperet species, & haberet alia necessaria ad videndum, videret. Non in qualibet tamen parte minori, & minori sunt instrumenta necessaria ad productionem visionis: sicuti non qualibet pars animæ minor, & minor apta est saltem proximè, & adæquatè ad causandum visionem; quia non qualibet pars minor, & minor apta est informare organum in magnitudine necessaria ad causandam visionem. Hoc autem nõ prohibet, quin qualibet pars minor, & minor videat totum obiectum; aliud enim est causare adæquaté visionem, aliud videre; ad causandam enim adæquatè visionem requiruntur plura instrumenta; ad videndum autem sufficit vnio visionis cum subiecto apto; & ad summum, quod tale subiectum partialiter causet visionem, seu partem, qua informatur, sicuti est partiale videns. Quod autem non omnes partes viuentis videant, est; quia non omnes vniuntur cum visione, sed illæ tantùm, quæ sunt in sensorio, vbi exercetur visio.

Proportio visionis cũ principio, & cũ obiecto.

26 Vrgebis: modus essendi cuiusque potentiæ debet conformari cum modo operandi eiusdem; sed modus operandi potentiæ sensitiuæ est, vt tota cognitio attingat totum obiectum, & singulæ etiam partes attingant totum obiectum, qui est modus operandi indiuisibiliter: ergo modus essendi animæ sensitiuæ debet esse indiuisibilis. Respondeo, consequentiam debuisse esse hanc: ergo modus essendi animæ sensitiuæ est, vt tota, & qualibet eius pars sit potens videre totum obiectum. Rursus omnimoda conformitas inter modum essendi, & operandi est apertè falsa; aliter cum anima rationalis sit vnica, & indiuisibilis, non deberet habere nisi vnicam operationem. Solùm igitur verum est, modum operandi non debere esse improportionatum, nec excedere modum essendi principij, quod sufficienter saluatur in casu nostro per hoc, quod sicuti tota anima, & singulæ partes sunt visiuæ totius obiecti, ita totus actus, & singulæ eius partes sunt visiuæ totius. Falsum autem assumit Maurus, cuius est argumentum præsens, actum visionis esse modum operandi omninò adæquatè, & absoluté indiuisibiliter tendentem: licet enim habeat modum tendendi indiuisibiliter ex parte obiecti, non tamen ex parte subiecti; neque enim per quamlibet sui partem reddit indiuisibiliter videns totum subiectum, impediente id eius materialitate. Cæterum, si modus tendendi potentiæ debet esse proportionatus non solùm potentiæ, sed etiam obiecto, à quo specificatur; ideoque debet etiam haberi proportio aliqua inter obiectum, & potentiam; ergo sicuti obiectum est diuisibile, ita vt per visionẽ, & totum ipsum, & singulæ eius partes videantur; eodem modo tum potentia, tum visio ita est, vt & tota, & singulæ eius partes per totam, & singulas partes visionis videant totum, & singulas partes obiecti.

27 Instabis quarto: singulæ partes animæ, & cognitionis attingunt singulas, & omnes partes obiecti: ergo singulæ partes animæ, & visionis informant singulas, & omnes partes subiecti. Nego consequentiam: sicuti non valet, diuersi actus animæ rationalis attingunt diuersum obie-

quę dicas, ab Authore naturæ produci nouam formam; aliter pro qualibet variatione accidentium ab authore naturæ produci deberet noua forma, quod est falsum. Secundum quia animalia, quæ iam benè ab parentibus, cum cæca nascantur, visum acquirunt, nemo dixerit quod à singulis parentum recipiant formam, vel partem illius.

Quomodo animæ eiusdem partes sunt omnino similes, possit exigere organa, & operationes adeo diuersas.

5 Obijcies primo: pars formæ equi existens in capite exigit determinatè dispositiones capitis, estque principium operationum, quæ in capite exercentur; non autem exigit dispositiones pedis: neque est principium operationum, quæ in pede exercentur; sicuti est pars animæ residens in pede; quinimo illis partibus repugnant aliæ dispositiones: ergo partes formæ equi sunt dissimiles, & heterogeneæ. antecedens probatur; caput qua tale exigit dispositiones, & operationes diuersas à dispositionibus, & operationibus pedis: ergo debet dari principium radicale huius diuersitatis: hoc autem, cum non possit esse materia, erit profectò forma substantialis, quæ per diuersas sui partes exigit in diuersis partibus subiecti diuersas dispositiones, ac est principiū diuersarum operationum.

6 Respondeo, quod sicuti vna anima rationalis in homine exigit totam illam diuersitatem organorum, & formarum partialium, si illas admittas, ac causat tamquam principium radicale tot, & tam varias operationes; ita vnica anima equi habens partes omninò homogeneas, potest exigere determinatè per totum suum esse, corpus ita variè dispositum, vt exercere possit in eius diuersis partibus diuersas operationes; ita videlicet vt tota anima sit exactiuum, & principium adæquatum totius illius diuersitatis organorum, & operationum; quælibet autem eius pars inadæquatè exigat eamdem totam varietatem: omnes igitur partes conueniunt in hoc prędicato, ac proinde sunt omninò homogeneæ.

7 In forma nego antecedens: ad cuius probationem dico, caput qua tale non exigere, sed partialiter constitui per suam determinatam organizationem. Hoc modo intellecto antecedente; concedo primam consequentiam: & ad minorem subsumptum concedo primam partem quod videlicet principium radicale totius diuersitatis sit anima: nego tamen secundam, quod videlicet per vnam sui partem determinatam exigat determinatè potius hanc, per aliam illam organizationem, & operationem.

8 Instabis primo: ergo quælibet pars animę equinæ exigit inadæquatè totam deorganizationem equi, quod videtur gratis dictum. Nego minorem; quia cum quælibet pars formæ equinæ sit essentialiter forma equina, quælibet est principium radicale saltem inadæquatum omnium operationum equi, & exigit vel se sola, vel simul cum alijs constituere equum integrū: ergo quælibet pars vel adæquatè, vel inadæquatè, exigit totam illam deorganizationem. Falso autem assumit Hurtadus, nullam rem posse per appetitum innatum appetere aliquid pro alio à se distincto; si illud aliud ad ipsā aliquo modo pertineat: quare cum quęlibet pars ordinetur ad constituendum totum equum, quęlibet nō solum exigit partialem dispositionē, sed etiam totalem pro se, & reliquis partibus.

9 Instabis secundo: de facto hæc pars animæ est vnita capiti, & non alij organo: ergo debet dari causa determinans vnionem illius cum capite: sed hæc causa non potest commodè assignari, nisi dicamus, quod ipsa exigat vniri potius cum hac materia ita organizata. Nego minorem subsumptam: hæc enim pars cum ex se æquè sit olfactiua, visiua, ambulatiua, &c. vt vidimus, potuisset æquè benè produci in capite, ac in pede, & per accidentia oculi æquè benè compleri ad vitaliter videndum, ac per accidentia auditus ad vitaliter audiendum. Cæterum complexus omnium circumstantiarum temporis, loci, & similium exigunt, vt in hac materia ab hoc agente producatur potius hæc pars, quàm illa: quod vt alias notaui, non arguit nisi differentiam indiuidualem, & materialem, resolubilem tandem in iudicium purè negatiuum.

10 Instabis tertio: frustra ponitur in parte animæ, quæ est in oculo potentia auditiua, quā numquam potest exercere. Nego assumptum, & distinguo rationem in contrarium, quam numquam potest exercere ex defectu intrinseco; nego: ex defectu extrinseco; concedo: pars animæ, quæ est in oculo habet potentiam auditiuam, vt probauimus; sed impeditam, ne audiat ab vnione ad organum oculi.

Cur equus & leo differant specie non autem in homine forma oculi à forma auris.

11 Obijcies secundo: quia videmus equum, & leonem habere organa, & operationes specie diuersas, inferimus animam equi, & leonis differre specie, nec dicere possumus anima equi, & leonis esse eiusdem speciei; & ab extrinseco determinari ad informandam modo hanc, modo illam materiam organizatam: ergo ex eo quod caput, & pes equi habent operationes, & organa diuersa, debemus inferre, quod habeant formas specie diuersas; & non tantum ab extrinseco determinari partes formę omnino similes ad informandam modo hanc, modo illam partē. Nego consequentiam: ratio disparitatis est: quia in quolibet vno composito completo debet dari aliquod principium radicale intrinsecum, quod vel finaliter, vel efficienter determinet accidentia, & virtutes operatiuas illius compositi: non enim casu, & ad purū libitum alicuius agētis liberi sunt in hoc ente materiali potius hæ proprietates, potentiæ, & operationes propriæ illius: ergo in hoc composito adæquato equo debet dari forma substantialis tamquam prima radix intrinseca operationum, & proprietatum huius compositi diuersa essentialiter ab illa forma substantiali, quæ in leone est principium radicale operationum, & proprietatum omninò diuersarum. Aliter dicam, quod, cum, vt euenit in Iaponia, canis conuertitur in piscem, non variatur substantialiter, sed tantum accidentaliter animal. At quamuis hæc pars formæ equinæ, quę est in oculo sit eiusdem rationis cum parte alia,

quæ est in pede, habetur tamen principium intrinsecum determinatum determinatè exigens illas dispositiones oculi, pedis, & similes, & cui infertur violentia si destruantur tales dispositiones; nempè tota anima equi, & singulæ illius partes vnitæ materiæ.

12 Illud igitur principium: dispositiones, & operationes diuersæ indicant diuersitatè formæ substantialis, distinguendum est. Et quidem concedendum, si formæ fit de dispositionibus adæquatis, & diuersorum suppositorum; negandum autem vniuersaliter de dispositionibus, & operationibus inadæquatis eiusdem suppositi Ratio patet ex dictis. Confirmatur; quia non eadem est connexio inter vnum, & aliud viuens, ac inter partes eiusdem viuentis, ideo quia læsa vna parte, reliquæ eiusdem dolent, surgunt in vindictam, ac defensionem: ergo quælibet non solum intendit bonum sui, sed etiam, & singularum partium: ergo quælibet non solum exigit dispositiones organi, quod informat: sed aliarum etiam partium. Sicuti autem calefactiuum conuenit igni ratione singularum partium suæ formæ; ita esse visiuum equo, saltem remotè, quia proximè constituitur per multa accidentia. Illud hic addo, formam equi v. g. licet formaliter homogeneam, habere tamen quamdam virtualem heterogeneitatem, ratione cuius exigit diuersa organa, & operationes, ideoque forma equi cum sola dispositione carnis est in statu violento. Similem virtualem heterogeneitatem debemus omnes agnoscere in vnica, & indiuisibili entitate animæ rationalis.

Cur forma viuentis aliquando recuperet, aliquando non recuperet amissum temperamentũ.

13 Obijcies tertio. Aliquando in materia oculi introducuntur dispositiones carnis, quæ impediunt, ne oculus videat; ergo in oculo non perseuerat forma oculi; aliter cur non recuperat suum temperamentum, & videt: sicut forma aquæ recuperat frigus? Nego consequentiam; ad rationem contrarium dico, te falso assumere, formam, quæ est in oculo, respicere tamquam sibi proprium temperamentum oculi: quod si quæras: cur saltem forma substantialis totius nõ recuperat illud temperamentum? Respondeo, quia aliquod temperamentum, & organa sunt; ad quorum formationem requiritur virtus formatiua seminis, & matris, ideoque non potest viuens recuperare amissum digitum; quia igitur aliquando ita amittitur temperamentum, & in eo gradu læditur organum, vt non requiratur virtus illa seminis, & matris ad eius recuperationẽ, & resistentia contrarij non est validior; aliquando verò plus læditur, & validior est resistentia contrarij; ideo aliquando viuens recuperat temperamentum amissum, aliquando minimè.

14 Instabis: ex eo quod aliquando recuperatur amissum temperamentum, inferunt philosophi existentiam formæ substantialis: ergo si tẽperamentum oculi aliquando non recuperatur, signum est, quod forma iam fuerit amissa. Nego consequentiam: quia ex effectu benè infertur existentia causæ, vt fit à Philosophis in antecedente: at quia deficit effectus, non necessariò infertur defectus causæ cuiuscumque; cum effectus possit deficere, vel ex defectu alterius non huius causæ, vel ob prę̃sẽtiã cõtrarij validioris, vel ex defectu alicuius alterius conditionis. Cæterum vix vnquam ita deficit temperamentum alicuius membri, vt anima ibi non exerceat operationes aliquas saltẽ imperfectas proprias illius organi.

Quomodo anima huius equi est per se vna.

15 Obijcies quarto, omnes partes formæ equinæ sunt eiusdem rationis: ergo nulla anima materialis est per se vna, & per se distincta ab alia eiusdem speciei; sed per accidens ratione materiæ, & discontinuationis. Et ita nulla datur anima materialis, quæ vel non possit saltem in alijs circumstantijs vniri cum aliqua parte alterius animæ, vel cuius partes diuisæ non possint absolutè vniri cum alijs partibus animæ eiusdẽ speciei ad constituendam animam indiuidualiter saltem inadæquatè diuersam ab ea, quam antea constituebant: hoc autem videtur absurdum. Et primo, quia animæ per se sunt plures in esse possibili: ergo independenter à materia habent distinctionem. Confirmatur: quia vna anima rationalis per se distinguitur ab alia, & necessariò ordinatur ad constituendum diuersum suppositum: ergo etiam animæ brutorum. Confirmatur secundo: in vno cognoscitiuo non potest esse nisi vnica potentia appetitiua, ne sit pugna inter appetitus, quod est contra vnitatem compositi, aliter non esset contra hominis vnitatem habere duo libera arbitria. Confirmatur demum: quia ex nostra sententia anima leonis magni habet tot partes, quot duæ animę leonum minorum: cur igitur leo magnus non est duplex leo?

16 Hoc argumentum vrget diuisibilitatem animæ, & ad hunc finem illo vtitur Quiros *disp.* 81. *sect.* 2. *a n.* 16. admissa autem diuisibilitate animæ materialis, licet non ita clarè, viget tamen, vt aduertit Quiros. *n.* 19. etiam partes heterogeneas; nam partes informantes pupillã possent diuidi in duas minores informantes duas pupillas minores, & sic de reliquis partibus. In forma igitur, nego consequentiam: nam dato quod anima aliqua diuisibilis attigerit terminũ positiuum paruitatis sufficientem, vt informet corpus equi, v. g. iam est per se vna, & potens constituere vnum suppositum distinctum à reliquis eiusdem speciei. Cæterum quia anima potest vltra illam magnitudinem crescere vsque dum pertingat terminum positiuum magnitudinis viuentis; ideo plures, & plures partes animæ diuisibilis inter se vnitæ constituentes animã maiorem, & maiorem intra duos illos terminos, constituunt animam per se vnam semper diuersam à quacumque alia anima eiusdem speciei. Quamuis non negauerim, animam iam auctam huius viuentis non distingui adæquatè ab anima eiusdem antecedente, & minore.

17 Omnes igitur animæ, quæ defacto dantur, sunt inter se intrinsecè distinctæ: quia quælibet dicit partes, & vniones substantiales continuatiuas diuersas à partibus, & vnionibus cõtinuatiuis aliarum, & propter illam vnionem

quæ-

quælibet est per se vna: quia quælibet per se cōtinet illas partes cum ea vnione. Eamdem etiā vnitatem habent illę animæ in statu possibilitatis. Quamuis autem potuerint singulę partes huius animæ componere diuersas ab hac anima cū alijs compartibus, in alijs videlicet circumstantijs productę; hoc tamen nō prohibet quominus nunc ratione vnionis huius respicientis has, non alias partes constituant hanc animam per se vnam, sicuti plures partes aeris, quæ defacto vniuntur ad constituendum hunc aerem palmarem, ratione vnionis constituunt aerem per se extensiuè vnum, licet possint per alias vniones componere alia tota.

18 In hoc igitur sensu nego absurditatem consequentis; & ad probationem desumptam ex distinctione in statu possibilitatis iam supra diximus. Ad confirmationem ex anima rationali dico aliunde, quam ex vnitate per se desumi rationem indiuisibilitatis in illa. Ad secundam cōfirmationē dico, ratione vnionis licet, omnes & singulę partes sint appetitiuæ; ex omnibus tamē fieri vnam potentiam appetitiuam extensiuè maiorem. Ad vltimam confirmationem dico, animam equi maioris non esse potentem proximè constituere duos equos minores; impeditur enim ab vnione continuatiua, qua omnes eius partes intrinsecè afficiuntur, & constituunt formam per se vnam. Remotè autem posse constituere duos equos minores: nego tamen in equo maiori esse eamdem perfectionem, ac in minoribus duobus; idque saltem ratione vnionis continuatiuæ substantialis. Quod confirmari potest ex paritate formarum constituentium plantas, quas esse diuisibiles, est communis Doctorum sensus. Illud autem aduerto duas formas minores equi sufficientes ad constitutionem duorum equorum exigere determinatè duplicata organa, & instrumenta, quamuis minora, ac illa, quæ exigit vna anima maior ęquiualens duabus. Illud demum hic addo, quamuis quælibet pars formę equinæ sit essentialiter forma equina, non tamen quamlibet minorem, & minorem sufficere ad præstanda omnia munera: quia habent viuentia terminum certum magnitudinis, & paruitatis, ac proinde exigunt, vt forma sit determinatæ magnitudinis.

SECTO OCTAVA.

Vtrum in viuentibus præter formam totius dentur formæ partiales substantiales?

1 HAber hæc quęstio maximam cum pręcedente affinitatem: argumenta enim, quibus probantur huiusmodi formæ partiales, sunt ferè eadem, ac illa, quibus probatur dissimilitudo partium in animabus diuisibilibus. Igitur nonnulli præter formam totius, & animā in viuentibus, pręsertim homine, admittunt quasdam formas substantiales, quas vocant partiales: quia & plures, sunt inter se diuersæ, & quęlibet non informat totam materiam viuentis, sed partem illius: forma enim propria oculi informat materiam oculi tantum, non alias partes, & sic de reliquis. Contra quos.

2 Dico in viuentibus pręter formam totius, & animā non dantur huiusmodi formæ partiales substantiales. *Non dentur formæ partiales substantiales.* Probatur; forma partialis oculi v. g. vel adęquat exigentiam materię, ita vt materia sub illa forma constituta non exigat aliam formam substantialem, vel non? Si primū ergo illa forma est adęquata respectu materiæ, quam informat, & constituit cum illa aliquod totum substantiale completum: ergo primo anima adueniens materiæ eo modo informatę forma substantiali esset accidens, vtpotè adueniens enti completo. Ergo secundo materia oculi esset sub duplici forma substātiali adæquata, vel saltē altera adęquata, altera inadęquata. Si verò dicas, illā formā partialē non adæquare exigentiā materię; vrgeo primo, quia in physicis probaui ex potentia substātiali, & actu quocūque substātiali vnitis resultare totum substantiale. Vrgeo secundo, huiusmodi formæ partiales non intenduntur à natura propter se, sed in bonum animæ, vt illi inseruiant ad suas functiones vitales: ergo verò sunt accidentia: participant enim naturam accidentis, & non substantię.

3 Obijcies primo: veneramur reliquias Sāctorum: quia nimirum putamus illas habere eamdem substantiam, quam habebant, dum viuerent. *Quare venerandæ Sanctorū reliquię.* Respondeo nos venerari reliquias Sanctorum, quia habent eamdem materiam, & multa accidentia, quę erant in illis, quando viuebant; & quo plura sunt ea accidentia, eò maiori veneratione dignas putamus reliquias. Vermes autem ex Sanctorum reliquijs genitos non veneramur; quia homines prudenter existimant materiam, quę est sub forma vermis, cum nulla ferè Sanctorum accidentia retineat, non esse materiam Sanctorum, sed potius vermium: quare ne videantur adorare vermes, abstinent ab adoratione materię, quæ alioqui esset veneratione digna.

4 Obijcies secundo, vna pars organica pugnat cum alia, eiusque temperamentum immutat; ita vt aliquando pars altera corrumpatur: ergo non habent eamdem formam; vna enim, eademque forma non potest esse sibi contraria, aut machinari sibi interitum. *Quomodo vna pars viuentis pugnet cū alia.* Respondeo, per se loquendo, nisi ab extrinseco partes alterentur, nunquam vnam partem viuentis ita alteram posse alterare, vt illam corrumpat; sed potius partes se mutuo fouent; cum pręsertim temperamētum, cum quo conseruari potest quælibet pars viuentis non situm sit in indiuisibili, sed posse brachium conseruari nunc cum maiore, nunc cū minore calore. His adde ad hunc finem naturam ita distribuisse partes, vt inter calidissimas, quale est cor, & inter frigidissimas, quale est cerebrum, interposuerit alias temperatas: quando igitur vna pars destruit aliam, est per accidens ab extrinseca alteratione. Sic igitur explicato antecedente, nego consequentiam.

5 Obijcies tertio Aristotelem; primo enim de

Explicatur Aristoteles.

de generatione animalium docet, cor prius, deindè alias partes generari. Sed hic Aristoteles vel loquitur de organizatione accidentali, vel de operatione: quia videlicet cor prius vitaliter operatur, deindè alia membra; non de informatione. Secundo de anima videtur distinguere animam à forma mixti, & rectè quidem contra nonnullos antiquos asserentes, animā non esse nisi primarum qualitatum mixtionem. Quarto Metheor. docet rationes carnis, & ossis esse incertas: quod verum esse arbitror: quia multa dantur harum partium accidentia nobis ignota. Cęterum nihil est apud Aristotelem frequentius, quam vnitatem compositi ab vnitate formæ substantialis esse desumendam; quod non nimis congruit Aduersariorum principijs.

6 Ex dictis infero primò, animas non esse compositas essentialiter ex actu, & potentia: alioquin, vtpotè ens substantialiter completum, non possent facere vnum substantiale cū materia.

7 Infero secūdò, viuentia componi ex anima, & corpore: quia materia viuentium habet quādam apparentiam sensibilem, quam etiam spoliata anima retinet saltem equiualenter; vnde cadauer hominis dicitur corpus hominis, & homo mortuus; cadauer arboris dicitur corpus arboris, & arbor mortua; quod non verificatur de mixtis inanimatis, & elementis; ideoque inanimata non constant anima, & corpore.

8 Infero tertiò, mortuo animali non remanere substantialiter omninò eamdem carnē, ossa, &c. sed tantum materialiter ratione materię, non formaliter; cum forma sit diuersa. Ideoque Aristoteles non semel docuit carnem mortuam esse æquiuocè carnem, præsertim *l. 2. de gener. animalium c. 10.* Et confirmatur, quia animal est magis vnum, quàm res inanimatę; ergo partes animalis viui habent maiorem vnitatem, quàm partes animalis mortui: quę autem habent maiorem vnitatem minus differunt: ergo mirum non est, si caro, & ossa mortua plus inter se differant, quàm viua; & mortua differant substantialiter, non viua.

9 Infero quarto, formas viuentium, & fortassè etiam omnium mixtorum habere aliqua accidentia, & proprietates, quas non possunt propria virtute acquirere, nec amissas recuperare, vt patet in humido radicali, & calore naturali; quos si posset anima recuperare, homo non esset ab intrinseco, & per marcorem corruptibilis. Forma igitur substantialis est prima radix aliorum omnium, non quia omnia adæquatè, & proximè in ipsa radicentur: cum multa remotè, & inadęquatè radicentur: omnia tamē ipsi debētur, & in eius, ac totius bonum ordinantur. Cōtrariū euenit in elementis, quæ sunt adæquata radix suarum proprietatum, & qualitatum, quas remoto contrario recuperant, & ideò elementa non sunt ab intrinseco corruptibilia, eo speciali modo, quo mixta: cuius rei ratio esse potest, quia non elementa, sed mixta constant qualitatibus contrarijs. Efficacior tamen ratio est; quia, vt supra dicebam, elementa, nō mixta habent vim recuperandi qualitates debitas saltem omnes.

10 Aduerto hic, hominem posse progressiuè moueri ex virtute animæ, & spiritibus animalibus; ac deorsum ferri ex innata grauitate: quæ diuersitas benè fundari potest in vnica forma substantiali ob bonum suppositi veramque virtutem exigente. Diuersitas autem illa ob quam vnum membrum dicitur cor, aliud caput tota est accidentalis: accidentia verò communia viuenti, & mortuo, fundantur in aliquo prædicato generico communi vtrique formæ.

11 Addo praterea, mihi non esse omninò improbabilem illorum opinionem, qui cum Hurtado, & Suario docent partes animarum diuisibilium esse heterogeneas; idque propter rationes, quas vtcumque solui sectione praecedente: illud autem puto absolutè defendendū, quod fructus, flores, & frondes arborum habeat animas specie diuersas, tum inter se, tum comparata cum arbore: quia hæc non sunt partes arboris integrales; aliter tempore hiberno arbores non essent integrę; quare illa omnia sunt viuentia adæquata adæquatè distincta ab arbore; ideoque mirum non est, si differant ab illa etiam secundum substantiam: nec adhęrent arbori, vt faciant cum illa vnum viuens, sed vt trahant ab illa succum; sicuti arbor adhęret terræ.

SECTIO IX.

Quot animæ simul, vel etiam successiuè sint in quolibet viuente.

Non simul dantur in homine duæ animę rationales.

1 MAnichæi non minùs impiè, quàm stultè admiserunt in homine duas animas ambas rationales, alteram à bono Deo, & particulam diuinę mentis; alteram à malo; contra quos fusè disputat S. Augustinus multis in locis: & Octaua Synodus, quæ est Constantinopolitana quarta, expresśe damnat tamquam hęreticam dualitatem animæ rationalis in homine apud Ouiedum *controu. 1. de anima p. 9.*

neque tres, rationalis in cerebro, sensitiua in corde, uegatiua in hepate.

2 Plato in Thimęo, & *lib. de Repub.* apud Aristotelem *1. de anima c. vlt. t. 90. & 91.* cui adheret Paulus Venetus, Philoponos, Iandunus, Galenus: admisit in homine tres animas etiam loco dissitas, rationalem in cerebro, sensitiuam in corde, vegetatiuam in hepate. Sed contra hunc dicendi modum facit, quia sic homo non esset vnum, sed triplex viuens. Secundo, omnes partes corporis crescunt, & sentiūt: ergo omnes habent animam vegetatiuam, & sensitiuam.

Nec item tres cognoscitiua cōcupiscibilis & irascibilis.

3 Eidem Platoni, & Galeno placuisse dicitur in homine, & quolibet animali esse tres animas, cognoscitiuam, concupiscibilem, & irascibilem. Sed contra: quia eadem anima, quę concupiscit, cognoscit: aliter concupisceret bonum sibi incognitum. Rursus eadem, quę irascitur, & pugnat, debet bonum concupiscere; aliter pugnaret pro bono à se non concupito: cum tamen omnis passio irascibilis ini-

tium

tium habeat à concupiscibili, & in illa terminetur saltè in delectatione de vindicta. Ex quo.

In quolibet viuente vnica datur anima.

4 Vniuersaliter dico; in vno viuente vnicam dari animam: quia si plures, vel nullum seruarent inter se ordinem; & sic constituerent plura, non vnum viuens; vel in informando seruarent aliquem ordinem; ita vt vna supponeretur ad aliam? & sic vel supponeretur ad illam tamquam prima radix; & in illa sola esset substantialis; vel vt dispositio; & sic esset accidentalis. Et sanè vnitas animæ multum conducit ad vnitatem viuentis, & compositi; vt facilè colligi potest ex ijs, quę diximus in Physic. *disp. 3. de forma sect. 2. & 3.* Quamuis autem princeps non sit in toto regno; non ideò anima rationalis non debet esse in toto corpore; neque enim ita est vnum regnum, sicuti est vnum viuens.

5 Aduerto hic primo, animam inclinari ad malum, non vt malum, sed vt bonum: posse autem inclinare ad malum, est posse liberè exercere bonum vincendo malum, quod gloriosum est. Secundo, si operatio turpis, & mala est, id prouenit, quia dedecet bonitatem naturæ; quare hinc nulla animarum in eodem supposito multitudo colligi potest. Audiendus tamen est Nissenus *de hominis opificio c. 12. Quemadmodum,* inquit, *vnus, idemque cytharędus fidium variarum diuersos sonos in vnum concentum edit; ita anima totum humanum corpus instar musici instrumenti compactum regit, ac mouet, omnesque illius operationes per diuersa organa, & facultates administrat.* Et hęc de animarum simultanea multitudine.

Neque demū in homine successiuè tres animæ producuntur.

6 Circa multitudinem autem successiuam sunt, qui cum Mauro, & Conymbricensibus putant, foetum humanum prius animari vita vegetatiua; deindè sensitiua, sed ita vt destruatur anima vegetatiua prior; tum demum rationali destructa sensitiua. Alij cum Quiros possunt dicere priùs foetum humanū animari anima vegetatiua, tum rationali simul, & sensitiua; quod autem docent de homine extendere proportionaliter possunt ad bruta, quę priùs viuant anima vegetatiua, tum sensitiua; quinimò priùs anima sensitiua imperfecta, tum perfecta. Tertio alij, quibus assentior, docent, foetum humanum ab initio animationis habere animam rationalem, & eadem proportionaliter ratio est de alijs animalibus.

7 Probatur: non possunt in materiam foetus humani introduci dispositiones ad animam vegetatiuam, vel sensitiuam tantùm: ergo non potest in generatione hominis priùs produci anima vegetatiua tantùm, deindè sensitiua simul, & vegetatiua, tum demum rationalis. Antecedens probatur, semen humanum, & virtus formatiua matris sunt à natura ordinata ad generationem hominis; ergo sunt à natura ordinata ad eas dispositiones introducendas, quæ non sint tantùm dispositiones ad animam vegetatiuam, vel etiam sensitiuam, sed ad rationalem, ita vt ab initio operando ad hunc finem introducant dispositiones indiuisibiliter respicientes talem finem. His autem dispositionibus non satis fit per animam merè vegetatiuã. Confirmatur; quia statim ac mouetur foetus, putatur animatus anima rationali, ideoque Rituale Romanum editum iussu Pauli V. & communis fidelium sensus iubet, huiusmodi foetus non esse sub conditione, sed absolutè baptizandos: ergo supponitur, quod cum anima sensitiua, quę est principium illius motus, semper adsit rationalis.

Fœtus humanus ab initio informatur anima rationali, & viuit, sed in actu primo, vita hominis.

8 Hinc patet foetum humanum substantialiter, & in actu primo non priùs viuere vita plantę, tum bruti, tum demum hominis; sed in actu secundo, quia, nondum perfectis organis, non valet anima rationalis exercere omnes illas operationes vitę. Quod indè confirmatur: quamuis homo, quando nascitur non aptus sit viuere in actu secundo vita hominis; nemo dixerit, quod non habeat animam rationalem; neque, quia successiuè formantur organa ad plures, & plures, ac inter se specie diuersas vitę functiones; indè colligimus dari successiuè plures, & plures specie animas perfectiores, & perfectiores. Rursus, quia os non est aptum nisi vegetare, & sentire, non inferimus in osso tantùm substantialiter esse animam vegetatiuã, & in carne tantùm sensitiuam: ergo ex eo quod initio animationis foetus non exercet, nisi opera animę vegetatiuę; non ideò tantùm habebit animam vegetatiuam.

Exponitur Aristotel.

9 Et in hoc sensu intelligendus est Aristoteles *3. de gener. animal. cap. 3.* vbi docet, non simul fieri animal, & hominem, animal, & equũ; ne dicamus eius sensum opponi sensui longè firmiori, & communi fidelium, esse baptizandũ, vt animatum anima rationali foetum illicò, vt dat signa vitę sensitiuę per motum. Neque natura non introducendo priùs animam vegetatiuam inordinatè procedit; imò potiùs inordinatè procederet introducendo illam, quę nullius vsus futura esset ad finem, quem intendit natura.

10 Aduerto, nutritionem, quam initio animationis exercet anima, esse propriam hominis: tum quia procedit ab organizatione propria hominis, tum quia ordinatur ad perficiendum corpus organicum necessarium operationibus proprijs hominis. Contrariam opinionẽ videtur docuisse S. Thomas *1. p. q. 118. art. 2.* legendus est etiam Maurus *q. 29. de anima,* cuius doctrinæ in responsione *ad 4. de forma seminis,* & alijs disponentibus materiã ad formam oppositam, & ad corruptionem sui non multum contradico; cum præsertim semen, & alię huiusmodi substantię, veluti mediæ non intendant directè suum interitum; sed ordinentur à natura ad aliam formam substantialem perfectiorem incompossibilem, quam tamen nullo modo immediatè causant, sed remotè tantùm disponunt materiam, neque sunt causa vltimę dispositionis; quia quum est vltima dispositio, adest forma opposita, & ipsę corrumpuntur.

SE-

SECTIO DECIMA.

Explicatur conceptus viuentis, & operationis vitalis.

1 DEfiniuimus sect. 1. animam actum corporis, non cuiuscumque, sed potentia vitam habentis, seu viuentis, ac potentia exercere operationes vitales: & quamuis in ea definitione supponantur viuens, & operatio vitalis tamquam termini notiores; quia tamen non lenis est difficultas in explicando conceptu viuentis, & operationis vitalis in communi, ideò ad perfectam notitiam quidditatis animę spectat inuestigare, quid sit viuens: quid operatio vitalis. Dupliciter autem potest intelligi, quod aliquod viuat, & in actu primo, in qua acceptione dicit principium potens viuere, ac exercere vitaliter operationes vitales: & in actu secundo, & dicit pręter subiectum, quod denominatur viuens, etiam operationem vitalem, qua illud actu exercetur.

Viuens in actu primo, & in actu secūdo, vel physicè, vel logicè.

2 Dupliciter item aliquod est potens vitaliter operari, primo veluti physicè: quia est subiectum, quod potest denominari vitaliter operans distinctum realiter ab ipsa vitali operatione; vt euenit in creaturis: Secundo logicè, quia est subiectum identificatum cum operatione; & ex eo, quod vitaliter operetur, benè inferimus iuxta modum nostrum imperfectum operandi, quod possit vitaliter operari: hoc modò Deus actu viuit, & potest viuere. Ad faciliorem autē solutionem accipimus hic viuens in actu primo veluti praecisiuè pro capacitate subiecti ad vitaliter operandum, siue demum distinguatur ab operatione, siue non.

Viuens in actu primo est, quod exigit per se immanenter, & heterogeneè operari.

3 Dico igitur primo: viuens in actu primo est, quod exigit per se immanenter heterogeneè operari. Illud dicitur per se immanenter operari, quod ex suis intrinsecis exigit operari per operationem, quę per se, & ex suis intrinsecis petat perseuerare in operante. Illud autem per se exigit heterogeneè operari, quod cum sit absolutè vnum; tamen ob suam perfectionem sic illi debitum posse operando versari circa plura valdè inter se diuersa; ita vt ex operatione consurgat in ipso operante quędam heterogeneitas eidem intrinseca.

Cuilibet viuenti in actu primo competit exigentia immanēter operandi.

4 Iam verò, quod cuilibet viuenti in actu primo conueniat exigentia immanenter operandi; est apud omnes certum; quod enim nullo modo potest se per suas vires exercere est absolutè mortuum quid, ideoque etiam per translationem non solemus hoc nomen viui attribuere nisi rebus, quæ aliquam se exercendi, seque agendi, ac in aliquod tendendi in se virtutem ostendunt: hinc aquam appellamus viuam, si ex fonte fluat, & se moueat; stagnantem autem mortuam; neque aliundè, quam ex hac virtute se intrinsecè exercendi per motum localē mercurium appellamus argentum viuum.

5 Verum ad vitam in actu primo non sufficere, posse se immanenter exercere, patet; quia lapis remotus à centro potest se immanenter exercere per motum deorsum; neque tamen hinc sequitur lapidem viuere: idem euenit in omnibus substantijs creatis, quæ ab intrinseco mouentur ad acquirendas passiones, & qualitates proprias amissas.

Non sufficit ad vitam posse se immanēter exercere.

6 Quod autem omne viuens possit heterogeneè operari, ita vt ex operatione consurgat in operante heterogeneitas eidem intrinseca; patet, discurrendo per singula genera viuentiū, quę sunt nobis nota; & ex quibus, si velimus aliquid certi scire, colligendus est conceptus vitæ: Et primo quidem plantæ, dum nutriuntur, acquirunt partes inter se valdè dissimiles; pręcedunt etiam nutritionem multæ actiones intrinsecę plantis, & valdè inter se dissimiles, quales sunt attractio alimenti, dilatatio fibrarū, dum cibus attrahitur, concoctio, distributio, & similes.

Cuilibet viuenti cōpetit etherogeneè operari posse. Et primo plātis.

7 Secundo in animalibus, in quibus vita est manifestior, quam in plantis, ex Aristotele 1. *de plantis cap.* 1. cognoscimus enim, quod animal incipiat viuere; quia videmus, quod incipit se mouere motu dilatationis, & constrictionis in respiratione. Rursus dum viuit, semper se hisce motibus sibi intrinsecis, & valdè dissimilibus exercet; precipuè in potentijs cognoscitiuis, & appetitu, pro varietate obiecti, & circumstantiarum, percipiendo modo hoc, modo illud obiectum; & tendendo in illa, modò per hunc, modò per illum actum appetitus. Id quod à fortiori verificatur in viuente intellectiuo, quod simili, imo maiori varietate sibi intrinseca versatur circa obiecta.

Secundo animalibus, & creaturæ intellectiuæ.

8 Et quamuis in Deo non sit nisi vnicus simplicissimus actus intellectus, & voluntatis; in eo tamen indiuisibiliter, & eminenter continetur sine vlla imperfectione tota illa heterogeneitas, quę dispersa reperitur in creaturarum operationibus. Et sanè si per cognitionem agens intellectuale, quinimò omne agens cognoscitiuum creatum fit omnia, quę cognoscit: quia concipiendo illorum imagines, illa in se transfert, ac veluti sua cognitione complectitur; Deus, qui vnico simplicissimo actu omnia perfectissimè comprehendit, est intentionaliter omnia, ac proindè eius operatio constituit sine partium multitudine perfectissimam quamdam heterogeneitatem, Deo maxemè intrinsecam, quę formaliter, & intrinsecè est ipsum esse Dei.

Tertio Deo.

9 Hanc autem exigentiam ad immanenter heterogeneè operandum in nullo non viuente reperiri facilè colliget, quisquis per ea, quę certum est non viuere, discurret; in his enim nunquam inueniet in operando ab intrinseco heterogeneitatem, quam supra explicauimus. Et licet ex nō viuentibus presertim mixtis aliqua habeant plures virtutes ad plures, & diuersas operationes, vt est Sol, ea tamen operationes non afferunt aliquam heterogeneitatem intrinsecam, ita vt per tales operationes contineant in se, vel formaliter, & in diuersis suis

Exigentia immanenter heterogeneè operandi in nullo non viuēte reperitur.

par-

partibus, vel eminenter, & intelligibiliter in vna indiuisibili entitate plura non solùm specie diuersa, sed etiam apposita; ita, vt illa plura vel physicè, si primo modo contineantur, vel intentionaliter si secundo modo, seruent inter se ordinem quemdam, & exercitatem. Et in primo quidem casu is ordo est localis, & nonnunquam etiam temporalis; si nimirum operationes heterogeneæ habeant intrinsecam incompossibilitatem; in secundo autem est intentionalis, quia licet illa plura per diuersos, vel etiam eumdem actum simul repræsententur; plerumque etiam repræsentatur illorum diuersitas, & saltem nonnunquam operans, quamuis imperfectum, plura illa cum diuersitate attingit. Inanimata igitur non exigunt ex suis intrinsecis operari immanenter operatione afferente dictam heterogeneitatem, quamuis ab extrinseco, & veluti per accidens subijciantur operationibus aliorum inducentibus in illis aliquam heterogeneitatem aliquo modo ordinatam. Hoc modo explicata nostra sententia.

Necessitas primorum conceptuũ.

10. Probatur: ne dicamus naturam non dedisse nobis principia, ex quibus possimus discurrere de rebus possibilibus; ideoque ridiculas esse quæstiones, quas de illis excitamus, & frustratoriam curiositatem, & inclinationem naturalem, quam quisque in se experitur, cognoscendi aliquid de rebus possibilibus; concedendum est, quod dederit nobis vim quamdam naturalem formandi quosdam conceptus simplices, & vniuersales communes omnibus rebus non solùm actualibus, sed etiam possibilibus; si enim præscindamus ab his conceptibus, nihil possumus decidere de possibilitate, vel impossibilitate rerum: nam si quærã, vtrum possibile sit ens creatum essentialiter indestruibile; nisi habeam conceptum possibilitatis cõmunem omni possibili, & conceptum entis communem item omni enti, & conceptũ creati communem omni creato, ac demum conceptum indestruibilis communem omni indestruibili; non possum decidere, vtrum ens aliquod creatum possit esse essentialiter indestruibile.

Modus quo formantur huiusmodi primi cõceptus vniuersalissimi.

11. Vt autem hoc clarius intelligatur; notandus est modus, quo intellectus humanus format huiusmodi conceptus. Scire igitur oportet obiectum magis immediatum, & proportionatum intellectus humani; & de quo, propter experientiam, quam de ipso immediatè habet, minimè dubitare potest, esse tum ipsum hominem, tum eiusdem, nec profectò paucas, quasdam operationes: quis enim vnquam sanæ mẽtis, & vigilans dubitauit, se esse, se quiescere, vèl moueri, &c. Dependenter igitur ab hac experientia indubitanter homo cognoscit se esse, nec vtcumque esse, sed multa in se continere, quæ veluti à prima radice à se profluunt, & ad ipsius bonũ ordinãtur: vnde format conceptum entis, substantiæ, accidentis communem omni substantiæ, entis accidenti: hac enim est vis intellectus dependenter ab experientia particulari circa vnum singulare formare conceptus vniuersales communes omni rei possibili. Alias esset minus aptus ad acquirendas sciẽtias aliarum rerum tum actualium, tum possibilium: non haberet enim principia incomplexa, & complexa, dependenter à quibus illarum veritatẽ indagaret. Experitur etiã in se ipso modum quemdam operandi perfectiuum sui; vnde format conceptum communem causæ, & effectus principij, & operationis immanentis. Dependenter autem à sensationibus, & cognitionibus, quas de alijs rebus habet, quas res videt operari, sed non eodem modo, per operationem perfectiuam sui, format conceptum causæ, & operationis transeuntis.

12. Hi igitur conceptus graduum superiorum, & inferiorum, quos reflectendo supra se ipsum, & super suas operationes format cum aliqua dependentia à sensu intellectus humanus, debent præsumi communes rebus etiam possibilibus; aliter ne probabiliter quidem posset de illis discurrere: careret enim principijs: nec haberet, vnde illa erueret. Hinc quando quærimus vtrum aliqua prædicata pugnent inter se, non debemus præscindere à cõceptu illorum prædicatorum, quem primo formamus dependenter ab illa experientia.

Quomodo formet intellectus conceptum viuentis.

13. Iam verò homo non solùm experitur in se, se perfici per suam operationem; sed etiam perfici cum quadam veluti heterogeneitate; & in hoc ipso experitur quamdam varietatem: quia experitur se intrinsecè heterogeneè perfici per suam operationem, primò extẽsiuè realiter, quoad diuersas sui partes substãtiales: secundò extensiuè intentionaliter, quoad aliqua extra se, vel etiam intra se posita, sed sensibilia, & vel delectabilia, vel molesta. Tertiò demum quoad alia intelligibilia honesta, vel turpia; quæ omnia experitur in suis operationibus, ex quibus format varios conceptus vniuersales, & inter alios virtutis immanenter heterogeneè operatiuæ; & per hanc virtutem, & modum operandi, quo se ad plura dilatat, experitur primo se discerni, & eleuari supra alia entia: quæ mortua communiter, & certissimè indicantur. Et quidem dum experimur nos viuere; non alium conceptum, quàm prędictum formamus, neque aliundè definimus aliquod defactò esse viuens, quàm ex operatione illa immanente heterogenea. Indiciũ igitur vniuersale, quod nobis natura dedit vnde, de nobis, & primo; tum de alijs colligimus, quod viuimus, & viuunt, est virtus illa immanenter heterogeneè operandi.

14. Confirmatur ex supradictis; quia ex substantijs materialibus compositis certum est, viuentes esse perfectiores, non viuentibus: ea autem maior perfectio consistit in maiori recessu à materia, quam certum est non participare gradum vitæ: materiæ autem imperfectio sita est in eo, quod constat partibus omninò homogeneis: ergo substantiæ completæ, & essentialiter compositæ, quæ similem in se homogeneitatem seruant, vtpotè maximé pro-

vtique imperfectioni materiæ, putandæ ratio-nabiliter sunt non viuentes: quę verò per oppositum heterogeneitatem continentes, vel in vna indiuisibili entitate, vel etiam in suo esse diuisibili, quod tamen est physicè vnum; totam illam varietatem; sicuti magis recedunt ab imperfectione materiæ, & accedunt ad perfectionem Dei, quem certissimum est esse perfectissimè viuentem; ità absolutè putanda sunt viuentia. Neque facilè in alio videtur sita, si considerentur ea, quę nobis innotescunt, maior perfectio viuentium supra non viuentia, quàm in dicta heterogeneitate.

Vita in actu secundo est operatio per se immanens principio exigenti immanenter heterogeneè operari.

15 Dico secundo: vita in actu secundo, seu actus vitalis, est operatio per se immanens principio exigenti immanenter heterogeneè operari. Non igitur sufficit ad actum vitalem, quod sit operatio vtcumque per se immanens; emanatio enim proprietatum ab essentia est operatio per se immanens, neque est actus vitalis. Debet igitur ex suis intrinsecis immanere principio heterogeneè operatiuo; ita vt debeat supponere ex suis intrinsecis in illo principio vim heterogeneè operandi. Probatur, quia actus vitalis vel includit illam heterogeneitatem actualem, vel supponit virtutem ad illam; aliter non esset, cur diceretur actus vitalis; ergo, &c. Antecedens probatur: viuens in actu primo, vt probauimus, est principium exigens immanenter heterogeneè operari: ergo vita in actu secundo est actuale exercitium illius potentię: sed actuale exercitium talis potentiæ est operatio immanens, vel formaliter, vel præsuppositiuè heterogenea: quia supponit in principio illam vim heterogeneè operandi: ac proinde procedit ab illo vt viuente in actu primo. Non est autem necesse, vt quilibet actus vitalis, (certè id nunc non defendo) actu contineat heterogeneitatem in diuersis suis partibus, vel in vna entitate indiuisibili versante circa plura, & diuersa: sed sufficit, si supponat in principio, cuius est actuale exercitium, vim illam heterogeneè operandi per vnam, vel plures operationes.

Quid sit viuens in actu secundo.

16 Ex dictis infero; viuens in actu secundo esse, quod actu operatur per operationem per se supponentem physicè, vel logicè exigentiam ipsius subiecti ad immanenter heterogeneè operandum.

Emanatio potentiarũ ab anima nõ est actus vitalis.

17 Obijcies primo: supponamus potentias vitales distinctas ab anima: certè emanatio intellectus ab anima non est actus vitalis; & tamen est actus immanens, supponens in anima vim heterogeneè operandi: emanat enim ab anima, quatenus anima est: in quo sensu dicit eam vim heterogeneè operandi. Rursus intellectus est complementum animę in ordine ad operationes heterogeneas: ergo supponit in anima vim heterogeneè operandi saltem radicalem, cum ordinetur ad complendam eam vim. Respondeo primo, nonnullos putasse, huiusmodi emanationem potentiarum vitalium esse actum vitalem, similem aliquo modo nutritioni: distinguo tamen secundam partem, supponens ratione sui in anima vim heterogeneè operandi, nego: ratione termini, cuius potentia est principium nempè intellectionis, concedo. Hoc autem non est aliud, quàm essentiam, vnde dictæ potentiæ, & potentias ipsas esse principium immanens heterogeneum iam explicatum, & suppositum ab actione vitali: neque enim intellectus cum alijs potentijs facit illam heterogeneitatem, quam supra explicauimus; & ratione cuius actu formaliter operans, se extendat ad terminos veluti oppositos: quare non ratione sui formaliter supponit vim heterogeneè operãdi supra explicatã.

18 Obijcies secundo: quid dicendum de aliorum sententijs? Respondeo, me non curare, quid alij de hac re dixerint: quia meam opinionem non probaui argumento negatiuo, quasi non sit alius modus explicandi conceptũ vitæ: sed positiuè ex principijs satis bonis: quare si aduersarius in sua definitione aliquid afferat, quod repugnet nostræ, facilè impugnari potest ex dictis; sin minus, non multum laboro. Vt autem aliquid breuiter dicamus.

Impugnantur aliorũ sententiæ.

19 Sunt primo nonnulli, qui absolutè docent, viuens in actu primo esse, quod se ab intrinseco mouet; actum autem vitalem esse motum ab intrinseco procedentem; sed hi iam supra reiecti sunt: prima enim emanatio proprietatis ab essentia est motus ab intrinseco, nõ tamen vitalis: secundo, Deus viuit, nec propriè potest ab intrinseco moueri.

Viuens nõ purè est, vel quod se ab intrinseco mouet, vel quod in suo statu naturali constitutus se ab intrinseco mouet.

20 Ideò secundo alij dixere, viuens in suo statu naturali iam constitutum se mouere ab intrinseco. Sed contra; ergo actus vitalis supponit rem esse in statu naturali constitutũ; quod esse falsum patet; tum in Deo, cuius essentia multi constitui affirmant per intellectionem: tum in Angelo, cui statim ab initio debita est cognitio: ergo cognitio potest spectare ad statum naturalem rei. Confirmatur; id omne, quod necessariò sequitur ad actionem generatiuam, dicitur substantia genita recepisse à generante; certè multi actus vitales, vt nutritio prima, intellectio ferè in Angelo, cum necessariò sequantur ad actionem primò generatiuam, dicentur accepti à generante. Præterea quid dicent aduersarij de substantia creata identificante sibi suam intellectionem, quam plures aliorum admittunt? Deinde non video, quomodo augmentatio, & omnes sensationes, quę in animalibus requiruntur, supponant animal in suo statu naturali constitutum. Profectò, si animal iam est in suo statu naturali constitutum, non debet augeri: & vero doce me, quando putandum sit animal in suo statu naturali constitutum.

Neq; quod substantialiter, & in ratione virtutis operatiuæ completũ,

21 Tertiò alij dicunt viuens esse, quod completum iam in esse substantiali, & uirtutis operatiuæ, sit determinatum ad producendum terminum, qui naturaliter ab extrinseco produci nequit. Sed contra primò, quia aliquis actus uitalis complet uim operatiuam, ut in-

co-

determinatum est ad producēdū terminum, qui naturaliter nequit ab extrinseco produci. cognitio respectu actus voluntatis: ergo non supponit ad eamdem vim operatiuam. Secundo, hæc difficillimè applicantur Deo. Quod si quarto addas, actionem vitalem esse, quæ procedit ab intrinseco, non supponens principium in statu violento; contra est: quia prima emanatio proprietatis non supponit naturam in statu violento, & est ab intrinseco; nec tamen est actus vitalis. Rursus quid dicent de Angelo, cui debita est cognitio sui.

Neque cui ex speciali titulo actio est intrinseca. 22 Quinto, multi apud Linceum requirūt ad actionem vitalem, quod sit intrinseca principio ex speciali titulo, & non ex eo quod sit passio ex genere suo debita subiecto. Sed quis est specialis titulus? Rursus quo speciali titulo est Angelo intrinseca cognitio, quam ab initio recipit, & exigit. Tertio, cur motus lapidis deorsum non est actus vitalis, cum sit intrinsecus ex speciali titulo? quia videlicet est exactus à lapide, & non fit passio.

Sed quid de ijs, qui dicūt viuēs esse indifferēs ad plures species operationes, ad quas à circumstātijs determinetur. 23 Sexto, docent alij, viuens esse, quod est indifferens, & indeterminatum ad plures species operationes, & determinatur per aliquas circumstantias. Verùm hi nobiscum sentiunt: solùm peto, verum omnis operatio vitalis debeat supponere in principio indifferentiam ad se? si affirmant, conuincuntur falsitatis: cognitio enim, qua Deus cognoscit se, nullam supponit indifferentiam in Deo respectu sui; si negent, contra est adhuc, quia si concipiamus principium habens amplitudinem heterogeneè operandi modo dicto, iam concipimus principium vitale perfectius non vitali; quamuis in illo nullam eōcipiamus indifferentiam.

Quid si dicas viuens in actu primo esse principium exercitij per se immanentis, & non per modū puræ emanationis. 24 Septimo demum fuerit, qui Ouiedum magna ex parte secutus, dixerit, actum vitalem esse exercitium per se immanens, & non per modum puræ emanationis; quia vel non procedit, & emanat, vt sunt actus vitales diuini; vel sic procedit ab intrinseco, vt procedat etiā ab extrinseco v.g. ab obiecto, &c. Sed primo hic non explicatur excessus perfectionis viuentium supra non viuentia, sed potius maior imperfectio, dum indicatur esse insufficientia ad actus vitales. Secundo, motus lapidis deorsum, & similes procedunt etiam necessariò ab aliqua occasione extrinseca, nempè à statu violento præcedente. Non negauerim tamen hanc explicationem posse ita moderari, vt ad nostram reuocetur. Illud autem nego, nostram explicationem esse contra sensum communem; nam eam expresse omnes indicant, præsertim Masius, & Perez. Quin & Aristoteles, dum in definitione requirit, vt sit actus viuentis, & corpus viuēs docet necessariò esse organicum. Neque ex alio *cap. 2. de anima t. 24.* explicat vitam, ibi: *Vnde, inquit, & vegetabilia omnia videntur viuere; videntur enim in seipsis habere potentiam, & principium huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiūt secundum contraria loca: non enim sursum quidem augentur, deorsum verò non; Sed similiter in vtramque, & in omnem partem aluntur,*

authoritas pro nostra sententia.

& viuunt semper, quamdiu possunt accipere alimentum.

Habitus, et species non sunt viuentia. 25 Hinc infero, habitus siue acquisitos, siue infusos, ac species impressas, non esse potentias vitales: quia quilibet actus, & species potiùs habet modum operandi homogeneum. Rursus operatio procedens ab vno habitu non supponit in illo virtutem ad operationes alias heterogeneas. Tertio, non sunt principium per se immanens; cum neque operatio debeat recipi in illis; neque insint ex natura sua tanquam proprietates principio operanti, in quo supponunt vim completam immanenter operandi. Ex eadem ratione infero, actus non viuētiter concurrere ad productionem specierū, cum illas obiectioè producant; neque vt proprietates intrinsecæ operanti. Motus tamen progressiuus animalis probabiliùs est actus vitalis: tum quia procedit ab intrinseco; tū quia supponit in mobili vim heterogeneè operandi. Neque obstat, quod illæ eadem vbicationes possint produci ab extrinseco principio; quia nunquam poterunt ab extrinseco procedere per motum progressiuum: sicuti quamuis hæc portio materiæ eadem, quæ nunc acquiritur per nutritionem, potuerit acquiri in prima generatione; adhuc nutritio est motus vitalis.

26 Tria hic aduerto, malè nonnullos assumere, non prius definito conceptu vitæ, esse possibile viuens, quod nullo modo sit heterogeneè operatiuum; cum possibilitas illius pendeat ex conceptu vitæ in communi; quem debemus ex indicijs, quæ nobis natura subministrat, colligere, & non merè ad libitum chimerizando formare. Secundo, me hic non defendere conceptum communem vitæ tam in actu primo, tum in actu secundo; sed duos conceptus, alterum vitæ in actu primo, alterum vitæ in actu secundo. Tertio, processionem diuinarum Personarum, si fecundo in supradictis, esse vitalem.

Variæ viuentium species. 27 Ex his omnibus patet sub genere viuentis in actu primo contineri duas præcipuè species, alteram physicè viuentis, quod videlicet est principium physicum suarum operationum; alteram logicè modo supradicto. Secundo, principium physicè viuens, vel est purè physicè viuens; quia tantùm potest nutriri, non autem exercere operationes intentionales cognoscendi, & appetendi; vel est physicè, & intentionaliter viuens: & minimùm distinguatur ab operatione, & possit etiam exercere actus intentionales. Hinc præcipua vita in actu secundo alia est physica, qualis est nutritio; alia intentionalis, actus videlicet cognoscendi, & appetendi. Demum addo immensitatem, & æternitatem Dei esse intrinsecè actus vitales, quamuis ex modo nostro concipiendi imperfecto non exprimantur vt actus vitales.

Nutritio est actus vitalis. 28 Petes: quomodo nutritio sit actio immanens? Respondeo; quia saltem inadæquatè est in principio, à quo efficitur: nam enim vnio cum sua causalitate saltē partialiter est in parte viuentis, à qua procedit.

DISPVTATIO II.

De Potentijs animæ in communi.

ANimam primo cũ Aristotele definiuimus, actum constitutiuum corporis potentia vitam habentis. Secundo, principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Ex quibus apertè colligitur, corpus animatum ab anima habere facultates vitaliter operandi, quas facultates non immeritò potentias animæ dicetis, & veluti primas illius proprietates. Inuestigata igitur animæ essentia; ordo doctrinæ postulat, vt gradum faciamus ad cognoscẽdas illius potentias. Primo igitur de his potentijs in communi hac disputatione agemus, de singulis in sequentibus acturi.

SECTIO I.

Verum anima identificet sibi virtutem productiuam operationum vitalium.

Status quæstionis.

1 LOquor de virtute immediatè productiua: indubitatum enim est, animam concurrere ad actus vitales vel mediatè per potentias contradistinctas, vel immediatè per se ipsam; dubium autem est, vtrum primo, vel secundo modo defactò concurrat: quod si primo modo, indubitatum est, admittendas esse potentias vitales distinctas à substantia animæ: sin secundo, non statim excludendæ sunt potentiæ distinctæ; possent enim admitti, vt comprincipia simul cum ipsa substantia animæ concurrentia, & necessaria ad operationes vitales; de quo sectione sequenti. Nunc igitur solùm quærimus, vtrum anima per suam virtutẽ immediatè concurrat ad actus vitales: idque non solùm actiuè, sed etiam passiuè. Sit igitur.

SVBSECTIO I.

Quid de potentia actiua?

Anima immediatè actiuè concurrit ad actus vitales.

2 DIco primo: anima identificat sibi virtutem actiuè concurrendi ad actus vitales proprios. Ita docent contra Thomistas Scotus cum discipulis, & omnes ferè Societatis Doctores: probatur quod per suã substantiã est formaliter vita creata in actu primo, per suã substantiam est formaliter principium actiuum operationum vitalium: sed anima per suam substantiam est formaliter vita creata in actu primo: ergo anima per suam substantiam est formaliter principium actiuum operationum vitalium. Probo minorem: quia anima per suam substantiam constituit compositum creatum formaliter, non tantum radicaliter viuẽs; quis enim dicat substantiam hominis, leonis, & similes non esse formaliter, sed tantum radicaliter viuentes: ergo secundum suam substantiam anima est formaliter, non tantùm radicaliter vita in actu primo: aliter non constitueret compositum creatum formaliter, sed tantùm radicaliter viuens; & homo secundum suam substantiam non esset formaliter viuus, sed potiùs mortuus, exigens tamen vitam: sicuti non est formaliter accidens, sed substãtia exigens accidens.

3 Probo maiorem: de ratione vitæ creatæ in actu primo est posse efficere actum vitalem, seu esse principium actiuum actus vitalis: ergo quomodo aliquod est vita creata in actu primo, eodẽ modo est principium actiuũ actus vitalis; & quidem si est formaliter per se ipsum vita creata in actu primo, est formaliter per se ipsum principium efficiens actus vitales: si tantùm radicaliter est vita creata in actu primo, tantùm radicaliter est principium efficiens actus vitales: ergo quod per suam substantiam est formaliter vita creata in actu primo, per suam substantiam est formaliter principium actiuum actus vitalis.

4 Dices: nullum est absurdum concedere; quod substantiæ creatæ non sint formaliter, sed tantùm radicaliter viuentes; & quod anima non sit formaliter, sed tantùm radicaliter vita in actu primo: hoc enim aliud non est, quàm animam distingui à principio operationum vitalium, quod est in quæstione; & concedunt aduersarij: vel si vis, quod formaliter viuens in actu primo sit aliud, quàm esse formaliter principium actiuum operationum; certè substantiæ creatæ erunt formaliter viuẽtes in actu primo, quamuis non sint formaliter principiũ actiuum.

Viuentia creata sũt formaliter per se ipsa viuentia.

5 Sed contra: quia iam supra probaui vitam creatam in actu primo includere principium actiuum. Rursus videtur absurdum, quod viuentia secundum suam substantiam non sint formaliter viuentia; & quod hoc prædicatum vitæ formalis in actu primo, quod est nobilissimum omnium, quæ possunt conuenire naturaliter creaturis; conueniat accidenti, non substantiæ. Confirmatur: quia substantia viuentis esset absolutè mortua, & solùm esset causa viuentis, nempè potentiæ vitalis; & ad summum esset viuens denominatiuè, & remotè, vt subiectum, & causa efficiens vitæ formalis; & varietas illa, quam inducunt operationes vitales formaliter perficeret illud accidens, non ipsam substantiam viuentis; & esset bonum, & immediata felicitas potentiæ accidentalis, non substantiæ viuentis. Quare potentia accidentalis esset immediatè, & formaliter felicitabilis: est enim felicitabilitas principium operationum immanentium; sicuti felicitas est operatio immanens: ideoque non ipsa substantia viuentis rationalis, sed potentia rationalis accidentalis esset ratione sui formaliter amabilis, amicabilis; & participaret rationem finis cuir substantia autem solùm remotè, & denominatiuè: quæ videntur prorsus absurda.

6 Dices: animal esse operatiuum, vt quod, & vt quod felicitabile: potentiam autem, vt

quo.

quo. Sed contra; quia esse felicitabile, vt quod, non est aliud, quàm esse felicitabile denominatiuè, & remotè: cæterum tota delectatio, & voluptas perciperetur immediatè à potentia superaddita, non ab anima; neque ipsa anima, sed potentia spoliata, & carens beatitudine esset inquieta, ac cruciaretur; quæ omnia esse absurda, nemo non videt. Legatur Arriaga *disp. 3. de anima disp. 8. sect. 2.*

7 Quæres: vtrum animæ brutorum diuisibiles concurrant actiuè secundum omnes sui partes ad singulas operationes; ita vt ad visionem, quæ exercetur in oculo, non solùm concurrat actiuè illa pars animæ, quæ est in oculo, sed etiam illa, quæ est in pede, in aure, &c. Respondeo, quod posset quis partem affirmatiuam ita promouere: partes animæ sunt homogeneæ, & eiusdem rationis: ergo non solùm pars animæ, quæ est in oculo, sed reliquæ etiã sunt vis productiua visionis. Rursus omnes partes faciunt vnam formam, & vnam animam strictiori modo, quàm faciant vnam formam partes formæ ignis: nam ex læsione vnius partis formæ ignis non sequitur læsio alterius; neque partes formæ ignis sunt ita à natura institutæ, vt quælibet sit parata alteri subuenire, cum alia periclitatur; vt euenit in partibus animæ diuisibilis: ergo sunt magis strictè vnum principium omnes partes animæ diuisibilis, quàm partes formæ ignis: ergo si plures partes formæ ignis constituunt vnum agens in ordine ad agendum in subiectum extrinsecum; [neque enim supponendum est actionem in hoc subiectum procedere ab vltima parte vel indiuisibili agentis] à fortiori omnes partes animæ diuisibilis constituent vnum principium adæquatũ omnium, & singularum operationum vitalium.

Quis fortasse dicet omnes partes animæ diuisibilis, quãuis distantes cõcurrere ad singulas cõpositi vitales operationes.

8 Dices: ad hæc omnia saluanda, sufficit si mediatè vna pars possit agere in aliam transmittendo spiritus, humores, &c. à se formatos, & concoctos: Imò ex hac transmissione spirituum, & humorum non improbabiliter infertur, partes distantes non concurrere immediatè in operationes aliarum partium distantium: aliter cur spiritus, & humores distantes non possent concurrere ad easdem operationes? Quod si id concedas, non est ratio, cur transmittantur spiritus, & humores, & cur species non possint concurrere, quãuis distãtes.

9 Probabilius igitur puto oppositum, videlicet partes animæ diuisibiles non concurrere immediatè ad operationes vitales aliarum partium; quod præter supradicta confirmatur; quia operationes vitales sunt immanẽtes principio vitali: ergo non possunt procedere à principio vitali, nisi, in quo debeant recipi. Præterea vis vitalis non videtur posse extendi, nisi ad operationes immanentes: ergo animę partes per virtutem vitalem, v.g. per virtutem visiuam, auditiuam, & similes, non possunt nisi in se ipsis, & immanenter operari. Cum hoc autem benè cohæret, quod partes animæ se mutuo foueant etiam quo ad operandum, & sint magis strictè vnum principium, quàm partes formæ ignis; vt patet ex numero præcedẽti: quinimò colligi ex dictis potest, neque in alia rerum serie posse naturaliter partes animæ diuisibilis immediatè se ipsis per vim formaliter vitalem concurrere immediatè ad operationes aliarum partium.

Probabilius est oppositum.

SVBSECTIO II.

Quid de potentia passiua?

10 POtentia passiua duplex est, alia perfectibilis per puram vnionem, alia per sustentationem; de vtraque igitur quærimus, verum sit omninò contradistincta ab anima?

11 Dico secundo: anima immediatè recipit actus vitales, illisque vnitur; ideoque identificat sibi potentiam vnitiuam illorum. Probatur: quia anima est per suam substantiam non solùm radicaliter, sed etiam formaliter vita in actu primo: ergo per suam substantiam habet formaliter posse se exercere per actus suos vtique vitales: sed posse se exercere, est non solùm posse efficere, sed etiam vniri; aliter non se, sed alia exerceret. & posse immanenter operari, est posse operari per operationẽ, quæ perseueret in operante. Confirmatur; si actus vitalis non reciperetur immediatè in anima, non ipsa immediatè cognosceret, videret, amaret, felicitaretur: hi enim sunt effectus formales, qui realiter identificantur cum subiecto immediato, & forma vnita: sicuti formaliter non est visa substantia parietis, sed color: substantia autem non nisi denominatiuè, materialiter, & remotè. Ex quo infero, etiã actus vitales materiales immediatè vniri animæ rationali.

Anima immediatè sibi vnit, & sustentat actus vitales.

12 Dico tertio: anima substentat omnes operationes à se vitaliter procedentes: probatur: quia est in priori signo ad influxum, ac præterea illum sibi vnit; est enim talis influxus actuale exercitium saltem partiale, quo se immanenter, & intrinsecè exercet anima: ergo verè est causa materialis tum illius, tum termini per ipsum producti.

13 Dico quarto, actus materiales vitales hominis vniuntur etiam, & sustentantur à materia, seu quantitate organi, seu alia potentia materiali addicta materiæ, de quo non curo. Probatur: aliter non essent materiales; causarentur enim adæquatè ab anima: ergo possent naturaliter conseruari independenter à materia: quod non verificatur, si habeant naturalem indigentiam, vt vniantur, & sustententur à materia, vel ab aliquo addicto materiæ: si autem necessariò vniuntur illi materiali, vtique ab illo materialiter causantur; alias non esset, cur non possent ab illo separata naturaliter conseruari; vt colligi potest ex dictis in Physicis.

Sed in homine materiales sustẽtãtur etiã ab aliquo materiali.

14 Obijcies primo: actus, & potentia debent esse in eodem genere: sed actus vitalis creatus est accidens: ergo potẽtia vitalis crea-

Quomodo actus, & potentia sunt in codẽ ordine.

ta

ta est accidens. Respondeo, me huic argumento satisfecisse in Physicis, explicando textum, & axioma Aristotelis de actu, & potentia ordinatis ad constituendum totum substantiale, vel de actu, & potentia logica: quia idem est subiectum, quod denominatur possibile, ac quod existit.

Actio quæ mediat nō impedit immediatum influxum.

15 Obijcies secundo: anima immediatè vitaliter operatur, & tamen causat actum vitalem per actionem adæquatè distinctam: ergo quamuis causet per potentiam adæquatè distinctam, poterit dici immediatè vitaliter operās. Nego consequentiam: quia actio mediat non vt potentia, quæ operetur; sed vt actuale exercitium, quo anima actu se exercet, & viuit: ideoque dum ponit actionem connexam cum actu peccaminoso, est causa, cur sit actus peccaminosus, qui ipsi consequenter imputari rationabiliter possit: quod non verificatur, si non anima, sed sola potentia contradistincta immediatè influit.

Quando influxus tribuēdus est causæ vniuocæ.

16 Obijcies tertio: influxus potiùs tribuendus est causæ vniuocæ, quàm æquiuocæ: ergo influxus in actus vitales accidentales potius tribuendus est potentiæ accidentali, quæ magis accedit ad vniuocationem cum actu, quā substantiæ animæ. Respondeo, antecedens esse ad summum verum, quando causæ vniuocę existentia, & virtus adæquata aliundè supponitur: non autem quando id non supponitur, & multò minus si positiuè probetur oppositum, probando necessitatem alterius principij, vt euenit in casu nostro. Rursus si tuot causa vniuoca, tum æquiuoca habeant virtutem, non est, cur vtraque attemperando concursum simul non concurrant: vel si semper simul concurrāt, non est, cur in altera fingamus virtutem adæquatam. His adde etiam potentiam in casu nostro esse causam æquiuocam.

Cur materia dicitur alba ab albedine recepta in quātitate, & anima non potest dici viuens ab actu vitali recepto in potētia distincta.

17 Obijcies quarto contra secundam conclusionem: materia dicitur alba, quamuis albedo immediatè solùm recipiatur in quantitate. Respondeo, materiam denominatiuè dici albam, & calidam per calorem in se remotè receptum, quo etiam disponitur ad formam ignis; quia disponi est determinari, non, immediatè recipere accidentia. Ignis autem dicitur formaliter calidus, quia in ipso vestito quantitate recipitur calor; quod non verificatur de sole: quæ omnia, & similia non sufficere, vt anima sit formaliter vita in actu primo, patet ex dictis.

18 Obijcies quinto contra reliquas conclusiones: actus procedens à principio naturali, & supernaturali est supernaturalis: ergo actus procedens passiuè ab anima spirituali, & ab ente materiali est spiritualis. Nego consequentiam: quia naturale à nobis concipitur negatiuè pro eo, quod non est supra vires naturæ; supernaturale verò positiuè pro eo quod est supra vires naturę; ad quod sufficit, si exigat vnum principium supernaturale: at spirituale concipitur negatiuè pro independente à materia, seu pro non repugnante ad penetrationem; materiale verò positiuè pro dependente à materia, seu pro repugnante penetrationi.

19 Obijcies sexto: spirituale est improportionatum ad sustentandum materiale: ergo anima non potest sustentare actus materiales. Antecedens probatur: materiale est improportionatum ad sustentandum spirituale; ergo, &c. Nego antecedens, cuius oppositum indicat paritas corporis potentis vniri animæ spirituali: ad probationem, nego consequentiam: ratio diuersitatis est: quia per dependentiam à materia res dicitur materialis, vt vidimus. Quod si actus ex ea temperantiæ pendet à corpore, id habet non ratione dependentiæ à materia, sed quia ex sua efficacia est connexus tamquā cum obiecto, cum aliquo, quod necessariò supponit vnionem animæ cum materia. non video autem cur ille actus temperantiæ non possit naturaliter perseuerare extra corpus, vel alius similis in eo statu elici, qui destituatur efficacia ex puro defectu materiæ.

Non potest actus vitalis actiuè procedere ab anima, & tātū recipi in materia.

20 Illud hic addo cum Quiros contra Hurtadum asserentem, sensationes recipi in materia tantùm, non in anima; futurum videlicet, vt non magis anima, quàm materia sit principium viuens, cum altera actiuè, altera passiuè concurrat, & viuere vtrumque includat. Confirmatur; quia idem principium appetens debet dirigi à cognitione, quod fieri non potest, nisi illi vniatur cognitio: hęc enim non dirigit nisi proponendo obiectum; non proponit autem obiectum, nisi cui vnitur. Cum igitur non proponat obiectum materię, nec illam dirigat ad appetendum; non potest vniri materiæ; benè autem animę, quod à fortiori confirmat identitatem principij liberi cum principio cognoscitiuo.

21 Obijcies sexto: sensatio non potest communicare animę suam extensionem: ergo neque illi vniri: non enim potest forma vniri subiecto, cui nequit suum effectum formalem communicare. Nego consequentiam: ad vnionem enim non requiritur vt forma communicet subiecto omnes denominationes, sed satis est si tribuat aliquam, vt patet in anima respectu corporis, quod non constituit spirituale, sed animatum.

Materia etiam in brutis est subiectum sustentationis.

22 Duo hic aduerto. primum, probabilius mihi videri, materiam esse subiectum etiam sensationum in brutis, sicuti in homine: quia ex vno capite perfectius saluamus, quod substantia ab intrinseco viuat, si operatio vitalis adęquatè in ipsa recipiatur, quam si etiam in aliquo accidente superaddito: ex alio vero, si materia est subiectum sensationum in homine saltem partiale; non est, cur in brutis non sit eodem modo subiectum: & si in homine anima non est adęquatum subiectum illarum; cur id concedemus brutorum animæ? Demum hoc modo saluamus, quod perfectiori modo sunt vitales, & ab intrinseco actus spirituales, quā

materiales; cum spirituales omninò perseuerent in principio actiuo vitali.

28 Secundum est, probabilius esse repugnare animam spiritualem separatam miraculose sentientem, nisi Deus suppleret vim sustentatiuam animæ, quam suppono inadæquatam, per aliquam potentiam accidentalem superadditam, quod hic sufficit indicasse. Qui plura velit legat Quiros *disp.* 82. *sect.* 5.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum dentur in anima potentiæ vitales distinctæ, quæ saltem partialiter cum illa concurrant ad actus vitales?

1 HÆc etiam quæstio agitari potest tum de potentia actiua, tum de passiua. Communior, præsertim apud veteres, opinio docet dari huiusmodi potentias superadditas; quam opinionem sequuntur ex Recentioribus Quiros *disp.* 83. *sect.* 3. & Maurus *q.* 30. *de anima*. Contrarium docent Scotistæ, Nominales, Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, Daodiona, Spinola, & alij præsertim recentiores nec pauci nec infimæ notæ.

Non dantur potentiæ vitales ab anima distinctæ.

2 Dico cum secunda sententia, non dari potentias vitales distinctas ab anima: nomine potentiæ vitalis distinctæ intelligo potentiam quandam ab anima per modum proprietatis physicè promanantem, quæ illam ad functiones vitales semper necessario adiuuet. Probatur substantia creata secundum se considerata in viuentibus est per se ipsam formaliter viuens in actu primo, & hoc est prædicatum essentiale, quod in illa primo elucet: ergo actus immediatus, ad cuius positionem ex suo conceptu elucet proportionata substantia viuens, sunt actus vitales: ergo non potest ex genere suo proportionari cum actibus vitalibus media potentia superaddita.

Anima est adæquatè proportionata ad actus vitales.

3 Confirmatur: substantia viuens creata ex suo conceptu necessario dicit virtutem sibi identificatam immanenter heterogeneè operandi; quæ virtus est tum actiua, tum passiua: ergo ex suo conceptu est adæquatè proportionata tamquam potentia vitalis actui vitali: neque enim aliud requiritur, ut aliquod tamquam potentia vitalis sit adæquatè proportionata actui vitali, nisi, ut sit respectu illius potentia immanenter heterogeneè operatiua: præcisè enim per hoc, quod immanenter heterogeneè operatur, iam non potest non vitaliter operari, quamuis à nulla alia potentia vitali adiuuetur: ergo ad operandum vitaliter non indiget alia potentia vitali conferente illi vim vitaliter operandi. Anima igitur in ordine ad actus vitales non potest esse radix potentiarum vitalium. Et quidem si aliqua potentia est ex se immediatè proportionata ad vitaliter operandum, iam excludit omne aliud, per quod naturaliter mediatè proportionetur. Hæc ratio probat absolutè tum de potentia actiua, tum de passiua.

4 Obijcies primo: actus vitalis, dum elicitur ab anima supponit in illa aliud accidens: sed hoc non est nisi potentia vitalis: ergo datur potentia vitalis accidentalis distincta vtique à substantia animæ. Maior probatur: actus vitalis, quicumque sit in creatis, supponit substantiam, a qua procedit in suo statu connaturali: quia quilibet actus vitalis per se variabilis est, neque cum aliquo actu vitali determinato connectitur substantia animæ: ac proinde quilibet est extra statum connaturalem animæ: motus enim per se variabilis necessario est extra connaturalitatem principij: sed anima in suo statu naturali dicit aliquod accidens: ergo actus vitalis, dum fit ab anima, præsupponit aliquod accidens. Minor hæc secunda probatur: omnis substantia creata dicit in suo statu naturali aliquod accidens, vt patet inductione, & probatur vlterius: quia non minus spectat ad dominium Dei posse eleuare substantiam ad perfectionem supra ipsius naturam; quam ab ea tollere perfectionem, & statum connaturalem; quod fieri non posset, si substantia non constitueretur in suo statu naturali per aliquod accidens: aliter ad impediendum illum statum naturalem auferenda esset ipsa substantia.

Actus vitalis non necessario supponit accidens, quod sit potentia vitalis.

5 Confirmatur: omnis substantia creata habet capacitatem, vt vlterius perficiatur, si per defectum potentiæ actiuæ non steterit: est enim, vtpote finita, vlterioris perfectionis capax: at non potest deficere virtus actiua ad producendum eam perfectionem: nam ipsa substantia est talis virtus actiua: quia continere virtutem productiuam alicuius effectus, est, quod causa sit tantæ, vel tantæ actualis perfectionis: virtus enim causatiua fundatur in perfectione rei: ergo cum omnis substantia sit suo modo perfecta, debet necessariò habere virtutem actiuam maximè respectu subiecti sibi adeò proximi, & applicati; qualis est ipsa sibi: ergo necessario producet in se suas passiones accidentales; accidentia videlicet, quæ necessariò profluant ab eius essentia iam existente.

Omnis substātia creata est capax perfectionis.

6 Probanda nunc est minor principalis argumenti, quod videlicet hoc accidens in casu nostro sit potentia vitalis; quæ primo confirmari potest paritate aliarum passionum, quæ sunt accidentia immediatè emanantia ab essentia. Secundo, ad præsentiam illius accidentis producuntur actus vitales, qui semper illud præsupponunt. Tertio, in passionibus maximè elucet perfectio essentiæ, qua talis est; vnde quo magis crescit perfectio substantiæ, eo plus crescit perfectio passionum: ergo, cum tota perfectio animæ sit esse radicem cognoscendi, & amandi; in his passionibus maximè elucebit dicta perfectio. Hæc Quiros *disp.* 83. *à n.* 14.

7 Nego primo maiorem; ad probationem negari posset maior: non est enim certū, actum vitalem non posse esse proprietatem substantiæ viuentis, qualem putant nonnulli esse in Angelo cognitionem, qua se ipsum cognoscit. Et

si in

si in Deo actus vitalis ingreditur tanquam prędicatum essentiale saltem realiter, & ex parte obiecti; cur actus vitalis non poterit ingredi vt proprietas ad constituendum statum naturalem rei? Rursus quamuis nullus actus vitalis determinatè sumptus sit passiò animæ, & necessariò illam sequens; negari tamen non potest esse in anima necessitatem ad aliquem actum vitalem sub disiunctione.

Anima nõ necessario dicit aliquod accidens determinatũ sibi propriũ

8 Rursus ad minorem dico, quod anima in suo statu naturali non necessariò dicit aliquod accidens proprium sui, & determinatum, sed vel proprium, vel cõmune, aut indeterminatũ; aliquã videlicet actionem vitalem. Ad primam probationem dico; Deum posse animam spoliare suo statu naturali, si vel produceret sine vnione ad corpus, vel, si est anima materialis, sine vnione illa conseruaret: si rursus vniret corpori non organizato, neque apto ad vllam functionem vitalem; vel vnitæ cum materia organizata denegaret concursum ad actum omnem vitalem. Quare actus vitalis supponit animam in suo statu naturali non positiuè, sed negatiuè: quia non supponit animam fuisse spoliatam suo statu naturali, sed illum statum cõstituit. Nec video, cur aliquod variabile non possit hoc modo spectare ad statum connaturalem rei: sicuti status naturalis rei creatæ dicit esse in loco, licet modo sit in hoc, modo in illo loco. Cuius rei ratio est: quia & ad statum naturalem rei creatæ spectat esse in loco cum indifferentia ad hunc, vel illum locum; & ad statum naturalem animæ spectat actu viuere cum indifferentia ad hanc, vel illam actionem vitalem.

Diuerso modo à suis accidẽtibus perficiuntur viuentia, ac non viuentia.

9 Ad confirmationem dico, substantiam viuentem creatam diuerso modo posse per accidentia à se causata perfici, ac substantiam non viuentem: viuens enim formaliter est immanenter heterogeneè operatiua: ergo potest se perficere per operationes immanenter heterogeneę à se procedentes: ac proindè non debet respicere aliquod accidens determinatum, & fixum, à quo determinatè perficiatur, & ad quod sit ex se determinata. At non viuens ob contrariã rationem cõnectitur determinatè ab initio suæ productionis cũ aliquo determinato accidente. Accidens autẽ, in ordine ad quod est determinatè virtus formaliter actiua, & passiua, substantia viuens creata, vt vidimus, est actus vitalis.

10 Non negauerim tamen, vt anima vitaliter operetur, indigere multis adminiculis, vel ex parte obiecti, quales sunt species; vel ex parte organorum. Quis autem dixerit vel species, vel organa esse proprietates ab anima emanantes? Non esse autem potentias formaliter vitales iam supra ratione positiua vniuersali probatum est. Iuuant igitur actiones vitales, vel quia sunt necessariæ ad receptionem specierum, vel quia per suas qualitates etiam concurrunt physicè ad actus vitales: cum præsertim nequeant dici passiones animæ; aliter viuens polleret virtute adæquata in ordine ad illa; ac proindè non posset illis naturaliter spoliari.

11 Secundo, ad maiorem primo propositam dici adhuc potest, vel actus vitales non supponere in anima per se aliquod accidens, presertim propriũ; vel si supponãt aliquod accidens propriũ viuentis, illud profectò non esse strictè passionẽ, aut potentiam vitalem. Ex quo sequitur nõ esse de ratione substãtiæ creatæ, vt sit principium alicuius passionis sibi propriæ realiter á se distinctę, & rigorosæ.

12 Hinc patet, non esse verum, quod substantia debeat habere virtutẽ actiuam adæquatã respectu alicuius accidentis; neque id probari ex eo, quod agens sit maximè coniunctum passio, & proportionatum effectui; aliter omnia substantia viuens esset virtus adæquata actuum vitalium: His adde, non absurdè posse dici, quod omnis anima, aut viuens est alicuius actus vitalis virtus adęquata; vt euenit in Angelo respectu cognitionis, qua se ipsum cognoscit.

13 Neque minor primi argumenti est satis firma: dici enim potest illud accidens præsuppositum non esse potentiam vitalem, aliter esset formaliter anima: sicuti neque est potentia vitalis obiectum.

14 Obijcies secũdo: Anima est indifferens ad intelligendum, & volendum. Respondeo, etiam potentias distinctas esse indifferentes: determinatur igitur anima vel liberè, & formaliter per ipsas operationes; vel antecedenter necessario per species, & alias circumstantias satis notas.

Subiectum gratiæ, & habituum supernaturalium.

15 Obijcies tertio: gratia recipitur in substantia animæ, habitus fidei in intellectu, spei, & charitatis in voluntate. Respondeo realiter hæc omnia recipi in substantia animæ: habitus autem fidei dicitur recipi in intellectu quia iuuat actus intelligendi: reliqui in voluntate; quia sunt principia volitionum supernaturalium; gratia demum recipitur in substantia; quia non est formaliter operatiua, sed veluti aliorum radix imitatur conceptum naturę, & substantiæ. Distinguuntur autem hi habitus inter se ex separabilitate, vt suppono ex Theologia.

Vnde animæ possibiles possunt esse perfectiores existentibus.

16 Obijcies quarto: possunt haberi animæ perfectiores animabus existentibus; quæ maior perfectio non in alio consisteret, nisi quia illæ non haberent potentias distinctas, sicuti hæ. Nego minorem: maior enim perfectio desumi posset ex perfectiori modo operandi, & cum minori exigentia auxiliorum extrinsecorum.

17 Obijcies quinto: ergo intellectus vult, voluntas intelligit. Respondeo in sensu reali nullum esse absurdum in consequenti: formaliter autem propositiones illæ sunt falsæ; cum intellectio, & intellectus non sit ex suo conceptu volitio, & voluntas.

Vnde vna visio perfectior alia.

18 Obijcies sexto: potentia visus in ceco separatur ab anima, suscipit magis, & minus; vna enim elicit visiones perfectiores, quã alia.

alia. Respondeo, non potentiam visiuam separari ab anima, sed impediri visionem ex defectu organi. Ex diuersitate etiam organorum, & specierum oritur, quod vna visio sit alia perfectior: cæterum si potentia visiua emanet vt proprietas rigorosa ab anima in eodem viuente, semper est eadẽ; et tamen idẽ homo modo videt clariùs, modò obscuriùs; et in cęco cum perseueret anima debent perseuerare omnes eius proprietates, et passiones.

Ex diuersitate actuũ nõ bene infertur distinctio potentiarum inter se, & ab anima.

19 Objicies octauo cum *Mauro*: actus, quos statim ac experimur, distinguimus per hoc, quod sint actus diuersarum potentiarum, verè debent esse actus diuersarum potentiarum: sicuti actus, quos statim reducimus ad vnam potentiam, debent esse actus eiusdem potentiæ: sed omnes actus videndi statim vt illos experimur, reducimus ad vnam potentiam visiuam, quamuis versentur circa colores non solùm diuersos, sed etiã oppositos; & actus tangendi ad vnam potentiam tactiuam, licet fiant in diuersis partibus corporis: contra verò actus tangendi, & videndi licet fiant in parte eadem reducimus ad diuersas potentias: ergo hæ potentiæ sunt specie diuersæ, quamuis sint in eadem parte subiecti: ergo realiter distinguuntur inter se, & ab anima. Data maiori, nego minorem: neque enim omnes actus videndi, quorum singuli faciunt, vt formemus conceptum potentiæ visiuæ, visionis, & coloris in communi, ostendunt distinctionem realem specificam potentiæ visiuæ ab auditiua in anima, quę defacto datur? sed ad summum potentiam visiuam, quæ ex suo conceptu est visiua omnium colorum, ex suo conceptu non esse auditiuam. Idem dico de actu videndi, & imaginandi, licet versentur circa idem obiectũ idem de actu intelligendi, & volendi.

20 Actus igitur attingentes obiectum sub diuersa ratione formali, & per modos tendendi diuersos, solum exprimunt diuersos conceptus, non necessariò diuersas realitates potentiarum; quamuis, si actus sint materiales, requirantur diuersa organa: quia hi actus vtporè non ita perfectè vitales non debent supponere in anima potentiam ita adæquatã respectu sui; sicuti actus volendi, & intelligendi. Cæterum intellectio, & volitio habent diuersa principia: nam volitio respicit vt principium animam vt cognoscentẽ; intellectio eamdem vt informatam specie.

21 Objicies nono authoritatem plurium, & primo Dionysij *de cœlesti Hierar. cap.* 11. vbi distinguit in Angelis essentiam, potentiam, & operationem. Verùm vnde habent aduersarij S. Doctorem loqui de distinctione reali, & non de distinctione rationis? Eodem sensu accipiendus est Augustinus 15. *de Trin. cap.* 7. dicens: [*Non igitur anima, sed quod excellit in anima, mens est*] vel loquitur de mente actu operante. At S. Anselmus *lib. de casu Diaboli*: & S. Epiphanius, dum docent, mentem non esse substantiam; intelligendi sũt de substantia increata. S. Damascenus *in dialectica cap.* 15. solùm vult potentias esse in prædicamento qualitatis supposita distinctione. Concilium autem Tridentinum distinguens voluntatem ab appetitu, solùm vult appetitum sensitiuum dicere supra voluntatem etiam corpus; vnde oriuntur inclinationes in obiecta sensibilia. Demum Aristoteles 1. *ethic. cap.* 6. dum *Quemadmodum*, inquit, *in corpore est visus, sit in anima mens, & aliud in alio*: loquitur de mente actu operante. Diffiteri autem nequeo, quin ab auctoritate aduersariorum sententia sit probabilis. Cæterum pro nostra sententia videntur stare S. Augustinus 2. *de Trinit. cap.* 2. S. Isidorus *lib.* 2. *ethimolog.* S. Bernardus *de interiori domo cap.* 67. quos citat Hurtadus, & *Maurus q.* 3. *art.* 2.

Explicantur Patres

Probabile est spiritus causare actus vitales

22 Non negauerim autem satis probabile esse, spiritus actiuè concurrere ad motum progressiuum; ac etiam ad sensationes; aliter cur anima his spiritibus destituta non potest illas functiones exercere? operationes item spirituales, dum exercentur in corpore, saltem remotè pendent ab his spiritibus: quia pendent à phantasmate, quod à spiritibus causatur. Ob eamdem rationem facilè inducar, vt credam, aliquas etiam dispositiones organicas concurrere ad sensationes, vel proximè, & immediatè, vel remotè: deficientibus enim his dispositionibus, deficit actus vitalis: ergo vel sunt principium illius, vel dispositio necessaria ad recipiẽdas species: & vt spiritus influant. Non ob id tamen huiusmodi organa, & spiritus sunt potentiæ vitales, vt colligi potest ex dictis. Præterea post longum vsum defatigatur anima: non quia imminuatur potentia, quæ per aduersarios tanquam proprietas emanat; sed quia imminuuntur spiritus, quorum auxilio iuuatur anima.

Potentiæ animæ nõ identificantur cum substantia animæ, & distinguũtur inter se.

23 Ex dictis facilè est reijcere illorum sententiam, qui dicunt tres animæ potentias realiter identificatas cum animæ substantia, realiter inter se distingui: quia memoria est causa intellectus, intellectus simul cum memoria est causa voluntatis; facilè, inquam, est reijcere: quia supra probauimus principium intelligendi identificari cum principio volendi. Præterea cur non admittis potentias ab anima procedere; sicuti dicis à memoria procedere intellectum, & ab vtraque voluntatem? Ex dictis autem in logicis repugnat in creaturis plura identificari cum vno tertio, & non identificari inter se: & quidem hac sua sententia videntur aduersarij admittere in creaturis quid simillimũ mysterio Trinitatis.

Actus appetitus rationalis, et sensitiui inter se distinguũtur

24 Reijciendus vltimo loco est error Homeri, & Empedoclis apud Aristotelem *lib.* 2. *de anima t.* 150. non distinguentium quoad actus appetitum sensitiuum à voluntate, & intellectũ à sensu: est enim hic error contra fidem; nam distinctionem inter appetitum sensitiuum, & rationalem expressè docemur Gen. 4. ibi: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: & ad Rom. 7. *Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ*: Legatur S. Thomas 2. *contra Gentes cap.* 66. His adde experientiam, qua inclinante appetitu sensitiuo in obiectũ delectabile, voluntas illud repudiat, & amplectitur honestum.

DISPVTATIO III.

De potentijs animæ in particulari, & primo de materialibus.

POtentias materiales voco, quarum actus communes sunt homini cum brutis, vel etiã plantis; quales sunt potentia vegetatiua, & sensitiua, & omnes, quæ ad illas reducuntur. Spirituales igitur sunt, quarum actus solùm competunt enti intellectiuo. Quare potentia dicitur materialis potiùs ab actu materiali, sibi proprio, quàm ab entitate; vt supra notabam, euenire in homine. Iam verò ex potentijs materialibus præsertim sensitiuis, aliæ sunt internæ, quarum videlicet organum totum latet oculos; aliæ externæ, quarum organum aliqua saltem ex parte cerni oculis potest.

SECTIO PRIMA.

De potentia vegetatiua.

Tres actus potentiæ vegetatiuæ.

1 FInis, seu terminus potentiæ vegetatiuę est substantia ipsa viuentis, seu corpus animæ vnitum; circa quod tripliciter versari potest, vel generando, vel augendo, vel nutriendo illud: legatur Aristoteles 2. *de anima cap.* 4. t. 34. Ratio autem desumpta ex bono, & conuenienti esse potest: quia corpora viuentia, vtpotè includentia contrarias qualitates, sunt ab intrinseco corruptibilia; ergo congruum fuit illis concedere virtutem propagandi suam speciem per generationem. Necessaria igitur fuit potentia generatiua in his viuẽtibus. Quia verò materia per semen præstita, quæ inseruit primæ generationi, non est sufficiens ad debitam molem viuentis, & ad perficiendas omnes operationes vitæ, ideo debuit concedi viuentibus hisce virtus, qua intus sumendo alimentum, illudque in se conuertendo, perducantur ad debitam molem: necessaria igitur in his viuentibus fuit etiam virtus augmẽtatiua. Ad resarcienda autem damna illata tum ab extrinseco, tum etiam à calore naturali agẽte in humidum radicale, necessaria fuit virtus nutritiua.

Vita sita in calido, & humido.

2 Notandum autem hic est, vitam communiter putari sitam in calido, & humido: quia viuentia sunt composita ex partibus calidis, & humidis, omnino necessarijs ad functiones vitales: calor autem naturalis semper agit in humidum radicale; quia partes calidiores agunt in partes humidas minus calidas; illasque attenuãdo faciunt vt simul cũ spiritibus tũ vitalibus, tũ animalibus euolent per poros virtute eiusdẽ caloris apertos. Ex quo tandẽ sequitur defectus caloris, deficiẽtibus spiritibus, qui sunt caloris fomentum. Vt igitur hæc damna resarciantur, datus à natura est cibus, qui per nutritionem conuertitur in substantiam aliti: dum enim substantia animæ, & calor agunt in cibos, minus agunt in partes humidas, ac præterea sarciunt damna præterita.

Potentia generatiua perfectior augmẽtatiua, & nutritiua: sed non conuenit omnibus viuẽtibus.

3 Ex his autem potentijs perfectior videtur generatiua: tum quia habet finem altiorem, nempè conseruationem speciei: tum quia est absolutè productiua viuentis: tum quia non inuenitur apta ad suum exercitium, nisi in viuentibus, postquam attingunt statum perfectum. Cæterum multa animalia imperfecta carent virtute generatiua: neque potentia vegetatiua ex suo conceptu includit potentiam generatiuam; ideoque potentia vegetatiua definiri commodè poterit potentia vitaliter transmutatiua cibi in substantiam aliti, quod formaliter conuenit potentiæ tum nutritiuæ, tum augmentatiuæ. Quinimò ipsa potentia nutritiua est formaliter augmentatiua; semper enim per nutritionem viuens sit formaliter maius, quàm perseueraret illa præcisa. Quamuis augmentatiua videatur propriè respicere non quodcumque augmentum, sed illud, quo viuens sit absolutè maius, & est non pura reparatio damni illati, sed etiam lucrum partiũ nouarum; ideoque hi duo sunt conceptus saltem formaliter diuersi; sicuti etiam differunt à conceptu potentiæ accidentaliter augmentatiuæ. Est etiam inter augmentatiuam, & nutritiuam aliud discrimen, quod augmentatiua ex suo genere non est formaliter vitalis; cum eius conceptus saluari possit, si præcisè tendat ad addendũ substantiæ antiquæ partẽ nouæ substantiæ, ad quod necessarium non est, quod intus sumat alimentũ, vt patet in igne; at nutritiua rigorosè sumpta est essentialiter vitalis.

Potentia nutritiua non est tẽperies primarũ qualitatum.

4 Ab his potentijs realiter distinguitur potentia generatiua in viuentibus, quæ carent virtute generandi; in alijs autem dico, non distingui realiter virtutem formatiuam seminis, quæ fortassè est saltem remotè vitalis: at virtutem seminis realiter distingui ab anima generantis nulli dubium esse potest; cum semen retineat suam virtutem, & agat separatum à viuente.

5 Dices primo, potentiam nutritiuam esse ipsum temperamentum viuentis, ex cuius defectu, ac diminutione vel impeditur totaliter nutritio, vel non ita perfectè procedit. Respondeo, ad nutritionem concurrere etiam substantiam viuentis: cum nutritio sit actus vitalis procedens immediatè à substantia viuente, quod patet tum ex dictis; tum quia non possunt esse vita in actu primo primæ qualitates; aliter omnia corpora viuerent in actu primo, cum omnia constent primis qualitatibus. Differentiæ autem secundum magis, & minus non videntur sufficientes, vt primæ qualitates in aliquo corporè sint potentia vitalis, in aliquo minimè. Ratio in contrarium solùm probat, accidentia etiam concurrere ad nutritionem: quod vltro conceda. Probabile item est, ad singulas transmutationes concurrere etiam aliqua accidentia nobis occulta propria illarum partium, in quibus fit transmutatio: nec parum iuuant spiritus vitales; illa tamen non sunt principia vitalia; quia non concurrunt actione per se immanente. Aduerto hic, quod vis effectiua vnionis inter partes materię non est in materia, sed in agente

di-

distinctio; materia enim est purum subiectum.

Quæ spectant ad potentiam nutritiuã.

6 Dices secundo: dantur præter supradictas potentia attractiua cibi; discretiua partium inutilium ab vtilibus; retentiua vtilium, expulsiua noxiarum. Respondeo, has omnes potentias nõ esse nisi substantiam animæ; quæ adiuta pluribus accidentibus, & spiritibus, sicuti est principiũ motus vitalis nutritionis, ita & omnium motuũ, qui præcedunt necessariò nutritionem. In ordine autem ad omnes hosce motus dicitur potentia nutritiua: quia omnes illi motus, & facultates inseruiunt nutritioni.

7 Aduerto hic, augmentum vniforme quorumdam lapidum cum aliqua diuersitate partiũ in coloribus non esse vitale: quia non procedit ab intrinseco per intus sumptionem; sed ab extrinseco agente: neque enim illa corpora habent organa, quibus intus sumant alimentum, &c.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur nonnullæ quæstiones circa animam vegetatiuam, & eius potentias.

Quid sit alimentũ.

1 QVæres primo; quid sit alimentum, quod est veluti materia, circa quam versatur potentia nutritiua? Respondeo alimentum esse substantiam conuertibilem in substantiam viuẽtis; vnde comparatur ad illam tanquam passiuũ ad actiuum: quarè quamuis viuens aliquid patiatur ab alimento, plus tamen agit in illud, quam repatiatur; aliter potius viuens conuerteretur in alimentum, quàm alimentum in viuens. Ideoque Galenus docuit alimentum magis alterari, quã alteret; medicamentum verò magis alterare, quam alteretur; nec dari ad finem, vt conuertatur in substantiã viuentis: sed vt illud purget trahendo humores, quos alterat. Venenum demum comparatur ad viuens tanquam actiuum ad passiuum; venenum enim acriter alterat viuentis substantiam, ac in se conuertit humores.

Pura elementa non sunt alimẽtum.

2 Ex quo sequitur, pura alimenta non esse cibum proportionatum nutritioni: quia propter excessum in duabus qualitatibus sunt magis apta alterare, quàm alterari. Idem euenit in mixtis, quæ difficillimè alterantur; vt sunt lapidea, & metalla; neque aurum, aut argentum mutantur in substantiam viuentis; sed suis qualitatibus iuuant actiones vitales. Hinc est, eo magis mixta esse nutritioni vtilia, quo magis accedunt ad cõditiones viuentis nutriendi: quia facilius conuerti possunt; ideoque cadauera animalium sunt cibus aptus: & ex illis sunt aptiores carnes terrestrium, & volatilium: quæ magis sunt affinia hominis temperamento, quàm piscium. Requiritur tamen aliqua dissimilitudo, aliter non posset substantia viuens agere in alimentum. Miraculum autem est, quod nutriantur accidentibus sacramentalibus: quia gerunt vicem substantiæ, & cum alterantur vsque ad animæ dispositionẽ, producitur à Deo noua materia: Non negauerim tamen, aquam permixtam terræ esse materiam nutritionis arborum: verum hæc non sunt pura elementa. Quę in contrarium afferentur, videntur fabulosa, & minus fide digna. His adde, quod viuens heterogeneum requirit in alimento aliquam heterogeneitatem; qualis inuenitur in mixtis; non autem in elementis; legatur *Mastrus quæst: 32.*

Quænam prærequirantur ad nutritionẽ

3 Quæres secundo: quanam prærequirantur ad nutritionem? Respondeo, primo prærequiri, vt cibus dentibus comminutus saliua alteretur, quæ est prima alteratio: tum in stomachum dimittatur, vbi fit secunda illius alteratio, & prima coctio, ratione cuius altera pars alimenti conuertitur in quamdam substantiam subalbidã, quam philosophi chylum appellant; altera excrementitia per intestina abit in secessum. Deindè chylus per venas, quas meseraicas dicunt, è stomacho ducitur in iecur, vbi fit tertia alteratio, & secunda coctiò per conuersionem chyli in sanguinem permixtum reliquis tribus humoribus. Quoniam verò tres illi humores non sunt per se apti ad nutritionem animalis, separantur à sanguine; & flauabilis, quæ veluti spuma supereminet ascendit in vesiculam, vbi nominatur fel: atrabilia descendit in splenem. At pituita non habet proprium locum: tum quia est veluti quoddam sanguinis vehiculum; tum quia est quidam sanguis semicoctus; ideoque facilè perficitur, & cedit in alimentum animalis; tum quia deseruit ad humectanda membra, ne frequenti agitatione arescant. Demum sanguis expurgatus excipitur in vena, quę à medicis caua magna vocatur, & incipit ab epate, & toto corpore diffunditur. Per hanc igitur venam sanguine in omnes ferè partes corporis distributo fit quarta alteratio, & tertia coctio, per quam alimentum in substantiam viuentis conuertitur. Hæc rudiàer dicta sint de nutritione; de qua subtilius disputent medici.

Variæ alterationes, & mixtiones.

Quatuor humores.

4 Dices primo: Hæc contradicunt Aristoteli, qui docuit, sanguinem in corde formari. Respondeo, eam quidem fuisse Aristotelis mentem, neque id mirum videri debet, cum eius tempore non ita perfecta fuerit humani corporis anathomia, ex qua medicorum peritissimi experti sunt omnes venas, per quas veluti per canales sanguis distribuitur, ab epate proficisci. Epar autem adeò sanguineæ naturæ est, vt appareat sanguis concretus. His adde, artherias, quę à corde proficiscuntur, semper pulsare, sicut pulsat cor; quem pulsum non edunt venę: ergo signum est venas non deriuari à corde.

Sanguis nõ in corde, sed in hepate conficitur.

5 Dices secundo: hi quatuor humores non inueniuntur in omnibus animalibus. Respondeo, id non contradicere allatę doctrinæ: neque enim dicimus illos inueniri in omnibus animalibus; sed in homine, de cuius nutritione præcipuè est sermo. Igitur in omnibus animalibus perfectis regulariter inueniuntur omnes quatuor humores: quod si aliqua carent flauabili, est, vel quia cibo bilioso non vtuntur, vel quia deest illis temperamentum ad bilis confectionem; vel quia dictum humorem statim genitum expurgant. Ob has rationes felle carent camelus, et columbæ,

Quatuor humores non sunt in omnibus animalibus.

& ponti pecora, quæ vescuntur absynthio, quod vim habet expellendi bilim.

Nutritio fit per intus sumptionem alimenti.

6 Quæres tertio: quid sit nutritionem fieri per intus sumptionem alimenti? Respondeo, nutritionem viuentium differre ab aggeneratione non viuentium; quia hæc fit per meram iuxtapositionem, qua videlicet per applicationem nouæ materiæ præcedens corpus tantum crescit regulariter secundum vnum latus: vt euenit, cum ignis paulatim augetur. Viuentia autem secundum omnes partes vniformiter difformiter augentur; ita vt in eadem mensura temporis, qua augetur vna pars, per se loquendo, augeantur, & reliquæ, seruata tamen proportione: plus enim crescit digitus medius, quàm auricularis; sed tamen vterque eadem temporis mensura pertingit debitam magnitudinem. Hic autem modus crescendi exigit, vt nutrimentum attrahatur intra poros, qui intercedunt inter vnam, & aliam partem: quo videlicet quælibet pars, dum in se applicatã, sibi materiam conuertit, augeatur. Nutritio igitur hoc modo, virtute naturali alimentum attrahente, & distribuente procedens, dicitur fieri per intus sumptionem alimenti.

Nõ est proprium viuentium generare.

7 Quæres quarto: vtrum proprium viuentium sit generare sibi simile? Respondeo negatiuè: nam ignis non est viuens, & tamen generat sibi simile. Neque omne viuens, non solùm spirituale, vt sunt Angeli, sed etiam corporeum, habet vim generandi sibi simile, vt patet in mulo: quamuis nullum, nisi viuens possit per principium coniunctum, iuxta dicta *lib. 1. de gener.* generare sibi simile. Legendus autem est Aristoteles 2. *de gener. animal. cap.* 1. vbi ex bono, & conuenientе probat conuenire animalibus perfectis vim se in specie æternandi per generationem: quia ad id inclinat eorum causa, népe cœlum, vtpote perfectum, & æternum. Legatur etiam Maurus *q.* 36.

Cur iuuenes morbi tempore crescunt?

8 Quæres quinto: cur iuuenes morbi tempore crescunt? Respondeo, quia cum alimentũ non perfectè concoquatur, sed per calorem febrilem valdè exiccetur, & fiat terreum; non est ita aptum mutari in carnem, & alias partes molles, sicuti in ossa: crescentibus autem ossibus, crescit hominis longitudo: senes decrescunt; quia imperfectè concoquunt.

Quid fames, quid sitis.

9 Quæres sexto: quid est fames, & sitis, quæ spectant etiam ad potentiam vegetatiuam? Respondeo, eas definiisse Aristotelem 2. *de anima t. 29. Fames est appetitus calidi, & sicci*, hoc est, cibi, qui plerumque solet esse calidus, & duriusculus, ac proindè aliquantisper siccus. Sitis verò *appetitus frigidi, & humidi*, hoc est, potus, qui plerumque solet esse frigidus, & humidus: quare fames respicit alimentum, quo nutrimur; sitis verò humorem, quo ad concoctionem cibi, & distributionem alimenti adiuuamur. Verùm de hoc fusius Medici.

Quid sit iuuentus, et senectus.

10 Quæres septimo; quid sit iuuentus, & senectus? Respondeo esse quasdam ætates: ætas autem est notabile spatium vitæ designatum secundum quamdam notabilem mutationem: vnde spatium, quo viuens veluti proficit, dici soles iuuentus; illud, quo deficit, senectus: primum producitur vsque ad 39. vitæ annum: secundum ab hoc tempore vsque ad vltimum vitæ diem. Alia est diuisio ætatis, quam tradit Aristoteles, videlicet in iuuentutem, qua viuens vsque ad 25. annum augetur: in statum, quo viuens neque augetur, neque notabiliter deficit vsque ad quadragesimum; & in senectutem, qua viuens post quadragesimum annum notabiliter deficit. Demum satis nota est diuisio in septem ætates, népè infantiam vsque ad 6. annum, pueritiam vsque ad 13. adolescentiam vsque ad 25. iuuentutem vsque ad 39. virilitatem vsque ad 50. senectutem vsque ad 65. & ætatem decrepitam à 65. vsque ad finem; in his enim periodis fiunt in homine notabiles quædam mutationes.

Quid sit sanitas, quid morbus.

11 Quæres nono, quid sit sanitas? Respondeo, sanitatem consistere in quadam temperie primarum qualitatum animali proportionata, vt docet Aristoteles 3. *Physicorum t. 12.* asserens, *sanitatem calidi, & frigidi quamdam commensurationem esse: & sect. 1. probl. q. 3.* docet, *sanitatem esse quamdam mediocritatem primarum qualitatum*. Morbus igitur consistet in recessu ab hac temperie, vel per defectum, vel per excessum primarum qualitatum: & quia ex hac temperie proficiscuntur rectæ operationes vitales, & ea deficiente deficiunt; ideò Galenus *lib. de symptomatum differentys* ait: *Sanitas est secundum naturam affectio functionis effectrix; morbus verò est affectio præter naturam, quæ actionem impedit.*

SECTIO TERTIA.

Supponuntur nonnulla de sensu.

Variæ animalium potentiæ.

1 SVppono primo, in viuente quatenus sentiente tria in vniuersum dari potentiarum genera, cognoscitiuam videlicet, appetitiuam, et loco motiuam. Et cognoscitiua alia est interna, alia externa: appetitiua alia concupiscibilis, alia irascibilis: locomotiua alia perfecta, qualis est in animalibus, quæ locum adæquatè mutant per motum progressiuum; alia imperfecta, qualis est in illis, quæ fixa alicui loco solùm dilatantur, & restringuntur. In quolibet igitur animali inueniuntur omnia harum potentiarum genera; non autem omnes species singulorum generum; aliqua enim dantur animalia, quæ non habent omnes sensus.

Definitio sensus.

2 Suppono secundo, sensum in communi esse potentiam vitalem cognoscitiuam materialem: potentia vitalis habet locum generis: per co cognoscitiua distinguitur ab appetitu, et potentia loco motiua; per tò materialis distinguitur ab intellectu, cuius actus est spiritualis.

Sensus externi.

3 Suppono tertio, sensus externos esse quinque, visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum.

4 Suppono quarto, in quolibet organo non esse

Idē sensus est effectiuus & patiēs. esse duplicem sensum, alium effectiuum, alium receptiuum sensationis: eadem enim anima, vt vidimus, cum qua identificatur potentia sensitiua, est simul effectiua, et receptiua sensationis.

5 Suppono quinto, obiecta per se sensibilia non esse nisi accidentia. substantiam non sentiri nisi per accidens ratione accidentium: vnde in mysterio Eucharistiæ, in quo non est substantia panis, & vini; accidentia eodem modo sentiuntur, ac ante consecrationem. Cæterum per se sensibilia alia sunt communia, quæ nimirum pluribus sensibus percipiuntur; alia propria, quæ sunt obiectum vnius tantum sensus. Demum sensibilia per se duplicem participant sensibilitatem, aliam intrinsecam, & est ipsa illorum entitas apta mouere ad sensationem sui, aut saltem per se illam terminare; aliam extrinsecam ortam io ipsa ab actu sensationis possibilis. His positis prius agemus de sensibus externis, tum de internis.

SECTIO QVARTA.

De potentia visiua.

Quid sit potentia visiua. 1 HIc sēsus inter externos nobilissimus iure sibi primū in disputatione locum vendicat. Est autē potētia cognoscitiua materialis percipiens lucem, & colorem: primæ particulæ explicant genus: reliquæ explicant differentiam. Quamuis autem identificetur cum substantia animę; non sufficit tamen se sola ad productionem sui actus: indiget enim multis instrumentis, & adminiculis: exercet autem suam functionem in oculo, vt est luce clarius.

Oculi structura 2 Quæres igitur primo, quęnam sit oculi structura? Respondeo, oculum, vt ex Aristotele, Galeno, & anathomicis aliis peritis colligitur, constare tribus humoribus, quinque tunicis, septem musculis, duobus neruis, & figuram *figura sphærica.* sphæricam habere; quia hęc est aptissima, vt oculos quoquò versus conuertere possimus, & ea videre, quæ non solum sunt è regione, sed etiam ad latus. In centro igitur oculi residet *Humor Chrystallinus, tunica specularis.* humor quidam pellucidus, chrystallo similis, ideoque chrystallinus dictus, quamuis aliquantulum mollis sit: habens figuram similem lenticulæ. Hunc humorem cingit quędam tunica, quæ specularis, seu aranea appelletur: quia propter perspicuitatem speculo, & propter tenuitatem aranearum telis assimilatur. Idem humor quasi dimidia parte immersus est in secundo humore vitreo ob similitudinem, quam ha-*Humor vitreus.*ber cum vitro liquefacto, & splendente, ita tamen, vt alia chrystallini pars superemineat. Vt autem ex hoc eodem humore chrystallino diaphano reflectere possint species, per quas quisque se in alterius oculo intueatur; nigror quidā à tergo eidem humori adiungitur; sicuti nos in speculo intueri non possumus, nisi speculum à tergo habeat corpus opacum. Hinc dici solet quod sicuti speculum oculus est artis, ita oculus est speculum naturę.

3 Iam verò humor secundus vitreus secunda tunica cingitur, quæ reticularis dicitur, quia *Tunica reticularis.* neruis, & venis intertexta figuram retis exhibet, & ad eam partem desinit, vndè humor chrystallinus supra vitreum eminere incipit.

4 Vterque autem humor alia pellicula am-*Tunica vuea.*bitur, quæ dicitur vuea, ob similitudinem cum vuæ folliculo: hęc tunica non est diaphana, sed affecta colore quodam subobscuro; nec ex omni parte pupillam contegit, sed ex parte anteriore, ne visionem impediat, relinquit patentem. Et quamuis in diuersis hominibus diuersos colores habeat, vt docet Aristoteles *lib. 1. de historia,* vnde aliorum oculi dicuntur nigri, aliorum virides, aliorum cærulei; nihilominus eadem tunica nigrum oculi vocari solet.

Humor aqueus. 5 Post hanc tertiam tunicam sequitur tertius, & vltimus humor, qui aqueus, vel albugineus propter similitudinem cum albo oui dicitur. Hunc humorem sequitur quarta tunica cornea nuncupata, quia laminæ corneę similis est, *Tunica adhærescēs* sed diaphana, ac totum oculum cingens; vnde humor aqueus, quasi inter duas tunicas vueam videlicet, & corneam residet. Demum sequitur quinta tunica, quæ à colore dicitur alba, & foramen habet, quo pupilla conspicitur. Dicitur etiam adhærescens, quia fortis, & prædura est, oculumque firmat, ac deuincit ossibus; & quia, vt aliqui volunt, deriuatur à tunica caluariam ambiente, alio nomine pericranium appellatur.

Septem musculi. 6 Habet præterea oculus septem musculos, seu ligamenta facilè mobilia, quibus ad omnes partes facilè vertatur, videlicet duobus sursum, & deorsum, duobus destrorsum, & sinistrorsum, et duobus in orbem; septimus autem totam oculi structuram continet.

Duo nerui optici. 7 Ad eamdem oculi constructionem spectant duo nerui à cerebro ducti ad oculos, vnus per latus dexterum, alius per sinistrum; sed ita vt, postquam à cerebro tantisper distant, inter se coniungi videantur; et rursus priusquam oculorum foramina attingant separentur. Dicuntur nerui optici, seu visorij: quia per illos à cerebro ad oculos deriuantur spiritus animales, quibus oculi iuuantur ad exercitium visionis; quinimò ex hisce neruis, veluti ex quibusdam truncis paulatim expanduntur, et diriuantur tunicæ illę, quibus humores continentur.

Vnde ex percussione capitis ledantur oculi. Et ebriorum visio turbatur. 8 Hinc est oculos vehementer lędi, si caput lapide percutiatur: quia ex eius percussione spiritus influunt in oculos plures, vel pauciores, quam par est. Ebrij autem aliquando non vident: quia vinum malè digestum innumeram excitat spirituum multitudinem, ac impellit in cerebrum; vnde ad oculos confluunt, et visionē impediunt; aliquando omnia inuersa videre sibi videntur, ac multiplicata; idque ob spirituum confusionem, et perturbationem. Similia ob similes rationes patiuntur delirii, et phrenetici. Hinc etiam animalia vertigine acta cadunt: quia cerebro, et oculis perturbatis videre ordinatè nequeunt.

9 Plura alia oculorum structuram comitantur

tur, videlicet palpebræ, supercilia, et similia, quæ faciunt ad ornatum, et defensionem; de quibus Conymbricenses eleganter, ac erudite disputant *lib. 2. cap. 7. quæst. 6. art. 1.* et 2. vbi habes insignia testimonia Sanctorum Basilij, & Ambrosij, Philonis, etiam Iudæi, ac Platonis.

Visio fit in retina.

10 Quæres secundo: In qua parte oculi fiat visio? Respondeo, probabile mihi esse visionem fieri in tunica reticulari: quia ex vna parte non potest fieri in humore chrystallino; quia nullus humor est animatus; ex alia verò ille humor est diaphanus institutus, vt species transmittat ad tunicam retinam, in qua terminantur; aptius autem est ad visionis exercitium, quod retinet species, vt terminus, quam, quod recipit vt medium inseruiens termino. Hinc quamuis species recipiantur in aere, & in humore aqueo; quia tamen recipiuntur in illis, vt in medio; non exercetur in illis visio; quæ satis cômodè exercebitur in retina, tanquam in termino, in quo veluti quiescunt species. His adde, artherias, & neruos, quibus constat retina, esse spiritibus repletos: spiritus autem illi valdè inseruiunt operationi vitali.

11 Neque hæc doctrina contradicit Aristoteli 1. *de histor.* c. 1. vbi. *Humor*, inquit, *oculi interior, quo videmus, pupilla est*: nam verè humor chrystallinus est, quo medio videmus; quãuis visio non in illo exerceatur, sed in tunica, quæ est veluti oculi fundus, & vas humoris chrystallini ex parte cerebri; & in eam per alias tunicas, & humores, tamquam per media terminantur species, quod frustra fieret, nisi visio in illa esset exercenda.

Visio nõ fit in coniunctione neruorum opticorum.

12 Neque dicas, visionem fieri in neruis opticis, nam nerui isti optici procedunt semita flexuosa: ergo non possunt ad illos pertingere radij, & species colorum: hæ enim propagantur linea recta. Deindè radij iam impingũt in corpus opacum, antequam attingat neruos opticos: ergo non attingunt neruos, à corpore enim opaco resiliunt, non procedunt.

13 Dices: in ea parte fit visio, quæ in organo oculi est vnica: aliter obiectum appareret duplicatum: at sola coniunctio neruorum opticorum est vnica: ergo in ea tantùm coniunctione fit visio. Nego maiorem; vt enim obiectum appareat duplicatum necesse est, vt diuersificentur, & frangantur lineæ, quibus ad oculum species tendunt: linea autem visionis, quæ ab vtroque oculo ad obiectum vniformiter ducitur, incidit in idem punctum loci, & obiecti. Hanc lineam Perspectiui arcem visionis appellant. Contra argumentum aduersariorum facit primo ex Volesio *lib. 4. de fabrica corporis humani*; neruos opticos nusquam coniungi. Facit secundo, quod sonus duplici aure perceptus apparet vnus, vnus item color à duobus hominibus visus.

Obiectum oculi lux, & color.

14 Quæres tertio; quodnam sit obiectum huius potentiæ? Respondeo, ipsos oculos docere ipsorum obiectum esse lucem, & colorem; & quidem vtrumque per se, & immediatè terminare visionem, cum hoc tamen discrimine, vt nullus color possit terminare visionem sine luce; lux autem benè potest terminare visionem sine colore. Hinc videmus astra, aliaque corpora lucida, nullo colore prædita ex doctrina Aristotelis 2. *de anima t. 62.* Et in hoc sensu intelligo, quod docent nonnulli lucem esse obiectum formale visus: quia nimirum omnis visio terminatur ad lucem, cum non omnis terminetur ad colorem, non quia color videatur in luce.

Cur aliqua noctu vidētur.

15 Non præiudicat autem huic doctrinæ, quod docet Aristoteles citatus *t. 72.* quædam videlicet in tenebris videri, quæ in lumine non videntur, vt ligna putrida, oculi felium, piscium capita, & squamæ: nam hæc omnia videntur etiam in lumine; quamuis exiguum illorum lumen non dignoscamus, nisi in tenebris; interdiù enim veluti opprimitur luce solis intensissima, ne speciem sui faciat, seu ne moueat sensum.

Definitio lucis.

16 Dices primo; non potest explicari quid sit lux. Respondeo, Aristotelem definijsse lucẽ, *Actus perspicui, vt perspicuum est*. Sciendum est diaphanum, seu transparens esse, quod interpositum inter potentiam visiuam, & alia obiecta non impedit, quo minùs potentia visiua terminetur ad illa obiecta, si adsint cætera requisita. Opacum autem impedit visionem aliorum corporum post se existentium, quamuis ipsum videatur. Ex diaphanis autem corporibus aliqua ita sunt media ad vlteriora corpora vidẽda, vt ipsa non videantur, qualis est aer: alia verò etiam videãtur, vt vitrum, aqua, & similia. Huiusmodi igitur corpora diaphana in se sunt perspicua tantum potentia, non actu; quia actu perspicuum est, quod actu inseruit ad videndos colores post se positos; ideoque est corpus diaphanum actu illuminatum: quarè lumen est actus perspicui, qua perspicuum est; quia si diffunditur, constituit modo dicto corpus diaphanum in esse perspicui; nisi velis esse actum perspicui, hoc est potentem se solo mouere, organum visus, quod est perspicuum quid. Certè tale prædicatum non conuenit colori, qui se solo nunquam mouet actiuè visum. Verum hæc secunda explicatio non est fortasse ad mentem Philosophi.

Definitio coloris.

17 Dices secundo, quid est color? Respondeo ex Aristotele esse *motiuũ perspicui in actu*; hoc est, qualitatem, quæ vim habet tantum mouendi medium diaphanum actu illuminatum, quod nulli alij qualitati conuenit. Corpora autem lucida, quæ nimirum mouent ad visionem sui, reddendo medium perspicuum actu, non sunt motiua perspicui actu; sed illud causant, dum illuminant. Corpora sublucida, quæ parũ in se luminis habentia non valent totum mediũ illuminare, non necessario mouent perspicuum actu: quia non necessario debent diffundere suas species per medium aliundè illuminatum: nam noctu exigua lucerna distans videtur, nec tamẽ quis dixerit medium esse actu perspicuum, seu illuminatum.

18 Illud hic aduerto, lucem non necessario con-

constituere perspicuum actu: quia non necessario diffunditur per medium diaphanum: quis enim dixerit, vel oculos felis luce carere, vel lucem illorum noctu diffundi per medium? Sensus autem definitionis Aristotelis est, quod si lux diffunditur, necessario constituet medium diaphanum actu perspicuum.

Lux est primū visibile

19 Ex his patet primo, lucē esse primū visibile: quia non solùm ipsa per se terminat visionem; sed etiam est ratio, cur alia visibilia terminent visionem.

20 Patet secundo, ad hoc vt videatur corpus aliquod lucidum, non requiri, vt lumen diffundatur per medium, sic noctu videmus lumen inhærentem squamis piscium, & oculis felis, & lucernas longè distantes, quamuis medium non illuminetur; at ad hoc vt videamus alia corpora, & colores, necesse est, vt lumen diffundatur per medium; ideoque colorem definiuit Aristoteles motiuum perspicui actu.

Lux nō est substantia, neque quātitas, aut quæcūque qualitas.

21 Patet tertio, lucem non esse substantiam spiritualem; cum producatur à corpore, & sensibus percipiatur: neque est substantia materialis; aliter vna substantia materialis cum alia penetraretur. Est igitur accidens: non quantitas; aliter non posset penetrari cum quantitate chrystalli: est igitur qualitas, & in specie potentia; quia apta est aliquid producere; vel etiam dispositionis; quia veluti disponit medium ad receptionem specierum visibilium coloris. Neque est species intentionalis repræsentans corpus luminosum; aliter corpus luminosum à tergo positum videretur; quia eius lux, & consequenter species reflexa peruenit ad oculum. Est igitur qualitas physica, cum præsertim producat effectum physicum, nempè calorem: quamuis non negauerim aliquo modo participare essentiam qualitatis intentionalis propter reflexionem, & alia, quæ alibi considerauimus.

Quid visibile in cōmuni.

22 Patet quarto, visibile in communi esse, quod terminatum corpore opaco aptum est per medium diaphanum mouere ad visionem sui.

Colores aly distincti à luce, aly cum luce identificati

23 Patet quinto, admittendos esse aliquos colores à lumine distinctos, & ex varia primarum qualitatum mixtione profectos; vt est nigredo in coruo, & albedo in cygno: ratio est, quia præter colores, qui propter diuersum aspectum ad corpus luminosum, & secundum diuersos situs apparent diuersi, vnde non sunt nisi lux eiusdem corporis variè reflexa; quales sunt colores iridis, & qui apparent in collo columbæ; dantur alij colores fixi, & permanentes, qui ex diuersitate aspectuum ad idem corpus luminosum non subeunt adeò notabilem diuersam apparentiam; sed ferè semper eodem modo se visui repræsentant. Neque ab hac mente distat Maurus, qui omnes colores permanentes, & veros identificat cum lumine quodam innato, & obscurato ex opacitate subiecti, diuersæ rationis á lumine aduenticio: nam, quod ipse vocat lumen innatum, nos dicimus colorem distinctum à lumine.

Ad videndum colorē requiritur lumen ex parte obiecti.

24 Dubitabis primo: verum ad videndum colorem requiratur lumen ex parte obiecti? Respondeo affirmatiuè. quia non solùm lumen debet diffundi per medium, & attingere vsque ad sensum, ac videri; sed etiam attingere ipsum obiectum visibile, seu coloratum: aliter non clariùs deberem videre obiecta existentia extra specum post magnum lumen item existens extra specum, quam obiecta mihi magis vicina existentia in latere specus, in cuius angulo ego delitesco: quod est contra experientiam: ergo si obiectum, quod habet minus luminis, minus videtur, quamuis sit vicinius; quod nullo modo perfunditur lumine, nullo modo videbitur.

Lumē etiā recipitur in vltima superficie corporis opaci.

25 Satis autem probabile est, lumen non purè terminari vltima superficie corporis opaci, sed etiam in illa recipi; quia omnia corpora, quamuis opaca, habent quamdam diaphaneitatē, ratione cuius, si attenuentur, possunt esse medium, per quod transmittantur species, & lumen; vt patet experientia. Rursus corpus ipsū luminosum, vt sol, ignis, & similia, recipiunt vtique in se lumen, neque sunt diaphana, cum ipsis medijs non videantur corpora vltra posita.

26 Dices: ergo totum corpus est diaphanū: quia non est maior ratio, cur lux recipiatur in vltima superficie, & non in partibus sequentibus. Nego consequentiam: quia reliquæ partes vnitæ superficiei vltimæ impediunt transitum luminis, & specierum: sicuti vnica charta interposita non impedit transmissionem luminis, plures autē vnitæ possūt illud omninò impedire. Ratio autem esse potest: quia licet vltima superficies recipiat lumen, ex suis autem conditionibus non recipit totam intensionem luminis, quā potest agens luminosum in ea distantia producere: ergo primo est causa, vt actio illuminatiua regrediatur; secundo, ne partes sequentes saltem post aliquam breuem profunditatem ob eamdem rationem illuminentur.

27 Dices secundo: Aristoteles docuit, lumen esse actum perspicui, vt perspicuum est: sed corpus opacum non est perspicuum: ergo non recipit lumen. Respondeo, corpus opacum secundum vltimam superficiem esse perspicuum; videtur autem tantùm vltima superficies, non quæ post illam sequuntur; quia sola illa vltima superficies est terminata, & lumine perfusa.

Lux est virtus producens coloris speciem.

28 Dubitabis secundo: verum lumen tum medij, tum obiecti sit mera conditio, vel virtus, vt obiectum coloratum emittat speciem? Respondeo, probabilius esse, quod sit virtus: quia ex vna parte lumen habet vim actiuam mouendi ad sui visionem producendo speciem sui, tum in medio, tum in potentia: ex alia verò si color præciso lumine habet vim adæquatam productiuam speciei, non est, cur præciso lumine illam non producat: iam enim est approximatus actiui: quod verificatur tum de lumine corporis colorati, tum de lumine per medium diffuso: sunt enim eiusdem rationis. Non est tamen lumen adæquata causa productiua specierum; aliter nullo existente colore lumen produceret species coloris, & quidem omnis; neque enim es-

set

set ratio, cur potius produceret speciem huius, quàm illius coloris.

Visio non fit per extra missionem.

29 Circa modum, quo visio procedit à potentia visiua, aliqui, quos sequitur Lynceus, docent, illam fieri per extramissionem radiorum: quia nimirum radij ex oculis egredientes, & attingentes obiectum, dum iterum reuertuntur, referunt secum obiectum, & sunt causa visionis, quæ tandem producitur, vtpotè actus vitalis, in potentia vitali, quam reddit videntem. Addit Lynceus, species etiam ab obiecto immissas causare visionem. Contrarium est verum: quia si visio fieret per extramissionem radiorũ, prius viderentur obiecta propinqua, quàm distantia; radij enim per motum localem prius inflecterêt iter ad oculos ab obiectis propinquis, ad quæ prius attigerunt, quàm ab obiectis distantibus.

31 Deindè à quo determinatur oculus ad emissionem radiorum; quomodo illos emittit, per actionem vitalem, an motiuam? Cur igitur apertis oculis illicò videmus obiecta distantissima? debetemus profectò expectare longũ tempos; quod videlicet necessarium est, vt radij à sole in tanta distantia ad nos reuertantur? cur radij non dissipantur, ac distorquentur à ventis, & alijs impedimentis? sunt ne substantia? qua vi regrediuntur? sunt ne animati? si ab anima in instanti producuntur; profectò penè immensa est animæ virtus, quæ ictu oculi implet suo effectu totum ferè emisphærium. Vt meliùs videre possimus, coangustamus angulos oculorum, non vt radij vehementiùs exiliant, sed vt spiritus, & species magis vniantur. Rursus quę longè distant, videntur minora, & alterius figuræ, quàm sunt: quia species non sunt ita perfectæ.

SECTIO QVINTA.

De potentia auditiua, eius organo, & obiecto.

1 AVditus, qui plurimum scientijs acquirendis inseruit, vocaturque disciplinæ mater; quia à magistris per auditũ discimus; secundum post oculos obtinet in sensibus externis dignitatem; nec immeritò, cum per ipsum se animæ insinuent iustitiæ initia: est enim fides ex auditu: quinimò tota ciuilis vita in auditu consistit. Circa cuius organum, quamuis quædam animalia sint, quæ illud habeant in medio corporis inter anfractus quosdam collocatum, vt docet Aristoteles 4. *de historia cap.* 2. & 8. & de aliquibus incertum sit, per quam partem tanquam per organum audiant: est tamen indubitatum, omnia ferè animalia, quæ potentiam auditiuam habent, organum habere in ea parte temporum, quæ auribus contegitur; aurium autem structura hæc est.

Structura aurium.

2 Extrinsecus sunt auriculæ; quas natura chartilaginosas effecit, vt commodè consisterent; ita autem constitutæ sunt, vt valeant ab iniurijs externorum obiectorum sensorium intus latens defendere. Ab his auriculis externis incipiunt cauitates quædam, non rectæ, sed ad modum labyrinthi obliquis quibusdam flexibus procedentes; ne forte sonus rapido aere delatus suo impetu sensum concutiat, vel lædat. Nec solùm obliqua est hæc via, sed angustissima; ne fortè quid externum ingrediatur, ac temperamentum sensorij corrumpat; & in hac eadem via generatur humor quidam densus, & viscosus; ne fortè bestiolæ ingredientes vlterius procedãt ad sensorium, sed facilè capiantur; ideoque hoc foramen cœcum dicitur, quasi per ipsum non pateat aditus ad internas partes auditus.

3 Desinit tandem versus cerebrum in cauitatem quamdam, & amplitudinem orbicularẽ, cuius medietatem post foramen operit ex parte interiori membrana quædam, seu pellicula, quã tympanum auditus vocant ob aliquam similitudinem, quam habet cum tympano; quæ paulatim desinit in neruos ad cerebrum vsque protensos, per quos spiritus necessarij ad auditionem formandam deferuntur. Sustentatur autem ea pellicula quibusdam ossiculis, quorum vnum habet similitudinem incudis, aliud malleoli ex vna parte cuspidati, ex altera cum duplici capitulo, quæ ossa, putant aliqui, sonitum ex mutua percussione intra cauitatem membranæ causare. Versus cerebrum residet substantia quędam tenuissima, quam aerem congenitum vocant: quia est nostro aeri simillima, est autem immobilis. His positis.

Auditio fit in pellicula vltima ante cerebrum, & post aerem innatum.

4 Probabile est, auditionem fieri in pellicula existente ante cerebrum, & post aerem innatum: quia non potest fieri in tympano, vel ossibus, post quos sequitur aer innatus; aliter non esset, cur sequeretur aer innatus; si auditio deberet fieri, & consequenter species deberent terminari in tympano, vel ossiculis antecedentibus aerem: neque fieri potest in aere innato, vtpotè liquido: sicuti visio non fit in aliquo humore: enim verò humor solũ videtur instrutus ad transmissionẽ specierum: ergo dicendum est, quod fiat in pellicula illa post aerem innatum, in qua terminantur species: hæc autem pellicula habet magnam connexionem cum cerebro, vt ab illo recipiat spiritus animales ad auditionem necessarios.

Quomodo edatur sonus.

5 Circa obiectum sensus auditus, certum est, illud esse sonum. Vt autem clariùs procedamus, sciendum est, corpora quædam dura, & consistentia, si percutiantur, tota in se ipsis tremere, & concuti minutis quibusdam crispationibus, quo tremore causant sonum in medio; vt patet in campana, & chordis cytharæ, in quibus si compescatur ea crispatio, illicò cessat sonus: non est autem necesse, vt corpora sint per se, & permanenter dura; sed sufficit, si talia sint etiam ab extrinseco, & per accidens: vnde aer percussus edit sonum; quia per illam percussionem condensatus, & durescit, ac recipit illum tremorem. Quo autem corpora sunt magis dura, eò sunt aptiora ad sonum; molliora autem, nisi duritiem concipiant, vix sonum edunt: non sufficit autem durities, sed requiritur etiam aptitudo,

do, vt tremant, & crispentur; vnde quædam metalla, fortasse magis dora, minus sonant. Requiritur etiam, vel saltem valdè conducit ad corpus sonorum, si habeat partes leues, & æquales, vt docet experientia, & notat Aristoteles; quia superficies leuis, & æqualis validiùs aerem repellit, imprimendo illi similem motum; sicuti pauimentum læue validiùs reflectit pilam allisam; & specula habentia superficiem læuem validiùs reflectunt lumen, & species. Conducit etiam ad perfectionem sonori, si corpus sit concauum; quia aer clausus intra superficiem concauam sæpiùs reflectitur, ac resultat ad hanc, vel illam partem; ac geminatis vicibus crispatus geminat, & auget sonum: hinc cythara, & alia instrumenta sonandi fiunt concaua.

Causæ soni

6 Causa igitur efficiens soni est corpus, quod percutiens aliud corpus sonorum imprimit illi motum vibrationis, à quo per medium cum simili motu propagatur sonus: quinimò corpus percussum, dum resistendo, imprimit percutienti similem motum vibrationis, veluti reflexè causat sonum. Tria igitur requiruntur corpora ad causandum sonum, percutiens, percussum, & medium, in quo sonus recipitur, & propagatur: siue demum hæc sint tria corpora diuersæ rationis, siue duo, vel etiam vnum corpus, quod tamen secundum diuersas sui partes subit omnem illam varietatem; vt cum impulsu aeris causatur sonus à vento.

7 Non est sonus motus ille vibrationis; vt fortassè dixerit nonnullus, fundatus, quia numquam producitur sonus sine illa vibratione. Probatur, quia omnes dicimus, quod proprium obiectum auditus sit sonus; nemo quod sit motus: quis enim dixerit, nos audire motum. Sanè cum percipimus sonum, non sentimus motum, neque cum tactu percipimus motum crispationis, percipimus sonum. Neque maius fundamentum dependenter à sensibus habemus formandi diuersum conceptum soni à conceptu motus, ac formandi conceptum locis diuersum à conceptu eiusdem motus: quamuis per discursum inferamus, sonum non esse sine motu locali; ex quo sequitur sonum radicaliter esse motum localem.

Subiectum soni.

8 Recipitur autem sonus in corpore mobili motu illo crispationis: & quia corpora fluida sunt aptissima ad huiusmodi motum; ideò aer est aptissimum medium recipiendi sonos, & species audibiles. Propagatur etiam sonus per aquam, & ignem; quinimò corpora etiam consistentia recipiunt, & transmittunt sonum, & species audibiles, licet non ita perfectè: vnde clausis ianuis, & fenestris percipimus sonum editum extra cubile: quod verum est, quamuis nullæ sint rimæ, per quas veluti obliquè ingrediatur sonus, & si malleo percutiatur fornix ex parte exteriori, adhuc percipitur sonus.

9 Vt autem corpus medium transmittere possit speciem, & sonum, debet actù moueri locali motu vibrationis, qui sit veluti dispositio medij: vnde docent communiter Doctores cum Aristotele, sonum non propagari sine aliquo motu medij: quod constat etiam experientia. Hinc sonus, licet tenuis, ortus ex percussione parietis in parte externa, auditur in cubiculo; non autem sonus tenuis campanæ, si nullæ sint rimæ. Hinc etiam flante vento in contrarium, impeditur auditio soni. Hinc sonus non statim editus auditur.

Soni definitio.

10 Ex his definire sonum poterimus, *Qualitas orta ex percussione corporis sonori, diffusa rum quadam vibratione per medium, apta terminare auditionem*. Vbi assignantur non solùm genus, & differentia soni, sed etiam eius causæ.

Sonus recipitur etiã in corpore duro, & sonoro.

11 Ex quibus patet, sonum non solùm recipi in aere, & corpore medio, sed primo in ipso corpore sonoro duro, & ab eo diffundi per aerë. quarè si duo corpora in vacuo se percuterent adhuc ederent sonum, quamuis ex defectu medij per quod diffunderetur, non posset audiri. Cæli autem non edunt sonum: quia non mouentur moto illo vibrationis. Demum non est idem sonus, qui recipitur in omnibus his subiectis; sed pars recipitur in vno subiecto, pars in alio.

Auditur in aquis.

12 Quæres vtrum sonus audiatur in aqua? Respondeo affirmatiuè; licet imperfectè ob humiditatem medij, quæ organum auditus lædit. Hinc pisces fugiunt loca frequentibus tormentorũ ictibus obiecta. Illud hic obiter noto, sonũ paulatim languescere, sicuti lãguescit impulsus.

Sonus acutus, aut grauis

13 Iã verò sonus habet duas præcipuas veluti extremas species; alius enim est grauis, alius acutus: inter quas species includuntur multæ mediæ; sicuti duę dantur extremæ species colorũ, albedo, & nigredo; inter quas dantur aliæ mediæ participantes. Acutus ergo mouet subtiliùs, & velociùs; ac proinde veluti pungit, & perforat: quia diffunditur cum crispationibus subtilioribus, & velocioribus: vnde Aristoteles dixit acutum paruo tempore, multum mouere: graue tardiùs, & grossiùs mouet, cum tardioribus, & grossioribus vibrationibus; ideoque impellit, non ferit: sicuti ferrum acutum velociùs scindit, obtusum impellit.

14 Vox propria animalis, quę est præcipua species soni, definitur ab Aristotele, *Sonus editus ab animali ex percussione, & allisione aeris respirati ad asperam arteriam, & epiglottidem, siue vueam, iuxta laringen dependenter ab imaginatione, & appetitu significatiuus molesti, ac iucundi.*

15 Demum aduerto, licet auditio non fiat in ossiculis sustinentibus tympanum; probabile nihilominùs est, ex sono, & motu aeris innati, causari in parua incude aliquam percussionem: ex qua magis concutiatur, ac vibretur aer innatus, vt per talem vibrationem reddatur aptior ad species audibiles transmittendas ad organũ.

SECTIO VI.

De potentia olfactiua, eiusque organo, & obiecto.

Nobilitas olfactus.

1 OLfactus obtinet inter sensus tertium locum: versatur enim circa odorem, qui

qui est qualitas nobilior primis qualitatibus, & sapore; ideoque dignus cœlo æstimatur. Confirmatur: quia minus olfactus læditur per actum circa suum obiectum, ac reliqua duæ potentia; ideoque magis accedit ad naturam potentiæ spiritualis, quæ non læditur suo obiecto. Huius organum in animalibus, quæ respirant, residet in naso; quæ verò non respirant, cum naribus careant, alia sui corporis parte odorem percipiunt.

Olfactus structura. 2 Structura nasi hæc est: constat carne chartilaginosa, & duabus foraminibus distinguitur, quæ dicuntur nares, interposita quadam chartilagine, quæ ab Aristotele interseptum nuncupatur. Hi igitur meatus ex vna parte ad cerebrum ducuntur, eique inseruiunt ad purganda excrementa; ex alia verò inter fauces, & ostium palati flexuoso circuitu discurrunt ad commodam respirationem. In summa nasi parte post oculorum concauum residet os porosum valdè simile spongiæ, per cuius foramina cerebrum se purgat fæcibus, & excrementis, ac excipit partes aliquas aeris: extant ex utroque latere duæ caruneulæ, quas mammillares, à mammillarum figura, appellant, & teguntur quadam tunica deducta vsque ad palatum, & guttur, ac simul terminant neruos, per quos transmittuntur spiritus. Addit Aristoteles in animalibus, quæ respirant, & præcipuè in homine supra, uel potiùs infra dictas caruneulas, residere quamdam tenuem pelliculam, quam docet eleuari debere, ut odores sentiamus: ad hanc autē eleuationem opus est respiratione, ut odoremus; ideoque existentes in loco odorifero, si aliquantulum inspirationem inhibeamus, non sentimus odores. Galenus, aliique negant huiusmodi operculum. Verùm hoc operculum non est distinctū ab ea membrana, quam ipse Galenus, aliique ad eumdem effectum admittunt.

3 Communis sententia cum Aristotele, & Medicis docet, odorationem formari in huiusmodi carunculis: quia experientia docet, nos

Olfactio fit in carunculis. odorare in fundo narium, ubi sunt hæ carunculæ. Præterea inspirando attrahimus aerem odorosum per foramen ossis spongiosi, illumque hauriunt carunculæ dilatatæ, eo modo, quo spongia haurit aquam, & hoc modo percipimus odorem. Tertio, carunculæ deriuantur à cerebro, & terminant neruos, per quos diffunditur spiritus ad sensationem necessarius: ergo uidentur esse in situ, ac dispositione apta ad percipiendos odores; & cum sint frigidæ, & humidæ, sunt aptæ, ut moueantur ab odore sicco, & calido. In animalibus igitur, quæ respirant, respiratio inseruit naturæ, tum ut aer respiratus permeet substantiam cerebri, & cordis; tum ut aere odorato ad organum attracto, causetur odoratio.

4 Hinc primo illa animalia, quæ non respirant, ut pisces, apes, & similia habent odoratum apertum. Secundo, odoratio non potest fieri in membrana, seu tunica narium: quia cum hæc per totum nasum diffundatur, deberet res odorata extrinsecus applicata, statim sentiri ante omnem inspirationem, quod est contra experientiam. Tertio, nerui sunt instrumenta ad cōuehendos spiritus ordinata, nō subiectum actionum vitalium: quare neque in neruis exercetur hæc sensatio.

5 Aduerto hic primo, cerebrum alijs odoribus lædi, alijs refici; idque ratione qualitatum, quæ ad illud deferuntur simul cum odore. Secundo, aliquando qualitatem odoriferam nares ingressam non sentiri: quia non semper inspiramus, quinimò aliquando per respirationem narium operculum claudimus, unde impeditur odoris accessus ad sensorium.

6 Aduerto tertio, olfactum hominis, sicuti & reliquas potentias, esse absolutè perfectiorem olfactu brutorum: quia non distinguitur potentia olfactiua, ut uidimus, à substantia animæ, quæ in homine est longè perfectior: accidentaliter tamen sensus brutorum sunt aliquando perfectiores humanis; ideoque exercent operationes perfectiores: in quo sensu docuit Aristoteles *lib.* 2. *c.* 9. homines cæteris animalibus olfactu cedere, neque odores discernere, nisi cum molestia, vel delectatione, quod est signum excellentiæ in obiecto respectu sensarij.

SECTIO SEPTIMA.

De gustu, eiusque organo, & obiecto.

1 CVm gustus, & tactus habeant organa, operationes, & obiectum diuersum meritò distinguuntur: non negauerim tamen gustum esse quemdam tactum: tum quia immediatè attingit obiectum sapidum per approximationem localē; tum quia percipit primas qualitates, frigus videlicet, calorem, &c. quæ sunt prima tangibilia, quod etiam conuenit omnibus sensibus: qui propterea sunt quidam tactus, sed exercent etiā suum munus speciale, gustus v. g. percipiendo sapores, oculus colores: cæterum negari nequit, quin gustus etiam formaliter, vt gustus, habeat quamdam affinitatem cum tactu specialem, cum non exerceatur sine tactu. *Gustus species tactus*

2 Pro structura organi gustus sciendum est, á cerebro ad linguam deriuari duos neruos, qui per mediam linguam transeuntes varios à se ramusculos in omnes linguæ partes, quinimò vsque ad palatum, diffundunt: Admiscetur his neruis quędam caro spongiosa, quæ cum neruis linguam constituit; hæc ad radicem latior, quasi quadam basi sustentatur, & tenui tunica toti ori communi constringitur. Habet præterea nouem musculos, & venas maiusculas duas; è neruis autem principalioribus vnus est mollior ad transfundēdos spiritus, quibus dignoscatur sapor; alter durior, ad exercendos motus. *Organum gustur.*

3 Actus gustandi potissimum exercetur in cuspide linguæ: cibus enim ad linguæ radices deuolutus minus delectat; ratio est, quia in cuspide nerui, & caro sunt molliores, & aptiores ad percipiendum sapores: quam sententiam docet Aristoteles 1. *de histor.* c. 11. Quarè gustus non dif- *Quomodo fiat gustatio.*

diffunditur toto corpore: & in vulneribus experimur diuerſam ſenſationem, ſi infundantur diuerſi liquores: non autem experimur diuerſos ſapores. Confirmatur; quia ſatis congruum fuit guſtum præſertim reſidere in cuſpide linguæ, quo cibi noxij ſtatim poſſent expelli. Medium autē, quo lingua mouetur ad guſtationem, poteſt aſſignari ſaliua, qui eſt humor quidam aqueus: vt enim percipiamus ſaporem ciborum, debent ſaliua reddi ſapidi; ideoque ſi lingua ſit omninò arida, & carens ſaliua, non ſentimus ſaporem cibi.

5 Obiectum guſtus eſt ſapor: cuius natura eſt nobis notiſſima, & profectò notior, quàm odoris: quamuis ſapor, & odor habeant magnam affinitatem.

SECTIO OCTAVA.

De tactu, eiuſque organo, & obiecto.

Tactus inter ſenſus dignitate postremus.

1 HIc inter ſenſus externos eſt dignitate poſtremus, neceſſitate primus, ad noxia declinanda, & proficua amplectenda: ideoque eius organum per totum ferè corpus diffunditur: tantùm enim oſſa vtpotè duriora, & ſicciora non exercent ſenſationem tactus. Et homines durioris carnis, licet non ita viuidè; dolores tamen percipiunt; ac cutis ipſa frigore, & calore torquetur: quamuis viuacius exercetur ſenſus tactus poſt cutem in carne, & neruis ſenſorijs, quàm in cute. Quando igitur Ariſtoteles docuiſſe videtur, in neruis nullum apparere ſenſum, ſolùm voluit eorum ſenſationem non ita clarè deprehendi, cum ſint operti.

Cerebrum principiū ſenſationū

2 Illud hic aduerto, totam vim ſenſitiuam deriuari à cerebro, in quo ſpecialiter reſident, & à quo per totum corpus medijs neruis ſenſorijs diffunduntur ſpiritus, qui inſeruiunt ſenſationi. Hi autem nerui ſunt diuerſi ab illis, qui inſeruiunt motui voluntario. Cor autem inſeruit tanquam officina, in qua formantur ſpiritus vitales, qui per arterias diffunduntur per totum corpus, & non ſolùm leniter pulſant, ſed etiam ſuo calore, & actiuitate iuuant omnes actiones vitales: illiſque deficientibus moritur animal.

3 Non negauerim tamen tactum poſſe percipere tangibile, quamuis aliquid mediet inter ipſum, & potentiam, ſic tacto exiſtens poſt vnguem, ſentit qualitates non ſolùm inhærentes vngui, ſed etiam, quæ illud circumdant, v.g. magnum calorem, vel frigus: aut molliriem poſita extra vnguem; cum quo benè cohæret, quod poſſit tactus ſentire qualitates corporis ſibi immediati.

Quomodo tactus non percipit, niſi qualitates excedentes, vel deficiētes.

4 Huius potentiæ obiectum ſunt omnes primæ qualitates; aſperum item, & lene, molle, & durū. Circa quod occurrit difficultas: primo, vtrū tactus ſentiat non ſolùm qualitates aliorum corporum, ſed etiam proprias. Secundo, vtrum percipiat qualitates non ſolùm excedentes, vel deficientes, ſed etiam æquales ſuis. Reſpondeo, Ariſtotelem hic *l.2. t.117.* docuiſſe, nos non ſentire per tactum, niſi qualitates excedentes, vel deficientes à noſtro temperamento; quam doctrinam ſic expono; vt tactus exiſtens in ſuo naturali temperamento, non percipiat qualitates æquales ſuis: quia non patitur ab illis: neque ſuas percipit: neque enim apparet, quomodo qualitates debitæ, & intrinſecæ organo corporeo illud moueant ad ſui ſenſationem; cum non tendant ad eius corruptionem, nec dolorem cauſent. In eodem autem ſtatu conſtitutus percipit qualitates externas deficientes, vel ſuperantes temperamentum ipſius; quia iam patitur ab altera qualitate excedente.

5 Quod ſi ſit alteratum, percipit tum qualitates, quas in ſe habet, vtpotè moleſtas; & eam moleſtiam in nobis experimur cum febre laboramus, vel frigore rigeſcimus; tum alias qualitates aliorum corporum inæquales illis, quas habet in ſe; quia ob inæqualitatē, iam poteſt ab illis moueri. Enimuerò ſenſatio qualitatū externarum non ſit ſine actione phyſica illarum in organum. Non negauerim tamen, quod nonnunquam adeò debilitatur organum per actionē ſenſibilis in ipſum, vt deſinat ſentire: vel quia corruptum eſt temperamentum; vel quia inſūpti ſunt ſpiritus ad ſenſationem neceſſarij: quod tamen non euenit, niſi poſt acerrimum ſenſum doloris.

Quas mutationes in ſe percipiat tactus.

6 Quando organū ab extrinſeco adiutū recuperat ſuū temperamentū, percipit motum illum. Quod ſi per ſe actione immanente illum recuperat, non videtur, quod ſentiat illum motum: neque enim experimur talem in nobis ſenſationē, cum manus ex frigidis virtute naturali incaleſcunt, niſi reflectentes comparemus ſtatum præſentem cum preterito. Addit Quiros *diſput.* 85. *n.* 16. quod tactus non ſentiat qualitates non actiuas, niſi extrinſecas: neque verò manus ſentit propriam duritiem, vel grauitatem.

7 Aduerto autem primò, nos immediatè experiri voluptatem, & dolorem in ſenſu tactus, & guſtus: quia ipſe contactus, & guſtandi actus, ſunt per ſe doloriferi, vel voluptuoſi, cum per contactum, & guſtationem immediatè alterentur organa. At viſo obiecto pulchro non oculus immediatè recreatur, ſed animus, cum viſio non exerceatur cum alteratione organi. Idem proportionaliter dico de ſono; ſed veriùs eſt oppoſitum, vt aliàs conſiderabam. Secundò, vt ſupra innui, tactum non indigere medio, quod nullo modo polleat vi tangendi: quia communis ſenſus videtur eſſe, quod vltimà cutis tangat. Ariſtoteles autem ſi quid in oppoſitum docuiſſe videtur, ſolùm voluit in partibus interioribus excitari vehementiorem ſenſum.

SECTIO NONA.

Reliqua quæ ſpectant ad ſenſum externum percurruntur.

Senſibile immediatè poſitum ſupra ſenſoriū quomodo non faciat ſenſationem.

1 QVæres primò; vtrum ſenſibile immediatè poſitum ſupra ſenſorium faciat

ſenſationem? Reſpondeo, colorem, & lucem non poſſe videri niſi in determinata diſtantia. Probatur, quia experientia conſtat, nos non videre, niſi lucem terminatam corpore diſtante, & colores item diſtantes in corpore illuminato: quis enim vnquam vidit niſi in ſpeculo, vel alio modo reflexè colores tunicarum ſuorum oculorum? De alijs autem ſenſibus mihi videtur ſatis probabile, quod percipiant ſuum ſenſibile immediatè ſibi applicatum: ſi enim vera eſt probabilis opinio, ſonus diffunditur per motum vſque ad ſenſorium auditus; non video, cur ſonus ille immediatus non percipiatur ab auditu: & ſi percipi non debet, cur diffunditur vſque ad ſenſorium? Idem dico de odore, & à fortiori de ſapore, & tangibili. Quare quando Ariſtoteles docuit, ſenſibile ſupra ſenſorium poſitum non facere ſenſationem, vel intelligendus eſt de ſolo viſu, vel intelligendus eſt de corpore odorato, ſonoro, ſapido, & tangibili, quod percipi ſenſu non poteſt, niſi diffundat qualitatem per aliquod medium; quamuis vix percipiam medium, per quod tangibile debeat diffundere ſuam qualitatem, vel virtutem; niſi velis, quod diffundat per cutem, quæ valdè imperfectè ſentit.

Quomodo excellens ſenſibile lædat ſenſum.

2 Quæres ſecundò, quomodo ſenſus lædatur ab excellenti ſenſibili? Reſpondeo, ſenſum nonnunquam recreari ab excellenti ſenſibili, vt patet in viſione pulcherrimi obiecti, auditione ſuauiſſimi ſoni, & olfactione fragrantiſſimi electri. Præterea ſenſus non formaliter læditur à ſenſatione, vel à ſpeciebus excellentis ſenſibilis: nullum enim horum opponitur temperamento illius. Læditur igitur nonnunquam, quia ab obiecto immittuntur in organum qualitates oppoſitæ eius temperamento; ita læditur olfactus à tetro odore, & oculus à nimia luce, quia immodicum calorem in organo producit. Læditur etiam ſenſus, quia vehemens ſenſatio obiecti excellentis hic, & nunc producta exigit magnam copiam ſpirituum, qui confluentes temperamentum organi nimio calore diſſoluunt: auditus autem nonnunquam læditur ob vehementem aeris commotionem; qui ita commotus ad organum delatus illud torquet. Tactus, & guſtus læduntur ab obiectis tangibilibus propter caloris, frigoris, aliarumque qualitatum abundantiam. Per accidens igitur læduntur ſenſus à ſuis obiectis.

Senſus nō poteſt naturaliter, ſed ſupernaturaliter poteſt attingere obiectum nō exiſtēs.

3 Quæres tertiò, vtrum ſenſus externi poſſint attingere obiectum non exiſtens? Reſpondeo cum Suario, Molina, Rubio, & alijs, id naturaliter repugnare; non autem miraculosè: quia ad ſenſationem externam vel immediatè concurrit obiectum, vel mediatè per ſpeciem ſui à ſe dependentem: ergo naturaliter requiritur eius exiſtentia, vt cauſet vel ſenſationem, vel ſpeciem. Deus autem deſtructo obiecto, ſeu nondum producto, poteſt ponere, & conſeruare illius ſpeciem in organo: in quo caſu ſine actuali concurſu, & exiſtentia obiecti, iam produceretur viſio. Neque verò apparet, cur Deus poſſit conſeruare accidentia extra ſubiectum, non ſpecies ſine obiecto: aut cur nequeat ſupplere per ſeipſum immediatè concurſum obiecti. Quinimò viſio in eo caſu concurrente ſpecie naturaliter produceretur: quia adeſt cauſa creata exigens eius productionem: miraculum igitur eſſet conſeruatio ſpeciei abſente obiecto. Senſus percipiens obiectum non exiſtens non percipit carentiam, ſeu eius non exiſtentiam.

Sēſatio poteſt miraculosè fieri in obiectū diſtās.

4 Ex quibus patet, poſſe miraculosè ſenſationem ferri in obiectum exiſtens, ſed remotum, vel ſupplente Deo concurſum eius obiectiuum ſpeciei, vel conſeruando in abſentia obiecti eius ſpeciem, vel concurrente obiecto per actionem in diſtans: nullus enim ex his concurſibus modis repugnat, vt ſuppono. Cæterum in hoc caſu ſenſus non falleretur circa proprium obiectum; neque enim oculus repræſentaret colores non veros, ſeu non colores. Quod ſi hinc ſequatur illud miraculum vel determinare, vel inclinare per ſe intellectum ad iudicium falſum; cū Deus non poſſit eſſe per ſe author falſi; dicendum eſt repugnare tale miraculum; vt ſuppono ex materia de Fide.

Differētia inter ſenſibilia communia, & particularia.

5 Notanda autem hic eſt differentia inter ſenſibilia communia, quæ ſunt magnitudo, motus, quies, figura, numerus; & propria; quòd propria habent vim mouendi primò, & per ſe: communia autem non mouent per ſe ſenſum, ſed ratione ſenſibilis proprij v. g. lux, color, ſonus, & ſimilia ſunt ſenſibilia propria, quia ratione ſui mouent ſenſum: at figura non mouet oculum primò, & per ſe, ſed ratione coloris; ideoque ſi detur figura non colorata, non videbitur: eadem autem eſt ratio de motu, magnitudine, numero, & quiete; & quia ſenſibilia communia poſſunt eſſe coniuncta cum pluribus ſenſibilibus proprijs, ideò poſſunt attingi pluribus ſenſibus.

Diſcrimen inter tactū & organū aliorū ſenſuū.

6 Notandum item eſt diſcrimen inter tactū, & organa aliorum ſenſuum: quod organa aliorū ſenſuum debent eſſe ſpoliata toto genere qualitatis per ipſa ſenſibilis: v. g. organum viſus debet carere omni colore ſaltem innato; at organū tactus non debet denudari toto genere qualitatis tangibilis: conſtat enim qualitatibus primis; vt poté mixtum corruptibile; ergo conſtat primis qualitatibus, quæ ſunt primò tangibiles. Solum igitur poteſt ſpoliari qualitatibus tangibilibus ſecundum gradum excedentem, quia debet illas participare ſecundum quandam ſuam mediocritatem, per quam ſenſorium tactus ex ſe neque ſit calidum, neque frigidum, neque ſiccum, neque humidum, ſed ſimpliciter temperatum: medium autem reſpectu extremorum habet rationem contrarij; ſic tepidum reſpectu intensè calidi, eſt frigidum; reſpectu intensè frigidi eſt calidū: & quia vnumquodque contrarium pati poteſt à ſuo contrario; ideo organum tactus pati poteſt, & conſequenter moueri ad ſuam ſenſationem a frigido, & calido extrinſeco excedente proprium temperamentum, vt ſupra notabam.

7 Hinc ſequitur animal eo magis excellere in virtute tactiua, quò habet complexionem magis

Excellunt virtute tangendi, quæ habēt temperatā cōplexionē.

gis temperatam, quia eò magis aptum est discernere quemcumque excessum minimum qualitatum tangibilium; ideoque complexio hominis magis accedit ad medium, vt tanquam medius inter omnia corpora per tactum perfectiorem possit discernere alia corpora, quorum temperamentum consistit in quodam excessu: & inter homines, qui habent complexionem magis temperatam, habent tactum perfectiorem, & aptiores sunt ad scientiam.

8. Hinc confirmatur, cur excessibus sensibilium corrumpantur sensus; quia sensus fundantur in mediocritate, quæ corrumpitur per excessum. Quod confirmat Aristoteles t. 123. sicuti enim vehementius pulsatis fidibus corrumpitur illarum harmonia; sic dissoluitur temperamentum sensus vehementius pulsati.

2. Ex quo infert Aristoteles t. 144. sensus delectari sensibilibus proportionatis, ac secundum quamdam proportionem mixtis; quo pacto auditus delectatur musica, & visus colore viridi; quia videlicet sensus est quædam mediocritas proportionata; v. g. auditus est quasi quędam symphonia grauis, & acuti; quæ mediocritas conseruatur á proportionata mediocritate sensibilis: motio autem conseruatiua delectat, sicuti corruptiua est molesta. Cæterum hæc sensuum externorum mediocritas non consistit in indiuisibili: tunc igitur corrumpitur sensus, cum aufertur tota latitudo mediocritatis.

SECTIO DECIMA.

De sensu interno, eiusque organo, & obiecto.

Datur sensus internus.

1 DAri sensum internum est communis omnium Philosophorum opinio, comprobata experientia: quia videmus animalia recordari obiectorum prius sensatorum, & non præsentium: videmus enim bruta frequentér accedere ad ea loca, in quibus aliquid iucundi sunt experta, fugere ab illis, in quibus aliquid molesti. Horum autem obiectorum absentium species non retinent bruta in sensu externo, species enim sẽsus externi pẽdet à pręsẽtia obiecti: ergò debet dari alius sensus vtique internus, in quo resideant huiusmodi species rememoratiuæ. Confirmatur, canes dum noctu dormiunt, sæpè latrant: quia nimirùm excitantur species interdiù conceptæ residentes in sensu interno. Præterea ad discernendum inter obiectum vnius, & alterius sensus, non sufficiunt sensus externi, qui solum versantur singuli circa suum obiectum: sensus autem discernens debet plura simul attingere: ergo necessarius est alius sẽsus. His addo, bruta reflectere supra suas sensationes: sic audita voce domini canis arrigit aures, vel cessat moueri, vt melius percipiat, & discernat sit ne vox domini: admouet nares, vt percipiat odorẽ, & linguam, vt discernat saporem: ergo appetit illā discretionem: ergo cognoscit illam, ac proindẽ reflectit supra suas sensationes; per nullum autẽ sensum externum reflectimus supra nostras sensationes, comparando illas inter se, ac discernendo inter eas.

3 Hic autem sensus internus datur in homine: tũ quia spectat ad perfectionẽ sensitiui: tum quia datur in homine appetitus sensitiuus, inclinans in obiecta sensibilia, etiam reluctante voluntate, imò independenter ab omni actu intellectus, & voluntatis, vt quisque in se experitur, iuxta illud Apostoli, *Video in membris aliam legem repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem, &c.* ergo debet dari sensus proportionatus, vnde oriantur huiusmodi appetitiones: quæ cum versentur circa obiecta comparata, non possunt procedere nisi à sensatione sensus interni.

4 Circa numerum sensuum internorum non est vna omnium mens: aliqui enim admittunt quinque sensus internos; sensum communem, cuius est attingere obiecta omnium sensuum, & ab eorum sensatione moueri solum ad præsentiam illorum sensibilium; addunt alij, quod discernat etiam inter ipsa sensibilia. Phantasiam, seu imaginatiuam, quæ conseruat species, per quas etiam in absentia obiectorum illa percipit: quomodo animalia mouentur ad quærendum cibum absentem, etiam quando non cognoscunt illum præsentem; sed per imaginationem illius ortam ex indigentia. Æstimatiuam, qua percipiunt obiecta insensata, v. g. conuenientiam nidificandi, filios alendi, &c. Memoratiuam ad memoriam obiectorum prius sensatorum. Et quia nonnulli tribuunt phantasiæ coniunctionem rerum sensibilium; ideò fortasse assignant phantasiam, vt quintam potentiam distinctam ab imaginatiua. Sunt qui quatuor tantum potentias sensitiuas admittunt, alij tres, alij duas; nonnulli demum vnam tantum: quæ omnia illa munera præstet, & per ordinem ad illa diuidatur in diuersos conceptus formaliter distinctos, qui appellari possunt potentiæ nõ realiter, sed logicè, & metaphisicè diuersæ. Quibus adhærendum mihi est: quia non admitto potentias distinctas realiter à substantia animæ; quarè ex diuerso modo operandi solum formare possumus diuersos conceptus potentiarum, obiectorum, & actuum, quorum vnus formaliter non includat alium; non tamen possumus benè inferre realem illorum conceptuum distinctionem.

Vis phantasmata coponendi, & diuidendi est hominis propria.

5 Aduerto primo, in brutis non esse admittendam vim phantasmata componendi, aut diuidendi; ita vt imaginentur montes aureos, &c. quia in brutis solùm admittendæ sunt potentiæ brutales ad regulandam vitam brutalem: hæc autem potentia componendi, & diuidendi non conducit, nisi ad vitam contemplatiuam. In homine igitur virtutes percipiendi obiecta insensata, & tendendi in obiecta absentia, hæ, inquam, virtutes, vt coniunctæ intellectui participant aliquam illius vim, ad componendum videlicet, & diuidendum. Igitur imaginatio hominis habet vim componendi, & diuidendi phantasmata, & imaginandi montes aureos, & per diuisionem imaginandi sensibilia communia, vt magnitudinem, figuram, quietem, motum, numeros per

abstra-

abstractionem à sensibilibus proprijs. In qua abstractione fundatur scientia mathematicæ. Hæc autem vis componendi, & diuidendi phantasmata est homini summoperè necessaria ad contemplationem; vt patet.

In homine est reminiscentia.

6 Ob eamdem rationem est in homine vis cogitatiua; qua proponit sibi obiecta, tum sensata, tum insensata quodam ordine, & regulata combinatione; quod non habet locum in brutis. Ex eadem coniunctione enim intellectu, memoria in homine habet vim reminiscentiæ; differt autem actus memoriæ ab actu reminiscentiæ; sicuti actus iudicij immediati de propositione per se nota ab actu conclusionis indè collecto: per memoriam enim recordamur sine vllo medio obiecti, vt anteà cogniti; actus autem reminiscentiæ est, per quem peruenimus ad memoriam obiecti per medium, & aliquando per plura media, quorum priùs ordinatim recordamur. v. g. recordatur, quis; se vidisse quemdam hominem in platea, sed non recordatur, quia ille fuerit; procedit ad memoriam ipsius per reminiscentiam, adhibendo memoriam immediatam aliorum, ex quibus veniat in memoriam illius: vt in caso nostro ex memoria loci, & sociorum, cum quibus tum versabatur, ac sermonum, quos miscebat, occurrit quod aliquis, dixit, en adest filius Francisci, & sic recordatur, quem vidit esse filium Francisci.

Quid memoria, quid reminiscentia.

7 Ex quibus has memoriæ, & reminiscentiæ definitiones possumus colligere: *Memoria est cognitio rei, vt antea cognitæ, causata ex prompta excitatione speciei illam repræsentantis sine medio. Reminiscentia est cognitio rei, vt antea cognitæ acquisita per quemdam discursum, per quem ex aliquo primo, cuius promptè recordamur per media connexa procedimus ad id, cuius non omninò determinatè recordamur.* Ex quo rectè Aristoteles initio libri de memoria, & reminiscentia intulit, quod memores magis sunt ingenio tardi; reminiscentia autem valent ij, qui mente celeres, & dociles sunt.

Bruta rigorosè non discurrunt.

8 Aduerto secundo, bruta formaliter, & propriè non discurrere; neque enim mouentur à cognitione vnius obiecti ad cognitionem alterius propter connexionem cognitam; quod est formaliter discurrere: sed solù cognoscunt prius vnum obiectum, & ex quodam veluti instinctu, & determinatione naturę cognoscũt aliud, quod est materialiter discurrere.

SECTIO XI.

Explicatur organum sensus interni.

Sensus internus in cerebro.

1 QVeritur hic principaliter, vbi resideat sensus internus? Respondeo, Aristotelem putasse, sensus internos residere in corde. Sed contraria sententia omnium Medicorum, & vera docet, sensus internos residere in cerebro; vnusquisque enim experitur actus sensus interni imaginationis, & similes in capite, non in corde. Confirmatur; quia ex studio patitur præcipuè cerebrum, non cor; & phrenetici, quorum sensus communis intemperiem patitur, remedia adhibentur in capite, non in corde. Demum à cerebro deriuantur omnes nerui sensorij non minùs, ac arteriæ à corde; ergo non minùs cor est fons caloris, quàm cerebrum sensationum. Quare non immeritò natura omnes sensus externos in capite propè cerebrum collocauit; quia debent famulari sensui interno residenti in capite.

2 Probabile autem est, quod docet Maurus, sensationes internas, non omnes in eadem parte cerebri exerceri: sicuti enim sensationes externæ, quæ requirunt ad sui productionem oppositas subiecti dispositiones, non omnes fiunt in eodem organo; ita cum sensationes etiam internæ exigant oppositas dispositiones subiecti, non omnes fieri possunt in eodem organo. Quod hic indicasse sit satis.

Locus sensus communis.

3 Non est autem improbabile, sensum communem residere in anteriore parte cerebri, seu meninge, à qua tamquam à centro deriuantur nerui sensorij per totum corpus diffusi: quia hæc pars est, à qua cum spiritibus deriuatur in totum corpus vis sensitiua, & ad quam tamquam ad iudicem per eosdem neruos deferuntur imagines sensationum.

Imaginationis æstimatiuæ, memoriæ.

4 Organum imaginationis est sub vertice capitis propè tertium, & medium cerebri sinum, vel in substantia cerebri, vel in meninge; æstimatiuæ verò in aliqua ex partibus magis internis, quia hæc organa debent esse in aliqua parte interiori, & minus sensitiua; quam tamen difficile est exactè assignare: ratio est, quia ipsarum actus fiunt cum minori sensu doloris, & voluptatis. Demum probabile est, organum memoriæ residere in postrema parte capitis, seu cerebello: ideoque cum conamur recordari, perfricamus instinctu quodam naturali postremam partem capitis.

Modus producēdi sensationes internas.

5 Non est fortasse improbabile, quod sicuti obiectum coloratum v. g. immittendo speciem sui, mouet aërem, & humores medios vsque ad retinam, in qua exercetur visio; ita visio per speciem à se productam repræsentatiuam ipsius, & obiecti visi, moueat immediatè neruos terminatos ad sensum communem, & illis mediis moueat ipsum sensum communem, in quo producatur sensatio attingens experimentaliter visionem, & obiectum, vt visum, quæ secunda sensatio mouet per suam speciem cerebrum medium, cum quo continuatur sensus communis, & quod terminatur ad organum imaginationis, in quo elicitur tertia sensatio percipiens obiectum, vt cognitum à sensu communi; iam hæc tertia sensatio mouet intentionaliter partem cerebri mediam inter organum imaginatiuæ, & æstimatiuæ, quæ motio terminata ad organum æstimatiuæ determinat ad actum apprehendentem conuenientiam, & disconuenientiam obiecti: æstimatiua mota mouet appetitum ad prosecutionem, vel fugam obiecti æstimati. Appetitus motus, mouet neruos, à quibus incipit motus spontaneus animalis; nerui

ui moti mouent certam partem corporis, hæc alias, vsque dum perueniatur ad aliquam partē motam, non mouentem.

Spiritus phātastici.

6 Cæterum, sicuti in corde formantur spiritus vitales, qui sunt corpuscula subtilissima celerrimi motus, & secum deferunt per arterias calorem vitalem ad totum corpus, & in cerebro formantur spiritus animales, qui sunt vehicula deferentia per neruos sensorios virtutem sensitiuam ad organa sensuum; sic in cerebello, quod est sedes memoriæ, formantur alij spiritus, qui dici possunt phantastici, & sunt vehicula deferentia rerum imagines, vt ante cognitarum, ad organa imaginationis, vel æstimatiuę. Isti spiritus quatenus præcisè præparantur in cerebello sunt phantasmata solùm potentia; quia secundum se solùm habent potentiam ad recipiendas, & retinendas imagines obiectorum, sed actu non sunt adhuc signati vlla imagine: cum verò obiectum imaginatum imprimit in aliquo ex his spiritibus imaginem sui fixam, constituit illos actu imaginatos.

Tres gradus memoriæ.

7 Tales spiritus aliquando facilè recipiunt impressionem imaginis, sed facilè reijciunt, propter abundantiam humiditatis; aliquãdo difficillimè recipiunt; sed diutissimè retinent; aliquando & benè recipiunt, & benè retinēt propter mediocritatem humidi, & sicci; vnde oriuntur proportionaliter tres gradus memoriæ. Videtur autem, quod spiritus informatus vno phãtasmate sit incapax alterius: eo modo, quo cera est incapax simul plurium figurarum.

8 Cum igitur præsente obiecto mouetur imaginatio ad suum actum; mouet, & attrahit ad se è cerebello spiritus phantasticos, qui ab obiecto, vt imaginato formantur, & recipiunt imaginē expressiuã eiusdē obiecti. Deindè verò per quemdã motū veluti circularem remittuntur ad cerebellum, quod est sedes memoriæ, ibique conseruantur. Quod si ijdem spiritus eodē modo signati, iterum accurrant ad imaginationem, vim habent mouēdi ad actū similē priori; eo modo, quo sigillum habet vim imprimendi ceræ similem figuram: & per hanc impressionem causãt memoriam obiecti, vt antea cogniti.

9 Actus autem imaginationis, quo est vehementior, eo viuaciorem sui imaginem relinquit in spiritu; quare obiecta vehementia relinquunt memoriam valdè viuidam. Quod si aliquando tales spiritus phantasmate signati non possint ab imaginatione remoueri, causant eam stultitię speciem, quæ consistit in phantasmate obstinatè radicato huius obiecti, quod ideò semper obijcitur, vt præsens.

10 Sunt præterea hi spiritus phantastici heterogenei; in aliquibus enim abundat sanguis, in alijs atra, &c. alij sunt benè temperati: ideoque imaginationes melancholicæ mouent spiritus melancholicos, illisque imprimunt suas imagines; est enim quædam proportio, & affinitas inter humores corporis, & imaginationes animæ, propter quam inuicem comparantur, sicuti mouentes, & moti.

11 Ex his colligitur, sensus interni obiectum esse omnia obiecta sensibilia per sensus externos, & omnes illorum sensationes, non autem carentias: quæ neque per se, neque per speciem à se emissam possunt mouere ad sui sensationem, neque possunt cognosci propter connexionem, aut oppositionem, quam habent cum obiecto sensibili; cum enim sensus internus non sit discursiuus, non potest propter connexionem, aut oppositionem vnum ex alio cognoscere.

12 Quod si canis tentat egressum per foramen, vel per portam, non per aliam partem; idest: non quia ibi cognoscat carentiam impedimenti; sed quia cum cognoscat alias partes impeditas, ibi non cognoscit impedimentum. Rursus, Visus cum lapidem manu capit, vt feriat hominem, non magnum, sed paruum apprehendit, quem manu continere valeat; quia in illo videt magnitudinem proportionatam, & nõ videt maiorem. Causa autem cur bruta hominis vmbra terreantur, est, quia vident lucem, vndique circumfusam, & non vident lucem in medio: quod vehementiùs accidit, si immediatè antea præcesserit in eo loco lux; ea enim carentia sensationis lucis cum alijs sensationibus iuncta terrorem incutit, qui paulatim languescit: sicuti homo terrore quatitur, cum improuisè aliquod monstrum videt, qui terror tamen paulatim languescit.

SECTIO XII.

De appetitu sensitiuo, eiusque organo, & obiecto.

Appetitus sensitiuus, & eius obiectum.

1 APpetitus sensitiuus est facultas animæ sentientis affectiua: siue affectus animæ sentientis, tendens in obiectum bonum per amorem, in malum per odium: dicitur sensitiuus, vt distinguatur à rationali, seu voluntate, à qua differt: tum quia dependet à cognitione sensitiua in operando; tum quia elicit actus materiales ab organo corporeo dependentes, & solùm versantes circa sensibilia, & saltem plerumque singularia. Hunc appetitum homini inesse, & fides, & ratio testantur; in eo enim sita est concupiscentia carnis, teste Apostolo, & fomes peccati, quem in nobis residere definit Tridentinum. Præterea homines experiuntur vehementissimas inclinationes in obiecta sensibilia, etiam reluctante voluntate. Deindè pueri, & dormientes sæpè appetitu feruntur, & tamen hoc tempore sunt incapaces vsus intellectus, & voluntatis; bruta item appetitu sensitiuo gaudent, quo ad quærenda, vel fugienda præcipuè per motum localem, damna, vel commoda naturę instigantur.

Sedes appetitus.

2 Eius sedes eadem est, ac æstimatiuæ; & quidem residet in cerebro, quia in illo non minus experimur actus appetitus, quam sensationes internas: in eodem autem organo, in quo æstimatiua; quia organū appetitus est illa pars, quæ maximè apta, & disposita est ad obiectum prosequen-

sequendum vel fugiendum: quod tantum conuenit parti, in qua exercetur cognitio, proponens obiectum, vt conueniens, vel disconueniens, quale est organum æstimatiuæ: ea nimirum pars, in qua originem habent nerui seruientes ad motum spontaneum animalis, qui immediatè procedit ab appetitione. Hinc abscissis neruis sensorijs, & motorijs in capite, illicò cessat omnis sensatio, & motus spontaneus, quamuis arteriæ ad aliquod licet breue tēpus pergāt palpitare propter motū cordis, vt obseruant anathomistæ. Ex quo potest magis in particulari determinari organū potētiæ æstimatiuę, & appetitus; ea nimirū pars, in qua ori gine habent nerui, seruiētes ad motū spontaneum animalis: principium enim motus spontanei residere debet in ea parte, ex qua incipit motus spōtaneus: sed æstimatiua, & appetitus sunt principium motus spontanei: æstimatiua enim dum proponit molestiam, vel iucunditatem obiecti, ac proindè conuenientiam, vel disconuenientiam illius, & fugæ, vel prosequutionis præstandæ per motum localem, determinat appetitum ad amorem, vel odium eiusdem motus: ergo in ea parte cerebri residet vis æstimatiua, & appetitiua, in qua coniunguntur, seu vnde oriūtur nerui, qui sunt ministri motus spontanei.

3 Non est autem verum, quod cor formaliter gaudeat, tristetur: & si ad gaudium, ac tristitiam animalis dilatetur, & constringatur. Quando autem Christus Dominus docet, ex corde exire malas cogitationes, nomine cordis intelligit animæ substantiam.

4 Verum præter hunc appetitum sensitiuum veluti vniuersalem, cuius est non solùm gaudere, & tristari, sed etiam appetere, & fugere malum, & bonum totius animalis, & singularum partiū eius; admittendus est in singulis partibus, quæ sensu pollent, appetitus quidam particularis, quo gaudent, vel tristantur de sensatione sibi conueniente, vel dissona: quælibet enim sensatio congrua, vel contraria affert secum sensoi, cui inest dolorem, aut voluptatem. Ac in homine sicuti datur cognitio sensitiua, ita admitti debet appetitus sensitiuus, illi cognitioni correspondens.

5 Iam verò hic appetitus diuiditur in duas illas partes concupiscibilem, & irascibilem: idē enim appetitus quatenus inclinat ad prosequutionē boni, & fugā mali est cōcupiscibilis: quatenus ad aggrediendū aliquid arduum, & auferendū per conatum non vulgarem, quod impedit consequutionem boni, vel fugam mali, dicitur irascibilis: ex hoc enim irascitur animal, & armatur, auocando contra impedimentum plures spiritus, & vires.

6 Posset hic quæri, vtrum sensus possit vitaliter attingere spiritum; sed de hoc dicam Deo dante 1. *par.* cum de visione Dei vbi inciderit addam vtrum possit attingere chimęras.



DISPVTATIO IV.

De potentijs animæ spiritualibus, & prima de intellectu.

IDem est agere de potentijs animæ spiritualis, ac agere de intellectu, & voluntate, & consequenter de anima rationali, quæ dictis potentijs constituitur.

SECTIO PRIMA.

Quid, & an sit intellectus in homine.

1 INtellectus definiri potest virtus cognoscitiua spiritualis, quæ definitio conuenit etiā intellectui diuino. Non est igitur intellectus, vt voluere ex veteribus nonnulli, mens prima rerum omnium effectrix, aut vt alij, quædam separata substantia, quæ semper intelligat, & nunquā otietur: singuli enim homines habent suum intellectum à primo ente partici patū, qui vt constat experientia non semper intelligit. *Definitur intellectus*

2 Hinc inferes in homine intellectum esse potentiam spiritualem, & inorganicam. Quod in sè quis confirmabit: quia intellectus humanus est quodam modo omnia, potens omnium rerum species recipere, & fieri intentionaliter omnia. Rursus format conceptus vniuersales, per quos dat obiectis esse quoddam illimitatum, & vniuersale: illi enim conceptus vniuersales sunt applicabiles infinitis, & per eos obiecta constituuntur proximè scibilia. Hæc autem operandi amplitudo est valdè remota à conditionibus, & limitatione materiæ, & materialitatis. Præterea omnis potentia organica patitur ab excellentissimo obiecto, intellectus autem sicuti, etiam voluntas potius recreatur; intellectus enim perficitur cognoscendo obiecta maximè intelligibilia, & cognitione veritatum euidentissimarum redditur habilis ad alias veritates cognoscendas: voluntas etiam perficitur amando optima, & eo amore disponitur ad ritè amandū reliqua. Contrarium accidit in potentia organica sita in mediocritate, quæ excessibus corrumpitur. *Intellectus humanus est potētia spiritualis.* *Quomodo intellectus humanus est quodam modo omnia.*

3 Confirmatur: quia materialia sunt perfectiori modo in cognoscente, quam sint in se; nam in cognoscente sunt modo spirituali: dum videlicet cognitio vnius non pugnat cum cognitione alterius: at in se sunt modo materiali; quia vnus color secundum se pugnat cum alio: ergo potentia illa, quæ potest discernere inter omnia materialia, qualis est intellectus, est longè perfectior, quàm omnia materialia, vtpotè continens in se omnia materialia modò longè perfectiore, quā illa sunt in se ipsis: ergo non potest esse materialis: quæ ratio non militat in potentia spirituali comparata cum obiecto spirituali.

4 Malè autem Maurus ex iactis principijs infert, non posse potentiam materialem reflectere supra suos actus: quia inquit, quod in aliqua potentia materiali, materialiter, & secundum suam entitatem inest; non potest eidem spiritualiter inesse

inesse, & cognosci; sic si albedo, aut alius color inest oculo, non potest oculus illum videre: sed actus materialiter insunt in potentia materiali. Malè inquam: quia maior solùm verificatur de eo, quod ita inest entitatiuè; vt non sit ipsum esse intentionale, & spirituale, saltem vt quo, ratione cuius alia spiritualiter insint; actus autem vitalis,etiam materialis, est ipsum esse spirituale vt quo; modo dicto, vt patet.

5 Dices, actiones volendi, & intelligendi in homine spectant ad partem intellectiuam, & tamen sunt actus organi: ergo intellectus est potentia organica:& materialis. Antecedens probatur: quia tales actiones dependent à corpore. Nego antecedens, ad probationem distinguo assumptum: dependent à corpore, si anima sit separata; nego: si sit vnita; subdistinguo; dependent proximè à corpore; nego: remotè; concedo: anima vnita virtute intellectus agentis eruit à phantasmate species intelligibiles: dependenter à quibus producit intellectiones, & volitiones; sed habet vim eas species conseruandi independenter à phantasmate: propter primum intellectiones dependent remotè à corpore; propter secundum possunt ab anima separata conseruari, & similes produci independenter à corpore: quod sufficit, vt anima secundum gradum intellectiui non sit actus organi; quamuis ipsa immediatè secundum suam entitatem vniatur organo corporeo, à quo tamen potest naturaliter separari. Quod si homo intelligendo defatigatur; non est, quia intellectus fatigetur; sed quia organum corporeum, quod intellectui seruit defatigatur. Ex hoc autem cōcursu remoto organi in intellectionem oritur, quod meliora organa conducant ad meliorem intellectionem.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum possit dari substantia spiritualis non intellectiua?

Non potest dari substātia spiritua is non intellectiua.

1 Communior Theologorum sententia cum Sancto Thoma, quam sequor, negat possibilē substantiā spirituale non intellectiuam. Probatur: argumento S. Thomæ fundato in principijs Aristotelis: quod caret impedimento intellectiui, est intellectiuum: sed omnis substantia spiritualis caret impedimento intellectiui: ergo omnis substantia spiritualis est intellectiua. Maior videtur certa: minor probatur, vnicum impedimentum intellectiui est esse materiale: sed substantia spiritualis caret esse materiali: ergo caret impedimento intellectiui: maior probatur impedimentum intellectiui est imperfectio, & limitatio: negari enim nequit, quin esse intellectiuum sit perfectio, & amplitudo quędam, ratione cuius ens contineat in se sine vlla repugnantia, res valdè oppositas: ita vt possit fieri omnia exprimendo in se illorum similitudines, & imagines intentionales: sed imperfectio, excludens esse intellectiuum, non est, nisi esse materiale: ergo vnicum impedimentum intellectui est esse materiale: minor probatur imperfectio excludens esse intellectiuum non potest esse dependentia à Deo, & esse ens limitatum, & finitum quocūque modo, secus nulla creatura posset esse intellectiua: ergo debet esse, tale esse limitatum, in quo eluceat improportio ad intelligendum, sed nullum aliud esse limitatum est, in quo eluceat improportio ad intelligendum, pręter esse materiale: Quod

Materialitas est impediment intellectiui.

2 Confirmatur primo, & explicatur: certum est materiam, quæ est primum analogatum huius generis materialis, excludere à se gradum non solum cognoscitiui, sed etiam vitæ: certum item est ex corporibus, quæ proximè accedunt ex suis intrinsecis ad conditiones materiæ, & cōstant partibus non solùm impenetrabilibus, sed etiam homogeneis, carere omni vita; quæ verò magis recedunt ab illis conditionibus participāt gradum vitæ, & quo magis recedunt eò perfectiorem gradum vitę participant: sic plantæ; quia habent quamdam intrinsecam heterogeneitatem, licet valdè imperfectā, viuunt infimo gradu vitæ vegetatiuæ: & bruta, quia magis recedūt ab illa homogeneitate, non vtcumque viuunt; sed etiam cognoscunt; cognitione tamen imperfecta, & sensitiua: quia adhuc constant partibus impenetrabilibus, & materialibus: rursus constat omnes substantias spirituales, quæ participant prędicata omninò opposita prędicatis materiæ, quia nimirum neque partes habent homogeneas, neque heterogeneas, cognoscere cognitione longè perfectiori, nempè intellectiua. Ex quo sic argue: cōstat inductione accessum ad materiā impedire, esse cognoscitiuū, & per pūrū recessū ab illius cōditionibus res viuere, & cognoscere: & eo perfectius, quo magis recedūt: ergo participatio cōditionū materię est impedimentū vnicum cognoscitiui, & intellectiui, sicut recessus ab illis est inductiuus cognoscitiui, ac tandem intellectiui. Profectò: vel ex ijs, quæ de factò cognoscimus, non possumus formare conceptus vniuersalissimos, ex quibus possimus decidere quæstiones de possibili, & sic inutilis erit omnis labor, & desiderium, etiam naturale, cognoscendi de possibilibus; vel hic est conceptus essentialis rei materialis, & spiritualis, vt prima sit essentialiter impedita ab intelligendo; secunda necessariò connectatur cū virtute intellectiua.

Id confirmatur ex diuerso modo essendi materiæ, & spiritus

3 Confirmatur secundo, quia vt non semel dixi essentia substantiarum sunt primæ rationes; quæ determinant sibi proprietates, operationes, & obiecta: ergo essentia, quæ habent diuersum, & oppositum modum essendi, determinant sibi opposita proprietates, operationes, & obiecta. Sed materia, & substantia spiritualis, seu materialitas, & immaterialitas substantialis habent modum essendi omninò oppositum: cum modus essendi materiæ, seu materialitatis dicat compositionem partium similium, & impenetrabilium: modus autem essendi substantiæ spiritualis excludat eam compositionem: ergo debent habere opposita proprietates, & operationes; ergo si materialitas, seu materia, qua talis ex-

cludie esse cognoscitiuum; spiritus qua talis debet illum includere, seu trahere; & cum spiritus longè plus recedat à conditionibus materiæ, quàm bruta; debet profectò includere, seu trahere modum cognoscendi longè perfectiorē, quàm potentia sensitiua, quæ conuenit brutis: huiusmodi autem non est, nisi vis intellectiua.

Authoritas Aristotelis. 4 Quæ autem diximus, & modos loquendi, quo vsi sumus confirmantur ex Aristotele 2. de anima tex. 121. *Hoc autem,* inquit, *vniuersaliter accipere de omni sensu oportet: Sensum inquā id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest; perindè, atque anuli signum sine ferro, vel auro suscipit cera.* Ex quo patet per Aristotelem suscipere formas sensibiles, sine materia, non esse aliud, quàm recipere species, vel sensationes rerum sensibilium, quod est intentionaliter recipere formas illas, & accidentia sensibilia sine materia, idest sine ipsis formis sensibilibus materialibus, quæ ex oppositione, & limitatione, quam habent à materia, ne simul fiot, non possunt secundum suum esse simul recipi in organo, benè tamen illorum species, & sensationes; quæ rectè dicuntur recipi sine materia, hoc est sine accidentibus, quæ repraesentant: ac sine restrictione, & oppositione illorum orta ex materia: vt confirmat exemplum sigilli ferrei, quod relinquit in cera imaginem, non ferrum.

5 Cum autem infra exposuisset idem Aristoteles seorsum pro subiecto exigere sensorium, partem videlicet materiæ viuentis, certa primarum qualitatum, & secundarum mediocritate temperatam, ac organice dispositam. Addit textu 124. *Patet præterea causa, ob quam non sentiant plantæ, tametsi partem aliquam habent animæ, atque ab ipsis tangibilibus patiuntur, frigent enim, & calefiunt: nam causa huius est mediocritatem non habere, neque principium tale, vt sensibilium sine materia suscipiant formas, sed cum materia patiantur:* vbi expressè ex maiori similitudine cum materia infert plantas non cognoscere. Legatur S.Thom. 1.p.q. 14. art. 1. & Perez *tract. de scientia*, qui illud præcipuè vrget; plus excedit quælibet substantia spiritualis brutum, quàm brutum materiam, & terram: ergo si brutum quodlibet propter illum excessum est sensitiuum, spiritus erit intellectiuus. Certè non video cur magni faciendum sit esse spirituale, si præscindat ab intellectiuo.

Quo plus recedit ens à conditionibus materiæ, eo est magis perfectè cognoscitiuū. 6 Illud aduerto inter ipsa spiritualia, alia magis, quàm alia recedere à conditione materiæ: & quia Deus summè recedit per puritatem actus excludentem omnem compositionem tum substantialem, tum accidentalem, tum actualē, tum potentialem; deindè Angelus excludens omnem compositionem ex materia, & forma, non autem ex natura, & subsistentia, vel accidentalem: ac demum anima, quæ licet excludat à se compositionem essentialem, & integralem; non tamen excludit posse componere totum per modum formæ; & multas compositiones accidentales; ideò Deus perfectissimè participat gradum intellectiui sine vlla potentialitate: longè imperfectiùs Angelus; locum omnium infimum habet anima rationalis, quæ etiam aliquo modo dependet in operando à corpore.

7 Dices non omnis operatio spiritualis est intellectio: ergo non omnis spiritus est intellectiuus. Hoc simile est illi argumento: non omnis operatio humana est intellectio: ergo non omnis homo est intellectiuus. Nego igitur consequentiam: quia vt operatio sit spiritualis, sufficit, vt sit perfectio intrinseca entis spiritualis, si præsertim connectatur cum intellectione, & volitione, illisque inseruiat, vt est motus localis, & similes. At supra probauimus substantiam omnem spiritualem esse intellectiuam. *Non omne accidens spirituale est intellectio.*

8 Dices secundo ex substantijs materialibus alia sunt non cognoscitiuæ, aliæ cognoscitiuæ: ergo ex spiritualibus aliæ sunt cognoscitiuæ, aliæ minimè: Nego consequentiam: quia materiales cognoscitiuæ id habent per recessum à materia, cum igitur omnes res spirituales magis, quam quælibet materialis a materia recedant; omnes erunt perfectiori modo cognoscitiuæ.

SECTIO TERTIA.

Explicatur obiectum intellectus.

1 OBiectū nostri intellectus est ens in tota sua latitudine sumptum, quatenus dicit ens creatum, & increatum, existens, & possibile, positiuum, & negatiuum, reale, & fictum, quæ omnia attingi ab intellectu nostro, facilè in se quisque deprehendet, quare facilius dices obiectum intellectus esse omne intelligibile, & quia nullum est cognoscibile, quod non sit intelligibile; ideò absolutè omne cognoscibile est obiectum intellectus. *Obiectum intellectus est omne cognoscibile.*

2 Quæres primo, quod nam sit obiectum formale intellectus? Respondeo intellectum humanum non moueri ad assensum, nisi à verò apparente, hoc est ab illo obiecto, quod apparet esse, vt repræsentatur: ideoque absolutè dici potest obiectum formale intellectus humani esse verum apparens: nam quamuis ad dissensum moueatur ab apparentia falsi, seu ab obiecto, quod apparet, non ita esse, vt proponitur; ideoque dici possit, quod respectu dissensus obiectum formale sit falsum apparens; tamen quia præcipuus actus intellectus est assensus in verum, & ad huoc finem videtur intellectus ordinari, vt assequatur veritatem; ideo absolutè obiectum formale intellectus est verum apparens: omnia igitur alia, in quæ intellectus fertur propter veritatem, eo modo apparentem, possunt dici obiectū materiale illius. Quod explicat Pallauicinus asserens obiectū formale intellectus esse ens sub ratione veri, *quia est obiectum actus prosecutiui, idest affirmationis sub ratione conformitatis inter illud, quod apparet, & illud, quod est à parte rei: siue hæc conformitas sit identitas; vt aliquando contingit: quia res apparet per seipsam immediatè; siue sit vera relatio, & similitudo, eo quod per apprehensionem dis-* *Obiectum formale intellectus est verum apparens.*

distinctam à re, & ab affirmatione apparet.

3 Quæres secundo, vtrum intellectus ex suo prædicato generico sit potentia vniuersalis, ita vt repugnet intellectus aliquis, qui nequeat attingere omne intelligibile. Respondeo affirmatiuè. Probatur; omne intellectiuum possibile excludit limitatiuum obiecti: ergo habet obiectum illimitatum: ergo debet posse versari circa omne intelligibile: antecedens probatur: limitatiuum obiecti in genere cognoscitiui est materia, vt facilé colligi potest ex dictis: ergo quod omninó recedit á conditionibus materiæ caret limitatiuo intrinseco, quo restringatur potius ad hoc genus obiecti, quam ad illud. Confirmatur, quia in genere entis spiritualis infimum est anima rationalis, cuius tamen obiectum est omninò illimitatū nempè Deus, & consequenter quodlibet cognoscibile: ergo nullū spirituale substantiale habet limitatiuū sui obiecti. Cōfirmatur rursus, omnis limitatio obiecti in ente spirituali vel prouenit à spiritualitate, & hoc est falsum: vt patet in Deo, & in Angelis existentibus: vel ab esse creato, & hoc est item falsum: vt patet in Angelo, & anima rationali: quæ licet sint entia creata; cum tamen possint attingere Deum, videntur posse attingere omne intelligibile: vel ex eo, quod vnū ens spirituale habet esse magis limitatum, quàm aliud: & hoc neque probat, quia quamuis anima habeat esse spirituale minus perfectum, quam Angelus; tamen potest attingere omnia illa, quę potest cognoscere Angelus. Maior igitur, & minor perfectio vnius intellectiui supra aliud non desumitur ex maiori, vel minori extensione obiecti, sed ex modo operandi magis, vel minus perfecto, ac abstracto, & vniuersali. Et huc reuocatur ratio S. Thomæ 1. *p. q. 7. ar.* 1. quod omnis coarctatio formæ est à materia. Possent hęc confirmari: & quia creatura intellectiua est felicitabilis: & quia anima rationalis, quæ est infimū in genere intellectiui potest attingere omne cognoscibile, & ipsum Deum, sed non vacat singula discutere.

4 Dices, posse dari substantiam spiritualem inferiorem anima rationali, quæ videlicet non habeat vim intellectiuam, ita perfectam. Sed cōtra: quia cui in aliquo genere conuenit esse infimum secundum suam entitatem, & essentiā, competit esse infimum secundum proprietatem eiusdem generis: propriatates enim debent conformari essentię, à qua profluunt: sed animę rationali competit secundum entitatem, & essentiam esse infimum in genere substantiæ spiritualis: perfectio enim, & imperfectio entitatiua, & essentialis pręsertim substantiæ desumitur à maiori, vel minori compositione, & simplicitate, actualitate, & potentialitate: ergo etiam competit animæ rationali esse infimam quoad proprietatē intellectiui in eodem genere.

5 His adde, quod quæcumque cognitio intellectualis quam experimur fundat conceptum vniuersale intelligibilis in cōmuni applicabilem omni intelligibili, sicuti etiam intellectionis in communi, & potentiæ intellectiuæ item in communi: ergo potentiæ intellectiuæ obiectum adæquatum est intelligibile in communi, & consequenter omne intelligibile: illud enim totum est obiectum alicuius potentiæ, quod continetur sub ratione communi abstracta dependenter à quolibet illius actu: sicuti enim ex sua ratione specifica talis actus fundat abstractionem, rationem alicuius prædicati recepti ab illa potentia; ita signum est, quod ea potentia ratione eiusdem prædicati versari possit circa totum obiectum illius abstractionis. Et si in quêlibet suum actum transfundat illud prædicatum, quod ab aliquibus appellatur forma actus, ab aliquibus modus tendēdi specialis eiusdem actus; apertè indicatur illius potentiæ vniuersalitas, & efficacia.

6 Substantiæ igitur spirituales per eleuationem supra materiam omnes recipiunt quamdam infinitatem, & illimitationem virtualem, & obiectiuam; nec inter se differunt, nisi ex modo essendi magis, vel minus potentiali, ac ex modo operandi magis, vel minus vniuersali; vt suppono ex ijs, quæ pluribus dicuntur in tractatu de Angelis.

7 Vrgebis, vnus Angelus differt specie ab alio; & tamen vnus non minus recedit à conditionibus materię, quàm alius, si considerentur secundum suam entitatem, & essentiam, nisi recurramus ad diuersum modum operandi: ergo purè recurrendo ad diuersum operandi modum possumus bené inferre, non repugnare substantiam spiritualem inferiorem anima rationali. Nego secundam partem assumpti: vnus enim Angelus secundum suam substantiam magis recedit ab imperfectione materiæ, quàm alius, dum magis vnite continet in se suam perfectionem, quam alius: nam vnus potest per pauciores operationes ad plura se extendere, quàm alius; & quamuis hæc sit formaliter maior perfectio potentiæ cognoscitiuæ, quæ est proprietas; ex ea tamen colligimus maiorem perfectionem entitatiuam vnius Angeli supra aliū: maior enim perfectio, & notabilis proprietatis non fundatur nisi in maiori perfectione essentiali. At nulla substantia spiritualis potest secundum suam essentiam magis quàm anima accedere ad imperfectionem materiæ: cum debeat facere vnum cum materia, & quidem materiale; & à materia in operando dependeat. Supposita autem spiritualitate potest magis, & magis recedi ab imperfectione materiæ per excessus quosdam substantiales, quos ex imperfectione nostri intellectus, & penuria vocum non valemus percipere, & explicare, nisi à posteriori per ordinem ad diuersum modū operandi.

8 Quæres tertiò, vtrum intellectus possit plura, vt plura attingere? Loqui autem possumus vel de actibus appræhensiuis, vel de iudicatiuis. Tunc autem intellectus attingit plura, vt plura, quando per plures, vel etiam vnum actum attingit plura, nullo modo illa inter se comparando, nec attingendo aliquod vnum prædicatum, in quo illa conueniant, vel discrepent.

9 Hoc posito dico primo, intellectum pos-

Omnis intellectus est potētia vniuersalis

Anima inter intellectiuas substantias obtinet infimu locum.

Potest intellectus plura in recto apprehēdere

se apprehēdere duos terminos non solū per speciem dualitatis, aut vnum in alio; sed etiam directè, & in seipsis; aliter non posset duos illos terminos componere, vel diuidere per affirmationem, aut negationem: quia non componuntur, neque diuiduntur nisi termini directè concepti, tantum enim hi possunt habere rationem prędicati, & subiecti. In quo casu erunt duæ apprehensiones: quia non habemus aliud caput distinguendi cognitiones, quam pluralitatem obiectorum in recto; & quidem vel omnia disparata in recto cognoscuntur simul per vnam cognitionē, vel per totidem.

Sed intercedit regulariter aliqua comparatio.

10 Secundo tamen probabile putat Pallauicinus, numquam dari plures apprehensiones, ita disparatas, vt quod attingitur per vnam in recto, non attingatur per aliam in obliquo: nam imaginatio numquam attingit plura, quin attingat aliquem ordinem inter illa vel propinquitatis, vel distantiæ, vel coexistentiæ: ergo idem dicendum est de intellectu humano. Et huiusmodi relationes comparatiuæ sunt, quæ determinant intellectum ad affirmandum, vel negandum vnum de alio. Verum probabile alicui fortasse est, aliquando simul coexistere veluti casu, & sine vllo ordine inter se, duas apprehensiones veluti disparatas duorum terminorum, ex quibus moueatur curiositas intellectus ad illos comparandos: Si præsertim illi sint termini vniuersales, vt conceptus entis, perseitatis, & similes.

Potest idē simul in recto, & in obliquo cognosci.

11 Non debet autem putari absurdum, vt simul idem cognoscatur in recto, & in obliquo: sic cum cognosco Patrem, cognosco eius entitatem absolutam in recto, & in obliquo, vt fundamentum, seu terminum relationis filij ad ipsum: qui modus cognoscendi primo iuuat ad meliorē cognitionem recti, secundo, vt per vnam sententiam acquiramus aliam.

Intellectus non potest simul ferre duo iudicia disparata de obiectis distinctis.

12 Tertio, intellectus non videtur, posse ferre simul duo iudicia disparata de duobus obiectis distinctis. Sunt duo iudicia disparata, quæ nullo modo inter se vniuntur, & comparantur: nullo modo vniuntur inter se, si neque vnum reflectat supra aliud, neque detur tertium iudicium super illa reflectens, eaque inter se comparans. Ratio est quia intellectus factus est ad inueniendam veritatem: ergo ita institutus à natura est vt in singulis casibus necessitetur quærere verū, & fugere à falso; tamquam præcipuum suum munus, & finem; aliter vel non esset factus ad inueniendam veritatem, vel non esset benè ad talem finem institutus: ergo si occurrant plura obiecta, non potest simul vtrumque amplecti, vel simul vtrumque repudiare, vel vnum amplecti per assensum, alterum per dissensum reijcere; nisi ea inter se comparando videat veritatem vnius non pugnare cum falsitate alterius, vel inter se pugnare. Aliter eo ferè cæco modo procedens intellectus, exponitur euidenti periculo simul amplectandi duo inter se opposita, & quorum complexum sit improbabile. Quando igitur occurrunt duo obiecta, non possunt elici duo iudicia inter se disparata: sed necessariò debet intercedere iudicium, quo intellectus saltem probabiliter iudicet vnam veritatem non pugnare cum alia; quod accidere nequit, nisi illa obiecta inter se comparentur; ac proindè non sint omninò disparata respectu intellectus iudicantis.

Dupliciter accidit, quod iudicia nō sint disparata.

13 Hoc autem dupliciter accidere potest: primo si per quemdam actum antecedentem iudicentur illæ veritates non repugnantes: secundo si iudicia mutuo vnum supra aliud reflectāt, & dicāt non obstante illa veritate, adhuc hoc ita est. Verùm illud iudicium antecedens non est necessarium: satis enim est, si præcedant apprehensiones comparatiuæ; & ex illis intellectus statim prorumpat in duos actus; quorum quilibet reflectat, & referatur ad aliud, & ad eius obiectum. Quinimò verùm videtur, quod necessariò illa iudicia dicant eas relationes, nam iudicium debet ferri in suum obiectum secundum omnia, quæ apparent in obiecto, & se tenent ex parte actus primi: neque enim est in hoc libertas: cum igitur in priori obiecto appareat conuenientia, vel disconuenientia cum obiecto alterius actus, vt facilè colligi potest ex dictis; non potest hic actus ferri in suum obiectum, quin attingat, & suo modo iudicet de illa conuenientia, & disconuenientia. Non negauerim autem, probabile esse occurrentibus pluribus obiectis posse per vnicum actum intellectum iudicare de omnibus, & de illorum conuenientia, & disconuenientia.

Illa duo iudicia necessariò relationē ad se mutuo dicunt.

Aliquādo per vnicū actum iudicat de omnibus.

14 Confirmatur allata doctrina, quia si iudici proponantur vel plures rationes pro eadē parte; vel plures, & oppositæ rationes pro oppositis partibus, non potest ferre sententiam de vna ratione, quin iudicet etiam de alijs asserendo, vel non præualere, vel iuuare, vel non contradicere: ergo neque intellectus potest per iudicia omninò disparata simul ferri in plura obiecta. Ex quibus facilè est colligere nulla esse obiecta, quæ simul proposita sint omninò disparata: quia semper debent præcognosci vel vt conuenientia, vel vt non repugnantia, vel vt repugnantia.

15 Quod si in intellectu simul sit potentia completa non solùm ad vnicum iudicium comparatiuum; sed ad alia absoluta, licet nō omninò præscindentia ab omni relatione; probabile satis est, iuxta alias dicta, eliciendos, futuros tres actus: quia cum adsunt causæ adæquatę plurium effectuum, debent produci plures effectus. Hinc, qui simul amat Deum, & vanam gloriam; quamuis habeat actum vnicum, & indiuisibilē, qui tendat indiuisibiliter in illud coniunctū: probabile est, quod habeat alios duos actus, alterum naturalem, & peccaminosum, quo directè amet vanam gloriam, licet non sine aliqua reflexione ad Deum: cum amor vanæ gloriæ non proponatur incompossibilis cum amore Dei; alterum supernaturalem directè tendentem in Deum cum aliqua tamen reflexione ad vanam gloriam, licet in obliquo: idque ne dicamus hominem in similibus circumstantijs carere actu supernaturali, & nonnunquam dispositione necessa-

ceſſaria ad Sacramentum pœnitentiæ.

Intellectus humanus eſt in toto corpore, intellectio in ſolo cerebro.

16 Illud hic aduerto primo, intellectum humanum eſſe in toto corpore, ſicuti eſt anima, cui ille identificatur: intellectio tamen eſt in ſolo cerebro: quia ibi eſt phantaſma, ad quod conuertitur anima dum cognoſcit: cuius rei ſignum eſt; quia dum ſpeculamur, dolemus capite; neque læſa phantaſia, ſeu imaginatione, poſſumus benè diſcurrere: hoc autem mirùm videri non debet, cum non ſit neceſſe omnem operationem immanentem animæ eſſe vbicumque eſt anima.

Quid intellectus poſſibilis, quid agens.

17 Secundò, communiter Authores diſtinguere intellectum cum Ariſtotele, & S. Thoma in paſſibilem, ſeu poſſibilem, & agentem. Intellectus paſſibilis eſt potentia intellectiua, vt potens intelligere, ſeu exercere vitaliter intellectionem: agens verò eſt eadem potentia, vt productiua ſpecierum ſpiritualium intelligibilium dependenter à phantaſmate: de qua plura dicam cum de ſpeciebus impreſſis: ſolùm addo, hos intellectus non diſtingui ſaltem realiter, quia cum producere ſpecies intelligibiles ordinetur ad intellectionem; non videtur hoc ſpectare ad diuerſam potentiam.

SECTIO IV.

De Memoria.

Datur memoria.

1 MEmoria in actu primo eſt intellectus ipſe paſſibilis, quatenus informatus ſpeciebus relictis per cognitiones antecedẽtes, poteſt iterum dependenter à talibus ſpeciebus cognoſcere obiectum, iam cognitum: quare ſicuti potentia intellectiua eſt eadem ſcientifica, & opinatiua, practica, & ſpeculatiua, quia poteſt diuerſis principijs adiuta modo exercere actus ſpeculatiuos, modo practicos, modo ſcientificos, modo opinatiuos; ita eadem potentia eſt intellectus ſimul, & memoria, quatenus poteſt modo ſimplices cognitiones, modo rememoratiuas exercere. Neque maior, aut diuerſa eſſentialiter virtus requiritur in creaturis ad actus intelligendi directos, ac ad reflexos, & rememoratiuos; neque putandus eſſet viuere intellectus, qui mortuo quodam modo intelligendo, non aduerteret ſe intelligere.

Alia in actu primo.

Alia in actu ſecundo.

2 Memoria in actu ſecundo, eſt actus quo intellectus dependenter obiectiuè à cognitione priori cognoſcit idem obiectum, quod prius cognouerat: neque enim quis dicitur recordari, ſi vt cumque iterum cognoſcat, quod prius cognouerat, niſi aduertat ſe prius illud ipſum cognouiſſe.

Eſt memoria etiã in brutis.

3 Eſt autem memoria primo in intellectu creato, vt patet experientia in homine: ſecundo in ſenſu, qui retinet ſpecies rerum prius cognitarum; licet magis propriè ſit in intellectu, quàm in ſenſu; quia cognoſcere aliquod, vt præteritũ, eſt attingere aliquam carentiam, quod tantùm conuenit intellectui, non ſenſui. In brutis igitur eſt memoria: quia actus delectationis, vel moleſtiæ, quos prius experta ſunt, relinquunt in illis ſpeciem ſui, quæ ad præſentiam ſimilium obiectorum excitatæ mouent bruta ad motus ſimiles præcedentibus: in Deo nullo modo habet locũ memoria, cum numquam ceſſet à cognitione: Dicitur ergo in ſcripturis recordari cum ponit effectus ante promiſſos. De memoria Angelorũ diſputant Theologi 1. p.

4 Illud aduerto hic, actum memoriæ repræſentare, vt præteritam non rem cognitã, ſed cognitionem: aduerto enim me cognouiſſe rem; nõ rem fuiſſe; cum fortaſſe priùs illam cognouerim, vt futuram.

Quomodo excitantur ſpecies.

5 Excitatio ſpecierum ſit in homine dependenter à phantaſmate, ſi enim lędatur organum phantaſiæ, vel ægrè recordamur, vel prorſus nõ recordamur. Excitantur autem ſpecies, vel per ſpecies rei connexæ cum illa prima; & de nouo cognitæ; vel per nouas ſpecies eiuſdem rei. Verùm illa excitatio non excedit rationem applicationis localis. Idem proportionaliter dici poteſt de ſpeciebus intelligibilibus, quæ per noua phantaſmata, & nouam propoſitionem obiectiuã intelliguntur applicatæ ad actum memoriæ. Probabile tamen eſt ſpecies rememoratiuas non ſe ſolis ſufficere ad actum memoriæ: ſed requiri etiam nouas ſpecies intelligibiles, de qua rẽ tamen plura fortaſſe dicam, cum de ſpeciebus.

6 Senſus autem internus poteſt moueri ad recordationem ſine noua ſpecie recepta à ſenſu externo: quia ſpecies rerum ſenſibilium in ſpiritibus receptæ, poſſunt multis ex cauſis ſimul cũ ſpiritibus moueri, & ingredi locum phantaſię, quamuis non intercedat ſenſatio externa: in quo caſu iam independenter à noua ſenſatione externa excitabunt phantaſię actum repræſentatiuum obiecti prius cogniti.

7 Ex imperio item voluntatis excitantur nonnumquam ſpecies huius potius obiecti, quã illius: quia per motum dependentem ab impulſu impreſſo, dependenter ab imperio voluntatis mouentur ad organum phantaſiæ ſpiritus potiùs gerentes ſpeciem huius, quàm illius obiecti: ad illud autem imperium ſemper præcedit aliqua cognitio ſaltem confuſa eiuſdem rei, cuius meliorem cognitionem deſideramus.

8 Ex dictis patet, quomodo intelligendum ſit illud Ariſtotelis *l. de memoria cap. 1 Memoria autem ea, quæ eſt intelligibilium, non ſine phantaſmate eſt, quare intellectus ſecundum accidens vtique erit, per ſe autem primi ſenſitiui*: quia nimirum prius intelligitur excitari memoria in ſenſu, quàm in intellectu.

DISPVTATIO QVINTA.

De Intellectione.

INtellectio eſt actus ſecundus, & exercitium potentiæ intellectiuæ. Definiri poteſt, cognitio ſpiritualis. Prima particula habet locum generis; competit enim etiam ſenſationibus; ſecunda differentię, per quam ab illis diſtinguitur;

quam-

quamuis vt verum fatear hæc duo prędicata, cognitio, & spiritualis, sint duo genera media, ac subalterna: nam prædicatum cognitionis conuenit tum intellectioni, tum sensationi: spiritualitas autem conuenit non solùm intellectioni, sed etiam volitioni. Differentia igitur propria intellectionis erit identitas cognitionis cum spiritualitatę.

SECTIO PRIMA.

Quid intrinsecè, & formaliter dicat intellectio?

1 QVæ de intellectione definiemus, facilè poterunt alijs actibus vitalibus cuiuscumquè potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ applicari. Iam verò in intellectione, sicuti & in quolibet alio actu cognitionis, quatuor distinguenda occurrunt, videlicet actio, qua producitur: passio, qua sustentatur ab anima: vnio, qua eidem vnitur; ac demum ipsa expressio, seu repræsentatio obiecti. De his igitur duo possumus præcipuè quærere: primo, in quonam illorum sita formaliter sit ratio intellectionis: secundo, vtrum hæc prædicata realiter inter se distinguantur.

2 Et quidem quoad primum non est dubium, quod intellectio sita formaliter sit in repræsentatione spirituali obiecti: valdè autem controuersum vtrum ea reprę sentatio includat formaliter omnia, vel saltem aliqua ex tribus illis prædicatis vnionis, sustentationis, & actionis. Et profectò si loquamur de intellectione in tota sua latitudine certum videtur, quod non includat vllum ex illis prædicatis: nam intellectio diuina, qua Deus se, & alia in se perfectissimè cõprehendit; ne realiter quidem est vnio physica cum aliquo subiecto: sicuti neque actio, aut physicus influxus alicuius agentis, vel physica sustentatio alicuius formæ. Dubium igitur solùm est de intellectione creata: circa quam.

Intellectio creata includit essẽtialiter cõceptũ vnionis, sustẽtationis, & actionis respectu principij intellectiui.

3 Dico primo: intellectionem creatam essentialiter includere illos tres conceptus, vnionis sui cum principio intellectiuo creato, sustentationis, atque actionis ab eodem procedentis. Probatur intellectio, sicuti quælibet alia actio vitalis creata, est actuale exercitium immanens, quo substantia creata se ab intrinseco mouet: ergo dicit essentialiter vnionem, actionem, sustentationem iam dictas: nam vt actuale exercitium immanens dicit vnionem cum principio: ipsum enim immanere est esse in principio: quod in creatis est principio vniri.

4 Quatenus autem per illum actum viuens creatum se ab intrinseco mouet, necessariò intellectio est actio, seu actuale exercitium, quo illud viuens aliquid in se efficit, & agit: neque verò aliud est se creaturam ab intrinseco per actum vitalem mouere, quam illum ex sua intrinseca virtute in se causare: mouere enim se ab intrinseco est habere motum à se. Demum quia actus vitalis essentialiter includit influxum agentis vnitum subiecto prærequisito, est iuxta ea, quæ l. 2. *Phys.* diximus de conceptu sustentationis, essentialiter sustentatio.

Intellectio non est in creaturis actuale exercitium purè intentionale.

5 Dices, intellectionem esse actuale exercitium immanens, intentionale, non physicum, ratione cuius intelligens operatur non circa aliquem terminum à se procedentem, sed circa obiectum: sicuti autem obiectum non debet produci per intellectionem: ita neque illud actuale exercitium est productio; sed tendentia intentionalis in obiectum: qui sunt termini satis clari, & quisque in se illos experitur. Sed contra actuale exercitium immanens intentionale creatum, est quo potentia creata intentionaliter se exercet, non purè exercetur ab alio: hoc autem intelligi nequit, nisi includat in suo conceptu actionem; præcisa enim actione potentia creata non se per illud exercet, neque habet illud à se: sed veluti inanime quoddam omninò passiuè se habet, recipiendo ab alio dictum exercitiũ: & ita docent de voluntate hæretici negantes libertatem, vt patet ex Tridentino. Intellectio igitur creata, & si non sit operatio physicè productiua obiecti; sed tantùm grammaticaliter versans circa obiectum, ad tribuendum illi aliquã denominationem; est tamen actio physicè procedens à principio vitali propter allatam rationem. Ex quo patet intellectionem creatam esse realiter distinctam à principio intellectiuo.

6 Obijcies: intellectio diuina est vitalis expressio obiecti, & tamen non includit actionem, passionem, vel vnionem physicam: ergo creata est vitalis expressio, quamuis non includat illa prædicata: sufficienter enim distinguitur à diuina, si sit defectibilis. Nego consequentiam: quia si est defectibilis, & creata, debet includere prædicata iam dicta, vt colligi potest ex ratione allata.

7 Confirmatur, quia Deus à se habet suã intellectionem: sicuti habet à se suum esse: ergo benè intelligitur, quod per illam se exerceat, & nõ exerceatur ab alio: at nisi intellectus creatus producat intellectionem, non verificatur, quod intelligendo se exerceat, sed potiùs, quod exerceatur ab alio.

Prædicata iam dicta actus vitalis necessariò inter se identificãtur.

8 Dico secundo: hęc tria prædicata actus vitalis intrinsecè, & essentialiter inter se identificantur: ita vt nullus actus vitalis dari possit, in quo non intrinsecè identificentur omnia illa prædicata, quæ proindè non faciens aliquam compositionem physicam, sed ad summam logicam, & extrinsecam, aut metaphysicam. Probatur: quia ex vna parte nullum est positiuum argumentum probans in illis prædicatis distinctionem realem; ex alia verò prædicatum illud, respectus potentiæ vitalis ad obiectum, est vnicum, & realiter simplex; sed respectus potentię vitalis ad obiectum essentialiter identificat sibi omnia illa prædicata; ergo omnia illa prædicata identificantur inter se: quæ enim identificantur vni tertio, identificantur inter se: ac proindè in quolibet actu vitali non solùm actuali, sed etiam possibili necessariò identificantur inter se illa quatuor prædicata. Maior probatur: quia ne

ne abeamus in infinitum in prædicatis heterogeneis realiter compositis, debemus deuenire ad aliquod realiter indiuisibile, & ad minus non constans pluribus partibus heterogeneis; ne dicamus in illa entitate esse infinitas partes heterogeneas. Iam verò, si hic conceptus, nempè, respectus potentiæ vitalis ad obiectũ, est realiter cõpositus, vel cõstat partibus homogeneis, & participantibus eadem prædicata; & compositio hæc non facit ad rem, neque enim facit, vt prædicata illa actionis, passionis, & vnionis, quæ sunt heterogenea distinguantur, sed ad summum, quod sicuti respectus ille est diuisibilis in plures partes, quarum quælibet est essentialiter respectus potentiæ vitalis ad obiectum; ita & in plures partes, quarum quælibet est actio, vnio, sustentatio, si semel in suo conceptu respectus potentiæ vitalis ad obiectum includit illa tria prædicata: quod verum esse ostendam, cum probabo minorem.

9 Vel constat partibus realiter diuersis, & heterogeneis? Et debes assignare quænã sint hæc prædicata heterogenea, quæ includit essentia illius respectus, & realiter distinguũtur. Cõfirmatur, & explicatur: prædicatũ, quod realiter per se addit actus vitalis supra illa tria, non potest esse, nisi realiter simplex: sed prædicatum, quod actus vitalis addit supra illa tria, non est, nisi respectus ad obiectũ; ergo respectus ad obiectum est prædicatum realiter simplex. Maior probatur: quia si prędicatum, quod superadditur est compositum, facilè abimus in infinitum. Minor etiam probatur: prædicatum, quod realiter illis tribus deficit, non est, nisi respectus ad obiectum; ergo quod illis superadditur nõ est, nisi respectus ad obiectum: illud enim dictis prędicatis superadditur, quo ipsa carent. Antecedens probatur: quia si illa tria includerent in suo conceptu respectũ potentię vitalis ad obiectum, non esset, cur illis ad constituẽdum actum vitalem deberet aliquid realiter superaddi.

10 Neque dicas, illis superaddi realiter nõ esse respectũ, sed cõplementũ respectus; ne inquã id dicas: quia illa tria causant, vniunt, sustẽtant; Quid? Non aliud profectò, nisi actum vitalem, seù respectum aliquem potentiæ ad obiectum: nisi enim terminus sustentatus sit talis respectus, impertinenter omninò se habet ad actum vitalẽ, neque est cur ad illum essentialiter ordinentur illa tria prædicata: profectò illa tria habent essentialem connexionem cum eo, cuius sunt vnio, sustentatio, effectio; ergo supponunt in illo aliquod prædicatum, ratione cuius potius trahant illud, quàm aliud, quod prædicatum non potest esse, nisi relatio huius potentiæ vitalis ad hoc obiectum: & si quod tu dicis esse complementũ actus vitalis non est respectus potentiæ vitalis ad obiectum, non est, cur possit complere actum vitalem: certè non quodcumque habet capacitatem complendi actum vitalem: ergo in eo, quod est capax complendi actum vitalem, debet dari aliquod prædicatum, quod sit veluti fundamentum, & ratio huius capacitatis; aliter irrationabiliter diceremus esse potius ipsum, quàm aliud capax complendi actum vitalem; prædicata autem, quæ possunt hic occurrere non sunt, nisi actio, sustentatio, vnio, & respectus potentiæ vitalis ad obiectum; omnia enim alia impertinenter se habent: ergo cum prędicatum superadditũ non sit vnio, actio, sustentatio; erit profectò respectus iam dictus participans veram rationem respectus non cuiuscumque, sed potentiæ vitalis ad obiectum.

11 Probanda nunc est minor principalis argumenti, quod videlicet actualis respectus potentiæ ad obiectum includat tria illa prædicata: quod sic præsto: Actualis respectus potentiæ vitalis ad obiectum est adæquatè actus vitalis: ergo est actio, passio, vnio: ergo identificat sibi illa omnia prædicata. Antecedẽs probatur: respectus potentiæ vitalis ad obiectum est actuale exercitium potentiæ vitalis circa idem obiectum; aliter non esset actualis respectus. sed actuale exercitium potentię vitalis circa obiectum est actus vitalis: ergo, &c.

12 Dices, vnionem, sustentationẽ, & actionem se solis esse actum vitalem. Sed contra: quia si præscindamus à conceptu respectus potentiæ vitalis ad obiectum, non intelligimus actuale exercitium eiusdem potentiæ circa obiectum: ergo præscindendo à conceptu respectus, non intelligimus actum vitalem.

13 Vrgebis: ad minus intellectio consistit in productione vitalis qualitatis, quę sit imago obiecti: ergo falsa conclusio. Antecedens probatur: intellectio est productio verbi; sed verbum est imago: ergo intellectio est productio imaginis, & similitudinis obiecti. Maior probatur: quia in diuinis intellectio Patris non est formaliter Verbum, sed productio illius. Nego antecedens: ad probationem, nego maiorem: ad probationem dico, in diuinis Verbum non posse identificari formaliter, & virtualiter cum intellectione essentiali; Verbum enim, & imago, vt docet S. Augustinus, est similitudo producta: ergo formaliter intellectio essentialis, quę nõ est producta, non est diuinum Verbũ: quod tamen identificatur cum ea intellectione, quæ est cõmunis tribus Personis diuinis, sicuti identificatur cum reliquis prędicatis absolutis. Neque formaliter ea intellectio est secundum se generatio actiua, vel productio Verbi, nisi notionaliter accipiatur, prout dicit notionem Patris, seú vt modificata per prędicatũ propriũ Patris, quod est origo actiua; idemque si locutio est productio Verbi, intellectio essentialis Dei secundum se nõ est locutio, sed prout modificata per notionẽ Patris; & quia locutio formaliter est dictio, ideò intellectio essentialis, vt modificata notione Patris, non secundum se, est dictio. In creatis autẽ omnis cognitio est locutio, & dictio: omnis enim est productio Verbi: verum autem hoc Verbum distinguatur ab intellectione, sicuti in Diuinis, infra dicam; quarè absolutè verificatur illud Sapientiæ 2. *dixerunt enim cogitantes apud se*, & illud Matth. 19. *dixerũt intra se: hic blasphemat*.

Intellectio non est productio qualitatis, quę sit imago obiecti.

14

14 Illud hic aduerto primò, speciem impressam non esse actum vitalem, & motum ab intrinseco; ideoque mirum non esse, si non includat formaliter actionem, sicuti includit species expressa, & cognitio. Secundò in externa locutione actū vitalē esse productionē soni ab intrinseco procedentē, non sonum ipsum productū. Tertiò, indè etiam confirmari posse actionem includi essentialiter in actu vitali: quia actus vitalis ex primo suo conceptu intelligitur, vt conatus quidam creaturæ productus cum quadam attentione: quæ omnia sonant actionem physicā.

Intellectio non est aggregatum ex potētia, ex obiecto, ac decreto.

15 Ex dictis patet, non benè aliquos dixisse, intellectionem esse aggregatum ex potentia, & obiecto. Primò, quia intellectio est exercitiū potentiæ physicę, id autem non conuenit illi aggregato, quod non procedit physicè à potentia. Secundò existentia obiecti non requiritur ad intellectionem: ergo tandem intellectio erit sola potentia. Tertiò, habita potentia, & obiecto non habetur intellectio. Quod si recurras ad decretum de producenda intellectione; certè hoc decretum non est tantum de producenda potentia, & obiecto: ergo aliquid aliud debet produci.

Intellectio non est aggregatum ex qualitate, & obiecto.

16 Reijciuntur etiam qui docent, intellectionem esse aggregatum ex qualitate, & obiecto: tum quia obiectum est omninò extrinsecum actui vitali: tum quia: hęc qualitas coniungitur cum obiecto, quod ex se est amabile, & intelligibile: cur igitur potiùs constituit cum illo intellectionem, quàm amorem? quodcumque autem prædicatum assignaueris vtique erit intrinsecum qualitati: ex parte enim obiecti nulla est diuersitas: ergo iam illa qualitas se sola per illud prædicatum est intellectio distincta à volitione.

17 Instabis: sciētia diuina quæ dicitur visionis, determinatur formaliter ad exprimendū hoc potiùs obiectum, quam illud per ipsum obiectum creatum? ergo quid simile poterit accidere in creatis. Nego primò antecedens cum satis probabili multorum Theologorum opinione, asserentium huiusmodi actus Dei esse prædicata Deo adęquatè intrinseca. Secundò, nego consequentiam: disparitas est: quia quidquid vitalitatis, & perfectionis est in actuali exercitio, quo se Deus exercet, dum vitaliter cognoscit hunc mundum, v. g. identificatur cum Deo: ab existentia autem mundi non recipit, nisi puram denominationem, quæ neque ad vitalitatem, neque ad perfectionem exercitij spectat: opposito modo se res habet in creaturis, quæ non possunt intelligi, se ab intrinseco mouere, nisi modo supradicto: imago autem externa non est ex suis intrinsecis imago Cęsaris, v.g. quia non habet ex suis intrinsecis esse exercitiū potentiæ vitalis circa Cæsarem: quare ex illa non potest desumi argumentum contra nostram doctrinam.

18 Demum reijcio sententiam Lyncei admittentis duplicem imaginem, aliam actiuam, & hæc est productio imaginis; aliam passiuam, & est ipsa imago: reijcio, inquam, quia imago ipsa passiua, qua exprimitur vitaliter obiectum, vt supra probauimus, includit omnes illos cōceptus, quos diximus, & pręter illos non est quid aliud debeat includere, vt sit intellectio.

19 Quod si intellectus dicitur agens, & patiens est; non quia habeat duas intellectiones, actiuam alteram, alteram passiuam; sed quia & abstrahit species intelligibiles, & producit intellectionem. Rursus sine præiudicio doctrinę permitto, quod creatura est similis Deo, & ab intrinseco, & per denominationem extrinsecam à coexistentia cum illo: neque enim similitudo illa est actuale exercitium per se immanens alicuius potentiæ, sicuti actus vitalis. His adde actionem productiuam formaliter vt talē, non esse adequatè attentionem, sed ad summum productionem attentionis, & vel conatum non ęsse adæquatè actum vitalem, vel actionem non esse adæquatè conatum vitalem; quæ omnia benè considerata sufficiunt ad soluenda, quæ Lynceus affert pro sua sententia.

20 Ex dictis infero primò rationem, quare materia licet vniatur sensationi, non sentiat; esse, quia cum nihil agat, non se mouet, aut exercet per illam sensationem. Secundò, ob eamdem rationem humanitatem vnitam Verbo non intelligere intellectione increata, quia non se mouet per illam. Tertiò, repugnare intellectionem creatam existere non vnitam substantiæ intellectiuæ. Quartò, amorem in casu impossibili non pręuia cognitione productū, adhuc futurū vitalem; quia adhuc esset actus, quo se potentia vitalis ab intrinseco exerceret.

21 Illud hic aduerto primò, nutritionem formaliter non includere terminum productum, nempè augmentum illud substantiæ: quia præciso illo augmento habemus motum, quo se ab intrinseco substantia mouet circa illud augmentū: at præcisa repræsentatione obiecti non habemus motum, quo se potentia intellectiua exerceat circa obiectum.

22 Secundò, quamuis actio, & passio non sint ad obiectum ex genere suo; tales tamen esse actionem, & passionem vitales. Si quę sunt in hac materia aliæ sententiæ, quæ meæ opponuntur facilè impugnari possunt ex dictis, quæ absolutè probant, quemlibet actum vitalem dicere essentialiter illa tria.

SECTIO II.

Quid sit Verbum mentis, & quomodo distinguatur ab intellectione?

In creatis verbū mētis, non distinguitur ab intellectione.

1 VErbum mentis ex S. Thoma est aliquod ab intellectu emanans: per modum manifestantis: debet igitur primò esse manifestatio alicuius rei: secundò immediatè emanare ab intellectu, & ideò intellectio essentialis in Deo non est Verbum mentis, sicuti neque generatio actiua: quia licet sint manifestatio alicuius rei, non tamen emanant ab intellectu. Filius autem diuinus est Verbum: tum quia est imago,

imago, & figura substantiæ patentis, & proinde manifestatio: tum quia ab intellectu emanat. Locutio verò formaliter est productio verbi, loquimur enim, dum verba producimus, & hoc est, quod communiter dicimus verbum esse terminum intrinsecè productum per locutionē.

2 Dupliciter tamen potest intelligi, quod vnum procedat ab alio per modum manifestantis. Primo formaliter: quia nimirum, quod producitur est formaliter manifestatio, & cognitio rerum. Secundo obiectiuè: quia videlicet est quædam imago, & figura rei cognitæ, in qua res ipsa cognoscatur: vtrumlibet autem videtur sufficere ad rationem verbi: quia vtrolibet modo sumatur, semper est verum, quod procedat ab intellectu per modum manifestantis, itaque nunc primum dici possit verbum formale, & vt quo, secundum obiectiuum, & vt quod. His positis.

3 Dico primo: creatus intellectus intelligendo non producit verbum mentis veluti obiectiuum à cognitione distinctum, & in quo veluti in imagine cognoscat obiectum externum. Probatur: intellectio creata tantùm à natura instituta est ad constituendum obiectum intellectum, & potentiam intelligentem: sed hoc præstat præcisa productione illius imaginis: ergo non potest illam imaginem producere. Minor probatur: quia præcisa productione illius imaginis obiectiuæ, iam per se ipsam formaliter est spiritualis repræsentatio huius obiecti: ergo præcisa illa productione imaginis, iam constituit intellectum repræsentantem, ac intelligentem, & obiectum repræsentatum, ac intellectum. Confirmatur: quia nisi hoc verum, quod tu dicis produci ab intellectione, sit vel formalis expressio, & cognitio illius obiecti, vel secundum esse physicum habeat cum illo similitudinem, & connexionem, non videtur, quomodo in illo intellectus possit cognoscere obiecta exteriora: sed non habet cum obiecto exteriori similitudinem, & connexionem realem, & in prædicatis realibus: neque enim quis dixerit illud idolum esse entitatiuè hominem: ergo habet similitudinem intentionalem, quæ aliud non est, quàm expressio formalis, & cognitio: ergo non est ab intellectione productum, neque ab illa distinctum.

Quomodo cognitio immediatè terminetur ad obiectū distans.

4 Dices primo: obiectum est distans ab intellectione: ergo non potest illam immediatè terminare: ergo requiritur verbum distinctum. Nego primam consequentiam: actu enim terminare, secluso influxu obiectiuo, nihil est ex parte obiecti distinctum, & intrinsecum: neque dicit aliquam causalitatem, sed tantùm denominationem extrinsecam, ortam formaliter ab actu intellectus, quæ potest competere etiam obiecto impossibili. His adde ipsum tuum verbum repræsentare obiectum distans, quod conuenit etiam suo modo amori.

Quomodo inuariato obiecto variet ur cognitio, & è contra.

5 Instabis: cognitio variatur inuariato termino extrinseco, & aliquando non variatur, quamuis varietur terminus extrinsecus: ergo non repræsentat illum immediatè, sed in aliquo idolo medio. Nego consequentiam: variatur enim inuariato termino: quia variantur alia principia vel effectiua, vel obiectiua, ad quæ cognitio dicit ordinem essentialem; & variato termino non variatur: quia non est relatio sui esse ad illū.

Quomodo verbum in Deo distinguitur à cognitione

6 Dices secundo: cognitio paterna in Deo producit verbum distinctum: ergo & creata. Nego consequentiam: quia in Deo intellectus paternus intelligendo debet aliquid producere: nō intellectionem essentialem, aut aliquam notionem Patris, quæ sunt improducibiles: ergo Verbum, quod est terminus illius actionis, & non est formaliter intellectio essentialis, sed ab illa virtualiter distinctum: sicuti realiter distinguitur à Patre. Hæc ratio non militat in intellectione creata, quæ producitur.

7 Dico tertio: intellectio creata est essentialiter verbum: quia est manifestatio emanans à mente; & est verbū nō solū quod, sed etiā in quo: quia vel reflectit supra se, & hoc modo etiā in se, veluti in quadam pictura legit prædicata obiecti, quæ repræsentat: vel non reflectit, & ad minus potest intellectus per actum reflexum in illa veluti legere eadem prædicata obiecti.

8 Vbi illud notandum est, intellectionem creatam esse ipsum esse obiectiuum rei: quare mirum non est, si stante eodem esse intrinseco rei, varietur esse obiectiuum: ad hoc enim sufficit, si varietur cognitio, distincta vtique ab obiecto: & corrupto obiecto exteriori, cognitio perseuerans, adhuc videt idem esse reale illius, quod antea videbat. Species enim impressa determinando potentiam ad repræsentandum prædicata obiecti, præstat munus, quod præstaret obiectum, si per se immediatè moueret; & est causa, cur cognitio sequens sit similis obiecto, dum repræsentat illius prædicata. S. Thomas, qui multis in locis videtur nobis cōtrarius benè intelligi potest de verbo identificato cum cognitione, & cognitionem supra se reflexam terminante.

Discrimen inter imaginem externam, et internam.

9 Notandum autem est discrimen inter imaginem externam, & internam: quod illa non est sicut interna imago viua; ideoque mirum non est, si non semper actu repræsentet. Notandum item sensationes non esse verbum mentis, quia non sunt actus intellectus: verum autem aliquo modo dici possint verbum sensuum est quæstio de voce.

SECTIO III.

De varijs intellectionis speciebus.

1 Diuiditur primo intellectio humana (de angelica enim, & diuina agant Theologi) in simplicem apprehensionem, iudicium, & discursum, de qua diuisione plura diximus in Logicis: descendamus igitur ad alias diuisiones.

Intellectio alia est intuitiua.

2 Diuiditur secundo intellectio in intuitiuā, & non intuitiuam. Dicitur intuitiua propter analogiam, & similitudinem ad visionem ocularem, quæ propriè dicitur intuitus, & intuitio

In visione autem oculari duo præ alijs elucent: primum est ex suo modo tendendi, per se versari circa obiectum, vt præsens, & existens; ita vt certificet de præsenti existentia illius; & quia nullum existens est, nisi singulare, ideò versatur circa obiectum singulare. Secundum est attingere colorem immediatè, & sicut est, seu in se ipso: quia videlicet simpliciter, & primò fertur in ipsum colorem, & lucem; ita videlicet, vt ex se neque formaliter, neque realiter in aliquo priori naturæ supponat alias cognitiones circa alia obiecta, quibus deinde in suo exercitio veluti vtatur ad exprimendum lucem, & colorem, sed sit prima, & immediata aliorum expressio. Hinc dicitur exprimere colorem, sicuti est: quia si definiendum sit, quomodo, & quid sit color, benè dicitur esse id, quod exprimitur, & eo modo, quo exprimitur per illam primam, & immediatam sui veluti experimentalem expressionem. Huiusmodi enim potentiæ, & actus videntur à natura instituti ad immediatè explicanda propria rerum prædicata, & res ipsas prout sunt in se ipsis conceptu quodam simplici, & qui nulli alij applicari possit. Neque præscindendo ab hac regula habemus caput, vnde possimus dignoscere, quomodo res sit in se ipsa.

3 Et quia, quæ hoc modo immediatè attinguntur, communiter per speciem à se productam mouent ad eam cognitionem; ideò quæ intuitiuè cognoscuntur, dicuntur cognosci per speciem sui propriam; non tam quia illa species est effectus obiecti (quod absolutè non requiritur,) sed præcipuè; quia ea species ordinatur ad causandum rei conceptum proprium, & immediatum. Hinc definiri potest cognitio intuitiua: cognitio, seù intellectio prima obiecti singularis, & existentis: intellectio igitur erit non intuitiua, si aliquo ex dictis prædicatis careat; vel quia non sit dicto modo prima, vel quia non versetur circa singulare existens, certificando de eius præsentia.

Alia quidditatiua.

4 Ex quibus patet non omnem cognitionem quidditatiuam esse intuitiuam: nam quidditatiua est, qua exprimitur quidditas rei, seù id, per quod respondemus interroganti, quid res est: non omnis autem huiusmodi cognitio est formaliter intuitiua: quia non omnis huiusmodi cognitio certificat de existentia alicuius singularis. Et primi quidem conceptus entis, substantiæ, & similes, quos in nobis formamus, sunt vtique quidditatiui, quia verè exprimunt rei quidditatem; sed nõ sunt intuitiui, quia non certificant de existentia alicuius singularis. Quidditatiuus etiam est conceptus, quo Deus in sua essentia cognoscit res possibiles, sed non est intuitiuus. Conceptus igitur quidditatiuus rei proprius, quo res exprimitur, sicuti est, præscindit ab intuitiuo. Et si quidem connectatur cum existentia rei singularis, quã quidditatiuè exprimit, est intuitiuus, secus est purè quidditatiuus.

Licet omnis cognitio intuitiua sit quidditatiua, non omnis quidditatiua est intuitiua.

Datur etiã intellectio abstractiua, et enygmatica.

5 Tertiò, diuiditur intellectio in abstractiuam, & non abstractiuam. Verum cognitio dupliciter intelligi potest, quod sit abstractiua: primò, quia præscindit ab aliquo prædicato rei, quia, dum non omnia clarè cognoscit, sed vnum clarè, aliud obscurè, veluti abstrahit prædicatum, quod clarè exprimit ab eo, quod obscurè cognoscit. In quo sensu quis putauerit conceptum cognitionis abstractiuæ non pugnare cum conceptu cognitionis intuitiuæ; quia etiam intuitiua, & quidditatiua possunt præscindere à cognitione clara alicuius ex prædicatis rei, & non esse cognitiones clarissimas: quinimo id necessarium est in qualibet cognitione creata, cum nulla sit perfectissima.

6 Secundo, potest intelligi, quod cognitio sit abstractiua: quia non est proprius, & primus, ac simplex rei conceptus, neque rem exprimit, sicuti est in se, sed ad modum alterius, & sub vmbris aliarum rerum, ideoque dicitur conceptus ænygmaticus, de quo S. Paulus 1. *Cor.* 13. Sciendum autem est ænygma esse similitudinem, obscuram tamen, & imperfectam, quæ non simpliciter, primò, & immediatè exprimit rem, cuius est ænygma, sed necessariò supponit alios conceptus plurium rerum, quibus deinde vtimur, dum illos miscendo efformamus conceptum suo modo proprium, & nemini applicabilem, nisi rei, quę ænygmaticè cognoscitur. Quod optimè explicat S. Thomas 1. Cor. 13. *lect.* 4. illo exemplo: *Me mater genuit, & eadem gignitur à me;* quod verificatur de gelu, quod generatur ex aqua, dum concrescit, & in illam resoluitur. In quo exemplo suppositis conceptibus geniti, & generantis, & quod sit ænigma ab aliis, eos inter se componimus, & formamus conceptum quendam proprium glaciei, & alijs inapplicabilem, sed adhuc obscurum, & imperfectum, qui non clarè exprimat quid res sit, & occasionem præbeat multis errantibus.

7 Cognitio igitur ænygmatica, & abstractiua est imperfecta, ideoque in Deo locum non habet: non est prima, neque simplex: quia necessariò supponit alios plures conceptus, ex quibus ipsa veluti componatur, & in quos tandem resolui debeat. Neque verò potest res ænygmaticè explicari, nisi per similitudinem vnius rei: similitudo enim cum vna re non est conceptus proprius illius rei, sed communis huic rei, & alij. Ob easdem rationes non est immediatè ab ipsa re, quam ænygmaticè exprimit; sed ab alijs conceptibus immediatis aliarum rerum veluti manuducimur ad conceptum ænygmaticum; & benè quis dixerit, prævios illos conceptus esse veluti medium saltem apprehensionis, ob quod res dicitur non immediatè, & sicuti est in se cognosci, sed ad modum alterius. Cognitio igitur non abstractiua est, quæ caret hac imperfectione, vti sunt intuitiua, & quidditatiua. Multa, quę hic addi possunt, fusius Deo dante tradã 1. par. tom de visione Dei.

Intellectio alia est: qua obiectu cognoscitur in se, & ex se alia: qua cognoscitur in alio, vel ex alio.

8 Quartò, cognitio alia est, qua obiectum cognoscitur in se, alia quia in alio, alia qua ex alio. Cognoscitur res in se, cum excluditur omne medium in quo, vel ex quo cognoscatur; & cum medium in quo, vel ex quo res cognoscitur sit prius cognitum, cognitio, qua res in se co-

cognoscitur, debet esse prima, & immediata excludens omne medium, tum apprehensionis, tũ iudicij: est medium iudicij id, ex cuius affirmatione, vel negatione intellectus trahitur ad affirmationem, vel negationem alterius: medium apprehensionis est, quo intellectus indiget ad formandum modo dicto conceptum ænygmaticũ rei: cognitio igitur, qua res cognoscitur in se ipsa necessario est intuitiua, vel saltem quidditatiua modo dicto. Illud igitur cognoscitur in alio, vel ex alio, cuius cognitio non est prima, sed pendet ab alterius cognitione, quod aliquo modo priùs cognitum est ratio, vt illud cognoscatur.

9 Necessariò hic debent intercedere plura obiecta saltem ratione distincta: aliter non potest verificari, quod vnum cognoscatur in, vel ex alio; vtraque item cognitio fundatur in connexione medij cum re cognita: præcisa enim omni connexione, nulla res est aptum medium ad cognoscendum aliud. Discrimen autem inter primum, & secundum modum fundatur in diuersa connexione: quia si vnum merè connectatur cum alio, & illud in se non contineat; est quidẽ aptum medium, vt ex ipso cognoscatur aliud; at si vnum non solùm connectatur cum alio, sed etiam illud in se contineat; nõ solùm est aptum medium, vt ex ipso: sed etiam, vt in ipso cognoscatur aliud: sic Deus perfectissimè comprehendens seipsum, perfectissimè in se cognoscit creaturas omnes possibiles, quas perfectissimè præcontinet.

Datur etiã intellectio specularis.

10 Quoniam verò speculum est, quod visũ facit, vt in ipso alia videamus, ideò cognitio vnius in alio, benè dici potest specularis. Et si quidẽ speculum, & mediũ sit perfectissimũ; vt est Deus Optimus Maximus, non impediet, quo minus res, quæ in ipso videntur, perfectissimè, & secundum proprium conceptum, ac quidditatiuè videantur: quia hoc spectat ad perfectionẽ illius medij, vt proprius, & quidditatiuus rei cuiusque cõceptus non sit, nisi qui in ipso elucet.

Alia intellectio est cõprehensiua, alia minimè.

11 Quinto, cognitio alia est comprehensiua adæquans cognoscibilitatem obiecti, non quãcumque; aliter nulla cognitio creata posset esse comprehensiua: quia nulla ita perfectè attingit obiectum, quamuis valdè imperfectum, vt hoc non possit, imò exigat cognosci cognitione longè perfectiori, nempè diuina: non debet igitur adæquare cognoscibilitatem terminatiuam, & veluti passiuam obiecti, sed actiuam, hoc est debet esse cognitio perfectissima, quam potest obiectum per se ipsum, vel per sui vicariam speciẽ excitare. De qua re fusiùs agunt Theologi, cum de incomprehensibilitate Dei: cognitio autem, quæ hunc gradum perfectionis non attingit, non est comprehensiua.

Alia reflexa, alia nõ reflexa.

12 Diuiditur sexto in reflexam, & non reflexam. Reflexa attingit cognitionem: non reflexa attingit obiectum distinctum à cognitione. Dupliciter autem potest intelligi, quod aliqua cognitio sit reflexa: primò, si reflectat supra se ipsam; secundo, si supra aliam cognitionem possibilẽ esse, imò defactò dari hanc secundã reflexionem est certum; de prima dicam sectione sequenti. Plures aliæ diuisiones desumptæ tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti passim occurrunt apud Authores.

SECTIO IV.

Vtrum actus intellectus, & cuiusque potentiæ intentionalis reflectat supra se ipsum.

1 DIxi potentiæ intentionalis, vt excluderem à præsenti quæstione actus animæ vegetatiuæ, qui cum sint productio physica alicuius termini, nec producantur per alias actiones, sunt procul dubiò productio sui ipsorum, eoque modo supra se ipsos reflectunt. Quæstionem extendo ad omnes actus potentiæ intentionalis: tum ne sæpiús redeam ad eamdem quæstionem, tum quia argumenta, quæ pro vtralibet parte faciunt, præsertim pro parte negatiua, militant in omnibus actibus. Et quæro: vtrum quilibet actus cuiuscumque potentiæ intentionalis, siue cognoscitiuæ, siue appetitiuæ, siue sensitiuæ, siue rationalis, aut intellectiuæ reflectat supra se ipsum; ita vt cognitio, qua cognosco Petrum, non solùm cognoscat Petrum, sed necessariò etiam seipsam, & sic de reliquis actibus. Hanc reflexionem Antonius Peres vocat virtualem ad distinctionem formalis, qua per vnum actum cognoscimus alium distinctum, quod spectat ad vocem.

Opiniones variæ de reflexione actus supra seipsũ.

2 Sunt tres opiniones. Prima docet repugnare actum creatum vitalem, qui supra seipsum reflectat. Secunda, concedit hanc reflexionem, tanquam necessariam actibus vitalibus partis intellectiuæ: negat vt impossibilem actibus partis sensitiuæ. Tertia demum, vt absolutè necessariam hanc reflexionem concedit omnibus actibus cuiuscunque potentiæ intentionalis, siue illa sit sensus, & appetitus sensitiuus, siue intellectus, & appetitus rationalis. Pro hac sententia stat Antonius Peres *disp.* 7. de *virtutibus theologalibus c.* 2. vbi citat Aristotelem, & S. Thomam *l.* 3. de *anima, lect.* 2. *tex.* 138. *& quæst. de verit. art.* 9. eiusdem sententiæ est Pallauicinus *disp.* 7. *de libert. q.* 2. *art.* 2. & noster Requesenius doctissimus magister meus, à quo, quidquid scio, me didicisse fateor *l.* 2. *disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 19.

Omnis actus intentionalis reflectit supra se ipsũ.

3 Dico cum hac tertia sententia, omnes actus cuiusque potentiæ intentionalis essentialiter reflectere supra se ipsos. Moueor ratione, quã à citato, & numquam pro meritis eius erga me maximis satis à me laudando Requesenio. *n.* 2. accepi: Argumentum igitur sic formo. Forma vltima, qua formaliter per se ipsam denominat subiectum à se distinctum, eamdem denominationem sibi tribuit, si sit talis denominationis capax, cum sit magis immediata sibi, quam subiecto à se distincto: hinc vbicatio, quæ tanquam vltima forma constituit, & denominat rem vbicatam, denominat, & constituit seipsam vbicatam; idem patet in vnione, & alijs formis moda-

Omnis forma tribuit sibi denominationē, quam tribuit subiecto, si est talis denominationis capax.

libus. quin & in formis absolutis; albedo enim, quæ denominat, & constituit parietem disgregatiuum visus, denominat etiam, & constituit seipsam digregatiuam visus: sed omnis cognitio tanquam vltima forma cōstituit, & denominat obiectum cognitum, & est capax talis denominationis: item quilibet actus potentię appetitiuæ tanquam vltima forma constituit suum obiectum, terminum potentiæ appetitiuæ: ergo omnis cognitio denominat, & constituit seipsam cognitā, & omnis actus potentiæ appetitiuæ denominat, & constituit seipsum actu terminum potētiæ appetitiuæ: ac proindè omnis huiusmodi actus supra seipsum reflectit.

4 Dices primò: quamuis hęc ratio vim habeat respectu actuum intellectus, & appetitus rationalis, at non vrget in actibus potentiæ sensitiuæ: neque enim potentia sensitiua potest sentire suos actus, etiam per actum distinctum. Et quis dicat oculum etiam per actum distinctum videre suam visionem: aut auditum audire suam auditionem? huiusmodi igitur actus non sunt capaces denominationis, quam tribuunt: quarè respectu illorum minor allati discursus est falsa. Sed contra: quia dato quod visio non sit visibilis, nec auditio audibilis; negari tamen non potest, quin sint sensibiles, & sentiantur: obiecto autem tribuunt denominationem, non solùm auditi, & visi, sed etiam sensati: & actus potentiæ appetitiuæ, quod actu terminet potentiam appetitiuam: ergo sunt hi omnes actus capaces alicuius denominationis, quam tribuunt obiecto: ergo, & possunt illam sibi tribuere, imo & debent ex allata ratione. Non est autem necesse, vt omnes denominationes, quas huiusmodi formæ tribuunt obiectis, tribuant formaliter sibi, sed illas, quarum sunt capaces, nec eodem modo, sed iuxta modum suæ capacitatis: sic vbicatio hæc, quæ constituit accidentaliter Petrum hic, est seipsa essentialiter hic.

Sensus experitur suos actus.

5 Confirmatur: quia non solùm sentimus, videmus, audimus, sed etiam experimur nos videre, audire, &c. non per alias sensationes, ne abeamus in infinitum: nam etiam hæ sensationes distinctæ, & reflexę sunt sensibiles, & cadunt sub experientiam: ergo immediate experimur nos sentire, videre, audire per ipsam sensationem, visionem, auditionem. Visio igitur coloris illuminati, quamuis non sit visio sui, seipsam tamē experimentaliter, & immediatè declarat videnti. Et vniuersaliter omnis cognitio est imago obiecti: imago autem prius exprimit seipsam, quā obiectum, nec alio modo repræsentat obiectum, quàm repræsentando seipsam.

Sensus delectatur suis actibus.

6 Confirmatur secundò: quilibet sensus externus habet appetitum sibi proprium: experimur enim, & coloribus visis oculum, & audito dulci sono delectari aures. Illud autem, quo delectatur oculus, non est color, qui videtur secundum se sumptus, quia hoc modo sumptus non est immediatus potentiæ, nec potentiæ immediatè bonus: delectatur igitur de obiecto vt viso, seu de ipsa visione, quæ seipsa immediatè perficit potentiam: ergo visio immediatè percipitur ab oculo: ignotū enim non potest placere ignorāti.

7 Confirmatur tertiò: videndo nobis per experientiam innotescit quid sit obiectum videre: ergo innotescit immediatè ipsa visio: non enim possumus cognoscere, & experiri, quid sit obiectum videri, nisi cognoscamus, & experiamur visionem: quinimò quod immediatè sentimus, & experimur est visio, non obiectum visum, nec obiectum cadit sub experientiam, nisi quatenus visum: cuius rei ratio est, quia ex conceptu suo nobis notior est actus, quàm obiectū, ideoque nemo potest intelligere, aut explicare quid sit albedo, & reliqui colores, nisi dependenter à visione, tanquam à primo sensibiliter cognito, quæ sicuti est magis immediata potentiæ, ita est prius cognita. Et quamuis visio aliquo modo explicetur per suum terminum; absolutè tamen ipsa est primò notū, quod immediatè experimur; ita vt si velimus explicare, quid sit lux, quid color, quid illuminatum, quid coloratum, id præstare non possumus, nisi recurrendo ad visionem, & ad potentiam visiuam. Primum igitur experimentaliter cognitum à potentia visiua est visio, dependenter à qua formamus conceptus, & potentiæ visiuæ, & obiecti visibilis, coloris videlicet, & lucis, illuminati, & colorati. Ex quibus satis probabiliter infertur nonnulli sensus non posse errare circa propriū obiectum formale: alíter non possemus formare primos, & simplices rerum conceptus essentiales, qui sunt fundamentum omnium scientiarū.

Quomodo voluptas supra seipsam reflectat.

8 Dices primò, nō potest explicari, quomodo voluptas supra seipsam reflectat? Respondeo, quia se ipsa placet elicienti, vt probat ratio facta, & experientia docet. Imo principalius delectat voluptas ipsa, quàm obiectum, quod actu non delectat, nisi media voluptate. Confirmatur, quia delectamur nonnumquam de malis, quæ apprahendimus delectabilia, cum talia non sunt, in quo casu, quod delectat, non potest esse obiectum secundum se, sed ipsa voluptas, quā apprahendimus possibilem, & quam exercemus: ratio est, quia ante exercitium præcedit cognitio, qua obiectum proponitur, vt delectabile, & qua consequenter proponitur delectatio possibilis: per sequentem autem delectationem, seu voluptatem tendimus in obiectum, prout fuit propositum ab intellectu, nimirum in obiectum, vt delectabile, ac proindè in ipsam delectationem. Similis ratio probat dolorem, & mæstitiam per se immediatè displicere, & fieri eliciente absolutè inuito.

Quomodo odium supra seipsū reflectat.

9 Dices secundò, odium non reflectit supra seipsum: quia neque est odium sui, neque amor sui. Respondeo, odium, quod non est tristitia, esse amorem sui: nam qui odit vult odisse, & eligit odisse: nullus autem absolutè, & nulla facta suppositione eligit tristitiam, & vult tristari. Confirmatur: quia cum proponitur obiectum vt malum, & odibile, proponitur odium vt possibile, & eligibile: ergo per sequens exercitium formaliter eligitur odium; quod autem eligitur amatur.

10 Di-

Quomodo actus honestus, & inhonestus reflectat supra seipsum.

10 Dices tertiò: quomodo actus honestus, & inhonestus voluntatis reflectit supra se ipsum? Respondeo, id satis declarari ex supradictis, & rationē nostrę conclusionis: Et quidē antequā volūtas eliciat actum honestum, vel inhonestum, proponitur obiectum, vt honestè, vel inhonestè amabile, & eligibile: ergo proponitur eligibilis actus honestus, vel inhonestus: ergo per exercitium sequens voluntatis formaliter eligitur, & consequenter est volitus actus honestus, vel inhonestus: exercitium autem sequens est ipse actus honestus, vel inhonestus.

In quo sensu actus specificantur per obiecta.

11 Ex his patet, quod Aristoteles, & alij docentes actus volūtatis specificari per obiecta, loquuntur de obiectis, vt denominatis per actus voluntatis possibiles, & intentionaliter praexistentes per praeuiam cognitionem: nam si quis amat pecuniam, iam hęc proponitur, vt amabilis, & talis constituitur per amorem possibilem: neque absurdum putari debet, quod amor possibilis intentionaliter existens sit in priori ad seipsum, & suo modo seipsum specificet.

12 Demum cōfirmatur allata doctrina: quia obiecta distincta ab actibus voluntatis sunt minus voluntaria, quam actus ipsi voluntatis: sunt enim obiecta tantùm denominatiuè voluntaria ab actibus, qui sunt formaliter voluntarij: ergo si obiecta sunt cognita, & volita à fortiori erunt voliti, & cogniti actus. Verùm de his plura fortasse, cum de charitate.

SECTIO V.

Soluuntur obiectiones.

Quomodo imago distinguitur à re repræsentata.

1 OBijcies primo cum Giattino: nulla imago potest identificari cum re repræsentata; sed omnis cognitio est imago rei determinatè repræsentatæ; ergo nulla cognitio potest indentificari cum re determinatè repræsentata: ergo nulla potest seipsam repræsentare. Maior probatur. Cęsar, quia secum identificatur non potest esse imago sui. Respondeo, hoc argumentum necessario peccare vel in maiori, vel in minore: nam vel non omnis cognitio est imago cuiuscumque obiecti repræsentati, vel non omnis imago debet distingui à re repræsentata: nam cognitio diuina cognoscit determinatè seipsam, nec à seipsa distinguitur: ergo vel est cognitio, & non imago rei determinatè repræsentatæ; vel non est de ratione imaginis distingui ab eo, cuius est imago. Cùm igitur ex doctrina S. Augustini imago debeat procedere ab eo, cuius est imago, ac proinde ab illo distingui; ideò absolutè neganda est minor, quod videlicet omnis cognitio sit imago, respectu cuiuscumque rei per ipsam etiam determinatè repræsentatę.

Quomodo iudicium reflectat supra seipsum.

2 Obijcies secundò: iudicium vt supra se reflexum neque verum, neque falsum est: quia neque est sibi conforme, neque difforme: conformitas enim, & difformitas vtpotè relationes sunt ad terminum realiter distinctum. Nego assumptum: ad rationem in contrarium dico, illud iudicium præcisè vt reflexū supra seipsum, ac de sua existentia certificans intellectum esse essentialiter verum, & sibi conforme: neque illæ sunt reales relationes exigentes terminos distinctos, vt patet in cognitione diuina.

In quo sensu omnis cognitio sit intuitiua, & sit affirmatio.

3 Obijcies tertiò: ergo omnis cognitio est necessariò intuitiua, quia omnis cognitio certificat de existentia præsenti sui. Respondeo id ita esse; & potius esset lapis, qui cognosceret, & non certificaretur se cognoscere: cum igitur dicimus alias cognitiones esse intuitiuas, alias abstractiuas, sermo est de cognitione in ordine ad alia obiecta. Simili modo omnis cognitio intellectualis etiam humana est affirmatio sui ipsius, non per modum compositionis, sed simplicis intuitus, certificans de sui existentia; quare cum dicimus ex actibus nostri intellectus, alios esse compositiuos, alios simplices apprehensiones, sermo est de actibus, vt comparatis ad alia obiecta: eodem modo intelligo diuisionem actus in reflexum, & non reflexum: nam sermo est de reflexione formali supra actus distinctos, non de virtuali, quam probauimus esse de essentia cuiusque cognitionis.

Reflexio cadit sub experientiam.

4 Obijcies quartò: nullus experitur hanc reflexionem: aliter res non posset cadere in quęstionem, & tamen deberet, si adesset ea reflexio, cadere sub experientiam. Nego assumptum: quia omnes saltem exercitè experiuntur illam reflexionem. Locus autem quæstionis datur, quia experientia de hac reflexione virtuali non est ita clara, sicuti experientia de reflexione formali supra actum distinctum. Aliquando autem ea reflexio, ob distractionem mentis ad alia, est ita tenuis, vt sicuti per actum vix aduertimus ad obiectum, ita & vix aduertamus ad actum.

Ex reflexione non datur processus in infinitum in actibus voluntatis & intellectus.

5 Obijcies quintò: Si actus voluntatis est amor sui: ergo posito amore sanitatis, deberet hic amor cognosci; aliter amarem amorem incognitum: cognitio autem huius amoris deberet amari per secundum amorem; ad quem sequeretur alia cognitio vtique amanda per tertium amorem; & sic in infinitum. Respondeo hunc processum à fortiori habere locum in sententia aduersariorum, qui negare non possunt amorem amari, vtique per amorē distinctum, qui debet cognosci, & cognitionem hāc amari: quare necessariò deueniendum est ad aliquem amorem non cognitum, vel ad aliquam cognitionē non amatam, sed quæ tantum per seipsam immediatè placeat potentię intellectiuæ. Nihilominus nego præter illos duos actus, alterum cognitionis præcedentem, qui proponit bonitatem, & obiecti, & ipsius cognitionis ac amoris sequentis; & alterum amoris sequentem, qui amplectitur omnes illas bonitates dari aliquem actum amoris, vel cognitionis: nam positis his duobus actibus, nullus amor tendit in bonum incognitum, neque aliqua bonitas proponitur, & non amatur. Et quidem dum nihil obstat, amor sequens est prosecutio omnis boni necessarij ad sui existentiam, quod voluntati proponitur.

Amor est fruitio sui.

6 Instabis, si amor amat seipsum vel est fruitio,

vel

vel desiderii, vel amor sui. Respondeo esse fruitionem: quia versatur circa se sine præcisione à sua præsentia. Vrgebis intellectus non proponit illam præsentiam amoris: ergo non potest amor tendere in illam præsentiam. Respondeo, cognitionem præuiam proponere existentiã amoris, ad quam inclinat; amorem autem sequentem amplecti illam præsentiam, & existentiam, quia tendit in illam, quam habet sibi præsentissimam per identitatem, quod sufficit ad rationem fruitionis: neque veró concipi potest, quod amor præscindat à præsentia obiecti, quam sibi identificat, & multò minus, quod illam expectet, quã habet sibi præsentissimã; quando autem obiectũ est hoc modo præsens, non est necesse ad fruitionem, vt præcedat cognitio præsentiæ; sed satis est, si præcedat cognitio bonitatis amoris, & dicto modo amor feratur in se ipsum: iam enim fertur in bonum possessum ab amante cum impræscindibilitate à præsentia.

7 Facilius solues allatam difficultatem, si cum Quiros dicas amorẽ cognosci per se ipsum, & quemlibet actum intentionalem esse simul, & indiuisibiliter experientiam, & appetitionem sui; quod non est à veritate alienum, & bené colligi potest ex dictis. At si id tibi displiceat, ad solutionem argumenti sufficiunt, quæ diximus. Solùm addo primo, experientiam amoris haberi, tunc formaliter per actum aliquem intellectus sequentem, qui tamen non debet amari per alium actum distinctum, sed per illum ipsum, qui præcedit, & necessariò trahit illam cognitionẽ. Secundò, iuxta supradicta, illam ipsam cognitionem experimentalem sequentem, seipsa placere potentiæ intellectiuæ, vtpotè eius bonum. Sed de hàc re legendus est Pallauicinus t. 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Tertiò, principium illud: voluntas non fertur in obiectum, nisi secundum rationem, quæ proponitur ab intellectu, verificari de obiecto contradistincto ab actu voluntatis, vt facilè colligi potest ex dictis.

Quomodo primo amatum per amorem est amor.

8 Obijcies sexto: si volitio reflectit supra seipsam: ergo prius denominat volitam se, quam finem distinctum. Distinguo consequens; prius in genere causæ formalis concedo: quia sicuti prius, & veluti immediatius informat se, quam finem; ita formaliter prius denominat se volitã, quam finem: prius prioritate dignitatis; nego: quia ipsum velle se veluti inseruit ad volendum finem, in quem, tanquam in proprium bonum dirigitur actus, qui ideò se amat, vt denominet finem amatum. Sed obiter notandum, finem aliquando adæquatè distingui ab actu, aliquando inadæquatè, & hoc accidit in actibus virtutum moralium: Finis enim temperantiæ non est temperata comestio, nisi liberè posita, vel ponibilis.

Aliquod obiectum actus creati debet ab illo actu distingui.

9 Obijcies septimo: nullus actus creatus potest habere seipsum pro obiecto adæquato, vel primario: ergo neque pro secundario. Nego consequentiam: quia in obiecto actus creati necessariò includitur aliquod, quod sit causa actus: ergo non potest actus creatus habere pro obiecto adæquato seipsum; neque pro obiecto primario adæquato: quia vel totũ obiectũ præcipuum, vel aliqua eius pars debet causare actum. Quod autẽ aliqua saltẽ pars obiecti debeat esse causa actus creati, constat inductione omnium actuũ, quos experimur, communi omnium sensu; & expressé docent actus voluntatis habentes aliquid obiecti pro causa finali sui: Non est autem necesse, vt quodlibet obiectum causet actũ, quem terminat.

Quid præstet reflexio supra actus supernaturales fidei, & charitatis.

10 Obijcies octauo: si actus intellectus essentialiter reflectit supra seipsum; ergo elicientes actum fidei; & charitatis certificamur de existentia eorumdem actuum etiam in indiuiduo: ergo possumus esse certi, quod amamur à Deo, quod est contra Scripturas, & doctrinam Tridentini. Respondeo, actus fidei, & charitatis reflectere supra seipsos, & nos certificare de sua existentia, & aliqua sua magnitudine, & excellentia; sed non ita, vt explicitè reddamur certi nos elicuisse actum, quem Christiani, & Theologi vocant fidei: sicuti neque de prædicato illo charitatis, ex quo euidens, & certissima conclusione inferri possit, hominem esse iustificatum: quia per eam reflexionem non certificamur de excellentia, quæ sufficiat ad tales actus. Ratio est, quia non omnis reflexio actus supra seipsum certificat clarè, & distinctè de omnibus suis prædicatis, sed in indiuiduo quasi sensibiliter, experimentaliter, ac confusa quadam ratione, non per conceptum proprium excellentiæ, & magnitudinis. Hinc experimur quidem veluti in indiuiduo, ac sensibiliter solem, lunam, & stellas magnitudine differre; at quanta sit ea magnitudo, quot partibus sol excedat terram, & similia non clarè experimur. Ratio autem huius rei fundamentalis est: quia propria, ac determinata magnitudo perfectionis cuiusque rei difficillimè cognosci potest; & in casu nostro difficultas augetur: quia actus supernaturalis superat vires tum actiuas, tum apprehensiuas totius naturæ: quarè sicuti non potest totaliter ab illa procedere, ita neque potest totalem sui cognitionem illi communicare. Attamen hoc vltimũ indicasse sit satis.

Non certificat nos de omni illorũ perfectione

Reflexio nõ pugnat cũ excellẽtia meritorũ Christi, vel creaturæ.

11 Obijcies nono: sequitur ex allata doctrina primò, aliquod meritum Christi Domini non posse mereri, nisi præmium finitum; si nimirum Christus Dominus eliciens actum charitatis reflexum supra seipsum, per eam reflexionem illum offerat pro gloria tantum S. Petri. Secundo sequitur aliquod opus puræ creaturæ mereri ex suis intrinsecis infinitũ præmium, si illi creaturæ operanti Deus promiserit infinitum præmium, & opus ex reflexione supra seipsum connectatur cum præmio infinito. Tertio, non esse meritorium opus puræ creaturæ, quod ex reflexione supra seipsum connectatur cum voluntate Dei de dando præmio, ac proindè cum ipso præmio: cum hæc connexio sit contra rationem præmij, quod liberè confertur à præmiante.

12 Respondeo quodlibet opus Christi Domini esse summum ex dignitate personæ, sed aliquod in actu secundo ex reflexione iam dicta mere-

mereri paruum præmium; idque ex libera determinatione ipsius merentis, qui non vult maius præmium; sicut omnipotentia ex omni parte illimitata determinatur à decreto Dei ad effectum limitatum. De hoc puncto plura dixi 3. p. Similiter ex infinita liberalitate præmiantis potest paruum meritum acquirere magnum præmium, & esse cum illo essentialiter connexum propter ordinem essentialem ad decretum de dando illi paruo operi magnum præmium; ea enim est diuinæ liberalitatis, & libertatis efficacia, vt suo decreto constituat proximam potentiam, seu possibilitatem actus meritorij in se parui; sed quod connectatur cum præmio infinitè magno; cæterum illud neque meritum infinitum est, neque condignum; vnde patet ad secundum illatum. Ad tertium nego illud opus non esse meritorium; neque verò de ratione meriti est, vt separabile sit à præmio, aut præmij, vt possit merito denegari. Sed satis est, vt ex liberalitate præmiantis, tanquam ex prima radice proueniat ea boni collati magnitudo; quod adhuc retinet rationem præmij, quia liberaliter à principe retribuitur operi; sicut primo gratiæ sequens peccatum habet rationem pœnæ, etiam pro primo instanti; & si pro eo instanti necessariò sequatur ad culpam; quia ea necessaria consecutio oritur iustitiæ diuinæ, quæ non potest permittere peccatum, quin velit illud ea priuatione saltem instantanea punire.

DISPVTATIO VI.

De voluntate.

VOluntas, vt ait Quiedus contr. 8. est potentia spiritualis per actus elicitos appetitiua; distinguitur ab intellectu per esse appetitiuum, ab appetitu sensitiuo per spiritualitatem non solùm potentiæ, sed etiam actuũ; ab innato per ordinem ad actus elicitos prauia cognitione, quibus non cæco modo, vt innatus, ex quodam impetu naturali fertur in sua obiecta. De his igitur actibus, & obiectis plura sunt nobis hic disputanda.

SECTIO PRIMA.

De obiecto voluntatis.

Duo præcipui actus voluntatis amor, & odium.

1 DVo sunt præcipui actus voluntatis, alter prosecutionis, quo tendit in bonum ab intellectu propositum, & hic, largè sumpto nomine amoris, dici potest amor: alter fugæ, quo auertitur à malo, & hic, largè item sumpto nomine odij, dici potest, odium. Ad hos duos alij omnes possunt reuocari.

Obiectum formale voluntatis, bonum, non malum.

2 Ex his patet obiectum adæquatum voluntatis esse omne bonum, & omne malum, quod illi per intellectum proponitur; cum eo tamen discrimine, vt primario tendat in bonũ per actus prosecutionis, ad quos per se, & directè inclinat appetitus; secundario autem versetur circa malum per actus fugæ, ad quos veluti indirectè, & per accidens inclinat. Huius diuersitatis ratio desumitur; quia voluntas est per se potentia appetitiua, & appetitus potentia autem appetitiua, ac appetitus formaliter, & directè tendit in bonum, in quo quiescat; non enim appetimus nisi bonum, & præcipuè finem ad quem conducunt alia bona, & in quo terminatur, & quiescit omnis motus appetitus præcipuè intellectualis: circa malum igitur non per se versatur voluntas, sed per accidens, quatenus impedit bonum ad quod illa per se facta est; ideoque illud auersatur, & fugit à malo, vt consequatur bonũ, quo priuat malũ; si enim malum nullum bonum impediat, nec malum profecto esset, neque esset ratio cur ab illo fugiat, & auertatur voluntas. Neque verò putandum est nouum malum, quod integrum mihi relinquit omne bonum, & perfectionem.

3 Hinc patet obiectum formale voluntatis esse bonum, idque etiam respectu actuum fugæ; idem enim bonum, quod inclinat ad sui prosecutionem, inclinat ad fugam mali oppositi; ergo ad actum fugæ primo, & per se mouet, non malum à quo fugimus, sed bonum in quod tendimus, & cui opponitur malum.

4 Allata doctrina vlterius confirmatur ex sensu communi experientia ipsa confirmato, quæ docet nos primum inter omnes affectus, ac reliquorum radicem in vnaquaque serie esse amorem, ex quo oriuntur reliqui actus tum prosecutionis, tum fugæ: amoris autem motiuum est bonum apprehensum: ergo primum motiuum, ac obiectum formale absolutè dictum voluntatis, in quod resoluitur omnis eiusdem voluntatis motus est bonum apprehensum; reliqua verò potius habent rationem obiecti materialis; & si formalis respectu actuum particularium; at non respectu voluntatis, cuius processus semper supponit aliquod primò amatum, quod est velut primum mouens, & habet rationem finis.

5 Dices malum, qua malum repellit à se voluntatem; ergo qua malum est obiectum formale voluntatis. Distinguo antecedens, qua malum independenter à bono opposito, & iam amato; nego: quia independenter ab eo bono, neque malum absolutè est, neque aptum mouere, dependenter ab illo; concedo antecedens: & nego consequentiam.

Voluntas non potest prosequi malum, qua malũ, neque fugere bonũ, qua bonũ.

6 Quæres primo: vtrum voluntas possit amare malum, vt malum, & odisse bonum, vt bonum. Responsio negatiua communis, ac potius principium per se notum, quàm conclusio aliunde probanda. Confirmatur: quia amor est inclinatio, & prosecutio: non prosequimur autem, nisi bonum, sicut appetitus innatus est ad bonum naturæ. Præterea malum apprehensum, vt malum, non habet vim alliciendi ad se voluntatem, sed retrahendi; aliter esset bonum, non malum: sicut neque bonum, vt bonum habet vim retrahendi: ergo non potest voluntas prosequi malum, vt malum, & fugere à bono, vt bono. Locutus sum cum illa reduplicatione; quia absolutè voluntas potest

amare

amaro malum, quatenus apparet bonum: vt si quis amet mortem, vt terminum ærumnarum; & è contra odisse bonum, quod apparet malum.

10 Ex his patet, quod quis possit irrationabiliter odisse Deum; quia quamuis Deus in se sit summè bonus excludens omnem malitiam; potest tamen ex magna cæcitate apparere alicui odibilis, & malus saltem causaliter, quia videlicet Deus aliquid facit, vel faciet eius voluntati contrarium. Et licet cognoscere, quod Deus sit causa malorum, quæ infliguntur in pœnam peccati, sit veritas, non mentis obcæcatio: at maxima obcæcatio est putare, quod Deus propterea sit odibilis, cum potius ex eo capite sit summè amabilis, & laudibilis.

11 Potest autem voluntas mereri, quia propositis multis bonis finitis, & aliquæ malitia permixtis, ac inter se oppositis alijs honestis, alijs delectabilibus, & inhonestis; potest pro sua libertate eligere potius honesta, quamuis aliqua incommoditate affecta, & relinquere delectabilia, & inhonesta; non est igitur ad merendum necessarium, vt voluntas possit prosequi malum, vt malum, & fugere à bono, vt bonum est: neque est necessarium, vt voluntas dicatur peccare ex malitia; nam ad peccandum ex malitia, vt contra distinguitur à peccato ex passione, & ignorantia, satis est, si voluntas relicto bono honesto amplectatur delectabile inhonestum, nulla vrgente tentatione, nullo errore insolito intercedente, quamuis vincibili.

Quomodo voluntas ferri possit in impossibile.

12 Quæres secundo, vtrum voluntas possit velle bonum impossibile? Respondeo nos posse loqui de bono impossibili, sed cognito vt possibili, vel de apprehenso, vt impossibili. Rursus possumus loqui de voluntate efficaci, qua videlicet voluntas est omninò ex se determinata ad consecutionem boni, & ad ponenda media: vel de inefficaci, quæ est simplex quædam complacentia in bono, sine vlla determinatione; qua voluntas vel nollet illud bonum, vel vult, si fieri possit, vel vult posita aliqua conditione, quæ deficit, & quam non vult ponere.

Explicatur actus conditionatus voluntatis.

13 Equidem, vt hinc incipiam, mihi videtur certum nullum esse actum voluntatis, qui non sit actualis volitio, quæ possit absolutè explicari per verbum volo, vel nolo; nam si est actualiter actus voluntatis, profectò actu est ipsa volitio, & velle; vel nolitio, & nolle; quare nullus actus voluntatis præsens potest explicari per illa verba imperfecta vellem, nollem: sic enim explicatur actualiter non esse voluntatem, sed futuram, sub his vel illis circumstantijs; conditio enim non dum posita caderet supra actus, & consequenter illos suspenderet.

Non quia non sit, sed esset, sed quia vult aliquod ponere dependenter ab aliqua conditione.

14 Cæterum non puto negandos actus voluntatis absolutè existentes, sed conditionatè versantes circa obiecta: si enim possumus absolutè cognoscere, & amare, quod neque est, neque esse potest, & efficaciter desiderare res futuras; cur non poterit intellectus, & voluntas per actus absolutè existentes versari circa obiecta conditionata? Multa pro hac re exempla adduci possunt ex sacris litteris. Ratio autem est, quia conditio non purificata tantùm suspendit id, supra quam cadit; non est autem necesse, vt conditio non purificata, cadens supra obiectum, cadat supra actum versantem circa obiectum: ergo poterit obiectum esse conditionatum, & absolutè suspensum, & actus absolutè existens, nec suspensus. His positis.

Potest voluntas ferri in obiectum impossibile cognitũ, vt possibile, actu affectiuè efficace.

15 Dico primo posse voluntatem ferri in obiectum impossibile cognitum, vt possibile, probatur: quia potest intellectus proponere voluntati vt possibile, & bonum obiectum, quod est impossibile: ergo potest voluntas amare illud etiam efficaciter efficacia intentiua, & quantum est ex vi ipsius voluntatis; non autem executiua, quæ valeat in actum reduci, cum terminus sit impossibilis.

Et actu inefficaci in cognitum vt impossibile.

16 Dico secundo, potest voluntas actu inefficaci, & per modum simplicis complacentiæ, ac conditionato ex modo tendendi, licet absoluto quoad suum esse, velle obiectum impossibile cognitum, vt impossibile: probatur, quia Aristoteles 7. *Ethic.* c. 2. vult electionem solum esse possibilium, voluntatem autem esse etiam impossibilium, & immortalitatis; *Electio*, inquit Philosophus, *non est eorum, quæ fieri nequeunt, quod si quis eligere dixerit ea, amens videbitur.* Et sanè bonitas impossibilis, quia bonitas est, potest, vel potius apparet aliquo modo inclinare voluntatem; tamen impossibilitas impediat efficaciam actus: neque enim impossibilitas, quæ non impedit, quominus res appareat aliquo modo bona, potest impedire ne voluntas ad illam inclinetur; sufficienter enim exercet suam vim, impediendo eius voluntatem efficacem. Neq; verò nisi frustrà natura dedisset voluntati vim in has intentiones efficaces circa bona, quæ apparet impossibilia. His addo, aliquam ex his complacentijs circa obiectum impossibile per Scotũ fuisse peccatum Angeli. Ex qua Scoti sẽtẽtia sequitur huiusmodi actus cõditionatos, seu simplicis cõplacẽtiæ circa illa obiecta impossibilia posse esse liberos. Cæterũ cũ æquè implicet poni obiectũ per se impossibile, ac per accidens ex aliqua suppositione impossibile, & vtrumque proponatur, vt impossibile; de vtroque quoad præsens punctum videtur eodem modo discurrendum.

18 Illud hic addo, quod est impossibile, & vt tale propositum, non proponi vt absolutè bonum subiecto.

SECTIO II.

Vtrum cognitio requiratur ad actus voluntatis.

Voluntas vt operetur indiget cognitione.

1 VOluntas est potentia cæca, sed rationalis; indiget igitur cæcorum more duce, à quo in suis operationibus dirigatur aliter cæco modo, & irrationabiliter moueretur. Hic Dux est lumen cognitionis, manifestans bonitatem, & malitiam obiecti, & sicuti colores non illu-

illuminatus non mouet ad sui visionem, ita bonum, & malum non cognitum non est aptum monera ad sui fugam, vel prosecutionem. Hine Aristoteles 3. *de an. c.* 10. *appetibile id*, inquit, *non mouet nisi mẽte, & imaginatione conceptum.*

Quomodo peccetur ex ignorãtia.

2 Ignorãtia igitur dicitur causa peccati, nõ quia facit, vt actus voluntatis contrahat malitiã, quam ignorat intellectus, sed quia peccatum fere semper coniungitur cum aliqua inconsideratione: & dum peccamus caremus cognitione congrua efficaci ad fugam peccati, quæ carentia est aliqua ignorantia. Ex quibus patet, voluntatem non esse primum principium operationũ naturæ intellectualis creatæ: supponit enim intelectũm.

In viris pijs dum ardenter amant Deũ adest cognitio obiecti amati.

3 Hinc falsum est quod asserunt aliqui in viris pijs actum charitatis perfectum excitari nulla præuia cognitione, quia si amor naturalis est ex cognitione naturali, etiam supernaturalis debet esse ex cognitione supernaturali: aliter non esset rationalis, neque possent reddere viri pij rationem sui amoris erga Deum. Non negauerim tamen huiusmodi viros deuotos ex assidua familiaritate cum Deo, & speciali gratia acquirere aditum adeò facilem ad amoris incẽdium, vt statim sine vllo discursu, si illis proponatur Dei bonitas, erumpant in actus ardentes charitatis. Nec contrarium docuit S. Dionysius, qui tantum voluit Deum in hac vita à nobis solum cognosci cognitione quadam valdè imperfecta, qua potius remouemus ab eo, quod non est, quam scimus, quod est: quæ potius est ignorantia, quam scientia; ideoque cumviri pij in amoris incendium rapiuntur, dici possunt amare quod ignorant, ac esse in tenebris & caligine.

Nequit voluntas ferri in incognitum.

4 Quæres primo verum voluntas ferri possit in incognitum? pars negatiua mihi probabilior est sententia communissima S. Th. 1. p. 9. q. ar. 1. Scoti in 2. *dist.* 42. q. 4. S. *primo ad primum.* *Durandi ibidem dist.* 39. *quæst.* 3. Vasquez t. 2. *disp.* 35. c. 2. nu. 5. Marinueri, & Puntij apud Quiros *disp.* 87. n. 20. Probatur quia appetitus elicitiuus supponit vim cognoscitiuam: ergo appetitio elicita supponit cognitionem. Aliter non subsisteret distinctio inter apetitũ innatũ, & elicitum: & inter appetitionẽ innatam, & elicitã. Et si idem appetitus potest ferri modo in ignotum, modo in cognitum, est partim elicitiuus, partim innatus.

Repugnat cognoscitiuum non appetitiuũ

5 Obijcies primo non repugnat cognoscitiuum non appetitiuum, ergo neque appetitiuum non cognoscitiuum, ergo neque amor non supponens cognitionem. Quam uis ob assignatam repugnantiam posset quis, non laborando de antecedente, negare consequentiam; nego tamen antecedens: quia vnum quodque inclinat in suũ bonum modo proportionato suæ naturæ: modus autem proportionatus naturæ cognoscitiuæ est tendere in bonum media cognitione, & in illud inclinari dependenter ab eadem cognitione: inclinari autem dependenter à cognitione dirigẽte ad bonum propositum, est per appetitum elicitum ferri in illud: ergo omne cognoscitiuum est capax appetitius eliciti, & consequenter appetitiuum. Attamen de hac re fusius dicã 1. p.

Volitiuum non cognoscitiuum non est liberum

6 Illud hic addo, quod si daretur volitiuũ non intellectiuum non posset esse liberum: neque enim posset eligere bonum præ malo: ad eligẽdum enim requiritur comparatio, quæ est actus intellectus.

7 Obijcies secundo, possibilis est cognitio, quam non possit sequi appetitio: ergo & intellectus, cui non debeatur appetitus, & appetitio, quam nulla præcedat cognitio. Antecedens probatur: decernat Deus hoc modo: nolo concurrere ad vllam actum voluntatis, & id reuelet, sanè qui crederet illi diuinæ reuelationi, haberet actum intellectus in compossibilem cum volitione, vtpotè ex suis intrinsecis dicentem ordinem ad decretum Dei essentialiter repugnans cum volitione. Confirmatur. Indicet quis se nõ posse amare, vel odio habere, ex illo iudicio nullus posset sequi actus voluntatis. Confirmatur secundo: omittat quis siue liberè, siuè necessariò omnem actum, & illi Deus reuelet tu de facto nihil operaris? certè ad essensum circa illam reuelationem nullus sequi potest actus.

8 Nego consequentiam, quia repugnantia, quæ probat absurditatem cõsequentis, non probat absurditatem antecedentis: neque ratio, quã aduersarius affert ad probandum antecedens, probat consequens illatum.

9 Ad primam confirmationem dico, illud iudicium falsum non impedire amorem sui, imo nec odium, cum integrum voluntati sit ab illo desistere, vel in eo perseuerare. Rursus posset cum illo iudicio coniũgi aliquis amor carentiæ excludentia omnem appetitionem. Eodem modo, respondeo ad secundam confirmationem tunc enim Deus solum reuelaret nullam esse cognitionem, & appetitionem independentẽ ab ea reuelatione, non autem nullam simpliciter secuturam, vel sequi posse. Quarè posset ad illã reuelationem sequi non solum cognitio ipsius, sed etiam amor tum ipsius reuelationis, tum carentiæ omnis appetitionis independentis ab illa reuelatione. Confirmatur, Deus non potest reuelare falsum: sed falsum est ad cognitionem non posse sequi appetionem: omnis enim cognitio sicuti proponit aliquid amabile, vel odibile, ita ordinata est ad amorem, vel odium: ergo non potest id Deus reuelare: non curo autem quod de facto non sequatur.

Amor creatus necessario supponit cognitionem à se distinctam

10 Quæras secundo verum necessariò omnis actus voluntatis supponat aliquem actum intellectus? Quiros *disp.* 87. *à n.* 15. defendit possibilem actum voluntatis etiam creatæ indẽpendentem cum actu intellectus, nec supponentem alium actum intellectus præuium: oppositum est mihi probabilius: quia voluntas creata debet necessario allici ad amorem per bonitatem, bonitas autem non allicit, nisi per cognitionem: ergo necessario voluntas creata debet allici ad amorem per cognitionem bonitatis; ergo cognitio bonitatis debet præcedere amorem: Neque verò voluntas creata constituitur causa amo-

amoris præcisa cognitione, aliter si præcisa cognitione est causa amoris, non est, cur non possit ferri in incognitum.

21 Hinc patet cur in Deo amor possit idêtificari cum cognitione: quia amor Diuinus nô debet causari. Ob similem rationem intentio nô debet distingui ad electione, quia, præcisa intêtione, haberi potest causa sufficiês electionis, quæ simul sufficiês sit ad intêtioem, aliter tibi nego id possibile: at præcisa cognitione non habemus in creatis causâ amoris quia non habemus aliquod inclinans ad amorê, sicuti præcisâ intêtione possumus habere aliquod inclinans tum ad intentionê, tû ad electionem, nempè cognitionem bonitatis finis, & conducibilitatis medij ad illum finem.

SECTIO III.

Quomodo actus Voluntatis prodeat à cognitione.

Non sola cognitio est causa efficiens actus voluntatis

Neque solum obiectum.

1 Sensus quæstionis est vtrum cognitio, quæ necessario requiritur ad actum voluntatis, sit tantum conditio, vel etiam causa illius. Et primo quidem Goffredus apud Hurtadum asserit volitionem efficienter tantum esse à cognitione, recipi verò in voluntate. Nonnulli verò docent affectum produci à solo obiecto. Contra primum facit, quia cognitio non est potentia libera potens se determinare potius ad vnum, quam ad alterum extremum: Ergo non potest esse principium adæquatum effectiuum volitionis liberæ: hoc enim principium debet habere in sua potestate vtrumlibet. Antecedês probatur: quia si cognitio esset potentia libera, posset pro libito ponere vtrumlibet, & consequenter esset voluntas, non cognitio. Contra secundos facit, quia obiectum sæpè non est, & multoties repugnat: Ergo non potest effectiuè causare actus voluntatis.

2 Marsilius putat actus liberos esse effectiuè à voluntate; actus autem primo primos esse tantum à cognitione: verum si voluntas est principium actuum liberorum, non est cur illi denegetur virtus productiua actus necessarij. At profecto sic ostendo voluntatem actiuè concurrere ad actus amoris, & odij, tum liberos, tum necessarios: quia actus huiusmodi, vtpotè vitales, debent immediatè actiuè procedere à substantia animæ vt vidimus, sed voluntas est ipsa substantia animæ vt patet ex dictis: ergo debent immediatè actiuè procedere à voluntate, & quidem cum anima per suam entitatem sit simul indiuisibiliter voluntas, & intellectus, quâdo causat actus volendi, & nolendi, non operatur nisi vt voluntas. Supposito igitur concursu immediato, & actiuo voluntatis in suos actus, adhuc quæritur vtrum cognitio sit pura conditio, vel etiam principium actiuum talium actiuum.

Voluntas est causa efficiês suorum actuû.

Etiam cognitio effectiue concurrit ad actus voluntatis

4 Dico cognitionem esse causam non purâ conditionem actuum voluntatis, hanc sententiam docent Nominales, Durandus, Caietanus, Medina, Fonseca, Salas, Conimbr. Molina apud Quiros *disp.* 47. *n.* 31. quibus adde Requesenium Pallauicinum, & alios non paucos plures autem habentur pro contraria apud Quirinos citatum *nu.* 32. Probatur videmus ad præsentiâ cognitionis produci huiusmodi actus, nec posse aliter produci: rursus cognitio non est mera applicatio virtutis actiua alterius principij ad operandum: neque enim applicat potentiam volitiuam, aut intellectiuam, quia hæc non debet operari: illa est sufficienter sibi applicata ad operandum in se: neque dici potest quod applicat obiectum ad operandum: cum obiectum sit ferè semper absens, & plerumque non existens, ac non nunquam impossibile: ergo obiectum non est virtus causatiua applicanda per cognitionem: ergo ipsa cognitio est virtus causatiua. Confirmatur, quia non minus volitio creata est tendentia in obiectum materiale, & formale, quam cognitio: Ergo non minus volitio, quam cognitio debet dependere ab obiecto: sed cognitio creata dependet efficienter ab obiecto: ergo etiam volitio: sed non potest volitio creata dependere ab obiecto secundum se: quia non obiectum secundum se determinat, & inclinat ad amorem, vel otium, sed vt cognitum: Ergo debet volitio creata dependere efficienter ab obiecto vt cognito: quod idem est ac dependere ab eius cognitione.

Obiectum creatum non immediate causat actum.

Cognitio determinat prædicata actus sequentis, eaque proponit voluntati.

4 Probatur secundo: mera conditio non habet vim determinâdi prædicata effectus, sicuti illa non præcontinet: sed cognitio prauia habet vim determinandi prædicata actus voluntatis sequentis: ergo non est mera conditio, sed causa. Minor probatur primo: quia, se ipsa prauia cognitio inclinat voluntatem ad actum, & ad illius prædicata: ergo determinat eius prædicata: etenim inclinatio in actu primo præcedens est ratio, cur sequens effectus illi conformis habet potius hæc, quàm illa prædicata. Secundo hæc inclinatio non potest esse ab obiecto, quod abest, & aliquando est impossibile: Ergo erit à cognitione. Neque dicas esse à voluntate, nam hæc est inclinatio, allicientia, ac suasio antecedens omnem actum voluntatis.

Imperium voluntatis non causat physicè actus imperatos aliarum potêtiarum.

5 Dices: imperium voluntatis non influit Physicè in actus aliarum potentiarum: ergo neque actus cognitionis in actus voluntatis. Nego consequentiam: quia primo actus aliarum potêtiarum possunt produci independenter ab imperio voluntatis, quod non verificatur de actibus voluntatis respectu cognitionis. Secundo voluntatis imperium non fungitur munere obiecti: â quo debeant dependere actus aliarum potentiarum: quia illi actus vel non pendent ab obiecto, vel obiectum præciso imperio voluntatis aliunde habet vim concurrendi: voluntas igitur per suum imperium non facit aliud, quam vel applicare alias, potentias ad operandum, adducendo spiritus, & producendo impulsum: vel determinare earum indifferentiam, ad quod sufficit si merè dirigat, & formaliter se habeat. Ob easdem rationes opus artefactum non pendet physicè, & immediatè ab arte. Cæterum no-

Confirmatur conclusio.

nostra conclusio inde etiam confirmari potest: quia Verbum Diuinum est etiam principium productiuum Spiritus Sancti, & non mera conditio: ergo Verbum creatum non est mera conditio, sed causa amoris.

SECTIO IV.

Qua cognitio sufficiat ad actus Voluntatis eliciendos.

1 MVltiplex cognitio hic potest considerari, primo sensitiua, secundo intellectiua, & hæc potest habere varietatem: nam vel est prima apprehensio, vel iudicium, aut simplex, aut etiam illatiuum: rursus vel est iudiciũ certum, vel probabile: clarum, vel obscurum: & de his omnibus quærimus vtrum sufficiant, vel requirantur ad actus voluntatis causandos: & ad quos actus requirantur.

Sensatio non sufficit ad actum volũtatis.

2 Dico primo cum communi sententia cognitionem sensitiuam non sufficere ad actum voluntatis: quia videtur improportionata. Et sanè qualibet potentia appetitiua taxat sibi potentiã cognoscitiuam, & cognitionem sibi proportionatam à qua dirigatur: appetitus autem sensitiuus tamquam sibi propriam, & proportionatam taxat potentiam, & cognitionem sensitiuã à qua immediatè dirigatur: vt patet in brutis: ergo appetitus rationalis, & intellectiuus tanquam sibi propriam, & proportionatam à qua immediatè dirigatur taxat potentiam, & cognitionem intellectiuam: appetitus igitur rationalis non potest moueri à cognitione sensitiua nisi mediatè: quia intellectiua cognitio, quæ immediatè mouet voluntatẽ depẽdet à sensatione.

3 Dico secundo, probabile est ad actum voluntatis non sufficere meram boni, vel mali apprehensionem, sed requiri iudicium. Probatur voluntas est potentia rationalis potens reddere rationem sui actus etiam antequam illum eliciat, quod non verificatur nisi præcedat iudicium: si enim amo, vel inclinor ad amandũ hoc, quia est bonum, iam iudico esse bonum. Et sanè si quod præcedit est iudicium euidens, & certum non est dubium quod possit mouere, & moueat ad actum voluntatis, eadem est ratio de iudicio probabili: est igitur in iudicio vis mouendi voluntatem. Quod autem apprehensio nõ sufficiat, confirmatur, quia aliter post bonitatem ex apprehensione amatam, possem iudicare obiectũ non esse bonum, sed purum malum; ac proinde simul amare illud, quod iudico purum malum. quæ rationes non militant in appetitu sensitiuo: quare mirum non est, si ad actua appetitus sensitiui non debeat, præcedere iudicium. Non nullus tamẽ dicet, etiam actus huius appetitus procedere à quadã sensatione valde simili iudicio intellectiuo, propter adhæsionem ad vnã partẽ.

Ad actum voluntatis nõ requiritur iudiciũ cõparatiuũ.

4 Dico tertio ad actum voluntatis non requiritur iudicium comparatiuum, quo intellectus iudicet partem, quam de facto voluntas præfert dignam, quæ præferatur: aliter omne peccatum supponeret iudicium erroneum, & hæreticum, quo quis iudicat rem, quam videt oppositam Diuinæ legi, esse dignam, quæ præferatur suo opposito: sufficit igitur si iudicet quis, rem, quam eligit habere aliquam bonitatem, qua caret pars opposita & saltem ob id esse liberè eligibilem: quod implicitè includitur in iudicio iam explicato de bonitate rei. Non negauerim tamen ante actum honestum plerumq; præcedere iudicium comparatiuum præferens bonum honestum suo contrario, cum honestum sit præferibile. At semper intercedit dictamen conscientiæ euidenter dictans, hoc esse vel non esse malum, & contra legem æternã vt suppono.

SECTIO V.

Vtrum præter cognitionem aliquid aliud moueat Voluntatem ad suum actum.

Etiam à Deo mouetur voluntas ad suos actus non malos; sed non ad malos.

1 DIco primo quamlibet voluntatem creatam moueri à Deo ad suos actus non malos: legatur S. Thom. 1. 2. q. 9 ar. 4. Probatur: quia Deus est per se causa omnis actus non mali voluntatis, & voluntatem ipsam ad dictum actum inclinat: dum ille virtutem, & inclinationem communicat: hoc autem sufficit vt Deus dicatur voluntatem ad actus non malos mouere. Ad actus autem malos non mouet: quia ad illos non inclinat: neque voluntati vim confert ad eum finem vt eos ponat, sed potius ab illis nos repellit suis prohibitionibus, & minis.

2 Quamuis autem hic motus & effectus sequens fit à principio extrinseco; non propterea est violentus voluntati: quia non est à principio extrinseco nullam vim conferente passo: cum voluntas non impediatur a suo motu; sed potius ad illum iuuetur.

Hæc motio diuina cohæret cum nostra libertate.

3 Cum hoc autem motu a Deo procedente bene cohæres nostra libertas: quod cit. S. Thom. 1. 2. qu. 10. ar. 4. optime probat ex principio S. Dionis. 4. de diuinis nominibus videlicet *ad Diuinam prouidentiam non pertinere naturas rerum corrumpere, sed seruare.* Ex quo infert S. Thom. quod Deus *omnia mouet secundum eorum condionem ita vt ex causis necessarijs per motionem diuinam sequantur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequantur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; Si Deus illam mouet, fit, quod non ex necessitatẽ ad vnum determinat: Sed remanet motus eius contingens & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.* Ex his patet, quod voluntas cum indifferentia antecedente operans vnam potius partem, quam aliam, & naturaliter, id est iuxta suam naturam operetur; & non resistat Diuinæ prouidentiæ ordini, sed potius illum exequatur.

Angelus tantũ mediate potest nostrã voluntatẽ mouere.

4 Dico secundo, Angeli non immediate, sed tantum mediate possunt nostram voluntatem mo-

mouere. Probatur quia anima cum suis potentiis spiritualibus immediate est à solo Deo: ergo non nisi solus Deus potest in illam immediatè agere: ergo non potest nisi à solo Deo moueri: quia non potest moueri, & agi nisi ab eo, à quo immediate res est, cuius solius dominio immediate subijcitur: ergo voluntas non potest immediate moueri ab Angelo: qui tamen potest illam mediate mouere propositis obiectis, quorũ cognitio intellectualis immediate causata à Deo inclinat voluntatem: at id non accidit sine mutatione facta saltem in sensu interno legatur S. Thom. cit. ar. 6. ad 2.

Etiam appetitus sensitiuus per suos actus remote mouet voluntatem.

5 Dico tertio appetitus sensitiuus remote mouet voluntatem: quia videlicet dum fugit ab aliquo molesto, & prosequitur aliquod delectabile, est causa vt aliquod appareat homini bonum, & conueniens: aut malum, & disconueniens: ex qua apparentia voluntas necessario inclinatur ad prosecutionem vnius, & ad fugam alterius: quas inclinationes non vincimus nisi nobis vim inferendo. Huc spectat illud Apostoli ad Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis.* Non repugnat autem, quod causa inferior, secundum quid & remote agat in Superiorem, & suo modo aliquid illi communicet: sicuti potest diues à paupere recipere: & ob id quod est absolute inferius respectu alterius, potest respectu ejusdem esse secundum quid superius. Sicuti neque repugnat, quod ex causis secundis aliqua respectu alterius sit modo mouens, modo mota: ac proinde, quod appetitus sensitiuus modo moueat rationalem, modo à rationali moueatur.

Voluntas aliquando necessario aliquando indifferenter ab appetitu sensitiuo mouetur.

6 . Iam vero aliquando motus appetitus sensitiui subito natus, & passio partis inferioris est adeò vehemens, vt rationem, & iudicij indifferentiam absorbeat: & tunc necessitatur voluntas ad sequendum motum appetitus inferioris: aliquando persistit iudicij indifferentia, qua homo constituitur sui actus dominus, & tunc licet appetitus impellat, non tamen voluntatem necessitat. Addiderit non nullus cum Pallauicino, & multis alijs & Vasques 1. 2. *disp.* 37. *c.* 3. *n.* 6. etiam quando ratio non omnino absorbetur, nihilominus in appetitu rationali excitari quasdam complacentias, vel displicentias similes illis, quæ sunt in appetitu sensitiuo, ac durandum illæ durant, quas appetitus rationalis per actus deliberatos amplectitur, vel reprobat repugnando: quod hic indicasse sit satis.

7 Cæterum dum voluntas cedit malis, nec amplectitur bona, circa quæ versatur appetitus sensitiuus, potest homo cum Apostolo ad Rom. 7. dicere *Non enim quod volo bonum*, idest perfectam quietem, & subiectionem appetitus inferioris, *hoc ago: sed quod nolo malum, illud facio.*

Corpora Cælestia mouẽt aliquo modo voluntatẽ.

8 Dico quarto corpora Cælestia mediate, ac remote mouere voluntatem: probatur, quia certum est corpora Cælestia directè per se, vel per suas qualitates agere in corpora inferiora, etiam hominum: vnde immutare possunt sensus humanos non solum externos, sed etiam internos, eaque mutatione facere, vt multa obiecta proponantur appetitui sensitiuo vt conuenientia & bona: multa vt molesta, & disconuenientia: ex quo apertè sequitur, quod corpora cælestia ex parte obiecti possunt mouere appetitum sensitiuum: & quia voluntas iuxta supradicta mouetur ab appetitu sensitiuo, potest etiam dici quod indirectè, & mediatè possit moueri à corporibus cælestibus, eo modo, quo mouetur ab obiecto exteriore. Verum stante ea motione relinquitur voluntati suus motus liber, neque vllam ex astris fatalitatem, aut necessitatem patitur. Astrologi possunt quidem sua arte cognoscere hominis complexionem, & inclinationem, quas ab astris recipiunt: & quia homines regulariter iuxta naturales inclinationes operantur aliquid inde veluti in genere de futuris hominum euentibus conijcere: at determinatum quid ne probabiliter quidem edicere, valent, & si non nunquam casu diuinent.

DISPVTATIO VII.

De libertate tum in actu primo, tum in actu secundo.

VOluntas humana est potentia libera in liberos actus inclinans, & erumpens: potentia libera est libertas in actu primo: actus liber est libertas in actu secundo: de vtraque hic agemus. At sermo non est de libertate à miseria, quæ in solis Beatis reperitur, neque de libertate à peccato, iustorum dumtaxat propria, neque de libertate à coactione, qua etiam bruta fruuntur. Loquimur igitur de libertate à necessitate, quã necessariam esse ad meritum, & demeritum, ad præmium, & pænam, ad laudem, vel vituperium, vt indubitatum hic suppono.

SECTIO PRIMO.

Definio libertatem in actu primo.

Potentia libera necessario dicit posse cũ predominio eligere alterutrũ.

1 LIbertatem in actu primo bene, cum Pallauicino definies: *potestas completa ad eligendum cum predominio alterutrum ex oppositis.* Est mens D. Thom. qui vbicumque incidit de libertate sermo, illam frequentissime explicat per dominiũ voluntatis in suos actus: est primus omnium, qui rem intelligunt, libertatis conceptus, experientia ipsa confirmatus: omnes enim qui liberè operantur, intelligunt, & experiuntur, se quodlibet ex oppositis bonis cum aliqua malitia, seu arduitate permixtis, posse pro libito, prout maluerit determinare: hoc autem est prędominium, & cum prędominio operari. Verum qui hoc modo potest eligere, iam intelligitur habere potestatem completam ad quodlibet ex oppositis, alteri non posset pro libito alterutrum eligere, ac deter-

Explicatur quid sit posse cum predominio eligere.

mina-

minare: frustraque id conaretur. Igitur necessario, ac essentialiter potentia libera, seu libertas in actu primo est potentia completa ad eligendum cum prædominio alterutrum ex oppositis: neque aliquod agens excogitari potest, quod aut vere participet dicta prædicata, & non sit liberum: aut liberum sit, & ea prædicata non participet.

Iudicium indifferens essentialiter requiritur ad libertatē in actu primo

2 Ex his infero primo, ad libertatem in actu primo necessario requiri iudicium indifferens, quo voluntati bona opposita ita proponantur, vt appareant immixta aliqua malitia, aut molestia, & arduitate: vt nimirum ita voluntatem per bonitatem ad se alliciant, vt per malitiam a se retrahant: enim verò ea ratione voluntas remanet soluta, vt alterum prosequatur, vel repudiet. Contra verò quod proponitur vt purum bonum non potest a voluntate repudiari: quia cessat omnis ratio cur illud repudiet: ratio enim cur bonum repudiari possit à potentia, quæ ex natura sua facta est ad prosecutionem boni, non est nisi quia illud bonum propter admixtum sibi defectū vel malitiæ, vel imperfectionis, vel limitationis, vel molestiæ, & arduitatis, quæ saltē in eius prosecutione elucet, voluntatem à se repellit: similis est ratio de malo, quod si proponeretur vt purum malum, sine vlla ratione boni, vel honesti, vel vtilis, vel delectabilis, non posset ad se voluntatem allicere.

Explicatur quid sit iudicium indifferens.

3 Debet præterea vt supra indicabam hoc iudicium voluntati proponere, quod in ipsius potestate sit, alterutrum prout voluerit ad libitum eligere: aliter non est prædominio, & cum plenitudine, vt ita dicam, scientiæ omnium circumstantiarum, inter quas præcipua est prædominiū illud, & facultas pro libito alterutram partem eligendi: sed cæco quodam modo, & veluti casu in vnam potius partem, quā in aliā incideret.

Iudicium indifferens formaliter non sufficit ad libertatem.

4 Hoc igitur iudicium, vt facile colligi potest, includitur formaliter in potentia libera, & est pars illius prædominij, quod exprimit: ideoque supra se reflectit: at formaliter non sufficit ad libertatem: quia formaliter non est potentia electiua, ac etiam physicè constitutiua actus, quæ nemine dissentiente, includitur in conceptu potentiæ liberæ. Ita sic quis fo adesse illud iudicium, sed voluntatem carere viribus physicis completis, & expeditis ad vtramlibet; nemo dixerit voluntatem habere dominium in suos actus, ac pro libito posse vtrumlibet eligere. Imo ipsum iudiciū indifferens tūc falsificaretur.

Potentia libera est necessario, quæ positis omnibus requisitis potest oppositum.

5 Infero secundo liberam necessario esse potentiam, quæ positis omnibus requisitis ad operandum possit operari, & possit non operari: neque vero intelligi potest potentia completa cum prædominio eligendi, nisi intelligatur potentia quæ cum omnibus requisitis ad operandum possit non operari: imo dicta potentia est realiter facultas completa cum prædominio eligendi. Hanc igitur, quæ est communior definitio, non reijcimus vt falsam. Sed traditam eligimus, quia melius exprimit primarium libertatis prædicatum, quod est posse cum prædominio eligere. Et sane ideo requiritur facultas expedita ad vtrumlibet, vt possit voluntas tanquam domina, & sui iuris cum dicto prædominio eligere.

Quodcūq; contradicit dictæ potentiæ, & dominio contradicit libertati.

6 Infero tertio omne sive nobis intrinsecum, sive extrinsecum, quod pugnat cum dicta potentia, & prædominio, pugnare cum libertate: & quia omnis necessitas antecedens ad vnum, & impotentia antecedens ad alterum ex oppositis pugnat cum dicta potentia, & prædominio; ideo omnis huiusmodi necessitas, & impotentia antecedens pugnet cum libertate in actu primo.

Libertati contradicit omnis necessitas, & impotētia antecedens.

7 Vt id intelligatur sciendum est, quod necessitas antecedens distinguitur iuxta doctrinam S. Ansel. a necessitate cōsequenti: quia necessitas consequens est quam facit actus, qui ex suppositione, quod est, non potest, non esse, ac proinde necessario est: antecedens facit vt actus sit: prima cum prædominio eligitur a voluntate; sicuti cum prædominio eligitur actus: nec pugnat cum libertate: sed potius est eius effectus, exercitiū, & perfectio. Antecedens non cum prædominio a voluntate eligitur, est enim independens a libertate: sed potius dominium libertatis in suos actus formaliter destruit: dum enim voluntatem ad vnum determinans, facit illam sibi seruire.

Explicatur quid sit necessitas, & impotentia antecedēs, quid consequens.

8 Idem proportionaliter dicas de impotentia antecedente, & consequente: nam consequens est actus, amor v.g. cum prædominio elicitus, qui ex suppositione quod est, non potest non esse; ac impedit existentiam contrarij, nempe odij: & hæc est effectus libertatis, & prædominij, non pugnans cū illis. Antecedens non est effectus voluntatis cum prædominio eligentis, neque verò est electio voluntatis; sed independens à libertate reddit voluntatem impotentē ponere actum: ergo formaliter destruit dominium in actum, quod necessario dicit potentiam ponendi actum: & quo modo potest quis dici alicuius rei dominus, si de illa non possit pro libito disponere? Hæc igitur impotentia antecedens dum voluntatē necessario ab actu remouet, facit vt illa sibi seruiat. Addo hic primo omnem necessitatem ad vnum ex oppositis, v.g. ad amorem, esse impotētiā ad aliud v.g. ad odiū. Secūdo quæ xamus de necessitate, & impotentia antecedentē, & consequenti, intelligi proportionaliter de antecedente, & consequente infallibitate: cum omnis infallibitas sit necessitas ad vnum, & impotentia ad oppositum. Tertio quod necessitas & impotentia antecedens pugnet cum libertate: quia aliqua necessitas, & aliqua impotentia pugnat cum libertate non consequens: ergo antecedens.

Potentia in sensu diviso non iuuat libertatem.

9 Infero quarto, non bene cohærere cum libertate, quod voluntas in sensu composito cum omnibus requisitis ad amorem non possit non amare: possit autem in sensu diuiso ab illis: non iuuat inquam: quia iam in sensu composito cum omnibus requisitis habet antecedentem a se independentem, & inimpedibilem necessitatem ad amorem: & eodem modo a se independentē, ac inimpedibilem antecedentem impotentiam

ad

ad odium: ergo in sensu composito cum requisitis non est libera. In sensu autem diuiso & separata à requisitis est impotens amare, & necessitata non amare necessitate, & impotentia antecedente etc: ergo etiam in sensu diuiso caret libertate, & dicto prædominio. His positis & omissis, quæ multa dicuntur a Theologicis 1. 2. cum de actibus humanis.

Existit libertas definita.

10 Certum est dari definitam libertatem pro ea aperte stant Scripturæ, Concilia, & Patres & passim occurrunt apud Theologos. Et ipsa experientia docet, nos cum dicto prædominio exercere nostras multas operationes, vt stare sedere, tentationibus resistere, & similes: quod adeo verum est, vt contra negantes libertatem non rationibus; sed cruciatibus agendū esse putauerit Scotus in 1. disp. 39. Fundamentum libertatis est intellectus, qui simul proponens appetitui bona opposita, & mixta malis constituit illum indifferentem ad prosecutionem huius potius, quā alterius: cum non possit simul illa consequi, neque necessarii possit ad amplectendam aliquam malitiam. His adde, quod intellectus non semper proponit vnum finem, neq; vnicum medium: quod est fundamentum vt voluntas eligat, quod magis lubet. Igitur non eodem modo comparatur intentio finis ad electionem mediorum, sicuti præmissæ bene dispositæ ad conclusionem: quia ex præmissis bene dispositis necessario sequitur potius hæc, quam illa conclusio: at posita intentione finis, voluntas adhuc ex multis medijs quæ proponuntur perseuerat indifferens, ad eligendum potius hoc quam illud.

Quid sit liberum arbitrium, et quomodo differat a potentia libera.

11 Quæres hic primo, quid sit liberum arbitrium? Respondeo liberum arbitrium vt notat S. Thom. 1. p. q. 82. art. 2. non sumi hic pro actu sed potius pro potentia practice de rebus, quæ occurrunt, arbitrandi: radicaliter igitur, ac veluti substantialiter, est substātia animæ, seu eius intellectus, & voluntas potens dicto modo iudicare, & velle: proxime vero, ac veluti formaliter includit actum intellectus seu iudicium indifferens iam explicatum: quia statute eo iudicio, quo iudicat veluti speculatiue de suis actionibus liberis possibilibus, iam homo constituitur libere practice potens arbitrari hoc est ponere effectus, & actus per illud iudiciū propositos. Hinc ex parte obiecti non inuenio aliquam realem distinctionem inter liberum arbitrium, & potentiam liberam. Solum igitur differre videntur, quod liberum arbitrium magis explicite, & veluti in recto dicat potentiam intellectiuam: cuius est arbitrari: contra vero potentia libera in recto, & veluti magis explicite voluntatem, cuius est eligere cum prædominio.

Quid sit libertas quo ad exercitium, seu contradictionis & contrarietatis, seu quoad speciem.

12 Quæres secundo: quomodo distinguantur libertas contradictionis, & contrarietatis, seu quoad exercitium, & quoad speciem? Respondeo, libertatem quoad exercitium in actu primo esse potestatem exercendi, & non exercendi actum, quæ, quia versatur inter contradictoria, est etiam libertas contradictionis: in actu secundo est actus procedens à potentia potente ipsum exercere, & potente non exercere, & hæc libertas omnino requiritur ad rationem causæ liberæ; si enim ita operor, vt non possim non operari, nulla est libertas, sicuti nulla supponitur potentia proxime, & complete indifferens. Quoad specificationem in actu primo, est potestas exercendi actum, vel eius oppositum, amorem v.g. vel odium, quæ sunt species actus, & quia illi actus sunt contrarij, dicitur libertas contrarietatis: quæ essentialiter inuoluit primam libertatem contradictionis: si enim possum amare, vel odio habere: possum vtique amare, vel non amare; licet prima non inuoluat secundam; nam si possum amare, & non amare, non statim possum odio habere. Libertas quoad specificationem in actu secundo est actus procedes à voluntate proximè potente non solum illum non ponere, sed etiam ponere actum oppositum.

Omnis libertas contradictionis coniūgitur cū aliqua libertate contrarietatis.

13 Iam verò est satis probabile, omnem libertatem contradictionis circa obiectum, quod possit naturaliter amari, & odio haberi, saltem naturaliter necessariò coniungi cum libertate contrarietatis. Probatur. Illud obiectum, vt liberè ametur, debet proponi cum aliqua ratione mali: ergo voluntas per illā propositionem cōstituitur non magis potens amare, & non amare, quàm odio habere: & quia naturaliter Deus debet præbere suum concursum indifferentem, ideo voluntas potens liberè amare obiectum, quod est capax, vt liberè etiam odio habeatur; potest illud liberè odisse: ergo naturaliter est libera vtraque libertate. Antecedens probatur: quia si in obiecto, & eius amore nulla appareat malitia, sed pura ratio boni; non est cur ab eius amore retrahatur. voluntas: ergo necessario amat: ergo non est libera: quare libertas contrarietatis in hoc casu est, vel ad amandum, & odio habendum obiectum si molestia appareat in obiecto, vel ad amandum, & nolle amare, si eluceat malitia non in obiecto secundum se, sed in eius amore.

14 Dixi naturaliter quia non curo, verum Deus miraculose tunc possit suam omnipotentiam tantum applicare ad amorem liberum, & omissionem liberam eiusdem.

SECTIO SECVNDA

De subiecto libertatis.

1 Mvlta hic vocari possunt in controuersiā: primo potentia intellectiua; secundo purè passiua. Tertio bellua. Quarto homo; & quidem quæri potest, verum omnis homo, & in quolibet statu gaudeat libertate. Quinto Angelus. Sexto demum Deus: De Deo, & Angelo agant Theologi igitur.

Intellectus non est formaliter potētia libera

2 Dico primo potentia intellectiua non est formaliter libera: probatur sola potentia appetitiua potest esse formaliter indifferens ad terminos oppositos, quia sola potentia appetitiua potest operari propter finem, ac proinde determina-

minare ex intentione finis indifferentiam effe-ctus. Aliter inquit Quiros, cur defacto intelle-ctus non liberè intelligit. Confirmatur. Intelle-ctus posita veritate obiecti non est indifferens ad assensum, & dissensum, sicuti est voluntas posita bonitate obiecti; ergo voluntas, non intellectus, est potentia indifferens: consequentia, & ante-cedens suadetur. Obiectum voluntatis habet ra-tiones mixtas attrahentes simul, & retrahentes; potest enim proponi, vt aliqualiter bonum, & vt aliqualiter malum: at obiectum intellectus non potest proponi, vt verum simul, & falsum. Rursus vnum bonum potest proponi vt opposi-tum alteri, at vnum verum non potest proponi vt oppositum alteri: cum idem non possit simul esse, & non esse: ergo obiectum voluntatis nem-pè bonum, necessariò supponit in potentia vo-litiua indifferentiam, quod non verificatur de obiecto intellectus.

3 Confirmatur demum. Illa potentia est formaliter libera, quæ potest pro suo libito, & prout sibi placuerit ex oppositis eligere potius vnum, quàm aliud: qui omnes sunt actus poten-tiæ appetitiuæ.

Obiectum intellectus non potest per se proponi cum aliqua indifferẽtia.

4 Dices possunt intellectui proponi duo obi-ecta opposita, & ambo apparere probabilia; ita vt intellectus non cogatur alterũ, ex ipsa apparẽ-tia veritatis, determinatè amplecti: ergo obie-ctum suum potest intellectui proponi cum ali-qua indifferentia: ergo debet in intellectu sup-poni indifferentia, & dominium simile illi, quod supponitur in voluntate: vel ratio facta non ha-bet vim. Distinguo primum consequens, potest proponi cum indifferentia per se, & orta ex ip-so obiecto; nego: per accidens orta ex indispo-sitione potentiæ; transeat prima, & nego secun-dam consequentiam: quia obiectum intellectus non vere habet duas rationes, quarum altera trahat ad se intellectum, altera illum repellat: quare non debet in intellectu supponere indiffe-rentiam, & prædominium: per accidens autem est, quod veritas non euidenter appareat: in quo casu indifferentia auferenda est vel per obiectũ, vel per imperium voluntatis. Oppositum accidit in voluntate cuius obiectum etiam primarium ita ad sui prosecutionem voluntatem trahit, vt simul illã repellat: nã etiã ipsa vera felicitas vt-pote cum arduitate consequenda, potest a se vo-luntatem repellere.

Potentia passiua nõ est formaliter libera

5 Dico secundo, Potentiam passiuam for-maliter vt passiuam: non posse esse liberam. Est communis contra Arrigam. Probatur: quia potentia passiua non habet vim se mouendi, & determinandi ad vnum potiùs quàm aliud: ergo non potest esse formaliter libera: libertas enim in eo consistit; vt possit pro libito potentia po-tius se mouere, & determinare ad vnum, quã ad aliud: antecedens probatur; se mouere est age-re in se; sed potentia pure passiua non potest agere in se: non ergo potest se mouere. maior probatur mouere alia est agere in illa: ergo se mouere est agere in se. Profectò intelligi ne-quit quomodo voluntas se ab intrinseco deter-minet ad vnum, nisi se ad illud moueat; quomo-do item se ad aliquid moueat, nisi efficiendo in se aliquid.

6 Et confirmatur: quia Tridentinum sess. 6. damnat errorem hæreticorum negantium liber-tatem, ad quam requiri docet, vt voluntas non solùm possit resistere Deo excitanti, sed etiam vt agat, & non se mere passiuè, & vt inanime quod-dam instrumentum habeat; ergo signum est, Pa-tres putasse ad libertatem requiri vim actiuam, aliter cur contra negantes libertatem definie-runt concursum actiuum voluntatis. Indifferen-tia igitur subiecti ad hanc, vel illam formam non sufficit ad libertatem; aliter cur materia prima, potens indifferenter recipere plures for-mas sub disiunctione, non est potentia libera? *Confirmatur ex Tridentino.*

7 Confirmatur secundo, operari liberè est operari cum prædominio: ergo supponit poten-tiam actiuam: vis enim dominatiua videtur in-cludere vim actiuam: & nemo dixerit, quod do-minetur qui mere patitur: mere patitur cõfunda-mus vim actiuam cum passiua, passiuæ non possu-mus concedere, nisi vim terminandi vnionem cum forma, & ad summum cum influxu agentis; quæ profectò vis longè distat à virtute determi-natiua influxus, & operationis cũ prædominio.

8 Dices primo cum Arriaga: Concilium dum definit, principium liberum non mere pas-siue se habere, & falsum esse quod nihil agat, loqui de potentia pure passiua. Sed contra, quia Concilium duo definit: primum quod principiũ liberum non mere passiuè se habeat, ex quo a-pertè colligitur, quod aliquid operetur: secun-dum est, quod aliquid agat: agere autem non est passiuè operari: neque præsumendum est, Patres loquentes contra hæreticos vsos ea voce in si-gnificatione impropria, aut ignorasse, quod age-re non est passiuè operari: cum præsertim hære-tici non negauerint illum influxum materialem.

9 Dices secundo Potentia passiua potest resistere formæ introducendæ, & potest non resi-stere. Distinguo cum prædominio, nego: alio mo-do transeat.

10 Dico tertio. Non datur formaliter libertas in appetitu sensitiuo, probatur. Potentia sensitiua non est capax consilij, & cõsultationis: ergo non potest cõparare media inter se, & cum fine; & vi-dere vtilitatem maiorẽ, vel minorem eorundem: hæc enim omnia sunt propria potentiæ intelle-ctiuæ, & potentis abstrahere rationes commu-nes entis, & non entis; & rationem communem boni honesti, & vtilis, finis, qui, & cui, ac com-ponendo, & diuidendo per discursum compara-re inter se bona, ac deducere certas conclusiones: ergo neque vnum præ alio cum prædominio eli-gere. Confirmatur præterea; quia dum voluntas eligit vnum, & liberè omittit aliud, iam vult vnum ex medijs esse, & aliud non esse: ergo de-bet supponere conceptum entis, & non entis: aliter non posset eligere vnius esse, & non esse alterius: qui conceptus sunt vniuersalissimi, ac proinde supponunt in potentia cognoscitiua ca-pacitatẽ cognoscendi omne cognoscibile, quod *Appetitus sensitiuus non est liber.*

lon-

longè distat à potētiā sensitiua, vt probauimus.

Bruta non sint libera. 11 Ex his apertè colligitur Bruta non esse libera: quod inde confirmat Pallauicinus *disp. 4. de actibus humanis q. 1. ar. 2. nu. 10.* quia natura negauit brutis duo instrumenta, quæ præcipuè inseruiunt, & sunt necessaria potentiæ liberæ entis materialis; linguam videlicet formatiuam vocum articulatarum, ad exprimendum non solum res, sed quod mirabilius est conceptus internos animi: qui vtpote liberi, & sub dominio loquentis, debuerunt naturaliter posse liberè tantum manifestari: & manus necessarias ad omnia ferè opera: quæ ideo appellātur ab Aristotele instrumentum instrumentorum; sunt enim mirabiliter habiles ad illam operationum varietatem, quæ non potest nisi à libertate prodire; ergo bruta carent libertate; nisi dicere velimus naturā tribuisse brutis corpus inaptum ad munus ad quod ordinantur præcipuè illius facultates.

12 Non operantur igitur Bruta ex deliberatione, sed tantummodo determinantur vel ab instinctu naturæ, vel à memoria, ad faciendas aliquas operationes, quæ vel naturaliter sunt necessariæ ad finem ipsis à natura præscriptum, vel alias conduxerunt ad talem finem in similibus circumstantijs obeundum.

Est in Brutis imperfectus discursus. 13 Cum hoc autem benè stat, quod detur in brutis quidam discursus imperfectus, virtute cuius cognitio vnius obiecti oritur à cognitione alterius notioris, v.g. ideo canis putat cibū quem videt, fore iucundum: quia meminit aliàs se ex simili cibo percepisse iucunditatem: ante huiusmodi autem experientiam non minus afficiebatur ad obiectum affectum his accidentibus, quàm ad alia. Et hoc reuocari potest tota illa eruditio, quam Equi, aliaque dociles animantes ex magisterio hominum adepti sunt: quia videlicet in his, vel illis circumstantijs post hanc, vel illam actionem expertę sunt secutam sibi esse vel molestiam verberum, vel iucunditatem alimenti.

Confirmatur libertas humana primo ex peccatis & actibus honestis. 14 Dico quarto. Datur in homine libertas, probatur primo: quia euidens dictamen conscientiæ dictat nos obligari ad non peccandum: euidēs item est, nos non obligari ad illud, quod non est in nostra potestate, & electione: ergo euidens est in nostra potestate esse peccare, vel nō peccare. Idem argumentum fit de opere bono honesto, ac præcepto.

Secūdo ex consilio. 15 Secundo, euidens est, nos consulere: euidens item est consultationem esse de re, quæ sita sit in nostra potestate: ergo euidens est multa sita esse in nostra potestate: minor probatur: quia si quis initio interrogetur, verum id, de quo consultamus, sit in nostra potestate, id vtique approbat, vt certum, & euidens; nisi fuerit alio præiudicio deceptus, vel ex aliena authoritate, vel ex ratione non bene discussa ob passionem, vel ex aliquo sophismate: quod euenire potest in alijs primis principijs, etiam illo quodlibet est, vel non est; ex Aristotele 4. m. Multis alijs rationibus potest hæc veritas demōstrari, sed non est diutius immorandum.

Nō in quocūque statu homo est liber. 16 Dico quinto, non in quocumque statu homo liberè potest operari: amētes enim, ebrij, somniantes, & Senes nonnumquam, ac pueri ad certum tempus non habent facultatem expeditam ad liberè operandum, aliter possent mereri, & demereri, & ob patrata crimina puniri etiam capitali pœna. Hi igitur omnes carent cognitione sufficiente ad merendum, & demerendum: & consequenter ad libere operandum.

17 Dices cum Hurtado in manuscriptis de actibus humanis *disp. 4.* Molina *in concordia q. 14. art. 3.* Granado *1. 2. contr. 2. tract. 9. disp. 1. nu. 5.* Pontio apud Quiros *disp. 88. nu. 14.* in pueris, amentibus, & similibus esse libertatē physicam circa aliqua bona, & mala physica; non autem moralem: quia videlicet imperfectio intellectus in his, licet non possit attingere regulam morum, ac proinde non possint liberè cum illa conformari, vel ab ea auerti; potest tamen attingere bona, & mala physica, quæ sunt obiecta magis obuia, & sensibilia, circa quæ possunt discurrere, quamuis non possint circa moralia. Sed primo hinc facile quis colliget, rusticos esse liberos circa obiecta physica, non moralia: cum vix aduertant ad conformitatem cum prima regula. Secundo, vbicumque datur libertas, datur electio ex consultatione mediorum: sed electio ex consultatione est moralis, & fundamentum laudis, si eligatur medium conuenientius; vituperarij, si improportionatum: & prima quidem electio est exercitium prudentiæ; cuius est ordinare media ad finem. Demum cur somniantibus non concedimus libertatem etiam moralem, cum videantur attingere rationem honesti. Cognitio ergo illa discursiua, quæ est in pueris, & amentibus, non est sufficiens ad libertatem, & electionem: quia non relinquit indifferentiam ex parte voluntatis necessariam ad electionem liberam.

Libertas à necessitate definita ab Innocentio X. 18 Aduerto hic quod Innocentius X. in Bulla ab ipso edita super quinque propositiones Iansenij, damnat inter alias hanc propositionem, Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione. Eamdem Bullam confirmauit Alexander VII. anno 1657. 17. kalendas Nouembris. Damnatur etiam ni fallor à Pio IV. & Gregorio XIII. propositio 28. Baij, quod voluntarie fit, liberè fit, quamuis necessario fiat; & sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Quando igitur Patres docent, nos per peccatū originale contrahere peccandi necessitatem loquuntur de necessitate ad peccandum causaliter sumptum, nempe de inclinatione ad peccandū, non autem de necessitate determinationis; aliter nobis imputari non posset peccatum, sicuti neque imputatur inclinatio ad peccatum

SE-

SECTIO TERTIA

Quod sit libertas in actu secundo?

Quid sit libertas in actu secũdo.

1 Libertas in actu secundo, est exercitium libertatis in actu primo, & actus voluntatis, qui intelligitur procedere à voluntate habente omnia requisita ad operandum, vel non operandum hoc, vel illud, cum dicto prædominio: eo enim ipso quod actus talis est, sufficienter intelligitur constitutus in esse liberi: & in mea quidem sententia, identificante actus vitales cum actione, libertas in actu secũdo est ipse actus voluntatis ita ab illa procedẽs, vt potuerit sine vlla prævia mutatione causæ, & actus primi non procedere: in illorum autem sententia, qui distinguunt actionem ab actu, libertas in actu secundo est tum actio productiua, tum actus: quia ex vna parte sola actio productiua amoris v. g. non est formaliter prælatio, qua vnum bonum alteri præfertur, quod conuenit ipsi amori, qui sicut est amor huius, non boni oppositi, ac propositi; ita est saltem inadæquatè prælatio, qua vnum ex oppositis alteri præfertur. Ex alia vero parte solus amor, præcisa actione, non est liber: quia non est libera determinatio, quæ necessario includit actionem, sicuti posse se liberè determinare dicit in voluntate creata principium actiuum: prælatio igitur libera vtrumque dicit, & amorem, & actionem productiuam illius.

2 Non leuis autem quæstio est, verum denominatio liberi in actu secundo sit intrinseca actui, & actioni, siue demum distinguantur realiter, siue non; ita vt non possint haberi hic actus, & hæc actio, quin sint exercitium liberum; vel extrinseca, quia videlicet eadem entitas actus, & actionis possit procedere modo à principio indifferenti, & esse actus liber, modo à necessario, & esse actus necessarius? Hanc secundam partem sequuntur plures Recentiores, cum Ouiedo, & Arriaga, quibus adde Cõptonum; Alphonsum, & alios.

Libertas in actu secundo est adæquate intrinseca actui.

3 Mihi autem placet cõtraria opinio Hurtadi *disp. 15. de anima sect. 6.* Pallauicini *tum. 1. 2. tum in summa, Esparzæ quæst. 14. de actibus humanis,* & Requesenij *disp. 12 nu. 119.* Probatur. Prælatio, qua voluntas cum prædominio, & aliter potens operari, ex duobus bonis incompossibilibus eligit vnum, relicto opposito, est formale exercitium libertatis: sed volitio, quæ denominatur libera est formaliter, & ex suis intrinsecis talis prælatio: ergo talis volitio est ex suis intrinsecis formale exercitiũ libertatis. Maior est certa, quia posita hac prælatione, & quocunque alio præciso implicat volitionem non esse liberam: minor probatur; non minus sunt differentiæ volitionis prælatio, & postpositio, quàm sint differentiæ iudicij affirmatio, & negatio, seu approbatio, & reprobatio: sed in iudicio hæc sunt prædicata adæquatè intrinseca; ergo & illa in voluntate.

Actus liber est essentialiter prælatio.

Actus liber est essentialiter comparatiuus, & pugnax.

4 Confirmatur ex Esparza: actus liber est essentialiter ex suis intrinsecis comparatiuus, dum ex suis intrinsecis vnum bonum eligit præ alio, dum vnam inclinationem perficit, non aliã; est item ex suis intrinsecis pugnax, dum vnum bonum reijcit, aliud prosequitur: quis autem non videat has esse perfectiones actui intrinsecas, & illud constituere sufficienter liberum, ac distinguere ab omni non libero? Confirmatur, præterea, actus opinionis intrinsecè distinguitur ab euidente: ergo liber à necessario: actus enim opinionis subiectus imperio voluntatis comparatur libero; euidens non subiectus comparatur necessario.

5 Dices: Volitio libera bonitatis temperãtiæ non est formale repudium, sed tantùm virtuale bonitatis oppositæ, sicuti affirmatio lucis non est formalis negatio tenebrarum; alioqui omne iudicium esset simul formaliter affirmatio, & negatio; volitio igitur bonitatis temperantiæ tantum attingit bonitatem temperantiæ; & si est libera, dicitur prælatio, quia sequitur ad cognitionem proponentem duas bonitates oppositas: sufficienter enim intelligitur voluntas vnum alteri præferre, dum stãte propositione vtrisque boni, vnum amat, non aliud, quid enim est vnum postponi, quam non amari? & alteri præferri, quam præ illo amari? Contra; præferri vnum alteri non habetur, per ipsam cognitionem indifferentem: ergo est prædicatũ adæquatè intrinsecum volitioni. Antecedẽs probatur, & simul confirmatur consequentia: prælatio est amplecti vnum, & repudiare aliud: sed amplecti vnum est prædicatum adæquatè intrinsecum actui voluntatis: ergo etiam tale erit repudiare alterum: ergo prælatio formaliter non habetur ab actu cognitionis; sed est formaliter, aliquod totaliter intrinsecum actui voluntatis, sicuti illi intrinsecum est vitaliter tendere, vel fugere à suo obiecto, & intrinsecum est actui intellectus approbare, vel reprobare aliquod motiuum.

Non potest decretum, & indifferens iudicium esse pars actus liber.

6 Hinc sic vrgeo: si decretum Dei, & cognitio indifferens est pars constitutiua actus liberi; ergo præcisè, quis ex non liberè volente fiet de nouo liberè volẽs non per aliquod exercitium suæ libertatis nouum, sed quia alius exercet in ipso, vel circa ipsum suam libertatem; si videlicet intelligatur Deus, vel de nouo applicare suam Omnipotentiam per decretum indifferens, vel de nouo causare in illo iudicium indifferens: hoc autem est absurdum: ergo &c: maior patet ex doctrina aduersariorum: si enim, vt ipsi dicunt, homo liberè se exercens dicit intrinsece, & formaliter decretum Dei liberum, indifferenter applicans Omnipotentiam, & iudicium indifferens: ergo si tempore antecedente homo amet, sed non adsit illud decretum Dei, & iudicium indifferens; tempore antecedente, neque exercitium liberum voluntatis habetur, neque homo liberè se exercens: si autem immutatis reliquis formaliter intelligatur tempore sequẽte Deus applicare suam Omnipotentiam per decretum indifferens, vel causare in homine iudicium indifferens, nulla alia facta muta-

mutatione, iam in tempore sequente haberetur de nouo exercitium liberum, & homo fieret de nouo liberè volens; haberetur enim omnia cõstitutiua, tùm liberæ volitionis, tùm liberè volentis, & id quidem per purum nouum exercitium alienæ libertatis.

7 Minor, seu absurditas consequentis probatur: quia de nouo homo intelligeretur liberè se exercere, nihil de nouo agendo, sed merè mortuo modo se habendo: quod & videtur esse contra Tridentinum *sess. 6. can. 4.* & contra conceptum libertatis, tum in actu primo, quæ est formaliter potentia agendi, tùm in actu secundo, quę est formaliter exercitium illius potentię, & consequenter actio. Absurditas eiusdem consequentis augetur: quia inde sequeretur, quod homo ex non merente fieret formaliter de nouo merens, & quod peius est, ex nõ peccante fieret de nouo formaliter peccans, quia alius exerceret libertatem, & Deus applicaret indifferenter suam Omnipotentiam, ac in homine causaret iudicium indifferens; quare non esset, cur peccatum non potius tribueretur Deo, qui liberè ponit alteram eius causam.

8 Hoc argumentum non semel proposui, audiui responsiones, sed, meo iudicio, pura verba: quibus asserebant iudicium indifferens, & decretum Dei item indifferens esse formas denominantes; sed vim argumenti non attingebant. Neque dicas primo vltimam determinationem esse ab homine; quia licèt id verũ sit in alijs casibus, at non in nostro: quia homo tempore sequente nihil operatur. Quod si iterũ dicas esse in hoc casu homini liberam, non ipsam actus substantiam, sed perseuerantiam in illo, quam homo liberè ponit; quia potens, ab illo actu, de facto non cessat. Respondeo, hanc esse aliquam responsionem, quam potuissent aduersarij dare; sed de facto non dedere. Vrgeo nihilominus illam: quia adhuc verificatur, quod operatio est libera, per id quod non est in hominis libertate, & dominio, sed in libertate, & dominio alterius; & homo liberè operans à se ipso non liberè operante differret per hoc, quod patitur ab alio; non per hoc, quod ipse agit: idem argumentum vrget, si mutes phrases, & dicas, agere liberè, esse agere cum prædominio, cum indifferentia antecedente: vrget inquam, quia ex principijs aduersariorum sequitur, quod, agere cum prædominio, & indifferẽtia antecedente, non differat ab agere cum determinatione antecedente; nisi per hoc, quod alius exerceat libertatem; & homo agens cum prædominio non differat ab homine agente sine prędominio nisi per id, quod homo ab alio patitur: cum tamen proprium agentis liberi formaliter, qua liberi, sit agere; & non veluti inanime quoddã instrumentum se habere iuxta doctrinam Tridentini *sess. 6. can. 4.* His adde nos experiri nostrum actum liberũ, nec experiri decretum Dei, & per operationem liberã honestã magis intrinsecè perficimur, quam per non liberam; ideoque reddimur per primam, non per secundam laude digni. Hæc duo hic indicasse sit satis.

9 Confirmatur præterea conclusio: diuersus est modus tendendi in obiectum, qui competit appetitioni liberæ, ac necessariæ: non minus, ac diuersus est modus tẽdendi appetitionis efficacis, & inefficacis, dũ enim liberè operamur, experimur dominium actus, secus vero, cum necessario; ergo non minus intrinsecè differunt in suo modo tendendi actus liber, & necessarius, ac efficax, & inefficax. Hic autem modus tendendi intrinsecus in eo consistit, quod actus liber est essentialiter prælatio orta à principio potente vtrumlibet, & idem valet, ac volo, A, & nolo, B, quod possum velle: actus verò necessarius caret hoc prædicato prælationis. Vnde si obijciat aduersarius, iudicium indifferens non facit, vt voluntas feratur in aliud bonum, quam ferretur sine illo iudicio: distinguo assumptum: non facit, vt voluntas feratur in aliud bonum, per modum prosecutionis; concedo: per modum repudij saltem virtualis; nego.

10 Dices idem est intrinsece calor siue supponat, siue non supponat frigus expellendum; ergo idem est actus amoris, siue sit, siue non sit repudium actus oppositi. Nego consequentiam: disparitas est, quia calor non est seipso expulsio frigoris, quæ formaliter consistit in suspensione concursus, vel circa frigus, vel circa vnionem; at amor liber se ipso est amplexus vnius boni, & repudium alterius oppositi: vt supra probauimus.

11 Dices secundo: hæc diuersitas potest refundi in solam actionem, & non in ipsum actum. Respondeo si actus distinguitur ab actione; sicuti actio non est amor, sed productio amoris, ita non est se sola amplexus vnius boni, & repudium alterius. Rursus nec solus amor est talis prælatio: quia dicit actiuum amplexum vnius boni cum repudio alterius: quare sicuti principium liberum est essentialiter actiuum, ita eius exercitium includit essentialiter actionem: ergo vtrumque tum amor, tum eius productio est prælatio à nobis explicata.

12 Eamdem conclusionem probat Pallauicinus 1. 2. quia cum liberè amamus, volumus honestatem liberi amoris: ergo in ipso actu amoris libero est aliquod prædicatum intrinsecum, quo constituitur intrinsecè liber, tendentia videlicet reflexa in bonitatem amoris liberi, & obiecti libere ponendi: & si non ab intrinseco actus liber esset volitio illius bonitatis; posset esse liber, & non velle bonitatem libertatis; ideoque bonitas libertatis esset præter intentionem amantis, & volentis; nec proinde libera, & voluntaria. Quod ipsum idem author l. 1. suarum assertionum n. 132, probat; quia cognitio indifferens proponit etiam bonitatem amoris liberi, & honesti, vt amplectendam, & non proponit se ipsam, vt amplectendam: certe debet habere ea cognitio obiectum à se contradistinctum; aliter non posset explicari: quid ergo cognoscit, quando proponit opus honestum, & libe- *Actus liber amat suam libertatem*

liberum nisi ipsam libertatem, & honestatem actus sequentis? proponit inquam, nō quocumq; modo, sed vt bonum prosequendum: igitur actus est amor suæ libertatis, est suæ honestatis prosecutio: ergo est ab intrinseco honestus, & liber; ac ab intrinseco distinctus ab actu non libero, nec honesto: & si amat suam libertatem, ab intrinseco amat se procedere à principio indifferenti: quæ non conueniunt actui necessario.

13 Dices. Per iudicium antecedens proponi voluntati honestatem purè obiectiuam; at non honestatem, & libertatem formalem actus. Sed contrà; quia non potest proponi honestas, & libertas obiectiua, quin simul proponatur honestas, & libertas formalis: nam honestas obiectiua est obiectum, vt honeste, & consequēter liberè amabile; seu amabile iuxta regulas rationis: si enim præscindamus ab amabilitate; conformitas cum regulis rationis; conformitas cum natura rationali non est apta mouere ad amorem sui: si enim illa conformitas per errorem proponatur, vt mala, non inclinat ad amorem, sed ad odium, vt supra probauimus; sed honestas, vt liberè honeste amabilis includit ipsum liberum, & honestum amorem possibilem: ergo &c.

14 Confirmatur, & explicatur: qui libere honeste amat Deum, ponit liberam electionē: peto ergo, quid eligit, non Deum secundum suam substantiam: illud enim libere eligimus, quod est in nostra potestate: Deus autem secundum suam substantiam non est in nostra potestate: ergo tunc libere eligit ipsum amorem Dei: quod autem diximus de amore Dei, intelligitur de quolibet actu, & libera voluntatis electione: quia si eligimus, quod est nobis denominatiue liberum, qualia sunt obiecta distincta ab actibus, à fortiori, eligimus, ipsos actus liberos internos, qui sunt nobis formaliter liberi. Quod optimè supra confirmabat Eminentissimus Pallauicinus, quia libertas, & honestas formalis nō debet esse præter intentionem amantis, & volentis; aliter, neque libera, neque voluntaria esset: ergo debet esse, & præcognita, & intenta.

15 Huc spectat, quod notat Perez electionem habere sibi intrinsecam quamdam arduitatem, qua renititur contra nisum motiui contrarij, quod non euenit in actu necessario: eamque arduitatem quisque in se experitur, dum liberè operatur; nam luctatur, & vincit, ac magnam in exercitio experitur difficultatem, quam nihilominus superat, dum magno nisu vnum præfert alteri, amplectitur vnum motiuum contra vim alterius: quæ contrarietas in actu secundo quid diuersum: est ab amore primi motiui; sicuti enim posse amare vnum motiuum, dum non apparet oppositum, est quid diuersum, ac posse amare vnum motiuum, & posse simul repudiare aliud oppositum, quod iam apparet; ita ex parte actus secundi, quid diuersum est amare vnum motiuum; ac amare vnum motiuum, & repudiare aliud, seu actu opponi illi: Ratio vlterior est: quia opponi alteri motiuo, non est purè prosequi motiuum oppositum, aliter etiam si non appareret hoc alterum motiuum adhuc voluntas in actu secundo opponeretur illi, amplectendo oppositum: hoc autem diuersum ex parte actus secundi respondens illi diuerso ex parte actus primi, non est, nisi modus specialis tendendi in actu: neque verò illa est oppositio quædam mortua, sed viua, & intentionalis; quæ non videtur in alio sita, nisi in modo tendendi, & fuga quædam affectiua, vtque intrinseca actui, ratione, cuius hic actus liber differt à non libero; eo modo quo actus irascibilis, cuius obiectū habet admixtam arduitatem retrahentem, differt ab actu concupiscibilis, cuius obiectum non habet eam arduitatem mixtam. Et hinc est, quod eligentes, ac deliberantes comparamus extrema, quo videlicet vnum amplectamur, aliud positiuè fugiamus; vnde experimur conatum. Hac virtute comparandi carentes res irrationales, carent etiam libertate. Ex dictis patet, eum qui bona fide incepit comedere: accedente prohibitionis cognitione, debere mutare actum internum, & vel cessare à voluntate comedendi, vel resumere nouam, qua vincat nouam inclinationem in oppositum accedentem ex cognitione prohibitionis.

16 Aliam huius rei rationem meditatus sū, desumptam ex eo principio, quod causæ formaliter diuersæ debent producere effectus intrinsecè diuersos; & quod causa libera, & necessaria sunt formaliter diuersæ in ratione causæ, & virtutis causatiuæ. Hanc rationem fusius promouebat 1.2. Nunc solum addo, quod respectu amoris liberi ex parte actus primi, non solum præcedit vis amatiua, sed etiam vis omissiua amoris, & potens odisse; hæc enim omnia formaliter includit vis liberè amatiua: ex quo manifeste sequitur respectu actus amoris liberi potentiam ad odium, & propositionem bonitatis vel malitiæ oppositæ non esse puras formas denominantes: cum se teneant ex parte actus primi obiecti, & habeant respectu amoris prioritatem naturæ: quod nunc indicasse sit satis. Legatur Aldrete 1. p. *disput. 4. de prædestin. sect. 16. n.* 5. & Quiros *disp.* 101. à S. 16.

17 Hinc patet primo, non accidere huic actui amoris, qui est liber, procedere à cognitione bonitatis oppositæ inclinante ad omissionem amoris: neque verum est, quod assumunt, cognitionem illam non esse principium huius actus: qui cum essentialiter sit comparatiuus necessario dependet à principijs actus oppositi: patet secundo discrimen inter actus liberos, & non liberos esse, quod liberi sunt decretorij, quod non conuenit non liberis. *Actus liber necessario supponit principia actus oppositi.*

18 Obicies primo: idem est actus amoris, siue Deus se applicet ad concurrendum per decretum indifferens, siue per determinatum: sed in primo casu est liber; in secundo, non liber: ergo idem est actus amoris liber, ac necessarius. Nego maiorem; cuius falsitas patet ex *Nō est idē actus amoris, si decretū Dei sit indifferēs ac si sit determinatum.*

ex dictis. Quamuis autem decretum Dei non sit causa proxima actus liberi, sed tantum applicatiua causæ proximæ; tamen immutat modum operandi causarum proximarum: ideoque diuersus modus tendendi est in actu procedente à principio indifferente, ac in actu procedente à principio determinato. Confirmatur: si detur voluntas ex suis intrinsecis determinata ad actum amoris, & alia indifferens: procul dubio actus ab illis procedentes intrinsecè differunt in ratione liberi, & necessarij: ergo etiam intrinsecè differunt actus procedentes à voluntate extrinsece determinata, & procedentes ab eadem extrinsecè indifferente.

19 Quod si Deus primo applicaret suam Omnipotentiam per decretum determinatum, & deinde per indifferens ad actum amoris; vel in secundo casu perseueraret primum decretum, & sic deberet perseuerare actus amoris necessarius; & posset simul poni alter liber, de quo non curo: vel non perseueraret, & tunc destructo priori actu dicente essentialem ordinem ad illud decretum, posset poni liber dependens essentialiter à secundo decreto.

20 Instabis: idem erit actus meæ voluntatis siue Deus applicet suam Omnipotentiam ob hoc, siue ob illud motiuum: ergo mutatio decretorum non necessario mutat actum. Permisso antecedente, quod est mihi falsum; distinguo consequens; mutatio decretorum, quæ non variat proprium modum operandi causæ secundæ, non mutat actum; transeat: quæ illum modum mutat; nego: in casu autem nostro mutatio decreti, mutat modum operandi voluntatis, facitque vt actus modo sit pugnax, & decretorius, modo minime.

Actus liber non potest conseruari non libere concurrente voluntate.

21 Objicies secundo, eliciat quis liberè aliquam volitionem, & liberè ab illa cesset, ex nostra sententia sequitur, quod Deus non posset conseruare illam actionem, quod videtur absurdum. Nego id esse absurdum sicuti sine absurdo omnes fatentur: quod si voluntas nolit ponere actionem liberam: Deus non possit ponere actionem illam liberam.

Quid de actu libero Dei.

22 Objicies tertio, libertas in actu secundo non est prædicatum adæquatè intrinsecum actui diuino; ergo neq; creato. Negat Pallauicinus consequentiam, inde desumens disparitatem: quia Deus est ex se fœlix, neque indiget libertate actuali, vt sit felix; sed ad coniungendā cum obiecto extrinseco suam fœlicitatem; & ideo libertas in actu secundo, non est in illo prædicatum adæquatè intrinsecum: contrarium euenit in creaturis. Non nulli negant antecedens: Multi assignant disparitatē ex immutabilitate Dei. Quidquid autem sit certū mihi est, libertatem Dei actualem secundum illud quod addit prædicatis necessarijs Dei, esse aliquam determinationem actibus intrinsecis supponentem Deum vt principium indifferens ad positionem sui, & oppositi.

23 Objicies quarto, pura omissio libera est tantum ab extrinseco libera: ergo, & actus positiuus. Resp. argumentis supra allatis in loco me probaturum repugnantiā puræ omissionis. Nolo igitur assignare disparitatem.

24 Objicies quinto, veritas est denominatio partialiter extrinseca actui vero, & falsitas falso; ergo libertas libero. Antecedens est mihi falsum; sed eo permisso, negari posset consequentia, quia rationes allatæ, quæ militant in actu libero, non militant in vero, vel falso, qui non sunt actus decretorij, neque pugnaces &c. Duo hic obiter addo, primum iuxta supra dicta potentiam ad odium non materialiter se habere ad actum amoris liberū qui dicit amo hoc, quod mihi proponitur, vt aliquo modo malum, & odibile; & volo potius amplecti eius bonum, quam repudiare malum. Secundum est actū amoris liberum nō posse efficaciter imperari, & imperium efficax pugnet cum libertate. Cuius rei ratio vlterior est: quia actus efficaciter imperatus non est repugnantiam inclinationis ad oppositum, nec illam vincit: cum supponat illam superatam, per imperium efficax: & quamuis potentia ad odium non sit principium actus amoris liberi, (quod tamen negat Hurtadus) est nihilominus necessaria ad illud tamquam materia, circa quam se exercet, & quam vincit: vnde patet cur calor non supponat necessario potentiam frigefactiuam.

Cur potētia non est ab intrinseco adæquate libera.

25 Objicies sexto, eadem potentia modo est libera, modo necessaria, & potest de libera transire in necessariam: ergo etiā actus. Nego consequentiam: quia potentia instituta est tum in ordine ad actus liberos, tum in ordine ad actus necessarios: neque enim, vt vidimus, omnis actus voluntatis est liber, ideoq; nō debet esse actualis prælatio, vt euenit in actu

26 Objicies septimo, in nostra sententia aliquis actus peccaminosus est supernaturalis, nam aliquis essentialiter supponit, & connectitur cum auxilio supernaturali, quo præciso non esset potentia libera. Nego sequelam: ad rationem in contrarium datā, quod assumit aduersarius; nego ob id talem actum futurum supernaturalem: quia non connectitur cum illo principio supernaturali, tamquam cum principio per se sui, sed tamquam cum materia, quam contemnit, dum exercet circa illud suam victoriam, ac postponit alijs: ideoque per illum actum natura non eleuatur supra se, sed potius deprimitur, sicuti quamuis contemptus Dei connectatur cum esse Diuino, non ideo est opus supernaturale.

Libertas in actu secundo non est modus superadditus actui neq; in ētitas actus posito connotato.

27 Hinc reijcio illos, qui docent libertatem consistere in modo superaddito entitati actus, vel in aliqua relatione reali, aut rationis, iam enim supra probauimus ipsum actum liberum se solo formaliter esse prælationem decretoriam: omnis ergo alius modus, & relatio superfluè ponitur.

28 Contra pastores admittentes libertatem ade-

adequatè intrinsecam actui. sed asserentes eũdem actum esse liberum quando adest potentia indifferenter completa;necessarium,si illa potentia abest; non semel impugnauimus argumentis communibus.

29 Cæterum contra negatiue procedentes, quales sunt aduersarij, bene vrget argumentum, quod nulla sit necessitas, vt actus constituatur liber per potentiam liberã; sicuti ipsi vrgent nullam esse necessitatem, vt actus liber dicat illum ordinem: cum præsertim ipsi nullum afferant argumentum positiuum, quo probent in potentia libera facultatem cõstituendi actum liberum; at pro nostro ordine intrinseco multa, & satis efficacia iam attulemus. Secundò potentia libera formaliter est potentia actiua; potentia autem actiua non est instituta ad constituendum, sed ad efficiendum effectum; vt patet certa inductione: ergo potentia libera formaliter,qua talis,est ad efficiẽdum actum liberum, non ad denominandum.

30 Ad plenam notitiam libertatis spectat inquirere duo illa, primum verum ex duobus bonis inæqualibus, vel inæqualiter propositis possit voluntas eligere minus bonum relicto maiore, aut minus efficaciter propositum relicto eo, quod magis efficaciter proponitur. Secundũ verum voluntas possit liberè purè omittere nullum exercendo actum; quibus addi possent quæstiones de imperio, tum intellectus, tum voluntatis: verum quia has quæstiones fusius tractant Theologi 1. 2. cum de actibus humanis libenter ab illis abstineo.

DISPVTATIO VIII.

De concursu obiecti ad actus vitales.

ACtum vitalem dependere aliquo modo ab obiecto, est omnium ferè sensus, cum S. Augustino docente, obiectum, & potentiam parere notitiam. Cum autem obiectum saltem non semper possit per se immediate, vt pote vel absens,vel improportionatum, concurrere ad actum vitalem; inquirimus, quid tunc suppleat defectum obiecti. Et quidem de actibus potentiæ appetitiuæ omnes fatentur obiectum concurrere ad illos media cognitione: de quo puncto nos supra satis diximus. Solum igitur quærimus de actibus potentiæ apprehẽsiuæ. Communiter affirmant, hos actus causari ab obiecto medijs speciebus, quæ, si præsertim obiectum sit absens, substituuntur loco illius. De his igitur speciebus multa disputabimus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & verum sit species impressa?

Definitur species impressa.

1 SPecies impressa, *est qualitas permanens intrinsece recepta in potentia cognoscitiua, & ordinata ad intrinsecè complendam potentiam in ordine ad repræsentandum hoc, vel illud obiectum hoc vel illo modo.* Dicitur primo qualitas; cum enim non sit substantia, quia neque intenditur propter se, & ordinatur ad perfectionem substantiæ cognoscitiuæ, erit profectò accidens: neque ad aliud genus spectare posse videtur, quam ad genus qualitatis. Dicitur secundo permanens: species enim diu durat, vt patet tum in sensu interno, tum in intellectu. Dicitur tertiò, recepta in potentia cognoscitiua; non quia non possit recipi in alio subiecto: nam recipitur etiam in aëre, & alijs medijs; sed quia præcipue ordinatur ad perficiendum in suo genere potentiam cognoscitiuam. Finem, & munus explicant sequentes particulæ,ad repræsentandum hoc, vel illud obiectum, hoc vel illo modo. Hinc dicitur esse vicaria obiecti, supplere defectum obiecti, se tenere ex parte obiecti; quia cum has determinationes ad illa prædicata cognitionis, non habeat ex se potentia cognoscitiua, expectat ab obiecto media specie. Et sane aliqua causa creata debet dari exigẽs in cognitione hæc prædicata; non enim casu ponuntur, aut ex mero Dei beneplacito. His positis:

Omnis potẽtia cognoscitiua exigit speciem impressam ad cognoscẽda obiecta sibi non intrinseca.

2 Dico primo,omnes potentias cognoscitiuas creatas tum spirituales, tum materiales indigere specie distincta, & sibi intrinseca ad cognoscenda obiecta sibi non intrinsecè indẽtificata, aut vnita. Probatur: omnes potentiæ cognoscitiuæ actuales; de his enim loquor; nõ exigunt ex suis intrinsecis repræsentare hoc potius obiectum, quam illud, hoc quam illo modo: ergo indigent complemento determinante ad hanc potius repræsentationem, quam illam. Sed huiusmodi complementum non potest esse extrinsecum potentiæ cognoscitiuæ: ergo si obiectum est extrinsecum potentiæ, non potest tale obiectum esse complemẽtum illud: ergo necessario recurrendum est ad speciem, quæ intrinsece compleat potentiam, & det potentiæ intrinsecam exigentiam huius potius actus, quam illius. Minor subsumpta probatur.

3 Actus vitalis, vt connaturaliter producatur, debet esse ab intrinseco secundum omnia prædicata: quæ dicit: sicut enim de essentia actus vitalis est, vt sit ab intrinseco; ita de ratione actus vitalis cõnaturaliter producti,iuxta naturam actus vitalis,est,vt sit adæquate ab intrinseco secundum omnia sua prædicata, ergo omnia quæ ex parte creaturæ determinãt prædicata actus vitalis debent esse intrinseca creaturæ; aliter secundum illa prædicata actus non esset ab intrinseco. Antecedens confirmatur vlterius, quia ideo Theologi communiter admittunt habitus supernaturales intrinsecos potentiæ, vt saluent actus supernaturales etiam vt supernaturales, & vt versantes circa talia obiecta, esse ab intrinseco, & connaturaliter produci.

4 Dico secundo: quæ identificatur cum cogno-

Obiecta intrinseca potentiæ non probatur quod cognoscãtur medijs speciebus.

cognoscente, vt cognoscatur, dum aliud non obstat, non indigent specie distincta: quia si supponantur ab illo cognoscibilia, & nullum aliud obstat; non est, cur non possint immediate determinare ad sui cognitionem; & cur Angelus indigeat specie distincta, vt cognoscat se & sua prædicata essentialia. Hic discursus non est absolute probandus, nisi velimus negatiuè procedere: quare absolute non probo hoc dictum, donec positiue probetur necessitas, quod obiecta identificata potentiæ habeãt virtutem immediate illam mouendi.

5 Dico tertio: accidentia intrinsecè vnita cognoscenti, si sint ab illo immediatè cognoscibilia, & illud perficiant in suo genere, tamquam ipsius propria, & speciali titulo ordinata ad ipsius perfectionem, non est, cur cognoscantur per speciem distinctam: iam enim actus vitalis procedens immediate ab illis accidentibus esset adæquate ab intrinseco: ergo non est cur hæc accidentia non possint immediate determinare illam potentiam ad sui cognitionem. Dixi immediate cognoscibilia; quia si non sint cognoscibilia, non poterunt mouere ad cognitionem: si autem non sint immediate cognoscibilia, sed tantum abstractiue, tunc debent cognosci per species alienas; & consequenter non per se ipsa immediate possunt mouere.

6 Quod si accidentia, quamuis intrinsecè vnita cognoscenti, non sunt tamen illi debita speciali titulo, sed sunt debita etiam alijs entibus non cognoscitiuis; indiget potentia in ordine ad illorum cognitionem specie distincta; quia potentia non potest compleri per illa accidentia, quæ, cum non sint debita potentiæ cognoscitiuæ, qua talis est, non possunt illam intrinsece complere in ordine ad cognoscendum; neque ordinantur ex natura sua ad hoc munus.

Etiam potentia appetitiua intrinsece completur.

7 Duo hic addo: primum, etiam potentiã appetitiuam intrinsecè suo modo compleri ex parte obiecti per illius cognitionem, quæ & intrinseca est appetitiuo; & iuxta superadicta causat affectum. Secundum, argumenta allata probantia necessitatem speciei impressæ vrgere tantum in ordine ad potentiam ordinariam; quare quantum est ex vi illorum, non est, cur Deus non possit supplere defectum speciei, & concursum obiecti, si velit, vti sua potentia absoluta.

Deus potest supplere munus speciei.

Dãtur species intelligibiles actiuæ.

8 Ex dictis infero primo dari species intellectuales, quibus intellectus completur ad intelligendum: quod non solũ intelligo de speciebus rememoratiuis ordinatis ad cognitionem rememoratiuam; sed etiam de speciebus, vt ita dicam, directis ordinatis ad cognitiones directas; loquor autem de intellectu humano. Probatur: quia intellectus humanus debet intrinsecè compleri ad has cognitiones, vt probauimus: non nisi per species spirituales immediate receptas in substantia animæ: tum quia species materiales, & phantasmata, vtpote recepta in organo corporeo, non videntur sufficientia ad id præstandum: tum quia anima seperata a corpore naturaliter retinet species, quas acquisiuit vnita corpori; & non retinet species, & phantasmata materialia.

9 Dices: species non requiritur, vt actiue concurrat ad actum, sed vt pura conditio determinans: non videtur autem absurdum, quod conditio aliqua materialis possit determinare potentiam intellectiuam ad productionem actus spiritualis: ergo non videtur absurdum, quod intellectus humanus determinetur per phantasmata materialia ad productionem cognitionis spiritualis. Nego cum sententia cõmuni contra Durandum maiorem: illud enim quod ad productionem alicuius effectus ita requiritur, vt non sit pura applicatio actiui ad passiuum; ac præterea necessario supponatur ab aliquo prædicato speciali effectus, non est pura conditio, sed virtus causatiua: species autẽ est huiusmodi: ergo est virtus causatiua, & non pura conditio, vt volebat Durandus: Videtur præterea absurdum, quod ens materiale possit actiuè attingere rem spiritualem: sicuti absurdum est, quod res spiritualis pendeat tamquam à subiecto ab aliquo corpore.

10 Confirmatur: quia non est concedenda corporibus vis agendi in spiritua, sicuti in alia corpora. Ratio est: quia spiritus sunt in ordine superiori ad omnia corpora: ergo non possunt ab illis pati. Et sicuti corpora quoad locum habent determinatam sphæram actiuitatis, extra quam non possunt extendere suam actionem; ita & determinatum subiectum, in quod possunt agere: hæc autem determinatio non potest congruentius assignari; nisi dicendo, quod valeant tantum agere in subiecta materialia; non autem in spiritualia: sicuti potentiæ materiales limitantur ad obiecta materialia. Et si hæc inferiora non possunt iuxta veram sententiam agere in corpora superiora; non est, cur materialia possint agere in spiritualia. Quæ autem diximus de limatione subiecti, extendi proportionaliter possunt ad limitationem effectuum.

11 Vrgebis: potest res materialis vniri cũ forma spirituali: ergo & agere in subiectũ spirituale, & producere effectus spirituales. Nego cõsequentiam; quia dum materia vnitur animæ, vnitur vt illi famuletur, in ordine ad aliquas operationes, tum materiales, tum spirituales, & ad suam illius felicitatem per exercitium virtutum acquirendam; quare per eam vnionem, quamuis ostendatur imperfectio animæ, quæ ad operandum indiget corpore; tamen absolute corpus subijcitur animæ, respectu cuius ipsum merè passiue se habet; quod potius arguit perfectionem in anima, quæ quoad suum bonũ potest sibi subijciere corpus. Non ita autem se res habet, quando corpus ageret in animam. Quomodò autem operationes spirituales dependeant a phantasmate est alterius considerationis.

12 In-

12 Infero secundo; omnes sensus tum internos, tum externos indigere specie intrinsece recepta in organo proprio; aliter non esset ille sensus intrinsece adæquate potens, quantum est ex se, respectu suorum actuum vitalium: quod verum est etiam de sensu tactus: nam dato, quod qualitates, quæ per ipsũ percipiuntur, resideant in eodem organo, non tamen sunt accidentia speciali titulo debita illi organo, iuxta ea quæ dicebam dicto tertio. Neque illis concedenda est vis intentionaliter operandi, cum sufficienter illarum qualitatum virtus videatur expleta, si possint qualitates similes causare. Verum hæc vltima confirmatio non est magni roboris: nam iam possunt intentionaliter operari, dum possunt causare species.

Qualitates sensibiles attinguntur à sensu medijs speciebus.

13 Cæterum vt aliquod in particulari dicamus de singulis potentijs. Confirmatur primo conclusio de potentia visiua, qua videmus colorem, & lucem distantes, etiam si medium non sit illuminatum, & coloratum: ergo ne dicamus illa obiecta agere in distans, debemus dicere, quod diffundant qualitatem, & speciem per medium. Et quidem, si corpus opacum nõ impedit actionem diffusiuam specierum, cur interpositum impedit visionem, aut eius carentia est conditio, vt ponatur actio visiua?

Potentia visiua videt medijs speciebus distinctis.

14 Radij, quos admittit Lyncens l. 6. *met: trac.* 1. c. 2. qui exeuntes ab oculis, & in illos à speculo regredientes causant visionem, gratis finguntur, & supra in simili impugnati sunt. Rursus, cur ante egressionem non causant visionem, dum existunt in oculo? vel quid secũ referunt è speculo, vnde valeant causare visionem? Ficta autem est etiam imago homogenea, quæ videatur in speculo habens eosdem colores, & proportionem cum obiecto viso: cur enim hi colores, & imago non diu perseuerant post recessum causæ? cur item non causantur ab alijs corporibus? Deinde quod apparet in speculo, est maius speculo; quod autẽ recipitur in speculo siue species, siue imago non potest esse maius speculo.

Reijciuntur radij redeuntes, & imago recepta in speculo.

15 Confirmatur; quia præcisis speciebus non potest explicari quomodo medijs conspicilijs idem obiectum modo appareat magnum modo paruum; modo vnum, modo multiplicatum: hæc autem omnia bene explicantur dicendo eam varietatem prouenire à speciebus diuerso modo transeuntibus per conspicilia. Vbi aduerto, ad hoc vt appareat obiectum multiplicatum, non sufficere, si species diuidantur; dummodo eadem linea recta repræsentent obiectum; ideoque obiectum apparet vnum, quamuis videatur duplici visione à duplici oculo dependenter à duplici specie: similiter si partes speculi fracti, vel plura specula iuxta posita non faciant angulum, obiectũ apparet vnum; si autem faciant angulum, duplicatum: quia in primo casu species non inflectunt iter, sicuti in secundo. Aduerte præterea, quod obiectum quò magis distat, eò apparet minus; quia species sunt imperfectiores: & quia fortasse, vt volunt perspectiui, angulum conficiunt in pupilla angustiorem; vtraque tamen causa est fortasse insufficiens.

Positis speciebus bene explicatur multæ experientiæ de oculis.

16 Secundo de potentia audiriua confirmatur; quia non solum percipimus sonum peruenientem ad aurem, sed sonum distantem: ergo peruenit ad aurem aliquod habens vim repræsentatiuam soni distantis: sed quod habet vim repræsentatiuam soni distantis, est species intentionalis. Præterea admissis his speciebus bene explicatur, quomodo fiat echo per illarum reflexionem: bene item quomodo eadem vox concionatoria audiatur ab omnibus auditoribus; cum eadem non possit peruenire ad singulorum aures, & simul inueniri in pluribus subiectis.

Dãtur species auditiuæ.

17 Tertio de odoratu confirmatur; quia cum odoratus recipit odorem, secundum esse reale, non amplius percipit odorem, vel fœtorem; quia iam organum redditur realiter odoratum; ergo ad percipiendos odores requiritur, vt odorabile vniatur potentiæ odoratiuæ, non secundum esse reale, sed secundum esse intentionale. Et quidem videtur satis probabile principium illud, quod potentia ante actum debet fieri intentionaliter obiectum.

Et odorũ

18 Quarto, similis ratio probat speciẽ necessitatem in sensu gustus: quia lingua, vt melius discernat sapores, carere debet saporibus secundum esse reale; ideoque cum contra naturam alteratur, ita vt eis dat sapida, amittit propriam vim sapores perfecte discernendi.

ac saporũ.

19 Quinto circa sensum tactus aduerto, species intentionales in illo successiue crescere, vel decrescere; sicuti successiue crescunt, vel decrescunt qualitates, quæ speciem sui producunt.

20 Sexto demum, de sensu interno sufficiant, quæ diximus in conclusionibus pro necessitate specierum omnium potentiarum. Sententiam de vniuersali necessitate specierum apud Quiros *disp.* 91. *n.* 3. defendunt eximius Doctor Franciscus Suarius *lib.* 2. *de Angelis* c. 3. *an.* 13. & *lib.* 3. *de anima c.* 21. Suarius Lusitanus *trac.* 7. *de anima disp.* 1. *nu.* 162. Conimbricenses, Tellez, Compontus, & alij.

21 Obijcies primo: si intellectus humanus in cognoscendis obiectis indiget specie distincta; non potest explicari, verum transacta cognitione illius obiecti perseueret eadem species, vel corrumpatur? nam si perseuerat; ergo debet perseuerare cognitio, quod est falsum; neque dici potest, quod corrumpatur: nõ enim deficit causa conseruatiua illius. Resp. post elapsam cognitionem, speciẽ intelligibilẽ perseuerare saltem ad aliquod tempus: imo S. Th. 1. e. g. c. 31. prope finẽ *species, inquit, intelligibiles indelebiliter recipiuntur in intellectu.* Ad rationem in contrarium dico, non esse necesse, vt existente ea specie intellectus semper cognoscat illud obiectum: quia vt intellectus

Species intelligibiles perseuerãt trãsacta intellectione

ctus cognoscat aliquod obiectum, debet esse in sensu interno phantasma suo modo simile cognitioni intellectuali, vt infra dicam: Cum igitur possit homo stante illa specie cessare à phantasmate connexo cum illa cognitione, poterit stante specie illa cessare à cognitione talis obiecti: ideoq; verum est in potestate hominis suo modo esse vsum specierum. Similis potestas est in Angelis, & anima rationali separata, quo ad vsum specierum, quas simul habent: neque enim dicendum est, Angelos, & animas separatas simul distinctè cognoscere omnia, quorum speciem habent Sed ex quadā cognitione imperfecta obiecti, & quod habeāt in se principium clarius illud cognoscendi, possunt sibi imperare clariorē cognitionem, & vsum specierum

Cum intellectione spirituali, semper in homine est similis actus phantasiæ.

22 Vrgebis: hinc cessat ratio, quam nos supra attulimus, probando necessitatem specierum; quia intellectus ornatus speciebus intelligibilibus non est complete potens operari: indiget enim illo phantasmate, quod in se non recipit: ergo actus vitalis non debet procedere ab intrinseco, ita vt non possit admitti aliquod principium extrinsecum. Distinguo consequens; ita vt non possit admitti aliquod principium extrinsecum, quod sit obiectum cognitum, & principium effectiuum remotum; nego: quod sit principium effectiuum proximum, concedo: nam phantasma iam existens est causa, seu conditio, vt producatur in intellectu species sui præsentis; qua posita, præexistens species obiecti similis excitatur ad repræsentandum suum obiectum: hæ enim species, dum anima est vnita corpori, non possunt operari nisi dependenter à phantasmate: quāuis in statu separationis possint independenter ab illo: sicuti eadem anima stante vnione ad corpus non potest vti intellectu, nisi dependenter à phantasmatibus; ea vero transacta potest independenter: species enim debent esse proportionatæ potentiæ, cui inseruiunt.

Quomodo spiritus causent actus internos sensationum.

23 Obijcies secundo: sensatio interna excitatur, & non per species existentes in sensu interno: nam huiusmodi species asseruantur in spiritibus, qui accurrentes ad imaginationem excitant in illa sensationes obiectorum, quæ actu non percipiuntur sensu externo: illi autē spiritus non inhærent sensui interno; sunt enim quædam substantiæ completæ inseruientes viuenti ad opera vitæ: ergo non est necessitas, vt potentia cognoscitiua in priori ad actionem vitalem intrinsecè compleatur per speciem: ergo corruit ratio, & doctrina iam tradita. Respondeo primo, spiritus occurentes ad imperium voluntatis gerere quidem secum species obiectorum; at non concurrere immediate ad sensationes illas internas per dictas species, quas in se habent: sed producere in sensorio alias similes species, quæ simul cum potentia sint causa immediata, & adæquata actus. Hinc nego secundam partem assumpti. Ad rationem in contrarium dico, illos spiritus non immediate excitare sensationes illas. Totius huius rei ratio est: quia ex vna parte necesse est, vt asseruentur huiusmodi species, tum ad memoriam, tum vt etiam sopitis sensibus externis adsit principium, vnde oriantur illæ sēsationes internæ, siue in somno, siue extra illum: ex alia vero parte non expedit huiusmodi species asseruari in ipso sensu; aliter sensus ille non posset cessare à cognitione infinitorū fere obiectorum; quod & est contra experientiam, & non accideret sine læsione capitis, & confusione rerum non vulgari: satis igitur cōgruum est, vt asseruentur in illis spiritibus, qui ex eo præcipue capite sunt necessarij, vt inseruiant sensui interno. At species receptæ in his spiritibus non possunt esse causa immediata sensationum tum ob allatam rationem; tum quia sicuti non immediate recipiuntur in sensu interno, ita non videntur aptæ reddere illum immediate potentem. Sicuti non species in aere existens, sed recepta in oculo, reddit illum potentem videre.

Quomodo species existentes in spiritibus causent species.

24 Dices: Gratis supponis, quod species sit causa speciei Nego; quia quamuis fortasse vna species non possit causare aliam eiusdem rationis; tamen in ordine intentionali dantur, aliquæ qualitates distinctæ ab actu; quæ licet omnes ordinentur ad productionem, non tamen omnes immediatè producunt actum; sed aliquæ producunt alias qualitates medias, quæ deinde immediatè producunt actum eo modo, quo obiectum immediate producit speciem, à qua simul cum potētia immediate procedit actus. Ratio autem necessitatis in casu nostro est: quia est necessitas, ne asseruētur in eodē sensu; ergo debent conseruari in alio subiecto, quod possit accurrere, quales sunt dicti spiritus; sed hę species nō possunt cōcurrere immediate, vt probauimus; ergo mediatè, producēdo videlicet alias species valde similes præcedentibus. Igitur in his spiritibus asseruātur quædā qualitates, quæ sunt velut fœcūditas quędā obiectiua remota relicta a sensationibus præteritis, & ordinātur ad producendas dicto modo species; ac proinde sunt diuersę rationis à dictis speciebus; cum illæ species ordinentur ad productionem actus, & dictæ qualitates ad productionem specierum: has qualitates non immerito dixeris species remotas, quod spectat ad nomen.

Spiritus, & phantasma possunt immediate determinare ad productionem specierum non actus vitalis.

25 Obijcies tertio: spiritus, & phantasma possunt determinare phantasiam, & intellectum ad productionem specierum: ergo etiam possunt immediate, determinare intellectum ac ipsam phantasiam ad productionem actus vitalis. Confirmatur; per sensationes externas existentes sufficienter determinatur anima ad illas per actum phantasiæ percipiendas, & ipse actus phantasiæ sufficienter determinat intellectum ad sui cognitionem; ergo nulla est necessitas specierum distinctarum saltem in his casibus. Nego consequentiam: quia actus vitalis, non species debet esse à principio intrinseco.

ſeco. Ad confirmationem dico falſa eſſe, quæ aſſumuntur in antecedente.

Cur viſio vnita animę nō per ſe ipſam determinat ſenſū internum ad ſui repræſentationem.

26 Dices cur viſio vnita animæ non eſt ſe ipſa apta determinare ſenſum internum ad ſui repræſentationem? Reſpondeo, rationem eſſe, quia repręſentatio vitalis attingens viſionem debet eſſe ab intrinſeco reſpectu potentiæ, à qua formaliter procedit: aliter quis fingere poſſet, potentiam viſiuam concurrere ad omnes actus vitales, & ſpecies tantum recipi in potentia viſiua, licet determinent alias potentias. Illud demum aduerto, quod ſupra diximus, actus potentiæ cognoſcitiuæ ſe ipſos reflexe cognoſcere. Species, & habitus vel non cognoſcuntur immediate, ſed per ſpecies alienas dependentet à diſcurſu; vel vt cognoſcuntur, non opus eſt ſpecie diſtincta.

SECTIO SECVNDA.

De cauſis ſpecierum, vbi de intellectu agente, & poſſibili.

1 CAuſa finalis ſpecierum eſt actus vitalis, & repræſentatio obiecti: materialis eſt ipſa potentia, in qua recipiuntur. Sed ſpecies viſibiles, quæ recipiuntur in aëre, videntur habere pro ſubiecto, vel materiam, vel quantitatem; quod militat etiam, cum recipiuntur in potentia: eadem ratio militat de alijs ſpeciebus, quæ diffunduntur per medium ineptum vitaliter operari dependenter ab illis. Formalis veluti metaphyſica, ſunt prędicata illius eſſentialia, & ſpecifica ſupra explicata; phyſicam enim nullam habent cauſam formalem, cum non ſint compoſitæ ex materia, & forma. Solum igitur difficultas eſt de cauſa efficiente; non loquor autem de ſpeciebus Angelorum, & animæ ſeparatæ; ſed de illis, depēdenter à quibus homines in hac vita exercent ſuos actus cognoſcitiuos.

Species ſēſuum externorum ſunt ab obiectis.

2 Dico primo: Species ſenſuum externorum produci ab eorum obiectis. Probatur, quia ſi obiectum non ſit præſens, vel ſit aliquod impediens illius actionem, vt corpus opacum inter coloratum, & oculum, non producuntur ſpecies: ergo ſatis congruenter dicimus, has ſpecies cauſari ab obiectis: aliter cur Deus, & oculus non producunt hasce ſpecies, etiam cum obiectum eſt à tergo, vel intercipitur corpus opacum? Poſſet quis addere, ſpecies produci non ſolum ab obiectis, ſed etiam à ſpeciebus medijs: ſicuti calor producitur à calore; quamuis ſemper debeat concurrere obiectum: aliter cur non poſſent produci, niſi linea recta, & per reflexionem, ſicuti lumen? limitatur autem illarum diffuſio, quia nulla aſſimilatur perfecte obiecto.

Idem eſto iudicium de ſenſu interno.

3 Dico ſecundo, ſpecies ſenſuum internorum producuntur ab obiectis, nempe à ſēſationibus externis, vel alijs obiectis: quod facile probatur paritate ſenſuum externorū; & quia inter obiecta illa, & has ſpecies nulla apperet improportio. Et quidem cum obiectum formaliter, qua tale ſit factum, vt cognoſcatur, & eo modo ſeruiat creaturæ rationali; debet in illo ſupponi virtus ad cognitionem mediatè, vel immediatè cauſandam, niſi aliūde probetur impotentia: & huc ſpectat Auguſtinus aſſerens, quod notitiam pariant potentia, & obiectum.

Species intelligibiles non ſunt ab obiecto materiali.

4 Dico tertio, ſpecies intelligibiles non procedunt immediate ab obiectis materialibus. Probatur iuxta ſupradicta ex improportione inter cauſam materialem, & effectum ſpiritualem. His addo, probabiliter neque produci ab aliquo alio ſpiritu creato; quia vnus ſpiritus non eſt immediate ſubiectus quoad operationes ſpiriuuales alteri ſpiritui, præter quam in motu locali. Verum de hac re fuſius tractent Theologi 1. p. cum de Angelis.

Sunt ab intellectu agente.

5 Dico quarto, ſi ſpectemus auctoritatē Ariſtotelis, probabile eſſe ipſam ſubſtantiam animæ, quatenus eſt intellectus agens, producere ſpeciem intelligibilem tum phantaſmatis, tum obiecti, quia ex vna parte Ariſtoteles lib. 3. tex. 18. expreſſe docuit, intellectus duo eſſe munera, & fieri omnia, quod præſtat intelligendo; & facere omnia, quia eſt virtus productiua ſpecierum per quam poteſt facere omnia: & omnia reddere intelligibilia: & hoc eſt intellectum illuſtrare phantaſmata; quia dum producit eorum ſpeciem, reddit illa proximè intelligibilia, non minus, ac lumen reddit colores proximè viſibiles: & ex alia parte ſi hoc dicamus, non eſt recurrendum vel ad obiectum materiale, vel ad Deum.

Quid eſt intellectū agentē illuminare phantaſmata.

Probatur veluti à poſteriori.

6 Ariſtotelis, & S. Thomæ, ac apud antiquos receptiſſimā ſententiam, quo ad Deum ſic confirmo. Si Deus eſſet cauſa immediata ſpecierū intelligibilium in anima, quo ad hoc negotiū eodē modo ſe haberet anima, ac Angelus; vterq; enim reciperet immediate ſpecies à Deo: quare non eſt cur animæ ab initio ſuæ creationis non debeantur ſpecies obiectorū: & ab initio non ſit ſapiens: ſed debeat decurſu temporis illas acquirere, nec ſine magno labore: neque eſt, cur intelligens debeat à ſēſu addiſcere, & phantaſmata ſpeculari: neque cur anima debeat corpori vniri, nec, niſi perfectis iam organis, valeat perfecte intelligere, & diſcurrere. Confirmatur; quia nemo dixerit, quod Angeli accipiant ſcientiam ab obiectis extrinſecis, & bene dicitur, quod illam accipiant à Deo, à quo recipiunt ſpecies; ergo anima non à ſenſibus, ſed à Deo immediate diſceret.

Probatur ex perfectione debita animæ.

7 Ratio eſt; quia formæ viuentes, quæ ab initio non habent totam ſuam perfectionem intrinſecam à generante, debent poſſe, per virtutem intrinſecam ad eam perfectionem ſe reducere, promptumque habere aliarum cauſarum ſecundarum auxilium neceſſarium, quo ad illum effectum indigent, vt patet certa inductione: aliter neque viuentia illa, nec vni-

uersum esset bene constitutum, vtpote deficiens in re valde necessaria: sic viuentibus pure vegetatiuis, quæ nascuntur valde parua, inest virtus intrinseca se nutriendi, & parata sunt alimenta, vnde nutriantur; neq; nutrimētum vnicè à Deo expectant: Idem accidit in reliquis viuentibus perfectioribus: sed anima rationalis vnita corpori ab initio non recipit totam suam perfectionem, & maximè præcipuam, qualis est potentia expedita ad intelligendum, & volendum, & ipsum velle, & intellligere: ergo debet esse prædita virtute intrinseca, vt ad eam perfectionem se reducat: & habere promptum auxilium aliarum causarum secundarum ad id necessarium: cum igitur creetur tanquā tabula rasa, & carens rerū imaginibus; debet illas posse acquirere: sed non potest illas recipere à causis alijs creatis, vt probauimus: ergo habet facultatem illas in se formandi virtute intellectus agētis ad præsentiam phantasmatum, ex quibus illas eruat.

Nono eodē modo discurrendū de homine, ac de Angelo.

8 Non est igitur eadem ratio de anima, ac de Angelis, qui ab initio habuerunt totam suam perfectionem naturalem à creante; neq; decursu temporis acquirunt absolute nouas species, sed quasdam veluti extensiones, & modificationes illarum, quas simul cum natura primo acceperunt; & quæ non spectant ad illorum naturalem perfectionem, in qua absolute non crescunt: cum præsertim regulariter, sint de indiuiduis, quæ iam ab initio intellecta fuere in rationibus vniuersalibus. Quare sine præiudicio allatæ rationis possunt Angeli illas à Deo successu temporis recipere: & quia rationes, quas attulimus, non militant respectu sensus; ideo non datur sensus agens cum obiectum materiale possit immediate agere in sensum.

Intellectus possibilis est ex suo conceptu perfectior agente.

9 Illud vero concesserim conceptum intellectus possibilis esse perfectiorem conceptu intellectus agentis: quia intellectus agens est formaliter productiuus speciei; at possibiles est formaliter productiuus actus vitalis; qui est longe perfectior specie.

Quomodo phantasmata spiritualizentur virtute intellectus agentis!

10 Aduerto hic, animam, dum per intellectum agentem producit speciem intelligibilem, per cognitionem imaginatiuam cognoscere obiectum: quare respiciens per actum phantasiæ obiectum, imitatur illud tanquam exemplar producendo speciem intelligibilem: absque eo quod phantasia concurrat ad illam productionem, & hoc est spiritualizare phantasmata.

11 Dices: si intellectus producit species; ergo semper illas conseruat. S. Thomas cōcedit totum: si cui tamen displiceat consequens, dicat, aduenientibus nouis speciebus dilabi veteres, cum non valeat intellectus simul omnes conseruare.

SECTIO III.

Quorum obiectorum species dantur in sensibus?

Sensus nō habet species obiectorum, quæ non potest attingere.

1 CErtum est non dari in sensibus species obiectorum, quæ attingere nequeunt: quare cum sensus nequeat attingere obiecta impossibilia, & spiritualia, non poterunt in sensu dari horū obiectorum species. Dātur tamen in sensibus, tum internis, tum externis species illorum obiectorum, quæ non sunt accidentia propria illis speciali titulo debita, & possunt ab illis cognosci, vt colligi potest ex dictis. Solum ergo difficultas est de duabus obiectorum classibus, de quibus vtrumque quæritur vtrum videlicet sint obiectum, & an attingantur per species: prima classis continet sensibilia communia, secunda obiecta insensata.

Quid sit sensibile commune

2 Sciendum autem est quoad primam classem, sensibile commune esse, quod à pluribus sensibus externis percipi per se & immediate potest: non tantum per accidens remote, & denominatiuè ratione alterius sibi vniti, quod per se sentitur; vt putatur communiter sentiri substantia. Non requiritur igitur ad sensibile commune, quod ab omnibus sensibus percipi possit.

Quinque sensibilia communia

3 Quinque autem communiter numerantur sensibilia communia, ad quæ reliqua reduci possunt, videlicet motus, quies, figura, numerus, & magnitudo: omnia autem hæc, excepto numero, includunt formaliter vbicationē: quin etiam numerus quatenus est quantitas quædam discreta rei corporeæ non potest ab vbicatione præscindere: his positis.

Vbicatio percipitur sensibus externis.

4 Dico, vbicationem percipi à sensibus externis: Probatur, si potentia visiua non attingeret vbicationem sui obiecti, albedinis v. g. non posset cognoscere albedinem esse ad hoc vel illud latus, in tanta, vel tanta distantia: hęc enim omnia includunt præsentiam localem, & vbicationem: consequens est falsum, vt patet experientia: & sane si oculus non percipit eas præsentias, & differentias locales, non haberet intellectus fundamentum asserendi, rem esse in hoc, vel illo loco, in tanta vel tanta distantia. Idem argumentum fit de auditu, & sensu tactus, & gustus; qui, dum attingunt eam differentiam localem, vel maiorem, & minorem extensionem corporum, non possunt non attingere præsentias. Quin imo etiam olfactu percipimus, qua parte perflet odor. Ratio autem veluti à priori huius rei desumitur ex fine: percipimus enim obiecta sensibilia vt possimus illa prosequi, vel fugere: si autem sensus non apprehenderent præsentias illorum, non possemus ea prosequi, vel fugere nescientes, vbi sint.

5 Neque dicas, videre albedinem distātem esse videre corpus intermedium: quid enim est esse corpus intermedium, quam habere

Reijciuntur duæ reſpōſiones, altera de viſione corporis intermedij: altera de intellectu ex diuerſitate ſpecierum immediate diſcernente diuerſas vbicationes.

bere hanc præſentiam? ergo non poteſt videri corpus intermedium, & non videri præſentia. Neque dicas ſecundo, intellectum cognoſcere vbicationes rerum ex diuerſo modo, quo ingrediuntur ſpecies; & quia aliquando ſpecies ſunt intenſæ, indicant obiectum eſſe vicinum; aliquando remiſſæ indicant obiectum eſſe diſtans. Contra enim eſt; quia non poteſt explicari, quomodo ſpecies diuerſo modo ingrediantur, ſi præſertim obiectum proximum, & remotum eadem linea reſpiciant ſenſum. Deinde niſi ea diuerſitas modi repræſentet ſenſui differentiam vbicationum, non eſt vnde intellectus venetur talem differentiam. Demũ obiecta, quæ ex diuerſo latere æque diſtant à ſenſu, emittunt ſpecies æque intenſas: ex quo igitur capite colligam tunc diuerſas illorum præſentias? Quando igitur communiter dicitur, quod color, & lux eſt obiectum oculi; ſolum ſenſus eſt, hæc eſſe obiecta ſpecialia illius ſenſus.

Senſus nõ attingit formaliter motum.

6 Hinc infero primo, ſenſum non percipere motum formaliter ſumptum, ſed tantum materialiter; quia licet ſucceſſiue attingat vbicationes, quas ſucceſſiue acquirunt obiecta ſenſibilia, quod eſt attingere motum materialiter ſumptum; non tamen attingit ipſam ſucceſſionem: quæ ſicuti formaliter dicit partes priores, & poſteriores; ita, vt formaliter attingatur, neceſſe eſt, quod attingantur ſimul partes poſteriores, & priores, & inter ſe comparentur aliæ vt præſentes, aliæ vt præteritæ, quod eſt opus intellectus.

Aliqui addunt neq; figuram, neq; quietẽ aut numerũ, formaliter attingi.

7 Ob ſimiles rationes dicet quis, non attingi formaliter per ſenſus figuram, & quietem; quatenus hæc dicit carentiam motus; illa carentiam multarum partium ſuperfluarum: carentiæ enim non attinguntur à ſenſibus, qui non attingunt niſi obiecta, quæ producendo ſui ſpeciem determinant ſenſum ad ſui cognitionem: quales non ſunt carentiæ. Verum hæ rationes non ſunt mihi efficaces, qui nego puras carentias, & affirmo illos terminos eſſe poſitiuos, ac virtute cauſatiua pollere. Demum numerus formaliter ſumptus nõ poteſt cognoſci à ſenſu: quia formaliter conſtituitur per actum intellectus numerantis, qui actus non attingitur à ſenſu: ſolum igitur attingunt ſenſus multa ſenſibilia vbicata cum extreitate quo ad locum, quod eſt fundamentum, vt intellectus poſſit illa diſtinguere, & numerare.

Neque oppoſitũ infertur: quia ſenſus formaliter attingit vbicationem.

8 Vrgebis: ſi ſenſus non attingit formaliter vbicationem, non poteſt intellectus certificari de differentia locali rerum materialiũ: ergo neque ſi ſenſus non attingit formaliter figuram, motum, quietem, & cætera. Nego conſequentiam: quia dum oculus ſucceſſiuè cognoſcit nouas, & nouas vbicationes, iam poteſt intellectus illas comparare, & certificari, quod aliæ præceſſerint, aliæ ſequutæ fuerint. Idem dico de figura, & quiete: à viſione enim harũ partium, & carentia viſionis aliarũ determinatur intellectus ad cõcipiendã figurã. Quod intellige, ſi terminus non ſit aliquod poſitiuum, cuius oppoſitum eſt mihi ſatis probabile. At ſi ſenſus nõ attingit vbicationes, nullũ habet determinatiuũ intellectus, vt certificetur de diuerſitate vbicationũ. Vbi aduerte, præſentiam localem dici ſenſibile commune, non quia qualibet præſentia poſſit attingi à quolibet ſenſu; ſed quia quilibet ſenſus poteſt attingere præſentiam ſui obiecti: non negauerim tamen aliquos ſenſus alijs perfectius percipere præſentiam obiecti; & fortaſſe oculus omnium perfectiſſime cognoſcit illam: ideoque eſt prima regula, vnde diſtinguamus diſtantias.

Quamuis ſenſus non attingat durationẽ intellectus nihilominus illam attingit.

9 Vrgebis iterum; quamuis ſenſus non attingat rei durationem, adhuc intellectus illam attingit: ergo quamuis ſenſus non attingat vbicationem; adhuc intellectus poteſt illã attingere. Nego conſequentiam: quia intellectus aliunde habet, ſenſum externum nõ poſſe ferri niſi in obiectum exiſtens, à quo dependet eius ſenſatio: ergo iam videt illud obiectum eſſe præſens, & ſibi coexiſtens, ſicuti ſibi coexiſtit ſenſatio: hæc autem vel ſimilis ratio, non vrget in vbicatione.

Eadem ſpecie sẽtitur vbicatio, ac color.

10 Dico ſecundo: eadẽ ſpecie ſentitur vbicatio, ac color: probatur eadem viſione videtur vbicatio ac color: quia non videtur, neque ſola vbicatio, neq; ſolus color, ſed color vbicatus, quod eſt vnum obiectum, formaliter, qua tale nõ potẽs determinare niſi ad vnicum actũ: ergo vnica eſt ſpecies indiuiſibiliter mouens ad illam vnicam viſionem: neque vero debent multiplicari cauſæ, vbi vnicus eſt effectus: & ſicuti aliud eſt videre colorem, aliud videre vbicationem, aliud videre colorem vbicatũ: ita alia eſt ſpecies coloris, alia vbicationis alia coloris vbicati.

Naturaliter non poteſt videri color, quin videatur vbicatio.

11 Ex quibus patet, naturaliter non poſſe colorem videri, quin videatur in aliquo loco; quod, præter experientiam, inde confirmatur; quia color non poteſt naturaliter videri, quin ſit in loco, cum proportionata diſtantia: ergo non poteſt naturaliter videri, quin videatur ea præſentia: ea enim præſentia, & eſt obiectum oculi, & eſt intra ſphærã illius. Non eſt autem neceſſe, quod qui videt vbicationem, videat illam ſe ipſa vniri ſubiecto, ita vt de hoc certificetur per viſionẽ.

12 Inſtabis: cur non videntur accidentia Chriſti domini ſub ſpeciebus Euchariſticis? Reſpondeo, quia accidentia non ſunt viſibilia ſine præſentia: præſentia autem, qua accidentia Chriſti Domini ſunt ſub ſpeciebus cõſecratis non poteſt videri, & attingi ſenſu; qui ſaltem naturaliter non poteſt attingere niſi præſentiam naturalem; qualis non eſt Euchariſtica. Et ratio eſt quia præſentia tantum naturalis, & propria accidẽtium eſt obiectum horum ſenſuum: quid autem fieri poſſit de potentia abſoluta, nolo controuertere.

13 Aduerto hic primo indiuiſibile non

attingi sensu; quia non est aptum se solo mouere sensorium, & facere sui speciem. Secundo, sensus externos requirere præsentiam obiecti; quia videmus eorum sensationes produci, & corrumpi ad præsentiam, & absentiã obiecti.

Quænam obiecta dicantur insensata, & quænam species insensatæ.

14 Circa secundum notandum est, obiecta insensata dici, quæ non attinguntur ab externis sensibus: species igitur insensatæ erunt species obiectorum, quæ non attinguntur à sensibus externis. Dari autem huiusmodi species, est mihi verum: quia multa attinguntur per sensus internos, quæ non attinguntur per externos: & aliquod est propriũ obiectum sensus interni, quod non sit obiectum externi: sicuti diuersi sunt actus harum potentiarum; & siqui liber actus reflectit supra se ipsum; vtique actus sensus interni attingunt se ipsos; & tamen eosdem nullo modo attingit sensus externus. Et confirmatur: quia illi actus relinquunt speciem sui: quæ vtique sunt species obiecti, quod nullo modo attingitur per sensus externos: neque enim sensus externus versatur circa actus sensuum internorum.

SECTIO IV.

Multa, quæ spectant ad species intentionales.

Species nõ sunt eiusdẽ rationis cũ obiecto.

1 PRimo reijciendi sunt, qui docent species esse eiusdem rationis cum obiecto repræsentato: quis enim dixerit, nũc in intellectu Angelico formaliter esse hominem, leonem & cætera. Neque dicas, species esse eminenter obiecta: nam nemo dixerit Dæmonem habere in se eminenter gratiam, si habet eius speciem.

Neq; sunt similitudo formalis obiecti.

2 Secundo reijciendi sunt, qui docent, speciem esse similitudinem formalem obiecti: quia confundunt speciem cum cognitione, quam species causat. His positis.

Explicatur multiplex specierum excogitabilis diuisibilitas, vel indiuisibilitas.

3 Quæres primo: Vtrum species sint indiuisibiles in repræsentando, & in essendo? Multipliciter possunt species fingi indiuisibiles in repræsentando; primo, quia repræsentant obiectum indiuisibile, qua indiuisibilitas est extrinseca speciei. Secundo, quia, licet species constent pluribus partibus; tota tamen species indiuisibiliter sumpta repræsentant totum obiectum; ita vt non vna pars speciei repræsentet vnam partem obiecti, aliam alia; sed vel omnes partes collectiue tantum, vel etiam distributiuè singulæ repræsentant totum obiectum. Præterea species potest esse indiuisibilis in essendo, primo extrinsece ratione subiecti, in quo recipitur: secundò formaliter, & intrinsece: quia non constat pluribus partibus facientibus intensionem, vel etiam extensionem. His positis

Species sẽsibiles externæ sũt entitatiue diuisibiles

4 Dico primo: species sensibiles externas esse diuisibiles tum extrinsecè, ratione subiecti; tum intrinsecè ratione partiũ, quas includunt: quia ex vna parte sunt in subiecto diuisibili v. g. in aere, & oculo, ex alia vero diuersa est species, quæ est in oculo ab illa, quæ est in aere: quis enim dicat clausis oculis corrumpi speciem, quæ informabat aerem, & produci nouam.

Sunt & in repræsentando diuisibiles.

5 Dico secundo: species sensibiles externas repræsentatiuas obiecti extensiue diuisibilis, esse diuisibiles in repræsentando: ita, vt vna pars speciei repræsentet vnam partem obiecti; alia aliam: probatur; vna pars obiecti diuisibilis independenter ab alia producit suã speciem; quælibet enim habet sufficientem virtutem ad productionem suæ speciei, vt cõstat, si separentur partes, vel vna remaneat sine alia: species autem producta ab hac parte non repræsentat alias: ergo quælibet pars speciei repræsentat suam partem obiecti: minor probatur, quia sicuti non producitur ab alijs, ita non est illarum species, nec illas repręsentat. Hæc ratio non habet locum in colore, & vbicatione: neque vero aut color potest videri sine vbicatione, aut vbicatio sine colore.

6 Confirmatur: alias quis intra cubile existens posset per fenestram, tantum cæli videre, quantum extra cubile positus: nam intra cubile haberet speciem repræsentatiuam totidem partium. Præterea species extra cubiculum existens posset intra cubiculum producere speciem eiusdem rationis secum; & consequenter videri posset obiectum; quod non est è regione oculorum; sicuti videntur, in speculo obiecta à tergo existentia: ad videndum enim sufficit potentia informata specie.

7 Eadem diuisibilitas admitti probabiliter potest in speciebus intellectualibus repręsentantibus obiectum diuisibile, cuius vna pars potest cognosci sine alia; & à fortiori in similibus speciebus sensuum internorum. Quin imo ex paritate redditur satis probabile, species sensibiles repręsentantes obiectum intensiue diuisibile esse, diuisibiles in repræsentando

8 Dices: cur vna pars visionis non repręsentat vnam partem obiecti, & alia aliam? Respondeo; quia ab vna potentia determinatur omnes species ad vnam visionem; at obiecta adeò disparata non possunt determinari ad vnam speciem. Præterea non est improbabile, quod præter species singularum partiũ, detur vna species expressiua totius, quæ determinet ad vnam visionem, vt colligi potest ex dictis de vbicatione, & colore.

Species sũt etiam intẽsiue diuisibiles.

9 Dico tertio, species repræsentantes eãdem partem obiecti posse intendi, & remitti. Probatur: eadem pars obiecti modo clarius, modo obscurius videtur inuariatis potentijs: quod non potest aliunde oriri, quam ex maiore, vel minore intensione specierum? Ex quibus patet, species repręsentantes aliquam qualitatem intensam, duplicem intensionem habere vnam obiectiuam, seu extrinsecam

quã

quatenus diuersæ partes speciei repræsentant diuersas partes qualitatis intensæ; aliam intrinsecam, & formalem, quatenus species repræsentans eumdem gradum habet tot, vel plures gradus intensionis repræsentantes eãdem partem obiecti, cum tanta, vel tanta claritate: quamuis fortasse hæc maior claritas haberi possit à multitudine specierum etiam localiter vnitarum. Hinc inferet fortasse quis, omnes species sensibiles esse intensiuè diuisibiles; quia omnes habent plures gradus, quibus suum obiectum repræsentant cum claritate, qua minor dari possit; verum hæc monuisse sufficiat.

Cur plures partes ignis agẽtis omnes indiuisibiliter concurrant ad productionem eiusdem ignis.

10 Dices: omnes partes ignis ita constituunt vnum agens, vt indiuisibiliter concurrant, & non ita, vt vna pars ignis producat vnã partem ignis, alia aliam: ergo idem dicendum est de specie procedente ab obiecto diuisibili. Nego consequentiam: quia ignis producendus vnicus est, atque ex se respiciens omnes illos ignes; vt patet ex vnitate subiecti, in quo recipi debet: at subiectum in casu nostro capax est plurium specierum, & agentia sunt potentia producere plures species: ergo debét plures produci: gradus autem intensionis, cum omnes sint eiusdem rationis, & nullus possit producere totum, quod habet in se, non est mirum quod simul concurrant ad eundem effectum producendum.

11 Quod si vna arbor non potest sola videri à longe, sicuti, neque vna pars obiecti; id est, quia in ea distantia species vnius partis & vnius arboris non est apta sola mouere; simul cum alijs mouet ad cognitionem; non tamen distinctiuã vnius arboris, & partis obiecti ab alia. Imo fortasse omnes mouent ad vnam visionem, illas simul ad modum vnius attingẽtem: sicuti non quilibet minimus impulsus sufficiens est ad mouendum ingentem lapidem; quem tamen minimi impulsus multiplicati mouent: sicuti autem, quod est facile mobile, mouetur ab impulsu minore, ita potentia visiua perfectior mouetur à debiliore specie.

Specierũ aliæ validæ, aliæ debiles.

12 His adde, nos per telescopium videre multas stellas, & obiecta distantissima, quæ sine telescopio non possumus videre; quia videlicet in telescopio multæ species dispersæ congregantur: ergo dantur in medio species dispersæ, quæ ob suam debilitatem non sunt aptæ mouere, nisi congregentur: ideoque quamuis obiectum magnum videatur in eadẽ distantia, in qua non videatur paruum; tamen saluari potest, quod vtrumque mittat speciem, sed magnum validam, paruum debilem.

Species spirituales ab anima acquisitæ sunt æternæ.

13 Quæres secundo; quomodo corrumpantur species? Respondeo ad solutionem huius quæstionis sufficere, quæ in logicis dicebam de corruptione habituum: est enim communis, & eadem difficultas. Addo nihilominus, satis probabile esse, quod supra cum Sancto Thoma indicauimus, videlicet species spirituales ab anima tempore vnionis sui cum corpore acquisitas esse æternas: sicuti æterna est illarum subiectum, & causa. Reliquas deficere, vel ex defectu subiecti, vel ex defectu principij causatiui, quod vel remouetur, vel deficit: possunt etiam deficere ad exigentiam alicuius causæ exigentis effectum oppositum speciebus, quod tamen non ita facile capio; quia non facile percipio effectum, qui formaliter opponatur speciebus. Non negauerim facile defendi posse, quod aliquando deficiant ex defectu finis; & ne frustra sint, id exigente vniuersi bono.

Varij modi, quo corrumpãtur species.

Quidde illo discursu res non exigit durare: ergo debet destrui à Deo

14 Non possum autem probare, quod cõmuniter asseritur, nimirum; species cessare, quia Deus vt auctor naturæ suspendit concursum conseruatiuum; suspendit verò Deus, vt auctor naturæ huiusmodi concursum, quia illæ species exigunt ad determinatum tempus durare v.g. ad horam; quo transacto Deus nõ potest ad illarum exigentiam, ac proinde vt autor naturæ eas conseruare: non possum, inquam, probare; quia Deus non minus est causa vniuersalis, & auctor naturæ in rerum destructione, quam in conseruatione: ergo si nõ potest conseruare nisi ad exigentiam, non potest destruere nisi ad exigentiam: non bene igitur dicitur, quod cessante exigentia conseruationis, neque accedente exigentia destructionis, Deus, vt auctor naturę possit rem destruere; cum præsertim, & res maximè inclinent ad esse, & Deus debeat, vt ita dicam, supponi magis perpensus ad communicandum esse, quam ad auferendum, & Augustinus 12. *de Ciuitate cap.* 27. *apud* Quiros *disp.* 92. *Non satis apparet*, inquit, *quantum refugiat natura non esse.*

15 Vbi notandum obiter est primo, quod sonus perit; quia cessat motus, sine quo non conseruatur; cessat motus, quia vel cessat causa, vel accedit impedimentum, & contrarium præualens, siue impulsus, siue grauitas. Secũdo, impulsus cessat ad exigentiam grauitatis exigentis, & causantis impulsum, & motum contrarium, vel quia deficit finis. Tertio durationes sunt essentialiter fluentes: quia id exigit rerum natura, & quidditas creaturarum. Quarto si ignis aliquis potest determinatos, & non plures effectus producere; est, quia virtus eius ad cõmunicandũ esse est limitata & si non potest plures, debet cessare ab actione. At non est, cur Deus vt author naturæ debeat potius destruere, quam conseruare entitates illas labiles, quas admittunt aduersarij: sed legendus de hac re est Quiros citatus, qui inter species admittit cõtrarietatem; neq; enim videntur posse simul esse species eiusdem obiecti, quæ illud simul repræsentent album, & nigrum.

Cur species recipiantur in extima superficie corporis.

16 Quæres tertio: cur species recipiantur in extima superficie corporis opaci, non in sequentibus: quamuis sequentes superficies sint eiusdem rationis cum extima? Respondeo rationem, esse, quia vltima superficies est diaphana, sequentes sunt opacæ: sicuti singula

folia

folia papyri sunt diaphana, at si multiplicentur, opacantur, & impediunt ne in cubile trasmittatur lumen: cuius rei ratio est, quia extima superficies debet necessario posse videri, & cadere sub sensū, id exigēte bono vniuersi; quod autē videtur debet esse diaphanum terminatum. Exquibus facile, quis colliget, separatas superficies, si sunt possibiles, omnes futuras luci pervias, & diaphanas.

Cur sensus non percipiat durationes.

17 Quæres quarto: cur sensus non percipiat durationem? Respondeo, quia duratio est ens fluens essentialiter dicens partes priores, & posteriores: quare vt formaliter percipiatur duratio, eadem est ratio de motu; debet percipi ille fluxus, & fieri comparatio partiū: quod est proprium intellectus, vt alias notatabam, & hic suppono.

18 Quæres quinto: Verum dum anima est vnita corpori intellectus semper intelligat cum actuali dependentia à specie materiali; ita vt in priori ad intellectionem semper necessario præcedat aliqua sensatio, & species rei sensibilis? Respondeo naturaliter ita accidere: quia anima rationalis vnitur corpori, vt inde hauriat scientiam: ergo videtur determinata, vt dum est in corpore, nihil intelligat, nisi cum dependentia à sensu, ac sub imagine rerum corporearum, quibus à sensu suo modo acceptis, illarum instar, res alias, quas per discursum infert, cognoscat. Confirmatur; quia si aliqua cognitio intellectualis potest naturaliter indepēdenter à sensibus exerceri ab anima; iam posset anima se ab initio intuitiuè cognoscere; est enim eius cognoscibilitas maximè proportionata eiusdem virtuti cognoscitiua & maximè illi pręsens: vnde igitur impeditur quo minus se intuitiuè cognoscat? legatur Cnnptonus *disp. 15. sect. 4.* & Maurus *quæst. 40.* Non negauerim autem posse intellectum per discursum inuenire multa obiecta, & veritates nullo modo sibi à sensu subministratas: at id nunquam præstabit nisi primo exciteiur ab aliqua sensatione, ac se conuertat ad pręuium phantasma, cuius instar apprehendat res illas, & nouas inuentas veritates: sicuti neque negauerim dependenter ab hac inuentione intellectuali excitari in sensu phantasmata, quæ exprimant obiecta quidem corporalia, sed habentia aliquā proportionem cum obiectis ab intellectu inuentis: illis autem obiectis corporalibus deinde vtatur intellectus ad formandos meliores conceptus, & discursus circa res iam prius inuentas, de quo puncto hæc innuisse sufficiat.

Intellectus humanus indiget speciebus pro omnibus suis actibus.

19 Quæres sexto; in ordine ad quos actus intellectus indigeat speciei concursu: Respondeo, in ordine ad omnes. Fuerit qui dicat, intellectum speciebus indigere, quoad primam apprehensionem, non in ordine ad reliquos actus: quia videlicet per apprehensionem intellectus sufficienter instructus est ad iudiciū, & per præmissas ad conclusionem: sed vniuersaliter probatur responsio; quia non magis apprehensio, quam iudicium, & conclusio habens prędicatum propter quod necessaria est species: prædicatum enim illud est, quod sit expressio obiecti, ciusque imago; quod prędicatum ęque inuenitur in iudicio, & conclusione, ac in prima apprehensione: neque apprehensio præuia ad iudicium, & præmissę prȩuiæ ad conclusionem inuentæ à natura sūt ad causandum in actu prædicatum iam dictū; sed ad alios fines, vt videlicet per apprehensiones, imo in ipsis apprehensionibus intellectus videat conuenientiam, vel disconuenientiam terminorum; vnde possit rationabiliter efformare iudicium negatiuum, vel affirmatiuum: & in præmissis iudicando de identitate vel distinctione, extremorum cum medio, videat identitatem vel distinctionem extremorum inter se, vt inde determinetur ad conclusionem negatiuam, vel affirmatiuam. Vbi notandum est, munus specierum non esse determinare potentiam ad actum producendum; nā multę species existentes in intellectu, tum Angelico, tum humano non actu determinant potentiam; sed tantum esse necessario complementndo dicto potentiam.

Quid sit speciem se tenere ex parte obiecti.

20 Quæres septimo: quid sit speciem se tenere ex parte obiecti? Respondeo, esse cōmunem omnium sensum speciem impressam esse vicariam obiecti, se tenere ex partę obiecti, influere obiectiuè, & similes de hoc negotio circumferuntur phrases, quæ idem apud omnes significant: indagandum nunc est, quid tandem id sit: & quidem id non est actiuè concurrere ad cognitionem; nam & si id conueniat speciei, non sufficit, vt dicatur se tenere ex parte obiecti: cum etiam potentia concurrat actiuè, neque propterea concurrit obiectiuè, vel ex parte obiecti. Neque pręcise est determinare potentiam ad actum; nam primo, imperium voluntatis determinat intellectum ad multos actus, neque est species impressa: quin imo, cum supposita specie adhuc intellectus non nunquam indigeat imperio voluntaris; apertè deducitur proprium speciei non esse determinare; neque verò imperium voluntatis potest supponere intellectum impotentem, & carentem specie.

Nō est pure actiue concurrere, neque determinare potētiam.

21 Pręterea dantur aliquę species impressę, quę ob suam imperfectionem, actu non determinant ad cognitionem, vt species visibiles receptę in aere; & intelligibiles conseruatę, tum in anima, tum in substantia Angeli, quę non semper actu actiuè determinant ad cognitionem obiecti, aliter non esset locus memorię. Quid, quod non minus potentia potest determinari per speciem ad cognitionem obiecti, & intensionem illius, quam species per potentiam? nam tum species visibilis extra oculum non est actu determinata ad visionis productionem, & vnita cum oculo perfectiori, & imperfectiori ad visionem perfectiorem, & imperfectiorem determinatur; tum oculus sine specie non est determinatus

ad

ad visionem, & vnitus cum specie perfectiori vel imperfectiori determinatur ad visionem perfectiorem, vel imperfectiorem.

22 Igitur species inpressa se tenet ex parte obiecti; quia reddit illud proxime potens mouere ad cognitionem, eoque modo complet eius cognoscibilitatem actiuam: obiectum enim non solum terminat cognitionem, quod præstat per cognoscibilitatem passiuam, sed etiam causat, & mouet ad cognitionem, quod prestat per cognoscibilitatem actiuam: aliquando autem est obiectum aptum per suum esse intrinsecum mouere ad sui cognitionem; & tunc est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua, ita vt, si deficiat cognitio, non proueniat ex defectu obiecti: aliquando obiectum non est secundum sua intrinseca aptum mouere ad cognitionem sui, & tunc non est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua; sed reddi debet tale per aliquod superadditum.

Species se tenet ex parte obiecti quia est instrumentum ex natura sua ordinatū ad supplēdum, & cōplendam cognoscibilitatem actiuam obiecti.

23 Ex his patet solutio quæstionis: dicendum enim est, speciem impressam se tenere ex parte obiecti; quia est instrumentum ex natura sua ordinatum ad supplendam, & complendam cognoscibilitatem obiecti. Facilius autem, & clarius rem hanc exponunt Antonius Perez *disp.* 2. *de visione* Dei *nu.* 123. & Cardinalis Pallauicinus *lib.* 8. *qui est de Deo capite* 28. asserentes, speciem impressam debere non solum dicto modo actiue concurrere ad productionem actus, sed etiam actum ipsū, ad quem mouet, terminare; eoque modo illuminare obiectum; quod sicuti secundum se, & præcisa specie est impotens mouere ad sui cognitionem; ita est veluti obtenebratum. Et quemadmodum lux corporea ita illuminat colores, vt simul ipsa videatur; eoque modo reddit colores proxime visibiles; ita quæcūque species reddit suum obiectum proximè cognoscibile, illudque illuminat: quia complet eius cognoscibilitatem actiuam ex parte obiecti; idest tamquam obiectum cognoscendum: quod pluribus confirmant, sed non vacat singula discutere legatur S. Thom. *in* 1. *dist.* 35. *q.* 1. *ar.* 3.

24 Aduerto autem hic, verum esse, quod motiuum assensus sit causa obiectiuè mouens; sed non est primum obiectiue mouens, quod conuenit tantum speciei; nam omnis assensus resoluitur inter homines in aliquam primam cognitionem, quæ respiciat aliquod motiuum, quod necessariò vel est obiecti intrinseca intelligibilitas, vel species supplens eius defectum.

25 Cum his autem omnino stare debet, omnes sensus, aliquod transitiuè attingere, & non meras imagines in se receptas: experimur enim nos videre colores, de quibus certificamur, & non ita certificamur de speciebus; ideoque quilibet interrogatus quid videat, non respondet, se videre speciem, sed statim affirmat se videre colorem, & lucem.

DISPVTATIO NONA

De anima separata.

HIs status separationis tantum spectat ad animam hominis; de animabus enim brutorum certum est non perseuerare post illorum mortem. Multa inquiri possunt de hoc statu; præcipuè duo: primum est, quibus rationibus probetur animam hominis post separationem in æternum victuram? secundum, quomodo anima separata naturaliter operetur? Alia autem quæ inuestigari possunt, sunt leuioris momenti.

SECTIO I.

Vtrum anima rationalis sit naturaliter immortalis?

Animam esse immortalem ab intrinseco est fide sācitum.

1 FIde sanctum est, animam rationalem esse substantiam spiritualem, immortalem, & incorruptibilem. Spiritualitatem ostendunt plura scripturæ testimonia apud Suarium *lib.* 1. *de anima capite* 9. & definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, *capite firmiter de summa Trinitate.* Immortalitas item constat ex eisdem fontibus apud citatum Suarium cap. 10. Concilium enim *Lateranense* sub Leone Decimo sessione 8. (*Cum diebus,* inquit, *nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod sit mortalis; & aliqui temerè philosophantes, secundum saltem philosophiam, verum esse asseruerint, sacro approbante Concilio damnamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse: cum illa non solum verè, & per se, & essentialiter corporis forma existat; verum immortalis.*) Ex quo patet de fide esse, quod anima sit ex natura sua, sicuti forma corporis, ita & immortalis.

Atboritas concilij Lateranensis

Hæc veritas est ratione demonstrabilis.

2 Hæc autem immortalitas est ratione demonstrabilis: quod adeo certum putauit Canus, vel libro 12. de locis Thelog. capite 15. propositione 3. dixerit *contrarium erroneum:* & propositione 4. *periculosum & temerariū:* & primo loco addit: *Ne dicam hæreticum,* secundo *Ne quid amplius addam.* Et sane diuina Scriptura vocat *insipientes, & cæcos* eos, qui negant animæ immortalitatem: *sapientiæ secundo, ac tertio* non minus ac psalmo 53. de insipiente habetur: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus:* ergo sicuti Deus est demōstrabilis, ita & anima existentia: Neque verò dici rigorosè potest insipiens, & cæcus, qui negat rem probabilem, & non demonstrabilem.

Demōstratur ratione.

3 Secundò, natura non deficit vlli animali in necessariis ad vitam secundum propriam naturam ducendam: ergo neque deficit homini ad ducendam vitam secundum suam naturam, iuxta rationem videlicet, & virtutem: quo argumento a minori ad maius vetus

Chri-

folia papyri sunt diaphana, at si multiplicentur, opacantur, & impediunt ne in cubile trasmittatur lumen: cuius rei ratio est, quia extima superficies debet necessario posse videri, & cadere sub sensũ, id exigẽte bono vniuersi; quod autẽ videtur debet esse diaphanum terminatum. Exquibus facile, quis colliget, separatas superficies, si sunt possibiles, omnes futuras luci pervias, & diaphanas.

Cur sensus non percipiat durationes.

17 Quæres quarto: cur sensus non percipiat durationem? Respondeo, quia duratio est ens fluens essentialiter dicens partes priores, & posteriores: quare vt formaliter percipiatur duratio, eadem est ratio de motu; debet percipi ille fluxus, & fieri comparatio partiũ: quod est proprium intellectus, vt alias notabam, & hic suppono.

18 Quæres quinto: Verum dum anima est vnita corpori intellectus semper intelligat cum actuali dependentia à specie materiali; ita vt in priori ad intellectionem semper necessario præcedat aliqua sensatio, & species rei sensibilis? Respondeo naturaliter ita accidere: quia anima rationalis vnitur corpori, vt inde hauriat scientiam: ergo videtur determinata, vt dum est in corpore, nihil intelligat, nisi cum dependentia à sensu, ac sub imagine rerum corporearum, quibus à sensu suo modo acceptis, illarum instar, res alias, quas per discursum infert, cognoscat. Confirmatur; quia si aliqua cognitio intellectualis potest naturaliter indepẽdenter à sensibus exerceri ab anima; iam posset anima se ab initio intuitiuè cognoscere; est enim eius cognoscibilitas maximè proportionata eiusdem virtuti cognoscitiua & maximè illi pręsens: vnde igitur impeditur quo minus se intuitiuè cognoscat? legatur Conptonus *disp.* 15. *sect.* 4. & Maurus *quest.* 40. Non negauerim autem posse intellectum per discursum inuenire multa obiecta, & veritates nullo modo sibi à sensu subministratas: at id nunquam præstabit nisi primo excitetur ab aliqua sensatione, ac se conuertat ad pręuium phantasma, cuius instar apprehendat res illas, & nouas inuentas veritates: sicuti neque negauerim dependenter ab hac inuentione intellectuali excitari in sensu phantasmata, quæ exprimant obiecta quidem corporalia, sed habentia aliquã proportionem cum obiectis ab intellectu inuentis: illis autem obiectis corporalibus deinde vtatur intellectus ad formandos meliores conceptus, & discursus circa res iam prius inuentas, de quo puncto hæc innuisse sufficiat.

Intellectus humanus indiget speciebus pro omnibus suis actibus.

19 Quæres sexto; in ordine ad quos actus intellectus indigeat speciei concursu? Respondeo, in ordine ad omnes. Fuerit qui dicat, intellectum speciebus indigere, quoad primam apprehensionem, non in ordine ad reliquos actus: quia videlicet per apprehensionem intellectus sufficienter instructus est ad iudiciũ, & per præmissas ad conclusionem: sed vniuersaliter probatur responsio; quia non magis apprehensio, quam iudicium, & conclusio habent prędicatum propter quod necessaria est species: prædicatum enim illud est, quod sit expressio obiecti, eiusque imago; quod prędicatum ęque inuenitur in iudicio, & conclusione, ac in prima apprehensione: neque apprehensio præuia ad iudicium, & præmissę pręuiæ ad conclusionem inuentæ à natura sũt ad causandum in actu prædicatum iam dictũ; sed ad alios fines, vt videlicet per apprehensiones, imo in ipsis apprehensionibus intellectus videat conuenientiam, vel disconuenientiam terminorum; vnde possit rationabiliter efformare iudicium negatiuum, vel affirmatiuum: & in præmissis iudicando de identitate vel distinctione, extremorum cum medio, videat identitatem vel distinctionem extremorum inter se, vt inde determinetur ad conclusionem negatiuam, vel affirmatiuam. Vbi notandum est, munus specierum non esse determinare potentiam ad actum producendum; nã multę species existentes in intellectu, tum Angelico, tum humano non actu determinant potentiam; sed tantum esse necessario complere modo dicto potentiam.

Quid sit speciem se tenere ex parte obiecti.

20 Quęres septimo: quid sit speciem se tenere ex parte obiecti? Respondeo, esse cõmunem omnium sensum speciem impressam esse vicariam obiecti, se tenere ex partę obiecti, influere obiectiuè, & similes de hoc negotio circumferuntur phrases, quæ idem apud omnes significant: indagandum nunc est, quid tandem id sit: & quidem id non est actiuè concurrere ad cognitionem; nam & si id conueniat speciei, non sufficit, vt dicatur se tenere ex parte obiecti: cum etiam potentia concurrat actiuè, neque propterea concurrit obiectiuè, vel ex parte obiecti. Neque pręcise est determinare potentiam ad actum; nam primo, imperium voluntatis determinat intellectum ad multos actus, neque est species impressa: quin imo, cum supposita specie adhuc intellectus non nunquam indigeat imperio voluntatis; apertè deducitur proprium speciei non esse determinare; neque verò imperium voluntatis potest supponere intellectum impotentem, & carentem specie.

Nõ est purè actiuè concurrere, neque determinare potentiam.

21 Pręterea dantur aliquę species impressę, quę ob suam imperfectionem, actu non determinant ad cognitionem, vt species visibiles receptę in aere; & intelligibiles conseruatę, tum in anima, tum in substantia Angeli, quę non semper actu actiuè determinant ad cognitionem obiecti, aliter non esset locus memorię. Quid, quod non minus potentia potest determinari per speciem ad cognitionem obiecti, & intensionem illius, quam species per potentiam? nam tum species visibilis extra oculum non est actu determinata ad visionis productionem, & vnita cum oculo perfectiori, & imperfectiori ad visionem perfectiorem, & imperfectiorem determinatur; tum oculus sine specie non est determinatus

ad

ad visionem, & vnitus cum ſpecie perfectiori vel imperfectiori determinatur ad visionem perfectiorem, vel imperfectiorem.

22 Igitur ſpecies inpreſſa ſe tenet ex parte obiecti; quia reddit illud proxime potens mouere ad cognitionem, eoque modo complet eius cognoſcibilitatem actiuam: obiectū enim non ſolum terminat cognitionem, quod præſtat per cognoſcibilitatem paſſiuam, ſed etiam cauſat, & mouet ad cognitionem, quod preſtat per cognoſcibilitatem actiuam: aliquando autem eſt obiectum aptum per ſuum eſſe intrinſecum mouere ad ſui cognitionem; & tunc eſt proximè cognoſcibile cognoſcibilitate actiua, ita vt, ſi deficiat cognitio, non proueniat ex defectu obiecti: aliquando obiectum non eſt ſecundum ſua intrinſeca aptum mouere ad cognitionem ſui, & tunc non eſt proximè cognoſcibile cognoſcibilitate actiua; ſed reddi debet tale per aliquod ſuperadditum.

Species ſe tenet ex parte obiecti quia eſt inſtrumentum ex natura ſua ordinatū ad supplēdum, & cōplendam cognoſcibilitatem actiuam obiecti.

23 Ex his patet ſolutio quæſtionis: dicendum enim eſt, ſpeciem impreſſam ſe tenere ex parte obiecti; quia eſt inſtrumentum ex natura ſua ordinatum ad ſupplendam, & complendam cognoſcibilitatem obiecti. Facilius autem, & clarius rem hanc exponunt Antonius Perez *disp. 2. de viſione* Dei *nu.* 123. & Cardinalis Pallauicinus *lib. 8. qui eſt de Deo capite* 28. aſſerentes, ſpeciem impreſſam debere non ſolum dicto modo actiue concurrere ad productionem actus, ſed etiam actum ipsū, ad quem mouet, terminare; eoque modo illuminare obiectum; quod ſicuti ſecundum ſe, & præciſa ſpecie eſt impotens mouere ad ſui cognitionem; ita eſt veluti obtenebratum. Et quemadmodum lux corporea ita illuminat colores, vt ſimul ipſa videatur; eoque modo reddit colores proxime viſibiles; ita quæcūque ſpecies reddit ſuum obiectum proximè cognoſcibile, illudque illuminat: quia complet eius cognoſcibilitatem actiuam ex parte obiecti; ideſt tamquam obiectum cognoſcendum: quod pluribus confirmant, ſed non vacat ſingula diſcutere legatur S. Thom. *in* 1. *diſt.* 35. *q.* 1. *ar.* 3.

24 Aduerto autem hic, verum eſſe, quod motiuum aſſenſus ſit cauſa obiectiuè mouens; ſed non eſt primum obiectiue mouens, quod conuenit tantum ſpeciei; nam omnis aſſenſus reſoluitur inter homines in aliquam primam cognitionem, quæ reſpiciat aliquod motiuum, quod neceſſariò vel eſt obiecti intrinſeca intelligibilitas, vel ſpecies ſupplens eius defectum.

25 Cum his autem omnino ſtare debet, omnes ſenſus, aliquod tranſitiuè attingere, & non meras imagines in ſe receptas: experimur enim nos videre colores, de quibus certificamur, & non ita certificamur de ſpeciebus; ideoque quilibet interrogatus quid videat, non reſpondet, ſe videre ſpeciem, ſed ſtatim affirmat ſe videre colorem, & lucem.

DISPVTATIO NONA

De anima ſeparata.

His ſtatus ſeparationis tantum ſpectat ad animam hominis; de animabus enim brutorum certum eſt non perſeuerare poſt illorum mortem. Multa inquiri poſſunt de hoc ſtatu; præcipuè duo: primum eſt, quibus rationibus probetur animam hominis poſt ſeparationem in æternum victuram? ſecundum, quomodo anima ſeparata naturaliter operetur? Alia autem quæ inueſtigari poſſunt, ſunt leuioris momenti.

SECTIO I.

Vtrum anima rationalis ſit naturaliter immortalis?

Animam eſſe immortalem ab intrinſeco eſt fide ſāctum.

1 Fide ſanctum eſt, animam rationalem eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, immortalem, & incorruptibilem. Spiritualitatem oſtendunt plura ſcripturæ teſtimonia apud Suarium *lib.* 1. *de anima capite* 9. & definitur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio, *capite firmiter de ſumma Trinitate*. Immortalitas item conſtat ex eiſdem fontibus apud citatum Suarium cap. 10. Concilium enim Lateranenſe ſub Leone Decimo ſeſſione 8. (*Cum diebus,* inquit, *noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quod ſit mortalis; & aliqui temerè philoſophantes, ſecundum ſaltem philoſophiam verum eſſe aſſeruerint; ſacro approbante Concilio damnamus omnes aſſerentes animam intellectiuam mortalem eſſe: cum illa non ſolum verè, & per ſe, & eſſentialiter corporis forma exiſtat; verum immortalis.*) Ex quo patet de fide eſſe, quod anima ſit ex natura ſua, ſicuti forma corporis, ita & immortalis.

Athoritas concilij Lateranenſis

Hæc veritas eſt ratione demonſtrabilis.

2 Hæc autem immortalitas eſt ratione demōſtrabilis: quod adeo certum putauit Canus, ve libro 12. de locis Theolog. capite 15. propoſitione 3. dixerit *contrarium erroneum*: & propoſitione 4. *periculoſum & temerariū*: & primo loco addit: *Ne dicam hæreticum* ſecundo *Ne quid amplius addam*. Et ſane diuina Scriptura vocat *inſipientes, & cæcos* eos, qui negant animæ immortalitatem: *ſapientiæ ſecundo, ac tertio* non minus, ac pſalmo 53. de inſipiente habetur: *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus:* ergo ſicuti Deus eſt demōſtrabilis, ita & animæ exiſtentia: Neque verò dici rigoroſè poteſt inſipiens, & cæcus, qui negat rem probabilem, & non demonſtrabilem.

Demōſtratur ratione.

3 Secundò, natura non deficit vlli animali in neceſſarijs ad vitam ſecundum propriam naturam ducendam: ergo neque deficit homini ad ducendam vitam ſecundum ſuam naturam, iuxta rationem videlicet, & virtutem: quo argumento a minori ad maius vetus

Chri-

folia papyri sunt diaphana, at si multiplicentur, opacantur, & impediunt ne in cubile trasmittatur lumen: cuius rei ratio est, quia extima superficies debet necessario posse videri, & cadere sub sensu, id exigēte bono vniuersi; quod autē videtur debet esse diaphanum terminatum. Ex quibus facile, quis colliget, separatas superficies, si sunt possibiles, omnes futuras luci peruias, & diaphanas.

Cur sensus non percipiat durationes.

17 Quæres quarto: cur sensus non percipiat durationem? Respondeo, quia duratio est ens fluens essentialiter dicens partes priores, & posteriores: quare vt formaliter percipiatur duratio, eadem est ratio de motu; debet percipi ille fluxus, & fieri comparatio partiū: quod est proprium intellectus, vt alias notatabam, & hic suppono.

18 Quæres quinto: Vtrum dum anima est vnita corpori intellectus semper intelligat cum actuali dependentia à specie materiali; ita vt in priori ad intellectionem semper necessario præcedat aliqua sensatio, & species rei sensibilis? Respondeo naturaliter ita accidere: quia anima rationalis vnitur corpori, vt inde hauriat scientiam: ergo videtur determinata, vt dum est in corpore, nihil intelligat, nisi cum dependentia à sensu, ac sub imagine rerum corporearum, quibus à sensu suo modo acceptis, illarum instar, res alias, quas per discursum infert, cognoscat. Confirmatur; quia si aliqua cognitio intellectualis posset naturaliter independenter à sensibus exerceri ab anima; iam posset anima se ab initio intuitiuè cognoscere; est enim eius cognoscibilitas maximè proportionata eiusdem virtuti cognoscitiuæ & maximè illi præsens: vnde igitur impeditur quo minus se intuitiuè cognoscat? legatur Comptonus *disp.* 15. *sect.* 4. & Maurus *quæst.* 40. Non negauerim autem posse intellectum per discursum inuenire multa obiecta, & veritates nullo modo sibi à sensu subministratas: at id nunquam præstabit nisi primo excitetur ab aliqua sensatione, ac se conuertat ad pręuium phantasma, cuius instar apprehendat res illas, & nouas inuentas veritates: sicuti neque negauerim dependenter ab hac inuentione intellectuali excitari in sensu phantasmata, quæ exprimant obiecta quidem corporalia, sed habentia aliquā proportionem cum obiectis ab intellectu inuentis: illis autem obiectis corporalibus deinde vtatur intellectus ad formandos meliores conceptus, & discursus circa res iam prius inuentas, de quo puncto hæc innuisse sufficiat.

Intellectus humanus indiget speciebus pro omnibus suis actibus.

19 Quæres sexto; in ordine ad quos actus intellectus indigeat speciei concursu: Respondeo, in ordine ad omnes. Fuerit qui dicat, intellectum speciebus indigere, quoad primam apprehensionem, non in ordine ad reliquos actus: quia videlicet per apprehensionem intellectus sufficienter instructus est ad iudiciū, & per præmissas ad conclusionem: sed vniuersaliter probatur responsio; quia non magis apprehensio, quam iudicium, & conclusio habent prędicatum propter quod necessaria est species: prædicatum enim illud est, quod sit expressio obiecti, eiusque imago; quod prędicatum ęque inuenitur in iudicio, & conclusione, ac in prima apprehensione: neque apprehensio præuia ad iudicium, & præmissę prǽuiæ ad conclusionem inuentæ à natura sūt ad causandum in actu prædicatum iam dictū; sed ad alios fines, vt videlicet per apprehensiones, imo in ipsis apprehensionibus intellectua videat conuenientiam, vel disconuenientiam terminorum; vnde possit rationabiliter efformare iudicium negatiuum, vel affirmatiuum: & in præmissis iudicando de identitate vel distinctione, extremorum cum medio, videat identitatem vel distinctionem extremorum inter se, vt inde determinetur ad conclusionem negatiuam, vel affirmatiuam. Vbi notandum est, munus specierum non esse determinate potentiam ad actum producendum; nā multę species existentes in intellectu, tum Angelico, tum humano non actu determinant potentiam; sed tantum esse necessaria comprimendo dicto potentiam.

Quid sit speciem se tenere ex parte obiecti.

20 Quæres septimo: quid sit speciem se tenere ex parte obiecti? Respondeo, esse cōmunem omnium sensum speciem impressam esse vicariam obiecti, se tenere ex partę obiecti, influere obiectiuè, & similes de hoc negotio circumferuntur phrases, quæ idem apud omnes significant: indagandum nunc est, quid tandem id sit: & quidem id non est actiuè concurrere ad cognitionem; nam & si id conueniat speciei, non sufficit, vt dicatur se tenere ex parte obiecti: cum etiam potentia concurrat actiuè, neque propterea concurrit obiectiuè, vel ex parte obiecti. Neque pręcise est determinare potentiam ad actum; nam primo, imperium voluntatis determinat intellectum ad multos actus, neque est species impressa: quin imo, cum supposita specie adhuc intellectus non nunquam indigeat imperio voluntatis; apertè deducitur proprium speciei non esse determinare; neque verò imperium voluntatis potest supponere intellectum impotentem, & carentem specie.

Nō est pure actiue concurrere, neque determinare potētiam.

21 Pręterea dantur aliquę species impressę, quę ob suam imperfectionem, actu non determinant ad cognitionem, vt species visibiles receptę in aere; & intelligibiles conseruatę, tum in anima, tum in substantia Angeli, quę non semper actu actiuè determinant ad cognitionem obiecti, aliter non esset locus memorię. Quid, quod non minus potentia potest determinari per speciem ad cognitionem obiecti, & intensionem illius, quam species per potentiam? nam tum species visibilis extra oculum non est actu determinatā ad visionis productionem, & vnita cum oculo perfectiori, & imperfectiori ad visionem perfectiorem, & imperfectiorem determinatur; tum oculus sine specie non est determinatus ad

ad visionem, & vnitus cum specie perfectiori vel imperfectiori determinatur ad visionem perfectiorem, vel imperfectiorem.

22 Igitur species inpressa se tenet ex parte obiecti; quia reddit illud proxime potens mouere ad cognitionem, eoque modo complet eius cognoscibilitatem actiuam: obiectũ enim non solum terminat cognitionem, quod præstat per cognoscibilitatem passiuam, sed etiam causat, & mouet ad cognitionem, quod prestat per cognoscibilitatem actiuam: aliquando autem est obiectum aptum per suum esse intrinsecum mouere ad sui cognitionem; & tunc est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua, ita vt, si deficiat cognitio, non proueniat ex defectu obiecti: aliquando obiectum non est secundum sua intrinseca aptum mouere ad cognitionem sui, & tunc non est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua; sed reddi debet tale per aliquod superadditum.

Species se tenet ex parte obiecti quia est instrumentum ex natura sua ordinatũ ad supplẽdum, & cõplendam cognoscibilitatem actiuam obiecti.

23 Ex his patet solutio quæstionis: dicendum enim est, speciem impressam se tenere ex parte obiecti; quia est instrumentum ex natura sua ordinatum ad supplendam, & complendam cognoscibilitatem obiecti. Facilius autem, & clarius rem hanc exponunt Antonius Perez *disp. 2. de visione* Dei *nu. 123.* & Cardinalis Pallauicinus *lib. 8. qui est de Deo capite 28.* asserentes, speciem impressam debere non solum dicto modo actiue concurrere ad productionem actus, sed etiam actum ipsũ, ad quem mouet, terminare; eoque modo illuminare obiectum; quod sicuti secundum se, & præcisa specie est impotens mouere ad sui cognitionem; ita est veluti obtenebratum. Et quemadmodum lux corporea ita illuminat colores, vt simul ipsa videatur; eoque modo reddit colores proxime visibiles; ita quæcũque species reddit suum obiectum proximè cognoscibile, illudque illuminat: quia complet eius cognoscibilitatem actiuam ex parte obiecti; idest tamquam obiectum cognoscendum: quod pluribus confirmant, sed non vacat singula discurrere legatur S. Thom. *in 1. dist. 35. q. 1. ar. 3.*

24 Aduerto autem hic, verum esse, quod motiuum assensus sit causa obiectiuè mouens; sed non est primum obiectiue mouens, quod conuenit tantum speciei; nam omnis assensus resoluitur inter homines in aliquam primam cognitionem, quæ respiciat aliquod motiuum, quod necessariò vel est obiecti intrinseca intelligibilitas, vel species supplens eius defectum.

25 Cum his autem omnino stare debet, omnes sensus, aliquod transitiuè attingere, & non meras imagines in se receptas: experimur enim nos videre colores, de quibus certificamur, & non ita certificamur de speciebus; ideoque quilibet interrogatus quid videat, non respondet, se videre speciem, sed statim affirmat se videre colorem, & lucem.

DISPVTATIO NONA

De anima separata.

His status separationis tantum spectat ad animam hominis; de animabus enim brutorum certum est, non perseuerare post illorum mortem. Multa inquiri possunt de hoc statu; præcipuè duo: primum est, quibus rationibus probetur animam hominis post separationem in æternum victuram? secundum, quomodo anima separata naturaliter operetur? Alia autem quæ inuestigari possunt, sunt leuioris momenti.

SECTIO I.

Vtrum anima rationalis sit naturaliter immortalis?

1 Fide sanctum est, animam rationalem esse substantiam spiritualem, immortalem, & incorruptibilem. Spiritualitatem ostendunt plura scripturæ testimonia apud Suarium *lib. 1. de anima capite 9.* & definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, *capite firmiter de summa Trinitate*. Immortalitas item constat ex eisdem fontibus apud citatum Suarium cap. 10. Concilium enim Lateranense sub Leone Decimo sessione 8. (*Cum diebus,* inquit, *nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod sit mortalis; & aliqui temerè philosophantes, secundum saltem philosophiam, verum esse asseruerint; sacro approbante Concilio damnamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse: cum illa non solum verè, & per se, & essentialiter corporis forma existat; verum immortalis.*) Ex quo patet de fide esse, quod anima sit ex natura sua, sicuti forma corporis, ita & immortalis.

Animam esse immortalem ab intrinseco est fide sãctum.

Athoritas concilij Lateranensis

2 Hæc autem immortalitas est ratione demõstrabilis: quod adeo certum putauit Canus, vt libro 12. de locis Thelog. capite 15. propositione 3. dixerit *contrarium erroneum:* & propositione 4. *periculosum & temerariũ:* & primo loco addit: *Ne dicam hæreticum* secundo *Ne quid amplius addam.* Et sane diuina Scriptura vocat *insipientes, & cæcos* eos, qui negant animæ immortalitatem: *sapientiæ secundo, ac tertio* non minus, ac psalmo 53. de insipiente habetur: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus:* ergo sicuti Deus est demõstrabilis, ita & anima existentia: Neque verò dici rigorosè potest insipiens, & cæcus, qui negat rem probabilem, & non demonstrabilem.

Hæc veritas est ratione demõstrabilis.

3 Secundò, natura non deficit vlli animali in necessarijs ad vitam secundum propriam naturam ducendam: ergo neque deficit homini ad ducendam vitam secundum suam naturam, iuxta rationem videlicet, & virtutem: quo argumento a minori ad maius vetus

Demõstratur ratione.

Chri-

folia papyri sunt diaphana, at si multipli cēntur, opacantur, & impediunt ne in cubile trasmittatur lumen: cuius rei ratio est, quia extima superficies debet necessario posse videri, & eadere sub sensū, id exigēte bono vniuersi; quod autē videtur debet esse diaphanum terminatum. Exquibus facile, quis colliget, separatas superficies, si sunt possibiles, omnes futuras luci peruias, & diaphanas.

Cur sensus non percipiat durationes.

17 Quæres quarto: cur sensus non percipiat durationem? Respondeo, quia duratio est ens fluens essentialiter dicens partes priores, & posteriores: quare vt formaliter percipiatur duratio, eadem est ratio de motu; debet percipi ille fluxus, & fieri comparatio partiū: quod est proprium intellectus, vt alias notatabam, & hic suppono.

18 Quæres quinto: Verum dum anima est vnita corpori intellectus semper intelligat cum actuali dependentia à specie materiali; ita vt in priori ad intellectionem semper necessario præcedat aliqua sensatio, & species rei sensibilis? Respondeo naturaliter ita accidere: quia anima rationalis vnitur corpori, vt inde hauriat scientiam: ergo videtur determinata, vt dum est in corpore, nihil intelligat, nisi cum dependentia à sensu, ac sub imagine rerum corporearum, quibus à sensu suo modo acceptis, illarum instar, res alias, quas per discursum infert, cognoscat. Confirmatur; quia si aliqua cognitio intellectualis posset naturaliter independenter à sensibus exerceri ab anima; iam posset anima se ab initio intuitiuè cognoscere; est enim eius cognoscibilitas maximè proportionata eiusdem virtuti cognoscitiuæ & maximè illi præsens: vnde igitur impeditur quo minus se intuitiuè cognoscat? legatur Conpronus *disp. 15. sect. 4.* & Maurus *quæst. 40.* Non negauerim autem posse intellectum per discursum inuenire multa obiecta, & veritates nullo modo sibi à sensu subministratas: at id nunquam præstabit nisi primo excitetur ab aliqua sensatione, ac se conuertat ad prçuium phantasma, cuius instar apprehendat res illas, & nouas inuentas veritates: sicuti neque negauerim dependenter ab hac inuentione intellectuali excitari in sensu phantasmata, quæ exprimant obiecta quidem corporalia, sed habentia aliquā proportionem cum obiectis ab intellectu inuentis: illis autem obiectis corporalibus deinde vtatur intellectus ad formandos meliores conceptus, & discursus circa res iam prius inuentas, de quo puncto hæc innuisse sufficiat.

Intellectus humanus indiget speciebus pro omnibus suis actibus.

19 Quæres sexto; in ordine ad quos actus intellectus indigeat speciei concursu? Respondeo, in ordine ad omnes. Fuerit qui dicat, intellectum speciebus indigere, quoad primam apprehensionem, non in ordine ad reliquos actus: quia videlicet per apprehensionem intellectus sufficienter instructus est ad iudiciū, & per præmissas ad conclusionem: sed vniuersaliter probatur responsio; quia non magis apprehensio, quam iudicium, & conclusio habent prędicatum propter quod necessaria est species: prædicatum enim illud est, quod sit expressio obiecti, eiusque imago; quod prędicatum eque inuenitur in iudicio, & conclusione, ac in prima apprehensione: neque apprehensio præuia ad iudicium, & præmissę prçuiæ ad conclusionem inuentæ à natura sūt ad causandum in actu prædicatum iam dictū; sed ad alios fines, vt videlicet per apprehensiones, imo in ipsis apprehensionibus intellectus videat conuenientiam, vel disconuenientiam terminorum; vnde possit rationabiliter efformare iudicium negatiuum, vel affirmatiuum: & in præmissis iudicando de identitate vel distinctione, extremorum cum medio, videat identitatem vel distinctionem extremorum inter se, vt inde determinetur ad conclusionem negatiuam, vel affirmatiuam. Vbi notandum est, munus specierum non esse determinare potentiam ad actum producendum; nā multę species existentes in intellectu, tum Angelico, tum humano non actu determinant potentiam: sed tantum esse necessario complere modo dicto potentiam.

Quid sit speciem se tenere ex parte obiecti.

20 Quæres septimo: quid sit speciem se tenere ex parte obiecti? Respondeo, esse cōmunem omnium sensum speciem impressam esse vicariam obiecti, se tenere ex partę obiecti, influere obiectiuè, & similes de hoc negorio circumferuntur phrases, quæ idem apud omnes significant: indagandum nunc est, quid tandem id sit: & quidem id non est actiuè concurrere ad cognitionem; nam & si id conueniat speciei, non sufficit, vt dicatur se tenere ex parte obiecti: cum etiam potentia concurrat actiuè, neque propterea concurrit obiectiuè, vel ex parte obiecti. Neque præcise est determinare potentiam ad actum; nam primo, imperium voluntatis determinat intellectum ad multos actus, neque est species impressa: quin imo, cum supposita specie adhuc intellectus non nunquam indigeat imperio voluntatis; apertè deducitur proprium speciei non esse determinare; neque verò imperium voluntatis potest supponere intellectum impotentem, & carentem specie.

Nō est pure actiue concurrere, neque determinare potētiam.

21 Pręterea dantur aliquę species impressę, quę ob suam imperfectionem, actu non determinant ad cognitionem, vt species visibiles receptę in aere; & intelligibiles conseruatę, tum in anima, tum in substantia Angeli, quę non semper actu actiuè determinant ad cognitionem obiecti, aliter non esset locus memorię. Quid, quod non minus potentia potest determinari per speciem ad cognitionem obiecti, & intensionem illius, quam species per potentiam? nam tum species visibilis extra oculum non est actu determinata ad visionis productionem, & vnita cum oculo perfectiori, & imperfectiori ad visionem perfectiorem, & imperfectiorem determinatur; tum oculus sine specie non est determinatus ad

aliud

ad visionem, & vnitus cum specie perfectiori vel imperfectiori determinatur ad visionem perfectiorem, vel imperfectiorem.

22 Igitur species inpressa se tenet ex parte obiecti; quia reddit illud proxime potens mouere ad cognitionem, eoque modo complet eius cognoscibilitatem actiuam: obiectũ enim non solum terminat cognitionem, quod præstat per cognoscibilitatem passiuam, sed etiam causat, & mouet ad cognitionem, quod prestat per cognoscibilitatem actiuam: aliquando autem est obiectum aptum per suum esse intrinsecum mouere ad sui cognitionem; & tunc est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua, ita vt, si deficiat cognitio, non proueniat ex defectu obiecti: aliquando obiectum non est secundum sua intrinseca aptum mouere ad cognitionem sui, & tunc non est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua; sed reddi debet tale per aliquod superadditum.

Species se tenet ex parte obiecti quia est instrumentum ex natura sua ordinatũ ad supplendum, & cõplendam cognoscibilitatem actiuam obiecti.

23 Ex his patet solutio quæstionis: dicendum enim est, speciem impressam se tenere ex parte obiecti; quia est instrumentum ex natura sua ordinatum ad supplendam, & complendam cognoscibilitatem obiecti. Facilius autem, & clariùs rem hanc exponunt Antonius Perez *disp. 2. de visione* Dei *nu. 123.* & Cardinalis Pallauicinus *lib. 8. qui est de Deo capite 28.* asserentes, speciem impressam debere non solum dicto modo actiue concurrere ad productionem actus, sed etiam actum ipsũ, ad quem mouet, terminare; eoque modo illuminare obiectum; quod sicuti secundum se, & præcisa specie est impotens mouere ad sui cognitionem; ita est veluti obtenebratum. Et quemadmodum lux corporea ita illuminat colores, vt simul ipsa videatur; eoque modo reddit colores proxime visibiles; ita quæcũque species reddit suum obiectum proximè cognoscibile, illudque illuminat: quia complet eius cognoscibilitatem actiuam ex parte obiecti; idest tamquam obiectum cognoscendum: quod pluribus confirmant, sed non vacat singula discutare legatur S. Thom. *in 1. dist. 35. q. 1. ar. 3.*

24 Aduerto autem hic verum esse, quod motiuum assensus sit causa obiectiuè mouens; sed non est primum obiectiue mouens, quod conuenit tantum speciei; nam omnis assensus resoluitur inter homines in aliquam primam cognitionem, quæ respiciat aliquod motiuum, quod necessariò vel est obiecti intrinseca intelligibilitas, vel species supplens eius defectum.

25 Cum his autem omnino stare debet, omnes sensus, aliquod transitiuè attingere, & non meras imagines in se receptas: experimur enim nos videre colores, de quibus certificamur, & non ita certificamur de speciebus; ideoque quilibet interrogatus quid videat, non respondet, se videre speciem, sed statim affirmat se videre colorem, & lucem.

DISPVTATIO NONA

De anima separata.

His status separationis tantum spectat ad animam hominis; de animabus enim brutorum certum est, non perseuerare post illorum mortem. Multa inquiri possunt de hoc statu; præcipuè duo: primum est, quibus rationibus probetur animam hominis post separationem in æternum victuram? secundum quomodo anima separata naturaliter operetur? Alia autem quæ inuestigari possunt, sunt leuioris momenti.

SECTIO I.

Vtrum anima rationalis sit naturaliter immortalis?

Animam esse immortalem ab intrinseco est fide sãctum.

1 Fide sanctum est, animam rationalem esse substantiam spiritualem, immortalem, & incorruptibilem. Spiritualitatem ostendunt plura scripturæ testimonia apud Suarium *lib. 1. de anima capite 9.* & definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, *capite firmiter de summa Trinitate*. Immortalitas item constat ex eisdem fontibus apud citatum Suarium cap. 10. Concilium enim *Lateranense* sub Leone Decimo sessione 8. (*Cum diebus,* inquit, *nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quod sit mortalis; & aliqui temerè philosophantes, secundum saltem philosophiam, verum esse asseruerint; sacro approbante Concilio damnamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse: cum illa non solum verè, & per se, & essentialiter corporis forma existat; verùm immortalis.*) Ex quo patet de fide esse, quod anima sit ex natura sua, sicuti forma corporis, ita & immortalis.

Atboritas concilij Lateranensis

Hæc veritas est ratione demonstrabilis.

2 Hæc autem immortalitas est ratione demõstrabilis: quod adeo certum putauit Canus, vel libro 12. de locis Thelog. capite 15. propositione 3. dixerit *contrarium erroneum:* & propositione 4. *periculosum & temerariũ:* & primo loco addit: *Ne dicam hæreticum* secundo *Ne quid amplius addam.* Et sane diuina Scriptura vocat *insipientes, & cæcos* eos, qui negant animæ immortalitatem: *sapientiæ secundo, ac tertio* non minus, ac psalmo 53. de insipiente habetur: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus:* ergo sicuti Deus est demõstrabilis, ita & animæ existentia: Neque verò dici rigorosè potest insipiens, & cæcus, qui negat rem probabilem, & non demonstrabilem.

Demõstratur ratione.

3 Secundò, natura non deficit vlli animali in necessarijs ad vitam secundum propriam naturam ducendam: ergo neque deficit homini ad ducendam vitam secundum suam naturam, iuxta rationem videlicet, & virtutem: quo argumento a minori ad maius veius

Chri-

folia papyri sunt diaphana, at si multiplicentur, opacantur, & impediunt ne in cubile trasmittatur lumen: cuius rei ratio est, quia extima superficies debet necessario posse videri, & cadere sub sensũ, id exigẽte bono vniuersi; quod autẽ videtur debet esse diaphanum terminatum. Exquibus facile, quis colliget, separatas superficies, si sunt possibiles, omnea futuras luci pervias, & diaphanas.

Cur sensus non percipiat durationes.

17 Quæres quarto: cur sensus non percipiat durationem? Respondeo, quia duratio est ens fluens essentialiter dicens partes priores, & posteriores: quare vt formaliter percipiatur duratio, eadem est ratio de motu; debet percipi ille fluxus, & fieri comparatio partiũ: quod est proprium intellectus, vt alias notatabam, & hic suppono.

18 Quæres quinto: Vtrum dum anima est vnita corpori intellectus semper intelligat cum actuali dependentia à specie materiali; ita vt in priori ad intellectionem semper necessario præcedat aliqua sensatio, & species rei sensibilis? Respondeo naturaliter ita accidere: quia anima rationalis vnitur corpori, vt inde hauriat scientiam: ergo videtur determinata, vt dum est in corpore, nihil intelligat, nisi cum dependentia à sensu, ac sub imagine rerum corporearum, quibus à sensu suo modo acceptis, illatum instar, res alias, quas per discursum infert, cognoscat. Confirmatur; quia si aliqua cognitio intellectualia potest naturaliter indepẽdenter à sensibus exerceri ab anima; iam posset anima se ab initio intuitiuè cognoscere; est enim eius cognoscibilitas maximè proportinnata eiusdem virtuti cognoscitiua & maximè illi pręsens: vnde igitur impeditur quo minus se intuitiuè cognoscat? legatur Conpronus *disp.* 15. *sect.* 4. & Maurus *quest.* 40. Non negauerim autem posse intellectum per discursum inuenire multa obiecta, & veritates nullo modo sibi à sensu subministratas: at id nunquam præstabit nisi primo excitetur ab aliqua sensatione, ac se conuertat ad pręuium phantasma, cuius instar apprehendat res illas, & nouas inuentas veritates: sicuti neque negauerim dependenter ab hac inuentione intellectuali excitari in sensu phantasmata, quæ exprimant obiecta quidem corporalia, sed habentia aliquã proportionem cum obiectis ab intellectu inuentis; illis autem obiectis corporalibus deinde vtatur intellectus ad formandos meliores conceptus, & discursus circa res iam prius inuentas, de quo puncto hæc innuisse sufficiat.

Intellectus humanus indiget speciebus pro omnibus suis actibus.

19 Quæres sexto; in ordine ad quos actus intellectus indigeat speciei concursu. Respondeo, in ordine ad omnes. Fuerit qui dicat, intellectum speciebus indigere, quoad primam apprehensionem, non in ordine ad reliquos actus: quia videlicet per apprehensionem intellectus sufficienter instructus est ad iudiciũ, & per præmissas ad conclusionem: sed vniuersaliter probatur responsio; quia non magis apprehensio, quam iudicium, & conclusię habent prędicatum propter quod necessaria est species: prædicatum enim illud est, quod sit expressio obiecti, eiusque imago; quod prędicatum ęque inuenitur in iudicio, & conclusione, ac in prima apprehensione: neque apprehensio præuia ad iudicium, & præmissę pręuiæ ad conclusionem inuentæ à natura sũt ad causandum in actu prædicatum iam dictũ; sed ad alios fines, vt videlicet per apprehensiones, imo in ipsis apprehensionibus intellectus videat conuenientiam, vel disconuenientiam terminorum; vnde possit rationabiliter efformare iudicium negatiuum, vel affirmatiuum: & in præmissis iudicando de identitate vel distinctione, extremorum cum medio, videat identitatem vel distinctionem extremorum inter se, vt inde determinetur ad conclusionem negatiuam, vel affirmatiuam. Vbi notandum est, munus specierum non esse determinare potentiam ad actum producendum; nã multę species existentes in intellectu, tum Angelico, tum humano non actu determinant potentiam; sed tantum esse necessario complere modo dicto potentiam.

Quid sit speciem se tenere ex parte obiecti.

20 Quęres septimo: quid sit speciem se tenere ex parte obiecti? Respondeo, esse cõmunem omnium sensum speciem impressam esse vicariam obiecti, se tenere ex partę obiecti, influere obiectiuè, & similes de hoc negotio circumferuntur phrases, quæ idem apud omnea significant: indegandum nunc est, quid tandem id sit: & quidem id non est actiuè concurrere ad cognitionem; nam & si id conueniat speciei, non sufficit, vt dicatur se tenere ex parte obiecti: cum etiam potentia concurrat actiuè, neque propterea concurrit obiectiuè, vel ex parte obiecti. Neque pręcise est determinare potentiam ad actum; nam primo, imperium voluntatis determinat intellectum ad multos actus, neque est species impressa: quin imo, cum supposita specie adhuc intellectus non nunquam indigeat imperio voluntatis; apertè deducitur proprium speciei non esse determinare; neque verò imperium voluntatis potest supponere intellectum impotentem, & carentem specie.

Nõ est pure actiue concurrere, neque determinare potentiam.

21 Pręterea dantur aliquę species impressę, quę ob suam imperfectionem, actu non determinant ad cognitionem, vt species visibiles receptę in aere; & intelligibiles conseruatę, tum in anima, tum in substantia Angeli, quę non semper actu actiuè determinant ad cognitionem obiecti, aliter non esset locus memorię. Quid, quod non minus potentia potest determinari per speciem ad cognitionem obiecti, & intensionem illius, quam species per potentiam? nam tum species visibilis extra oculum non est actu determinata ad visionis productionem, & vnita cum oculo perfectiori, & imperfectiori ad visionem perfectiorem, & imperfectiorem determinatur; tum oculus sine specie non est determinatus

ad

ad visionem, & vnitus cum specie perfectiori vel imperfectiori determinatur ad visionem perfectiorem, vel imperfectiorem.

22 Igitur species inpressa se tenet ex parte obiecti; quia reddit illud proxime potens mouere ad cognitionem, eoque modo complet eius cognoscibilitatem actiuam: obiectũ enim non solum terminat cognitionem, quod praestat per cognoscibilitatem passiuam, sed etiam causat, & mouet ad cognitionem, quod prestat per cognoscibilitatem actiuam: aliquando autem est obiectum aptum per suum esse intrinsecum mouere ad sui cognitionem; & tunc est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua, ita vt, si deficiat cognitio, non proueniat ex defectu obiecti: aliquando obiectum non est secundum sua intrinseca aptum mouere ad cognitionem sui, & tunc non est proximè cognoscibile cognoscibilitate actiua; sed reddi debet tale per aliquod superadditum.

Species se tenet ex parte obiecti quia est instrumentum ex natura sua ordinatũ ad supplendam, & cõplendam cognoscibilitatem actiuam obiecti.

23 Ex his patet solutio quaestionis: dicendum enim est, speciem impressam se tenere ex parte obiecti; quia est instrumentum ex natura sua ordinatum ad supplendam, & complendam cognoscibilitatem obiecti. Facilius autem, & clarius rem hanc exponunt Antonius Perez *disp. 2. de visione* Dei *nu. 123.* & Cardinalis Pallauicinus *lib. 8. qui est de Deo capite 28.* asserentes, speciem impressam debere non solum dicto modo actiue concurrere ad productionem actus, sed etiam actum ipsũ, ad quem mouet, terminare; eoque modo illuminare obiectum; quod sicuti secundum se, & praecisa specie est impotens mouere ad sui cognitionem; ita est veluti obtenebratum. Et quemadmodum lux corporea ita illuminat colores, vt simul ipsa videatur; eoque modo reddit colores proxime visibiles; ita quaecũque species reddit suum obiectum proximè cognoscibile, illudque illuminat: quia complet eius cognoscibilitatem actiuam ex parte obiecti; idest tamquam obiectum cognoscendum: quod pluribus confirmant, sed non vacat singula discutere legatur S. Thom. *in 1. dist. 35. q. 1. ar. 3.*

24 Aduerto autem hic, verum esse, quod motiuum assensus sit causa obiectiuè mouens; sed non est primum obiectiue mouens, quod conuenit tantum speciei; nam omnis assensus resoluitur inter homines in aliquam primam cognitionem, quae respiciat aliquod motiuum, quod necessariò vel est obiecti intrinseca intelligibilitas, vel species supplens eius defectum.

25 Cum his autem omnino stare debet, omnes sensus, aliquod transitiuè attingere, & non meras imagines in se receptas: experimur enim nos videre colores, de quibus certificamur, & non ita certificamur de speciebus; ideoque quiliber interrogatus quid videat, non respondet, se videre speciem, sed statim affirmat se videre colorem, & lucem.

DISPVTATIO NONA

De anima separata.

HIs status separationis tantum spectat ad animam hominis; de animabus enim brutorum certum est non perseuerare post illorum mortem. Multa inquiri possunt de hoc statu; praecipuè duo: primum est, quibus rationibus probetur animam hominis post separationem in aeternum victuram? secundum, quomodo anima separata naturaliter operetur? Alia autem quae inuestigari possunt, sunt leuioris momenti.

SECTIO I.

Vtrum anima rationalis sit naturaliter immortalis?

Animam esse immortalem ab intrinseco est fide sãctum.

1 FIde sanctum est, animam rationalem esse substantiam spiritualem, immortalem, & incorruptibilem. Spiritualitatem ostendunt plura scripturae testimonia apud Suarium *lib. 1. de anima capite 9.* & definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, *capite firmiter de summa Trinitate.* Immortalitas item constat ex eisdem fontibus apud citatum Suarium cap. 10. Concilium enim Lateranense sub Leone Decimo sessione 8. (*Cum diebus*, inquit, *nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animae rationalis, quod sit mortalis; & aliqui temerè philosophantes, secundum saltem philosophiam, verum esse asseruerint; sacro approbante Concilio damnamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse: cum illa non solum verè, & per se, & essentialiter corporis forma existat; verum immortalis.*) Ex quo patet de fide esse, quod anima sit ex natura sua, sicuti forma corporis, ita & immortalis.

Athoritas concilij Lateranensis

Haec veritas est ratione demonstrabilis.

2 Haec autem immortalitas est ratione demõstrabilis: quod adeo certum putauit Canus, vt libro 12. de locis Thelog. capite 15. propositione 3. dixerit *contrarium erroneum:* & propositione 4. *periculosum & temerariũ:* & primo loco addit: *Ne dicam haereticum:* secundo *Ne quid amplius addam.* Et sane diuina Scriptura vocat *insipientes, & caecos* eos, qui negant animae immortalitatem: *sapientiae secundo, ac tertio* non minus, ac psalmo 53. de insipiente habetur: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus:* ergo sicuti Deus est demõstrabilis, ita & anima existentia: Neque verò dici rigorosè potest insipiens, & caecus, qui negat rem probabilem, & non demonstrabilem.

Demõstratur ratione.

3 Secundò, natura non deficit vlli animali in necessariis ad vitam secundum propriam naturam ducendam: ergo neque deficit homini ad ducendam vitam secundum suam naturam, iuxta rationem videlicet, & virtutem: quo argumento a minori ad maius vtitur

Chri-

Christus Dominus Matthæi 6. Sed ad viuendum secundum virtutem necesse est, vt homines habeant certam, & vniformem existimationem de diuina prouidentia retribuente pœnas, & præmia, iuxta merita; & de immortalitate animæ: statim enim, ac homines dubitant de his duabus veritatibus, eligunt vitam scelestam, & voluptuosam; ideoque de ijs, de quibus psalmo 53. dicitur, quod *dixerint in corde suo, non est Deus*, additur, *Abominabiles factæ sunt in vis suis*; & de ijs, qui putarunt animam mori cum tempore addit sapiens, dixisse: *Edamus, & bibamus &c.* de veritate autem indemostrabili præsertim supra sensum, & imaginationem, non potest naturaliter dari existimatio vniformis: est enim lumine naturæ incerta: ad minus ergo hæ veritates debent esse demonstrabiles sapientibus, quibus testantibus se habere demonstrationē, credant reliqui: sicuti illis credunt, solem esse incomparabiliter maiorem, quam apparet.

4 Confirmatur, quia consensus sapientiū testantium aliquam veritatem demonstrari, est effectus talis demonstrationis: ergo alij habent à posteriori demonstrationem illius demonstrationis. Confirmatur secundo; quia vt homines constanter ordinent suam vitam ad finem, necesse est vt habeant constantem existimationem finis: sicuti non potest sagittarius constanter dirigere sagittam ad scopum, quem fluctuante visione prospicit: finis autem hominis naturalis est felicitas à Deo post mortem obtinenda in præmium vitæ honestæ.

5 Confirmatur tertio; quia plures homines sanctissimi, & sapientissimi testantur se habuisse euidentiam de hac veritate: quod negare non possumus, nisi vel faciendo eos mendaces, vel rudes, qui demonstrationem veram ab apparente nequierint discernere. Augustinus tamen libro 3. *de Trinitate* huius rei difficultatem videns; *vix paucos* inquit, *magno præditos ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditos ad indagandam animæ immortalitatem peruenire potuisse.*

Anima est immortalis, quia est forma independens à materia.

6 Ostenditur tamen primo animæ immortalitas: quia omnis forma viuens, quæ non pendet à materia, est immortalis. Sed anima rationalis est forma viuens, quæ non pendet à materia: ergo est immortalis: maior probatur, quia talis forma non potest corrumpi per expulsionem à subiecto, a quo non dependet: neque per aduentum contrarij, quod enim caret subiecto, nullum habet contrarium, per cuius aduentum destruatur. Neque dicas corrumpi, quia exigit durare ad tempus determinatum: cum enim non ordinetur ad aliquem determinatum finem, qui cessare debeat, sicuti sunt plura accidentia; exigit potius semper durare. Minor principalis argumenti confirmatur: quia vt vidimus, anima rationalis est spiritualis, habens potentiam intellectiuam spiritualem, & principium operationum spiritualium: quod autem est huiusmodi, est independens à materia: ex quo à contrario sensu sequitur, omnes animas pure sensitiuas, & materiales, esse & dependentes à materia, & corruptibiles.

Duplex operandi modus competens animæ.

7 Hinc est quod anima, dum est vnita corpori operatur, speculando phantasmata per conuersionem ad illa, tamquam obiecta; separata tamen non est necesse, vt operando actu conuertatur ad phantasmata: quare sicuti animæ ex sua essentia competit duplex modus essendi, alter, cum vnitur materiæ, tamquam illius forma; alter per se subsistendi separata à materia: ita habet duos modos operandi; alterū per conuersionem ad phantasmata in statu vnionis; alterum per conuersionem ad purè intelligibilia, cum est separata.

Confirmatur ex scientia, & virtute.

8 Confirmatur: modus operandi animæ est per scientiam, & virtutem: perfectior autē est scientia, quo magis immaterialia considerat: perfectio autem virtutis consistit in hoc, quod homo non sequatur passiones corporis, sed rationem; ergo modus proprius operandi animæ perficitur per separationem à materia: ergo per separationem à materia anima non debet amittere esse: neque enim debet principium substantiale deficere, cum acquirit statum in quo perfecte operatur.

Ex eo, quod anima est supra cōtraria, & supra materiam.

9 Confirmatur secundo: ex duobus oritur corruptibilitas; ex dependentia a materia, & ex aduentu contrarij: ergo quod habet esse supra materiam, & supra contraria, est incorruptibile: sed omnis forma intellectiua habet esse supra materiam, & supra contraria: habet enim operationem supra materiam, & supra contraria; cum attingat materialia, & spiritualia, & diudicet omnia contraria: imo ea, quæ habent contrarietatem secundū suum esse materiale, quod habent in materia; non habent contrarietatem secundum esse intelligibile; possunt enim simul intelligi. Ex quo vlterius sequitur, animam esse intelligibiliter perfectibilem per omnia contraria: ergo non habet vllum contrarium.

10 Illud hic aduerto, rem esse supra materiam: quia, non adstringitur materia, sed ad alia extēditur. Hæc ratio hoc modo proposita est satis bona: vereor autem, ne sit efficacissima demonstratio; assumit enim nonnulla quæ quamuis sint vera; non sunt tamen ab omnibus recepta; cæterum puto illam coniecturam quemlibet intellectum bene dispositum, in quo firma sint prima principia non solum complexa, sed etiam incomplexa.

Ex appetitu felicitatis.

11 Secundò probatur: omne ens potest consequi, quod naturaliter appetit: appetitus enim naturalis, vtpote inditus à natura agente intellectuali, quod errare nequit, non potest esse frustra: sed omne intellectiuum appetit primo, & maxime naturali appetit felicitatem, & cognscit euidenter omnes suas actiones ad hunc finem dirigendas: ergo omne intellectiuum potest consequi felicitatem, & vitam felicem: ne dicamus appetitum in-

natum

natum entis adeò perfecti esse frustra: vnita autem non potest esse felix in aliquo gradu, si sit coniuncta cum aliquo metu exterminij, sicuti non potest esse felix vita hominis damnati ad suspendium.

12 Confirmatur: quia felicitas naturæ intellectiuæ magis sita est in spe, & securitate futuri; quam in possessione boni præsentis; & infelicitas non tam consistit in malo præsenti, quam in timore futuri: ideoque felicior est, qui detinetur in carcere, & scit, se mox euehendum ad regnum, quàm qui regnans, scit se quam primam in carcerem detrudendum; ergo anima viuens cum perpetuo timore, & certitudine exterminij, non posset, non esse misera.

Et ex eo, quod, quò anima esset sapientior, & melior, eò esset infelicior.

13 Confirmatur secundò: alias quò natura intellectiua esset perfectior, sapientior, melior, dignior, eò esset infelicior: quò quid absurdius? & sane quo perfectior, & sapientior est; eo melius cognoscit perfectionem bonorum æternorum: ergo magis timet exterminium, & ex eo timore euadit infelicior. Rursus quò est melior, eo magis præfert bona intelligibilia, & æterna materialibus, & fluxis: ergo euadit infelicior, & timore exterminij, & contemptu temporalium. Præterea quò diutius viuit, per opera honesta, eò euadit dignior felicitate, & in fine vitæ est dignissima; & tamen in fine esset infelicior, vtpote proxima exterminio. Hinc bene intulit Sanctus Paulus 1. Cor. 15. Si non est vita æterna, *nos infœliciores esse omnibus hominibus*. Et quidem sapientia, & bonitas essent ad torquendum naturam rationalem: talis enim natura torqueretur à cognitione bonorum æternorum, in qua sita est sapientia, & ab eorumdem amore, in quo sita est virtus; dum videret se illa non cõsequuturam. Hinc est quod bonum æternum non detegitur, nisi naturæ immortali; quia si detegeretur mortali, excitaretur in illa appetitus, quo redderetur infelix. Ex quo vlterius sequeretur, naturam intellectiuam mortalem debere auocare animum à contemplatione, & amore æternorum, quę ad ipsam non spectant: & deijcere ad fruitionem temporalium, & sensibilium: hoc autẽ est auocare à virtute, ad quam facta est anima rationalis. His adde, futuram fatuam sollicitudinem famæ, & gloriæ post mortem.

14 Confirmatur præterea: quia naturale est homini viuere secundum virtutem, & præferre bonum honestum iucundo; quod non haberet locum, si anima esset mortalis. Imo cum necessitate morali quilibet se traderet voluptatibus vitæ præsentis, ac diceret, *edamus, & bibamus cras enim moriemur*. Audi Apostolum citatum: *Si ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest? Edamus, & bibamus cras enim moriemur.*

Ex recta vniuersi gubernatione, ex præmijs, & pœnis.

15 Tertio probatur: recta gubernatio creaturarum postulat, vt iusti recipiant præmia benefactorum, iniusti criminum pœnas luant, sed in hac vita iusti, & aliquando ob iustitiã, vexãtur ab impijs impij autem exultant in operibus malis, abundantes bonis: ergo recta gubernatio exigit, vt anima post mortem perseneret ad præmium, vel pœnam: & incredibile est; Deum, qui solertissima prouidentia consuluit corporibus hominum, vt patet ex illorum armonia; neglexisse animam, partem principem: neque posuisse media ad vitam cum virtute ducendam: sed præcipuum medium ad vitam cum virtute ducendam est constitutio præmiorum & pœnarum iuxta merita: ergo.

16 Dices; præmium virtutis esse ipsam virtutem. Sed contra, quis dixerit præmium laboris esse laborem; prælij esse prælium? Enim verò ridiculus erit Legislator, qui seuerissimè prohibens crimen, non aliam pœnam taxet, quam ipsum crimen: ratio autem est: quia pœna criminum non debet esse contemptibilis, & inepta ad deterrendum a delictis: ergo debet esse malum distinctum: eodem modo præmium debet allicere ad actum virtutis, & superare contrarias difficultates; ergo debet esse distinctum ab actu virtutis; cum præsertim alias actus præcipui virtutis non possent præmio affici, vt mors pro patria, postquam anima desineret. Demum huiusmodi actus essent perfectiores, & meritorij maioris præmij, si anima esset mortalis; quia fieret ex solo amore virtutis sine spe præmij: ergo ex hoc ipso esset magis absurdũ, quod tales actus præmium recipere non possẽt.

17 His addo, homines perditissimos, vel nihil, vel minime affici stimulis conscientiæ; ergo minus punirentur; qui magis peccarẽt. Secundo, stimulus conscientiæ vrget ob pœnam quæ timetur. Dicere autem, quod Deus bonis vltimo instanti vitæ det tantum stipendium, quantum sufficit, & abundat; est diuinare. Rursus, qui præmium participat, de illo gaudere potest; & si homo iustus potest gaudere sibi satisfactum, potest vtique id præstare actu meritorio: ergo potest accipere nouum præmium, & nouum gaudium; & sic in infinitum: cum igitur non possit sine fine gaudere in vno instãti, dicandum est, quod sit eius anima in æternum duratura.

18 Circa mentem Aristotelis, quam nonnulli dubiam in hac re putant, legatur Maurus quæst. 2. de immortalitate animæ. Sanè lib. 3. de anima docet, intellectum, quo homo intelligit, *esse immixtum, impassibilem, & inorganicum: tex. 3. impassibilem.* inquit, *eum esse oportet, susceptiuum autem speciei: &* textu 4. *Necesse est, quoniam omnia intelligit, immixtũ esse: &* textu 5. *Neque cum corpore immixtũ ipsum esse consentaneum est rationi; instrumentum enim aliquod ipsius esset, sicuti & sensus; nunc autem nullum ipsius est organum:* vnde infra concludit, *Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit, immixtum esse:* legatur textus 7. vbi; *sensitiuum*, inquit, *non sine corpore est; intellectus autem separabilis est:* & illa verba; *susceptiuam autem specierum*, ostendunt, ipsum loqui de intellectu possibili; quamuis textu 17. ex eo quod intellectus possibilis est

est separabilis, infert, quod etiam intellectus agens est separabilis: quia hic comparatur ad illum, vt actiuum ad passiuum; ac proinde quantum est ex hoc capite, vt perfectius ad minus perfectum. Dum verò addit: *passiuus intellectus est corruptibilis, & sine hoc nihil anima intelligit*: nomine intellectus passiui vt interpretatur Sanctus Thomas, intelligit phantasiam, in quantum participat rationem, & illi obedit, vt dicitur primo Ethicorum capite 9.

19 Praeterea 2. de generatione animalium capite 7. *Quorum, inquit, principiorum operatio est corporalis, hac sine corpore esse non posse, certum est*: Et infra: *Restat igitur, vt sola mens extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit; nihil enim in eius functione communicat actio corporalis*. Et 10. Ethicorum capite 7. & 8. docet, *vitam, & felicitatem intellectus esse perfectiorem vita, & felicitate hominis*, sic igitur inquit capite 7. *Intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus; sic vita, quae ex intellectu traducitur, si humanae vitae comparetur, diuina ipsa etiam est. Neque vero oportet, quemadmodum nonnulli mouent, vnumquemque cum sit homo humana, & cum sit mortalis cogitare mortalia; sed quatenus licet immortalem se reddere*. Et capite 8. *Virtutes compositi humanae sunt: & vita igitur, quae secundum ipsas traducitur, & felicitas huiusmodi erit. Mentis verò separata est: de hac ipsa enim hoc tantummodo est dictum: nam exquisite tractare maius est, quam praesenti proposito conueniat*.

Soluuntur aliquae difficultates tum ex authoritate, tum ex ratione.

20 Non pendet igitur anima à materia tamquam à causa, sine qua esse nequeat; sed purè tamquam à conditione quo ad primum esse: licet autem anima sit absolutè per se subsistens, non tamen absolutè est, hoc aliquid, cū non sit ens completum: ob quam etiam rationē operationes in statu vnionis tribuuntur composito, non animae. Quod si in aliquo loco Scripturae videntur indicare eumdem esse finem hominum, & reliquorum animalium, ea non sunt verba Spiritus Sancti, sed impiorum relata a Spiritu Sancto. Vnde Sapientiae secundò dicitur: *Haec dixerunt cogitantes apud se &c.* Caeterū Sanctus Hieronymus haec & similia accipit de toto homine. Sancti autem Patres quando dicunt animam esse immortalem per gratiam, solum significant animam recepisse à Deo liberaliter non solum naturam, sed etiam immortalitatem, naturae identificatam.

21 Demum ad loca, quae ex Aristotele afferri possent contra animae immortalitatem, pluribus respondet Maurus, docens Aristotelem solum voluisse operationem animae coniunctae pendere à corpore tamquam ab obiecto: quia vnita speculetur phantasmata. Rursus vel concessisse infinitum rerum spiritualiū, vel admisisse aliquam in animabus circulationem. Tertio, omnem animam fieri ex subiecto, vel substentante, & causante, vel recipiente, & se habente vt puram conditionem. Quarto, omne quod per accidens mouetur, debere cessare à motu, quem ratione alterius participat, sed non ideo ab esse. Quintò quae per se mutantur sensibiliter, esse diuisibilia: anima autem rationalis sensibiliter non mouetur, nisi per accidens. Sexto Philosophum docere post mortem hominē non esse felicem felicitate humana; quia tunc homo non est. Libro autē 1. Ethicorum capite 12. *Conferre inquit, quid defunctis prosperi amicorum successus videntur simili modo etiam infortunia; ita tamen, ac tantum, vt neque felices reddere infelices, neque quidquam tale efficere valeant*.

22 Aduerto praeterea hic primo, quod sicuti homo, qui habet conspicilia, nihil videt, nisi medijs conspicilijs, & tamen illis remotis adhuc videt; ita anima, dum est in corpore, nihil videt nisi medio corpore, quo remoto adhuc intelliget. Secundo animae annihilationem futuram suo modo violentam; quia est contra exigentiam animae praeexistentis, & à nulla creatura exigitur.

SECTIO SECVNDA.

Quas operationes exerceat anima separata?

1 CErtum est ex dictis, animam separatam operaturam: & quidem operationes intelligendi; cum enim in eo statu etiam naturali, & praecisa eleuatione esset praemio, vel supplicio, felicitate, vel miseria afficienda; necessario concedenda est illi operatio intelligendi, & volendi, quibus praecisis nō stat felicitas, & miseria. De hac felicitate, & miseria naturali hominis plura alibi me dixisse memini; non erit autem, vanum legere Pallauicinum 1. 2. vbi fusè agit de hac materia. Quare hic non nisi pauca addam, quae spectant ad obiectum, quod cognoscunt animae separatae, & ad species, quibus medijs cognoscunt. *Anima separata intelligit*

2 Et primò quidem mihi certum videtur animam separatam multa cognoscere extra corpus, quae in corpore non cognouit, vel saltem longe perfectiori modo: certè separata est cognitura intuitiuè se ipsam, & Angelos, licet hos non posset comprehendere: multa item obiecta materialia, & vel quae hic nō cognoscit, ibi clare cognoscet; vel ea, de quibus hic dubitabat, ibi certo intelliget; & quia haec cognitio, & praecipue contemplatio Dei, licet abstractiua in statu purae naturae, futura fuisset praemium operum bonorum; ideo animae separatae cognouissent cognitione naturali Deum, sed longe perfectiore, quam vnitae. Praeterea separatae retinuissent scientias, quas hic acquisiuissent: sunt enim perfectio animae, quam non debet amittere: sicuti eam defacto non amittunt in caelo animae hominum, dum beatitudine supernaturali fruuntur. Vnde colligit Vasquez ex eo etiam capite laudabile esse scientias in *Et longe perfectius, quā vnita.*

hac

hac vita addiscere, quia non amittuntur in alia, sed perficiuntur.

Quibus speciebus vtitur

3 Ex quibus patet, animas separatas ad cognitiones scientiarum, quas hic acquisiuerunt, vsuras iisdem speciebus, quibus hic vtebantur: sicut enim animæ debetur duplex modus operandi, alter in corpore, alter extra corpus; ita illis speciebus animæ debetur duplex modus operandi; alter extra corpus, & sine phantasmate materiali exprimente similiter obiectum; alter in corpore propter vnionem animæ cum corpore, qui semper simul elicitur cum actu phantasiæ. Cæterum cognitiones procedentes ab illis speciebus semper repræsentant obiectum aliquod materiale, & spiritum ad modum corporis: non tamen per illas anima speculatur phantasmata actu existentia.

Habet anima separata species aliquas immediate à Deo causatas.

4 Præter has habent etiam animæ separatæ species aliquas immediate a Deo causatas, iuxta satis probabilem opinionem aliquorum Theologorum in materia de Angelis: per quas & melius cognoscant obiecta, quæ in vita cognouerunt; & aliorum obiectorum cognitiones acquirant. Hæ autem species, plures, vel pauciores; perfectiores, vel imperfectiores concedendæ fuissent pro varia exigentia animarum attentis præcipuè operibus bonis, quæ hic patrassent. Cæterum cuilibet animæ debitæ fuissent aliquæ ex his speciebus, & aliqua felicitas, si à proprijs peccatis non impeditæ fuissent; aliter animæ paruulorum, quæ ante vsum rationis corpus reliquissent, remansissent in illo statu veluti inutilis stipes: quod non est concedendum.

Sẽper tamen intellexisset cũ aliqua dependentia à corpore.

5 Cæterum sicuti anima non est, nisi aliquo modo dependenter a corpore; ita non deberet illi posse operari, nisi dependenter a corpore; aliter nullo modo esset ens incompletum exigens saltem pro aliquo tempore vnionem ad corpus, si independenter à corpore deberentur illi operationes: quia sic exigendo vnionem ad corpus exigeret impedimentum suæ operationis perfectissimæ, si semel ad illam habendam non esset necessaria vnio ad corpus: sicuti igitur materia disposita exigit creationem animæ rationalis, quæ futura sit æterna; ita exigit, vt illi concedantur species, quibus possit per totam æternitatem cognoscere: & sicuti non debetur animæ existentia, nisi dependenter ab illa dispositione, & vnione ad materiam; ita neque vis cognoscitiua, aut complementum illius: ideoque si Deus crearet animam extra materiam, non deberetur illi vlla cognitio, in quo non video, quid sit absurdi.

Vterque status est naturalis animæ.

6 Ex dictis infero, animæ esse naturalem, adeoque non violentum, tum statum separationis; tum vitam in corpore: quia entibus, quæ paulatim debent peruenire ad statum perfectũ connaturalis est pro diuersis temporibus, tum status perfectus, tum imperfectus; & præsertim status imperfectus sit dispositio, & exigentia status perfecti; res autem hoc modo se habet in casu nostro. Quamuis autem melior sit animæ status separationis vtpote æternus, & finalis, in quo felicitatem acquirat, ad quam principaliter ordinatur: tamen ad perfectionem status separationis conducit, quod anima fuerit vnita corpori: & diu homo vixerit: tum quia acquirit species experimentales rerum sensibilium, quæ iuuant ad perfectius intelligendum pro statu separationis: tum quia acquirit merita, per quæ euadit carior Deo, & intelligentijs; vnde obtinet vt proximum a Deo maiorem felicitatem naturalem, videlicet, perfectiorem; cognitionem Dei, & intelligentiarum. Resistẽtia autem contra mortem oritur a toto, ad cuius destructionem tendit mors, non ab anima secundum se: quod si etiam anima secundum se resistit separationi; separatio erit violenta: etiam anima: verum id hic indicasse sit satis.

Anima rationalis naturaliter appetit diu viuere in corpore

7 Infero secundo, animam rationalem naturaliter appetere non semper, sed diu viuere in corpore: quia vita diuturnior in corpore conducit phisicè, & moraliter ad perfectiorem vitam extra corpus. Infero tertio, animam separatam non appetere corpus corruptibile, & aggrauans animam, & impediens à perfecta contemplatione, in qua consistit felicitas.

Modus operandi animæ separatæ est suo modo similis angelico.

8 Addit præterea Maurus, modum operãdi animæ separatæ esse proportionalem modo operandi Angelorum, sed inferiorem: proportio consistit in hoc, quia Angelus operatur per conuersionem ad obiecta purè intelligibilia, & ad se ipsam præcipuè, non ad phantasmata: inferioritas: quia anima intelligit paulatim, & per discursum, cũ Angeli intelligant sine discursu. Rursus iuuantur animæ separatæ ab Angelis medijs illuminationibus, sicuti corpora inferiora medijs influxibus à superioribus.

9 Addit insuper idem Maurus, quod motor, qui est forma informans, non incipit esse ante corpus; alioqui non posset naturaliter vniri corpori: certe opinio Platonis est innaturalis; quare non detruditur anima in corpus tamquam in carcerem, sed tamquam in subiectum proportionatum.

Anima: nõ creatur ante vnionem ad corpus.

10 Infero demum, animam non creari ante vnionem ad corpus: quia sicuti modus operandi animæ est, vt incipiat à materialibus, & progrediatur ad spiritualia; ita modus essendi est, vt primo sit in corpore, deinde existat separata. Deinde non est naturale animæ, vt à statu scientiæ transeat ad ignorantiam; vt eueniret, si ante vnionem fuisset creata. Neque dicas, id infligi in pœnam peccati; neque enim est pœna proportionata peccato, vt quis ponatur in statu, in quo obliuiscatur, se peccasse; adeoque non possit dolere de peccato. Cæterum tot sunt animæ, quot homines; quia anima eadem non potest informare duo corpora, nec separata redit ad aliud corpus; transmigratio enim animarum est damnata.

Animæ secum deferunt species huius vitæ.

11 Quod autem animæ secum deferant species huius vitæ, colligitur ex Euangelio in parabola diuitis, qui inducitur in inferno memor eorum, quæ cognouerat in vita.

Iiii 2 12 His

12 His adde, animam vt incompletam exigere primo vniri corpori, ex cuius exigentia, producitur: corrupta autem vnione non exigit corpus: sufficit enim, si semel fuerit vnita: sicuti ex eo quod pro aliquo tempore exigat corpus infantile, non sequitur quod semper illud exigat. Rursus species, quas secum fert anima conseruantur vel ab ipsa anima, vel à Deo ad exigẽtiam earumdẽ. Tertio si cætera sint paria, omnibus animabus debentur post separationẽ æquales species; nisi meritum vnius exigat plures. Quarto addo, naturaliter loquendo præcisa eleuatione (in quo sensu loquuti sumus in tota hac disputatione) animas felices retenturas habitus studiosos voluntatis, & intellectus, eorumque actus, si non pendeant a corpore in operando: miseras vero retenturas ad torturam malos, spoliandas bonis. Quinto animas separatas inter se loquuturas, sed more Angelico; de quo Theologi. Sextò probabilius esse, animas separatas felices, & bonas etiam in statu puræ naturæ, non posse peccare; de qua re legatur Pallauicinus 1. 2. cum de felicitate.

Multa quæ spectant ad hanc materiam.


13 Demum circa motum localem, puto animas separatas posse naturaliter loco moueri: omne enim viuens creatum habet vim se localiter mouendi. Et sane virtus, qua se & corpus mouent in statu vnionis, perseuerat post separationem in illis. Mouentur autẽ acquirendo nouas vbicationes, sicuti sunt in loco per vbi, non alio modo, vt suppono ex tractatu de Angelis.

Animæ separatæ mouentur localiter

14 Quin imo, potest anima separata mouere alia à se, præsertim corpora, imprimendo impulsum; sicuti facit, dum est vnita: & sane sicuti Angelus potest mouere corpus; non video cur anima separata, licet non cum eadem efficacia, id non possit? Confirmatur: quia vnita intelligit dependenter à corpore, separata independenter ab illo. Quin imo sicuti vnita potest esse in loco diuisibili, ita & separata.

15 Verum autem anima separata possit aliam etiam inuitam mouere, aut sistere? pendet ab illa quæstione, verum vnus Angelus possit mouere, aut sistere alium æqualis virtutis, licet inuitum? de quo Theologi.

Et possunt alia à se separatæ mouere.



IN LIBROS METAPHYSICORVM ARISTOTELIS.



HÆC est præcipua philosophiæ pars, ad quam spectant cognitiones abstrahẽtes ab omni materia, & considerantes rationem entis, substantiæ, accidentis in communi: ad eamdem etiam spectat contemplatio de Deo, & Angelis, qui non solùm præcisiuè, & extrinsecè, sed etiam positiuè, & realiter abstrahunt à materia, quam à se excludunt. Cæterum de Deo, & Angelis agit Metaphysicus, quatenus possunt lumine naturali cognosci; non autem de illis ipsorum prædicatis, quæ non nisi dependenter à reuelatione Dei possumus cognoscere.

Materia huius facultatis.

DISPVTATIO PRIMA

De ratione, & conceptu entis.



DE vniuocatione, & analogia entis prout dicitur de Deo, & creaturis, substantia, & accidente, sufficiunt, quæ diximus in logica: multa autem hic tractanda sunt de conceptu entis, & non entis, ac de conceptu possibilis, & impossibilis.

SECTIO I.

Quid sit ens reale prout contra distinguitur à carentijs, & chimæris?

1 COnceptus entis, & non entis esse primos, nec explicabiles per alios clariores, non longè distat à vero: cum præsertim prima illa principia, quodlibet est vel non est, idem non potest simul esse, & non esse, supponant vt satis notos omnibus duos illos conceptus, quos inuoluunt, esse videlicet, & non esse. Et profecto primus conceptus, qui in nobis elucet, est conceptus entis, & ipsum esse quod semper in quacumque quæstione supponitur cognitum, etiam in ea, qua inquirimus quid sit ens: & quisque cognitione quadam experimentali videt, se esse, & quid sit esse. Neque ipsa carentia potest nobis innotescere; nisi per ens prius cognitum, quod excludit.

Conceptus ẽtis, & nõ entis sunt primi.

2 Hoc tamen non obstante, puto satis probabile conceptum entis confusum, qui est prior conceptu carentiarum, posse per oppositionem ad conceptum carentiarum aliquo modo clarius explicari, vt feci l. 1. *physicorum disp.* 4. s. 1. vbi postquam definiui carentiam *pura exclusio alterius à suo consortio* conceptum entis positiui realis tradidi, per illa verba. *Quod est posi-*

Potest nihilominus conceptus entis aliquo modo clarius explicari.

possibile, & non vt pura exclusio alterius, quas definitiones ibi fusius prosequutus sum, & defendi. Loquor autem de possibili largè sumpto, & minùs rigoroso, prout dicit hunc conceptum, non inuoluens contradictionem: de quo infra.

Conceptus entis non est, quod non implicat contradictionem.

3 Hinc infero primo, non benè ens positiuum reale definiri à nonnullis, *Quod non implicat contradictionem*: nam si admittis possibilem puram carentiam, neque pura carentia contradictionem inuoluit. Rursus, contradictio est ens, & non ens: ergo dum ens definitur, quod non inuoluit contradictionem, sensus est, ens non esse simul ens, & non ens; in quo committitur circulus; neque aliquid de nouo scitur; adhuc enim explicandum est, quid sit illud ens, quod est pars contradictionis, & cuius conceptum inquirimus.

Allata nõ est rigorosa definitio.

4 Sed hæc instantia ferit etiam nos, dum dicimus, ens reale esse, quod est possibile non vt pura exclusio alterius: nam si velis explicare ly possibile, dices esse, quod non inuoluit contradictionem, hoc est, esse, & simul non esse: ergo esse, & non esse sunt conceptus primi, & notissimi, nec vlterius explicabiles. Respondeo, hoc argumentum neque nos, neque sententiam, quam impugnamus, ferire: pro veraque igitur dices esse & non esse, præscindendo à realitate, & impossibilitate, esse cõceptus notissimos, & inexplicabiles per alios priores, & notiores: nos autem hic loqui de ente reali, quod sufficienter intelligitur constitutum per hæc duo prædicata: primò quod sit possibile, ac proinde, quod in suo conceptu non includat esse & non esse secundum se considerata: secundò quod non sit pura exclusio alterius. Verùm satius est dicere has non esse rigorosas definitiones, sed per illas distingui aliqua prædicata conceptus per se notissimi; quod sufficit, vt dicantur aliquo modo definitiones: vt patet in definitione lucis, coloris, & similium.

Non bene definitur, quod habet capacitatem ad existendũ.

5 Secundò infero, ens non benè definiri, *quod habet capacitatem ad existendum*: existere enim formaliter est ipsum ens: ergo ens habens capacitatem ad existendum, est ens habens capacitatem ad ens: quo nihil ineptius. Deinde habere capacitatem ad existendum, idem formaliter est, ac non repugnare, quod conuenit carentijs: aut assigna mihi discrimen inter carentias reales, si sint possibiles, & ens itẽ reale; cùm enim carentiæ, tum ens sint possibilia.

Neque quod distinguitur a nihilo.

6 Tertiò non benè definitur ens *quod distinguitur a nihilo*: quia adhuc debet explicari quid sit nihilum; quod facilè fortasse non præstabis sine recursu ad ens.

Neque quod distinguitur à chimæra

7 Quartò illa definitio, *quod distinguitur à chimæra*, coincidit cum prima definitione, quod *non inuoluit contradictionem*. Et hæc quidem de conceptu entis.

8 Minor est difficultas in explicandis prædicatis definitionis: & de secundo quidem, *quod non sit pura exclusio alterius*, multa diximus loco citato: solùm addo, hoc prædicatum esse positiuum; imò constitutiuum positiui; quamuis à nobis per particulam, *non*, negatiuam, ex imperfectione nostri intellectus, & defectu vocum explicetur. Difficultas igitur tota est in explicando primo prædicato, nempè, possibile: & quamuis sit vulgatum, possibile esse, quod contradictionẽ nõ inuoluit; quod nimirum dum est, non verificatur, quod simul non sit; tamen non est ita facile definire, quid sit illud esse cõditionatum, & in quo fundetur? Imò quomodo possibilitas possit identificari cum illo? sit igitur

SECTIO II.

Explico conceptum possibilis.

Triplex possibile.

1 POssibile concipitur, vt quoddam concretum, cuius subiectum denominatum est res, quæ dicitur possibilis; forma est ipsa possibilitas. Res, quæ dicuntur possibiles, communiter dicuntur esse in triplici differentia: nam aliqua res ita est possibilis, vt necessariò sit: talis est Deus. Aliqua (& tales sunt res omnes creatæ existentes) ita est possibilis, vt aliquando sit, cum potuerit non esse. Aliqua demum ita est possibilis, vt actu numquam sit: quales sunt omnes creaturæ purè possibiles.

2 Verùm contra hanc diuisionem benè docet Giattinus *quæst. 6. log. art. 3.* ens necessarium non posse absolutè dici possibile: & si quidem rem diligentiùs scrutentur, debet hic esse sensus communis. Rem hanc sic confirmo. Nullum contingens est necessarium: omne possibile est contingens: ergo nullum possibile est necessarium. Maior est certa: minor probatur possibile, rigorosè loquendo, est terminus particularis affirmatiuus contradictoriè oppositus impossibili, subalternè oppositus necessario, & subcontrariè possibili non: ergo omne possibile est contingens: probo consequentiam: terminus particularis contradictoriè oppositus impossibili, est contingens, quia sicuti impossibile, vtpote terminus vniuersalis, excludit omnem potentiam ad esse, & in ordine ad omne tempus: ita possibile, vtpote terminus particularis, dicit potentiam ad esse, vel non esse; quod est formaliter, esse contingens: si enim necessario esset, non tam esset terminus particularis, quam vniuersalis, complectens omne tempus? Confirmatur: si voluntas necessitetur ad amorem, est impossibile odium; at si non necessitetur, est possibilis, tum actus amoris, tũ actus odij: ergo possibilitas, rigorosè loquendo, excludit necessitatem essendi. Qui debet esse sensus communis omnium, qui regulas logicæ vel leuiter nouerint.

Necessarium non est impossibile, non tamen est rigorosè possibile.

3 Dices necessarium non est impossibile: ergo est possibile: quod enim non est impossibile, est vtique possibile: nam cui non competit vnum contradictorium competit alterum: impossibile autem, & possibile sunt contradictoria. Confirmatur: quod non repugnat, est possibile: quod est necessarium non

repu-

repugnat: ergo quod est necessarium est possibile: vtraque præmissa est indubitata; nam maior continet definitionem possibilis; minor est nota ex terminis. Nego consequentiam primi argumenti, & rationem in contrarium assumptam de possibili rigorosè: ad id quod additur, nego ei, cui non competit vnum contradictorium, debere per identitatem competere alterum: neque quia lapis non est lux, ideo est carentia lucis. Solum igitur verum est, de quocũque quodlibet extremum debere affirmari, vel negari: ita vt si non possit affirmari, debeat negari: v.g. si de lapide non potest affirmari lux, neque dici lapis est lux; debeat negari, & dici, lapis non est lux: & si de necessario non potest affirmari impossibile, & dici, necessarium est impossibile; debet negari, & dici, necessarium non est impossibile.

4 Ad confirmationem, nego maiorem: nã quamuis omne possibile non repugnet, neque inuoluat contradictionem, id tamen non sufficit ad constituendum possibile; sed requiritur etiam contingentia, quæ non habet locum in ente necessario. Cæterum modus arguendi aduersariorum est similis huic: omne non est nullum: ergo omne, est aliquod: nam syncategorema, omne; æquiualet necessario; ambo enim sunt termini vniuersales affirmatiui; sicuti nullum æquiualet impossibili, quia ambo sunt termini negatiui vniuersales: aliquod æquiualet possibili, quia ambo sunt termini particulares affirmatiui; & aliquod non, æquiualet possibili non, quia ambo sunt termini particulares negatiui.

Non eodẽ modo, omne comparatur ad aliquod, ac necessariũ ad possibile.

5 Instabilis: ab vniuersali affirmatiua valet ad particularem affirmatiuam; & si omnis homo est animal; ergo aliquis homo est animal: ergo in modalibus valet ab illa vniuersali affirmatiua, necessarium est Deum esse, ad particularem affirmatiuam, possibile est Deum esse. Cur non infers, contingens est Deum esse? permisso antecedente, nego consequentiam: nam in propositionibus absolutis illa syncategoremata non sunt prædicatum affirmatum, sed affectiones subiecti: & ly, omne vniuersale affirmatiuum includit implicitè plura particularia: quare mirum non est, si ab vniuersali affirmatiua valeat inferri particularis affirmatiua: at in casu nostro modus vniuersalis affirmatiuus, necessarium, & est verum prædicatum, & non includit plura particularia; sed potius ex conceptu suo excludit particulare, & contingens à suo subiecto. Hinc, metaphysicè loquendo, necessario non minus contradicit possibile, quam possibile non; licet logicè, & quo ad modum significandi, possibile respectu necessarij sit subalternum, possibile non, contradictorium.

Necessariũ nõ est formaliter potens existere.

6 Confirmatur præterea allata doctrina: necessarium non est potens existere: ergo non est rigorosè possibile: consequentia est certa; antecedens probatur: potens existere concipitur indifferens ad existendum, vel non dum existens: sed necessarium non concipitur indifferens ad existendum, vel non dum existens: ergo necessarium non est potens existere.

Quid de potentia physica, vel logica ad existendum.

7. Respondebis ex Hurtado *disp. 8. sect. 1.* dupliciter aliquod intelligi potens existere: primo physicè per potentiam physicam: quia videlicet antequam res sit, intelligitur esse potentia, & causa potens illam producere, & res ipsa concepta, vt terminus talis potentiæ, est physicè possibilis, physicè potens existere, in potentia ad essendum, & existens in sua causa, & potentia. Secundo intelligitur aliquid potens existere potentia logica: quia videlicet cũ præcisione ab existentia concipitur non inuoluens contradictionem: quod enim est huiusmodi, est potens existere, quia nõ intelligitur existere; non potentia physica, quia non est necesse vt res hoc modo concepta sit causabilis, & creata; sed logica, quatenus in priori aliquo signo ad existentiam concipitur non inuoluens contradictionem: hic enim conceptus, *non inuoluens contradictionem*, est vniuersalior, & consequenter prior prioritate logica, ac secundum subsistendi consequentiam, quam hic alius conceptus, existens: valet enim, hoc existit, ergo non inuoluit contradictionem, & potest existere; non autem è contra, non inuoluit contra distinctionem, & potest existere; ergo existit. Deus igitur quamuis non sit physicè possibilis, & potens existere potentia physica; est tamen possibilis, & potens existere potentia logica.

Potentia logica non est absoluta possibilitas.

8 Sed contra: hæc, quam dicis potentiam logicam, & logicam possibilitatem, non est vera, & absoluta possibilitas: ergo &c. antecedens probatur: non inuoluere contradictionem cum præcisione ab existentia, non est vera, & absoluta possibilitas: sed potentia logica, & logica possibilitas, quam dicis, est non inuoluere contradictionem cum præcisione ab existentia: ego potentia logica, & logica possibilitas non est vera, & absoluta possibilitas: maior probatur non inuoluere contradictionem cum præcisione ab existentia est, ipsum non inuoluere, & actus nostræ mentis imperfectus non explicitè attingens existentiam, sed hoc totum conflatum non est vera, & absoluta possibilitas; quis enim dicat, veram, & absolutam possibilitatem includere conceptum nostræ mentis imperfectum, & Deum non esse verè, & absolutè possibilem, nisi cum imperfectè concipitur? hoc enim idem est, ac rem modo esse verè, & absolutè possibilem, modo non esse verè, & absolutè possibilem; quia potest modo imperfectè concipi, modo non imperfectè concipi.

Impugnatur aduersariorum euasio.

9 Replicabis, possibile esse ipsum non inuoluere contradictionem, illo modo imperfecto conceptibile, cum præcisione ab existentia; hoc autem totum non includit illum actum imperfectum, sed est purus terminus secundum sua intrinseca potens concipi illo actu imperfecto. Contra: non inuoluere contradictionem potens terminare illum actum, non est verè, & abso-

absolutè potens existere: ergo non est verè, & absolutè possibile: antecedens probatur: non dicit, veram, & absolutam potentiam ad existendum: ergo non est verè, & absolutè potens existere absolutè enim, & verè potens existere dicit veram, & absolutam potentiam existendi: antecedens probatur; quia ipsum non inuoluere contradictionem formaliter non est vera potentia ad existendū; nam existentia, ipsa iam posita, non inuoluit contradictionem, & tamen non est formaliter vere potentia ad existendum: posse autem concipi cum præcisione ab existentia, non dicit nisi ordinem ad actum illum imperfectum: ordo autem ad actum illum imperfectum non est potentia, & vera capacitas ad existendum, cum non habeat pro termino existentiam, sed illum actum imperfectum.

10 Confirmatur: conceptus ille imperfectus non verè exprimit aliquam veram potentiam ad existendum, sed purè hunc terminum; non inuoluens contradictionem; & si eam potentiam exprimit, est conceptus difformis, & suo modo falsus: neque est vera, & formalis potentia ad existendum; aliter possibilitas, potentia ad existendum, & esse possibile, formaliter esset actus imperfectus nostræ mentis. Ratio autem vlterior est: quia posse concipi cum præcisione ad existentia, non est formaliter habere veram, realem, & absolutam potentiam ad existendum: & si eo modo imperfectè concepta res, concipietur cum præcisione ab existentia, non concipitur verè, & realiter potens existere, sed ad summum ex modo nostro imperfecto concipiendi: sicuti homo conceptus cum præcisione a risibili, non est verè, & realiter in priori ad risibile, neque verè, & realiter potens ad risibilitatem, aut cum vera, & reali potentia ad risibilitatem; sed ad summum intentionaliter, & ex modo nostro imperfecto concipiendi; licet sit verè, & realiter risibilis.

Ens necessarium nō vere, & intrinsece includit potentiam ad existēdum.

11 Igitur ens necessarium non inuoluens contradictionem, quamuis concipiatur cum præcisione ab existentia, & consideretur vt eo modo potens concipi, non includit veram, & realem potentiam ad existendum, ac proinde non est verè, & realiter potens existere, nec possibile: ratio à priori est: quia vera, & realis potentia ad existendum, est quid realiter prius, & causa existentiæ; quod repugnat enti necessario.

12 Ex dictis patet, non inuoluens contradictionem etiam præcisum ab existentia, præscindere etiam à capacitate vera, & reali ad existendum; & si quidem contrahetur ad ens necessarium, excludere illam capacitatem, si autem ad ens contingens illam includere: quare possibile erit ens contingens non inuoluens contradictionem. Patet secundo, ens necessarium esse incapax existentiæ, si ly incapax excludet potentiam veram, & realem ad existendum; nō esse incapax, si ly incapax dicat tractiuum non existentiæ.

SECTIO III.

Possibilitas non est intrinseca rei possibili creatæ.

Res possibiles sunt absolutè possibiles.

1 SVppono primo, res possibiles, esse absolutè possibiles; neque enim sunt possibiles sub aliqua conditione: nam ea conditio vel est necessaria, & sic cum necessario verificetur, iam res sunt absolutè possibiles; vel contingens; & cum ea conditio possit absolutè deficere, iam res quæ est possibilis, potest absolutè non esse possibilis: purificata enim conditione, res conditionata absolutè est: non purificata conditione, res conditionata absolutè non est: quod autem res possibilis possit cadere è possibilitate, & absolutè non esse possibilis, est apud omnes falsum. Cæterum quando dicimus rem possibilem absolutè esse possibilem, non est sensus, quod res possibilis absolutè sit; sed quod absolutè sit eius possibilitas: sicuti cum dicimus quod res sit absolutè cognita, non est sensus, quod res cognita absolutè sit; sed quod absolutè sit eius cognitio.

Possibilitas rei possibilis est conceptus absolutus, & necessarius.

2 Suppono secundo possibilitatē rei possibilis esse conceptum absolutum, & necessarium: absolutum quidem, quia, vt vidimus, res possibilis est absolutè possibilis: quod non verificatur si possibilitas absolutè non est; sicuti non est absolutè cognitum, non est absolutè album, cuius cognitio, & albedo absolutè non sunt: necessarium autem: quia rem esse possibilem, non est conceptus contingens, & defectibilis, sed necessarius: ergo possibilitas rei non est conceptus contingens, & defectibilis, sed necessarius: aliter rem esse possibilem, esset conceptus contingens, & defectibilis, non necessarius. His positis.

Possibilitas rei cōtingentis non est ipsum esse intrinsecū creaturæ.

3 Dico primo possibilitas rei contingentis, quales sunt omnes creatura (de quibus, non de Deo nunc loquimur) non est ipsum esse intrinsecum creaturarum: est sensus Thomistis, ac Scotistis communis: eiusdem mentis sunt ex nostris plures Perez, Pellauicinus, Esparza, & alij recentiores: probatur nullum contingens est possibilitas rei contingentis; vt enim satis probauimus, possibilitas rei contingentis est conceptus quidam necessarius, & absolutus: sed omne esse intrinsecum creaturarum est contingens: ergo nullum esse intrinsecum creaturarum est possibilitas rei contingentis: argumentum est in forma; & de minore nulla potest esse dubitatio.

Inpugnātur, qui docēt possibilitatem esse quid absolutè contingens, sed conditione necessariū

4 Ad solutionem huius argumenti posset quis dicere, possibilitatem, vtpote identificatam cum ipso esse rei possibilis, non semper necessariò absolutè, & realiter esse; sed aliquando esse, & aliquando non esse; & alicuius rei possibilitatem numquam realiter esse; si videlicet res illa numquam sit: cum hoc autem benè cohæret, quod possibilitas sit conceptus aliquis necessarius, eo quod non sit contingens rem esse possibilem: idque quia necessario verum

est

est, quod si res sit, sine contradictione sit: quæ veritas conditionalis necessaria est, & necessario terminat Diuinum iudicium, quod in ipsa existentia Petri v. g. sibi proposita necessario videt exclusiuum contradictionis: hoc autem exclusiuum est possibilitas intrinseca. Hæc igitur possibilitas intrinseca, quamuis in se absolute contingens, & aliquando sit, aliquando nō sit; imò accidat, vt numquam intrinsece, & realiter sit; extrinsecè tamen, & obiectiuè semper absolutè est, quia semper ea veritas conditionalis à Deo cognoscitur, & affirmatur: quod sufficit, vt res, quamuis numquam existens, dicatur absolutè necessario possibilis; à possibilitate videlicet intrinseca, quæ necessario semper absolutè est, sed intentionaliter, & obiectiuè, ac extrinsecè in mente Dei: neque enim necesse est, vt forma, quæ absolutè, & necessario denominat subiectum, necessario absolutè sit in se; sed satis est, si intentionaliter semper necessario sit. Hæc responsio est, ni fallor, omnium optima, quas quis pro aduersarijs mediretur; & quam, vt verum fatear, numquam legi, aut audiui ita clarè traditam; licet illam satis indicent in suis principijs aduersarij, præcipuè prout traduntur à Giattino *q. 6. log. art. 4.*

Possibilitas debet per aduersarios esse contradistincta à diuino iudicio, & quod absolute contingens.

5 Sed contra nihilominus est primò, quia aduersarij duo admittunt, aliud ex parte obiecti, & est ipsa possibilitas intrinseca, & veritas conditionalis: aliud est iudicium Diuinum versans circa illam possibilitatem, eamque affirmans: iam verò hoc iudicium non constituit possibilitatem, sed supponit illam constitutam; ergo possibilitas denominans rem possibilem nō includit illud iudicium, & existentiam intentionalem: sed possibilitas non includens illud iudicium, neque necessario, neque absolute est: ergo possibilitas denominans rem possibilem, neque necessario, neque absolutè est: ergo non potest denominare rem absolutè necessario possibilem: minor subsumpta, de qua sola potest esse difficultas (nam reliqua vel ex ipsis terminis, vel ex supradictis satis constant) minor, inquam, probatur: possibilitas non includens illud iudicium, formaliter, neque necessario, neque absolutè est: non intentionaliter; quia non includit illud iudicium, quæ est existentia intentionalis: neque realiter absolutè necessariò est, fatentibus aduersarijs. Confirmatur: diuinum iudiciū affirmans, si Petrus est, sine contradictione esse, affirmat eam veritatem obiectiuam esse absolutè necessariam, nec posse sub aliqua conditione possibili deficere; affirmat item Petrum esse necessario absolutè possibilem: diuinus enim intellectus omnia perfectissimè penetrās suo vnico, ac necessario actu hæc omnia attingit: neque verò in Deo admittendi sunt actus præcisiui imperfecti, & inadæquati: ergo Deus eodem indiuisibili actu affirmat necessitatem absolutā possibilitatis Petri: ergo necessitas absoluta possibilitatis Petri est terminus illius iudicij; & in sententia aduersariorum Petrus est absolutè necessario possibilis independenter ab illo iudicio, saltem tamquam à constitutiuo possibilitatis: peto ergo, quid est hæc possibilitas Petri absolute necessaria?

6 Secundo contra est: quamuis possibilitas Petri semper à Deo, ac necessario cognoscatur, ipsa tamen secundum se neque absolute, neque necessario est; sed aliquando est, aliquando non est; & respectu plurimarum rerum accidit, vt numquam sit: ergo aliquando denominat rem absolute possibilem, aliquando non denominat rem absolute possibilem, aliquando absolute nullo modo denominat absolute possibilem: neque enim eodem modo potest denominare quando est, ac quando non est: per accidens autem est, quod semper cognoscatur: sicuti existentia, quæ nunc est, nunc non est, nō potest inuariabiliter, ac vniuersaliter denominare rem absolute necessario existētem; & per accidens est quod semper necessario cognoscatur. Confirmatur: Deus per aduersarios, iuxta quorum principia procedunt dicta argumenta, suo perfectissimo iudicio videt possibilitatem, & existētiam Petri esse vnum, & omnino idem: ergo repugnat, quod suo perfectissimo actu iudicet possibilitatem esse formam absolute necessariam, & existentiam esse contingentem; possibilitatem necessario absolute denominare subiectum possibile; & existentiam non denominare subiectum absolute necessario existens. Hinc.

7 Vrgeo tertio: possibilitas alterius mundi est conceptus realis; peto, vel est increatus? & est Deus, quod negant aduersarij; vel creatus? & iterum peto, vel secundum se consideratus absolute necessario est? & iam aliquod creatum absolute necessario est independenter a quacumque libertate etiam Diuina: vel non est absolute necessarius? & quæro tertio verum sit possibilis; vel absolute, aut conditionate sit? si est possibilis; ergo absolute non est possibilitas alterius mundi: ergo alter mundus nūc non est possibilis, sed erit possibilis, quando ponetur eius possibilitas; sicuti si nunc non est cognitio, sed est possibilis, obiectum non est nunc cognitum, sed fiet cognitum quādo ponetur cognitio: si autem dicas illam possibilitatem absolute esse; ergo possibilitas non est, esse alterius mundi: quod nunc absolute non est. Quod si dicas illam possibilitatem conditionate esse, quæro sub qua conditione erit? Præterea: ergo nunc alter mundus non est absolute possibilis, sed fiet possibilis, quando ponetur ea conditio. Qui benè aduertat ad diuersos conceptus, quos intellectis terminis ductu naturalis luminis sine discursu formamus de re possibili, ac de re creata existente, clarè deprehendet diuersum concretum esse possibile, ac existens, & possibilitatem formam longè diuersam ab existentia; & primam esse æternam, inuariabilem, necessariam; secundam, contingentem, variabilem, temporalem.

8 Aduerto hic valde inter se differre has pro-

Valde differunt hæ propositiones, alter mundus est absolute possibilis, & alter mundus possibilis absolute est.

propositiones, alter mundus est absolute possibilis, & alter mundus possibilis absolute est: nã in prima de altero mundo affirmatur absoluta possibilitas, seu affirmatur absoluta existentia possibilitatis alterius mundi, quæ est verissima: in secunda affirmatur existentia absoluta alterius mundi possibilis, quæ est falsissima: sicuti longe distant hæ propositiones, alter mundus est actu cognitus, alter mundus cognitus actu est: nam prima est vera, & affirmat actu existentem cognitionem alterius mundi; secunda est falsa: quia affirmat existentiam alterius mundi cogniti.

Quid dicat veritas illa conditionalis, si Petrus, est sine contradictione est.

9 Vrgeo quarto: veritas illa conditionalis, si Petrus est, sine contradictione est; tria dicit, conditionem, rem conditionatam, & connexionem conditionalem inter esse Petri, quæ est conditio; & exclusiuum contradictionis, quæ est res conditionata: connexio iuxta regulas logicæ exprimitur per particulam, si, & est terminus formaliter affirmatus: cuius rei indicium est, quia iuxta regulas eiusdem logicæ, si velis dare contradictoriam dictæ propositionis, debes particulam, non, præponere coniunctioni, si, ac dicere, non si Petrus est, sine contradictione est: iam verò conditio est in casu nostro quid absolute contingens; Petrum enim esse, est quid contingens: res ipsa conditionata est etiam quid contingens, tum quia identificata cum conditione ipsa contingente, tum quia si conditio, vtpote contingens, potest deficere, potest, etiam deficere res conditionata: sicuti quia potest deficere existentia solis, quæ est cõditio ad existentiam diei, potest etiam dificere existentia diei. At connexio illa conditionalis est absolute necessaria: neque enim continget vnquam, aut sub alia conditione contingere potest vt non verificetur, quod si Petrus sit, sine contradictione sit, quod bene intelligitur si teneamus regulam logicæ; nimirum, omnem veritatem conditionatam resolui in aliquod absolutum, quod conditionate connectat: non quia ipsum conditionate sit, sed quia, cum absolute sit, non absolute trahit existentiam rei conditionatæ; sicuti scientia conditionata, licet absolute sit, non absolute affirmat quod res sit: & voluntas qua Deus vult saluare Petrum, si moriatur finaliter iustus, absolute existit; neque tamen trahit absolutam Petri gloriam, vel eius absolutam finalem iustitiam: idem esto iudiciũ de voluntate Dei, vel etiam principis creati, qua vult conferre Episcopatum Petro, si primus ingrediatur Ecclesiam: quæ voluntates, vbi alias obiecta non sunt connexa, sunt formalis connexio conditionalis vnius cum alio. Hæc igitur connexio conditionalis absolute existẽs, est absolute existens necessitas, ratione cuius, si vnum sit, sit & aliud.

10 Rem totam sic explico, & confirmo ex supradictis: connexio conditionalis in re nostra est conceptus quidam realis, expressus per particulam, si; & directè, ac per se affirmatus in iudicio conditionato. Iam verò hic conceptus realis non est possibilis, & contingens taliter merè possibile esset, & contingens, quod, si Petrus sit, sine contradictione sit: quod est falsum: hæc enim veritas est omnino necessaria, & indefectibilis: neque est conditionate existens; non enim expectanda est aliqua conditio, depẽdenter à qua resultet ille nexus conditionalis, & veritas ipsa condionata. Præterea illa alia conditio vel est contingens, & iam deficere potest veritas conditionalis, sicuti deficere potest illa conditio: vel est necessaria; ergo iam necessario absolute existit ille nexus, & veritas conditionalis. Hæc autem veritas conditionalis est ipsa possibilitas: ergo possibilitas absolutè necessario est.

Necessitas vt si Petrus sit, sine contradictione sit est absolute necessaria, & ipsa possibilitas.

11 Quod sic clariùs confirmo ex allatis principijs: necessitas vt si Petrus sit, sine contradictione sit, est absolute necessaria: sed possibilitas est necessitas, vt, si Petrus sit, sine contradictione sit: ergo possibilitas est absolute necessaria: maior probatur: illa necessitas est conceptus realis, non possibilis, & contingens, aliter eo deficiente deficeret esse verum, quod si Petrus sit, sine contradictione sit; neque ille conceptus est conditionatè existens, propter allatas rationes: neque verò est expectanda alia conditio, vt verificetur, quod si Petrus est, sine contradictione est: ergo est conceptus absolute necessarius: minor probatur, quia necessitas illa est nexus conditionalis, expressus per particulam, si, & fundamentum veritatis conditionatæ: quia ea deficiente non habetur veritas illa conditionata; ea posita necessario resultat veritas conditionata, vel identificata cum illa necessitate, vel in eadem necessitate fundata. Hæc autem necessitas est adæquatè distincta ab esse Petri contingente: ergo possibilitas est adæquatè contradistincta ab esse Petri; siue demum ponatur identificata cum iudicio illo Diuino, siue cum aliquo alio; de quo nunc non curo.

Aliud est obiectum cõditionatum aliud connexio conditionalis.

12 Verùm ad vitandam æquiuocationem, noto, aliud esse obiectum conditionatum, aliud connexionem conditionalem inter conditionẽ, & rem conditionatam: nam obiectum conditionatum non exprimitur particula, si, vti exprimitur connexio conditionalis: & in casu nostro obiectum conditionatum est, Petrum esse sine contradictione; connexio autem conditionalis est necessitas dicta: quare quamuis conditionate affirmetur obiectum conditionatum, & non sit ad veritatem propositionis necessarium, vt absolute existat obiectum conditionatum; benè poterit absolute affirmari nexus conditionalis, & necessitas dicta, quam probauimus absolute existere.

Impugnatur obiectũ conditionatum.

13 Vrgeo quinto. Neque possibile, neque possibilitas bene explicatur per dictum obiectum conditionatum: nam primo conditio, quã assumit aduersarius, nullo modo est conditio respectu conditionati: ergo conditionatum illud vanum est, & inutiliter assumptum ad explicandum possibile, & possibilitatem: antecedens

dens probatur: conditio assumpta est existere Petri; res conditionata est esse sine contradictione: sed existere Petri non est conditio ad existere eiusdem sine contradictione; ergo &c. minor probatur; nam primo existere Petri non est verè in priori ad existere sine cōtradictione: omnis autem conditio est in priori ad rem conditionatam: & quamuis dici posit, quod ipsa existentia apprehensa sit in priori tamquam ratio cognita ad iudicandum, quod res erit sine contradictione; quod sufficit vt iudicium conditionatum rectè formetur; tamen primo id locum non habet respectu intellectus diuini, qui perfectissimè cognoscit in ipsa existentia non includi contradictoria, atque absolute pronunciat & existentiam illam esse possibilem, & non includere contradictoria, quare possibilitas non dicit formaliter, aliquod esse conditionatum. Quod sic confirmo secundo: ipsa conditio, quæ assumitur ab aduersario, est secundum se possibilis, & non inuoluens contradictionem: ergo præciso esse conditionato res est possibilis: consequentia probatur, quia ipsa conditio assumpta non est formaliter esse conditionatum: quia enim dicet conditionem esse totum esse conditionatum? antecedens probatur: assumpta conditio vel apparet in suo conceptu non inuoluere contradictionem, vel non? si secundum; ergo non potest rationabiliter assumi ad dicendum, quod si existeret, sine contradictione esset; quia ipsa non declarat se non inuoluere contradictionem: si primum; ergo iam, præciso esse conditionato, res ipsa est absolute possibilis, non inuoluēs contradictionē.

Rem esse possibilem est veritas absoluta, & necessaria.

14 Totum igitur hoc negotium sit compono iuxta tradita, & mihi vera principia: & primo dico, rem esse possibilem, esse veritatem absolutam, & necessariam, constitutam per absolutam, & necessariam possibilitatem, quæ est fundamentum iudicij absoluti, & necessarij, quo res enunciatur possibilis. Dico secundo rem creatam (de hac loquimur) quæ dicitur possibilis, esse conceptum contingentem, quem Deus necessario cognoscit, vt posit illum, si velit, producere, vel non producere. Dico tertio, possibilitatem, & rem esse possibilem non formaliter dicere aliquam veritatem obiectiuam conditionatam: patet ex dictis; & vlterius confirmatur: quia independenter à veritate obiectiua conditionata res est absolute, & necessario possibilis; id est, absolute, & necessario potens existere; qui sunt termini satis per se noti, nec vlterius explicabiles, præcipuè vt faciunt aduersarij, nisi per se ipsos, & petendo principium: nam si dicas, possibile, seu potens existere, esse quod, si existat, sine contradictione existat; iam explicas ly existere, per ly existere, quod & implicite reperitur, & includitur in ipso, sine contradictione: nam sine contradictione existere, est non simul existere, & non existere. Deinde formaliter explicas potentiā ad existendum per ipsum existere, qui est eius terminus, respectu cuius illa potētia est prior: ergo non explicas ipsam possibilitatem, sed eius terminum: neque verò inuoluens contradictionem existit; & ipsum existere, est non inuoluere contradictionem. Quarto dico, post intellectum imperfectū concepta re possibili formare iudicium conditionatum, si res est, sine contradictione est; quod iudicium necessario supponit apprehensam existentiam rei, & ipsum non inuoluere contradictionem; ex quibus inter se combinatis resultat iudicium illud conditionatum: attamen, veritas illius iudicij, vt vidimus, fundatur in absoluta, & necessaria rei possibilitate.

Res creata est conceptus contingens.

Vnde resultet iudicium cōditionatū.

15 Dices: possumus distinguere duas possibilitates; aliam extrinsecam absolute necessariam, iam satis probatam; aliam intrinsecam identificatam cum ipsis rei prædicatis: negari enim non potest, quod ipsa prædicata rei, inter se non repugnantia, sint se ipsa possibilia, & sua aliqua possibilitas. Contra: ista possibilitas intrinseca est contingens, aliquando est, aliquādo non est: quando est, est ipsissima existentia, quæ se ipsa excludit suum contradictorium: quando non est, sed potest esse; est existentia non quocumque modo, sed absolute necessario possibilia, possibilitate absoluta necessaria à se contradistincta: ergo hæc, quam appellas possibilitatem intrinsecam, est ipsa existentia contingens, non vera possibilitas apta verificare propositiones, quas omnes lumine naturæ ducti admittunt.

Nō datur vera intrinseca possibilitas

16 Instabis: ipsa prædicata rei, antequam intelligantur existere, intelliguntur seipsa non repugnare, intelliguntur seipsa contradistincta à chimæra: ergo se ipsa sunt possibilia, antequam sint. Respondeo, res antequam intelligātur absolute, & in se ipsis esse, neque se ipsis esse possibiles, & non repugnantes, neque absolute contradistinctæ à chimæris; quia absolute, & in se ipsis non sunt. Solum igitur intentionaliter existunt, saltem in mente Dei; & per formam extrinsecam, quæ est illarum possibilitas, denominantur absolute possibiles; sicuti denominantur absolute cognitæ: illa autem possibilitas, & cognitio absolutæ sunt. Deinde nego consequentiam: quia si præscindamus à possibilitate, quæ sit forma extrinseca, non repugnare, non inuoluere contradictionem, contradistingui à chimæra, est ipsum existere exercite, vel signate sumptum: exercite sumptum, est existere iam positum in se extra Deum; signate sumptum, se existere in mente Dei à Deo expressum; & sane chimæræ repugnat esse siue signate, siue exercite sumptum.

Quomodo res antequam sint intelligātur esse possibiles.

17 Instabis iterum: in priori ad quamcūque existentiam chimæra, & res possibiles cōtradistinguuntur: ergo per aliquod diuersum ab ipsa existentia. Respondeo primo, consequens illatum non esse cōtra meam doctrinam; qui non nego posse chimæras, & res possibiles aliunde distingui; sed solum assero, hoc distinctiuum, nempe non inuoluere contradictionem, non repugnare, & similia, non esse formaliter

Quomodo in priori ad existentiam res possibilis & chimæra distinguūtur.

pos-

possibilitatem; sed existere exercite, vel signate sumptum. Secundo distinguo antecedens; absolute, & exercite contradistinguuntur; nego: quia absolute non sunt: signate; transeat: adest enim Deus, qui se ipso dictat, & in se ipso cognoscit Petrum posse existere, hircoceruum necessario non existere: idem igitur indiuisibile, ac perfectissimum esse diuinum dictans indiuisibiliter vtramque illam veritatem, est in priori signo ad quamcumque existentiam creatam in se ipsa positam, signate, intentionaliter, primo, ac perfectissime distinguens res possibiles a chimaris: quæ melius infra declarabo. Hæc si bene perpendantur, soluunt multa ex argumentis, quæ aduersarij proponunt, & congerunt sub diuersis quidem phrasibus, sed quarum eadem est via, & pondus, & meo quidem iudicio nullum.

Impossibilitas Petri est terminus chimæricus quare possibilitas est terminus absolute necessarius.

18 Probo secundo meum dictum: possibilitas Petri v. g. est conceptus absolute necessarius: ergo non potest indentificari cum esse Petri, qui est conceptus contingens: consequentia patet: repugnat enim eumdem conceptum reale esse absolute necessarium, & contingetem antecedens probatur: impossibilitas Petri est conceptus impossibilis, omnino necessario nō existens: ergo possibilitas Petri est conceptus absolute necessarius: consequentia probatur, quia possibilitas est formalis non impossibilitas, seu formale exclusiuum impossibilitatis: nō impossibilitas autem, seu formale exclusiuum impossibilitatis est conceptus absolute necessarius: aliter impossibilitas Petri potest esse, cessante illa non impossibilitate Petri, seu exclusiuo impossibilitatis; quod est contra verissimū antecedens assumptum. Hoc argumentum non semel propositum satis declarauit suam vim: nec opus est hic responsiones afferre, quæ facile impugnari à quouis possunt: qui terminos bene perceperit.

19 Hinc proportionaliter ad ea, quæ dicebam de possibilitate, in priori ad quamcumque creaturæ existentiam, connexio essentialis prædicatorum essentialium secundum se sumpta exercite non est, cum sit absolute contingens, & ipsum esse rerum: est tamen signate in mente Dei modo supra explicato, & clarius infra exponendo.

SECTIO IV.

Possibilitas creaturarum est Deus.

Possibilitas creaturæ est Deus

1 Dico secundo: possibilitas omnium creaturarum est Deus: ita plures, probatur: conceptus realis absolute necessarius est Deus: sed possibilitas omnium creaturarum est conceptus realis absolute necessarius, vt probauimus: ergo possibilitas omnium creaturarum est Deus: maior est certa; si præsertim loquamur de conceptu positiuo, qualis est possibilitas, quæ non est pura exclusio sui contradictorij, sed ratio nobilissima, & prima, præstans suo modo effectus formales nobilissimos, ac maximè per se amabiles, & appetibiles. Verum maiorem illam vlterius confirmo: si aliquis conceptus positiuus, absolutus, necessarius non est Deus; vel est dependens à Deo, vel non? si primum; ergo primò est ens creatum necessario existens ab æterno; quod est contra fidem. Secundo ergo Deus est necessario agens ad extra saltem respectu alicuius affectus; quod est absurdissimum. Similia contra hanc partem æquè absurda inferri possent: si secundum; ergo illud est ens à se, & Deus: ergo essent plures Dij; quod est impijssimum.

Possibilitas est conceptus positiuus.

Nullus cōceptus positiuus necessarius distinguitur a Deo.

2 Probatur secundo: Deus est primus vniuersalissimus, ac supremus artifex, & ars rerum omnium perfectissima: ergo se ipso formaliter repræsentat sibi hominem esse possibilem, hircoceruum non esse possibilem: ergo se ipso est possibilitas hominis, & reliquarum creaturarum, & impossibilitas hircoceruii: prima consequentia probatur: de ratione artis, præsertim perfectissimæ, est repræsentare possibilitatem effectus: ergo si Deus se ipso est perfectissima, & prima ars rerum omnium, se ipso repræsentat sibi possibilitatem hominis, & hominem possibilem, & impossibilitatem hircoceruii, & hircoceruum impossibilem. Antecedens probatur, quia nisi ars repræsentet possibilitatem effectus, non potest benè iuuare artificem ad effectionem operis, neque ea arte potest artifex prudenter vti ad talem finem. Probo nunc secundam consequentiam primi discursus: Deus hanc perfectissimam artem non participat ab alio, à quo, veluti exemplari, illam discat: spectat enim ad rationem perfectissimi artificis artem ab alio non emendicasse, sed à se illam habere: ergo præcisè inspiciendo se ipsum, videt hominem esse possibilem, hircoceruum nō esse possibilem: ergo ipse est possibilitas omnium possibilium: aliter non posset videre in se ipso hoc esse possibile, illud impossibile: & profecto quodnam est extra Deum exemplar in quod inspiciendo Deus videat possibilitatē, & impossibilitatem rerum: & à quo veluti accipiat suam artem, & scientiam?

Deus est ars rerum omnium perfectissima: ideoq; est possibilitas omnium possibilium, & omnium impossibilium impossibilitas.

3 Confirmatur: quia sicuti Deus est primū ens, prima rerum omnium causa, ita est prima, & vniuersalissima idæa, prima, & vniuersalissima ratio: ergo non supponit extra se rerum possibilitatem, ad quam respiciat vt formet in se idæam operis faciendi; sed formaliter per seipsum dictat hæc, vel illa esse prędicata essentialia huius, vel illius rei, & hunc vel illum conceptum pugnare, vel non pugnare cum his vel illis prædicatis: ex quibus aperte colligitur Deum se ipsum, suamque essentiam inspiciendo, sine vllo respectu ad aliquod extra se existens, & à se distinctum, formare in se primos rerum omnium conceptus, qui essentiales dicuntur: quare satis benè dicitur diuina essentia prima rerum omnium ratio, quidditas, & definitio. Hanc doctrinā clarè indicat Sanctus Dionysius c. 8. de diuinis nomi-

Deus est prima idæa non supponens aliud extra se ex quo desumat verū cognitionē

Hinc est rerum omnium possibilitas.

nibus, quem oportet diligenter legere, & ponderare.

Idem probatur ex eo, quod Deus est sibi, rebusque omnibus sufficientissimus.

4 Confirmatur secundo: Deus est non solum sibi, sed rebus omnibus sufficientissimus: ergo seipso est omnium possibilitas adæquatissima, sicuti & adæquatissima potentia: aliter non esset se solo adæquata sufficientia respectu huius, vel illius rei, sed deberet vlterius compleri per possibilitatem illam sibi extrinsecam, in quam deberet prius respicere, tamquam in aliquod præsuppositum; tum per illius cognitionem constitui potens absolute producere rē.

Eadē veritas confirmatur ex dictamine diuinæ sapientiæ.

5 Probatur tertio: illud est possibile, quod non disconuenit, imò conuenit diuinæ perfectioni, vt sit possibile; illud impossibile, quod non conuenit diuinæ perfectioni vt sit possibile: aliter aliquod esset possibile, quod dedeceret Deum, esse possibile: illud autem conuenit diuinæ perfectioni, quod diuina sapientia dictat esse conueniens; illud dedecet, quod diuina sapientia dictat dedecere: ergo illud est possibile, quod Deus sua sapientia dictat decere suam perfectionem, vt sit possibile; illud impossibile, quod Deus eadem sua sapientia dictat dedecere suam perfectionem, vt sit possibile: ergo in ipsa diuina essentia, tamquam in prima rerum omnium ratione, & regula, videt sapientia diuina quæ Dei perfectionem deceant vt sint possibilia, vel impossibilia: diuina enim essentia per se ipsam, & per suam perfectionem declarat diuino intellectui, quæ ipsam deceant, vel dedeceant: ergo se ipsa diuina essentia est rerum omnium possibilitas, & impossibilitas prima, & adæquatissima, reddens possibile esse possibiliū, necessarium non esse chimæratum. Ex quo bene deducitur diuinam essentiam esse vniuersalem mensuram rerum omnium: quia possibilitas, natura, distinctio aliarum rerum eo modo constitui debet, quomodo decet summam eius perfectionem: & summam quidem Dei perfectionem decet, vt homo sit possibilis, habeat hæc, vel illa prædicata, hircoceruus sit impossibilis. Et sanè quis non videt, contradicere summæ perfectioni, quod Deus non ex sua perfectione, sed ab aliquo extrinseco determinetur ad numquam ponendum hircocerum: sicuti repugnat summæ perfectioni, Deum ab extrinseco necessitari ad creandum mundum, & non à sua libera determinatione. Hæc si benè considerentur, pulchrè confirmant nostram conclusionem; quæ ex eo etiam capite roboratur: quia hoc modo assignamus rationem à priori optimam, verissimam, vniformem, & facillimā, in qua quiescimus; dum contemplantes totam rerum omnium possibilium, & impossibilium collectionem, indagamus horum omnium rationem primam, & à priori.

Allatæ doctrinæ non contradicit scientia Dei de nostris actibus liberis

6 Dices: sine absurdo verificatur, quod Deus effectuum liberorum existentiam non cognoscat in sua essentia; sed illos in se ipsis cognoscat: ergo etiam quod cognoscat rerum possibilitates, & impossibilitates non in se ipso, sed in alio veluti in medio. Antecedens debet benè intelligi, quia omnia prædicata effectus liberi Deus cognoscit in se ipso per simplicem intelligentiam; neque quando effectus ille iam est, exprimitur à Deo aliquod, quod aliter nō exprimeretur: sed solum Deus, qui per simplicem intelligentiam non affirmabat illa prædicata esse, per visionem id affirmat: neque visio supra simplicem intelligentiam addit aliquam perfectionem, sed purum nexum cum illo effectu, quem nexu Deus poterat absolute impedire impediendo effectum: quare nexus ille æternus est originaliter à summa perfectione libertatis Dei, qui liberè vult concurrere ad effectus liberos; adeoque nullo modo verificatur, quod scientiam visionis Deus accipiat à creatura cum prædominio operante, sed à se illam habeat, tamquam à principio adæquato dante vires liberè operandi, & concurrente ad ipsam liberam operationem; cum quo beuè cohæret, quod sit perfectissima potentia, idea, & prima rerum omnium ratio. Hoc modo intellecto antecedente, de quo fusiùs dicam cum de scientia Dei: nego consequentiam: quia si Deus non esset modo dicto rerum possibilitas, expectaret aliunde esse causam, & ideam perfectissimam, ac primam rationem, & definitionem; imò absolute non esset prima ratio &c.

Probatur quod Deus sit possibilitas ex cōnexione essentiali inter prædicata metaphysica: & ex eo quod absolute verum est hominē esse animal rationale.

7 Probatur quarto: connexio essentialis inter prædicata metaphysica constitutiua rei, seu necessitas talis connexionis, est aliquod primum, cuius nulla est assignabilis ratio à priori; & omnes putant ridiculum esse, quærere, cur homo sit essentialiter homo, & animal rationale: sed hæc connexio essentialia prædicatorum est possibilitas: ergo possibilitas est aliqua prima ratio indefectibilis, & à se; hæc autem prima ratio non potest esse nisi natura diuina. Præterea hæc connexio essentialis necessaria cōstituit rem in statu quodam essentiali quidditatiuo, & æterno, ratione cuius homo semper sit animal rationale, tria, & quatuor sint septem: quæ omnia concipiuntur vt aliquod præsens, & necessarium; neque enim expectamus, vt quid futurum, vt duo, & tria faciant septem: hic autem status intentionalis necessarius est ipsa diuina essentia, necessario dictans ea omnes veritates, & imponens oppositum.

Status quidditatiuus rei possibilis est eius possibilitas.

8 Confirmatur: prædicatum propositionis quidditatiuæ verificari debet de re pro quocūque statu, sine limitatione ad differentiam temporis præsentis, præteriti, futuri, aut conditionati: de equo enim semper verificatur, quod sit animal, siue existat, siue non existat; idque absolute, & nulla facta mentione conditionis, ex quodam instinctu naturæ; non quasi verò intelligamus rem ipsam absolute esse; sed quia significamus statum quemdam quidditatiuum, quo vel exprimuntur, vel determinantur huiusmodi connexiones; & sunt ideæ diuinæ: sicuti cum res cognoscitur, existit status quidam intentionalis rei, non res ipsa. Hic igitur status quidditatiuus absolute existens, est prima ratio, primus rerum conceptus quidditatiuus,

& Deus

& Deus ipse, ac necessitas, quam supra dicebã.

Soluitur obiectio.

10 Dices propositio illa quidditatiua, homo est animal rationale, significat identitatem intrinsecam inter hominem, & animal rationale; quæ identitas absolute non semper est: quomodo ergo illa veritas est necessaria? Deinde qui formant illas propositiones non cogitant de Deo: ergo non potest verificatiuum illarum propositionum esse Deus. Distinguo secundam partem assumpti, quæ identitas absolute non semper est realiter, & extra Deum; concedo: quidditatiue. & in Deo; nego: illa connexio realiter, & extra Deum est ipse homo contingens: at cum nos ex lumine ipso naturæ illam exprimamus per propositionem absolutam, & necessariam, debet habere aliquem statum sibi extrinsecum, in quo absolute, & necessario sit, & per quem verificetur illa propositio: hic autem status est quidditatiuus à nobis explicatus, possibilitas, & Deus ipse; qui veluti prima rerum idæa, & ratio & dictat hominem esse possibilem, & hæc esse eius prædicata; & verificat omnes illas propositiones æternæ veritatis non solum absolutas, sed etiam conditionales. Hinc nego antecedens confirmationis; quia qui penetrantes terminos formant illas propositiones, semper intelligere debent conceptum aliquem necessarimm; proferunt enim illas vt omnino necessario veras.

Deus non connectitur cum creaturarum possibilitate tamquam cum termino à se distincto.

11 Ex dictis infero primo, Deum non connecti cum possibilitate creaturaram, tamquam cum termino à se distincto: quia si à Deo distinguitur, est vtique creatura, & Deus cum nulla creatura essentialiter connectitur: bene autem cum illa connectitur connexione omnium maxima, quæ est identitas: qua connexione possibilitas causæ connectitur cum possibilitate effectus, & possibilitas effectus cum possibilitate causæ, & cuiusque rei creatæ possibilitas cum omnium aliarum possibilitate: quia videlicet vna est omnium rerum possibilitas prima, & adæquata. Ex quibus per locum intrinsecum sequitur repugnante Petro repugnaturas res omnes, & Deum ipsum: quia videlicet repugnare Petrum, est cessare eius possibilitatem; quæ cum sit Deus, repugnare Petrum est Deum deficere: Deum autem deficere est deficere omnium possibilitatem, ac repugnare omnia; Deus enim est omnium possibilitas.

Repugnante Petro, repugnaret Deus.

Possibilitas non est potentia passiua necessaria extra Deũ ab æterno existens.

12 Infero secundo, non benè Henricum docuisse possibilitatem rerum esse potentiam quamdam passiuam, necessariam, extra Deum ab æterno suo modo existentem: non benè, inquam: quia hæc potentia passiua vel dependet à Deo, & sic in priori signo est potens à Deo exire, ac possibilis; quæro, per quam possibilitatem? vel non dependet à Deo, & est ens à se; ergo iam admittunt aduersarij duo prima principia rerum à se mutuò independentia. Contra hunc dicendi modum faciunt omnia ferè, quæ supra diximus.

13 Infero tertio, possibilitatem non esse, vt volunt Scotistarum nonnulli cum Tartareto rerum essentias secundum esse actuale reale extra Deum existentes, sed per actum diuini intellectus productas secundum quoddam esse intelligibile absolutum, & ipsis creaturis intrinsecum, existens non à parte rei, sed in mente diuina ab æterno, & diminutum, quia maius est ente rationis, minus esse existentiæ. Rationes contra hunc dicendi modum facilè colligi possunt ex dictis: nunc tantùm quæro, vtrum illud esse diminutum sit à Deo distinctum, vel non? si secundum, nihil contra me dicitur: si primum, iterum quæro, illud distinctum à Deo est creatum, vel increatum, dependens, vel à Deo independens? quidquid elegeris, iam factis argumentis redargueris.

Neque rerum essentiæ secundum esse actuale reale extra Deum existentes, ad per actum diuini intellectus productæ.

14 Non longe ab allatis sententijs recedit Albertinus tom. 2. in prædicam: substantiæ *disp.* 1. *quæst.* 1. asserens creaturas possibiles, antequam existant, non esse omnino nihil, neq; habere solum esse extrinsecum potentiale in causa; sed habere etiam aliquod esse intrinsecum diminutum actuale, ingenerabile, & incorruptibile, ab æterno extra intellectum diuinum, dependens à Deo non in genere causæ efficientis, sed exemplaris. Cuique autem obuium est hunc philosophandi modum ex dictis improbare.

17 Demum aduerto eadem esse prædicata possibilia effectus, ac actualia: neque verò Deus actu producit nisi prædicata, quæ videt possibilia: quamuis formaliter constituantur possibilia per diuersam formam, ac sit illa, qua constituuntur actualia.

SECTIO V.

Soluuntur obiectiones.

1 OBijcies primo: ergo æquè necessaria est possibilitas formicæ, impossibilitas hircoceruı, ac Deus. Concedo consequentiam.

Nõ est immutabilitas vere maior Deũ perseuerare repugnante Petro.

2 Instabis: est perfectior conceptus, Deus perseuerans repugnante Petro, ac non perseuerans repugnante Petro; est enim secunda indefectibilitas perfectior: ergo Deus non est possibilitas Petri; aliter repugnante Petro non perseueraret Deus: ergo possibilitas Petri nõ debet esse æquè necessaria, ac est Deus. Nego assumptum, & rationem in contrarium allatam: non enim est perfectior indefectibilitas chimærica, quæ nequeat reduci ad actum; talis autem est indefectibilitas quã agnoscunt aduersarij in Deo: nam perseuerare Deum Petro repugnante, est coniungi perseuerantiam Dei cum repugnantia Petri; quod æquè repugnat, ac Petrũ repugnare. Audi: maior est indefectibilitas, Deum perseuerare repugnante omnipotentia; repugnante Trinitate: ergo debemus dicere, quod Deus adhuc perseueraret si repugnaret omnipotentia, & Trinitas: quod nemo dixerit.

3 Obijcies secundo: ergo Deus est impotens producere chimæram. Concedo consequ-

tiam:

Potentia productiua chimæræ in Deo est chimærica.

tiam: verum ea non est absolute impotenria, sed perfectissima potenria, identificata cum perfectissima Dei idæa, & ipso Deo dictante per suum esse, chimaram esse impossibilem: stante autem hoc dictamine potentia productiua chimæræ esset ex suis intrinsecis impotens exerceri propter illud dictamen sibi maximè identificatum, & pugnans cum productione chimæræ: ergo illa esset absolute imporentia: posse autem chimarã producere, quãdo fieret possibilis; est posse chimaricum, vnitum videlicet cum possibilitate chimæræ: quod est maximè chimæricum, & repugnans diuinæ potentiæ, qua idẽtificatur cum dictamine diuino asserente verè chimaram esse impossibilem, ac proinde se, & ipsum Deum, ac Omnipotentiam esse inconiungibilem cum possibilitate chimæræ: quare, sicuti adueniente pnssibilitate chimæra, hoc dictamen deficeret; ita deficeret Deus, & Omnipotentia impotentia igitur producendi chimæram est summa perfectio; sicuti summa perfectio est Impotentia mentiendi in Deo. Cæterum in ea suppositione chimæra maximè repugnaret, tum quia opponeretur verissimo, & necessario dictamini de sua repugnantia; tum quia, ipsum non repugnare chimeræ, est maximè repugnans. Ex quibus patet cur Deus possit cognoscere chimæram, non illam producere; quia videlicet diuina sapiẽtia dictat chimæram implicare.

Quomodo se habeat ad possibilitatem illud disiũctum Petrus est, vel nõ est.

4 Objicies tertio: illud disiunctum, quodlibet est, vel non est, distinguitur à Deo: sed possibilitas est illud disiunctum: ergo possibilitas distinguitur è Deo: minor probatur: impossibilitas est, idem simul esse, & non esse: ergo possibilitas est, quodlibet est, vel non est; & possibilitas Petri est, Petrum esse, vel non esse. Ratio est quia quando Petrus est, non inuoluit contradictionem; quando non est, contingenter non est; ergo est possibilis: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem: necesse autem est vt sit alterum membrum disiuncti: ergo per illud disiunctum benè saluatur Petrum esse necessario possibilem; & veritas obiectiua disiuncti est necessaria possibililas Petri.

Distinguẽdum est inter membra, & ipsam disiũctionem

5 Sed contra est: nam in illo disiuncto tria habentur: primo esse contingens, quod profectò non est possibilitas, sed ipsum existere contingens, & terminus possibilitatis: secundo deficere ab esse, quod item contingens est, & terminus possibilitatis, non ipsa possibilitas denominans: ac demum tertio disiunctio expressa per ly, vel, & hæc disiunctio est aliquod absolute necessarium, non purè possibile, aut sub aliqua conditione futurum; & est necessitas vt alterum extremum sit, quæ necessitas verificat formaliter indicium disiunctiuum. Hæc facile confirmari possunt ex dictis sect. 3. Igitur disiunctio est Deus, & ipsa possibilitas vtriusque extremi.

6 Distinguo igitur maiorem: disiunctũ formaliter sumptũ pro disiunctione iam explicata distinguitur à Deo; nego: materialiter acceptum pro singulis partibus; Concedo maiorem: & distinguo minorem: possibilitas est illud disiunctum formaliter sumptum pro disiunctione; concedo; materialiter acceptum: nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris, nego antecedens: impossibilitas enim illius chimæræ non est ipsamet chimæra: sed necessitas ne sit illa chimara: profectò sicuti impossibilitas Petri est chimærica, & possibilitas necessaria; ita possibilitas chimæræ est chimærica, & impossibilitas maximè realis, & necessaria. Ad rationem vltimo loco allatam, dico, quodlibet ex illis membris esse sufficiens signũ, vt Petrus iudicetur possibilis; neutrum autem esse possibilitatem, sed disiunctionem illam necessariam, de qua iam diximus: vnde nego cõsequentiam illam: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem.

7 Aduerto hic primo eum, qui intuetur Deum, necessario videre, Deum esse possibilitatem omnium possibilium, & impossibilitatem impossibilium: sed cum id non omnimoda claritate exprimat, non est necesse, vt clarè videat omnia, & singula possibilia, eaque inter se distinguat: sed satis est si formet hunc conceptum veluti vniuersalem, quidquid est possibile à Deo est possibile, & quidquid est impossibile ex diuinis idæis, & dictamine diuinæ sapientiæ est impossibile.

Non datur ratio a priori possibilitatis, vel impossibilitatis: sed eam colligimus à posteriori.

8 Aduerto secundo cum possibilitas sit prima ratio; nullam dari rationem à priori cur hoc, sit possibile, illud minime: à posteriori autem nos non immediate attingentes Deum ex eo, quod Petrus inuoluat, vel non inuoluat prædicata repugnantia inferimus eius possibilitatem, vel impossibilitatem.

9 Igitur ratio a priori veluti in genere causæ formalis cur Petrus sit possibilis, non sit possibilis chimæra, est Deus, qui per suum esse perfectissimum est possibilitas omnium possibilium, & impossibilium impossibilitas.

Possibilitas realiter est diuina essentia, formaliter est diuina idæa obiectiua.

10 Aduerto tertio, ex parte obiecti ipsam diuinam essentiam per suum esse perfectissimum esse possibilitatem, & impossibilitatem rerum. Quod si velimus ex modo nostro concipiendi imperfecto in Deo distinguere plura prædicata essentialia, & absoluta; dici satis congruenter potest, possibilitatem rerum esse diuinam essentiam, quatenus est idæa perfectissima obiectiua rerum omnium, taxans singulis prædicata, connexiones, repugnantias, distinctiones, & similia: & in ea quidem, veluti in perfectissimo exemplari, & archetypo comprehendit diuinus intellectus dicta omnia: eaque bona approbat diuina voluntas: ex quibus intelligitur cõstare, vel procedere diuina Omnipotentia, vt executiua eorum bonorum, quæ per intellectum proponuntur voluntati. Cuius rei ratio esse potest: quia rerum possibilitas est prima ratio, cur res sit possibilis; prima autem ratio cur res sit possibilis, est diuina essentia, eo modo dictans tamquam prima idæa obiectiua: præciso .n. illo dictamine, non dum intelligitur possibilitas, vel im-

impossibilitas; reliqua, videlicet sapientia, voluntas, & potentia executiua, sequûtur ex modo nostro imperfecto cognoscendi ad illam ideam. Verùm in quæstione, cuius solutio pendet, tamquam ex principio, ex modo nostro cognoscêdi imperfecto, qui tamen non debet esse regula decidendi profundissimas de diuinitate quæstiones, hæc attigisse sit satis.

Quomodo Deus est possibilitas peccati.

11 Obijcies quinto: ergo Deus est possibilitas peccati. Concedo consequentiam; in consequenti autem nullum est absurdum; vt facile quiuis potest ex dictis intelligere: neque profecto possibilitas peccati prima est, nisi possibilitas creaturæ potentis Deo liberè obsequi, quæ nullam dicit imperfectionem; sicuti nullam dicit imperfectionem potentia permissiua peccati.

12 Obijcies sexto: creaturæ habent intrinsecam cognoscibilitatem contradistinctam à diuina cognitione, ex qua possunt denominari intrinsecè cognoscibiles: ergo habent intrinsecam possibilitatem contradistinctam à diuina essentia, ex qua denominentur intrinsecè possibiles. Dato antecedente: nego consequentiam: ratio est: quia possibilitas, vt probauimus, est quid absolute necessarium præcedens rei creatæ esse: ergo necessario est Deus extrinsecus rei creatæ; quæ ratio non militat respectu cognoscibilitatis. Cæterum res chimæricæ, & reales non existentes, non sunt actu cognoscibiles, nisi per denominationem extrinsecam à potentia, quæ potest illas cognoscere, & actu existit, & ab aliquo obiecto, quod existit, & potest ad illarum cognitionê mouere: quare nulla gaudent absoluta intrinseca cognoscibilitate; quamuis dum cognoscuntur, eorum esse intrinsecum cognoscatur: & in hoc sensu accipienda sunt ea quę de intelligibilitate intrinseca chimæræ diceham *dispu. 1 log.*

Forma indiuisibilis, quæ est prima ratio, non supponit in subiecto, quod denominat capacitatem, sed potius est principiũ illius capacitatis.

13 Obijcies septimo: eadem indiuisibilis forma non potest tribuire diuersis subiectis diuersas denominationes, nisi supponat in illis diuersitatem: ergo non potest ab æterno tribuere homini denominationem possibilis, hircoceruo impossibilis, nisi supponatur aliqua diuersitas in obiectis. Distinguo maiorem; forma indiuisibilis, quæ non sit prima ratio; concedo: quæ sit prima ratio; nego: alias non esset prima ratio; vt facile colligi potest ex dictis: satis igitur est, si veluti fundet illam diuersitatem.

Creatura non existens non est intrinsecè capax vt denominetur possibilis.

14 Instabis: homo est intrinsecè capax, vt denominetur possibilis, & chimæra intrinsecè incapax, vt denominetur impossibilis: ergo datur intrinseca illa capacitas; & incapacitas ad has denominationes: contra quam redeunt argumenta supra facta, quia ea capacitas, & incapacitas non est possibilis, neque existens sub conditione, sed absolute est necessaria, & distincta à Deo, vtpote intrinseca creaturæ: hæc igitur capacitas est potentia passiua, quam admittit Henricus, necessariò, & absolute, sed diminutè existens. Nego antecedens, si loquamur de rigorosa capacitate intrinseca: cũ enim hæc denominatio sit intêtionalis habita ab idea & conceptu diuinæ mentis, non debet supponere in subiecto denominato intrinsecam aliquam capacitatem, potest enim versari circa obiecta non existentia, imò chimærica. Non negauerim autem, quod possibilitas habeat suum terminum quem denominat: at ille terminus non est potentia passiua, quam intendis aduersarius.

Quomodo qui loquitur, & cogitat de possibili, cogitat & loquitur de Deo.

15 Obijcies octauo: per illud homo non implicat, & est possibilis, quod solum debeo considerare, vt iudicem quod nõ implicet, & sit possibilis: sed ad formandum hoc iudicium non debet aliquid de Deo cogitari, sed satis est si considerem prædicata intrinseca hominis: ergo &c. similiter homo necessariò ab æterno est animal rationale. Distinguo maiorem: per illud formaliter homo non implicat, quod solum debeo considerare &c. Nego; arguitiuè, concedo: illud enim, quod debeo considerare ad illud iudicium formandum, est argumentum, & ratio, qua ad ipsum inducar: hoc autem non est necesse, vt sit ipsa formalis possibilitas; sed bene possunt esse prædicata rei, quæ ostendant suam possibilitatem. Ad minorem dico, eum, qui considerat prædicata Petri v. g. vt non repugnatia, necessario considerare hanc, vt veritatem necessariam; ac proinde necessariò cogitat de Deo, quamuis non sub conceptu expresso per nomen Deus, sed sub alio, qui cum Deo conuertatur. Ad id quod additur, dico, illam propositionem, homo est animal rationale, esse necessario veram; si quidditatiuè sumatur: quia eo modo accepta significat necessitatem absolutam cum Deo identificatam, quæ dictat hominem identificari cum animali rationali, ita vt non possit esse, neque concipi homo, quin sit, & concipiatur animal rationale, & illa identitas: at si sumatur realiter, & significet aliquam statum realem extra Deum, illa est propositio contingens, vt patet ex dictis. legatur Maurus *quæst. 47. log.*

Lapis non videns quâ tæ sit perfectionis.

16 Obijcies nono: ergo plus perfectionis est in lapide non vidente; quàm in Beata Virgine: quia lapis non videns includit Deum, qui necessariò excludit à lapide visionem. Quid dicent aduersariorum plurimi, qui docent peccatum includere Omnipotentiam Dei, asserent ne peccatum esse perfectius Beata Virgine? distinguo igitur consequens; plus perfectionis intrinsecæ ipsi lapidi est in lapide non vidente &c. nego: extrinsecæ lapidi; subdistinguo, si sumatur concretiuè cum necessitate absoluta, ac lapis sit videns; concedo: quia ea necessitas est Deus; si illa sit necessitas alicuius prædicati lapidis, quod licet in se contingens, supponit tamen illam necessitatem; nego: quia illa necessitas, quamuis perfectissima, & ipse Deus, non includitur in lapide non vidente, sed est purus terminus extrinsecus: lapis igitur est non videns intrinsecè: per sua prædicata, quæ se ipsa excludunt potentiam ad videndum, & ipsam visionem.

17 Obijcies decimo: ergo qui negat dari hanc

Potentia productiua chimæræ in Deo est chimærica.

tiam: verum ea non est absolute impotentia, sed perfectissima potentia, identificata cum perfectissima Dei idæa, & ipso Deo dictante per suum esse, chimæram esse impossibilem: stante autem hoc dictamine potentia productiua chimæræ esset ex suis intrinsecis impotens exerceri propter illud dictamen sibi maximè identificatum, & pugnans cum productione chimæræ: ergo illa esset absolute impotentia: posse autem chimærā producere, quādo fieret possibilis; est posse chimaricum, vnitum videlicet cum possibilitate chimæræ: quod est maximè chimæricum, & repugnans diuinæ potentiæ, quæ idētificatur cum dictamine diuino asserente verè chimæram esse impossibilem, ac proinde se, & ipsum Deum, ac Omnipotentiam esse inconiungibilem cum possibilitate chimæræ: quare, sicuti adueniente possibilitate chimæra, hoc dictamen deficeret; ita deficeret Deus, & Omnipotentia impotentia igitur producendi chimæram est summa perfectio; sicuti summa perfectio est Impotentia mentiendi in Deo. Cæterum in ea suppositione chimæra maximè repugnaret, tum quia opponeretur verissimo, & necessario dictamini de sua repugnantia; tum quia, ipsum non repugnare chimæræ, est maximè repugnans. Ex quibus patet cur Deus possit cognoscere chimæram, non illam producere; quia videlicet diuina sapiētia dictat chimæram implicare.

Quomodo se habeat ad possibilitatem illud disiūctum Petrus est, vel nō est.

4 Obijcies tertio: illud disiunctum, quodlibet est, vel non est, distinguitur à Deo: sed possibilitas est illud disiunctum: ergo possibilitas distinguitur à Deo: minor probatur: impossibilitas est, idem simul esse, & non esse: ergo possibilitas est, quodlibet est, vel non est; & possibilitas Petri est, Petrum esse, vel non esse. Ratio est quia quando Petrus est, non inuoluit contradictionem; quando non est, contingenter non est; ergo est possibilis: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem: necesse autem est vt sit alterum membrum disiuncti: ergo per illud disiunctum benè saluatur Petrum esse necessario possibilem; & veritas obiectiua disiuncti est necessaria possibilitas Petri.

Distinguēdum est inter membra, & ipsam disiūctionem

5 Sed contra est: nam in illo disiuncto tria habentur: primo esse contingens, quod profectò non est possibilitas, sed ipsum existere contingens, & terminus possibilitatis: secundo deficere ab esse, quod item contingens est, & terminus possibilitatis, non ipsa possibilitas denominans: ac demum tertio disiunctio expressa per ly, vel, & hæc disiunctio est aliquod absolute necessarium, non purè possibile, aut sub aliqua conditione futurum; & est necessitas vt alterum extremum sit, quæ necessitas verificat formaliter indicium disiunctiuum. Hæc facile confirmari possunt ex dictis sect. 3. Igitur disiunctio est Deus, & ipsa possibilitas vtriusque extremi.

6 Distinguo igitur maiorem: disiunctū formaliter sumptū pro disiunctione iam explicata distinguitur à Deo; nego: materialiter acceptum pro singulis partibus; Concedo maiorem: & distinguo minorem: possibilitas est illud disiunctum formaliter sumptum pro disiunctione; concedo; materialiter acceptum: nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris, nego antecedens: impossibilitas enim illius chimæræ non est ipsamet chimæra: sed necessitas ne sit illa chimæra: profectò sicuti impossibilitas Petri est chimærica, & possibilitas necessaria; ita possibilitas chimæræ est chimærica, & impossibilitas maximè realis, & necessaria. Ad rationem vltimo loco allatam, dico, quodlibet ex illis membris esse sufficiens signū, vt Petrus iudicetur possibilis; non tamen autem esse possibilitatem, sed disiunctionem illam necessariam, de qua iam diximus: vnde nego cōsequentiam illam: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem.

7 Aduerto hic primo eum, qui intuetur Deum, necessario videre, Deum esse possibilitatem omnium possibilium, & impossibilitatem impossibilium: sed cum id non omnimoda claritate exprimat, non est necesse, vt clarè videat omnia, & singula possibilia, eaque inter se distinguat: sed satis est si formet hunc conceptum veluti vniuersalem, quidquid est possibile à Deo est possibile, & quidquid est impossibile ex diuinis idæis, & dictamine diuinæ sapientiæ est impossibile.

Non datur ratio a priori possibilitatis, vel impossibilitatis: sed eam colligimus à posteriori.

8 Aduerto secundo cum possibilitas sit prima ratio; nullam dari rationem à priori cur hoc, sit possibile, illud minime: à posteriori autem nos non immediate attingentes Deum ex eo, quod Petrus inuoluat, vel non inuoluat prædicata repugnantia inferimus eius possibilitatem, vel impossibilitatem.

9 Igitur ratio a priori veluti in genere causæ formalis cur Petrus sit possibilis, non sit possibilis chimæra, est Deus, qui per suum esse perfectissimum est possibilitas omnium possibilium, & impossibilium impossibilitas.

Possibilitas realiter est diuina essentia, formaliter est diuina idæa obiectiua.

10 Aduerto tertio, ex parte obiecti ipsam diuinam essentiam per suum esse perfectissimum esse possibilitatem, & impossibilitatem rerum. Quod si velimus ex modo nostro concipiendi imperfecto in Deo distinguere plura prædicata essentialia, & absoluta; dici satis congruenter potest, possibilitatem rerum esse diuinam essentiam, quatenus est idæa perfectissima obiectiua rerum omnium, taxans singulis prædicata, connexiones, repugnantias, distinctiones, & similia: & in ea quidem, veluti in perfectissimo exemplari, & archetypo comprehendit diuinus intellectus dicta omnia: eaque bona approbat diuina voluntas: ex quibus intelligitur cōstare, vel procedere diuina Omnipotentia, vt executiua eorum bonorum, quæ per intellectum proponuntur voluntati. Cuius rei ratio esse potest: quia rerum possibilitas est prima ratio, cur res sit possibilis; prima autem ratio cur res sit possibilis, est diuina essentia, eo modo dictans tamquam prima idæa obiectiua: præciso .n. illo dictamine, non dum intelligitur possibilitas, vel im-

impossibilitas reliqua, videlicet sapientia, voluntas, & potentia executiua, sequũtur ex modo nostro imperfecto cognoscendi ad illam ideam. Verum in quæstione, cuius solutio pendet, tamquam ex principio, ex modo nostro cognoscẽdi imperfecto, qui tamen non debet esse regula decidendi profundissimas de diuinitate quæstiones, hæc attigisse sit satis.

Quomodo Deus est possibilitas peccati.

11 Obijcies quinto: ergo Deus est possibilitas peccati. Concedo consequentiam; in consequenti autem nullum est absurdum; vt facile quiuis potest ex dictis intelligere: neque profecto possibilitas peccati prima est, nisi possibilitas creaturæ potentis Deo liberè obsequi, quæ nullam dicit imperfectionem; sicuti nullam dicit imperfectionem potentia permissiua peccati.

12 Obijcies sexto: creaturæ habent intrinsecam cognoscibilitatem contradistinctam à diuina cognitione, ex qua possunt denominari intrinsecè cognoscibiles: ergo habent intrinsecam possibilitatem contradistinctam à diuina essentia, ex qua denominentur intrinsecè possibiles. Dato antecedente: nego consequentiam: ratio est: quia possibilitas, vt probauimus, est quid absolute necessarium præcedens rei creatæ esse: ergo necessario est Deus extrinsecus rei creatæ: quæ ratio non militat respectu cognoscibilitatis. Cæterum res chimæricæ, & reales non existentes, non sunt actu cognoscibiles, nisi per denominationem extrinsecam à potentia, quæ potest illas cognoscere, & actu existit, & ab aliquo obiecto, quod existit, & potest ad illarum cognitioné mouere: quare nulla gaudent absoluta intrinseca cognoscibilitate; quamuis dum cognoscuntur, eorum esse intrinsecum cognoscatur: & in hoc sensu accipienda sunt ea quę de intelligibilitate intrinseca chimæræ dicebam *disput. 1 log.*

Forma indiuisibilis, quæ est prima ratio, non supponit in subiecto, quod denominat capacitatem, sed potius est principiũ illius capacitatis.

13 Obijcies septimo: eadem indiuisibilis forma non potest tribuere diuersis subiectis diuersas denominationes, nisi supponat in illis diuersitatem: ergo non potest ab æterno tribuere homini denominationem possibilis, hircoceruo impossibilis, nisi supponatur aliqua diuersitas in obiectis. Distinguo maiorem; forma indiuisibilis, quæ non sit prima ratio; concedo: quæ sit prima ratio; nego: alias non esset prima ratio; vt facile colligi potest ex dictis: satis igitur est, si veluti fundet illam diuersitatem.

Creatura non existens non est intrinsecè capax vt denominetur possibilis.

14 Instabis: homo est intrinsecè capax, vt denominetur possibilis, & chimæra intrinsecè incapax, vt denominetur impossibilis: ergo datur intrinseca illa capacitas; & incapacitas ad eas denominationes: contra quam redeunt argumenta supra facta, quia ea capacitas, & incapacitas non est possibilis, neque existens sub conditione, sed absolute est necessaria, & distincta à Deo, vtpote intrinseca creaturæ: hæc igitur capacitas est potentia passiua, quam admittit Henricus, necessariò, & absolute, sed diminutè existens. Nego antecedens, si loquamur de rigorosa capacitate intrinseca: cũ enim hæc denominatio sit intẽtionalis habita ab idea & conceptu diuinæ mentis, non debet supponere in subiecto denominato intrinsecam aliquam capacitatem, potest enim versari circa obiecta non existentia, imò chimærica. Non negauerim autem, quod possibilitas habeat suum terminum quem denominat: at ille terminus non est potentia passiua, quam intendit aduersarius.

Quomodo qui loquitur, & cogitat de possibili, cogitat & loquitur de Deo.

15 Obijcies octauo: per illud homo non implicat, & est possibilis, quod solum debeo considerare, vt iudicem quod nõ implicet, & sit possibilis: sed ad formandum hoc iudicium non debet aliquid de Deo cogitari, sed satis est si considerem prædicata intrinseca hominis: ergo &c. similiter homo necessariò ab æterno est animal rationale. Distinguo maiorem: per illud formaliter homo non implicat, quod solum debeo considerare &c. Nego; arguitiuè, concedo: illud enim, quod debeo considerare ad illud iudicium formandum, est argumentum, & ratio, qua ad ipsum inducar: hoc autem non est necesse, vt sit ipsa formalis possibilitas; sed benè possunt esse prædicata rei, quæ ostendant suam possibilitatem. Ad minorem dico, eum, qui considerat prædicata Petri v. g. vt non repugnatia, necessario considerare hanc veritatem necessariam; ac proinde necessariò cogitat de Deo, quamuis non sub conceptu expresso per nomen Deus, sed sub alio, qui cum Deo conuertatur. Ad id quod additur, dico, illam propositionem, homo est animal rationale, esse necessario veram; si quidditatiuè sumatur: quia eo modo accepta significat necessitatem absolutam cum Deo identificatam, quæ dictat hominem identificari cum animali rationali, ita vt non possit esse, neque concipi homo, quin sit, & concipiatur animal rationale, & illa identitas: at si sumatur realiter, & significet aliquam statum realem extra Deum, illa est propositio contingens, vt patet ex dictis. legatur Maurus *quæst. 47. log.*

Lapis non videns quã tæ sit perfectionis.

16 Obijcies nono: ergo plus perfectionis est in lapide non vidente; quàm in Beata Virgine: quia lapis non videns includit Deum, qui necessario excludit à lapide visionem. Quid dicent aduersariorum plurimi, qui docent peccatum includere Omnipotentiam Dei? asserent ne peccatum esse perfectius Beata Virgine? distinguo igitur consequens; plus perfectionis intrinsecæ ipsi lapidi est in lapide non vidente &c. nego: extrinsecæ lapidi; subdistinguo, si sumatur concretiuè cum necessitate absoluta, ne lapis sit videns; concedo: quia ea necessitas est Deus; si illa sit necessitas alicuius prædicati lapidis, quod licet in se contingens, supponit tamen illam necessitatem; nego: quia illa necessitas, quamuis perfectissima, & ipse Deus, non includitur in lapide non vidente, sed est purus terminus extrinsecus: lapis igitur est non videns intrinsecè: per sua prædicata, quæ se ipsa excludunt potentiam ad videndum, & ipsam visionem.

17 Obijcies decimo: ergo qui negat dari

hanc

Potentia productiua chimæræ in Deo est chimærica.

tiam: verum ea non est absolute impotentia, sed perfectissima potentia, identificata cum perfectissima Dei idæa, & ipso Deo dictante per suum esse, chimæram esse impossibilem: stante autem hoc dictamine potentia productiua chimæræ esset ex suis intrinsecis impotens exerceri propter illud dictamen sibi maximè identificatum, & pugnans cum productione chimæræ: ergo illa esset absolute impotentia: posse autem chimærā producere, quādo fieret possibilia; est posse chimaricum, voitum videlicet cum possibilitate chimæræ: quod est maximè chimæricum, & repugnans diuinæ potentiæ, quæ identificatur cum dictamine diuino asserente verè chimæram esse impossibilem, ac proinde se, & ipsum Deum, ac Omnipotentiam esse inconiungibilem cum possibilitate chimæræ: quare, sicuti adueniente possibilitate chimæra, hoc dictamen deficeret; ita deficeret Deus, & Omnipotentia impotentia igitur producendi chimæram est summa perfectio; sicuti summa perfectio est Impotentia mentiendi in Deo. Cæterum in ea suppositione chimæra maximè repugnaret, tum quia opponeretur verissimo, & necessario dictamini de sua repugnantia; tum quia, ipsum non repugnare chimęrę, est maximè repugnans. Ex quibus patet cur Deus possit cognoscere chimæram, non illam producere; quia videlicet diuina sapiētia dictat chimæram implicare.

Quomodo se habeat ad possibilitatem illud disiunctum Petrus est, vel nō est.

4 Obijcies tertio: illud disiunctum, quodlibet est, vel non est, distinguitur à Deo: sed possibilitas est illud disiunctum: ergo possibilitas distinguitur à Deo: minor probatur: impossibilitas est, idem simul esse, & non esse: ergo possibilitas est, quodlibet est, vel non est; & possibilitas Petri est, Petrum esse, vel non esse. Ratio est quia quando Petrus est, non inuoluit contradictionem; quando non est, contingenter non est; ergo est possibilis: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem: necesse autem est vt sit alterum membrum disiuncti: ergo per illud disiunctum benè saluatur Petrum esse necessario possibilem; & veritas obiectiua disiuncti est necessaria possibilitas Petri.

Distinguendum est inter membra, & ipsam disiunctionem

5 Sed contra est: nam in illo disiuncto tria habentur: primo esse contingens, quod profecto non est possibilitas, sed ipsum existere contingens, & terminus possibilitatis: secundo deficere ab esse, quod item contingens est, & terminus possibilitatis, non ipsa possibilitas denominans: ac demum tertio disiunctio expressa per ly, vel, & hæc disiunctio est aliquod absolute necessarium, non porè possibile, aut sub aliqua conditione futurum; & est necessitas vt alterum extremum sit, quæ necessitas verificat formaliter iudicium disiunctiuum. Hæc facile confirmari possunt ex dictis sect. 3. Igitur disiunctio est Deus, & ipsa possibilitas vtriusque extremi.

6 Distinguo igitur maiorem: disiunctū formaliter sumptū pro disiunctione iam explicata distinguitur à Deo; nego: materialiter acceptum pro singulis partibus; Concedo maiorem: & distinguo minorem: possibilitas est illud disiunctum formaliter sumptum pro disiunctione; concedo; materialiter acceptum: nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris, nego antecedens: impossibilitas enim illius chimæræ non est ipsamet chimæra: sed necessitas ne sit illa chimæra: profectò sicuti impossibilitas Petri est chimærica, & possibilitas necessaria; ita possibilitas chimæræ est chimærica, & impossibilitas maximè realis, & necessaria. Ad rationem vltimo loco allatam, dico, quodlibet ex illis membris esse sufficiens signū, vt Petrus iudicetur possibilis; neutrum autem esse possibilitatem, sed disiunctionem illam necessariam, de qua iam diximus: vnde nego cōsequentiam illam: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem.

7 Aduerto hic primo eum, qui intuetur Deum, necessario videre, Deum esse possibilitatem omnium possibilium, & impossibilitatem impossibilium; sed cum id non omnimoda claritate exprimat, non est necesse, vt clarè videat omnia, & singula possibilia, eaque inter se distinguat: sed satis est si formet hunc conceptum veluti vniuersalem, quidquid est possibile à Deo est possibile, & quidquid est impossibile ex diuinis idæis, & dictamine diuinæ sapientiæ est impossibile.

Non datur ratio a priori possibilitatis, vel impossibilitatis: sed eam colligimus à posteriori.

8 Aduerto secundo cum possibilitas sit prima ratio; nullam dari rationem à priori cur hoc, sit possibile, illud minime: à posteriori autem nos non immediate attingentes Deum ex eo, quod Petrus inuoluat, vel non inuoluat prædicata repugnantia inferimus eius possibilitatem, vel impossibilitatem.

9 Igitur ratio a priori veluti in genere causæ formalis cur Petrus sit possibilis, non sit possibilis chimæra, est Deus, qui per suum esse perfectissimum est possibilitas omnium possibilium, & impossibilium impossibilitas.

Possibilitas realiter est diuina essentia, formaliter est diuina idæa obiectiua.

10 Aduerto tertio, ex parte obiecti ipsam diuinam essentiam per suum esse perfectissimum esse possibilitatem, & impossibilitatem rerum. Quod si velimus ex modo nostro concipiendi imperfecto in Deo distinguere plura prædicata essentialia, & absoluta; dici satis congruenter potest, possibilitatem rerum esse diuinum essentiam, quatenus est idæa perfectissima obiectiua rerum omnium, taxans singulis prædicata, connexiones, repugnantias, distinctiones, & similia: & in ea quidem, veluti in perfectissimo exemplari, & archetypo comprehendit diuinus intellectus dicta omnia: eaque bona approbat diuina voluntas: ex quibus intelligitur cōtare, vel procedere diuina Omnipotentia, vt executiua eorum bonorum, quæ per intellectum proponuntur voluntati. Cuius rei ratio esse potest: quia rerum possibilitas est prima ratio, cur res sit possibilis; prima autem ratio cur res sit possibilis, est diuina essentia, eo modo dictans tamquam prima idæa obiectiua: præciso in illo dictamine, non dum intelligitur possibilitas, vel im-

impossibilitas, reliqua, videlicet sapientia, voluntas, & potentia executiua, sequitur ex modo nostro imperfecto cognoscendi ad illam ideam. Verum in quæstione, cuius solutio pendet, tamquam ex principio, ex modo nostro cognoscendi imperfecto, qui tamen non debet esse regula decidendi profundissimas de diuinitate quæstiones, hæc attigisse sit satis.

Quomodo Deus est possibilitas peccati.

11 Obijcies quinto: ergo Deus est possibilitas peccati. Concedo consequentiam; in consequenti autem nullum est absurdum; vt facile quiuis potest ex dictis intelligere: neque profecto possibilitas peccati prima est, nisi possibilitas creaturæ potentis Deo liberè obsequi, quæ nullam dicit imperfectionem; sicuti nullam dicit imperfectionem potentia permissiua peccati.

12 Obijcies sexto: creaturæ habent intrinsecam cognoscibilitatem contradistinctam à diuina cognitione, ex qua possunt denominari intrinsecè cognoscibiles: ergo habent intrinsecam possibilitatem contradistinctam à diuina essentia, ex qua denominenter intrinsecè possibiles. Dato antecedente: nego consequentiam: ratio est: quia possibilitas, vt probauimus, est quid absolute necessarium præcedens rei creatæ esse: ergo necessario est Deus extrinsecus rei creatæ: quæ ratio non militat respectu cognoscibilitatis. Cæterum res chimæricæ, & reales non existentes, non sunt actu cognoscibiles, nisi per denominationem extrinsecam à potentia, quæ potest illas cognoscere, & actu existit, & ab aliquo obiecto, quod existit, & potest ad illarum cognitionē mouere: quare nulla gaudent ab soluta intrinseca cognoscibilitate; quamuis dum cognoscuntur, eorum esse intrinsecum cognoscatur: & in hoc sensu accipienda sunt ea quę de intelligibilitate intrinseca chimæræ dicebam *disput. 1 log.*

Forma indiuisibilis, quæ est prima ratio, non supponit in subiecto, quod denominat capacitatem, sed potius est principiū illius capacitatis.

13 Obijcies septimo: eadem indiuisibilis forma non potest tribuere diuersis subiectis diuersas denominationes, nisi supponat in illis diuersitatem: ergo non potest ab æterno tribuere homini denominationem possibilis, hircoceruo impossibilis, nisi supponatur aliqua diuersitas in obiectis. Distinguo maiorem; forma indiuisibilis, quæ non sit prima ratio; concedo: quæ sit prima ratio; nego: alias non esset prima ratio; vt facile colligi potest ex dictis: satis igitur est, si veluti fundet illam diuersitatem.

14 Instabis: homo est intrinsecè capax, vt denominetur possibilis, & chimæra intrinsecè incapax, vt denominetur impossibilis: ergo datur intrinseca illa capacitas; & incapacitas ad eas denominationes: contra quam redeunt argumenta supra facta, quia ea capacitas, & incapacitas non est possibilis, neque existens sub conditione, sed absolute est necessaria, & distincta à Deo, vtpote intrinseca creaturæ: hæc igitur capacitas est potentia passiua, quam admittit Henricus, necessariò, & absolute, sed diminutè existens. Nego antecedens, si loquamur de rigorosa capacitate intrinseca: cū enim hæc denominatio sit intētionalis habita ab idea

Creatura non existens non est intrinsecè capax vt denominetur possibilis.

& conceptu diuinæ mentis, non debet supponere in subiecto denominato intrinsecam aliquam capacitatem, potest enim versari circa obiecta non existentia, imò chimærica. Non negauerim autem, quod possibilitas habeat suum terminum quem denominat: at ille terminus non est potentia passiua, quam intendit aduersarius.

Quomodo qui loquitur, & cogitat de possibili, cogitat & loquitur de Deo.

15 Obijcies octauo: per illud homo non implicat, & est possibilis, quod solum debeo considerare, vt iudicem quod nō implicet, & sit possibilis: sed ad formandum hoc iudicium non debet aliquid de Deo cogitari, sed satis est si considerem prædicata intrinseca hominis: ergo &c. similiter homo necessariò ab æterno est animal rationale. Distinguo maiorem: per illud formaliter homo non implicat, quod solum debeo considerare &c. Nego; arguitiuè, concedo: illud enim, quod debeo considerare ad illud iudicium formandum, est argumentum, & ratio, qua ad ipsum inducar: hoc autem non est necesse, vt sit ipsa formalis possibilitas; sed benè possunt esse prædicata rei, quæ ostendant suam possibilitatem. Ad minorem dico, eum, qui considerat prædicata Petri v. g. vt non repugnatia, necessario considerare hanc, vt veritatem necessariam; ac proinde necessariò cogitat de Deo, quamuis non sub conceptu expresso per nomen Deus, sed sub alio, qui cum Deo conuertatur. Ad id quod additur, dico, illam propositionem, homo est animal rationale, esse necessario veram; si quidditatiuè sumatur: quia eo modo accepta significat necessitatem absolutam cum Deo identificatam, quæ dictat hominem identificari cum animali rationali, ita vt non possit esse, neque concipi homo, quin sit, & concipiatur animal rationale, & illa identitas: at si sumatur realiter, & significet aliquam statum realem extra Deum, illa est propositio contingens, vt patet ex dictis. legatur Maurus *quæst. 47. log.*

Lapis non videns quātæ sit perfectionis.

16 Obijcies nono: ergo plus perfectionis est in lapide non vidente; quàm in Beata Virgine: quia lapis non videns includit Deum, qui necessariò excludit à lapide visionem. Quid dicent aduersariorum plurimi, qui docent peccatum includere Omnipotentiam Dei? afferent ne peccatum esse perfectius Beata Virgine? distinguo igitur consequens; plus perfectionis intrinsecæ ipsi lapidi est in lapide non vidente &c. nego: extrinsecæ lapidi; subdistinguo, si sumatur concretiuè cum necessitate absoluta, ne lapis sit videns; concedo: quia ea necessitas est Deus; si illa sit necessitas alicuius prædicati lapidis, quod licet in se contingens, supponit tamen illam necessitatem; nego: quia illa necessitas, quamuis perfectissima, & ipse Deus, non includitur in lapide non vidente, sed est purus terminus extrinsecus: lapis igitur est non videns intrinsecè: per sua prædicata, quæ se ipsa excludunt potentiam ad videndum, & ipsam visionem.

17 Obijcies decimo: ergo qui negat dari

hanc

Potentia productiua chimæræ in Deo est chimærica.

tiam: verum ea non est absolute impotentia, sed perfectissima potentia, identificata cum perfectissima Dei idæa, & ipso Deo dictante per suum esse, chimæram esse impossibilem: stante autem hoc dictamine potentia productiua chimæræ esset ex suis intrinsecis impotens exercere propter illud dictamen sibi maximè identificatum, & pugnans cum productione chimæræ: ergo illa esset absolute impotentia: posse autem chimæra producere, quãdo fieret possibilis; est posse chimæricum, voitum videlicet cum possibilitate chimæræ: quod est maximè chimæricum, & repugnans diuinæ potentiæ, quæ idẽtificatur cum dictamine diuino asserente verè chimæram esse impossibilem, ac proinde se, & ipsum Deum, ac Omnipotentiam esse inconiungibilem cum possibilitate chimæræ: quare, sicuti adueniente possibilitate chimæra, hoc dictamen deficeret; ita deficeret Deus, & Omnipotentia impotentia igitur producendi chimæram est summa perfectio; sicuti summa perfectio est Impotentia mentiendi in Deo. Cæterum in ea suppositione chimæra maximè repugnaret, tum quia opponeretur verissimo, & necessario dictamini de sua repugnantia; tum quia, ipsum non repugnare chimęrę, est maximè repugnans. Ex quibus patet cur Deus possit cognoscere chimæram, non illam producere; quia videlicet diuina sapiẽtia dictat chimæram implicare.

Quomodo se habeat ad possibilitatem illud disiũctum Petrus est, vel nõ est.

4 Obijcies tertio: illud disiunctum, quodlibet est, vel non est, distinguitur à Deo: sed possibilitas est illud disiunctum: ergo possibilitas distinguitur à Deo: minor probatur: impossibilitas est, idem simul esse, & non esse ergo possibilitas est, quodlibet est, vel non est; & possibilitas Petri est, Petrum esse, vel non esse. Ratio est quia quando Petrus est, non inuoluit contradictionem; quando non est, contingenter non est; ergo est possibilis: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem: necesse autem est vt sit alterum membrum disiuncti: ergo per illud disiunctum benè saluatur Petrum esse necessario possibilem; & veritas obiectiua disiuncti est necessaria possibililas Petri.

Distinguẽdum est inter membra, & ipsam disiũctionem

5 Sed contra est: nam in illo disiuncto tria habentur: primo esse contingens, quod profectò non est possibilitas, sed ipsum existere contingens, & terminus possibilitatis: secundo deficere ab esse, quod item contingens est, & terminus possibilitatis, non ipsa possibilitas denominans: ac demum tertio disiunctio expressa per ly, vel, & hæc disiunctio est aliquod absolute necessarium, non purè possibile, aut sub aliqua conditione futurum; & est necessitas vt alterum extremum sit, quæ necessitas verificat formaliter iudicium disiunctiuum. Hæc facile confirmari possunt ex dictis sect. 3. Igitur disiunctio est Deus, & ipsa possibilitas vtriusque extremi.

6 Distinguo igitur maiorem: disiunctũ formaliter sumptũ pro disiunctione iam explicata distinguitur à Deo; nego: materialiter acceptum pro singulis partibus; Concedo maiorem: & distinguo minorem: possibilitas est illud disiunctum formaliter sumptum pro disiunctione; concedo; materialiter acceptum: nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris, nego antecedens: impossibilitas enim illius chimæræ non est ipsamet chimæra: sed necessitas ne sit illa chimæra: profectò sicuti impossibilitas Petri est chimærica, & possibilitas necessaria; ita possibilitas chimæræ est chimerica, & impossibilitas maximè realis, & necessaria. Ad rationem vltimo loco allatam, dico, quodlibet ex illis membris esse sufficiens signũ, vt Petrus iudicetur possibilis; neutrum autem esse possibilitatem, sed disiunctionem illam necessariam, de qua iam diximus: vnde non sequentiam illam: ergo quodlibet ex membris disiuncti satis est ad constituendum Petrum possibilem.

7 Aduerto hic primo eum, qui intuetur Deum, necessario videre, Deum esse possibilitatem omnium possibilium, & impossibilitatem impossibilium: sed cum id non omnimoda claritate exprimat, non est necesse, vt clarè videat omnia, & singula possibilia, eaque inter se distinguat: sed satis est si formet hunc conceptum veluti vniuersalem, quidquid est possibile à Deo est possibile, & quidquid est impossibile ex diuinis idæis, & dictamine diuinæ sapientiæ est impossibile.

Non datur ratio a priori possibilitatis, vel impossibilitatis: sed eam colligimus à posteriori.

8 Aduerto secundo cum possibilitas sit prima ratio; nullam dari rationem à priori cur hoc, sit possibile, illud minime: à posteriori autem nos non immediate attingentes Deum ex eo, quod Petrus inuoluat, vel non inuoluat prædicata repugnantia inferimus eius possibilitatem, vel impossibilitatem.

9 Igitur ratio a priori veluti in genere causæ formalis cur Petrus sit possibilis, non sit possibilis chimæra, est Deus, qui per suum esse perfectissimum est possibilitas omnium possibilium, & impossibilium impossibilitas.

Possibilitas realiter est diuina essentia, formaliter est diuina idæa obiectiua.

10 Aduerto tertio, ex parte obiecti ipsam diuinam essentiam per suum esse perfectissimum esse possibilitatem, & impossibilitatem rerum. Quod si velimus ex modo nostro concipiendi imperfecto in Deo distinguere plura prædicata essentialia, & absoluta; diei satis congruenter potest, possibilitatem rerum esse diuinum esseotiam, quatenus est idæa perfectissima obiectiua rerum omnium, taxans singulis prædicata, connexiones, repugnantias, distinctiones, & similia: & in ea quidem, veluti in perfectissimo exemplari, & archetypo comprehendit diuinus intellectus dicta omnia: eaque bona approbat diuina voluntas: ex quibus intelligitur cõstare, vel procedere diuina Omnipotentia, vt executiua eorum bonorum, quæ per intellectum proponuntur voluntati. Cuius rei ratio esse potest: quia rerum possibilitas est prima ratio, cur res sit possibilis; prima autem ratio cur res sit possibilis, est diuina essentia, eo modo dictaus tamquam prima idæa obiectiua: præciso o. illo dictamine, non dum intelligitur possibilitas, vel im-

impossibilitas: reliqua, videlicet sapientia, voluntas, & potentia executiua, sequütur ex modo nostro imperfecto cognoscendi ad illam ideam. Verùm in quæstione, cuius solutio pendet, tamquam ex principio, ex modo nostro cognoscēdi imperfecto, qui tamen non debet esse regula decidendi profundissimas de diuinitate quæstiones, hæc attigisse sit satis.

Quomodo Deus est possibilitas peccati.

11 Obijcies quinto: ergo Deus est possibilitas peccati. Concedo consequentiam; in consequenti autem nullum est absurdum; vt facilè quiuis potest ex dictis intelligere: neque profectò possibilitas peccati prima est, nisi possibilitas creaturæ potentis Deo liberè obsequi, quæ nullam dicit imperfectionem; sicuti nullam dicit imperfectionem potentia permissiua peccati.

12 Obijcies sexto: creaturæ habent intrinsecam cognoscibilitatem contradistinctam à diuina cognitione, ex qua possunt denominari intrinsecè cognoscibiles: ergo habent intrinsecam possibilitatem contradistinctam à diuina essentia, ex qua denominentur intrinsecè possibiles. Dato antecedente: nego consequentiam: ratio est: quia possibilitas, vt probauimus, est quid absolute necessarium præcedens rei creatæ esse: ergo necessario est Deus extrinsecus rei creatæ: quæ ratio non militat respectu cognoscibilitatis. Cæterum res chimæricæ, & reales non existentes, non sunt actu cognoscibiles, nisi per denominationem extrinsecam à potentia, quæ potest illas cognoscere, & actu existit, & ab aliquo obiecto, quod existit, & potest ad illarum cognitionē mouere: quare nulla gaudent absoluta intrinseca cognoscibilitate; quamuis dum cognoscuntur, eorum esse intrinsecum cognoscatur: & in hoc sensu accipienda sunt ea quę de intelligibilitate intrinseca chimæræ dicebam *disput.* 5 *log.*

Forma indiuisibilis, quæ est prima ratio, non supponit in subiecto, quod denominat capacitatem, sed potius est principiū illius capacitatis.

13 Obijcies septimo: eadem indiuisibilis forma non potest tribuere diuersis subiectis diuersas denominationes, nisi supponat in illis diuersitatem: ergo non potest ab æterno tribuere homini denominationem possibilis, hircoceruo impossibilis, nisi supponatur aliqua diuersitas in obiectis. Distinguo maiorem; forma indiuisibilis, quæ non sit prima ratio; concedo: quæ sit prima ratio; nego: alias non esset prima ratio; vt facile colligi potest ex dictis: satis igitur est, si veluti fundet illam diuersitatem.

Creatura non existens non est intrinsecè capax vt denominetur possibilis.

14 Instabis: homo est intrinsecè capax, vt denominetur possibilis, & chimæra intrinsecè incapax, vt denominetur impossibilis: ergo datur intrinseca illa capacitas; & incapacitas ad eas denominationes: contra quam redeunt argumenta supra facta, quia ea capacitas, & incapacitas non est possibilis, neque existens sub conditione, sed absolute est necessaria, & distincta à Deo, vtpote intrinseca creaturæ: hæc igitur capacitas est potentia passiua, quam admittit Henricus, necessariò, & absolute, sed diminutè existens. Nego antecedens, si loquamur de rigorosa capacitate intrinseca: cū enim hæc denominatio sit intētionalis habita ab idea & conceptu diuinæ mentis, non debet supponere in subiecto denominato intrinsecam aliquam capacitatem, potest enim versari circa obiecta non existentia, imò chimærica. Non negauerim autem, quod possibilitas habeat suum terminum quem denominat: at ille terminus non est potentia passiua, quam intendit aduersarius.

Quomodo qui loquitur, & cogitat de possibili, cogitat & loquitur de Deo.

15 Obijcies octauo: per illud homo non implicat, & est possibilis, quod solum debeo considerare, vt iudicem quod nō implicet, & sit possibilis: sed ad formandum hoc iudicium non debet aliquid de Deo cogitari, sed satis est si considerem prædicata intrinseca hominis: ergo &c. similiter homo necessariò ab æterno est animal rationale. Distinguo maiorem: per illud formaliter homo non implicat, quod solum debeo considerare &c. Nego; arguitiuè, concedo: illud enim, quod debeo considerare ad illud iudicium formandum, est argumentum, & ratio, qua ad ipsum inducar: hoc autem non est necesse, vt sit ipsa formalis possibilitas; sed benè possunt esse prædicata rei, quæ ostendant suam possibilitatem. Ad minorem dico, eum, qui considerat prædicata Petri v. g. vt non repugnatia, necessario considerare hanc veritatem necessariam; ac proinde necessariò cogitat de Deo, quamis non sub conceptu expresso per nomen Deus, sed sub alio, qui cum Deo conuertatur. Ad id quod additur, dico, illam propositionem, homo est animal rationale, esse necessario veram; si quidditatiuè sumatur: quia eo modo accepta significat necessitatem absolutam cum Deo identificatam, quæ dictat hominem identificari cum animali rationali, ita vt non possit esse, neque concipi homo, quin sit, & concipiatur animal rationale, & illa identitas: at si sumatur realiter, & significet aliquam statum realem extra Deum, illa est propositio contingens, vt patet ex dictis. legatur Maurus *quæst.* 47. *log.*

Lapis non videns quā tæ sit perfectionis.

16 Obijcies nono: ergo plus perfectionis est in lapide non vidente; quàm in Beata Virgine: quia lapis non videns includit Deum, qui necessario excludit à lapide visionem. Quid dicent aduersariorum plurimi, qui docent peccatum includere Omnipotentiam Dei? afferent ne peccatum esse perfectius Beata Virgine? distingno igitur consequens; plus perfectionis intrinsecæ ipsi lapidi est in lapide non vidente &c. nego: extrinsecæ lapidi; subdistinguo, si sumatur concretiuè cum necessitate absoluta, ne lapis sit videns; concedo: quia ea necessitas est Deus; si illa sit necessitas alicuius prædicati lapidis, quod licet in se contingens, supponit tamen illam necessitatem; nego: quia illa necessitas, quamuis perfectissima, & ipse Deus, non includitur in lapide non vidente, sed est purus terminus extrinsecus: lapis igitur est non videns intrinsecè: per sua prædicata, quæ se ipsa excludunt potentiam ad videndum, & ipsam visionem.

17 Obijcies decimo: ergo qui negat dari

hanc

impossibilitas: reliqua, videlicet sapientia, voluntas, & potentia executiua, sequũtur ex modo nostro imperfecto cognoscendi ad illam ideam. Verùm in quæstione, cuius solutio pendet, tamquam ex principio, ex modo nostro cognoscẽdi imperfecto, qui tamen non debet esse regula decidendi profundissimas de diuinitate quæstiones, hæc attigisse sit satis.

Quomodo Deus est possibilitas peccati.

11 Obijcies quinto: ergo Deus est possibilitas peccati. Concedo consequentiam; in consequenti autem nullum est absurdum; vt facile quiuis potest ex dictis intelligere: neque profecto possibilitas peccati prima est, nisi possibilitas creaturæ potentis Deo liberè obsequi, quæ nullam dicit imperfectionem; sicuti nullam dicit imperfectionem potentia permissiua peccati.

12 Obijcies sexto: creaturæ habent intrinsecam cognoscibilitatem contradistinctam à diuina cognitione, ex qua possunt denominari intrinsecè cognoscibiles: ergo habent intrinsecam possibilitatem contradistinctam à diuina essentia, ex qua denominentur intrinsecè possibiles. Dato antecedente: nego consequentiam: ratio est: quia possibilitas, vt probauimus, est quid absolute necessarium præcedens rei creatæ esse: ergo necessario est Deus extrinsecus rei creatæ: quæ ratio non militat respectu cognoscibilitatis. Cæterum res chimaricæ, & reales non existentes, non sunt actu cognoscibiles, nisi per denominationem extrinsecam à potentia, quæ potest illas cognoscere, & actu existit, & ab aliquo obiecto, quod existit, & potest ad illarum cognitionẽ mouere: quare nulla gaudent ab soluta intrinseca cognoscibilitate; quamuis dum cognoscuntur, eorum esse intrinsecum cognoscatur: & in hoc sensu accipienda sunt ea quę de intelligibilitate intrinseca chimæræ diecebam *disput.* 1 *log.*

Forma indiuisibilis, quæ est prima ratio, non supponit in subiecto, quod denominat capacitatem, sed potius est principiũ illius capacitatis.

13 Obijcies septimo: eadem indiuisibilis forma non potest tribuere diuersis subiectis diuersas denominationes, nisi supponat in illis diuersitatem: ergo non potest ab æterno tribuere homini denominationem possibilis, hircoceruo impossibilis, nisi supponatur aliqua diuersitas in obiectis. Distinguo maiorem; forma indiuisibilis, quæ non sit prima ratio; concedo: quæ sit prima ratio; nego: alias non esset prima ratio; vt facile colligi potest ex dictis: satis igitur est, si veluti fundet illam diuersitatem.

Creatura non existens non est intrinsecè capax vt denominetur possibilis.

14 Instabis: homo est intrinsecè capax, vt denominetur possibilis, & chimæra intrinsecè incapax, vt denominetur impossibilis: ergo datur intrinseca illa capacitas; & incapacitas ad eas denominationes: contra quam redeunt argumenta supra facta, quia ea capacitas, & incapacitas non est possibilis, neque existens sub conditione, sed absolute est necessaria, & distincta à Deo, vtpote intrinseca creaturæ: hæc igitur capacitas est potentia passiua, quam admittit Henricus, necessariò, & absolute, sed diminutè existens. Nego antecedens, si loquamur de rigorosa capacitate intrinseca: cũ enim hæc denominatio sit intẽtionalis habita ab idea & conceptu diuinæ mentis, non debet supponere in subiecto denominato intrinsecam aliquam capacitatem, potest enim versari circa obiecta non existentia, imò chimærica. Non negauerim autem, quod possibilitas habeat suum terminum quem denominat: at ille terminus non est potentia passiua, quam intendit aduersarius.

Quomodo qui loquitur, & cogitat de possibili, cogitat & loquitur de Deo.

15 Obijcies octauo: per illud homo non implicat, & est possibilis, quod solum debeo considerare, vt iudicem quod nõ implicet, & sit possibilis: sed ad formandum hoc iudicium non debet aliquid de Deo cogitari, sed satis est si considerem prædicata intrinseca hominis: ergo &c. similiter homo necessariò ab æterno est animal rationale. Distinguo maiorem: per illud formaliter homo non implicat, quod solum debeo considerare &c. Nego; arguitiuè, concedo: illud enim, quod debeo considerare ad illud iudicium formandum, est argumentum, & ratio, qua ad ipsum inducar: hoc autem non est necesse, vt sit ipsa formalis possibilitas; sed benè possunt esse prædicata rei, quæ ostendant suam possibilitatem. Ad minorem dico, eum, qui considerat prædicata Petri v. g. vt non repugnatia, necessario considerare hanc, vt veritatem necessariam; ac proinde necessariò cogitat de Deo, quamuis non sub conceptu expresso per nomen Deus, sed sub alio, qui cum Deo conuertatur. Ad id quod additur, dico, illam propositionem, homo est animal rationale, esse necessario veram; si quidditatiuè sumatur: quia eo modo accepta significat necessitatem absolutam eum Deo identificatam, quæ dictat hominem identificari cum animali rationali, ita vt non posse esse, neque concipi homo, quin sit, & concipiatur animal rationale, & illa identitas: at si sumatur realiter, & significet aliquam statum realem extra Deum, illa est propositio contingens, vt patet ex dictis. legatur Maurus *quæst.* 47. *log.*

Lapis non videns quãtæ sit perfectionis.

16 Obijcies nono: ergo plus perfectionis est in lapide non vidente; quàm in Beata Virgine: quia lapis non videns includit Deum, qui necessario excludit à lapide visionem. Quid dicent aduersariorum plurimi, qui docent peccatum includere Omnipotentiam Dei? afferent ne peccatum esse perfectius Beata Virgine? distinguo igitur consequens; plus perfectionis intrinsecæ ipsi lapidi est in lapide non vidente &c. nego: extrinsecæ lapidi; subdistinguo, si sumatur concretiuè cum necessitate absoluta, ne lapis sit videns; concedo: quia ea necessitas est Deus; si illa sit necessitas alicuius prædicati lapidis, quod licet in se contingens, supponit tamen illam necessitatem; nego: quia illa necessitas, quamuis perfectissima, & ipse Deus, non includitur in lapide non vidente, sed est purus terminus extrinsecus: lapis igitur est non videns intrinsecè: per sua prædicata, quæ se ipsa excludunt potentiam ad videndum, & ipsam visionem.

17 Obijcies decimo: ergo qui negat dari hanc

hanc rerum possibilitatem, & impossibilitatem, negat Deum: ergo est hæreticus. Distinguo primum consequens, negat Deum sub conceptu à fide proposito; nego: sub conceptu, quem fides non proponit; concedo: primum non secundũ constituit hæreticum. Allata doctrina confirmatur ex iis, quæ habet S. Thom. *q. 3. de potent. art. 7. ad 27. & ad 28. q. 21. de verit. art. 4. ad 5. 1. p. q. 16. ar. 3. ad 3. & in 1. dist. 8. q. 2. art. 2. ad 5.*

Quomodo qui negat hanc possibilitatem, neget Deũ.

18 Illud demum addo: Lyncei argumenta, quæ proponit *l. 4. phys. tract. 2. c. 1.* ad probandum admittendam in creaturis possibilitatem intrinsecam, quia admitti debet bonitas, & iustitia creatura; quæ, sicut multæ aliæ, sunt formæ intrinsecæ rebus creatis; non esse valida: quia bonitas, iustitia creata, & similes, non sunt formæ absolute necessariæ, sicuti est possibilitas: quod si loqueris de his formis potentialiter sumptis, & per hoc intelligas ipsam illarum possibilitatem, sine vllo prorsus periculo concedimus illas esse extrinsecas, identificatas cum Deo: cum quo etiam 1. p. tract. de scientia identificabam futuritionem conditionalem. Concedo præterea rem possibilem per suam esse repugnare suæ repugnantiæ: id autem non est aliud, quàm excludere suum non esse: cæterum & illa repugnantia, & exclusio, sunt quid contingens.

SECTIO VI.

Quid sit existentia, & quo modo distinguatur ab essentia?

Quid sit existere.

1 CVm possibile sit potens existere, non est à præsenti instituto alienum, quæ spectant ad existentiam breuiter percurrere: existere est esse ipsum rei: terminus notissimus, ac primus, qui ferè in qualibet explicatione supponitur, & quilibet in se experitur quid sit esse: & existere. Primo igitur non placent qui docent, existentiam esse, per quam res ponitur extra causas: cum Deus existat, neq; ponitur extra causas. Neque secundo qui dicunt existentiam formaliter esse actionem, per quam res ponitur extra causas: tum ob allatam rationem; tum quia actio terminatur ad existẽtiam effectus; ergo non est formaliter ipsum esse effectus. Neque tertio, qui docent, existẽtiam ponere rem extra nihilum; quia hoc est obscurius, & explicandum vlteriùs per esse, quia videlicet facit rem simpliciter, & absolute esse: & Deus proprijssime existit, nec ponitur extra nihilum. Neque quarto, qui dicunt, existentiam esse ipsum esse rei exclusiuum suæ carentiæ: quid enim est esse? & excludere carentiam est obscurius, quam existere. Quare hic conceptus est absolute primus, & notissimus, & tantum per aliquem effectum intentionalem possumus suo modo illum explicare, vt existentiam videlicet, seu existere exercitè sumptum, esse formam, quæ præbet intellectui fundamentum dicendi, rem absolute, & simpliciter esse.

Est terminus per se primo notus.

Nõ est forma per quã res ponitur extra causas: vel extra nihilum.

A posteriori explicatur.

2 Iam verò existentia creata, (de hac nunc loquor) considerari potest & vt possibilis, & vt actualis: vt possibilis possibilitate actuali, & necessaria, seu eius possibilitas actualis, & necessaria, est Deus: vt actualis, est ipsamet existentia exercita, à Deo contradistincta. & in se ipsa posita: quæ eadem, etiam si non existat, est possibilis. His pósitis.

3 Quæritur inter doctores, quomodo existentia distinguatur ab essentia: nomine autem essentiæ intelligo prædicata intrinseca, & essentialia rei. Certum autem est possibilitatem actualem, & necessariam essentiæ non distingui à prima possibilitate existentiæ, vt vidimus: quare solum hic comparamus prædicata intrinseca rei cum eorumdem existentia; & inquirimus, vtrum habeant inter se aliquam distinctionem?

4 Dico cum Scotistis contra Thomistas, essentiam non distingui ab existentia. Probatur: prædicata essentialia rei præcisa existentia nullum habent esse: ergo totum illorum esse est existentia: ergo non distinguuntur ab existentia: antecedens probatur: esse est ipsum existere: ergo sicuti præcisa existentia prædicata essentialia nullum habent existere; ita nullum habent esse: prima consequentia est satis clara: aliter si totum illorum esse non esset existentia, præcisa existentia haberent aliquod esse. Secunda consequentia confirmatur: si distinguerentur ab existentia, ea præcisa haberent aliquod esse; non enim comparantur ab illam vt pura carentia comparatur ad esse.

Existentia non distinguitur realiter ab essentia.

5 Dices; præcisa existentia prædicata illa habere suum esse essentiale, quamuis non habeant suũ esse existentiale. Sed contra: hoc esse essentiale intrinsecum præcisa existentia nullo modo actu est: ergo est nullum esse: antecedens probatur: si hoc esse essentiale præcisa existentia aliquo modo actu esset, aliquo modo existeret præcisa existentia: esse enim, & existere sunt synonima.

Impugnatur esse essentiale distinctum ad existentia.

6 Dices, illud esse essentiale non esse actu, sed potentialiter. Sed contra: esse potentialiter non est esse, sed posse esse: ergo illa prædicata absolute, & secundum sua intrinseca actu præcisa existentia nullo modo sunt. Rursus illud posse esse, vel est intrinsecum illis prædicatis; vel non: si secundum; ergo neque sunt potentialiter per aliquod sibi intrinsecum; sunt enim potentialiter per illud posse esse, quod non est intrinsecum ipsis. si primum; iterum peto, illud posse esse, seu potentia ad essendum, vel præcisa existentia rei, est; vel non est: si non est; ergo præcisa existentia illa prædicata nullum habent esse: si est; ergo præcisa existentia, illa prædicata absolute sunt per aliquod esse sibi intrinsecum; nempe per illam potentiam, quæ absolute est. Neque dicas, illam potentiam esse non absolute, sed secundum quid, & diminutè: nam quid est illam potentiam diminutè esse.

Impugnatur esse potentialiter

esse, nisi posse esse: ergo absolute illa potentia non est, sed potest esse: sed da hoc ipso, posse, redit quæstio: quare deueniendum tandem est ad aliquam potentiam extrinsecam, quæ absolutè necessario sit, antequam prædicata intrinseca sint, & existant; ideoque antequam existant, sint potentia esse, præciso esse, & existere; per potentiam quidem actualem, sed extrinsecam; ideoque antequam existant nullum habent esse sibi intrinsecum.

Quomodo essentiæ sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, ac æternæ.

7 Obijcies primo: essentia rei non est dependens à causa secunda, est ingenerabilis, incorruptibilis, æterna: ergo distinguitur ab existentia contingente, & temporanea. Nego antecedens de prædicatis intrinsecis rerum: quāuis, quia causa non potest producere hanc rem, nisi communicando hæc prædicata, & has proprietates; ideo debet supponi absolute existens necessitas illius connexionis, da qua supra diximus.

Essentia non est indifferens ad essendū vel non essendum.

8 Obijcies secundo: essentia est indifferens ad existendum, & non existendum; & non est indifferens ad se ipsam. Respondeo etiam in hoc sensu existentia est indifferens, vt sit, vel nō sit. Nego igitur antecedens: neque enim potest haberi essentia sine existentia; quod requiritur ad propriam indifferentiam: sed tum essentia, tum existentia sunt quid contingens, quod potest esse, & non esse, potentia quadam antecedente, quæ sit indifferens ad essentiam, & existentiam; de qua potentia satis diximus.

9 Obijcies tertio: essentia creaturæ non est ipsum existere: ergo essentia creaturæ distinguitur ab existentia: antecedens probatur, quia, solus Deus est ens, & existens per essentiam. Confirmatur: homo est essentialiter animal rationale, & non est essentialiter existens; est necessario animal rationale, non est necessario existens.

10 Distinguo antecedens: essentia extrinseca, seu status quidditatiuus creaturæ non est ipsum existere creaturæ actuale, & contingens; cōcedo: status enim ille quidditatiuus est Deus, vt vidimus: essentia intrinseca, & contingens; nego antecedens, & consequentiam ab aduersario intentam: ad rationem in contrarium, dico, solum Deum esse ens, & existens per essentiam; quia primus conceptus quidditatiuus Dei est existere eiusdem Dei. Ad confirmationem distinguo illam propositionem, homo sumptus secundum suum conceptum primum quidditatiuum, est essentialitèr animal rationale, quidditatiuè sumptum, & non est essentialiter existens quidditatiue sumptum; nego: homo sumptus secundum sua intrinseca, subdistinguo, est essentialiter animal rationale necessarium; nego: contingens, subdistinguo, si sit; concedo: si non sit; nego: & distinguo illam propositionem, & non est essentialiter existens necessario, concedo: contingenter; nego: eodem modo distinguo illam propositionem, homo quidditatiue sumptus est necessario animal rationale quidditatiue sumptum, & non est necessario existens secundum esse quidditatiuum, & primum; nego: homo sumptus secundum intrinseca, subdistinguo, est necessario animal rationale contingens, & quando est; concedo: necessarium, & nulla facta suppositione; nego: & distinguo illam propositionem, & non est necessario existens absolute, & nulla facta suppositione; concedo; si sit, nego.

Homo dupliciter cō sideratur primo quidditatiue, & est Deus.

12 Eodem modo homo est animal rationale, quo modo est existens. Dupliciter autem considerari potest homo; primo quidditatiuè secundum suum primum conceptum, & idæam, quomodo est ipse Deus; & secundum hunc cōceptum necessario est animal rationale, & necessario existit: secundo, secundum esse sibi intrinsecum, & contradistinctum à Deo; & hoc modo, sicuti contingenter est, ita contingenter est animal rationale, & existens: non quia possit esse, & non esse animal rationale, sicuti neque potest esse, & non existere; sed quia ita est hoc animal rationale, & hoc existens, vt absolute potuerit non esse: cum quo bene cohæret, quod secundum sua intrinseca sit essentialiter animal rationale, & existens; quia si est, necessario est animal rationale existens: quia non est animal rationale, neque existens per aliquod suæ essentiæ extrinsecum: & quamuis hæc tota essentia, & existentia contingens absoluta in se sit, non accidit tamen subiecto; quasi supponat illud secundum intrinseca constitutum, & ei accidat. Vbi aduerto existentiam quantitatis in Eucharistia dici supernaturalem non secundum sua intrinseca, sed ratione modi quo conseruatur.

Secundo secundum esse intrinsecum & contingenter est.

Quomodo omnis creatura habeat esse cōpositum.

13 Obijcies quarto: omnis creatura essentialiter habet esse compositum ad minus ex essentia, & existentia. Nego assumptum: nam ipsa essentia per aduersarios non habet esse compositum, & tamen est creatura: solum igitur verum est, omnem creaturam esse imperfectā, & perfectibilem, ideoque posse venire in compositionem cum alio, à quo perficiatur; quod repugnat Deo. Illud hic aduerto; esse creatum essentialiter esse receptum: non quia existere, debeat recipi tamquam in subiecto, in essentia; sed quia, debet necessario causari à Deo, & ideo est limitatum: aliter cum essentia non recipiatur in alio, vnde limitatur: limitatur igitur esse creaturæ intrinsecè à sua intrinseca differentia, ratione cuius vlteriùs non extenditur: at esse diuinum cum careat omni causa est omnino illimitatum.

Existentia neque necessario est simplex: neque est vltima actualitas.

14 Aduerto præterea, existentiam non debere esse omnino simplicem; neque enim est vltima actualis non vlteriùs perfectibilis: imò potiùs est prima, & fundamentum aliarum. Demum minùs propriè dicitur, id, quod non est, transit ad esse: transit enim quod fuit sub vno extremo, & nunc est sub alio: quod non verificatur de eo, quod non est: solùm igitur verū est, quod non fuit, nunc esse.

15 Obijcies sexto: hæc propositio, homo non est existens, est vera: ergo prædicatum di-

stinguitur à subiecto: ergo essentia ab existentia. Confirmatur: quia in propositione affirmatiua significatur identitas prædicati cum subiecto: ergo in negatiua distinctio prædicati à subiecto. Nego primam consequentiam: ad veritatem enim propositionis negatiuæ satis est, si ex parte prædicati negetur illud ipsum, quod concipitur ex parte subiecti; vt cum dico, Petrus non est. Ex quibus facile est respondere ad confirmationem. Vbi aduerto, quod licet eadem sint prædicata creaturæ possibilis, & actualis; actualitas tamen, & possibilitas distinguuntur.

Ad propositionem negatiuam nõ est necessarium, vt prædicatũ sit terminus realiter distinctus a subiecto, sed satis est si negetur subiectum quod concipitur.

16 Quæres primo, vtrum essentia, & existentia saltem ratione distinguantur? Respondeo, certum mihi esse, non posse aliquem explicitè cognoscere essentiam, vt possibilẽ, quin explicitè cognoscat etiam vt possibilem existentiam: quia exprimere essentiam possibilem, est cognoscere illam posse existere: præterea non potest cognosci essentia, vt actu posita, quin per eumdem actum explicitè attingatur existentia actualis, per quam formaliter essentia actu est.

Quomodo per intellectum essentia distinguitur ab existentia.

17 Ex quo infero, essentiã actualem, & existentiam actualem vix per intellectum distingui posse; sicuti, neque essentiam possibilem ab existentia possibili. Quod si comparemus essentiam, & existentiam actualem cum essentia, & existentia possibili, etiam realiter distinguuntur; quia secunda dicit possibilitatem necessariam; prima dicit esse contingens rei.

18 Quod si comparemus conceptum formalem existentiæ actualis cum conceptu formali essentiæ actualis, non autem vt actualis, differunt inter se: conceptus enim essentiæ hominis est conceptus animalis rationalis; conceptus autem existentiæ formaliter non est, etiã in homine, conceptus animalis rationalis, sed ipsius esse contingentis: quos conceptus nemo non videt, esse inter se diuersos, verùm hæc est diuersitas tantùm ex parte actus, & per ordinẽ ad diuersa connata; quia primus conceptus distinguit hominem à non homine, secundus existentem à non existente.

19 Quæres secundo, vtrum existentia substantiæ sit prior subsistentia? Respondeo affirmatiuè; quia subsistentia est modus à natura profluens: vt infra constabit.

20 Quæres tertio: vtrum conceptus entis sit communis enti possibili, & existenti? Respondeo affirmatiuè, si loquamur de possibilitate necessaria; quia verè tum possibilitas illa, tum ipsum ens sunt absolute ens: si verò loquamur de possibilitate intrinseca, & contingentes quam aliqui admittunt, dico, conceptum entis non esse, saltem realiter communem illi, & ens existenti: quia conceptus realiter communis debet plus realiter extendi, quam alterum membrum: quod non euenit in casu nostro propter realem identitatem extremorum. Verum de hac re plura alibi diximus.

Quomodo conceptus entis sit cõmunis enti possibili, & existẽti.

21 Quæres quartò, vtrum possimus distinguere tot gradus existentiæ, quot sunt gradus metaphysici eiusdem entitatis? Respondeo affirmatiuè: possum enim per conceptum imperfectum concipire prius existens animal, tum rationale, & sic de reliquis gradibus: aliquando tamen possum omnes gradus concipire existẽtes per modum vnius, & per vnicam existentiã veluti adæquatam: sicuti omnes gradus eiusdẽ indiuidui possunt concipi contracti, & per vnicam indiuiduationem veluti adæquatam; & singuli per singulas inadæquatas. Existentia igitur est proportionaliter prima actualitas eius quod constituit actu existens: quare si ens, quod constituitur existens, est compositum, debet, & ipsa existentia esse composita.

Quot sunt gradus metaphysici tot possumus distinguere existentias inter se formaliter diuersas.

DISPVTATIO SECVNDA

De attributis entis.

1 QVamuis hæ voces, proprietas, attributum, passio, nonnumquam confundantur ad significandum, quod rem in sua essentia constitutam necessario sequitur, siue demum distinguatur realiter ab ipsa, siue non; tamen attributum propriè significat quod ita sequitur essentiam rei vltimo constitutam, vt cum illa identificetur: sic iustitia, misericordia, & similes Dei perfectiones, dicuntur attributa; quia licet non ingrediantur, sed sequantur conceptum essentialem Dei; non tamen ab illo realiter distinguuntur: proprietas autem, & passio realiter distinguuntur ab eo, cuius sunt passio, & proprietas.

Quid inter se differunt attributum passio proprietas.

2 Iam verò communis sensus admittit tria illa entis attributa, Vnum, Verum, Bonum: de quibus multa in præsenti sunt discutienda: sit igitur,

SECTIO I.

Quid sit vnitas transcendentalis, quæ est attributum entis?

1 CVm ens sit prædicatum positiuum communissimum, & trascendentale; vnitas quæ est illius attributum debet esse transcendentalis, & conueniens cuilibet rei. Notandum igitur diligenter est, vnitatem transcendentalem non esse identitatem, aut vnionem physicam: conceptus enim etiam metaphysicè simplex, habet vnitatem transcendentalem, nec tamen dicit identitatem, qua plures conceptus summè inter se realiter communicent; aut vnionem physicam, qua plura realiter distincta vltimo determinentur ad constituendum aliquod absolute vnum.

Vnitas transcendentalis non est vnio, non est identitas.

2 Vnitas igitur transcendentalis est forma, seu conceptus, quo res excludit multitudinem sui, seu virtute cuius res non est plura ipsa, nec identificatur cum aliquo à se contradistincto: quare terminus exclusus ab vnitate transcendentali est chimæricus: illa enim multitudo, qua

Est forma qua res excludit multitudinem sui.

res

res constituitur plura ipsa, est omnino repugnas, vt suppono ex logicis.

Definitio vnitatis qua vnum est indiuisum à se.

3 In hoc igitur sensu, vnum definiri ex communi doctrina potest: *Quod est indiuisum a se, & diuisum à quocumque alio.* Sed quia idẽtificari cum alio, est ipsum multiplicari; ideo secundæ particulę non addunt nouum prædicatum, quod non explicatur per primas; sed sunt veluti declaratio illarum.

Indiuisio in se, vel est idem ac indiuisio a se, vel non spectat ad vnitatem.

4 Ex quo infero primo: indiuisionem in se, vel non esse diuersum prædicatum ab indiuisione à se, vel non spectare formaliter ad vnitatem: nam vel significat rem non multiplicaté in plura se, & est eadem cum indiuisione à se; vel significat partes vnius non esse seperaras, & hoc non requiritur essentialiter ad vnitatem transcendentalem: partes enim non esse separatas est formaliter vnio partium; quam vnionem supra probauimus non spectare formaliter ad vnitatem transcendentalem. Et confirmatur, quia hic acervus lapidum est vnus acervus, & habet vnitatem transcendentalem; non autem habet partes vnitas.

vnitas vnicam dicit negationẽ diuisionis.

5 Infero secundo: vnitatem transcendentalem dicere non duas, sed vnicam negationem diuisionis, seu multiplicitatis iam explicatam.

6 Vrgebis: homo dissoluta vnione inter animam, & corpus, non est vnum ens: ergo cõstituitur formaliter vnum ens per illam vnioné. Et confirmatur; quia acervus lapidum non est vnum ens; non nisi quia caret vnione partium. Distinguo antecedens; dissoluta vnione non est vnum ens, & est; nego: & non est; concedo: & nego consequentiam: ex antecedente enim concesso solùm sequitur illam vnionem esse partem intrinsecam huius numero compositi; & consequenter vnitatem transcendentalem huius hominis constitui vnitate transcendentali huius materiæ, huius animæ, huius vnionis. Ad confirmationem dico, acervum lapidum non esse vnum ens vnitate simplicitatis, vel compositionis; benè tamen vnitate aggregationis: sicuti enim hæc materia, hæc anima, hæc vnio sunt vnum compositum; ita omnes hi lapides cum hac vbicatione sunt vnus acervus: & hanc vnitatem expresse indicauit Aristoteles 1. met. c. 6. t. 7. illis verbis, *vniuerse quæcumque diuisionem non habent, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur.* Aristotelẽ sequitur S. Thomas 1. p. q. 11. artic. 5.

7 Quod vt clariùs intelligatur, sciendum est, eorum, quæ sunt à se indiuisa, plures esse classes; & primo quidem aliquod indiuisum neque est pars, neque constat partibus: & quod est huiusmodi est ens completum simplicissimũ ac summè perfectum, quod vlterius perfici nequit, qualis est solus Deus: & hæc vocari potest vnitas simpliciter simplex: sed non est attributum entis, cum non conueniat omni enti: cæterum aliæ vnitates, quo magis accedunt, vel recedunt ab huius vnitatis pefectione, eò sunt perfectiores, vel imperfectiores: est enim ea vnitas prima idæa omnis vnitatis, & principiũ aliarum.

Multæ vnius differentiæ.

Vnitas diuina est principiũ, & idæa reliquarũ.

8 Secundo, aliquod indiuisum est pars, sed non constat partibus: quales sunt omnes partes, ex quibus constant omnia composita; excepto in sententia Aristotelis continuo. Tertio aliquod indiuisum constat partibus, vt homo, equus, & quodlibet ens creatum completum, quod ad minus dicit compositionem ex natura, & subsistentia, substantia & accidente. Cõpositũ autẽ eò perfectius est vnum, quò partes quibus cõstat sunt minùs diuisæ: sic magis est vnus homo quã exercitus. Nulla autẽ ex his speciebus vnitatis est attributum entis, quia nulla conuenit omni enti: attributum igitur entis erit vnitas iam explicata per indiuisionem à se, quæ competit singulis ex dictis speciebus.

Omnis vnitas composita resoluitur in simplicem.

9 Illud autem notandum est: omnem vnitatem transcendentalem compositam resolui tandem in vnitatem transcendentalem simplicem: homo enim est vnus, quia vna est eius materia, vna forma, vna vnio: vnus exercitus, quia singuli illius milites sunt vnus miles &c. Non immerito autem quis dixerit omnem vnitatem resolui in Deum, tamquam in perfectissimè vnum, & perfectissimum exemplar omnis vnitatis: ideoque licet Deus sit extra omnem numerum; esse tamen principium omnis numeri, & multitudinis. Concedi etiam potest cum Manzo, in rebus physicis eò plus aliquod habere perfectionis, quò plus habet vnitatis, & recedit à multitudine, si sit ens completum; quia, vt aliàs notabam, plus accedit ad rationem actus puri. Verùm hoc innuisse sufficiat. His positis.

Vnitas transcendentalis est prædicatum positiuum.

10 Dico: vnitas transcendentalis iam explicata, quæ est proprietas entis, licet à nobis explicetur per conceptum negatiuum, non est tamen aliqua vera carentia in rebus positiuis, sed est ipsum esse positiuum rei: probatur: Petrus, & quælibet alia res per suum esse positiuũ est hoc ens determinatum, & repugnat non esse ipsum, seu multiplicari, & fieri plura, quorum quodlibet sit ipsum: sicuti per aduersarios per suum esse trahit illam carentiam superadditam, ita vt repugnet illam non trahere: ergo per suum esse positiuũ est indiuisum, & indiuisibile in plura se.

Exclusiuũ multiplicitatis chimæricæ est necessariũ, & Deus.

11 Illud hic aduerto, terminum exclusum per hanc indiuisionem, vt dicebam, esse repugnantem multiplicitatem: quare debet excludi per aliquod absolute necessarium, qualis est diuina natura, quatenus est necessitas ne sit illa multitudo. Deus tamen non est vnitas intrinseca entis, tum quia vnitas est contingens non minus ac ipsum ens; tum quia Deus non est intrinsecus enti creato: solùm igitur Deus est necessitas actualis, ne sit, implicans illa multitudo: deficiente autem Petro deficit vnitas, non tamen aduenit multitudo impossibilis, sed carentia contingens vnitatis intrinsecæ.

Deficiente Petro deficit vnitas.

Vnitas nõ est modus superadditus.

12 Hinc infero primo: vnum supra ens nõ addere positiuum aliquem modum: hic enim modus est profectò vnus, & non per modum superadditum. Secundo neque addere forma-

Neque formalitas intrinseca obiectiuè præcisa

litatem quamdam realiter quidem identificatã cum ente, sed obiectiuè præcisam; tum quia repugnant præcisiones obiectiuæ; tum quia præcisa illa formalitate iam habeo vnum; vt probauimus. Neque tertio relationem rationis fictam: nullo enim intellectu cogitante, aut fingente, adhuc Petrus est vnum ens.

Neque relatio ficta.

Non negauerim tamen vnitatem posse concipi conceptu quodam relatiuo, quo res exprimatur relata ad illam multitudinem chimæricam, quam excludit.

13 Obijcies primò: si vnitas non addit aliquid supra ens, quomodo est proprietas ẽtis? Respõdeo, quia prius concipimus rem esse, deinde esse indiuisam, seu non multiplicem: conceptus enim negatiui, & imperfecti nostri intellectus fundantur in positiuis.

Quomodo carentia est vna.

14 Obijcies secundo: etiam carentia habent suam vnitatem: ergo vnitas non est proprietas entis. Nego antecedens: tum quia purò impossibiles carentias ab esse contradistinctas: tum quia si dentur, sicuti non habent absolute esse, sed tantum syncategorematicè, vt loquitur Quiros; ita non habent vnitatem, nisi quia excludunt vnum ens: certè non habent vnitatem fundatam in perfectione. Sed hoc indicasse sit satis.

Vnum genere, specie, numero.

15 Ex his facilè explicari potest, quid sit vnum genere, specie, & indiuiduo: nam vnum genere non est diuisibile in plura genera, benè autem in plures species: & vnum specie non est diuisibile in plures species, sed ad summum in plura indiuidua: vnum demum singulare excludit omnem diuisionem sui in plura, in quolibet quorum sit tota eius ratio: vt dicebamus in logicis.

16 Obijcies tertio: ergo idem est, Petrum esse vnum, ac esse distinctum à quocumque alio. Respondeo, ex parte obiecti ita est; sed conceptus sunt diuersi: nam vnum excludit à se pluralitatem sui; at distinctio excludit à se alia: quod saltem inadæquatè, est quid diuersũ.

17 Obijcies quarto: multitudo est quid positiuum: ergo vnitas est carentia. Respondeo multitudinem, quam excludit vnitas, esse chimæricam, compactam ex esse, & non esse.

SECTIO II.

Quid sit veritas obiectiua, quæ est attributum entis?

Veritas obiectiua, quæ est attributum entis non pure est terminus iudicij veri

1 DVplex veritas est: alia formalis propria actus; de qua diximus in logicis: alia obiectiua propria obiecti: & vt hæc sit attributum entis, de quo loquimur, non satis est, vt conceptus obiectiuus possit esse terminus iudicij veri: aliter quilibet conceptus obiectiuus, etiã chimaricus, esset verum obiectiuum, & gauderet veritate, quæ est attributum entis: quia quilibet conceptus obiectiuus, quamuis chimæricus, potest terminare aliquẽ actum verum. At nemo dixerit, quemlibet cõceptum obiectiuum, etiam chimericum, esse verum, & gaudere veritate, quæ sit attributum entis.

Verum obiectiuum est, quod actu per suum esse excludit suum contradictorium.

2 Puto igitur, verum obiectiuum esse, quod actu, suo esse, excludit suum contradictorium: moueor, quia verum obiectiuum est, quod bene intellectum necessario mouet intellectum ad assensum de sua existentia: falsum autem, quod bene intellectum necessariò mouet intellectum ad dissensum de sua existentia: sicuti bonum est quod bene intellectum mouet ad sui amorem, & prosequutioné, malum, quod bene intellectum mouet ad sui fugam, & odiũ. Sed quod actu, suo esse, excludit suũ contradictorium, bene intellectum necessario mouet intellectum ad assensũ de sua existentia: ergo, quod actu, suo esse excludit suum contradictorium, est verum obiectiuum, veritate obiectiua, quæ sit attributum entis. Confirmatur, & explicatur, quia veritas obiectiua, quod est attributum entis, sequitur ipsum esse: ens autem, absolute dictum, est ipsum existere: quod enim non existit, sicuti absolute non est, sed potest esse, ita absolute non est ens, sed cum addito *In potentia:* ergo veritas obiectiua, quod est attributum entis sequitur ipsum existere: quod autem immediate sequitur existere, est excludere suum contradictorium: ergo veritas obiectiua, quæ est attributũ entis est excludere suum contradictorium: in quo fundatur illud principium, quodlibet est vel non est, & idem non potest simul esse, & non esse. Et quidem hoc quod est actu suo esse, excludere suum contradictorium, est veritas obiectiua, quia benè, intellectum fundat veritatem formalem illius iudicij.

Verum obiectiuum, quod est conforme primæ ideæ practicæ.

3 Hoc idem confirmatur, & explicatur alia via: obiectum, quod est conforme ideæ diuinæ practicæ, est verũ veritate obiectiua, & ea conformitas est veritas obiectiua: sed quod actu suo esse, excludit suum contradictoriũ, absolute est conforme ideæ diuinæ practicæ: ergo quod actu suo esse excludit suum contradictorium, est absolute verum obiectiuum, & ea exclusio est veritas obiectiua, de qua loquimur. Minor est vera, quia si actu, suo esse, excludit suum contradictorium, non potest non esse, sicut dictat prima idea practica, quæ est eius causa. Minor probatur: quod est conforme cum prima veritate est verum, & ea conformitas est veritas: ergo quod est conforme cum idea diuina est verum, & ea conformitas est veritas obiectiua. Supponit hæc ratio dari primum aliquam veritatem, quæ sit cæterarum regula; quod profectò negari non potest: sicuti datur primum ens, prima potentia.

4 Dices: & quæres in medio assumitur prima idea, & veritas obiectiua, an formalis, expressiua obiecti? Respondeo; hæc omnia in Deo esse prorsus idem ex parte obiecti; quamuis ex nostra imperfectione, & per comparationem ad creaturas, dependenter à quibus exprimimus diuina, concipiamus, vt quid prius ideam obiectiuam, quam formalem: an hoc igi-

tur sensu prima veritas, & idea, quam assumo in argumento est obiectiua, quæ est veluti fundamentum formalis, & eius formale obiectum.

Chimæra non habẽt veritatem obiectiuã.

5 Dices iterum: chimæra non habet veritatem obiectiuam, de qua loquimur; & tamen est conformis diuinæ ideæ. Nego secundam partem: cum enim chimæra non sit, nec esse possit, non est actu, vel potentia conformis ideæ diuinæ practicæ.

Sicuti rigorose, neque peccatum.

6 Dices tertio: peccatum habet veritatem obiectiuam, & non est conforme veritati primæ, & ideæ diuinæ practicæ. Respondeo peccatum formaliter non esse aliquid, sed potius esse quid vanum: ergo formaliter non est verũ, neque conforme ideæ diuinæ practicæ, quia Deus non est eius causa. Et quamuis habeat cognitionem speculatiuam illius, non tamen approbationis; quia illud non cognoscit in arte sua, quæ vel formaliter includit actum voluntatis approbantis, vel dicit ordinem ad dictum actum: quæ sunt conformia Diui Augustini sensui. Ex quibus sequitur peccatum formaliter suo esse non excludere suum contradictoriom, cum formaliter non sit.

Prima veritas non regulatur ab alio.

7 Dices: vnde prima veritas est vera? Respondeo; quia excludit suum contradictorium, & est sibi maxime conformis per identitatem. Attamen primi in vnoquoq; genere malè quæritur ratio aliqua prior, quamuis possit eius existencia aliunde colligi; vt euenit in existentia Dei.

Deus est prima veritas inessendo, in cognoscendo, in dicendo.

8 Dices quarto: ergo veritas formalis nostrorum actuum erit conformitas ad primam veritatem. Concedo; quia prima ipsa veritas hoc ipsum exigit, vt ea sint vera, quæ sibi sunt conformia. Ex quibus benè Sanctus Thomas 1. p. q. 14. ar. 12. ad 3. vnumquodque, inquit, in tantum habet de veritate suæ naturæ, in quantum imitatur Dei scientiam, sicuti artificiatum concordat artifici. Ex quo benè intelliges, diuinem essentiam esse primam veritatem non solum in dicendo, & cognoscendo, sed etiam in essendo: quia videlicet quælis res tantum habet de vero esse, quantum est conformis diuinæ cognitioni, quæ ex suis intrinsecis, vtpote à se, & infallibilis, est prima regula veritatis.

Omnis veritas est conformitas cũ prima idea practica

Hinc licet conformitas actus cum obiecto sit conceptus veritatis nobis magis notus, & obuius, ob quam rationem veritatem actus communiter explicant per conformationem actus cum obiecto; tamen primus conceptus veritatis formalis est conformitas actus cum scientia Dei: sed quia veritatem actus diuini explicamus etiam per conformitatem illius cum obiecto diuino, & idea, ac essentia diuina, tamquã cum prima totius rei radice: ideo absolute dici potest, quod omnis veritas sit conformitas cum prima idea practica.

9 Dices quinto: cur non dicimus veritatẽ obiectiuam sitam esse in conformitate cum prima idea? Respondeo, quia conceptus ille nimirum verum obiectiuum esse, quod suo esse excludit suum contradictorium, est magis absolutus, & ex modo nostro concipiendi prior illa conformitate: cæterùm illa explicatio est satis vera, satis bona, ac etiam à priori, à causa veluti efficiente, seu exemplari.

10 Dices sexto: quomodo iuxta hanc explicationem verificatur, quod aliqua sunt contingenter vera, aliqua necessario vera? Respõdeo: quia aliquorum veritas resoluitur in existentiam necessariam excludentem suum contradictorium; aliquorum in existentiam contingentem, quamuis necessario incompossibilẽ cum suo contradictorio.

11 Dices septimo: quod non est, & potest esse, est verum; & tamen non actu excludit suũ contradictorium. Distinguo primam partem; est absolute verum; nego: potentialiter; concedo: hoc autem tantum est, esse veram eius possibilitatem, quæ est absolute necessaria.

Quomodo auricalcum sit verum, & verus sit homo pictus.

12 Dices octauo: ergo auricalcum est verum, & homo pictus est verus. Respond. vtrũque esse verum ens, & auricalcum esse verum auricalcum, & hominem pictum esse verum hominem pictum; quia vtrumque conformatur ideæ diuinæ de ipsis, & vtrumque excludit suũ contradictorium: at neque auricalcum est verum aurum, neque homo pictus eo verus homo: quia auricalcum non conformatur ideæ de auro, neque suo esse excludit carentiam auri, neque homo pictus conformatur ideæ veri hominis, aut excludit suo esse eius contradictorium. Quare hæc absolute non sunt falsa, sed cum addito: quamuis, quia ob similitudinem sint occasio vt homines fallantur, dicantur regulariter falsa.

Carentiæ non sunt veræ.

13 Dices nono: carentiæ sunt veræ, vtpote excludentes suum contradictorium. Respondeo, carentias esse mihi impossibiles: rursus si dentur, non sunt veræ, sicuti absolute non sunt; quare non verificatur, quod suo esse excludant suum contradictoriom: neque sunt obiectum ideæ diuinæ practicæ, cũ Deus illas non causet.

14 Ex dictis colligo primo, veritatem non esse formalitatem obiectiuam superadditam enti: quia ea ipsa formalitas est vera; at vnde? Ex his reijcitur etiam modus.

Veritas nõ est ens dicens carẽtiam apparentis vt ipsum.

15 Colligo secundo, verum non esse, vt volebat Aureolus, quem sequitur Comptonus, & Quiros, ipsum ens, quatenus dicit carentiam rei apparentia vt ipsum, seu segregationem rei ab alio sibi extraneo: quia præcisa ea carentia adhuc res habet dictam conformitatem, & exclusionem. Quoniam verò quodcumque est per se ipsum excludit suum contradictorium, & est conforme suæ ideæ; ideo veritas non est realiter distincta ab ente.

Veritas nõ distinguitur ab ẽte.

16 Ex dictis autem facilè quis colliget, essentialiter falsas esse chimæras, accidentaliter falsas bene dici posse res non existentes, de quarum videlicet existentia non potest formari iudicium affirmatiuum verum.

SE-

SECTIO III.

Quid sit bonum transcendentale, quod est attributum entis?

1 DIco: bonum transcendentale, quod est attributum entis, est conformitas cum prima, & summa sapientia: est autem conforme primæ, & summæ sapientiæ, quod vel illi identificatur, vel ab illa per se procedit. Hæc doctrina est conformis principijs Antonij Perez.

Bonitas transcendentalis est conformitas cum prima, & summa sapientia.

2 Probatur, quia summa, & prima sapientia, est prima bonitas; cui si quid identificetur, necessario est bonum; sicuti necessario bonum est, quod ab illa distinguitur, sed ab illa per se procedit; & nihil aliud est bonum: sed ipsa prima sapientia est maximè sibi conformis, & consona, maximè etiam illi conforme est, quod cum illa identificatur, sicuti conforme illi est quod ab illa per se procedit: ergo bona omnia conformia sunt summæ, & primæ sapientiæ: ergo bonitas communis omni bono, ac proinde transcendentalis, & quod est attributum entis, est conformitas cum prima, & summa sapientia. Hæc vltima consequia videtur satis bona, & clarius confirmabitur: prima etiam consequentia est satis firma benè intellectis præmissis: descendamus ergo ad præmissas.

Prima sapientia est prima bonitas.

3 Et maior quidem habet plures partes; prima est, quod summa, & prima sapientia est prima bonitas probatur: est prima; quia saltē realiter non supponit aliam: bonitas autem; quia sapientia ex conceptu suo est bonitas, & quid bonum; est enim ex genere suo maximè appetibilis appetitu rationali, & in qua per se nihil est quod displiceat; affert gaudium, & apprehensa statim delectat; ac proinde statim apparet prosequenda, sicuti stultitia est fugienda, ita vt impossibile sit, vt intellectus amplectatur errorem cognitum: qui enim errorem cognoscit, non errat, neque est stultus: quis autem dubitet, quod est huiusmodi, esse bonum? certè iuxta vulgarem, & communem sensum, qui in his quæstionibus debet haberi veluti firmum fundamentum, non possumus conceptum boni magis exactum formare: ergo à fortiori est bona, & ipsa bonitas ipsa prima, & summa sapientia, quæ in se, & perfectiori modo, quam sint in se ipsis, continet omnia, quæ esse possunt; & continentia non quidem sterili, sed foecunda: dum videlicet tamquam primum exemplar, & perfectissima ars præscribit singulis ordinem, & eam prædicatorum multitudinem, gradus, & varietatem, quæ maximè congruit dictamini ipsius sapientiæ; ita vt sicuti necesse est, vt talis res sit in se, qualem illam dictat Dei sapientia; ne dicamus, quod vel res ipsa v.g. homo, sit nō ipsa, & non homo, si discordet à vera, & perfectissima sapientia Dei: vel Dei sapientia fallatur, si aliter res sit, quam dictetur à diuina sapientia; ita ob allatam rationem, necesse est, dicere, vt ea in omnibus, & singulis rebus sit prædicatorum multitudo, varietas, & distinctio, qualis dictatur à sapientia. Confirmatur beatitudo, & felicitas, vt est apud omnes in confesso, est bonum, & bonitas: sed sapientia, & veritas est saltem partialiter beatitudo.

Sapientia ex conceptu est bona, & bonitas.

4 Secunda pars, quod quæ identificantur summæ, & primæ sapientiæ sint bonum & bonitas; patet, tum quia sunt realiter ipsa bonitas; tum quia esse terminum illius identitatis est maxima bonitas per se amabilis. Tertia pars, quod etiam sit necessario bonum, quod à prima sapientia distinguitur, sed ab eadem per se procedit; probatur: quia bona sunt, quæ procedunt per se ab optimo principio: quæ per se procedunt à summa sapientia, per se procedunt ab optimo principio: ergo quæ per se procedunt à summa sapientia, sunt bona. Maior probatur, quia optimum principium non potest communicare ijs, quæ ab ipso procedunt, nisi bonum, & bonitatem: nemo enim dat, nisi quod habet: ergo cum principium optimum non habeat nisi bonitatem, non potest rebus, quæ per se ab ipso procedunt communicare nisi bonitatem. Confirmatur quia bonitas rei artefactæ est assimilari suæ arti, vbi præsertim hæc sit perfectissima: sed summa sapientia est perfectissima ars eorum, quæ per se ab illa procedunt; & ea quæ per se ab ipsa procedunt illi assimilantur; nam talia sunt, qualia ab ipsa dictantur; ne dicamus illam falli in suis dictaminibus: ergo ea quæ à summa sapientia per se procedunt, sunt necessario bona, & bonitas. Ex quo sic formo rationem: quæ assimilantur optimo principio sunt bona, & ea assimilatio est bonitas: sed quæ per se procedunt à summa sapientia assimilantur optimo principio: ergo quæ per se procedunt à summæ sapientia, sunt bona.

Quæ identificantur primæ sapientiæ bona sunt.

Bona item sunt, quæ per se a prima sapientia procedunt

5 Quarta demum pars, quod nihil aliud sit bonum, sic ostendo: quod non est summa sapientia, neque cum illa identificatur, neque ab ea per se procedit, vel est chimæra, vel absolute non est, sed ad summum potest esse, vel est malum; quod est difforme summæ sapientiæ dictanti ne sit, ac proinde illi dissimile: horum autem nihil est bonum; & res quæ non est, quāuis posse esse, absolute non est bonum quid, sed cum addito, bonum possibile, quatenus potest per se procedere à summa sapientia. Et hæc quidem quo ad maiorem.

Et nihil aliud est bonum.

6 Minor confirmatur; quia & ipsa summa sapientia non potest esse nisi qualis ipsa dictat, vt sit ipsa: idem esto iudicium de prædicatis summæ sapientiæ identificatis, ac de illis quæ ab ipsa per se procedunt; de quibus iam probauimus, quod sint summæ sapientiæ similia. Ex quibus sic confirmo meum dictum: quæ sunt conformia summæ sapientiæ sunt bona, & ea conformitas est bonitas; quæ difformia, sunt mala, & ea difformitas est malitia: neque aliqua mala sunt, quæ non sint difformia summæ sapientiæ; neque bona, quæ non sint illi conformia: ergo bonum absolute dictum est quod con-

conformatur diuinæ ſapientiæ, & ea conformitas eſt bonitas, & quidem tranſcendentalis, cõpetens omni enti: nullum enim ens eſt, quod vel non ſit ſumma ſapientia, vel cum ſumma ſapientia identificatum, vel per ſe ab illa procedens: ita autem competit ea conformitas omni enti, vt ſit attributum illius, ſequens ex modo noſtro concipiendi ipſum eſſe, priùs enim res intelligitur abſolute eſſe, quàm referri ad ſummam ſapientiam, cum abſoluta ſint priura reſpectiuis.

Quid de malis phyſicis.

7 Ex his patet malum, qua malum, abſolute non eſſe, vt dictabam 1. 2. nec per ſe procedere a diuina ſapientiæ, ſed per accidens ratione boni, cui admiſcetur malitia, quod verificatur etiam de malis phyſicis, quæ, qua mala ſicuti non ſunt, ita non conformantur, ſed potius negatiue diuinæ ſapientiæ difformantur.

8 Rurſus mala phyſica, qua talia ex eo etiam capite ſunt difformia diuinæ ſapientiæ: quia priuant ſubiectum perfectione debita, & exacta: quæ exigentia & eſſe debitum, eſt conforme dictamini diuinæ ſapientiæ Sed quia error, & dolor ſunt iuxta exigentiam ſuarum cauſarum; ideo non ſunt abſolute mala, neque abſolute contra dictamen diuinæ ſapientiæ, ſed potiùs ſunt bona, & ordinem conſtituunt cum ſuis cauſis, vtpote effectus exacti, ac debiti: ordo autem neceſſario eſt bonus. Solum malum morale eſt abſolute malum, quod nullam habet conformitatem cum Dei ſapientia, quæ dictat ne ſit: nec peccatum conſtituit ordinem cum ſua cauſa, cum ſupponat in ea debitum ipſum non ponendi; quare difformatur etiam ſuæ cauſæ: igitur malum morale, formaliter ſumptũ, abſoluta deordinatio, & abſolute malũ eſt.

Solum morale eſt abſolute malum.

Bonum formaliter non eſt ſũma potentia, & quæ per ſe ab illa procedunt.

9 Obijcies primò: cur non dicimus bonum eſſe ipſam ſummam potentiam: & quæ ab illa procedunt? Reſpondeo, ex parte obiecti id ita eſſe: ſed formaliter id aſſeri nequit: quia potentia formaliter, vt potentia, non pugnat cum opere à ſe procedente, & deordinato; cum potentia poſſit quis malè vti; vt tyrannus, qui innocentes torqueret: vnde opus potenter factũ, poteſt eſſe malum, & deordinatum, non autem opus ſapienter factum.

Neque vltimus finis & quæ illi conformantur.

10 Obijcies ſecundo: dici poteſt quod bonum ſit vltimus finis, & ea quæ ad illum conducunt, & benè diſponunt. Reſpondeo ex parte obiecti ita eſſe: imò 1. 2. dictaui, vltimũ finem eſſe regulam obiectiuam honeſtatis: formaliter autẽ non ita eſt; quia quinam ſit vltimus finis, & quænam media ad ipſum ordinata, ſtatui debet, tanquam per regulam veluti ſuperiorem, à diuina ſapientia, quæ eſt regula veluti exemplaris non ſolùm actionum moralium, ſed abſolute omnis bonitatis.

Neque diuina eſſentia.

11 Obijcies tertio: ergo dici poteſt formaliter eſſentiam diuinam ſitam eſſe in ſapientia. Reſpondeo, id ita docuiſſe ſapientiſſimos Theologos: conſequentia tamen non eſt neceſſaria; quia ſapientia, vtpote prædicatum relatiuum, formaliter non eſt primum, ſed poteſt concipi fundatum in eſſe abſolute dicto, quod tamen bonum formaliter ſit quia identificatum cum ſapientia, & illi conforme: quod hic breuiter indicaſſe ſit ſatis.

Quomodo ſapientia ſpectet ad intellectũ, & ad voluntatem.

12 Obijcies quarto: ſapientia ſpectat ad intellectũ, bonitas ad voluntatem. Diſtingno primã partem; pertinet ad intellectum formaliter, vt formalis eius perfectio; concedo: obiectiuè ſubdiſtinguo; vnicè; nego: quia ſpectat etiam ad voluntatem, vtpote ſumma bonitas: non vnicè; concedo: eodem modo reſpondeo ad ſecundam partem: neque verò omnis bonitas formaliter eſt perfectio voluntatis, quæ facta eſt ad quærendum non proprium, ſed totius ſuppoſiti bonum.

Quomodo prima idæa ſit prima regula veritatis, & bonitatis.

13 Obijcies quinto: ergo confundimus veritatem cum bonitate; nam veritas eſt conformitas ad primam ideam, & bonitas ad primam ſapientiam: prima autem idea, & prima ſapientia ſunt formaliter idem. Reſpondeo, vt dicebam, veritatem obiectiuam non eſſe formaliter conformitatem ad primam ideam; ſed excluſiuum contradictorij: cæterum prima idea, & prima ſapientia ſub diuerſa ratione eſt regula bonitatis, ac veritatis: nam quatenus eſt ratio, vt quod ab ipſa procedit, vel eſt ipſi conforme, excludat ſuum contradictorium, eſt prima veritas, & regula omnis veritatis: quatenus eſt ratio, vt quod ab ipſa procedit ſit ſapienter factum, & ſimile principio optimo, eſt prima bonitas, & regula omnis bonitatis; & talis, vt quæ ipſi conformantur, ſint bona.

Bonum nõ eſt, cui nihil deeſt ſpectans ad eius cõſtitutionẽ.

14 Obijcies ſexto: cur non dicimus, bonum eſſe, quod eſt perfectum; ideſt illud, cui nihil deeſt eorum, quæ ad ipſius conſtitutionem ſpectant: ſicuti malum cui aliquid deeſt ſpectãs ad illius conſtitutionem. Reſpond. id eſſe falſum; nam primo peccatum non eſt bonum; & tamen peccato nihil deeſt eorum, quæ ſpectant ad eius conſtitutionem, aliter non eſſet peccatum. Deinde ſi aliquid ſpectans ad rei conſtitutionem deeſt, res non eſt: quare hoc potius ſpectat ad veritatem, quàm ad bonitatem. Cæterum perfectum, cui nihil deſit eorum, quæ ſpectant ad ſui conſtitutionem, putandum eſt, quod eſt conforme dictamini diuinæ ſapientiæ: quod eſt primum prædicatum bonitatis, reliqua ſunt ſecundaria.

Quomodo bonum ſit terminus appetitus.

15 Quod ſi dicas cum communi ſententia, bonum eſſe terminum appetitus, ſeu quod omnia appetunt, ſeu quod inclinat appetitum ad ſui proſequutionem; aſſignas quidem boni deſcriptionem per notiſſimam eius proprietatem, & effectum; at non dum aſſignaſti primum prædicatum bonitatis: nam ideo res eſt terminus appetitus, quia aliunde ſupponitur bona. Idem eſto iudicium, ſi dicas bonum eſſe, quod conuenit appetitui tamquam expletiuum illius, & collatiuum gaudij, & quietis: idque quamuis verum ſit, quod ſicuti actus entis eſt eſſe, actus veri cognitio affirmans, eſſe, quod eſt, vnius indiuiſio; ita actus boni ſit expletio appetitus rationalis: eſt enim bonum obiectum pacis, amoris, & gaudij.

16 Ea-

16 Eadem est ratio si cum Algazel, approbante Sancto Thoma dicas, quod bonum est perfectio, cuius apprehensio est dilectabilis. Eadem si cum Aristotele 7. Ethicorum, cap. 11. asseras dolorem, & voluptatem esse finem architectonicum, idest principalem, & vltimum; ad quem respicientes vnumquodque dicimus malum, vel bonum: vnde quia principia virtutis sunt amara, finis autem est dulcissimus; & benè egisse, est quid æternum, iucundissimum; ideo virtus, est absolute bona; vitium autem malum propter oppositam rationem. Eadem, si cum Peres affirmes bonum esse eligibile, vel amabile ab omni intellectu, quod sit vel formaliter, vel eminenter omne intellectiuum, qualis est Deus: ideoque peccatum non esse bonum, quia non est à Deo eligibile, aut amabile. Nimirū hæc omnia, quamuis verè dicantur, non tamen videntur explicare primum conceptum boni.

17 Idem dico, si putes bonum esse obiectum diuinæ complacentiæ: nam quamuis diuina complacentia non supponat bona à se distincta; tamen ex modo nostro concipiendi sūt obiecta diuinæ complacentiæ, quæ à summa sapientia proponuntur diuinæ voluntati, vt consona eidem sapientiæ.

18 Quod si cum Pallauicino s. 2. arbitreris bonum esse ens felicitabile, & omne quod intrinsecè spectat ad eius constitutionem; teneris cum eodem concedere, entia non intellectiua non esse propriè, & rigorosè bona: quod videtur contradicere verbis scripturæ Gen. 1. (*Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*) quomodo enim sunt valde bona coram oculis Dei, quæ sunt minùs rigorosè bona? inter cætera autem, quæ fecerat Deus, quāplurima includuntur intellectu carentia.

19 Obijcies septimo: qui peccat amat aliquod bonum, nec tamen conforme diuinæ sapientiæ. Distinguo primam partem; bonum apparens; concedo: verum: & ex vero iudicio amabile; nego: supra loquuti sumus de vero bono, quale non est peccatum, quod non per se procedit à summa sapientia, sed permittitur.

20 Quoniam verò res per se ipsam formaliter est conformis summæ, ac primæ sapientiæ; ideo per se ipsam formaliter est bona, nec bonitas est quid realiter ab ente distinctum.

DISPVTATIO TERTIA.

De præcipuis entis generibus substantia, & accidente.

Conceptus substantiæ, & accidentis sunt post ens maximè vniuersales, & abstracta à materia non solùm præcisiuè, sed, quod consequens est, secundum aliquam sui partem etiam realiter; multæ enim substantiæ sunt purè spirituales, multa item accidentia: spectat igitur hæc disputatio ad metaphysicum.

SECTIO I.

Declaratur quid sit substantia, quid accidens.

1 AGimus de substantia non pro vt tantum significat naturam substantialem; sed pro vt distinguitur ab accidente Eius tres definitiones inueniuntur: prima apud Aristotelem 1. poster. cap. 9. *Ens substantiale, seu per se, dicimus, quod non de subiecto alio dicitur.* Secunda apud eamdem 7. met. c. 1. *substantia est primum subiectum.* Tertia, *ens independens à subiecto:* quam esse apud Patres cōmunem, probat ex Theoriano legatione ad Armenos Peres *tract. de incarnatione.* Contra has definitiones plura congeri possunt; quibus omissis, ego secundam definitionem, à qua non longe distant prima, & tertia, additis ad maiorem claritatem nonnullis particulis, defendo.

Tres substantiæ definitiones.

2 Dico igitur, substantiam absolute dictā esse *ens intimè, & ex natura sua primum, & permanens.* Primum est, quod non supponit aliud ante se, sed potiùs ad ipsum sequuntur reliqua cum aliquo ordine vel principij, & causalitatis, quia respiciunt illud vt primam suam radicem, & rationem, quare sint; vel temporis, aut loci. Cum autem ad substantiam non requiratur absoluta primitas: alter solus Deus esset substantia, ideo addidi. intimè primum: quia videlicet conceptus substantiæ comparatus ad illa, quæ cum ipsa, vel identificantur, vel vnione penetratiua vniuntur, est primum non supponens aliquid prius sibi vnitum, vel identificatum.

Definitio substantiæ ens intime & ex natura sua primum, & permanens.

3 Attamen non quæcumque primitas intima sufficit ad conceptum substantiæ; alter accidens separatum à subiecto erit substantia, quia est actu primum intimum, non supponens aliquid prius se sibi identificatum, vel vnitum, ideo addidi, ex natura sua. Primitas igitur propria substantiæ non est primitas per accidens, & ex pura libertate Dei miraculosè operantis competens; sed per se; quam videlicet ex natura sua res exigit, qualis non est primitas cōpetens accidenti separato.

Non quæcumque primitas intima sufficit ad cōceptū substantiæ.

4 Demum dixi, permanens: quia cum substantia habeat rationem finis, cui reliqua seruiant, & in quo quiescat intentio naturæ; non potest esse, quid fluens: neque enim quis rationabiliter eligat, vt terminum motus, in quo quiescat, aliquod fluens. Est igitur substantia ens permanens intimum, ex natura sua primum: ita vt ad eius essentiam spectet præter permanentiam primitas: non quæcumque, sed intima, & naturalis.

Cur substantia debet esse permanēs? quia est finis naturæ.

5 Ex quibus bene quis dixerit *accidens esse ens ex natura sua intimum, & secundum,* id est ex natura sua supponens aliud intimum primum: ex quo capite accidens non est absolute ens, sed cum addito, entis ens, seu ens intimè secundum: vnde vlteriùs sequitur accidens non posse ingredi in constitutionem substantiæ: quia

Accidens est ens ex natura sua intimū & secundum.

sicuti

Accidens non potest substantiā constituere

sicuti est ens secundum, & entis ens, ita suppo-nit substantiam aliunde constitutam: & ideo dicitur accidens, quia accidit substantiæ tamquā aliquid extra illius essentiam, & accedens ad illi famulandum. Eo quo fundatur commune proloquium, quod substantia non fit nisi ex substantijs. Quin imò nulla pura carentia potest

Sicuti neq; pura carētia.

ingredi in constitutionem substantiæ: quia & huiusmodi carentiæ repugnant: & si dantur, potiùs fundantur in ente primo intimo. Igitur substantia est ipsum ens primum iam explicatum, & omnes eius partes constitutiuæ: nec solum homo, sed etiam materia, forma, & vnio, ac ipsa subsistentia sunt substantia.

Ens primū aliud complete, aliud incōplete primum.

6 Vt autem res meliùs intelligatur, scire oportet, ens primum aliud esse absolute primum primitate actuali, & completa, qua excludat actu omnem posterioritatem sui; & est velut finis cui intimus adæquatus, cui reliqua intima inseruiant. Aliud est ens incompletè, ac veluti inchoatiuè, & in potentia primum; quia licet possit constituere ens primum, & ad id ex natura sua ordinetur; tamen secundum se consideratum potest esse absolute posterius, & supponere aliud prius intimum, non solùm inadæquatè, sed etiam adæquatè à se distinctum; quod modo dicto sit finis intimus cui adæquatus, & primo suppositum in statu reali, vel intentionali, tamquam regula cæterorum. Exemplum

Homo est ens absolute, & adæquate, intime primum.

sit in puro homine, humanitate, eius materia, forma &c. homo est absolute substantia, ens absolute actu, ac completè primum: quia perseuerans in suo conceptu est primus conceptus intimus, primo intentionaliter suppositus, tamquam finis intimus adæquatus, cui reliqua intima inseruiant, prima intima aliorum regula: talia enim debent esse reliqua intima, sine sint partes, siue proprietates, qualia exigit ipse conceptus puri hominis, saltem intentionaliter existens in mente Dei, & si perseueret, non potest non esse intimè primus, aut constitui intimè posterior: si enim vniatur cum alia substantia ad constituendam tertiam substantiam, sicuti non est purus homo, ita non est conceptus intimè primus, nec finis intimus adæquatus: sed potiùs hæc omnia conueniunt illi tertiæ substantiæ, vtpote perfectiori, & cui tamquam pars illius inseruit reliquum puri hominis.

Non ita humanitas anima, corpus, quæ hominem cōstituunt.

7 At humanitas, materia, anima, & similia, quamuis ordinentur ad constituendum hominem, & ens absolute primum; non sunt tamen ens absolute primum, neque finis cui intimus completus: cum potiùs respiciant purum hominem, vt finem cui intimè primum: quin imò possunt, & de facto intimè vniuntur hypostasi Verbi, respectu cuius sunt quid absolute posterius, neque illud vllo modo constituunt.

Allata est definitio substātia completæ.

8 Ex his infero, per allatam definitionem præcipuè, ac per se explicari essentiam substātiæ completæ, quæ est absolute substantia, & ens absolute intimè primum, saltem tamquam finis cui: substantiæ autem incompletæ, sicuti non sunt absolute substantia, sed potiùs partes substantiæ, ita mirum non est quod, non comprehendantur directè sub allata definitione: indirectè autem sub illa comprehenduntur, cum sint partes dicti primi constitutiuæ. Non turbor autem, quia non assigno definitionem logicè vniuocam, quæ sub se æquè complectatur

Non assignatur per illam definitio communis omni substantiæ logicè vniuoca.

substantiam tum completam, tum incompletā: satis enim mihi est, si vtriusque conceptum benè explicem, licet definitionibus aliquo modo diuersis. Quod si optas definitionem quasi vniuocam, dicas, substantiam esse ens per se: ens

Definitio logicè vnica.

autem per se potius diuidendo, quam definiendo explices, ac dicas, ens primum, seu primum subiectum iam explicatum, & eius partes constitutiuæ: his positis.

Substantia ex communi sensu est basis, & reliquorum fundamentum.

9 Probatur allata definitio: quia est conformis communi hominum sensui indicantium substantiam esse velut basim, & fundamentum reliquorum: ens per se cui reliqua inseruiant tamquam primo intento à natura: quæ omnia benè congruunt primo subiecto, & enti intimè, & ex natura sua primo iam explicato.

Cur stante allata definitione, materia non est substantia cōpleta.

10 Dices primo: non potest iuxta allatam definitionem explicari, cur materia in homine non sit substantia completa, & ens modo explicato absolute primum? Nego: nam licet materia habeat respectu omnium, quæ sunt in homine, aliquam primitatem naturæ, attamen illa non est primitas completa; neque enim habet rationem finis cui intimi, & completi, habentis respectu aliorum rationem regulæ modo iā explicato; sed potiùs est subiectum quoddam indifferens ad plures formas, & per illas formabile, ac proinde incapax taxare reliquis gradum perfectionis, & capax, vt sit quid absolute intime posterius, vt patet in Christo Domino, in quo est absolute intimè posterior Verbo. Quod si materiæ accedat forma, & vnio ad illam, habes quidem determinatam radicem operationū in aliqua determinata specie: sed nondum habes ens absolute actu, ac completè intimè primum: quia illud conflatum potest perseuerans in suo conceptu esse quid absolute intimè posterius, vt patet in eodem Christo Domino, in quo humanitas est quid intimè posterius Verbo. Igitur vt habeatur ens absolute actu, & completè, primum, non sufficit, vel sola materia, vel materia vnita formæ; sed requiritur aliquid aliud, quod simul cum natura, v. g. cum humanitate constituat purum hominem.

Subiectum in allata definitione sumitur pro subiecto potius logico quā physico.

11 Ex dictis patet, nomine primi subiecti in definitione Aristotelis, non venire subiectū physicum, sed potiùs logicum, ad quod denominandum reliqua ordinantur; & est primum suppositum, quod saltem intentionaliter existens in intellectu, & intentione Dei, est regula intima reliquorum, quæ ad ipsum intimè spectant.

Conflatum ex omnibus, quæ in sunt nō est substātia, neque primum intimum.

12 Dices secundo: ex allata definitione potest quis dicere, quod in homine substantia absolute dicta sit conflatum ex materia, forma, vnione, subsistētia, potentijs, quantitate, qualitatibus, operationibus &c. & quod totum hoc con-

conflatum fit ens absolute naturaliter, ac intimè primum, finis dari intimus adæquatus; ac proinde quod nulla sint accidentia: cum præsertim illud conflatum sit longè perfectius singulis, quæ in ipso continentur. Nego assumptum in aliquo priori, & contradistincto ab illis potentijs, qualitatibus, & operationibus, habeo ens absolute primum iam explicatum, tamquam radicem reliquorum, quæ illi accedunt ad ornatum: quia in priori contradistincto habeo materiam vnitam formæ, ac etiam subsistentiam, & absolute hominem, qui est ens actu absolute, & completè primum, cum incapacitate perseuerans in suo conceptu sit posterius: reliqua multitudo sequitur, vt perfectio in ipso radicata, et debita, ac extra eius conceptum, vt illum ornet ad bene esse: quæ igitur sequuntur sunt entia secunda, non absolute entia, sed entis entia, & accidentia: neque conflatum, quod assumunt aduersarij, est absolute ens primum, sed conflatum ex primo, & secundo; non est pura substantia, sed substantia, & accidentia.

Quomodò personalitates diuinæ sunt substantia

13 Dices tertio: ergo personalitates diuinæ non sunt substantia, sed accidens, & entis entia; supponunt enim naturam diuinam, quæ est conceptus intimè, ac perfectissime actu primus, & perfectissimus, & non solum Deitas, sed Deus. Nego consequentiam: quia si natura diuina est substantia, & personalitates necessario identificantur cum natura diuina, & quolibet eius prædicato absoluto; necessario identificantur cum substantia, quæ est prædicatum absolutũ naturæ; & sunt substantia, non accidens. Ad rationem in contrarium, concedo personalitates in Deo supponere tamquam sui radicem virtualem, hoc est ab ipsis tantum virtualiter distinctam, diuinam naturam: concedo item naturam præcisis personalitatibus esse conceptum perfectissimum, nõ expectantem à personalitatibus aliquam perfectionem: & esse non solùm Deitatem, sed etiam Deum: concedo tertio esse conceptum primum primitate & intima, & adæquata, & actuali; at non adæquatione, & actualitate formali, sed eminentiali.

14 Cuius rei ratio est: quia natura præcisis personalitatibus est conceptus secundum se communis, perfectissimè intelligens, ac volens; essentialiter exigens vlterius determinari, ac veluti extensiue compleri per tres personalitates relatiuas, tamquam per terminum suæ perfectissimæ fœcunditatis, quibus suam perfectionem intrinsecè summè communicet. Igitur non potest negari singulas personalitates cum natura constituere ens non solum primum, sed etiam primitate formaliter adæquatá, hoc est excludente omnem prorsus indifferentiam ad constituendum primum absolute completũ, & adæquatè indiuiduum, ac determinatum.

15 Instabis: natura diuina secundum se, præcisis personalitatibus excludit omnem posterioritatem: ergo secundũ se est formaliter, & adæquatè primũ. Distinguo antecedens, excludit radicaliter, & eminenter, concedo antecedens: formaliter; nego: quia sicut secundum se non est primum vltimò determinatum, & adæquatè indiuiduum; ita non est formaliter adæquatè primum; neque formaliter, & adæquatè excludit omnem posterioritatem; sed modo explicato eminenter præcontinet exclusiuum omnis posterioritatis, & essentialiter illud exigit, dũ essentialiter exigit tres personalitates, per quas vltimo veluti indiuiduetur.

Cur præuiæ dispositiones no sunt substantia.

16 Dices quarto: dispositiones respectu formæ cadauericæ, sunt quid intimè naturaliter primũ, & tamen non sunt substantia. Nego assumptum: nam licet respectu primæ productionis formæ cadaucricæ sint quid veluti transeunter prius in genere causæ veluti materialis, vel, si vis, etiam efficientis: absolute tamen primus conceptus cadaueris, qui est adæquatus finis, eius intimus reliquorum, & illorum regula, non includit illa accidentia, sed potius est illorum principium intimum, & permanens: vt enim supra innuebam, primitas substantiæ absolute dictæ, quam definiuimus, est primitas nobilitatis, & causæ finalis; quæ prima est inter causas: hanc primitatem participant constitutiua substantiæ: quare substantia est ipsa substantia completa, & eius partes.

Actio creatiua materiæ non est substãtia.

17 Dices quinto: actio creatiua materiæ est accidens, & est prior materia. Nego secundã partem: quia licet sit prioritas, non est prior, sicuti licet sit causalitas, non est causa materiæ: est igitur simul natura cum materia; quæ tamé respectu actionis habet duas prioritates; primam indifferentiæ, quia potest haberi hæc materia sine hac actione, non hæc actio sine hac materia; secundam in genere causæ finalis.

Substantia completa non dicitur de alio subiecto.

18 Ex his facilè intelligi possunt aliæ duæ definitiones substantiæ: prima ex 1. posteriori: cit. (*ens substantiale, seu per se, dicimus, quod non de alio subiecto dicitur*) substantia enim completa, de qua præcipue loquimur, sicuti in quolibet est primus conceptus, & reliquorum radix, ita in ordinato, & veluti naturali intelligendi modo est primum intentionaliter suppositum, de quo reliqua prædicantur: rectus enim intelligendi modus est maxime conformis rebus: quare cum substantia sit primus cõceptus obiectiuus, reliqua illam supponant; rectus, ac veluti naturalis intelligendi modus est, quo primo intelligitur substantia, tamquam primum suppositum, quod alia denominent. Et quia, quod est hoc modo primum suppositum, est rectum, ex quo alia veluti obliqua deriuãtur; ideo non immeritò quis dixerit, substantiam esse rectum, & sui iuris, ac quid absolutum; reliqua verò esse obliqua, & quid illius. Non curo autem, quod, distorte, & innaturali quodam modo accidens concipiatur in recto, & fiat subiectum; substantia autem in obliquo, & prædicetur de accidente; vt si quis dicat, albedo parietata, cum naturalis dicendi modus sit, paries albus. Rectum igitur adæquatum, excludens omnem obliquitatem est substantia

Substantia est natura sua primũ suppositũ, ac rectum reliqua sunt natura sua obliquum.

adæ-

adæquata, & subiectum adæquate actu primum: partes illius recti sunt partes substantiæ, seu substantiæ partiales.

Substantia est ens per se independens a subiecto.

19 Secunda definitio, vt notat Perez, apud Patres communis est, qua substantia dicitur, *ens per se independens à subiecto*: nam quod est intimè actu adæquatè primum, quod est rectum adæquatum, quod est primum in quolibet suppositum, quod est finis adæquatus, cui intimus; est vtique independens à subiecto, aliter non esset ens actu adæquatè primum. Igitur quod est ex natura sua adæquatum, & actuale independens à subiecto per actualem exclusionem dependentiæ ab illo, est, iuxta supradicta, substantia adæquata.

Rectum primum, independens habet quamdam præeminentiā respectu dependentis, secundi, & obliqui.

20 Aduerto hic primo, rectum, primum, independens, habere quamdam præeminentiam respectu obliqui, dependentis, posterioris; & totale præeminere non totali, vt patet consideranti. Secundo, rectum formaliter totale esse aut totale simpliciter habens naturam, & essentiam completam, sicuti est persona diuina, & homo purus; aut non simpliciter totale, illud videlicet, cuius tota entitas absoluta, id est nō modalis, est forma petens in prima sui duratione vniri cum materia prima, tamquam cum cōparte non modali: talis est anima rationalis separata à corpore, & non vnita Verbo. Huiusmodi non est actu pars, neque potest perseuerans in suo conceptu esse pars alterius recti, vel primi.

Aliorum sententiæ.

21 Ad hanc nostram facilè reuocari possunt ferè omnes aliorum sententiæ: nam si dicas primo, accidens inhærere subiecto, quod non conuenit substantiæ; id verum est: quia substantia absolute dicta, est primum intimum ab accidente suppositum: quod si id intelligas de inhærentia, quæ sit sustentatio, falsum dicis: quia etiam aliqua forma substantialis sustentatur à materia. Si secundo dicas, substantiam esse rem, vel de constitutiuo alicuius rei; benè sentis, si nomine rei intelligas primum intimum explicatum; sin aliquid aliud, profectò non est cur album, & albedo non sint res. Si tertio, asseras accidens adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, non contradico, si nomine subiecti intelligas primum intimum iam explicatum, extra cuius constitutionem sit accidens: verùm de hac definitione plura dixi in logicis cum de prædicabilibus, in quinto prædicabili. Falsū tamen putari debet munus substantiæ esse substare accidentibus: nam Deus substantia est, nec subest accidentibus. Idem esto iudicium si quarto dicas, substantiam constituere vnum per se: falsum autem videtur, quod substantia sit radix subsistentiæ; nam subsistentia est maxime substantia, nec est radix subsistentiæ. Idem, si quinto dicas, substantiam esse rem, & id per quod respondemus interroganti, quid sit res; respōdemus enim esse equum, esse hominem; non verò esse calidum, vel frigidum. Sed profectò interroganti, quid sit res artefacta, respondemus esse domum, triremem &c. nec propterea res artefacta est substantiale quid. Demum nobiscum sentiunt, qui cum Ouiedo docent substantiam esse ens per se; ens autem per se esse, quod per se intenditur à natura, & non propter aliud à se adæquatè distinctum. Verùm contra hos facit, quia lac, semen, & similia, intenduntur propter aliud à se adæquatè distinctum, nempe propter prolem. Deinde hoc concretum, Angelus volens, non intenditur propter aliud à se adæquatè distinctum, nec propterea est substātia, seu concretum substantiale. Præterea cur albedo intenditur propter aliud à se adæquatè distinctum, non autem forma ignis? Hæc igitur sententia, nisi reuocatur ad nostram, multas patitur difficultates. Verùm quæ diximus faciliùs intelliges, si scias quid sit natura, quid subsistentia, quid suppositum, quid persona, & personalitas; quia hæc omnia sunt substantia: sit igitur.

SECTIO II.

Quid sit natura, quid subsistentia, quid suppositum, quid persona?

Discrimen inter naturam seu substantiā, & subsistentiam, aut personam.

1 AD plenam horum notitiam considerāda diligenter sunt, quæ ex communi sensu Patrum habet Iustinianus in edicto fidei, quod approbauit Virgilius Papa, & affertur ab Aldrate disp. 40. de Incarn. sect. 4. n. 1. vbi (*omnes inquit, Sancti Patres consonanter docent, aliud esse naturam, siue substantiam, aliud subsistentiam, siue personam; & naturam quidem, hoc quod est commune, significare, personam verò hoc quod est speciale*) Ex quibus duo colliguntur tamquam certa; primum est, subsistentiam, seu personam aliquid dicere supra naturam: ex cuius veritatis ignorantia in oppositas hæreses turpiter lapsi sunt Nestorius, & Euthiches, de quibus cum de Incarnatione. Secundum est, naturam, & subsistentiam ita inter se comparari, vt natura sit conceptus communis, subsistentia specialis veluti indiuiduans, ac determinans communitatem naturæ. Quam diuersitatem pluribus erudirè docent ex Patribus Ruiz disp. 32. sect. 6. de Trinit. & Petauius tom. 2. Theologicorum dogmatum l. 4. c. 7. & confirmat Perez disp. 1. de Incarn. c. 4. ex Leontio quodam, quem ipse vocat virum valde eruditum, & ingeniosissimum. Ad intelligendam hanc diuersitatem.

Distinctio naturæ a subsistētia.

Natura est conceptus communis subsistentia specialis.

Commune aut logice, aut metaphysice.

Singulare item aut logice, aut metaphysice.

2 Sciendum est, dupliciter aliquem conceptum posse dici communem, logicè, & metaphysicè: est logicè communis multitudo similium confusè cognita, quatenus eo modo considerata est assumptibilis ab intellectu, vt vnus terminus pluribus, saltem inadæquatè, & sub disiunctione, applicabilis; & potest esse subiectum definitionis, & conclusionis scientificæ: talis est hic terminus vniuersalis, homo, vt cōstat ex logicis: proportionaliter ad dicta conceptus logicè singularis erit hic determinatus conceptus; vt hæc determinata humanitas Pe-

tri v. g. per veram prædicationem pluribus inaplicabilis. Metaphysicè communis est conceptus, qui licet in se sit logicè singularis v. g. hac determioata humanitas, potest tamen constituere plures substantias completas; talis est humanitas, quæ in Christo Domino constituit Deum hominem, & potuisset non assumpta à Verbo constituere purum hominem: & natura diuina, quæ potest vlterius determioari, ac veluti indiuiduari, & cum tribus personalitatibus diuinis constituere tres personas: conceptus tamen metaphysicè specialis, seu singularis erit substantia ita completa, & perfecta, ac ita substantialiter vltimo indiuiduata, vt persistens in suo conceptu, non possit venire in compositionè cum alia substantia, à qua perficiatur, & vlterius determinetur; aliter potiùs est terminus communis, & vagus, quàm determinatus, & singularis.

Non omnis terminus metaphysicè communis est natura.

3 Cæterùm, quamuis esse terminum metaphysicè communem impediat conceptum subsistentiæ, seu personæ, non sufficit tamen ad conceptum naturæ: nam spiratio actiua, qua Pater & Filius in diuinis constituuntur vnus spirator, est conceptus communis Patri, & Filio; non tamen est natura. Ad conceptum ergo naturæ præter communitatem iam explicatam, requiritur, quod iuxta naturalem modum significandi exprimatur tamquam forma, & species entis intime primi, & principium operationum, vt quo concreti per eamdem formam, & speciem constituti, talis est Deitas respectu Dei, & humanitas respectu hominis: spiratio autem actiua quamuis communis, non est tamen veluti forma, & species respectu Patris, & Filij, qui independenter à spiratione actiua per naturam, & essentiam diuinam constituuntur vnus Deus; est nihilominus ea spiratio actiua Deus, vtpote perfectissime identificata cum essentia Dei.

Indiuiduū aliud vt, quod aliud vt quo.

4 Esse dicto modo indiuiduum, seu speciale vt quod, tantum conuenit substantiæ modo supra explicato completæ, enti formaliter actu, & adæquatè primo, recto adæquato, & adæquato independenti, ita vt ipsamet primitas, & rectitudo, seu illud vltimum, quod subsistentia, & terminus completè metaphysicè singularis addit supra naturam, & terminum communem, sit quidem singulare vt quo, & ipsa singularitas, & indiuiduatio metaphysica; non tamen singulare, & indiuiduum, vt quod: nam licet nō possit esse, quid commune huic singulari, vel illi: gaudet tamen quadam communitate respectu concreti, quod vltimo constituit: quia non solùm est singularitas sui, sed etiam naturæ, & totius concreti, & communicat se sibi, naturæ, & toti concreto; sicuti est actualis, et completa primitas, et rectitudo sui, naturæ, ac totius concreti.

Subsistentia in sensu Patrum non est for

5 Ex his patet, subsistentiam iuxta sensum Patrum, & dogmaticum, esse primum adæquatum, adæquatum rectum, & adæquatum independens, quia iuxta sensum Patrum est singulare, vt patet ex verbis edicti. Ex quo vlterius sequitur, subsistentiam in sensu Patrum, & dogmatico, vt notat citatus Perez, non esse rigorosè abstractum subsistentiæ, nisi tantum grammaticaliter; sed potius esse ipsum subsistens: sicuti Deitas non est physicè abstractum Dei, sed ipse Deus: quare subsistentia non comparatur cum natura, tamquam forma cum suo subiecto, sed tamquam totum cum sua parte, concretum cum sua forma, continens cum re contenta, indiuiduum cum sua natura specifica, homo cum sua humanitate: aliter subsistentia, prout est quid præter naturam; non tam esset, singulare, & speciale, quam singularitas, & specialitas. Non negauerim tamen apud Theologos, & Philosophos non rarò sumi pro eo præcisè, quod subsistentia addit supra naturam, quæ est ipsa singularitas, primitas, rectitudo, & concipitur, vt forma adiacens naturæ: His positis.

ma, & abstractum, sed potius concretum & totum.

Naturæ definitio ex Boetio.

6 Dico, benè naturam definiri posse cum Boetio l. *de duabus naturis, vnumquodque informans specifica differentia*: ratio est; quia natura comparatur ad indiuiduum, hoc est ad primum totale, & totale rectum, ac independens, veluti ratio specifica cum quadam indifferentia, & communitate constituens illud in sua specie: sic humanitas, est forma hominis, & ratio specifica constituens indiuiduum, non quodcumque, sed hominem, cum indifferentia ad constituendum purum hominem, vel hominem Deum; ergo benè natura definitur: vnumquodque informans specifica differentia. Et cū hac definitio communi plausu laudetur, apertè colligitur, naturam iuxta sensum communem, non esse subiectum physicum, vel logicum, sed potiùs considerari vt formam, & abstractum subsistentiæ.

Natura est potius forma, quā subiectum physicum, vel logicū, si comparetur cum subsistentia.

Cur accidentia non sunt natura.

7 Neque dicas, allatam definitionem competere formæ accidentali, nempe albedini, v. g. quia etiam de qualibet forma accidentali verificatur quod sit, vnumquodque informans specifica differentia: nā eodem modo comparatur albedo ad album, quo humanitas ad hominem; ne id, inquam, dicas; quia formæ accidentales non constituunt, neque substantiam, neque speciem; sicuti non sunt absolutè entia, sed potius entis entia, & modificationes, ac entis ornamenta, & instrumentales virtutes; quare non potest dici, quod forma accidentalis sit vnumquodque informans specifica differentia. Prætereà sicuti ly vnumquodque, absolutè supponit pro prima substantia, seu pro indiuiduo substantiali, ita vnumquodque informans specifica differentia supponit pro ratione specifica constituente substantiā in aliqua determinata specie. Neque eodem prorsus modo comparatur albedo ad album, ac humanitas ad hominem: quia humanitas comparatur ad hominem tamquam forma constitutiua entis adæquatè primi, nec supponens ex natura sua substantiam indiuiduam, ad quam ornandam ordinetur: secus accidit in albedine.

8 Vt

Quid distet inter suppositum, & personam.

8 Vt autem melius intelligatur definitio subsistentiæ prout aliquid addit supra naturam; notandum est, subsistentiam dici ad conuertentiam cum supposito, seu gracè hypostasi; & vel competere enti non rationali, & dicitur absolute subsistentia, seu suppositum; vel competere enti intellectuali, seu rationali absolute completo, & dicitur etiam persona. His positis.

Definitur persona

9 Dico secundo: persona benè cum Boetio communiter laudato definitur, naturæ rationalis indiuidua substantia: dicitur, naturæ rationalis, vt distinguatur à subsistentia, seu supposito genericè accepto, quod extenditur etiam ad non intellectualia: additur, indiuidua substantia, vt explicetur singularitas, seu specialitas, quam per se competere subsistentiæ, seu personæ, quatenus est, quid aliud à natura, docent communiter Patres; vt notat in citato edicto Iustinianus: Sermo autem est non de indiuiduo, & indiuiduatione logica, prout distinguitur à logicè communi; in quo sensu quilibet conceptus realis est indiuiduus; sed de indiuiduo, & indiuiduatione metaphysica, pro vt specialiter opponitur conceptui constitutiuè, & metaphysicè communi; & significat id quod est intimè actu formaliter adæquate primum, quod est rectum adæquatum, & adæquatum independens, quod persistens in suo conceptu excludit omnem posterioritatem intimam, omnem intimam dependentiam à subiecto, omnem intimam obliquitatem; neque potest cum alia substantia venire in compositionem alicuius primi, recti, & independentis: si enim potest venire in compositionem alicuius primi recti, vel independentis, iam est terminus communis, potens modo constituere vnum primum rectum, & independens, modò aliud; ac proinde non est indiuidua substantia excludens omnem communitatem substantialem.

Definitur subsistentia, seu suppositũ vniuersalissime sumptum.

10 Ex his facilè intelligi potest primo, quid sit subsistentia, seu suppositum, prout præscendit à pura subsistentia, & persona: esse enim naturæ indiuiduæ substantia. Secundo, quid sit subsistentia prout vulgariter sumitur pro abstracto subsistentis, seu pro forma illa, qua substantia redditur subsistens; est enim indiuiduatio metaphysica, primitas totalis, rectitudo, & independentia, qua terminus alias communis constituitur actu formaliter adæquatè primus, indiuiduus, excludens omnem communitatem, rectum adæquatum, adæquatum independens. Tertio, effectus formales huius subsistentiæ esse supradictos, & si vis, reddere substantiam intrinsecè incommunicatam, & incommunicabilem alij ad constituendum aliud adæquatum rectum, adæquatum primum, adæquatum independens &c.

11 Obiter noto, Iustinianum in verbis edicti supra allati confundere subsistentiam cum persona, dum ait, *subsistentiam, siue personam* quare cum persona non significet abstractum subsistentis, sed ipsum subsistens, continens naturam; subsistentia iuxta sensum Patrum non potest significare abstractum subsistentis, sed ipsum subsistens.

Natura diuina indiuiduata, per personalitatem Patris, potest vlterius indiuiduari per Filiationem, & spirationẽ passiuam

12 Dices; allata doctrina non cohæret cũ mysterio Trinitatis, in quo credimus vnam naturam in tribus personis: nam si ex allata doctrina persona est cõceptus omnino substantialiter completus &c. adæquatũ rectum, adæquatũ independens; ergo non potest eadẽ natura diuina simul subsistere in alia, & alia persona, & constituere aliectum, & alterum adæquate primum. Consequentia confirmatur; quia sicut in vna persona natura diuina est adæquate indiuidua, indiuiduatione etiam metaphysica, ita in vna persona videtur expleta eius capacitas, vt reddatur incommunicabilis, & indiuidua: ergo reliquæ duæ personæ tardè veniunt ad indiuiduandum eamdem naturam.

13 Nego assumptum: ad probationem in contrarium distinguo consequens; ergo natura iam subsistẽs in vna persona est ens omnino substantialiter completum & indiuiduum, cum incapacitate vt ipsa natura veluti compleatur, & indiuiduetur in alia persona; nego: cum incapacitate vt ipsa persona vlterius compleatur, vel indiuiduetur; concedo primam, & nego secundam consequentiam: ad cuius confirmationem: nego absolute antecedens. In natura diuina est perfectissima foecunditas, ita vt Deus ad intra intelligendo, & amando non mortuo modo se habeat, sed verè, & rigorosissimè viuat, & consequenter agat, & operetur ad intra; neque enim qui nihil operatur viuit in actu secundo; ac proinde est necessitas, vt via intellectionis sit generans Pater, & genitus Filius, & via voluntatis sit spirator Pater, & Filius: ac spiratus alter, nempe Spiritus Sanctus: ergo est necessitas vt ex perfectissima natura sic communicabilis tribus personalitatibus ad constituendum tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: in quarum qualibet est perfectè indiuidua: neque verò persona Patris est communicabilis Filio vt faciat vnum cum filiatione, & per illam vlterius indiuiduetur. Quare natura diuina in qualibet persona est perfecte completa, perfecte incommunicabilis, & perfecte indiuidua; quia persona, quam constituit, non est vlterius ad intra communicabilis, nec indiuiduabilis per aliam personam: qualibet igitur persona quamuis sit incommunicabilis; non tamen est omnis incommunicabilitas naturæ diuinæ.

14 Dices iterum: ergo persona Verbi dum communicatur humanitati, indiuiduatur per ipsam humanitatem: nam secundum se est indifferens ad constituendam personam purè diuinam, vel hominem Deum: & sicut per assumptam humanitatem constituitur Deus homo; ita per illam, & substantialiter completur, & vlterius indiuiduatur: ex quo vlterius sequitur quod persona pure diuina constituitur per carentiam vnionis ad substantiam creatam.

15 Nego consequentiam: ad cuius probationem: nego personam Verbi esse indifferen-

tem

Humanitas in Christo Domino non perfecit Verbũ: & est purum obliquum.

tem ad constituendam personam pure diuinam: nam licet assumpta humanitate constituat Deũ hominem; perseuerat nihilominus persona pure diuina; neque humanitas, quæ necessaria est ad constituendum Deum hominem, constituit vnã personam cum Verbo, sicuti non accedit adcõplendum substantialiter Verbum: & licet per vnionem inter Verbum, & humanitatem fiat vnum substanciale; id est, non quia per eam vnionem compleatur substantialiter Verbum; sed quia complerur substantialiter natura humana: cuius rei ratio est: quia plus perfectionis substantialis est in Verbo secundum se considerato, quod exclusa omni imperfectione includit omnem puram perfectionem; quàm sit in concreto ex Verbo, & humanitate, in quo continentur omnes humanitatis imperfectiones. Humanitas igitur non accedit ad constituendum primum rectum, independens &c. sed vt purum obliquũ ad denominandum Deũ hominem. At Verbum constituitur persona adæquate indiuidua, incõmunicabilis ad constituendam aliam personam, per intrinsecam incapacitatem, quam habet vt substantialiter vlterius compleatur: quare per vnionem ad naturam humanam habetur quidẽ, quid magis extensum, sed non absolute perfectius.

Cur anima rationalis non est persona

16 Dices tertio: ergo anima rationalis separata à corpore est persona. Nego consequentiam: neque enim anima rationalis separata, est naturæ rationalis indiuidua substantia; quia non est absolute natura, sed pars illius, ordinata ad constituendum pro primo instanti sui esse, simul cum materia, integram naturam humanam: anima igitur separata, est quidem subsistentia, & per se subsistit, & in aliquo vero sensu est actu adæquate primum veluti negatiuè, quia non supponit, neque componit aliud prius; ideoque est æquiualenter ens completum; sed propter allatam rationem non est persona.

Quomodo subsistentia in abstracto est vltimus terminus subst ãtialis.

17 Dices quarto: cur non dicimus subsistẽtiam in abstracto esse vltimum terminum substantialem, seu vltimũ complemẽtum substantiæ in suo genere; ita vt substantia subsistens non indigeat vlteriori complemento substantiali? Respondeo; si nomine vltimi complementi substantialis intelligas vltimam indiuiduationem, qua substantia cõstituatur omnino indiuidua, & excludat à se omnem communitatem; verum asseris: nec recedis à mea, & Boetij sententia; sin autem intelligas aliquid aliud; inde impugnatis; quia nobis conceptus subsistentiæ non innotescit, nisi ex Patribus, qui fundati in veritate fidei distinguunt inter naturam, & subsistentiam; asseruntque naturam esse quid commune; subsistentiam in concreto, seu personam, esse quid particulare, quod cum non possit intelligi de communi, & particulari logico, intelligi omnino debet de communi, & particulari metaphysico, modo supra explicato. Neq; ad hanc particularitatem satis est, si naturaliter aliquid non sit commune, licet possit esse supernaturaliter commune: non satis, inquam, est; tum quia: quod est supernaturaliter commune, est absolute commune, & absolute participat rationem naturæ; commune enim præscindit à naturaliter, & supernaturaliter communi: indiuiduum autem metaphysicum debet excludere omnem communitatem, sicuti indiuiduum logicum excludit omnem communitatem logicam, etiam quo ad potentiam absolutam: tum quia natura humana est tantum supernaturaliter terminus communis; quia tantum supernaturaliter potest communicari alij substantiæ, nec propterea est suppositum, seu subsistentia in concreto, & persona.

18 His adde, quod anima separata à corpore, iuxta communem sensum, subsistit; nec tamen est substantia completa, aut habet vltimũ complementum substantiale. Idem esto indicium, si aliqua forma substantialis miraculosè conseruaretur separata à materia.

Subsistentia non est existentia substantiæ

19 Dices quinto: cur non dicimus subsistentiam esse substantiæ existentiam, vt vult Caietanus 3. p. q. 4. ar. 2? Respondeo, quia existentia est identificata naturæ; ideoque humanitas Christi Domini habet propriam existentiam; quod non verificatur de subsistentia.

Subsistentia nõ reddit naturã substantẽ accidentibus.

20 Dices sexto: cur non dicimus subsistentiam reddere naturam substantem accidentibus? Respondeo primo; quia natura diuina subsistit, nec vlli substat accidenti. Secundo, quia natura creata substat accidentibus formaliter per vnionem, & actionem eductiuam illorum, quæ supponunt potius subsistentiam, quam illã constituant. Non negauerim tamen subsistentiam supponi ad omnem operationem substantiæ: cum enim spectet ad constitutionem substantiæ, spectat ad constitutionem primæ radicis, & entis primi: ergo saltem vt conditionẽ omnes operationes substantiæ subsistentiã supponunt: profecto prius intelligitur substantia absolute esse, quam operari: hinc ortum duxit commune proloquium, quod actiones sunt suppositorum.

Quomodo subsistentia sit independentia aut inseitas?

21 Dices septimo: cur non dicimus subsistentiam reddere naturam independentẽ à subiecto inhæsionis, & illam ponere in se, seu esse inseitatem? Respondeo: nisi hæc inseitas sit indiuiduatio, quam supra diximus, eam reijci, quia natura Angeli, anima rationalis, & qualibet natura completa substantialis, est se ipsa incommunicabilis alij tamquam subiecto inhæsionis; quod etiam conuenit materiæ primæ, quæ, vtpote primum subiectum, est se ipsa formaliter impotens dependere ab alio subiecto: quæ incapacitas, & independentia, & positiua est, vtpote identificata, cum illarum rerum positiua entitate, & formalis vtpote se ipsa formaliter repugnans illi inhæsioni, eamque formaliter excludens; sicuti formaliter, non radicaliter materia est primum subiectum; nec tamen hæc formaliter se ipsis subsistunt. Præterea forma materialis per multos habet propriã subsistentiam, nec tamen est independens ab alio tamquam à subiecto inhæsionis.

22 Ra-

22 Replicabis: humanitas Christi est impeccabilis, tum ab vnione hypostatica, tum à visione beata: ergo etiam materia, & natura Angelica possunt gaudere duplici independentia à subiecto inhæsionis, alia essentiali, & indistincta, alia substantiali quidem, sed distincta: hæc secunda erit subsistentia. Nego consequentiam, si loquamur de subiecto inhæsionis rigoroso: quia vnio, & visio beata in Christo Domino sunt diuersæ formæ præstantes humanitati diuersos effectus formales; quamuis quælibet trahat tamquam proprietatem, impeccabilitatem: at hæc secunda independentia supra primam quid præstat, si non est explicata indiuiduatio?

Est ne subsistentia, qua substantia sistit in se?

23 Dices octauo: cur non dicimus subsistentiam esse, quà substantia sistit in se, & non progreditur ad aliud? Respondeo, hoc reuocari posse ad nostram explicationem: & inde nasci difficultatem, quia Verbum diuinum, quamuis perfectissime subsistens, extenditur tamen ad vnionem cum natura humana.

Non sola subsistentia est conditio necessario ad operandum.

24 Dices nono: cur non dicimus subsistentiam esse conditionem necessario requisitam ad operandum? Respondeo; quamquis id, vt vidimus, conueniat subsistentiæ, non tamen est proprium solius subsistentiæ: nam etiam vnio inter materiam, & formam est conditio necessario requisita vt substantia completa operetur; nec tamen est subsistentia.

Subsistentia non est actio creatiua.

25 Dices decimo: cur non dicimus cum Lynceo, subsistentiam esse actionem creatiuam? Respondeo; quia personæ diuinæ habent subsistentiam, & nullam actionem creatiuam, qua subsistant.

26 Dices vndecimo: cur non dicimus cum Mauro, suppositum esse ens totale, substentiale, indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio vel actu, vel saltem potentia? Respondeo, quia vel sequentes particulæ, indiuisum &c. sunt superfluæ, vel anima rationalis est suppositum, cum possit existere diuisa à quacumque alia substantia.

Subsistentia est substantia.

27 Dices duodecimo: quomodo saluatur, quod subsistentia sit substantia in nostra sententia? Respondeo; quia spectat ad constitutionem entis primi, & finis cui intimi adæquati, cum sit ipsa primitas &c. Et quia subsistentia est vltima indiuiduatio modo explicato; est ratio cur substantia in se sistat, & vlterius non progrediatur: ideoque dicitur continere naturam, & esse rationem cur operationes huius naturæ non tribuantur alij.

Partes essentiales non sunt subsistentia, aut suppositum.

28 Ex dictis infero primo, partes essentiales non esse subsistentiam, aut suppositum in concreto; quia non sunt modo explicato indiuiduum, vel naturæ indiuidua substantia. Secundo, quamlibet partem integralem ligni esse suppositum veluti essentiale, sed non integrale, quia quælibet integraliter est quid commune, potens cum alijs constituere vnum integrale maius. Tertio, cumulum arenarum, & exercitum non esse absolute suppositum; sed multitudinem suppositorum.

SECTIO III.

Quid addit supra naturam subsistentia creata?

Subsistentia creata aliquid supra naturā addit

1 DIxi creatam, quia diuina etiam relatiue accepta, certum est non addere aliquid à natura realiter distinctum: quid autem sit, & quomodo à natura distinguatur, fusius Theologi in materia de Trinitate. Certum autē est, subsistentiam creatam, siue sumatur in concreto, siue in abstracto, dicere conceptum aliquem realem à natura distinctum: nam certum est in Christo Domino esse integram naturam humanam; non adesse tamen subsistentiā, vel personam humanam similis ratio urget in alijs substantijs creatis. Quærimus igitur quid sit hoc à natura distinctum? aliqua pura carentia, an positiuum quid? Et quidem, qui non admittunt carentias, tenentur asserere esse quid positiuum & explicare, quid tandem illud sit?

Variæ doctorū sententiæ.

2 At qui admittunt puras carentias diuisi sunt in duas classes; aliqui asserunt subsistentiā addere supra naturam, quid positiuum; alij verò purā carentiam: & horū nonnulli docent suppositum supra naturam dicere duas carentias, alteram actualis dependentiæ, alteram aptitudinalis dependentiæ ab alieno supposito: nomine autem dependentiæ intelligunt vnionem, ratione cuius hæc substantia, vel vnitur cum alio supposito, vt de facto natura humana vnitur cum verbo diuino; vel vnitur cum alia substantia ad constituendum vnum suppositum; sicuti anima rationalis vnitur cum materia ad constituendū in casu naturali purum hominem: suppositum igitur excludit vtramque vnionem, & actualem, & aptitudinalem: quia perseuerans in esse suppositi non potest vniri cum alio supposito: & quia anima rationalis separata non excludit aptitudinalem vnionem, quia potest vniri cum materia modo dicto, ideo absolute non est suppositum. Hæc sententia tribuitur Scoto in 3. dist. 1. q. 1. & dist. 2. q. item 1. vbi tamen probabilius putat subsistentiā aliquid positiuū addere supra naturam.

Quid sit dependentia actualis ab alieno supposito.

Quid aptitudinalis.

3 Hic obiter aduerto, hos authores nomine vnionis, seu dependentiæ aptitudinalis non posse intelligere nisi capacitatem naturalem ad vnionem naturalem: nam si loquuntur de capacitate obedientiali ad vnionem supernaturalem, falsum asserunt: quia suppositum v.g. homo habet capacitatem ad vnionem supernaturalem, æquè, ac anima rationalis separata ad vnionem naturalem: sicuti enim anima, quæ separata per se subsistit, potest naturaliter vniri corpori ad constituendum vnum suppositum; amissa tamē propria subsistentia sita saltem partialiter in ea separatione; ita homo amissa propria subsistentia, & consequenter natura humana, potest [illegible] mira.

non

miraculosè voiri Verbo, vt per illud subsistat.

4 Alij eum Vadingo disp. 4. de Inaarnatiooe reecotissimè doceot suppositum duo dicere; alterum in recto, & sunt omnia prædicata naturæ creatæ, siue composita, siue simplicis: alterum in obliquo, & est carentia vnionis substancialis, qua natura creata vniatur supposito diuino: hi coosequeoter teneneur asserere, subsitens in concreto prout præscendit à supposito, & non supposito, & includit animam rationalem separaram, duo dicere; alterum in recto, nempe substantiam creatam, alterum in obliquo, nempe earentiam vnioois ralis substantiæ ad aliam substantiam, seu suppositum. Legatur Cardinalis Pallauicions libello de Incarnatio n. 275. & multa quæ dictum numerum præcedunt, & sequuntur. His positis.

Subsistentia addit supra naturam aliquod positiuum.

5 Dico, subsistentiam in creatis addere supra naturam siue adæquatam, siue ioadæquatam aliquod positiuum substantiale. Et de natura quidem adæquata, qualis est v. g. humanitas, probant nonnulli ex ijs, quæ de persona Christi Domini definiuntur à Concilijs præsertim Ephesino, & Calcedonensi. Verùm hoc est punctum Theologicum; & non illaudabiliter multi com Cardinali Pallauicino contendunt, nihil ex eo quod Concilia definiunt de vnitare personæ Christi Domini, & de vera, reàli, ac physica vnione ioter Verbum increatum, & humanitatem, posse colligi contra patronos carentiæ.

Multi probant ex ijs quæ Patres & Cōcilia docent de mysterio Incarnationis.

6 Probo igitur meum dictum de omni subsistenria ratione, qua vsos sum tract. de Incarnat. Forma, qua substantia vltimo completur in ratione, & esse substantiæ est primitas actualis substantiæ, ratione cuius substantia constituitur finis, intimus adæquatus, cui, reliqua actu seruiant; quæ exclodit à substantia imperfectionem posterioritatis, obliqui, partis actualis seruientis alij, & qua substantia constituitur sui iuris, huiusmodi, inquam forma sicoti est per se, & ratione sui amabilis, ita est perfectio positiua, non mera carentia perfectionis: quis enim neget, quod affert substātiæ tot prærogatiuas esse per se bonum substanciæ, & positiuum quid? profecto, quod est huiusmodi, non est pura exclusio sui contradictorij, sed aliquid aliud præstat: quod est efficax indicium rei positiuæ, & distioctiuum illius a pura careotia: sed subsistentia in abstracto, seu id quod subsistentia addit supra naturam, præstat hæc omnia, vt patet ex dictis: ergo est quid positiuum. Quod puto esse modum; est enim vltimo determinatum ad præstandum omnia illa; si enim est indifferens; ergo potest existere, & oon vltimo indiuiduare; non est ergo vltima indioiduatio, sed potius terminus communis participans rationem naturæ vlterius determinabilis.

Probatur ratione.

Impugnatur super additum res.

7 Quod si dieas, illud superadditum posse existere sine natura, & naturam sine illo; non tamen posse ambo coexistere, quia vltimo substantia indiuiduetur: vrgeo primo, quia iam illud superadditum non est vltima indiuiduatio &c. secundo, illa coexistentia est quid distinctum ab vtroque extremo, accidentale, & fluens, vt suppono: ergo non potest per illam substantia vltimò indiuiduari; aliter indiuiduū substantiale esset quid floens, & accidentale, vtpote innolueos accidens fluens.

8 Dices: subsistentia iocreata Verbi reddit naturam humanam subsistentem, nec tamen est modus naturæ humanæ. Respondeo, id esse, quia non est necessariò subsistentia oaturæ humanæ, neque essentialiter ordinata ad reddendum illam subsistentem; accedente autem voione subsistentia diuina reddit oaturam humanam subsistentem, non vnio: quia in persona diuinâ; vtpote in perfectissimo iodiuiduo substantiali, est vis indiuiduandi vltimo omnem substantiam, cui intrinsecè communicetur: at subsistentia creata, si sit realitas non modus, non est perfectum indiuiduum, sed vlteriùs indiuiduabilis, & contrahibilis: quare mirum noo est si non participet veram rationem subsistentiæ, sed potiùs naturæ. Illud hic addo aliquos loquendi modos negatiuos, quibus explicatur subsistentia, esse sufficiens fundamentum dicendi, quod subsisteotia, aliunde positiua, negatiuè explicetur, sicuti oegatiuè explicatur diuina infinitas, immeositas &c. cum sit quid positiuū.

Quomodo Verbum diuinum, cum nō sit modus naturæ humanæ, reddit illam subsistentem.

9 Obijcies primo: positiuum substantiale, quod addit subsistentia supra oaturam, non fuit assumptum à Verbo: ergo aliquod substantiale spectans ad coostitutionem puri hominis ono fuit curatum à Christo: quod enim oon est assumptum, non est curatum: ex hoc enim principio Patres deducunt Verbum assumpsisse totam substantiam perfectam hominis. Nego cōsequentiam: Verbum dicitur assumpsisse totam substanciam hominis, quia assumpsit naturam perfectam: sicuti io diuinis Pater communicat Filio totam suam substaotiam, quamuis noo communicet illi suam personalitatem. In vtroque igitur casu Patres oomine substantiæ intelligunt essentiam, seu naturam: in quo sensu subsistentia ooo spectat ad conceptum substantiæ; & qualibet proprietas iodiuidualis potest dici accidens logicum, seu metaphysicum; quatenus oon ingreditur in definitionem substantiæ coofiatam ex rationibus saltem constitutiuè vniuersalibus. Quare dictum Patrum quod non est assumptum, non est curatum; intelligitur de essentia, seu oatura, in qua formaliter residet malum, & bonum, & qua curata repugnat non curari personam: non est igitur extendendum ad quodcumque substantiale, sed ad id, quod est immediatè capax curationis, qualis formaliter non est modus ille superadditus. Confirmatur, qoia certum est persooam humanam non fuisse assumptam, & tameo certum est persooas humaoas fuisse curatas.

Quomodo, licet Christus non assumpserit totum, quod spectat ad cōstituendū substantialiter purè hominem, curauit totum hominem.

10 Obijcies secundo: si subsistentia addit aliquod positiuom substātiale, exclusiuum vnionis ad alienum suppositum; ergo Verbum diuinum defacto per vniooem ad humaoitatem

non

non excludit modum superadditum positiuum, quo ab humanitate excluditur vnio ad personam Patris; hic autem modus spectat ad personalitatem creatam, & ad id, quod hæc addit supra naturam. Deinde modus ille exclusiuò Verbo, & exclusiuus vnionis ad idem Verbū, spectat ad constitutionem naturæ, quia est terminus communis, qui potuit esse, & in persona creata, & in natura assumpta à Patre, & Spiritu Sancto: ergo Verbum diuinum non assumpsit totam substantiam pertinentem ad constitutionem naturæ. Ex quo sequitur personas diuinas non posse vniri humanæ naturæ perfectæ. Respondeo, modum separationis à persona Patris, qui perseuerat, & perseueraret si loco Filij Spiritus Sanctus assumeret eamdem naturam humanam, non esse substantialem, sed accidentalem; vel (si admittis carentias) esse carentiā sequentem ad rationem personæ creatæ. Eadem est ratio de modo separationis à Verbo, qui perseueraret si Pater, & Spiritus Sanctus assumerent illam naturam: quare nullum substantiale spectans ad constitutionem naturæ, est à Verbo non assumptum: neque si Pater assumeret naturam humanam; huic deesset aliquod substantiale spectans ad eius constitutionem.

Modus superadditus complens subsistentiā creatam est indiuisibilis indiuisibiliter excludens vnionem ad omnes, & quamlibet personam diuinam.

11 Sciendum igitur est, quod substantialiter complet personam creatam, esse quid indiuisibile, & incompossibile cum vnione ad quodcumque aliud suppositum, vel substantiam; & formaliter, ac indiuisibiliter excludens vnionem ad omne suppositum diuinum. Iam verò ad hunc modum substantialem, quo vltimo substantialiter indiuiduatur natura, sequuntur, veluti proprietates accidentales, tres modi separationis à diuinis personalitatibus; ita vt vnus modus specialiter separet à persona Patris, alius à persona Filij, alius à persona Spiritus Sancti. Per vnionem igitur ad quamlibet personam diuinam excluditur ab humanitate duplex modus, primus ille substantialis, quo vltimo constituitur persona creata habens oppositionem veluti communem cum vnione ad personam increatam; & modus alius accidentalis, qui excludit vnionem ad hanc personam particularem. Quare vnio ad hanc personam diuinam excludit duos terminos secundum diuersa sui prædicata: sicuti forma substantialis inhærens subiecto excludit ab illo omnes alias formas, & carentiam sui.

Ad hunc modum substantialem sequuntur separationes à singulis personis diuinis

12 Dices: gratis fingis tot modos separationis in eadem natura. Nego assumptum: nam primo necessarius est vnus modus substantialis, & indiuisibilis, qui vltimò substantialiter indiuiduet naturam, & indiuisibiliter excludat omnem vnionem ad personam increatam; quia iam probauimus subsistentiam creatam esse modum substantialem; & quidem cum sit vltimum in genere substantiæ, debet esse indiuisibilis; vt fusius infra dicam.

13 Rursus cum hic modus excludat indiuisibiliter vnionem ad omnes tres personas, potest per vnionem ad quamlibet excludi: ergo adueniente vnione ad vnam personam, excluditur quidem modus hic substantialis: sed adhuc natura est separata ab alijs personis: ergo per modum separationis: non quidem substantialem, quia huiusmodi separationes particulares iam supponunt ex natura sua completam substantiam per modum vniuersalem: ergo accidentalem. Rursus inde etiam probatur, illos modos, qui excludunt singulas personas, non esse substantiales; aliter aliquod substantiale commune deficeret in humanitate Christi Domini; ac proinde illa non esset perfecta natura humana; vt supra ponderabam.

Separationes hæ speciales vel sunt puræ carētiæ, vel accidentia.

14 Dices: ergo posita iam vnione ad Verbum, vnio possibilis ad Patrem, & Spiritum Sanctum adueniens non esset quid substantiale, neque ordinaretur ad constituendam substantiam: quia hæc vnio adueniens non deberet supplere defectum substantiæ; qui sufficienter suppletur per primam vnionem: sed tantum accidentalis modi. Nego consequentiam: ad cuius probationem dico, illas vniones supplere per se defectum subsistentiæ substantialis creatæ; & per accidens esse, quod supponant hic & nunc expletum illum defectum: cum præsertim per vnionem ad reliquas duas personas natura humana non acquirat plus perfectionis; simile quid accidit in diuinis.

15 Posset idem argumentum fortasse expeditius solui cum Amico, qui asserit hanc vnionem, qua de facto vnitur Verbum cum natura humana esse incompossibilem cum vnione humanitatis ad alias duas personas, ac proinde se ipsa esse separationem humanitatis ab illis. Quod si Verbum non fuisset vnitum humanitati, fuisset in ea vnicus modus substantialis formaliter per se ipsum excludens vniones omnes ad personas diuinas: potuissent autem omnes tres personæ simul vniri eidem humanitati, sed per vniones inter se quidem compossibiles, sed quamlibet etiam seorsim incompossibilem cum modo subsistentiæ creatæ. Tenetur autē hic author asserere, omnino repugnare, quod vna tantum persona vniatur, sed vnione compossibili cum vnione aliarum; & si quidem vna tantùm vnitur, repugnat vt simul aliæ vniantur: hæc autem repugnantia non potest oriri veluti ab extrinseco, ex eo, quod cū hac vnione veluti per accidens perseuerent alij modi separationis à duabus alijs personis; aliter iam incideremus in modos separationis particulares: ergo ex eo quod hæc vnio ex suis intrinsecis habet, quod sit vnius personæ duntaxat, & repugnet alijs vnionibus: si hoc modo quis procedat, euadit periculum incidendi in illos modos separationis particulares, & perseuerantes in quo fundatur vis argumenti.

Potest dici quod modus vnionis cum Verbo de facto sit incompossibilis cū modo vnionis qua humanitas vniatur Patri, aut Spiritui Sancto.

16 Obijcies tertio: Verbum esse purum Deum, non dicit aliquem modum positiuum distinctum à natura diuina, & Verbo: ergo hominem esse purum hominem non dicit aliquod positiuum distinctum à natura humana. Nego con-

Esse purū Verbum, & nō Verbum hominem; non

dicit in Verbo aliquem modum substantialẽ.

consequentiam: quia esse purum Verbum, non per se spectat ad personam diuinam; nam etiã vnitum Verbum est persona diuina perfectissima: ergo puritas illa non spectat ad complementum substantiale Verbi: at puritas in homine spectat ad complementum substantiale hominis, aliter ea puritate seclusa per vnionẽ hypostaticam, adhuc natura humana esset ex se omnino substantialiter completa, & purus homo. Caeterum Verbum vel constituitur purus Deus per decretum de non ponenda vnione, vel per puram aliquam carentiam, aut modum relatiuum; de quo puncto nunc non curo.

17 Obijcies quarto: si personalitas est quid positiuum: est natura, quia est principiũ saltem passionum propriæ durationis, vbicationis &c. Fuerit qui putet personalitatem creatam non recipere in se suam vbicationem, & similia accidentia, sed vbicari, & durare per vbicationem, & durationem naturæ. Vel dicas naturam esse principium passiuum, vel actiuum operationum specialium, non autem proprietatum transcendentium omne ens, qualis est vbicatio, & duratio.

Subsistentia creata non est malum.

18 Obijcies quinto: personalitas creata est malum infinitum, priuans bono infinito, nempe vnione ad personam diuinam: ergo nõ potest esse quid positiuum. Nego antecedens: quia non priuat bono debito: neque enim vnio hypostatica est bonum debitum naturæ creatæ: priuatio autem, quæ est malum, excludit bonum debitum.

Vnio hypostatica non est mala aut violenta naturæ humanæ.

19 Obijcies sexto: ergo vnio hypostatica est mala naturæ humanæ, quia est illi violenta: nam spoliat eam bono debito, nempe propria personalitate. Nego sequelam, & rationem in contrarium adductam: quia violentum est ab extrinseco non conferente vim passo: verũ quidem est naturam humanam nullam conferre vim ad vnionem hypostaticam: sed naturali impetu causare suam personalitatem si non impediatur. Attamen cum priuatur propria personalitate, non priuatur ab extrinseco, sed tamquam à causa particulari à Verbo, sibi intimo, & vnito per eam ipsam vnionem hypostaticam. Vnicus igitur casus, in quo spoliari propria subsistentia, & perfectione non est violentum subiecto, est casus vnionis hypostaticæ. Cum his autem bene cohæret, si Verbum spoliaret suam humanitatem accidentibus illi connaturalibus, eam spoliationem futuram violentam naturæ: quia esset contra exigentiã naturæ: neque formaliter esset à principio intrinseco formaliter vt intrinseco: Verbum enim vnitum humanitati non exigit vt humanitas spolietur illis accidentibus; sed potius ea vnio vtpote ordinata in bonum naturæ exigit oppositum; at idem Verbũ vnitum humanitati exigit vt natura humana spolietur propria subsistentia. Vbi noto in priori esse, quod Verbum vniatur humanitati, & in posteriori, vt impediatur personalitas creata.

20 Ex dictis reijcio nonnullos, qui asserunt subsistentiam intrinsecè, & realiter identificari cum natura; & solum ab illa distingui ratione connotati, nempe carentiæ vnionis ad aliam personam, vel suppositum: & in Christo deficere subsistentiam creatam, non quia deficiat aliquod constitutiuum illius subsistentiæ, sed quia deficit carentia vnionis ad alienum suppositum, quod est deficere connotatum. Docent igitur in Christo Domino esse subsistentiam creatam entitatiuè, non formaliter; reijcio, inquam, tum ob aliàs dicta contra huiusmodi connata: tum quia non concedẽt Catholici in Christo Domino realiter esse duas personas, & si dicatur, quod formaliter non sint: tum quia non apparet quid sit ly formaliter, vt cõtradistinctum ab entitatiuè, & realiter; vel quid iuuet ly formaliter deficere, si persona creata secundum totum suum esse perseuerat in Christo Domino.

SECTIO IV.

Vtrum subsistentia sit simplex, vel composita.

Status quæstionis.

1 Quæstio præsens non habet locum in substantijs simplicibus, & indiuisibilibus, quæ procul dubio exigunt subsistentiam simplicem, & indiuisibilem sibi proportionatam; sed in compositis: quarum duplex est compositio, alia essentialis ex materia, & forma, alia integralis: vtrumque igitur quærimus: primo vtrum subsistentia multiplicetur ad multiplicationem partium essentialium: secundo vtrum ad multiplicationem integralium.

In homine non est vna subsistentia solius animæ.

2 Dico primo: in homine non datur vna simplex subsistentia, qua immediatè tantum subsistat anima, & ratione animæ corpus: probatur: quia Verbum diuinum est immediatè vnitum non tantum animæ sed etiam corpori: ergo immediatè per illud subsistit vtrumque: ergo si Verbum non esset vnitum, vtrumque extremum immediatè subsisteret: consequentia secunda probatur, tum paritate rationis, tum quia Verbum supplet in Christo Domino defectum subsistentiæ creatæ, præstando quod illa præstaret: ergo si Verbum vtrumque immediatè reddit subsistens, vtrumque immediatè subsisteret per creatã subsistentiam: antecedens probatur, aliàs in triduo sepulturæ Verbũ non remansisset vnitum materiæ. Ex humanitate autem Christi valet consequentia ad alias humanitates.

Vna & essentialiter simplex est in quolibet supposito subsistentia.

3 Dico secundo: probabile est, in quolibet supposito creato vnicam, & essentialiter simplicem esse subsistentiam, qua subsistat tota natura, & singulæ illius partes. probatur: subsistentia, qua subsistit aliquod suppositum, est vltima perfectio substantialis, qua vltimo substantialiter completur, & perficitur indiuiduũ, & ratione cuius natura redditur essentialiter vltimo indiuiduata, & absolutè imperfectibilis in genere substantiæ: sed huiusmodi vltima sub-

substantialis perfectio non potest esse, nisi vnica, & essentialiter indiuisibilis: ergo subsistentia in quolibet supposito non potest esse nisi vnica, & essentialiter indiuisibilis: minor probatur: quia si huiusmodi vltima substantialis perfectio esset essentialiter diuisibilis, constaret partibus, quarum vna præsupponeretur ad aliam; vna enim esset subsistentia materiæ, alia formæ, alia fortasse vnionis: & prima esset non minus, ac materia in priori signo ad reliquas duas; secunda, non minus ac forma, in priori ad tertiam: ergo subsistentia non esset absolutè vltima perfectio substantialis totius; sed cōstaret partim vltima perfectione, partim non vltima: ergo primæ illæ duæ non reddunt totum, aut partes absolutè vltimo indiuiduatas: materia enim vt subsistens sua propria partiali subsistentia, adhuc esset terminus constitutiue communis, potens cum diuersis formis constituere modò hoc, modò illud compositum substantiale: quod pugnat cum supradictis. Confirmatur: quia videtur esse de ratione vltimi vt sit aliquod indiuisibile; sicuti aliquod indiuisibile est vltima, & perfecta indiuiduatio. Hæc ratio probat etiam in ordine ad potentiam absolutam, non posse subsistentiam compositi esse essentialiter compositam.

Partes hominis separatæ subsistunt diuersis subsistentiis.

4 Objicies primo: Verbum diuinum ita assumpsit humanitatem, vt mortuo Christo Domino, anima, & corpus separata inter se adhuc perseuerauerint vnita Verbo, & subsistentia per subsistentiam increatam: ergo partes hominis possunt subsistere vna independenter ab alia: si enim separatæ subsistunt subsistentia diuina; ergo si non facta fuisset vnio ad Verbū, separatę subsisterent subsistentia creata: non eadem: aliter hæc esset in duplici loco: ergo diuersa. Distinguo primum consequens: partes hominis vnitæ; nego: separatæ; concedo. At quælibet ex illis subsistentijs esset vltima indiuiduatio, qua quælibet illarum partium sui iuris constituitur. Non propterea anima separata est ens completum: quia adhuc est substantia naturaliter substantialiter perfectibilis per vnionem ad aliam substantiam, cum qua faciat aliquod substantialiter maius, & diuersum. Animæ autem Beatorum post resurrectionem non deteriores fiunt, sed meliores: quia licet amittant esse per se subsistens, non amittent modum perfectissimum intelligendi, & volendi, ac præterea acquirent esse substantialiter completum, & principium perfectissimarum sensationum. Exemplum de Verbo diuino potius facit pro me; quia partes humanitatis Christi Domini tum vnitæ, tum separatæ subsistunt eadem indiuisibili subsistētia Verbi; quod non potest præstare subsistentia creata ob suam limitationem.

Anima Beati post resurrectionem perficitur.

Subsistentia vnitur omnibus partibus.

5 Objicies secundo: non potest explicari in quonam subiecto sit hæc subsistentia? Respondeo mihi esse satis probabile hanc subsistētiam esse modum substantialem, vt vidimus: ergo se ipsa immediatè vnitur naturæ, cuius est propria subsistentia, & modus. Ex quo dico vniri immediatè toti naturæ, & consequenter singulis illius partibus, materiæ videlicet, formæ, & vnioni: quia totum debet reddere immediatè subsistens: & cum vna pars naturæ nō subsistat per aliam, debet omnes reddere immediatè subsistentes.

Quænam est causa materialis subsistentiæ.

6 Causa verò materialis erit illud, cui immediatè vnitur influxus agentis in illam subsistentiam; & si hic influxus immediatè vnitur omnibus partibus, omnes erunt vna causa materialis; si verò alicui tantùm, ea sola erit causa materialis: nolo autem id nunc decidere: solum addo, quod si per emanationem producitur à natura, vt est communior sententia, tota natura, singulæque eius partes erunt causa efficiens, & materialis subsistentiæ. Et quia hæc subsistentia in homine, vtpote addicta materiæ, est materialis, apertè sequitur, quod si emanat à tota natura, posse aliquod materiale, saltem inadæquatè sustentari à subiecto spirituali; in quo nullum esse absurdum alias notabam.

Subsistentia in rebus integraliter compositis est integraliter composita.

7 Dico secundo: in rebus materialibus constantibus partibus integralibus substantialibus subsistentiam esse compositam ex pluribus partibus integralibus: quæ proportionaliter correspondent pluribus partibus integralibus naturæ: probatur: quia subsistentia debet esse proportionata naturæ: vbi igitur natura est materialis, & integraliter composita, etiam subsistentia debet esse materialis & integraliter composita; ita videlicet, vt sicuti vna pars integralis hominis est distincta ab alia parte integrali, & potest sine illa perseuerare, ita vna pars subsistentiæ correspondens vni parti integrali, sit distincta ab alia, & possit sine illa existere.

8 Dices: vna essentialiter indiuisibilis subsistentia reddit subsistentes omnes partes essentiales, vt vidimus: ergo & vnica integraliter indiuisibilis omnes partes integrales. Nego consequentiam: ratio est, quia vnica indiuisibilis subsistentia respicit immediatè omnes partes essentiales: at non potest eadem integraliter simplex afficere omnes partes integrales substantiæ; aliter cum illæ partes sint in diuerso loco, deberet illa vnica indiuisibilis subsistentia esse in pluribus locis.

Quomodo continuētur partes integrales subsistentiæ.

9 Instabis: suppositum integraliter compositum est absolutè non solum essentialiter, sed etiam integraliter vna substantia: ergo subsistentia debet etiam esse integraliter vna: ergo partes integrales illius subsistentiæ debent substantialiter vniri, vt faciant vnam subsistētiam: & vnione, quæ licet habeat plures partes, illæ tamen sint integraliter vnitæ vnione item substantiali: debet enim esse substantia nō solum totum essentiale, sed etiam integrale, & de vtroque debet verificari, quod non includat nisi substantiam. Respondeo: concedo totum. sed

10 Instabis iterum: si partes subsistentiæ, & vnionis vniuntur vnione substantiali, debet

Nõ est absurda aliqua mutatio vniuersi, & omnium eius partium ad mutationẽ vnius partis eiusdẽ vniuersi.

ea vnio esse talis, vt essentialiter exigat partes coexistere, ne dicamus esse vnitas partes, quarum altera exitit hodie, altera tantùm cras: hæc autem exigentia, vtpote substantialis, debet esse distincta à duratione: ergo necessariò partes illius vnionis integralis exigunt, vt si vna mutetur, & aliæ omnes mutentur; aliter vna posset existere hodie, altera tantùm cras, & adhuc vniri inter se, & vnire partes ita dissitas: hoc autem esse absurdum, patet; quia videtur absurdum, ad mutationem vnius guttæ oceani, debere mutari, & destrui totam vnionem continuatiuam partium oceani præcedentem, & accedere nouam.

11 Respondeo, hæc omnia non esse absurda, cum satis efficax ratio illorum doceat veritatem; & ita docent Vasques, Perez, Maurus. Neque huiusmodi mutationes putari debent absurdæ; nam ex additione exiguæ arenulæ putant multi mutari centrum grauitatis, quod debet concurrere cum centro vniuersi; ac proinde totum terrarum orbem moueri; & iuxta doctrinam Kircherij mutantur poli magnetici terræ, & tota terræ grauitatio, ac libratio. Vasquez putat totam terram moueri motu insensibili ad motum cuiuscumque corporis, quod necessario sequitur ad mutationem centri. His adde, multos putare, ad quamcumque mutationẽ accedere, & recedere innumeras ferè relationes similitudinis, & dissimilitudinis.

12 Dices secundo; vna pars substantiæ vt subsistens sua subsistentia non est vltimo integraliter indiuiduata: ergo non est subsistens; neque pars subsistentiæ est vera subsistentia, sed terminus communis vlterius perfectibilis, & defacto constituens cum reliquis vnum. Distinguo consequens, non est subsistens essentialiter, & intensiue; nego: quia est vnum indiuiduum omnino completum, non potens penetratiuè, & veluti intensiuè vlterius perfici, dum perseuerat in suo esse: non est subsistens integraliter, & extensiuè; concedo: quia vlterius substantialiter extenditur.

13 Instabis: ergo dici potest, quod materia habeat in composito semi subsistentiam vlterius perfectibilem per subsistentiam formæ. Nego consequentiam: quia quod subsistit absolutè est totum, & non materia: & ea subsistentia materiæ potiùs participaret rationem materiæ, quàm subsistentiæ vltimò indiuiduantis: cuius rei ratio est, quia ad conceptum subsistentiæ satis est vt vltimò indiuiduet intensiuè & id quidem necessarium est iuxta sensum Patrum; quia per hoc benè distinguitur à natura: per accidens autem est, quod ea subsistentia integraliter augeatur.

Terminus intrinsecus integritatis: siue substantialis, siue accidentalis, est positiuus.

14 Ex dictis infero; terminum intrinsecum integritatis substantialis esse positiuum, nempe dictam vnionem, quæ se ipsa formaliter repugnat vlteriori extensioni. Idem esto iudicium de termino integritatis accidentalis: quia etiam includit quamdam coexistentiam permanentem suarum partium, ratione cuius exigat habere partes semper ita, vel ita dispositas cum tanta extensione, neque verò dicendũ est integritatem, & magnitudinem accidentalem cont. nuò mutari si includat durationem; vel saltem mutari ad mutationem loci, si includat vbicationem. Ex quo vlterius infero, figuram constitui per formam quamdam positiuam, per vnionem videlicet integralem similem explicatæ, virtute cuius in diuersis locis, & temporibus sit eadem figura iuxta communem, & vulgarem sensum, qui non est deserendus; sed ex illo, veluti ex principio, inueniendæ aliæ veritates. Demum vnio intensiua partiũ qualitatis inter se debet poni cum simili cõnexione inter suas partes, quo ad tempus, & locum: ne dicamus quod includat, vel durationem, vel vbicationem. Verum hæc attigisse sit satis.

SECTIO V.

Soluuntur nonnulla quæstiones.

Natura creata nõ potest spoliari omni subsistentia.

1 QVæres primo: verum natura creata possit spoliari omni subsistentia? Multi affirmant: alij cum Scotistis, quibus adhæreo, negant: probatur: natura spoliata omni subsistentia esset, & non esset spoliata omni subsistentia, non subsisteret & simul subsisteret: hæc est aperta repugnantia: ergo &c. maior probatur; & quidem, quod esset spoliata omni subsistentia, & non subsisteret, hic supponitur; quod autem subsisteret, & consequenter non esset spoliata subsistentia: probatur; stante ea spoliatione, adhuc Angelus Gabriel esset persona: ergo adhuc esset subsistens: persona enim subsistit: antecedens probatur; adhuc esset naturæ rationalis indiuidua substantia non communicata alteri, nec potens alteri communicari; adhuc esset substantia vltimò indiuiduata, sui iuris, & per se stans; finis cui intimus adæquatus, primum intimum, rectum adæquatum, & adæquatè independens ab omni subiecto. Hæc omnia patent consideranti; quæ diximus sect. 1. & 2. stante enim ea separatione, & ea spoliatione, nihil deesset Gabrieli, quo minus de illo verificarentur supradicta omnia.

Natura spoliata omni subsistentia esset, & non esset subsistens.

Adesset, & nõ adesset modus.

2 Dices, deesse modum substantialem. Contra: deesset hic modus, vt dicis, & non deesset, quia verificatur illa omnia, quæ per te constituuntur per modum substantialem superadditum, nempe esse sui iuris, esse naturæ rationalis indiuiduam substantiam &c. quæ per aduersarios necessariò dicunt modum superadditum &c. Profectò si verificatur integra hominis definitio, & ea definitio essentialiter includit animam, bene inferimus adesse animam: quod si stante veritate definitionis, adhuc contendas animam deesse, iam manifeste sequitur animam adesse simul, & deesse: quæ est aperta contradictio. Quid prorsus simile accidit in

no-

nostro casu.

Et illa esset, & non esset substantia vltimo completa.

3 Dices, illam non esse substantiam vltimo completam, quia caret vltimo complemento substantiali. Contra: habet omnia prædicata essentialia substantiæ vltimo completæ: est enim adæquata radix operationum in aliqua determinata specie, vltimò indiuiduata; est naturæ rationalis indiuidua substantia, per se stans, sui iuris, totum adæquatum, primum intimum adæquatum, adæquatum independẽs, quod perseuerans in suo statu excludit omnem posterioritatem, omnem dependentiam &c. ergo habet vltimum complementum substantiale.

Non potest substantia creata subsistere duplici subsistentia creata.

4 Quæres secundo: vtrum substantia creata possit subsistere duplici subsistentia creata? Respondeo negatiuè: est sententia Scotistarum, & multorum ex Thomistis cum Sancto Thoma: sed omissa authoritate, probo cõtra plures recentiores responsionem ex iactis principijs: quia si Angelus subsisteret duplici subsistentia, alia propria, alia non propria, in hoc conflato perseueraret persona Angeli, vt volunt aduersarij, & non perseueraret: ergo repugnat quod Angelus subsistat duplici subsistentia: secunda pars antecedentis probatur: quod perseueraret in eo conflato esset terminus communis Angelo puro, & illi nouo conflato: potest enim inueniri in puro Angelo, si non adueniat noua subsistentia, & in illo conflato: ergo non est persona, quę est indiuidua substantia naturæ rationalis, excludens omnẽ communicationem: ergo nõ perseueraret persona Angeli. Igitur si hæc substantia subsistens vniatur alteri substantiæ, sicut fit vnũ substantiale perfectius, ita constituitur vna subsistentia noua in concreto, seu vnum subsistens, & vna persona, si natura illa sit rationalis: & sicuti falsum est, quod posita ea vnione perseueret primum totum substantiale, sed resultat nouũ; ita falsum est, quod perseueret prima subsistẽtia, sed resultat noua. Falsum item est quod perseueret in eo casu prima hypostasis, seu forma subsistentis: sed accedit noua, constituens nouum subsistens, sicuti accedit noua totalitas denominans nouum totum. Igitur cessat prima incommunicatio, & indiuiduatio metaphysica, ac primum indiuiduum, & accedit noua indiuiduatio, & nouum indiuiduum.

Aliter perseueraret, & non perseueraret persona Angeli.

In eo igitur casu quam fingunt aduersarii esset absolute vna persona, & vna subsistentia.

Ratio cur natura diuina, non creata possit triplici subsistentia subsistere.

5 Dices: natura diuina subsistit in tribus personis: ergo poterit natura creata subsistere pluribus subsistentijs. Nego consequentiam: ratio diuersitatis est, quia vna persona diuina non potest alteri communicari ad faciendam vnam personam; cum non possit illi vniri, nec ab ea perfici, cum ex identitate cum natura sit summè perfecta: at vna substantia creata supponitur vnibilis, & perfectibilis per aliam; cũ enim sit imperfecta, benè potest per vnionẽ ad aliam perfici, ita vt ex vtraque resultet nouũ quid substantiale perfectius. Neque replices, in eo casu subsistentias creatas non vniri inter se, sed cum eadem natura; nam certum est, ex illis, quas vocas subsistentias, & naturas, fieri totum quid substantiale perfectius, quam esset ante vnionem: hoc autem eo modo constitutũ ego voco suppositum substantiale, & substantiam vltimò substantialiter completam, & indiuiduatam: singulæ autem eius partes, vtpote indifferentes vt perficiantur per alias compartes, potiùs participant rationem naturæ, & termini communis, quàm suppositi, & termini singularis.

Vt ex pluribus resultet vnũ non est necesse vt singula immediate inter se vniantur.

6 Neque obstat, quod non immediatè vniantur omnes illæ partes & formæ substantiales, quas appellas subsistentias: neque enim vt ex pluribus resultet aliquod totum requiritur vt singula immediatè vniantur cum reliquis; vt patet in continuo; cuius non omnes partes immediatè inter se vniuntur.

Cur eadẽ humanitas potest a pluribus personis diuinis assumi.

7 Dices iterum: eadem humanitas potest assumi à tribus personis diuinis: ergo & subsistere pluribus subsistentijs creatis. Concesso antecedente, de quo *tract. de Incarnat.* nego consequentiam: ratio est: quia vna persona diuina non potest aliam perficere: ergo natura humana vt perfecta per vnã personã diuinã est omnino indiuidua nec vlterius perfectibilis per aliam personam; neq; enim vnita duplici personæ est perfectior, ac vnita vni personæ, sicuti duplex persona non est perfectior vna. Ob similem rationem si eadem persona diuina assumeret duas naturas humanas, neutra natura perficeret aliam: non immediatè, quia neutra alteri immediatè vnitur; non mediatè, quia natura nõ perficit personã veluti mediam inter vtramque naturam. Verùm de hoc puncto fusius cum de Deo homine.

8 Quæres; vtrum plures naturæ creatæ possint subsistere eadem subsistẽtia creata? Respondeo, me supposito mysterio Incarnationis nullam in eo videre repugnantiam. Verum in eo casu totum resultans esset vnum suppositum ob allatas rationes.

DISPVTATIO QVARTA.

De Substantia increata.

Quæ Dei cognitio metaphysico propria.

1 DEus Optimus Maximus, quatenus potest lumine naturali cognosci est perfectissimum Theologiæ naturalis & metaphysicæ obiectum: est enim Deus maximè omnium à materia face alienus; & entis, quod est proprium huius scientiæ subiectum; gradus perfectissimus, continens sine vlla imperfectione vniuersam entis perfectionem. Congruit igitur metaphysico instituto de Deo agere. Sed quia de Deo disputatio amplissima est, & eam merito sibi vendicant Theologi non solùm quo ad ea, quæ lumine fidei innotescunt; sed etiam quo ad ea, ad quæ potest intellectus humanus luminis naturalis ductu pertingere: ideo ne philosophiæ tractationem in immensum protraham, aut falcem in messem alienam mittere videar, hîc tantum attingam ea, quæ

spe-

ſpectant ad declarandam, & probandam huius ſupremi entis exiſtentiam; quò videlicet ea cognita, gradum mihi faciam ad Theologiam, quæ Deum, vt proprium ſubiectum reſpicit.

Quomodo Deus eſt ineffabilis, & innominabilis.

2 Neque obſtat, ex Patribus nonnullos docuiſſe Deum eſſe ineffabilem, & innominabilé: ſolùm enim voluere, nos nō poſſe de Deo perfectè cogitare, & adæquatè eius prædicata explicare; neque aliquod nobis nomen ſuppetere, quod Dei perfectionem adæquet: cum quo benè cohæret, nos poſſe de Deo imperfectè loqui, & multa de illo pro noſtra capacitate quærere, & affirmare; in eoque negotio nominibus vti, quibus Dei naturam, & perfectiones adumbremus, & ex parte pro noſtro modulo explicemus.

Quidam conceptus de quibus certum apud omnes eſt, quod cū Deo dicantur ad conuertentiā.

3 Vt autem poſſimus rectè procedere, debemus in præſenti materia aſſumere conceptus aliquos, de quibus certum ſit apud omnes, quod conuertantur cum Deo; & ex illorum exiſtentia inferre Dei exiſtentiam. In quo negotio mirabile fuit ingenium S. Thomæ, qui 1. p. q. 2. ar. 3. aſſumit ad probandam exiſtētiam Dei quinque terminos exprimentes apud omnes Deum, & ex illorum exiſtentia format, ad eum finem, quinq; rationes; eiſdemque, tamquā primis principijs, vtitur in toto ferè Theologico decurſu, ad probanda reliqua prædicata diuina. Quinque autem termini ſunt; *mouens immobile; cauſa prima efficiens, & improducta; ens per ſe neceſſarium, veriſſimum, optimum, nobiliſſimum, ac maximè ens, quod ſit menſura, & cauſa omnium entium, quæ dicantur magis, vel minus vera, bona, nobilia, quia magis, vel minus participiant de illo maximo, & ad eius perfectionem accedunt. Demum intelligens, à quo omnes res ordinantur ad finem.*

Quinque prædicata ex quibus S. Thomas conficit quinque rationes ad probādam Dei exiſtentiā

Omnia illa prædicata exprimuntur per cōceptum actus puri.

4 Hæc quinque prædicata, vt patet legentī ſequentes quæſtiones, ſignificat Angelicus præceptor illo termino apud ipſum, & reliquos Theologos frequentiſſimo, actus purus. Deum enim eſſe actum purum probat quæſt. 3. art. 1. Corp. ratione ſecunda, ex eo, quod eſt primum ens, & conſequenter primus motor, prima cauſa &c. ergo actus purus conuertitur per Sanctum Thomam cum quinque illis prædicatis: & quidem ſi conſideremus primū ex dictis prædicatis, nempe primum mouens immobile, inueniemus in illo adumbratam rationem actus puri: nam ſi motor eſt, vtique eſt actus; ſi immobilis, ergo excludit omnem potentialitatem: nā per potentialitatem res eſt capax vlterioris perfectionis, vel imperfectionis, ac proinde potens aliter ſe habere, & erit mobilis. Quin imò in ipſa ratione primi motoris immobilis implicitè includitur ratio primæ cauſæ efficientis, ratio entis per ſe neceſſarij, maximi, intellectiui, dirigentis omnia ad ſuum finem.

Attamen actus purus neceſſario includit omnem eſſendi perfectionem, & excludit omnem eſſendi defectum.

5 Iam verò in actu puro duo inueniuntur prædicata veluti generalia, quæ includant reliqua: primum eſt, veluti negatiuum, videlicet carens omni defectu, in quo includuntur omnia prædicata, quæ de Deo negatiuè dicuntur: alterum poſitiuum, & eſt cumulus omnium perfectionum; in quo includuntur omnia prædicata, quæ poſitiuè de Deo dicuntur: iuxta duos modos Deum cognoſcendi in hac vita, apud Dionyſium celeberrimos, & de quibus fuſiùs Theologi, cum agunt de Deo. Huius rei ratio eſt: quia ſi actus idem eſt, ac ens, actus purus erit purum ens, ſeu purum eſſe, in quo videlicet nihil ſit de nihilo, ideſt nullus defectus eſſendi; quod proinde omne eſſe, ac perfectionem in ſe contineat. Qui igitur ex his duobus conceptibus probat exiſtentiam Dei, non recedit à doctrina, & methodo S. Thomæ.

Non eſt vanum quærere vtrū Deus ſit.

6 Dices: Deum eſſe eſt veritas per ſe nota: ergo eſt inutilis labor quærere vtrum Deus ſit, & rationes indagare, quibus ea veritas confirmetur: veritas enim per ſe nota debet ſupponi vt primum principiū, non probari. De antecedente mox dicam: nunc nego conſequentiam: nā quæ ſunt aliunde per ſe nota poſſunt probari multis medijs, afferentibus nouum lumen, & meliorem eiuſdem rei cognitionem: non eſt igitur inutilis labor, qui tantum bonum poteſt afferre intellectui: vt autem videatur quid veritatis contineat antecedens ab aduerſario aſſumptum; ſit.

SECTIO I.

Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum?

Dupliciter aliquod poteſt eſſe per ſe notum ſecundum ſe, & quo ad nos.

1 SVppono cum Sancto Thoma cit. art. 1. veritatem aliquam poſſe eſſe per ſe notam dupliciter: primo ſecundum ſe; ſecundo etiam quo ad nos: quod ita explicat S. Doctor: propoſitio per ſe nota abſolutè eſt illa, cuius prædicatum includitur in ratione ſubiecti; vt, homo eſt animal; quia animal eſt de ratione ſubiecti: ſi igitur notum ſit omnibus, quid ſit hoc prædicatum, quid ſit hoc ſubiectum, illa propoſitio erit per ſe nota, & ſecundum ſe, & quo ad nos: vt patet in primis principijs, quorum termini ſunt quidam communes conceptus, quos nullus ignorat, vt ens, & non ens, totum, pars, & ſimilia: ſi autē apud aliquos notum non ſit de prædicato, & ſubiecto quid ſit, propoſitio quidem quantum in ſe eſt, erit per ſe nota; non tamen apud illos, qui ignorant quid ſit prædicatum, quid ſit ſubiectum: vnde contingit, vt dicit Boetius in libro de hebdom: ſeu an omne quod eſt, ſit bonum, *quod quædam ſunt communes animi conceptiones, & per ſe notæ tantum apud ſapientes.*

Non omnis veritas, cui immediate aſſentiuntur, eſt per ſe nota

2 Ex quibus infero, non omnem veritatē, cui immediatè aſſentimur, eſſe per ſe notam: quia non in omni huiuſmodi veritate prædicatum eſt de ratione ſubiecti; vt cum quis experitur ſe eſſe, vel ſe ambulare. Infero præterea, propoſitionem, in qua de ſubiecto affirmatur prima paſſio, non eſſe abſolutè per ſe notam ſecundum ſe: quia prædicatum non eſt de ra-

tione

Nō est per se notum quod prima passio insit subiecto.

tione subiecti, neque in ipso subiecto formaliter reperitur; ideoque supponit ex parte obiecti rationem se priorem, ratione cuius insit subiecto, & ex qua benè colligitur inesse subiecto: ergo à priori illa propositio non est necessariò immediata, & prima; cum supponat aliam rationem priorem, vnde deducatur. Non est igitur necesse asserere cū Pallauicino l. 8. de Deo n. 9. definitionem propositionis per se notæ à Sancto Thoma traditam, non esse vniuersalem, sed tantùm explicare vnam eius speciem; sufficientem tamen ad præsens institutū;

Non diminutè processit S. Thom.

quia existentia est de conceptu Dei. Quidquid enim sit de hoc, non est asserendum, Sanctum Thomam diminutè processisse, & ex principio particulari voluisse inferre conclusionem negatiuam, de qua infra. Allata autem distinctio Sancti Thomæ confirmatur ex doctrina Aristotelis, qui admisit nota natura, & nota nobis.

Quomodo eadem propositio potest esse per se nota sapientibus non rudibus.

3 Vrgebis: non videtur posse contingere, vt supponit Sanctus Thomas, aliquam propositionem posse esse per se notam sapientibus non rudibus: nam eadem propositio, & apparentia mentalia adæquatè sumpta non potest esse per se nota vni intellectui, non alteri eiusdem perfectionis, quales iuxta communiorem opinionem sunt omnes intellectus humani. Nego assumptum: ad rationem in contrarium dico, propositionem dici eamdem respectu rudium, & sapientiorum, quia versatur circa idē obiectum: neque ad id necesse est, vt habeat in vtrisque eamdem apparentiam: stante autem diuersa apparentia, quamuis intellectus sint aliunde æqualis perfectionis veluti radicalis, adhuc propositio eadem poterit esse per se nota vni, non alteri. Legendus autem est Pallauicinus citatus à n. 11. ad 14. vbi pluribus ostendit necessitatem eodem nomine exprimendi plura inter se diuersa, sed quatenus subiacent alicui actui confuso; vt sunt conceptus vniuersales. His positis.

Deum esse, est per notum secūdum se.

4 Duobus dictis Sanctus Thomas soluit propositam quæstionem. Primum est, hanc propositionem, Deus est, esse per se notam secundum se: probatur: quia prædicatum est de ratione subiecti: nam ita essentialiter, & necessariò competit Deo, existere, vt primus eius conceptus quidditatiuus sit conceptus existentis; neque supponat alium conceptum priorē, quo Deus sit potens existere, & qui sit ratio veluti prior, cur Deus sit: ad differentiam creaturarum, in quibus & si existentia non distinguatur ab essentia, primus tamen illarum conceptus non est existere; sed hic supponit alium priorem, nempe posse existere, seu existere in alio tamquam in principio, quod sit ratio cur creaturæ existant in se.

Cur illa propositio, homo est animal, est per se nota; non autem hæc, homo existit.

5 Instabis; non minus homo identificatur cum animali, quàm cum existentia: ergo sicuti illa propositio, homo est animal, est per se nota; ita per se nota est hæc alia, homo est existentia. Nego absolutè consequentiam: ratio est: quia prima propositio sumitur quidditatiuè ad exprimendum statum quemdam quidditatiuum hominis: qui est necessitas, vt homo sit animal rationale, & identificetur cum animalitate; quæ necessitas absolutè semper est, & est per me ipse Deus: quare illa est veritas prima per se nota: at secunda propositio sumitur non quidditatiuè, ad exprimendum aliquem statum quidditatiuum, & intentionalem; sed sumitur exercitè, pro ipsa existentia reali, quæ simul cum suo subiecto potest deficere. Hinc patet, cur verum sit hominem accidentaliter existere, & non sit verum, hominem accidentaliter, & contingenter esse animal: quia in primo casu ly existere, sumitur, exercitè, pro ipsa existentia secundum se, quæ contingens quid est, & accidit homini constituto pro statu illo intentionali, seu cognito à Deo, vt sit: at in secundo ly esse, sumitur quidditatiuè, & significat dictam necessitatem: quamuis neque ipse homo secundum se, neque identitas cum animalitate, neque animalitas necessariò sint. Quintò, sicuti homo potest absolutè non esse; ita potest absolutè non esse animal: quod enim non est, neque animal est, neque aliquid aliud. Quod si illa propositio, homo est existens, sumatur quidditatiuè, eodem modo discurrendum de illa est, ac de hac, homo est animal.

Quid si existere sumatur quidditatiuè.

Deum esse non est per se notum nobis.

6 Secundum dictum Sancti Thomæ est, Deum esse, non est propositio nobis per se nota: probat: quia nos non cognoscimus quid Deus sit: ergo, intellecto Deo, non possumus statim cognoscere ipsum esse: antecedens est certum: quia non videmus intuitiuè Deum: consequentia probatur: quia non cognito intuitiuè Deo, non experimur immediatè existentiam Dei: neque hic terminus Deus abstractiuè cognitus, certificat immediatè de sui existentia: aliter non posset quis negare talem existentiam; quod tamen est falsum; cum ex Psalmo 52. insipiens dixerit in *corde suo non est Deus*: nam cum dixerit in corde, vtique apprehendens Deum non necessitabatur ad assensum dictæ veritatis: cum autem fuerit insipiēs, poterat vtique, & debebat attendere ad rationes demonstrantes Deum esse.

Sub aliquo conceptu confuso, & qui verè cum Deo conuertitur, est omnibus naturaliter notum, Deum esse.

7 Obijcies primo: illa sunt nobis per se nota, quorum cognitio nobis naturaliter inest; sicut patet de primis principijs: sed cognitio, quod Deus existat, nobis naturaliter inest, vt docet Damascenus l. 9. c. 1. & 3. Nazianzenus, alijque Patres apud Fasolum 1. p. q. 2. ar. 1. & ex Iob 36. *Omnes homines eum vident.* S. Thomas concessa maiore, ad minorem docet, sub aliquo conceptu confuso, & qui verè cum Deo conuertitur, esse omnibus naturaliter notum, quod Deus existat: quod inde confirmat; quia sicuti omnia homo naturaliter desiderat beatitudinem; ita naturaliter illam cognoscit, idque sine vllo discursu: nostra autem vera beatitudo est Deus: quia solus Deus est perfectum hominis bonum: at hoc non est cognoscere explicitè, & determinatè existentiam Dei; quia non ex ipsis terminis patet Deum

esse

esse illud perfectum bonum; cum multi beatitudinem posuerint in diuitijs, alij in voluptatibus: quare non dum per se notum est, existere Deum; primum videlicet principium incausatum &c. His adde, maiorem assumptam non esse vniuersaliter, & sine limitatione veram: nam etiam aliqua cognitio, quamuis euidens, mediata tamen, potest nobis naturaliter inesse; quia à natura infunt nobis, imò & in nobis principia, ex quibus illam cognitionem deducamus: & talis est cognitio de Dei existentia, ad quam per demonstrationem omnibus obuiam & vix perceptibilem peruenimus; vt notat Pallauicinus l. 8. de Deo n. 5. & 6. sed praecipuè n. 32. quia videlicet facilè quiuis venit in cognitionem euidentem, quod detur natura vniuersalis: ita vt videatur pene ridiculum quaerere, verum detur hae natura vniuersalis, seu vniuersale principium, ad quod reuocantur alia: sicuti ridiculum visum est Aristoteli, quaerere, vtrum detur natura particularis. Et quidē ipsa cohaerentia partium vniuersi facilè, & fere impereeptibiliter cuiuis id demonstrat: & si in paruulo animali cognoscimus naturae artificiū, quantò magis in orbis ordinatione, ac structura? quod neque Atheos, vel Epicureos negasse affirmat; qui in eo errarunt, quod hanc naturam vniuersalem, neque agens liberum, neq; separatum ab vniuerso putarunt. Hae autem abundè satis sunt ad verificandum, quod eum esse à natura accepimus Dei cognitionem; idest principia tum interna, tum externa, ex quibus in Dei cognitionem venieremus.

Aliqua veritas potest esse omnibus, sed mediate euidens.

9 Obijcies secundo: illa sunt per se nota nobis, quae statim cognitia terminis à nobis cognoscuntur, vt constat ex Aristotele 5. post. tex. 6. id attribuente primis principijs: scito enim, quid est totum, & quid pars, statim scitur quod omne totum est maius sua parte: sed intellecto quid significat hoc nomen, Deus, statim cognoscimus Deum existere; nam hoc nomine significatur id, quo maius excogitari nequit: maius autem est, quod est in re simul, & in mente; quàm quod est in intellectu tantum, vnde intellecto hoc nomine, Deus, statim cognoscimus Deum esse: ergo Deum esse, est per se notum.

Secundum argumentum ex eo, quod Deus sit, quo maius excogitari nequit

10 Duplicem huic argumento solutionem dat S. Thomas ar. 1. ad 2. primam sub dubitatione; quia forte qui intelligit hoc nomen, Deus, non intelligit significari aliquod, quo maius excogitari non potest; cùm quidam crediderint Deum esse corpus. Quod sufficit ad soluendum argumentum, & ad saluandum, quod non sit nobis omnibus per se notum dari Deū; seu id non demonstrari praesenti argumento. Secunda responsio est, *dato quod hoc nomine Deus quilibet intelligat id, quo maius excogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat, id, quod significatur per nomen, esse in rerum natura: sed in apprehensione intellectus tantum, Nec potest argui, quod sit in re aliquod, quo maius excogitari non potest, quod non est datum à ponentibus Deum non esse.* Hae sane verba secundae responsionis Sancti Thomae, quibus bene soluit argumentum in ordine ad punctum, quod non sit per se notum dari Deum: quia videlicet non est per se notum dari id, quo maius cogitari non potest; neq; enim ex ipsis terminis statim elucet eius existentia, sed opus est profundo, & subtili discursu: stante tamen ex ipsis terminis: quare mens S. Th. nō est, non probari hoc medio Dei existentiam; sed, ipsum medium non declarare immediatè suam existentiam. Attamen cum hoc medio ad probandam existentiam Dei vsus fuerit Sanctus Anselmus *l. contra insipientē, & in prosologio c. 3. & 4.* non est cur, vel praesumamus Sanctum Thomam putasse illud minus aptum ad finem intentum, aut absolute esse ineptum. His adde, hoc medio vsos etiam esse Albertum magnum, Abulensem, Altisiodorensem, & alios; ac nouissime illud acutissimo promouit Antonius Perez: & Esparza docet illud esse acutum. Verum de hoc puncto fusius infra.

Huic argumēto duas responsiones dat S. Thom.

Nō est per se notum dari id quo maius excogitari nequit.

11 Obijcies tertio: Haec propositio, Deus est colendus, est etiam nobis per se nota: ergo etiam haec alia, Deus est. Multi concedunt antecedens: ego puto illud esse falsum: quia Deū esse colendum supponit Deum esse, quod non est nobis per se notum. Igitur nobis per se nota est illa conditionalis, si Deus existit, est colendus.

Quomodo est per se notum Deum esse colendum.

12 Obijcies quarto: nobis per se notum est, hanc propositionem, Deus est, esse propositionem per se notam secundum se: ergo nobis per se notum est, Deum esse. Nego consequentiam: quia in antecedente, assumitur iudicium nostrum de illa veritate, quod iudiciū cadit sub immediatam nostrā experientiam, sicuti omne aliud nostrum iudicium: at in consequēti sermo est de existentia Dei, quae non est nobis per se nota, neque cadit sub nostram experientiam.

SECTIO II.

Vtrum demonstrari possit Deum esse?

1 CErtum esse debet apud Catholicos, Dei existentiam virtute luminis naturalis adeo esse patentem, vt non possit sine aperta temeritate negari. Hinc ab Apostolo ad Rom. 1. inexcusabiles dicuntur sapientes idololatrae, quia *cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerūt, sed euanuerunt in cogitationibus suis: & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Huius autem inexcusabilis culpę rationem praemiserat Apostolus, *quia*, inquit, *quod notū est Dei, manifestum est in illis, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas; ita vt sint inexcusabiles &c.* Accinit Apostolo dictum sapientiae 13. (*A magni-*

Est aperta temeritas, negare Dei existētiam.

Ex scriptura constat Dei existentiã posse demõstrari.

gnitudine autem speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator horum videri) ex illis autem verbis notum, manifestum, manifestauit, intellecta conspiciuntur, & similibus, communiter docent Theologi contra paucos nonnullos, ex fide, & scriptura constare, Dei existentiam demonstrari demonstratione non solum morali, sed etiam metaphysica.

Huius demonstrationis mediũ sunt creaturæ.

2 Ex ijsdem verbis apertè colligitur effectus diuinæ sapientiæ, bonitatis, & potentiæ esse medium satis aptum ad demonstrandam Dei existentiam: vt patet ex illis Apostoli (*inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt* (ecce medium) *intellecta conspiciuntur* idem indicant verba sapientiæ 13. Hinc non bene quis dixerit, nullum superesse efficax argumentum ad probandam Dei existentiam, quam negatiuum desumptum ex eo, quod non appareat repugnantia Optimi. Profectò Apostolus ad probandam inexcusabilem Philosophorum culpam, quia Deum non glorificauerunt, quem certissime, & euidentissime cognouerunt, non affert argumentum huius cognitionis inefficax, sed prorsus aptissimum, & efficacissimum; & tamen non affert tuum illud negatiuum fundatum in non apparentia: seu in mera ignorantia repugnantiæ; sed positiuum, & sunt ipsæ creaturæ visibiles. Non negauerim ex non repugnantia optimi, bene inferri eius existentiam: at illam non repugnantiam euidenter inferri ex non apparentia repugnantiæ, ne ipsi quidem argumenti negatiui Patroni affirmarint, qui suo argumento non tribuunt, nisi probabilitatem.

Falsum igitur est nullum ad hãc rem demõstrandam adesse argumentum nisi negatiuum.

Ineptitudo argumenti negatiui.

3 At quid? si Atheus ad probandum, Deum non esse, & repugnare, vtatur simile argumento negatiuo: nulla est necessitas optimi: quia nulla apparet: ergo non datur optimum: ergo repugnat? Respondebis negando antecedens: necessitatem autem assignabis, quia nulla apparet repugnantia optimi. Ecce duo principia ambo negatiua, ambo tibi amicissima; cui potius in hoc negotio fidas? Alterum amplectens, alterum damnes necesse est: nec minus verum est in necessarijs, quale est optimum, quod si nulla est necessitas, repugnet, quam quod si non repugnet, actu necessario sit.

4 Medium igitur positiuum, ex quo Dei existentiam iuxta scripturas demonstremus, sunt affectus diuini: quod inde confirmari potest: quia possumus per effectus nobis notos demonstrare existentiam cuiuslibet causæ, si effectus habent necessariam cum causa connexionem: creaturæ autem sunt effectus Dei, cum eo necessario connexi; vt est certissimum, & infra meliùs constabit, cum dabo huius veritatis demonstrationem, quam hic tantum indico, assignando locum magis obuium, ex quo desumenda sit ea demonstratio.

Quomodo fides se habet ad existentiam Dei.

5 Vrgebis primo: quæ sunt fidei, non sunt demonstrabilia: quia demonstratio facit scire, & est de apparentibus: cum fides ex Apostolo ad Hæbr. 11. sit de non apparentibus: sed Deum esse est articulus fidei. Sanctus Thomas citatus art. 2. ad 1. negat minorem; nam quæ per lumen naturale nota possunt esse de Deo, non sunt articuli fidei: sed præambulã ad articulos fidei: quia nimirum licet requirantur ad fidem, non per se spectant ad illam; rationem optimam dat Angelicus, quia fides præsupponit cognitionem naturalem, sicuti gratia supponit naturam, & sicuti perfectio perfectibile. Cum quo benè cohæret, hanc veritatem esse reuelatam, & posse ab eo credi per fidem, qui non assequitur demonstrationem. Quare eadẽ veritas, respectu vnius est demonstrabilis, & respectu alterius est credibilis. Ex quo patet, satis bene prouisum esse, vt etiã per scripturas nobis proponeretur Dei existentia; quò videlicet rudiores, qui bene non penetrant vim rationum, habeant vnde firmissime hæreant illi veritati. His adde, viros doctos, quamuis alias bene perceperint illas demonstrationes, cum tamen de Deo meditantur, non esse cogendos cum periculo distractionis noxiæ ad illas reflectere, ac recurrere ad media demonstrationis; sed posse assentiri huic veritati ex reuelatione: verum de hoc, cum de fide.

Mediũ demonstrationis, quia non est definitio.

6 Vrgebis secundo: medium demonstrationis est definitio, seu quod quid est: sed de Deo, non possumus scire quid est, vt dicit Damascenus l. 1. c. 4. sed solum quid non est &c. Respondet ad secundum Sanctus Thomas, maiorem esse veram de demonstratione à priori, & propter quid, non de demonstratione à posteriori, & quia, in qua necesse est vti effectu, loco definitionis causæ, ad probandam causam esse; vti contingit in Deo.

Contingẽs potest esse medium ad demonstrãdam existentiam causæ necessariæ.

7 Vrgebis tertio: creaturæ existentes sunt contingentes: ergo ex illis non potest aliquod demonstrari; quia principia demonstrationis sunt necessaria, & necessario connexa cum re, quæ demonstratur. Nego consequentiam: quia sicuti, quamuis contingentes, possunt terminare cognitionem sui exprimentalem, ac infallibilẽ; ita & infallibiliter inducere cognitionem suæ causæ, & præcipuè primæ; quia in se ipsis experimentaliter cognitis, & bene penetratis euidentissime declarant necessariam connexionem sui cum Dei existentia. Ad rationem in contrarium dico, illam verificari de demonstratione propter quid, non de monstratione, quia, & ab effectu: in qua & si principia sint in se contingentia, tamen ex suppositione quod sunt, necessario connectuntur cum re demonstranda.

Sicuti effectus improportionatus.

8 Vrgebis quarto: Creaturæ sunt effectus improportionati respectu Dei, cum non adæquent eius perfectionem, & virtutem: ergo nõ sunt medium aptum ad demonstrandam existentiam Dei. Nego consequentiam: effectus creati, vtpote improportionati, non possunt adæquate declarare diuinam perfectionem: sed vt necessario connexi cum existentia suæ causæ, sunt medium aptissimum ad demonstrandam suæ causæ, & Dei existentiam.

SECTIO III.

Demonstratur ex creaturis Deum esse.

Demonstratur existentia Dei.

1 QVinque tatinnibus desumptis ex quinque illis prædicatis, quæ certum est apud omnes, esse propria prædicata Dei, probat Sanctus Thomas citatus art. 3. Deum existere. Ego vnam hic afferam, quam communiter sequuntur Authores, & in qua continetur vis reliquarum, vt infra fortasse declarabo. Rationem sic propono: causa Incausata est Deus: datur causa incausata: ergo datur Deus. Maior est communis conceptus: minor probatur: multa de nouo consurgunt in hoc vniuerso, vt patet experientia, quæ non possunt esse à se; aliter cur nunc sunt, antea nō erant, cur non semper extiterunt? Rursus illis visis statim ex naturæ quodam impetu consurgit curiositas sciendi illorum causas: ergo ex lumine naturæ habemus illa esse effectus de nouo causatos, & habere suam causam; non esse sibi sufficientia, sed aliunde expectare esse: tum sic arguo: vel causa horum effectuum est causata, vel non est causata: si secundum, iam datur causa incausata, quæ sit prima omnium causarum: si primum; illa causa prior est causata, vel non? quodcumque dixeris redit argumentum. Deueniendum est igitur ad aliquam causam incausatam.

Quia necessario existit causa incausata.

Quod argumentum vim habet, & si admittas processum in infinitum in causis.

2 Respondebis primò; non repugnare processum in infinitum in causis: non igitur deueniendum est ad aliquam primam causam. Sed contra primo, quia admisso processu in infinitum in causis siue per se, quæ nimirum actu influunt in effectum, vel immediatè, vel mediatè; quia actu influunt in causas illius: siue in causis per accidens, quæ influxerunt quidem in causas effectus, sed actu non influunt in illas: quare non sunt necessaria ad existentiam effectus: sic auus quamuis causauerit patrem, non est causa per se nepotis, quia non est necessarius ad existentiam nepotis: cum pater existat sine illo; admisso inquam processu in infinitum in causis argumentum non amittit suam vim: nam tota hæc multitudo effectuum, & causarum est causata: ergo extra illam debet admitti aliquod illius principium incausatum, ne dicamus, quod vel tota collectio sit causa sui, vel aliqua illius pars dum causat totam collectionem formaliter sumptam, causet etiam se ipsam, vtpote inclosam in illa collectione. Antecedens, quod tota illa multitudo, seu collectio indiuisibiliter accepta sit causata, probatur; quia si non est causata; ergo est incausata, à se, & necessariò existens, vt primus conceptus præsuppositus ad reliquos omnes accidentarios; qui siue accedant alij, siue non, immotus, & inconcussus perseuerat: hic enim est conceptus rei necessariæ: ergo illa collectio necessario, est, & immota perseuerat, siue accedant eius partes contingentes, siue non: ergo est in priori, tum temporis, tum indifferentiæ ad omnes partes, ex quibus conflatur: ergo non est collectio illarum partium, & effectuum. Hæc, si bene penetrentur, sunt apertissima demonstratio.

3 Contra est secundo: tota hæc collectio effectuum est causata, & sibi insufficiēs ad essendum: ergo habet extra se principium à quo causatur: antecedens probatur collectio causatorum, & insufficientium ad essendum, est absolute insufficiens sibi ad essendum, & causata. Hoc argumentum ego puto satis euidens. Sed posset Atheus respondere, non valere argumentum à distributiuo ad collectium, & ad id afferre multa exempla; idenque opus esset discutere, quando valet à distributiuo ad collectium; quod me fecisse memini *l.8. phys.* dum agerem de æternitate creaturæ: ideo sufficit hic hanc rationem indicasse: cum præsertim de hoc puncto fusè agant PP. Perez disp. 1. de Deo, & Pallauicinus de Deo c. 5.

Impugnatur causarum processus in infinitum

4 Contra est tertio: quia in processu intentionali ex parte intellectus nulla est demonstratio, quę non resoluatur in aliquod primum principium per se notum; & ex parte voluntatis nullus motus, qui non resoluatur in aliquam vltimum finem per se amatum: ergo in effectibus contingentibus nullus est, qui non resoluatur in aliquod primum principium incausatum & necessarium. Neque verò minus absurdus putari debet processus infinitus in finibus, vel principijs demonstrationis, quàm in causis realibus: quia sicuti admisso processu in infinitum in causis, & principijs demonstrationis, non datur determinata causa demonstrationis, vnde illa determinate sit; & dato processu in infinitum in finibus, non datur determinatus finis, à quo moueatur voluntas; ita admisso processu in infinitum in causis, non datur determinata causa, vnde effectus fit. Alij processus in infinitum actuum reflexorum v. g. vel dierum, qui futuri sunt à parte post, non sunt absurdi, quia non sequitur aliquod dari, cuius nō detur causa adæquata, & determinata.

Recursus aduersariorum ad mutuam causalitatē

5 Replicabis, totam illam collectionem causarum, & effectuum esse causatam, licet non habeat causam extra se: quia licet quilibet effectus habeat suam determinatam causam adæquatam à se contradistinctam; tamen hæc eadem causa causatur à suo effectu: ex quo sic posset quis, ad infringendam vim allatæ demōstrationis, discurrere: mutua causalitas non est euidēter falsa: posita autem mutua causalitate, iam quilibet effectus habet suam determinatam causam; neque necesse est deuenire ad causam incausatam; nam prima illa causa huius effectus causatur, vel ab hoc, vel ab alio suo effectu.

6 Sed contra, quia dato, quod ex suo conceptu mutua causalitas quoad primum esse non sit euidenter repugnans: repugnans tamen euidenter est mutua causalitas inter duo, quæ non supponant aliud superius, & commune vtriusque principium: est igitur necessitas admittendi illud commune principium, vtriusq; vtique

vtrique incausatum. Antecedens quo ad secundam partem probatur: duo quæ mutuò se causant, vel sunt conceptus necessarij, vel contingentes? si contingentes, ergo potest vtrumque deficere; à quo igitur, vel vtrumque, vel illorū alterum determinatur vt sit? non à se ipso; aliter esset ens à se: non ab altero; quia neque illud alterum est: neque ab alio principio superiori, & incausato, quod negas. Eo autem superiore principio admisso non ita clarè apparet repugnans, quod duo sint sibi mutuò causæ; quia iam datur tertium illud principium, quod determinet illa duo ad simul essendum, & se mutuò causandum.

7 Si dicas illos esse conceptus necessarios; quæro: conflatum ex vtroque est necessarium, vel contingens? secundum est aperte falsum; cum enim illi duo conceptus necessariò semper sint simul, implicat conflatum illum non semper esse, aut deficere: si autem dicas esse necessarium; quæro iterum; est illud conflatū causatum, vel non? si secundum; ergo est incausatum, à se, necessarium, & independens, ac sui iuris: partes autem illud conflantes debent ab illo dependere; quia ex vna parte inter illud conflatum, & eius partes est necessaria connexio; neque enim haberi potest illud conflatum sine partibus, neque partes illæ, & causæ possunt esse sine illo conflato: ex alia vero illud conflatum, vt datur in hac responsione, est incausatum, & independens à partibus: ergo & est in priori ad partes, & habet vim illas trahendi: ergo verè est ratio cur partes sint: ergo illud conflatum verè causat ambas illas partes: ergo primò partes causant se ipsas, cum includantur in eo conflato, & sint ipsum conflatum. Secundo ergo conflatum causat se ipsum ob eamdem rationem. Tertiò ergo in eo priori signo independentiæ intelligitur conflatum independens, & consequenter intelligitur constitutum independenter à quocumque alio, & ab ipsis suis partibus: quo nihil excogitari potest magis ridiculum. Quarto illud, quod appellas conflatum, est aliquod omnino simplex, independens, improductum, à quo promanant reliqua; & Deus, quem quærimus.

8 Si vero dicas, illud conflatum esse causatum; vrgeo: quamuis singulæ partes illius conflati habeant causam, vnde sint, nempè alteram partem; totum tamen conflatum non habet causam extra se, à qua intelligatur esse. Confirmatur, quia si conflatum est causatum, in priori ad illud intelligitur potentia ad illud: hæc autem potentia ad conflatum non potest esse nisi aliquod principium superius, omnino improductum, & necessarium, quod quærimus. Et sanè nisi deueniamus ad aliquod necessarium, & improductum rerum omnium principium, non essent possibiles res contingentes: quia cum in priori quàm sint: possint esse, & possint non esse, non possent determinari ad esse potiùs, quàm ad non esse: quia nō possent determinari à se ipsis, cum non intelligantur esse, nec possint se ipsas causare; neque ab alio principio, quod non admittis.

9 Qui benè ponderat hanc rationem, facilè animaduertet, ad hanc reuocari posse omnes quinque rationes, quas Sanctus Thomas prosequitur loco citato, & quas subtilissime examinant, & promouent Doctores. Ego vt breuitati consulam, & ne actum agam, ab eo negotio abstineo. Ab eisdem principijs multas rationes acutissimè de more eruit Antonius Perez citatus, quas ego breuiter alibi notabam, & videri possunt apud ipsum. Illud tantum addo ex Pallauicino l. 3. c. 5. de Dei existentia demonstrationes, quamuis euidentissimas, non esse cunctis obuias, præsertim ijs, qui ægrè aliquid percipiunt abstractum à sensibus, & imaginatione.

SECTIO IV.

Probatur Dei existentia ex eo quod Deus careat omni defectu, & sit optimus.

1 HAnc rationem desumptam ex S. Anselmo ingeniosissimè promouet Antonius Perez citatus: nec multo ab eius mente longè aberrant Maurus, & Esparza: illam communiter reijciunt recentiores. Ego puto illam validissimam ad conuincendum quemcumque intellectum benè dispositum, nec pertinacem: eam duplici via prosequor: prima ex conceptu negatiuo carentis omni defectu; secunda ex positiuo optimi.

Dei existentia probatur: quia Deus caret omni defectu: quia est optimus

2 Primam viam sic propono: carens omni defectu necessario absolutè, & in se est: Deus est carens omni defectu: ergo Deus necessario absolutè in se est. Maior probatur: carens omni defectu non est chimæra, neque contingens: ergo absolute necessario in se est. Consequentia est satis euidens penetranti terminos: antecedens quo ad primam partem probatur; quia esse chimæram est maximus defectus, est rem deficere a suo esse, seu ipsam non esse ipsam: ergo carens omni defectu non est chimæra. Confirmatur: nullum absolutè bonum est chimæra: carens omni defectu est absolutè bonum: ergo carens omni defectu non est chimæra: maior probatur: nulla chimæra est absolutè, & ex vero iudicio amabilis, vel eligibilis, ipsa, aut coniunctio cum illa; nam illam eligere est frustra eligere, & niti; quod stultum est & contra dictamen omnis veri iudicij: omne autem absolutè bonum, est absolutè amabile, & ex vero iudicio eligibile, vel ipsum, vel coexistentia cum ipso; vt patet: ergo nullum absolutè bonum est chimæra. Minor confirmationis, quod videlicet carens omni defectu sit absolutè bonum; probatur: quia est absolutè, ex vero iudicio amabile, & eligibile longè prudentiùs, quam habens aliquem defectum; quod non nisi stultè, & terminis non benè penetratis negari potest, inquit Perez. Secunda

pars de contingentia confirmatur; quia esse contingens, & posse non esse, est maximus defectus: ergo carens omni defectu non est contingens.

Impugnatur responsio, quæ videtur esse S. Thom.

3 Contra hanc rationem non habet vim responsio, quam aliqui sibi desumpsisse videntur ex S. Thoma hic q. 2. ar. 1. ad 2. quod videlicet carens omni defectu tantùm existat in apprehensione, non in se: & quod hoc argumentum videatur supponere ipsam Dei existentiam; non habet, inquam, vim: quia decursus ipse argumenti apertè declarat necessitatem, quod carens omni defectu existat in se; & quod apprehenso hoc termino, necessariò apprehendimus aliquod in se existens: sicuti apprehenso Deo necessariò apprehendimus aliquod non solum in apprehensione, sed etiam in se existens: cum eo tamen discrimine, quod terminus ille, Deus, non euidenter statim declarat suam existentiam; neque ex illo, nisi per alios terminos declaratos, possumus euidenter inferre existentiam primi entis: at carens omni defectu, si benè penetrentur termini, & per varias comparationes, & reflexiones, explicentur, per varios, & euidentes discursus, euidenter declarat suam existentiam realem, & extra animam: quia habere existentiam tantùm in apprehensione, & intra animam, ac esse chimæram, est maximus defectus. Neque obstat

Explicatur S. Thom.

authoritas S. Thomæ, de quo supra satis diximus: intentum enim Sancti Doctoris est, quod existentia eius, quo melius excogitari non potest, non sit nobis statim ex ipsis terminis nota. Quod confirmatur; quia Sanctus Doctor non fuit solicitus soluere rationem, quam arguens affert ad probandum, quod id, quo maius excogitari non potest, necessario est: argumentum autem erat: quia maius est, quod est in re, & in intellectu simul, quàm quod est in intellectu tantum. Et iure quidem: quia eo ipso quod aduersarius probat assumptam veritatem alijs terminis, iam declarat, assumptam veritatem non esse per se nobis notam; quod intendebat S. Doctor; quamuis ratio ad illam probandam sit euidentissima; vt euenit in re nostra.

Dei existētia demonstratur independenter a creaturis tamquam a medio assensus, non tā quam à medio apprehensionis.

5 Dices: ergo iam independenter à creaturis demonstramus existentiam Dei; nimirum ex conceptu aliquo proprio Dei. Distinguo consequens independenter à creaturis tamquā à medio assensus; concedo: neque in hoc video aliquod absurdum, quod detur demonstratio existentiæ Dei ex medio non create: neque enim per hoc excludimus alia media creata laudata in scripturis: independenter tamquam à medio apprehensionis; nego: nam conceptus hic, carens omni defectu, formatur à nobis dependenter à sensu, & à creaturis: nam dependenter à sensibus cognoscimus aliquas creaturas habere defectus, quos aliæ excludunt; ex quibus formamus conceptum defectus, conceptum carentis defectu, & conceptum omnis; eosque conceptus inter se combinando, ac vniendo, formamus conceptum illum ex modo nostro concipiendi complexū, & proprium solius Dei, nempe carens omni defectu. Hæc igitur nostra ratio non supponit Deum inquisitum & in se ipso cognitum à nobis; quod est absurdum: simile quid accidit in conceptu optimi, seu includentis omnem perfectionem.

Ex dicto arguendi modo non infertur, quod vel lapis carens omni defectu, vel multitudo Deorū carens omni defectu, vel Trinitas necessario existat.

6 Dices secundo: ex hoc arguendi modo posset quis inferre primò, quod aliquis lapis necessariò existit; quia lapis carens omni defectu necessariò existit. Secundò, quod multitudo Deorum necessariò existat; quia duo carentes omni defectu necessario sunt; cum neque chimara sint, neque quid contingens. Tertiò euidens esse mysterium Trinitatis; quia vnum in natura, & trinum in personis carens omni defectu, ob allatam rationem necessariò existit. Nego has omnes consequentias: ratio est, quia hic terminus, carens omni defectu, sine vllo addito, & incomplexè, ac substantiuè sumptū excludit explicitè omnem defectum; & eo modo sumptum est medium aptissimum ad inferendam hanc veritatem, Deus est. At si idem terminus sumatur adiectiuè, & apponatur alicui subiecto, accidere potest, vt repugnet illi subiecto, tempore essentialiter inuoluenti imperfectionem; & consequenter, quod totum complexum sit repugnans. Secundo accidere potest vt licet subiectum, cui adiacere apprehenditur ly carens omni defectu, verè non dicat aliquem defectum; id tamen non sit euidens lumine naturali; ideoque euidens non sit, quod illud complexum existat: primo modo res accidit in primis duobus exemplis, lapis carens omni defectu, duo carentes omni defectu: quia & lapis dicit aliquem defectum, & vt suppono, dualitas in naturis dicit etiam defectum: secundo modo accidit in tertio exemplo; quia licet verissimum sit, vnum in natura, & trinum in personis carere omni defectu; id tamen non est euidens. Eodem modo discurrendum est, si argumentum fiat in termino illo, optimum.

Non est idē carens omni defectu existit, ac existens existit.

7 Dices tertio: hæc propositio, carens omni defectu existit, eadem est quo ad vim declarandi, & inferendi veritatem existentiæ, ac illa, Petrus existens existit: sed hæc secunda propositio ridicule assumitur ad inferendam existentiam Petri. Nego maiorē: quia in nostra propositione non assumitur ex parte subiecti explicitè existentia probanda; neque assumitur aliquod indifferens ad existendum, cui ex parte eiusdem subiecti affigatur existentia, quæ deinde prædicatur: sed assumitur terminus, qui non est explicitè existentia, neque eo nomine declaratur; & de eo prædicatur existentia; & probatur, quod ex suo conceptu existat: qui est rectus procedendi modus, non supponens aliquod, quod est in quæstione: sicuti qui ex conceptu hominis probat, quod homo sit risibilis, vel etiam animal rationale, benè procedit, nec supponit aliquod quod est in quæstione. At qui dicit, Petrus existens existit, iam supponit ex parte subiecti Petrum existere, quod est in quæstione; & affigit Petro prædicatū existentiæ, ad quod Petrus est indifferens.

Se-

Secunda Via.

Ex conceptu optimi demonstratur existentia Dei.

8 Hac desumitur ex prædicato positiuo optimi, seu includentis omnem perfectionem simpliciter simplicem; hoc est, vt suppono ex tractatu de Deo, quæ potest separari omni imperfectione, vt sic simplex perfectio: & respectu cuiuscumque subiecti absolute melius est illam habere, quam ea carere: talis, exempli gratia, est perfectio sapientiæ. Hoc posito, sic formari ex hoc capite potest argumentum. Optimum, seu cumulus omnium perfectionum simpliciter simplicium, necessario est: Deus est optimum quid, & cumulus omnium perfectionum simpliciter simplicium: ergo Deus necessario est. minor est certa; hoc enim intelligimus nomine Dei: maior probatur: optimum, seu cumulus omnium perfectionum simpliciter simplicium non est contingens, neque chimæra: ergo necessario est in se: antecedens quo ad contingentiam probatur; quia contingentia est imperfectio, indefectibilitas illi opposita est perfectio: ergo optimum, & cumulum omnium perfectionum excludit contingentiam, & includit indefectibilitatem: excludit enim omnem imperfectionem, & includit omnem perfectionem simplieiter simplicem: hoc enim intelligimus nomine optimi, & cumuli omnium perfectium. Et quidem longè perfectius est, & melius habere indefectibilitatem, quam illa carere, vt patet consideranti. Eodem ferè medio probatur secunda pars, quod optimum, & cumulus ille non sit chimæra; quia esse chimeram, vt vidimus, est maximus defectus excludens omnem veram perfectionem: ergo optimum non potest esse chimæra; aliter includeret in suo conceptu imperfectionem maximam & excluderet magnam perfectionem, scilicet non esse chimæram: quod profectò respectu cuiuscumque subiecti melius est illud habere, quàm non habere.

Confirmatur optimũ non esse chimæram.

9 Multa in confirmationem allatæ veritatis adduci possunt: primò quia non esse chimæram non est defectus; non esse optimum est apertus defectus. Rursus benè quis reputatur deficiens, si non attingat optimum; & nemo reputatur deficiens si non attingit chimæram. Tertiò, optimum est bonum quid euidentius omni alio bono: ergo non est chimæra, quæ, vt vidimus, non est bonum ex vero iudicio amabile: cum tamen ratio recta dictet, optimum esse amandum, & quærendum, vt in eo tandem quiescat animus, impotens quiescere in aliquo deficiente, quod illum suo defectu à se repellit: quare ne dicamus omnes huiusmodi animi motus esse frustra inditos, ac niti in chimæram, debemus concedere optimum, in quo tandem quiescat animus.

Si Deus est cur mali bene se habent, & boni vexantur.

10 Dices: si Deus est, cur ergo mali bene se habent; vexantur iusti? Respondet Sanctus Thomas q. 2. ar. 3. ad 1. ex Augustino in Enchiridio, quod Deus cù sit summe bonus, nullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens, & bonus, vt benefaciat etiam de malo. Spectat igitur, vel in primis ad Dei prouidentiæ dignitatem ordinatis in hac vita sanctis iustorum operibus, ac permissis iniquorum peccatis, his æternas poenas, illis præmia æterna reseruare: no videlicet ad opus virtutis iusti moueantur ex puro commodo vitæ temporalis; & vt à malo homines exterreantur, non puris temporalibus poenis, quæ facilè contemni possunt; sed præcipuè æternis. Interdum autem, nec infrequenter, Deus etiam in hac vita iustos bonis afficit, & malos non leuiter torquet; vt eo etiam medio, velut expergefacti homines, moueantur ad Dei timorem, & amorem. Cæterum ex mala moralia, quæ à Deo permittuntur, neque nocent alicui eius perfectioni, neque ab eius absoluta voluntate discordant, sed tantùm ab eius prohibitione, & præcepto; de quo puncto fusiùs Theologi.

Spectat ad Dei prouidentiam mala permittere, ex quibus bona elicit.

Ex peccatis probatur Dei prouidentiæ existentia.

11 Addit Antonius Perez; si qua parte mundus malè gubernatur, certè id contingeret ex illa, qua gubernatur ab impijs, & Deum non timentibus: vnicum autem remedium est, Deo subijci. At qua parte à Deo gubernatur, non nisi optimè gubernatur. Sed profectò vel mundus benè gubernatur, vel malè: si primũ; ergo habet Deum gubernatorem: si secundũ; ergo debuit benè gubernari: ergo datur potentia bene gubernandi, qualis est solus Deus respectu vniuersi. Posset quis hic inserere multas quæstiones circa possibilatem, & existentiam Angelorum; sed puto illud negotium theologicum.

BREVIS DISQVISITIO

Quæ entium genera, & quas rerum species putandum est nunc existere?

1 INseruiet hæc disputatio ad decidendas plures ex quæstionibus de possibili, quæ hoc tempore agitantur in scholis. Si enim definiatur, debere hunc mundum, seu vniuersum continere omnes species, & gradus entium possibiles intra latitudinem tantæ, & tantæ, vel talis perfectionis; profectò, si is gradus, aut species defacto non existat, putandus est repugnare.

Datur creatura omniũ existentiũ perfectissima.

2 Sciendum ergo est, hunc mundum, seu vniuersum sapientissimè à Deo constitutum habere determinatos gradus suæ perfectionis; ita vt detur defacto creatura omnium, quæ existunt perfectissima; & creatura item omnium, quæ existunt imperfectissima: intra quos duos terminos clauditur tota perfectio huius vniuersi extra Deum constituti.

3 Iam vero hic præcipuè sermo est de perfectione substantiæ, & quidem completæ, quæ absolute est ens: cum in ea, veluti in prima radice, fundentur omnia accidentia, & ad eius constitutionem ordinentur substantiæ incom-

completę. Et quidem determinato quæ substantiarum genera, & species debeat hic mundus continere, facile erit decidere quæ genera, & species accidentium ad eius perfectionem spectant: illa videlicet, quæ debentur illis generibus, & speciebus substantiæ, easque perficere nata sunt.

Inter substantias creatas cõpletas supremum locum obtinet intellectiua adæquate spiritualis.

4 Sciendum est secundo, inter genera substantiarum creatarum completarum naturaliter existentium, quin etiam possibilium, supremum omnium esse, substantiam completam adæquatè spiritualem, intellectiuam simul, & volitiuam: nullum enim genus entis creati excogitari potest superius iam dicto; & si excogites creaturam perfectiorem, & perfectiorem, vel non attingit ad gradum intellectiui, & volitiui, & sic est inferior iam dicto; vel attingit, & sic continetur sub dicto gradu, & genere, nec illud excedit. Infimum autem omnium est substantia completa adæquatè materialis, & omnino mortua, seu nullo modo viuens: quia non possumus excogitare gradum substantiæ completæ creatæ possibilem, inferiorem iam dicto; quemcumque enim gradum licet imperfectiorem, & imperfectiorem excogitaueris, vel nõ descendit ad imperfectionem dicti gradus, vel sub illa continetur. His positis.

Infimum obtinet substantia materialis omnino mortua.

Dantur defacto omnia genera entiũ seu substãtiarum cõpletarum quarum perfectio est maior infimo, & minor supremo ex dictis duobus generibus: sed cũ duobus limitationibus, quod non sint incompossibilia, nec trahant processum in infinitum.

5 Dico, probabile esse, quod defacto dentur omnia genera entium, seu substantiarum completarum possibilium, quorum perfectio continetur intra latitudinem duorum illorum extremorum; ita videlicet, vt excedant perfectionem secundi, & non attingant ad perfectionem primi; si talia genera sint ex suo conceptu inter se, & cum reliquis existentibus compossibilia; ac præterea, ex eo quod debeat aliquod illorum existere, non sequatur propter identitatem rationis processus in infinitum.

6 Et quidem hæc duplex limitatio confirmatur, quia cum repugnet tum processus in infinitum in rebus actualibus, tum vt coexistant incompossibilia, non potest hoc vniuersum exigere ad sui perfectam constitutionem, vt sit necessitas vel ponendi illos gradus, ex quorũ positione sequatur processus infinitus, vel dentur gradus incompossibiles constituentes chimærã.

Debent defacto dari omnes gradus quos hoc vniuersum ad sui perfectam constitutionem exigit.

7 Tum sic probo conclusionem: debent de facto existere omnes gradus entium, quos hoc vniuersum exigit ad sui perfectam constitutionem: sed mundus hic, seu hoc vniuersum exigit ad sui perfectam constitutionem omnes illos gradus, si sunt possibiles: ergo omnes illi gradus, si sunt possibiles, debent defacto existere: maior probatur; aliter hic mundus non esset perfecte constitutus iuxta suam exigentiam, neque esset opus Dei perfectum: neque enim est opus perfectum, quod non est perfectè constitutum iuxta suam exigentiam, seu quod non habet perfectionem quam exigit: quod esse absurdum patet; tum quia Dei perfecta sunt opera, vt testantur Sacræ literæ; tum quia opus ita imperfectum non est aptum excitare laudem artificis, qui est finis, quem ad extra intendit Deus.

Omnes gradus medij faciunt ad vniuersi naturalem perfectam constitutionem.

8 Minor probatur: hoc vniuersum exigit omnes gradus entium facientes ad sui naturalem perfectionem: quia exigit habere omnem suam naturalem perfectionem; sed omnes illi gradus medij faciunt ad naturalem perfectionẽ huius vniuersi, si sunt possibiles: nam si sunt impossibiles, non possunt spectare ad constitutionẽ alicuius entis realis: ergo illi gradus medij possibiles exiguntur ab vniuerso: minor probatur: ad perfectionem naturalem vniuersi constãtis duobus extremis altero supremo altero infimo spectat omnis perfectio possibilis media inter duo illa extrema, seu (quod idem est, & inseruit ad impugnandas distinctiones, quæ afferri possent) perfectio naturaliter debita vniuerso constanti duobus extremis, altero supremo, altero infimo, est omnis perfectio media dicto modo possibilis: ita vt si velimus decidere, quæ perfectio sit naturaliter debita huic mundo ita constituto, dicendum sit esse omnem mediam clausam, & dicto modo possibilem, inter illa duo extrema: sed hoc vniuersum constat illis duobus extremis, & omnes gradus entium dicto modo possibiles sunt perfectio media inter illa duo extrema: ergo &c.

Hoc vniuersum debet habere omnem perfectionem cuius est naturaliter capax.

9 Minor est certa: maior probatur; quia vniuersum constans dictis extremis est imperfectum, nisi habeat eos omnes gradus; quia caret ea perfectione, cuius est capax ex natura sua: si enim definiendum sit, cuius perfectionis sit naturaliter capax hoc vniuersum; dicendum est omnis naturalis inter illos duos gradus possibilis: & si velis decidere, quænam sit in hoc vniuerso naturaliter possibilis; certè dicendum est, omnem quæ sit naturalis, & clausa inter illa duo extrema. Et sanè quod omnis substantialis gradus possibilis inter illa duo extrema sit naturalis, inde confirmari potest primo; quia repugnat, vt communissimè docent Theologi, substantia creata non naturalis, seu super naturalis; cum omnis substantia sit natura, vel pars naturæ, aut terminus illi debitus. Secundo quia si extrema illa sunt naturalia, media inter illa clausa non sunt nisi naturalia.

10 Dices primo: quamuis mundus sit capax naturaliter illius perfectionis mediæ non tamen debet dari ea perfectio. Sed contra, quia mundus est opus absolutè perfectum, & perfectissimum omnium: ergo debet habere plenam, & completam perfectionem, non dimidiatam: ergo debet habere omnem perfectionẽ, cuius est naturaliter capax; & ex cuius existentia nõ sequitur vel processus in infinitum, vel compositio incompossibilium. Confirmatur: quia, quamuis ens particulare non necessario debeat habere bonum, cuius est naturaliter ex se capax; quia videlicet bonum vniuersi aliquando exigit, vt spolietur eo bono, quin etiam bono, quod naturaliter exigit: tamen hæc ratio cessat in vniuerso; quod debet continere bonum vniuersale, & plenum, ac absolutè perfectum in suo ordine. Præterea bonum, cuius subie-

ſubiectum eſt naturaliter capax, non eſt merè gratuitum reſpectu illius ſubiecti; aliter eſſet ſicuti dona gratiæ comparata cum ſubſtantia intellectuali creata; quorum nemo dixerit naturam intellectualem eſſe naturaliter capacẽ: ergo eſt ſaltem pro aliqua circumſtantia debitum, & exactum à ſubiecto, quod eſt eius capax quod non erit difficile firma inductione confirmare.

11 Dices ſecundo: ſunt poſſibiles plures rerum ſeries: ergo non repugnat ſeries vniuerſi quod clauſum illis duobus extremis non claudat genera media. Nego conſequentiam: ratio patet ex dictis. Aliæ igitur ſeries, vel non clauderentur hoc duplici extremo, de quo nolo controuertere; vel continerẽt alia indiuidua, vel etiam alias ſpecies Angelorum ſuperiorũ.

Non coarctamus obiectum diuinæ Omnipotentiæ

12 Dices tertio: nimis coarctamus obiectũ Diuinæ Omnipotentiæ. Nego aſſumptum: nam primo probauimus neceſſitatem, quare de facto debeant exiſtere omnia illa genera media. Secundo, poteſt Deus ſupra primum Angelum creare alios perfectiores, & perfectiores in infinitum, & rerum materialium indiuidua plura, & plura ſine termino.

Vnde necessitas admittendi hunc gradum non trahat processum in infinitum.

13 Dices quarto: da mihi regulam, vnde poſſim dignoſcere neceſſitatem admittendi exiſtentiam huius gradus poſſibilis, non trahere proceſſum in infinitum. Reſpondeo: ex neceſſitate admittendi exiſtentiam gradus poſſibilis, qui veluti contradictorie opponitur alteri gradui, de cuius exiſtentia conſtat, non ſequitur proceſſus in infinitum: ſolum enim ſequitur, quod debeant admitti aliqua, vel aliquæ ſpecies, & indiuidua illius gradus v. g. ſi datur hic gradus entis, materiale cognoſcitiuum intellectiuum, & poſſibile eſt materiale cognoſcitiuum non intellectiuum, debet etiã admitti hic gradus; & ex eo, quod admittatur, nõ ſequitur proceſſus in infinitum: ſi vero ſenſitiui non intellectiui ſint poſſibiles ſpecies perfectiores, & perfectiores ſine fine, licet ſit neceſſitas admittendi aliquam ſpeciem, in qua contineatur ille gradus, non tamen ſpecies perfectior, & perfectior ſine fine; aliter eſſet neceſſitas procedendi in infinitum. Quæ igitur participant idem prædicatum veluti genericum, & ſolum differunt, quia illud prædicatum perfectius participatur ab vno, quam ab alio, poſſunt dici quod ſpectant ad idem genus: quæ vero differunt, quia participant veluti prædicata oppoſita, ſpectant ad diuerſum genus.

14 Ad hanc reuoco regulam, & rationẽ huius rei, quam tradit Perez d. 1. *de voluntate* c. 4. n. 32. vbi docet Deum feciſſe omnes gradus rerum naturaliter poſſibilium quod ego intelligo de ſubſtantijs, quæ ſunt abſolutè res, & ens quorum exiſtentia melior eſt ad complementum vniuerſi, quam non exiſtentia: niſi forte exceſſus exiſtentiæ ſupra non exiſtẽciam ſit talis, vt ex debito naturali exiſtentiæ ſequatur proceſſus in infinitum: ſic non debent exiſtere duo mundi, quia melius quid eſſet duplex mundus, quàm vnus: aliter ex eodem principio deberent exiſtere plures, & plures mundi ſine fine, cum tamen in natura ſit debitum conſtituendi aliquem finem: infinitum enim, vtpote carens ordine, debet putari impoſſibile.

Non debet de facto dari Angelus superior supremo existenti.

15 Ob eamdem rationem non eſt debita exiſtentia Angeli perfectioris, quàm ſit ſupremus exiſtentium; quia propter identitatem rationum cogeremur ad infinitum proceſſum. Tum addit, eius exiſtentiam putandam meliorem, quàm non exiſtentiam, quæ neceſſaria eſt vt maneat diſtinctus in rerum natura vnus gradus poſſibilis ab alio: ſic vt maneat diſtinctus, & inſigniter notatus gradus ſubſtantiæ creatæ à gradu viuentis, neceſſarius eſt, gradus ſubſtantiæ inanimatæ, & vt gradus viuentis ſit diſtinctus a gradu ſenſibilis, neceſſaria eſt exiſtentia plantarum viuentium ſine ſenſu; & ſic de reliquis. Tum multis vrget rationem ex appetitu eminentiæ actualis; quam rationem nolo hic diſcutere. legatur Pallauicinus l. 8, c. 19. a n. 185. & l. 8. c. 2. a nu. 6. & Eſparſa q. 1. *de Angelis*.

Dantur de facto actu, vel virtute omnes species inter se compossibiles possibiles inter perfectissimã, & imperfectissimã, substantiã completam actualem.

16 Dico ſecundo: probabile eſt, dari actu, vel virtute omnes ſpecies poſſibiles, & compoſſibiles inter primum ens de facto creatum, & infimam ſubſtantiam completam actualem: probatur, quia id totum ſpectat ad perfectionem huius vniuerſi, vt facile colligi poteſt ex dictis: dixi, actu, vel virtute: quia fortaſſe aliquis defectus ſpectans ad aliquam determinatam ſpeciem potens procedere ab aliqua combinatione cauſarum, potuit impediri ab aliqua cauſa impediente eam combinationem.

Species possibiles inter illa extrema sunt finitæ.

17 Dices ſpecies poſſibiles inter illa extrema ſunt infinitæ. Nego antecedens; cum enim illa extrema finitè diſtent, totum mediũ videtur adæquate expletum per ſpecies poſſibiles finitas. At diſtantia Dei à quacumque creatura eſt infinita; quare ſemper data quacumque creatura, remanet gradus perfectionis maior participabilis. Cæterum hæ noſtræ concluſiones non putari debent nouæ, vel dignæ aliqua cenſura; cum præter rationes, & authores ſupra allatos, eas expreſſe doceat S. Thomas, qui 1. *p. q.* 50 *et* 51. articulo vtrobique primo, probat exiſtentiam intelligentiarum, quia in hoc vniuerſo debet dari omnis gradus entis. S. Thomam ſequitur Caietanus, & fortaſſe alij, inter quos referri poſſet Durãdus. 2. autem *contra gentes c.* 91. *rat.* 5. *Omnes, inquit, naturæ poſſibiles in hoc rerũ ordine inueniuntur; aliter eſſet vniuerſum imperfectũ.*

Confirmantur prædicta ex authoritate.

S. Thom. positiuè procedit.

18 Verùm, quoniam incidit ſermo de S. Thoma, cuius ego authoritatem maximi facio, vt debeo, meminiſſe debes me l. 3. *phys.* dum examinarem vim argumenti negatiui, retuliſſe Conſalonerium, aſſerentem, modum negatiue procedendi eſſe oppoſitum modo procedendi S. Thomæ, quod verum puto; quia ſemper S. Thomas quod abſolute aſſerit, poſitiuè confirmat, vt patet conſideranti eius opera

19 Af-

Examinā-tur duo tius loca.


19 Afferuntur tamen in contrarium duo loca S. Doctoris, in quibus videtur negatiuè processisse in quæstione de possibilitate creaturæ ab æterno: atque primus ex *qu. 3. de potentia, quæ est de creatione ar. 14.* vbi solum docet S. Thomas, vt patet legenti, id non posse dici impossibile, quod probat percurrendo, & soluendo rationes, quibus vtebantur contra Aristotelem nonnulli ad ostendendum eam impossibilitatem: quis autem non videt, aliud esse asserere, quod res sit possibilis, aliud quod non possit dici impossibilis? ad quod vtique sufficit solutio rationum.

20 Secundus locus ex *opusc. 26.* in quo, præsertim nonnulli ex adolescentioribus non dum disciplinam egressi, sibi triumphasse videtur (absit enim vt putem viros eruditos, & in doctrina S. Thomæ versatos, asseruisse eum locum apertè nobis contradicere) sed percurramus breuiter totum textum S. Doctoris. Initio proponit statum quæstionis. Tum contra impugnatores Aristotelis, & assertores impossibilitatis agens, bis vtitur illa phrasi, si autem hoc dicatur impossibile: ex quo apparet, S. Doctorem, solum voluisse, id non ostendi impossibile.

21 Tertio docet, quod si est intellectuum, hoc est ipsarum rationum obiectiuarum, & cōceptuum repugnantia in creatura æterna, se verum putare, quod Deus non possit illam facere: præmiserat autem non esse hæreticum dicere quod aliquid causatum à Deo potuerit semper fuisse. Quarto addit hæc verba: *si autem non est repugnantia intellectuum*, idest rationum obiectiuarum, & conceptuum (vbi non dicitur, non *apparet*, sed *non est*) non solum non est falsum, sed etiam impossibile aliter esse; & erroneum (non, hæreticum, vt quis fortasse malè transcripsit) si aliter dicatur. Quod verissimum est etiam in meis principijs: nam si res in se non dicit repugnantiam, quod Deus non possit illam facere, proueniret ex impotentia Dei ad possibile: qui est manifestus error: & id expresse indicat ratio, quam addit S. Thomas.

22 Quinto S. Thomas apertè asserit, inter hos duos terminos, causatum, seu quod idem est apud S. Doctorem, ex nihilo, & æternum, nullam esse repugnantiam: quod positiuè probat; quia effectus potest semper coexistere suæ causæ, vt lumen soli. Et quia fortasse contra Aristotelem quis dixerat, in ipsa terminorum apprehensione esse apertam repugnantiam, rectè infert S. Doctor, *quod si esset intellectus* idest immediata, & aperta terminorum *repugnantia* non colligenda per discursum; habitus enim intellectus est habitus primorum principiorum, quibus immediatè assentimur, *eam vtique Augustinus vidisset*. Quibus positis, non video quid ex dictis, & sequentibus verbis possint, si bene omnia considerentur, contra me ex mente Angelici Doctoris inferre aduersarij.

23 Demum aduerto: sidera defacto esse determinatè paria, vel imparia, & non indifferentia. Rursus ea indifferentia eatenus impedit ne possimus ferre rationabile iudicium de paritate, vel imparitate: quia est impedimentum, ne altera pars contradictionis ex aliqua ratione appareat; si enim, stante ea indifferentia, appareret; possemus, ferre iudicium: ergo vbi pro neutra parte contradictionis apparet ratio, non possumus prudenter ferre iudicium. Præterea ex perfectione suæ Omnipotentiæ Deus potest facere omnia possibilia, & non potest impossibilia: & non minus iniuriosum est diuinæ Omnipotentiæ tribuere quod fieri nequit, quam auferre, quod potest: ergo vbi non elucet aliqua ratio potius pro possibilitate, quàm pro impossibilitate, non est cur rationabiliter decidamus Deū potius posse, quàm non posse.





INDEX RERVM, AC VERBORVM,

QVÆ IN HOC CVRSV PHILOSOPHICO CONTINENTVR locupletissimus, & accurata diligentia in methodum redactus.



Observa in hoc Indice quòd litera maiuscula L, Logicam denotat. P, Physicam. M, Metaphysicam. D, Disputationem. Q, Quæstionem. S verò, Sectionem. de Anima Disputationes, An Syllaba demonstro. de Generatione, & Corruptione; Gen. & Cor. significo. ac de Ortu, & Interitu, Ort. & Int. syllabis ostendo. p. paruum paginam indicat. n. denique marginalem numerum designat.

Quo-

DE ANIMÆ POTENTIIS IN COMMVNI

Non

CASVS

CAVSA

MVTVA CAVSALITAS

CAVSA EFFICIENS

CAVSA EXEMPLARIS. V. IDÆÆ.

CAVSA FINALIS. V. FINIS.

CAVSA FORMALIS

CAVSA MATERIALIS

CHIMÆRA

CREATVRA

CREATVRA IMMVLTIPLICABILIS. V. SPECIES IMMVLTIPLICABILIS.

COGNITIO

COLOR

COMPOSITVM

CONCEPTVS

CON-

INDEX RERVM

Ne-

DIFFERENTIA

DIMINVTIO. V. AGGENERATIO.

DISCVRSVS

DISTINCTIO

DVRATIO

E

EFFECTVS

EFFECTVS DETERMINATIO V. DETERMINATIO

ELEMENTA

ENS

ENS RATIONIS LOGICVM

ENS RATIONIS METAPHYSICVM. V. IMPOSSIBILE

EVIDENTIA

EXISTENTIA

F

FAMES

INDEX RERVM

HA-

H

HABITVS

HVMIDITAS, ET SICCITAS.

I

IDEÆ

IDEM

IDENTITAS

IGNIS

IMAGINATIO

IMMENSITAS

IMMVLTIPLICABILIS. V. SPECIES IMMVLTIPLICABILIS.

IMPENETRABILITAS

IMPOSSIBILE

INDIVIDVVM

Ex-

L

LEVITAS. V. GRAVITAS.

LIBERTAS

LOCVS

LOGICA

LVX

M

MATERIA

d Im-

INDEX RERVM

Mo-

M V N D V S

M V T A T I O

N

N A T V R A

N V T R I T I O

O

O B I E C T V M

O B L I G A T I O

O C V L V S

O L F A C T V S

O P E R A T I O

PRÆDICABILIA

PRÆDICAMENTA

PRÆMISSÆ

PRINCIPIA

PRIORITAS

PROBABILITAS

PRODVCTIO

PROPOSITIO

PROPRIVM

Q

QVALITAS

Po-

Eadem

RELIQVIÆ

REPRODVCTIO

RESISTENTIA

S

SANGVIS

SANITAS

SCIENTIA

SENSVS, ET SENSIBILE.

SICCITAS. V. HVMIDITAS.

SIDERA. V. ASTRA.

SIGNVM

SIMILE

SPA-

In





P R Æ C I P V A

Errata	Corrige
D.1.L.7.subsect.3. p. 20. n. 28. in fine. nec paucini recentiores cum Pallauicino tracto: de Incarnatione cap. fallor. 1. Lynceo lib.4.m.trract.1	nec pauci recentiores cum Pallauicino tract. de Incarnatione cap. ni fallor, 1.Lynceo lib. 4. m. tract. 1.
D.16.P.S.3.p.439. n.2 1. lin. 4. dicisse	didicisse

F I N I S.